Eseg 231 m — 1

Fraissen

<36619760590016

<36619760590016

Bayer. Staatsbibliothek

Exeg. 231m

R. P. F. CLAUDII FRASSEN

ORDINIS MINORUM

DISQUISITIONES BIBLICÆ.

DISQUISITIONES BIBLICÆ

ORDINIS MINORUM

ERASSEN

C. P. E. CLARAUDII

DISQUISITIONES BIBLICÆ

R. P. F. CLAUDII FRASSEN

ORDINIS MINORUM REGULARIS

OBSERVANTIÆ S. FRANCISCI

PROFESSORIS EMERITI, ET PARISIENSIS DOCTORIS

IN DUO VOLUMINA DISTRIBUTÆ.

EDITIO ALTERA

Plurimis Notis, & Additionibus Hiſtoricis, Criticis, Chronologicis illuſtrata

PER P. F. N. W.

Tomus Primus.

Monaſterii Benedictoburani.

LUCÆ MDCCLXIX.

EX TYPOGRAPHIA JOANNIS RICCOMINI

CENSORIBUS APPROBANTIBUS.

Bayerische Staatsbibliothek München

DISQUISITIONES BIBLICÆ

P. P. H. CLAUDII

FRASSEN

ORDINIS MINORUM REGULARIS

OBSERVANTIÆ S. FRANCISCI

PROFESSORIS EMERITI, ET PARISIENSIS DOCTORIS

IN DUOS VOLUMINA DISTRIBUTÆ.

Bayerische Staats-Bibliothek München

EDITIO ALTERA

Plurimis Novis, & Additionibus Hypericis, Criticis, Chronologicis illustrata

TOMUS PRIMUS.

Bayerische Staatsbibliothek München

REVERENDISSIMO IN CHRISTO PATRI

P. F. PASCHALI
A VARISIO

SERAPHICI PATRIARCHÆ S. FRANCISCI

MUNERE PROFESSIONE VIRTUTE

SUCCESSORI, FILIO, IMITATORI

DIGNISSIMO, PRÆSTANTISSIMO, ZELANTISSIMO

UNIVERSIQUE MINORUM ORDINIS

MINISTRO GENERALI VIGILANTISSIMO.

S. P.

UM, Scriptorum plerique ingenii sui dum Monumenta publici reddunt Juris, vel Typographi ipsi aliorum fœtus in Reipublicæ Literatorum utilitatem e tenebris ad hominum lucem perducunt, id moris diu jam invaluerit, ut Sum-

morum vel fortuna, vel dignitate, vel Sapientia Virorum nomine editionum ſuarum frontem exornent, Novam hanc *Disquisitionum Biblicarum* publicationem non aptiori, quam tui Nominis ornatu percelebri, Reverendissime Pater, ditari, honeſtarique potuiſſe juſti rerum æſtimatores judicarunt. Horum conſilium æquo amplexus ſum animo, quanquam Virum maximis ſemper, maximique ponderis diſtrictum negotiis alio vel tantiſper avertere verebar ex una parte ne id arrogans eſſet, ex altera vero ab ampliſſima dignitate illa tua, qua longe emicas, mea non parum deterrebatur humilitas. Vix tamen quo ingenii robore, quo erga Sacrorum lectionem animo ſis a natura comparatus, ut nec excedenti curarum, quibus in dies premeris, magnitudine diſtraharis ab ipſa, mente revolvi, quod optime didici hujuſcemodi opus ad Te, jure, ac merito pertinere, qui certe pro tuo genio, proque eo, quod obtines ingentis Eccleſiaſticorum familiæ regimine, qualecumque ſit munus, de rebus Sacris cum agat præſertim, futurum ut animo libenti ſuſciperes blandiebar.

Alias

Alias tamen, & quidem graves tuo inſcribendi Nomini Editionem hanc novam oppido cauſas habeo, quarum aliquæ me non magis quam univerſum Ordinem tuæ concreditum vigilantiæ reſpiciunt; aliæ vero magis propriæ ſunt. Diſſimulandum mihi non eſt quod poſt Deum Optimum Maximum Tibi præcipue ſtudia mea, ſi quæ ſint, approbari percupiam; Te enim Supremi Numinis Providentia hiſce temporibus uni, nec exiguæ, in qua ſum immerito, Gregis Chriſti portioni, quæ ſub inclyti Patriarchæ S. Franciſci militatur inſigne, tanquam amantiſſimum Patrem, Oeconomum providentiſſimum, fortiſſimum Ducem, Præſidemque vigilantiſſimum decrevit præficere, & recte quidem, ad hoc enim muneris optime explendi Te, Deo ita diſponente, effinxiſſe videtur natura, Reverendissime Pater, quem exoro, obteſtorque ut Tibi patiaris nunc dici, quod ne dicatur, mirabilis illa modeſtia tua vetare te cogit. Patere ut magis conſiderem non quod, ſi dixerim, aures tuæ ferre poſſint, ſed quod dictum veritati, & juſtitiæ maxime debeatur. Ingenium, quod natura præſtitit Tibi

multarum, magnarumque rerum capax, & quod ipſe Sapientiæ ſtudiis, & prudentiæ diſciplinis excoluiſti quamvalde quemadmodum Sacræ Theologiæ Magiſterium, divinique verbi prædicatio, quæ ſumma cum laude olim exequebaris, oſtendunt, aditum Tibi ad primos in Ordine honores aperuit, ubi mox quantum valeres apparuit, & quam grandia denique a laudabili illa prudentia tua expectanda forent, ſatis fecit palam triennalis Præſidentia, quam ſemel, & iterum in tua executum Provincia, clarum non ſolum dignumque apud tuos, ſed undequaque apud exteros inſigni, uberrimaque Te gloria locupletem, ornatumque ſic reddidit, ut eam vice altera nondum expleveris, quod in generalibus a Minorum Ordine Mantuæ habitis Comitiis univerſali Convocatorum ſuffragio in Generalem Præpoſitum Ciſmontanæ familiæ fueris electus; qua in ampliſſima dignitate ſpecialis tua morum comitas, affabilis humanitas, in rebus difficillimis dexteritas, & quæ plura ad optimum Sodalitii Caput inſtituendum conveniunt, ſingula ea in Te eminuere excellentia, ut hominum animos

devin-

devincire potuerint, omniumque Tibi reverentiam, obſervantiam, & admirationem, neſcio ſi dixerim, an potius amorem comparaverint. Qua de re, virtutum, quibus ornabaris, ſpecimen non Italorum perſtringi limitibus, ſed & Hiſpanis, & Gallis, aliiſve longe diſſitis Gentibus coruſcare oportebat quam maxime. Id præſtantes novere homines, quibus Supremum totius Minoritici Ordinis Præſidem, Generalem Miniſtrum videlicet, eligere datum fuit, qui propterea inter plurimos Cœtus Seraphici Alumnos Supremæ digniſſimos Præfecturæ, Te unum eximio virtutum omnium ornatu fulgentem in generali totius Ordinis Conventu anno Æræ ſalutiferæ 1768. Valentiæ celebrato, non ſine univerſali omnium plauſu, non ſine cordis tui mærore pergrandi ob ſingularem modeſtiam animi, invictiſſimi quidem, ſed demiſſione tui ipſius glorioſiſſimi ad Supremam Ordinis dignitatem extulerunt.

Taceam modo quæ, quantave ad optimum vaſtiſſimi Ordinis tuæ diligentiæ commiſſi regimen, die moliaris noctuque; qua fortitudine, qua ſuavitate, qua prudentia omnia diſponas,

ſuadeas, jubeas, quæ Inſtituti decori, gloriæ, dignitati, incolumitatique conducere intelligis. Encyclicæ profecto Epiſtolæ, quas univerſo dediſti Ordini ſatis nedum ingentem eruditionis tuæ amplitudinem dum Studiorum præſcripſiſti methodum, dum Auctorum pro Scholis delectum indicaviſti, ſed quod magis eſt tuum in ſcientiarum cultum amorem, zelumque teſtantur. Palam faciunt eædem Epiſtolæ quo animi ardore in regularem diſciplinam, in legum noſtrarum cuſtodiam, in vitam evangelica Sanctitate inſtituendam perducaris. Totam, dicam brevi, mentis aciem, totumque vitæ laborem Regno Chriſti amplificando, gloriæ Chriſtianæ Religionis promovendæ, tuæ, aliorumque Tibi commiſſorum Saluti procurandæ videris impendere, cum non alio protendat ſedula tua, qua uteris, diligentia modo in iis Evangelii recenſendis præconibus, qui nihili habentes pro Jeſu labores, ærumnas, carceres, ſanguinem, mortem, Turcarum oris adpellunt, ut ibi Crucis vexillum extollant, omnique ſtudio quo poſſint, Chriſti Regno eoſdem ſubiiciant; modo autem in eos inſti-

tuen-

tuendo Operarios, qui verbis, & exemplis vineam Domini Sabaoth a vepribus, a feris, a furibus expurgent, tueantur, cuſtodiant.

Hæc omnia, maxima, atque ampliſſima, oculiſve, omnium, tuis exceptis, conſpicua ita ab aliis TE diſtinguunt, & ornant, ut digniſſimis viris, atque graviſſimis probatum non ſolum, ſed & carum maxime, acceptumque TE faciant.

Hujus, quod dictum eſt, grande ſiquidem (nullum enim majus eſſe poteſt) Maximus Principum, Hiſpaniarum Monarcha CAROLUS III. fæliciter modo regnans, diuque, quod Deus pro Chriſtiani Orbis faxit votis, regnaturus teſtimonium perhibuit, cum æqui, & juſti acerrimus ille ÆSTIMATOR dignum te habuit ut eadem, qua Hiſpaniarum Magnates fruuntur, dignitate ornareris.

Quæ de TE modo narravi REVERENDISSIME PATER, alia multa, de tuæ genere vitæ, de natura, de moribus, de incredibili amore in bonos, de ſtudio conſervandæ ſalutis communis quin dicam, ſatis oſtendunt, ſimulque teſtantur aperte quam impar dignitati, meritiſque

tuis

tuis in hac mea novæ Editionis hujus operis dedicatione tuo Nomini inſcripta munuſculum ſit oblatum. Accipias tamen qualecumque ſit Donum ea æquitate, & Benevolentia qua ſoles accipias inquam velut meæ erga TE obſervantiæ, ſervitutis & obſequii teſſeram perpetuo duraturam, dum florentem, ſoſpitemque vitam Cœli Benedictionibus auctam TIBI REVERENDISSIME PATER majori, quo poſſit, animi affectu a ſupremo Bonorum Datore obſecrat, invocat, expetit qui Lucæ ſcribebat Anno Eræ Vulgaris 1769.

Hamillimus, obſequentiſſimus & inter omnes TIBI addictiſſimus Famulus P. N. W.

DE

DE REBUS
AD
PRÆSTANTISSIMI VIRI
P. CLAUDII FRASSENII
VITAM SPECTANTIBUS
ELOGIUM.

DE profecto Eruditorum votis expetendum esse videtur, ut si qui extiterint homines, qui miram vitæ innocentiam pari cum doctrina, rerumque pulcherrimarum notitia certo fœdere consociarint, non eo in tumulo, quo cineres, ac ossa clauduntur, eorum nomen intereat, at publicis consignatum literis, posteritati tradatur, annorum memoria vigeat, & augeatur in dies. Hinc veluti perennes ab uberrimo fonte rivuli, maximum ad commune Religionis, optimarum Artium, Reiquepublicæ bonum, manare utilitatis, & fructus nullus est, qui non videat; sua etenim imprimis virtuti laus, quæ illam, ut umbra corpus consectetur oportet, tribuitur, ex justitiæ præscripto, quod illi debetur persolvitur, & innumera, quæ in eam sævientis fortunæ, aut invidiæ tela jacta sunt, opposita vi repelluntur. Spes præterea affulget non exigua fore, ut qui homines eximium, & ad honestas institutiones aptissimum sortiti sunt ingenium, at inter efflorescentes voluptatum delicias remissam ætatem traducunt, ac lento veluti otio molliter consenescunt, his quasi additis virtutum irritamentis excitati, propositas sibi imagines ad imitandum intueantur: qui vero studiorum rationem ingressi jam sunt, alacriores fiant, & institutum gloriæ cursum celerius conficiant.

Hac potissimum de causa in id sum adductus consilii; ut *Biblicas* hasce *Disquisitiones* editurus, & de rebus P. CLAUDII FRASSENII, qui Operis tam eximii Parens extitit sapientissimus, verba facerem; nam is sibi tantam studio, labore, solertia doctrinæ, ac sanctitatis laudem comparavit, ut jure possit inter superiorum ætatum lumina recenseri. Ab iis equidem, qui de re literaria sub Ludovico XIV. maximo Galliarum Rege, conscripserunt, non pauca ad Frassenii vitam spectantia didicimus, (*) at ea tanti hominis desiderium in nobis acuunt potius, quam expleant, nec ejus præconium tam angustis fas est coerceatur limitibus.

 Fras-

(*) *Extrait de l'Histoire Litteraire du Regne de Louis XIV. par M. l'Abbé* Lambert. *Tom.* 1. *pag.* 19. Moreri *le Grand Dictionnaire. Tome quatrieme. let. F. pag.* 445.

Fraſſenius igitur anno 20 elapſi ſuperioris ſæculi ad vitam ingreſſus eſt Peronnæ, quæ Urbs in Gallia eſt cum nobilis, tum perantiqua. Quot ſecum, ſibique a natura ingenitos virtutum igniculos attuliſſet, quæ indita haberet animo honeſti, juſtique ſemina, eventus comprobavit. Ubi enim ſibi licuit per ætatem, internas mentis actiones conſilio regere, ac moderari, illi ſtatim in vehementem ſectandæ rectitudinis cupiditatem exarſerunt; hæc in ampliſſimam virtutum ſegetem viſa ſunt adoleſcere. Quare non is infans fuit, qui inani terrenarum rerum fulgore ſe decipi pateretur, aut vana voluptatum imagine deliniri; at prudentia, maturitate infantiam præibat, & ineuntis ætatis a pietate, religioniſque muneribus commendationem capiebat. Quid itaque mirum, ſi, divino afflante Spiritu, eo ſe contulerit, ubi certum ad tuendum innocentiæ decus præſidium haberet? Vix quindecim natus erat annos, cum D. Franciſci Inſtitutum, *Regularis*, ut ajunt, *Obſervantiæ* ſuſcepit. Non ſecus ac arbor, quæ nativa, horrentique nemoris ruſticitate contempta, mitius ſit nacta ſolum, opportunos accipiat imbres, puriori veſcatur aere, ad grandia facinora peragenda ſibi aditum patefecit.

Cum duplex ſit facultas in homine intelligendi nempe, ac volendi, in id omnes ingenii nervos, induſtriæque vires intendit, ut unam doctrinæ pabulo, alteram virtutum informatione perficeret. Quis itaque tam diſerto dicendi genere polleat, ut cuncta pietatis, ac religionis munera, quibus ille ſingulari ſtudio, alacritate mirabili, firmo animo conſtantique functus eſt, recenſeat? Vehemens in eo tuendæ virginitatis deſiderium extitit, quam Deiparæ enixis precibus ſingulis vovere diebus ſolebat. Tanto in Deum exarſit amore, ut nullum fere periculum, nullum vitæ diſcrimen diceret eſſe, cujus declinandi cauſa, aliquam ſibi oblatam exercendæ charitatis oportunitatem, omitteret. In eos, qui ſibi aut ſui Ordinis propinquitate, aut neceſſitudinis fœdere, aut chriſtianæ Religionis vinculo (nam omnes, tamquam plura in uno corpore Chriſto Domino membra, ut Fratres venerabatur, ſibi devinctos habuit) tam miſericors extitit, ut hos egeſtatis pondere ſublevaret, illis difficili quovis tempore conſilio adeſſet, omnes paterna affectione complecteretur, nullum a ſe triſtem ſineret proficiſci. Hujus tam eximiæ in pauperes largitatis, illud præ reliquis monumentum extat clariſſimum, quod ingentem auri argentique vim, quam illi invito licet, ac reluctanti Maria Thereſia Auſtriaca Regina ampliſſima, Ludovico XIV. Regi nupta, cui apprime fuit charus, contulerat, partim ut egenos ſitu, ac ſquallore confectos pene ab interitu vindicaret; partim ut ſui cœnobii, cui aderat gubernator, & cuſtos, indigentiæ conſuleret, ejuſdemque ædes vel hominum incuria, vel temporum vetuſtate jamjam lapſuras reficeret, large, effuſeque erogavit.

Cum autem, teſtante Apoſtolo, propter labem, quæ a primo Parente in omnem manavit poſteritatem, caro adverſus ſpiritum concupiſcat, & dura membrorum lex acerrimum quotidie in nos ineat certamen, in eo Claudius Fraſſenius fuit totus, ut iſtud veluti peccati corpus penitus labefactaret. Quare duris laboribus, vigiliiſque frangere ſolebat artus, ac perdomare, validas exardeſcentis cupiditatis vires reſtinguere,

& in-

& internas animi affectiones compeſcere. Quoties cibo, potuque abſtinuit! Quam humiliter de ſe demiſſeque ſenſit! Quam firmiter adverſis obſtitit rebus, quam temperate uſus eſt ſecundis! Hæc aliaque id genus ornamenta pulcherrima tot tantaque in eo extitere, ut omnium pene hominum voluntates in ſui compulerint admirationem.

Tantus attamen exercendæ, augendæque pietatis ardor, vix quidpiam in Fraſſenio cupiditatis minuere potuit, qua vehementer, & inflammato quodam ſtudio ad optimas facultates incenderetur. Ingenua animi ſpecies, quæ ex fronte, ex oculis, ex ore, ex totius denique vultus conformatione apertiſſime prominebat, talem innuebat Fraſſenium, qui perbrevi annorum curriculo immenſas Scientiarum provincias peragraret; quam quidem expectationem cum is non fefellit, tum ſeſe iiſdem exſolvens finibus, queis cæteri continentur, ſuperavit. Vix etenim eum viri graviſſimi queis id datum erat negotii, ut juventutis indolem inveſtigarent, eamque in multiplici ſcientiarum varietate dirigerent, Pariſienſi Academiæ erudiendum tradiderunt, quod ſumma, incredibilique ſolertia ſtudiorum rationem iniit, & pari celeritate confecit. Nam ubi primum præſtantiſſimos habuit homines, ad quorum imitationem accederet, ſtatim cuivis doctrinæ generi impigram navavit operam. In intimos eloquentiæ receſſus pedem intulit, idque tam fauſto ſucceſſu, ut in ſapientiſſimorum hominum cœtu, & cum ad Populum conciones habuit, de rebus graviſſimis maximo verborum pondere ac ſententiarum majeſtate, diſceptaret. Tum univerſum Philoſophiæ opus aggreſſus, eam impenſius excoluit. Sacræ Theologiæ, quæ reliquas inter diſciplinas adeo caput attollit, arcana labore non irrito pertentavit. Quidquid demum ad canonum, ad legum, ad prophanæ, ſacræque antiquitatis notitiam pertinet, inſatiabili excepit aviditate; at nihil habuit antiquius, quam ut Græcis, Hebraicis, Syriacis, & Chaldæorum literis erudiretur. Tanto fultus præſidio ad divinos ſacrarum literarum fontes acceſſit, ex iiſque perennes aquas, & in illud vitæ genus, quod nunquam ſit interiturum, ſalientes, in ſui, aliorumque commodum derivavit. Tanto, & tam præclaro ſapientiæ ornamento refulgens ad omnes honorum, gloriæque gradus evectus fuit apud ſuos, quod quidem apertiſſimum laudis argumentum, ac ſignificationem ſumma confeſtim celebritas conſecuta eſt; & tam late percrebuit, ut finitimis, remotiſque gentibus innoteſceret.

Quam ferax interea hujuſce doctrinæ vis extitit! Quam ingens bonorum copia in genus hominum ex ea redundavit! Non ſibi tantum ſe natum eſſe, at Patriæ, Reipublicæ, Religioni Fraſſenius conſpiciens, huc dicta, conſilia, actiones omnes convertit, ut cunctis fere hominibus præſidio foret, iiſque tutum ad ſupremam poſt obitum felicitatem, iter muniret. Cum ſibi docendi munus demandatum eſſet, ſuaviter molles adoleſcentium animos ad humaniores artes adduxit, qui quidem, eo auctore, ſæcularium rerum perturbatione ſemota, contemptiſque voluptatum illecebris, una cum pietate, ac reliquis, quæ Chriſtianum hominem deceant virtutibus, literas copularunt. Illuſtres mulieres, nobileſque Matronas, quæ ſub fauſtiſſimis jam laudatæ M. Thereſiæ Reginæ auſpiciis religioſum vitæ genus amplexæ Deo inſerviebant, eadem imperante Regina regendas ſuſcepit, iiſque longo annorum ſpatio intimus adfuit mo-

derator graviſſimus. Supremus ſui Pariſienſis Cœnobii Rector ad generalem Ordinis Concionem, quæ Toleti habita fuit anno 1682., interfuit, ibique ſumma dexteritate diſcrepantium animorum diſſidia in ſumma temporum iniquitate compoſuit. Ad alteram itidem, quæ Romæ an. 1688. indicta fuit, orator profectus, cum diſerte, ſapienterque de ſuæ Gentis, ac Provinciæ rebus diſſeruiſſet, cunctis Patrum ſuffragiis ſuam vidit Orationem comprobatam, dignus propterea quem ab Hiſpania, ab Italia in Galliam revertentem innumeris Rex ipſe laudibus cumularet.

Verum, proh dolor! In ſummos etiam homines, quorum vita deberet eſſe immortalis, ſæva mors indeclinabile telum intorquet. Ita terrenarum rerum, humanæque naturæ imbecillitate ferente, vel, ut rectius loquar, ita ſupremo Dei conſilio, qui nullum diu patitur, condigna pro exantlatis laboribus mercede fraudari, ſuaviter diſponente, Fraſſenius eximium ſui Ordinis, Reiquepublicæ literariæ decus, maxima meritorum gloria cum dierum numero decertante an. Reparationis noſtræ 1711. ætatis ſuæ 90., poſtquam Religionem ingreſſus erat 74. in Domino conquievit; cujus quidem obitum infauſtum bonis omnibus, ac luctuoſum contigiſſe, eorum temporum monumenta teſtantur.

Nos tamen tam gravis jacturæ ſolari aliquo pacto poſſumus ægritudinem eorum operum recordatione, quorum cauſa ipſe adhuc ſibi ſuperſtes eſt, & in quibus quamdam ipſius pene ſpirantem imaginem poſſumus intueri. Tot diſtractus difficultatibus, tot obrutus curis, tot fractus laboribus, in ſumma præſertim temporis, quod homini ad vitæ uſuram tributum eſt, parcitate, quotne doctrinæ, ingeniique ſui argumenta poſteritati tranſmiſit? Extat graviſſimum de univerſa Philoſophia Opus oratione non inſuavi conſcriptum; adſunt plura de ſacra Theologia non exiguæ molis volumina, in quibus vix dici poteſt quanto argumentorum pondere a ſubdolis hæreticorum fallaciis ſanctiſſima Religionis Dogmata vindicavit; nec plura deſiderantur volumina, in quibus ſalubri doctrinarum pabulo Fidelium animi enutriti ad Chriſtianæ pietatis munera obeunda, & ad Cœleſtium rerum contemplationem firmiter eriguntur. Quæ profecto Opera omnia jam typis vulgata, plauſuque excepta, per varias cum Galliæ tum Italiæ regiones diſſeminata ſunt, jamque rareſcunt. Multiplices præterea elucubravit libros de Scuto Fidei; de Conciliis; de Hæreſibus; de ſanctis Patribus, eorumque in controverſiis dirimendis, auctoritate, qui tamen manu exarati, adhuc in *Muſæo Fratrum Minorum Pariſienſium* inediti deliteſcunt. Hoc unum de *Biblicis Diſquiſitionibus* Opus in duo volumina diſtributum, quod ut hominum doctiſſimorum deſiderio facerem ſatis, recudendum curavi, in ſui Auctoris commendationem præ reliquis valeat; in illud ſi tantum oculos coniiciamus, ſtatim quam abbundanti conſpicuus doctrina foret cernitur, & appâret.

Hæc de præcipuis R. P. Fraſſenii laudibus obiter in medium duxi afferenda, non eo certe conſilio, ut eas congruenti, qua par erat oratione complecterer, ſed ut quædam jacerem ſemina, unde cuique liceret de reliquis ſententiam ferre, quæ quidem tot, tantæque ſunt, ut nulla eas delere poſſit oblivio.

LECTO-

LECTORI

S.

QUanquam rerum aliæ ad neceſſitatem, aliæ ad voluptatem, aliæ ad uſum pertineant, unum tibi nihilominus, ſacræ eruditionis, & doctrinæ, cupidiſſime Lector, præclarum eruditi viri P. Claudii Frassen exhibetur opus *Diſquiſitiones Biblicæ* inſcriptum, ex quo uno & neceſſitati doctrinæ, ſi qua labores, ad verbi Dei revelati auctoritatem, & ſinceritatem contra perduelles Hæreticos vindicandam ſuppetias; & animi oblectamentum, ſi quod ex rerum geſtarum enarratione ſuſcipias; & optimum diſputandi diſſerendique uſum, ſi eo delecteris, haurire facillime poteris. In eo ſiquidem percelebri opere de rebus Divinis Auctor noſter eleganti non minus quam profunda diſputavit doctrina; de rebus autem a Prophanis ſcriptis, aut geſtis mira prorſus eruditione diſſeruit, tractavitque. Si quem vero hujuſce Operis locum ſtrictiori quam par eſſet labore perſtrinxit Fraſſenus, temporum fortaſſis, quibus ſcribebat, circumſtantiis id expoſcentibus, aliena manu Editionem hanc noſtram variis additamentis, & notis illuſtratam cum ſategerimus exponere, quod in illa deerat, in iſta ſuppletum, nequaquam ambigimus. Diſparem aliquanto in rerum pertractandarum diſpoſitione methodum in editione noſtra retinere, ut quælibet aptiori ſibi loco reſtitueretur, de qua diſputatur, materia, opportunum exiſtimavimus. Quod quartum itaque erat Libri I. caput in editione antiqua ad numerum IX. rejectum eſt, & quod quintum in illa, ſub num. X. reperitur in iſta. Caput vero quartum Libri I. in editione noſtra brevi ſtylo aliena manu ſuppletum eſt, ne quod pertractandum ibi erat, deeſſe contingeret. Caput autem ſextum Libri I. in antiqua editione, in quo de Pentateuchi Auctore, & ejus Scripturæ divinitate diſſerebat Fraſſenus, loco capitis primi ad Librum V. poſitum eſt, ut ordo Divinorum Librorum, de quibus omnibus eo in Libro & ſequenti diſſeritur, integer habeatur.

Eadem permoti cauſa diverſum Librorum, corumque Capitum cenſum in editione, quam adornavimus, deſcribere, diverſumque prorſus locum eorum nonnullis, adſignare curavimus, ea tamen inviolabili lege ut nil de Auctoris noſtri ſubtraheretur materia, ſed integram prorſus, atque intemeratam ſervari voluimus. Librum itaque ſecundum editionis antiquæ, in quo de omnibus Scripturæ ſacræ verſionibus ſermonem fecerat Auctor, in duos diſtinximus libros, in quorum uno de Hebraica, Syriaca, Perſica, Græca aliiſque Orientalibus, in altero autem de Vulgata cæteriſque Occidentis editionibus fit ſermo, hinc Tribus Libris a nobis, quod in duobus Fraſſenus concluſerat editum eſt;

ad exceſſum quippe Liber unus ob ingentem additionum multitudinem quas in Vulgati textus defenſam appoſuimus, excreviſſet, Liber tertius propterea editionis Pariſinæ quartum in noſtra locum eſt conſecutus; cujus pariter Libri capita nonnulla de uno in alterum locum tranſpoſita, alia vero ſubdiviſa conſpiciuntur, ut accuratius rerum ordo in rebus, aptiuſque in diſputando claritas, ſi fieri poſſit, ſervaretur; quem pariter dividendi ordinem in tractatu *de Libris Canonicis utriuſque Teſtamenti*, quem in duos diſtinximus libros accurate ſervavimus. Primum itaque Editionis noſtræ volumen ſex libros exhibet; in quorum primo de variis Scripturæ ſacræ nominibus, ejuſque dignitate, nobilitate, vetuſtate, de characteribus alphabeticis, arte ſcribendi, ejuſque primis inventoribus, & magiſtris, de Idiomatum diverſitate, de linguarum origine hebraica præſertim, ejuſque vetuſtate, & duratione, de Ethnicorum *doctrina & ſapientia*, de *fontibus* unde eam hauſerint accurate diſſeritur; atque ex Moſaicis Libris, ſi quid Gentium Sapientes de Deo, de hominibus, de rerum exordio, de vitæ inſtituendæ præceptis accurate ſcripſerunt, excerpſiſſe revincuntur.

In Libris ſecundo, & tertio, quid contineatur præmonuimus. Liber autem quartus diſputationem de variis divinorum Librorum canonibus tum in Eccleſia Ebraica cum in Chriſtiana inſtitutis, exhibet, ſive ii a Conciliis, ſive a Summis Pontificibus, ſive tandem a præcipuis Eccleſiæ Patribus fuerint adornati. Diviſionem pariter Sacrorum Librorum utriuſque Teſtamenti, canonicam, divinamque eorum auctoritatem & integritatem, obſcuritatem denique in Scripturæ textibus exiſtentem proponit atque Hæreticorum circa hujuſcemodi articulum confutationem, *qui Scripturæ divinæ claritatem ubique prædicant*, dum in ejus intelligentia prorſus cæcutiunt; varios pariter in Scripturis divinis ſenſus haberi, in hoc eodem Libro ſtatuitur, vanæque Hæreticorum cavillationes enodantur.

In libris denique quinto, & ſexto de unoquoque libro tum veteris, cum novi teſtamenti, ejuſque divinitate, auctore, tempore, quo ſcriptus eſt ſingillatim diſſeritur atque adverſus Hetherodoxos, divina cujuslibet libri auctoritas propugnatur. Alia non pauca, de quibus in adnotationibus aliquando ſermo habitus eſt, huic erant adjungenda volumini, niſi æquam menſuram ejus magnitudo jam excederet; qua propter in volumine altero tam ordo temporum accuratus cum celebriorum Auctorum ſyſtematis, & hypotheſibus, quam Conciliatorium Biblicum uberiori tractatione de locis Scripturæ ſecum invicem ſpecie tenus pugnantibus ornatum, nec non Vulgatæ noſtræ defenſio ad reliquos poſt Pentateuchum libros proponentur.

MONITUM AD LECTOREM.

Si quid in hac editione expolita quidem, & eleganti minus attente exaratum inſpicias; & unam literam pro alia interpoſitam vel Literarum ab invicem diſtantiam, ubi earum conjunctio ſervanda erat intuearis, quod in dictionibus præſertim Hebraicis Latino charactere expreſſis non ſemel offendes, ut eſt legendum legas, & Amanuenſium, aliorumque oſcitantiæ des veniam. APPRO-

APPROBATIO
ILLUSTRISSIMI EPISCOPI
GLANDATENSIS.

LIbrum cui Titulus est *Disquisitiones Biblicæ*, &c. *Auctore R. P.* Claudio Frassenio, *Franciscano, Facultatis Parisiensis Doctore, Magni Conventus ac Collegii Parisiensis Guardiano*, diligenter legimus: & in eo nedum nihil reperimus quod veritati Catholicæ, bonisque moribus non sit consonum: verum etiam mirati sumus amplissimam omnigenæ eruditionis penum, & exactam res difficillimas, profundissimas, ac fere inextricabiles tractandi Methodum, Literario hujus sæculi, supra omnia retro sæcula, critici & eruditi, Genio; eorumque maxime qui e Libris Canonicis certam divinarum veritatum cognitionem haurire satagunt, usibus accommodam. Eapropter eum censemus dignum qui in lucem prodeat, tanta luce sacras divinorum Voluminum tenebras respersurus. Datum Parisiis die 16. Decembris anni 1681.

F. Leo Episcopus
Glandatensis.

APPROBATIO DOCTORUM.

ERuditionis eximiæ Librum, cui Titulus est *Disquisitiones Biblicæ*, &c. *Auctore S. M. N. Claudio Frassenio, Scholæ Parisiensis Doctore ac Professore Theologo*, diligenter & accurate perlegimus, in quo nihil a Fidei Christianæ principiis, aut Ecclesiæ Catholicæ moribus alienum deprehendimus; sed tantam in eo ubique cum indefectibili veritatis regula consonantiam suspeximus, ut ejusdem Auctoris altam mentis intelligentiam, exquisitum & acre judicium, singularemque ac prope infinitam rerum divinarum, reconditioriſque disciplinæ cognitionem satis non possimus, ut par est, prædicare. Sacrorum enim Codicum auctoritas ab eo tam luculenter & egregie vindicatur, veritas tam fortiter asseritur, dignitas tam nobiliter commendatur, antiquitas tam perspicue & clare demonstratur; ut hoc Duce ac Magistro, si divinæ Scripturæ vere sunt *Lignum Paradisi in hoc Mundo plantati* (ut sanctissimus ait Galliarum Doctor Irenæus) quisque possit securus ex isto omni Ligno fructus sine metu decerpere, escas sine periculo degustare, hisque sine fastidio saginari. Nemini itaque dubium esse debet, quin summo cum Ecclesiæ fructu tam excellens Opus lucem aspiciat. Datum Parisiis in Sorbona die 22. mensis Decembris A. R. S. 1681.

G. de Lestocq Regius in Sorbona
Sacræ Theologiæ Professor.

Ph. Dubois, S. Theologiæ Doctor Parisiensis, Collegii Gervasiani Prior & Primarius, S. Stephani a Græcis Canonicus.

MANDATUM OBEDIENTIÆ ET APPROBATIO
Reverendissimi Patris Ministri Generalis.

FRater Joseph Ximenius Samaniego totius Ordinis FF. Minorum Seraphici P. Nostri S. Francisci Minister Generalis, & Servus; Dilecto Nobis in Christo Patri Fratri C. Frassen, ejusdem Ordinis sacræ Theologiæ Doctori Parisiensi, Provinciæ vero nostræ Magnæ Franciæ Alumno, Salutem in Domino sempiternam.

Cum post Philosophiæ ac Theologiæ Cursus a Te fœliciter in lucem editos, & Doctorum applausu receptos, Opus aliud in Scripturam S. sub hoc titulo, *Disquisitiones Biblicæ tribus Libris comprehensæ*, diurna nocturnaque manu elaboratum, studio veritatis Catholicæ propagandæ ac defendendæ, cupias in lucem promulgari; illudque Theologorum nostri Ordinis, quibus examen commisimus, judicio, nedum sanæ doctrinæ, sed eximiæ utilitatis comprobetur;

præſentium tenore, ſervatiſque ſervandis, præfati Operis in lucem edendi facultatem Tibi facimus. Quinimo tam præclaros labores in Dei gloriam, & Religionis noſtræ decus ſuſceptos, & in poſterum, ut ſperamus, a Te ſuſcipiendos, uberrimo ſalutaris obedientiæ merito compenſamus. Vale in Domino, Noſtrique in Orationibus memor. Datum in Conventu noſtro magno Pariſienſi die 4. Maii 1680.

F. JOSEPH, Miniſt. Gen.

De Mandato R. Patris.

F. Petrus-Antonius Crassus a Canturio
Secret. Generalis Ordinis.

APPROBATIO DOCTORUM ORDINIS.

NOn alia ſane quam Auctoris R. P. Claudii Fraſſenii Doctoris Pariſienſis ſpectabile Nomen ubique jam merito diffuſum, & æternitati, vel etiam ab invidis conſecratum, huic præſtantiſſimo Operi deſideraretur Approbatio: Quem enim fauſtum in Academiis ſibi ejus Philoſophia, in primis (ut aiunt) incunabulis, acceſſum invenit; quam ſibi e Literaria Republica admirationem pepererunt ſapientiſſima illa & accuratiſſima ſuper *Librum Sententiarum*, & *Univerſam Theologiam*, quatuor Volumina; in quibus gravioris Eloquentiæ lepores, nitoris, & ordinis gratias, ſubtilitati, profunditati, & ſoliditati Scotiſticæ, pari vinculo junxit: Hoc omne, validiſſimum & ampliſſimum cœleſtis eruditionis, profundioris Literaturæ, rectæ ſemper Fidei, & Religionis ejus perhibet argumentum: Idcirco acclamationem potius & elogium, quam Approbationem naſcenti huic deſideratiſſimo ſuper *Scripturam ſacram* pangimus Labori; qui longe abeſt, quod aliquid contra mores, aut Fidem contineat, quinimo omnia in eo ſublimitatem, ſplendorem, ſanctitatemque objecti ſui apprime redolent; in quo ſuperbi humiliari, illuminari tenebriones, errantes reduces fieri, impii perſuaderi, Candidati inſtrui, Magiſtri docere, abunde eruduntur; totque & tanta ad iſtius Verbi divini explorationem, contextuum concordiam, *Librorumque ſinceritatem complectitur*, ut etiam tardius venerit, cui adhuc pene in ovo, & in partus vinculis, tam blandis & urgentibus Sapientum deſideriis obſtetricatum eſt, ut natum jam & excluſum omni benevolentia inoffenſo pede excipiendum judicaverimus, hac die 8. Novembris 1681. in ſacra Theologia Doctores & Profeſſores in magno Conventu FF. Minorum Pariſienſium.

F. C. Domart, Doctor & Profeſſor Theologus in Magno Conventu FF. Minorum.

R. Mariau, Doctor & Profeſſor Theologus.

F. F. Delair, Doctor, & Profeſſor Theologus in Magno Conventu Pariſienſi.

ILluſtriſſimus, ac Reverendiſſimus D. D. JOANNES IGNATIUS LIPPI Archipresbyter Metropolitanæ, ac Vicarius Generalis Illuſtriſſimi, ac Reverendiſſimi D. D. JOANNIS DOMINICI MANSI Archiepiſcopi Lucenſis, & Comitis &c. mandavit, ut diligentius perlegeretur Liber inſcriptus: *Diſquiſitiones Biblicæ*, celebre, atque eruditum Opus Doctiſſimi Viri admodum R. P. CLAUDII FRASSEN *Ordinis Fratrum Minorum S. Franciſci*, quos *de obſervantia* vocant. Superiorum mandatis obtemperatum eſt. Et cum in tanto Opere nihil fuerit deprehenſum, quod ſit contra Verbum Dei revelatum tum ſcriptum, tum traditum; nihil contra Sacerdotii, & Imperii Leges; nihil proinde, quod ei aditum claudat ad Lucem publicam, impediatque viam, qua deducatur ad manus Sapientum Virorum, qui tam diuturno, tantoque ejus deſiderio tenentur, atque laborant. Cumque Concilii Tridentini decretis ſeu votis inhæreat præſertim in retinenda, tuendaque Vulgatæ Latinæ auctoritate, digniſſimum profecto eſt, ut ab interitu, ac nimia exemplorum raritate, atque inopia vindicetur ad Chriſtianæ Reipublicæ, atque eruditorum omnium utilitatem. Vere dicam. Quod non paucis abhinc annis optarant, ſapientes, & eruditi, ſacrorum ſtudioſi viri, ut ejuſmodi eximium Opus tandem aliquando iterum publica, meliorique luce donaretur recenti, & pretioſa rerum copia illuſtratum, aptiori, & magis exquiſita methodo expolitum, in meliorem ordinem ad omnium eruditorum vota explenda redactum, dum alibi conſulitur, & celebriores Typographi certatim rem aggredi meditantur: omnium feliciſſimus noſter Joannes Riccomini promptiorem, & peropportunam operi admovet manum, atque adiutus Anonymi viri doctrina, ingenio, ſtudio, & Linguarum Orientalium peritia præſtantiſſimi rem abſolvit, atque operæ pretium perficit. Elogia Fraſſenii omitto illuſtria, & inſignium præſertim virorum appoſita Tomo I. hujus editionis ea ſatis Auctoris noſtri commendant opus, quod Eccleſiæ Catholico-Romanæ, atque univerſæ Literariæ Reipublicæ ſit ſemper felix, ac fauſtum maxime.

Hæc ſcribebam.

Lucæ ſub Die 31. *Decemb.* 1768.

D. JACOBUS MENCHINIUS

Librorum Cenſor.

IMPRIMATUR.

JOANNES IGNATIUS LIPPI Archipresbyter, & Vicarius Generalis.

HYPPOLITUS DE NOBILIBUS Illuſtriſſimi Officii ſuper Jurisdictione Præpoſitus.

IN-

INDEX GENERALIS

Librorum & Capitum, quæ hoc in Tomo continentur.

LIBER PRIMUS

De Scripturæ divinæ origine, antiquitate & excellentia, variisque linguis, & scribendi arte, & inventoribus ejus.

CAP. I. *De variis nominibus quibus Scriptura sacra appellari solet.*
II. *De origine, & antiquitate Scripturæ sacræ.*
III. *Quonam tempore Moses floruerit.*
IV. *Moses aliquam divinæ Scripturæ partem exaravit.*
V. *Quonam sermone, quave lingua Moses sacram Scripturam fuerit auspicatus.*
VI. *Quonam charactere usus fuerit Moses in conficienda divina Scriptura.*
VII. *Quanam arte, quove scribendi modo fuerit usus Moses in sacris libris scribendis.*
VIII. *Moses an fuerit vocalium punctorum Auctor.*
IX. *A quibus literas & scribendi artem sapientes Ethnici hauserint.*
X. *Sapientiæ Græcæ pars maxima ex Libris Mosis & Prophetarum originem habet.*
XI. *Eadem fuit Mosis & Prophetarum de rerum exordio sententia, quæ veterum Sapientum.*
XII. *Mythologia Ethnicorum ex Mosaicis Libris prave intellectis originem habuit.*

LIBER SECUNDUS

De variis editionibus & versionibus orientalibus.

CAP. I. *De editione Hebraica hodierna.*
II. *De variis Interpretationibus, & commentariis Hebraicæ Editionis.*
III. *De Paraphrasibus Chaldaicis.*
IV. *De Editione Syriaca*
V. *De versionibus Arabica, Æthiopica, & Persica.*

VI. *De versione Græca LXX. Interpretum.*
VII. *De variis circumstantiis, quæ ad versionem LXX. concurrisse dicuntur.*
VIII. *De causis discrepantiæ Græcæ versionis a textu Hebraico, & de Libris in Græcum conversis, & Autographorum casibus.*
IX. *De numero versionum a LXX. Interpretibus editarum.*
X. *De reliquis editionibus Græcis.*

LIBER TERTIUS

De Editionibus occidentalibus Sacrorum Bibliorum.

CAP. I. *Plures Editiones Latinæ Sacrorum Bibliorum fuerunt primis Ecclesiæ temporibus.*
II. *De Authenticitate Vulgatæ Latinæ Editionis.*
III. *Editio Latina Vulgata cum Hebraicis fontibus comparatur.*
IV. *Textus Editionis Vulgatæ Pentateuchi ab Hebraica dissentientibus.*
V. *Textus Vulgatæ in Libris Josue, Regum, Judith, Esther, & Job existentes, qui ab Hebraicis dissentire videntur.*
VI. *Textus Vulgatæ in Psalmis existentes ab Hebraicis discordantes.*
VII. *De variantibus textibus Librorum sapientialium ab Hebraica lectione.*
VIII. *Textus variantes in Libris Prophetarum ab Hebræa versione.*
IX. *Textus variantes novi Testamenti.*
X. *Aliæ posteriores Latinæ Editiones Sacrorum Bibliorum.*
XI. *De Editione Sacrorum Bibliorum in linguam vernaculam.*
XII. *De præcipuis Divinorum Bibliorum in linguam vernaculam translationibus.*

LIBER QUARTUS

De variis Sacrorum Librorum Canonibus, eorumque integritate, auctoritate, diversisque Scripturarum sensibus.

CAP. I. *Canones Sacrorum Librorum utriusque Testamenti.*
II. *Divisio Sacrorum Librorum utriusque Testamenti.*
III. *De integritate Sacrorum Librorum.*
IV. *De Auctoritate & veritate Sacrorum Librorum.*
V. *De Obscuritate divinæ Scripturæ.*
VI. *De sensibus Scripturæ sacræ.*

LIBER QUINTUS

... singulis Libris veteris Testamenti eorumque Auctoribus.

CAP. I. *Moses revera Pentateuchum scripsit.*
II. *De Libro Josue.*
III. *De Libris Judicum & Ruth.*
IV. *De Libris Regum.*
V. *De Libris Paralipomenon & Esdræ.*
VI. *De Libro Tobiæ,*
VII. *De Libro Judith.*
VIII. *De Libro Esther.*
IX. *De Libris Jobi & Psalmorum.*
X. *De Libris Proverbiorum, Ecclesiastæ, & Cantici Canticorum.*
XI. *De Libris Sapientiæ & Ecclesiastici.*
XII. *De Quatuor Prophetis Majoribus.*
XIII. *De sex primis Prophetis Minoribus.*
XIV. *De sex aliis minoribus Prophetis.*
XV. *De Machabæorum Libris.*

LIBER SEXTUS

De Libris Canonicis Novi Testamenti.

CAP. I. *De Evangeliorum Ethymo & numero.*
II. *De Evangelio S. Matthæi.*
III. *De aliis Evangelistis, eorumque Evangelio.*
IV. *De Libro Actuum Apostolorum, & quatuor primis Sancti Pauli Epistolis.*
V. *De novem sequentibus S. Pauli Epistolis.*
VI. *De Epistola S. Pauli ad Hebræos.*
VII. *Aliæ Epistolæ S. Paulo a veteribus adscriptæ.*
VIII. *Epistolæ SS. Jacobi, & Petri Apostolorum.*
IX. *Epistolæ SS. Joannis, & Judæ Apostolorum.*
X. *De Libro Apocalypsis S. Joannis Evangelistæ.*

DISQUISITIONUM BIBLICARUM

LIBER PRIMUS

De Origine & Antiquitate Scripturæ ſacræ.

QUANTA ſit Scripturæ ſacræ dignitas & præſtantia, facile deprehendet quiſquis noverit eam eſſe *Dei verbum*, quo velut in ſplendido ſpeculo, nedum mentem ſuam Deus, ſuæque voluntatis arcana, ſed etiam omnes ſuas divinas præcellentias graphice depingit, ac luculentiſſime repræſentat. Mirari igitur debet nemo, quod illa quandam præferat dignitatis immenſitatem, quæ Divinitatis inſtar, unica voce comprehendi nequeat, & explicari. Inde eſt, quod quemadmodum de Deo appoſite ſcripſit S. Dionyſius, [a] eum eſſe ſimul Ἀνώνυμον & πολυώνυμον, hoc eſt, *vacantem nomine*, & *plurium nominum*; vacantem quidem nomine, *Deus enim*, ait S. Gregorius Nazianzenus, [b] *cum dicitur, non poteſt dici; cum æſtimatur, non poteſt æſtimari, cum definitur, ipſa definitione amplius creſcit:* Plurium autem nominum, quibus veluti tot radiis ſol Divinitatis nobis mortalibus affulget. Sic Scripturæ ſacræ tot tantæque ſunt præcellentiæ, ut cum eas omnes unius duntaxat vocis angustia complecti non potuerint illuſtriores ipſius Interpretes, variis gloriæ titulis & encomiis, certatim eam adornarunt. Sic Origenes eam commendat, appellans [c] *Oleum doctrinæ quo Sancti inaugurantur: puteum altum, quem ſoli Reges & Principes effodiunt: templum gloriæ Dei*, in quo velut in ſolio ſuprema ejus Majeſtas ſplendidius apparet. Cui concinentes cæteri Eccleſiæ Doctores, S. Chryſoſtomus [d] eam dicit *Galeam & Clypeum ſalutis*, quo eminus vibrata Diaboli jacula cavemus: S. Ambroſius [e], *Refectionem, quæ ſuginat animam, quæ viſcera impinguat*. S. Hieronymus, [f] *Divinum Librum, nitentem quidem & fulgentem in cortice, ſed dulcius in medulla*. Baſilius, [g] *Communem curandarum animarum officinam, a qua medelam quiſque ſuo morbo ſalutarem & accommodatam queat ſeligere*. Iſidorus Peluſiota, [h] *Salutis Viaticum*. Auguſtinus tandem, [i] *Animæ ſpeculum, in quo homo ſeipſum conſiderare poteſt, qualis ſit, vel quo tendat*. Quam metaphoram expendens S. Gregorius, præclare adiicit: [k] *Scriptura ſacra mentis oculis quaſi quoddam ſpeculum opponitur, ut interna noſtra facies, in ipſa videatur; ibi enim fœda, ibi pulchra noſtra cognoſcimus, ibi ſentimus quantum proficimus, ibi a profectu quam longe diſtamus.* (1)

[a] Aut quiſquis eſt Auctor Libri *De divinis Nominibus, Lib. 1. cap. 1. pag. 465. Edit. Corderiana.*

[b] *Orat. 49. pag. 732.*

[c] *Hom. 12. in cap. 21. Num homil. 7. in cap. 16. Ezech. hom. 25. in Matt.*

[d] *Homil. 3. de Lazaro.*

[e] *Epiſt. ad Paulinum.*

[f] *In Pſalm. 68.*

[g] *Homil. in Pſalm. 1.*

[h] *Lib. 2. Epiſt. Epiſt. 73.*

[i] *Serm. 112. de tempore.*

[k] *Lib. 2. Moral. ca. 1.*

(1) Præclarius adhuc S. Gregorius Magnus *Lib. 20. Moral. Cap. 1.* teſtimonium perhibet de Scripturæ divinæ excellentia, & dignitate his verbis „ Quamvis omnem ſcientiam, atque doctrinam Scriptura ſacra ſine aliqua comparatione tranſcendat, „ ut taceam quod vera prædicat, quod ad Cœleſtem Patriam vocat, quod a terrenis deſideriis ad ſuperna amplectenda cor legentis immutat, quod dictis obſcurioribus exercet fortes, & „ Parvulis humili ſermone blanditur; quod nec ſic „ clauſa eſt, ut paveſci debeat, nec ſic patet, ut „ vileſcat; quod uſum faſtidium tollit, & tanto „ amplius diligitur, quanto amplius meditatur; „ quod legentis animum humilibus verbis adjuvat, „ ſublimibus ſenſibus levat, quod aliquo modo „ cum legentibus creſcit: quod a rudibus lectoribus quaſi recognoſcitur, & tamen doctis nova ſemper reperitur: ut ergo de rerum pondere „ taceam, ſcientias tamen omnes, atque doctrinas ipſo etiam loquutionis ſuæ more tranſcendit, „ quia uno eodemque ſermone dum narrat textum, „ prodit myſterium, & ſic ſcit præterita dicere, „ ut eo ipſo noverit futura prædicare; & non „ immutato dicendi ordine eiſdemque ipſis ſermonibus novit, & anteacta deſcribere, & agenda nuntiare „ Nec minus appoſite Scripturæ Sanctæ dignitatem extollit S. Hilarius *Tract. in Pſal. 135.* „ Omnia autem, *inquit ibi*, quæ in Libris Prophetici ſunt, maximum humanæ, & „ ſalutis, & doctrinæ profectum in ſe habent, „ noſtrique cauſa univerſa ſcripta ſunt, & nunc „ nobis inſtitutionem vitæ innocentis afferrent, „ nunc ſcientiam Dei intimarent, nunc originis, „ naturæque noſtræ cognitionem tribuerent, nunc „ futurorum intelligentiam non ſpe tantum, ſed „ ratione præſtarent, nunc cauſas univerſitatis hujus, ortuſque proferrent, & humanum ſenſum „ tantarum rerum intelligentiæ incapacem, ad capiendam horum cognitionem variis doctrinæ „ generibus diſtenderent „ Merito propterea ſubjungit S. Doctor *Tract. in Pſalſ. 118. Litera VI.* nihil in divinis eloquiis contineri niſi conſumatum, & ex

Similia his Plurima Scripturarum elogia apud SS. Patres, & ſacros Interpretes inveniet eruditus Lector, quem ad graviora anhelantem, his levioribus occupare, minus conſentaneum videretur. Prætermittere tamen non licet celebriorem hujus divini Libri Nomenclaturam, frequentioreſque voces illas, quibus ab Auctoribus tum Hebræis, cum Græcis, & Latinis paſſim deſignari ſolet, & illuſtrari. Quamobrem in his proponendis & exponendis, ſequenti Capite proludemus.

CAPUT PRIMUM

De variis nominibus, quibus Scriptura ſacra appellari ſolet & illuſtrari.

I. *Cur ſcriptura ſacra dicatur Verbum Dei? & quotuplex ſit illud.*
II. *Quot modis Dei verbum fieri ſolet ad homines?*
III. *De verbo, & oraculo Dei per Ephod, atque Urim, Thummim.*
IV. *Quid eſſet rationale judicii?*
V. *Quid fuerint Urim, & Thummim?*
VI. *Quis per Urim & Thummim conſulere poſſet Deum?*
VII. *Quando oraculum iſtud deſierit?*
VIII. *Dei locutio per Somnium ad homines, per Enigmata, figuras, & per intimum colloquium quomodo fiebat?*
IX. *Quotuplex ſit Ecſtaſis?*
X. *Peculiari modo Sermo Dei fiebat ad Moſen.*
XI. *Quid ſit Dei verbum non ſcriptum?*
XII. SANCTUARIUM DEI, *quod non niſi ſumma cum pietate ſubeundum eſt.*
XIII. SACRA LECTIO, *quæ quam frequenter ac religioſe fieri debeat, nos admonet Eccleſiæ naſcentis, ac Synagogæ filiorum praxis.*
XIV. LITERÆ & EPISTOLÆ, *eæque* DIVINÆ, *utpote, quæ divino ſuggerente & dirigente Spiritu, ſint conſcriptæ.*
XV. SACRI PANDECTÆ, *qui omnem divinam Sapientiam, divinaſque Leges complectuntur.*
XVI. FOEDUS, FACTUM, ac TESTAMENTUM DIVINUM
XVII. INSTRUMENTUM SACRUM, *quo Deus erga homines ſuam mentem, ac voluntatem aperit.*
XVIII. SACRA BIBLIA.
XIX. SCRIPTURA SANCTA.

TAM arcto fœdere conſentiunt nomina rebus, ut S. Auguſtino [a] rei Nomen ſit ejuſdem *indicium & notamen*; Caſſiodoro [b] illius *omen & auſpicium*; Platoni vero [c] ὄνομα διδασκαλικόν τι ἐστὶ ὄργανον, κἀδιακεκριμένον τῆς οὐσίας; *inſtrumentum docendis rebus accomodatum, & quo rerum ipſarum natura diſcriminctur*. Nam ut erudite ait Tertullianus. [d] *Omnia periclitabuntur, aliter accipi quam ſunt, & amittere quod ſunt, dum aliter accipiuntur, ſi aliter quam ſunt cognominentur.* Hinc egregie concludit: *Fides nominum, ſalus eſt proprietatum*, quæ ſcilicet niſi ſplendido nomine colluſtrentur, obſcure deliteſcunt. Conſulto itaque Scripturæ ſacræ delineationem ab illius Nomenclatura, in ſequentibus Paragraphis auſpicabimur; ut prælibatis & expoſitis variis, quibus illuſtrari ſolet, titulis, ſumma illius dignitas ſplendidius appareat.

[a] *Lib. imperf. de Geneſ. ad Lit.*
[b] *Lib. 5. cap. 3.*
[c] *in Cratylo pag.* 388.
[d] *Lib. de carne Chriſti, c.* 12.

§. I.

Cur Scriptura ſancta dicatur: VERBUM DEI: *& quotuplex illud ſit?*

NEminem latet Scripturam ſacram communiſſime dici VERBUM DEI: eſt autem *Dei Verbum*, id omne quod Deus loquitur: Deus vero loquitur, vel *ab æterno*, vel *in tempore*; unde duplex eſt Dei Verbum, *Increatum* unum, *Creatum* alterum, *Verbum increatum*, unigenitum videlicet Filium, ſemel locutus eſt Deus, & continuo loquitur: [e] *Filius meus es tu*, ait, *Ego hodie genui te*: hodie, inquam, quia apud Deum [f] *non eſt tranſmutatio, nec viciſſitudinis obumbratio.*

Verbum Dei *Creatum*, id omne cenſetur, quo Deus in tempore divinum ſuum ſenſum, & imperium, cum Angelis, tum hominibus ſignificat, *Angelis* quidem, vel cum in ipſo eorum creationis exordio, illis adhuc viatoribus, propoſuit myſteria quæ crederent, præmia quæ ſperarent, & bona quæ diligerent, ſi vellent æternum eſſe felices; aut cum ipſis jam beatis, aut miſeris, divina præſcribit mandata, quæ exequantur, maxime in hominum ſalutem aut vindictam.

Hominibus vero *multifariam, multiſque modis*, inquit Apoſtolus, [g] *olim Deus locutus eſt Patribus, in Prophetis.* Duplex tamen generatim diſtingui poteſt Dei ad homines locutio, *apertior* una, *obſcurior* altera. Aperte Deus cenſetur loqui, dum humana voce, verbiſque animi conceptum, ac ſenſum, diſtincte

[e] *Pſalm.* 2.
[f] *Iacobi* 1.
[g] *ad Hebr.* 1.

& ex omni parte perfectum, & id non ſolum quoad Sapientiam, ſed quoad eloquentiam pariter, ut ab Auguſtino *Lib.* 4. *de Doctr. Chriſt. Cap.* 6. commonemur; loquens enim S. Pater de divinæ Scripturæ libris hæc habet „ Ubi eos intelligo non „ ſolum nihil eis ſapientius, verum etiam nihil „ eloquentius mihi videri poteſt „ Egregie de Scripturæ Sacræ dignitate loquntur S. Bonaventura in proœmio ad opuſculum, cui titulus *Breviloquium*: S. Damaſcenus *Lib.* 4. *de Fide Cap.* 17. Auctor Opuſculi *de exhortatione ad conſtantiam ſuſcepti propoſiti Cap.* 17. 18. 19. quod inter Gerſonis opera, & in Bibliotheca Patrum *Tom.* 27. editum eſt, illudque lectu digniſſimum. (*W*)

ſtincte ſignificantibus, mentem ſuam, eis, quos alloquitur, explicat: idque tribus modis, 1. in aſſumptis corporibus, non tamen hypoſtatice, qualiter Angelorum miniſterio, Patriarchis & Prophetis apparere dignatum & ſæpiſſime locutum eſſe, ſacris in Scripturis paſſim legimus. 2. in corpore ſibi proprio & hypoſtatice unito, quemadmodum noviſſime nobis locutus eſt in Filio. 3. per homines a ſe delegatos, qui ſua mandata, aut documenta aliis vaticinando, aut nuntiando, vel concionando manifeſtent. Quamobrem Chriſtus Dominus cum prænuntiaſſet Apoſtolis, eos eſſe perſecutoribus tradendos, & ante Reges, ac Principes ducendos, [a] ſubjicit: *Cum autem tradent vos, nolite cogitare quomodo, aut quid loquamini, non enim vos eſtis qui loquimini, ſed Spiritus Patris veſtri, qui loquitur in vobis.* Sic etiam Prophetæ, vice, juſſu, ac motu Dei, ſua fundebant oracula; *non enim*, ait S. Petrus; [b] *humana voluntate allata eſt aliquando Prophetia, ſed Spiritu Sancto inſpirati, locuti ſunt ſancti Dei homines:* Sic tandem in Evangeliſtis, Apoſtolis, & ſacris divini verbi Conſcriptoribus, Interpretibus, atque Diſſeminatoribus, Deus homines alloqui dicitur. Unde Apoſtolus: [c] *Cum accepiſſetis a nobis verbum auditus Dei accepiſtis illud, non ut verbum hominum, ſed ſicut eſt Vere verbum Dei*; interius ſcilicet dictantis, ac linguam & calamum exterius dirigentis.

a *Matth.* 10. 19.

b 1. *Petr.* 1. 21.

c 1. *ad Theſſal.* 2.

Obſcurior cenſetur divina locutio; quoties Deus aſſumit figurarum umbras, aut ænigmatum ſymbola, ut ſub eorum velamine, mentem ſuam hominibus aperiat. Talis erat antiquitus divinæ mentis, ac voluntatis, ad homines per Prophetarum oracula declaratio, quæ tametſi fuerit facta variis modis; attamen, (ut erudite obſervat Aug. Steuchus Eugubinus, [d]) quinque ex eis erant præcipui, ad quos cæteri facile revocantur. Primus fiebat *per Viſionem:* ſecundus *per Somnium:* tertius *per Ænigmata:* quartus *per Figuras:* ultimus tandem *per intimum cum Deo commercium.* Iſta colligere licet ex his Dei ad Aaronem; & Mariam ſororem de Moſe fratre verbis: *Si quis fuerit inter vos Propheta Domini, in viſione apparebo ei, vel per ſomnium loquar ad illum: At non talis ſervus meus meus Moyſes. . . ore enim ad os loquor ei, & palam, & non per ænigmata, & figuras Dominum videt.*

d *commentar. in cap.* 12. *Numer.*

Dei Prophetica *per Viſionem* manifeſtatio, & locutio fiebat præſertim quatuor modis, ut docet R. Moſes Maimonides, (in libro cui titulus eſt *More Nevochim* [e], id eſt, *doctor perplexorum* ad dubia & obſcuriora Scripturæ loca rectius intelligenda veluti clavim continens) Prophetæ enim, inquit, cum divinitus illuſtrantur, ut futura vel abſcondita denuntient, aut vident ſupremam Dei majeſtatem in ſplendida imagine, eaque vel interna, vel externa refulgentem, audiuntque vocem illius ſecum diſtincte & intime loquentis, ut Iſaias VI. v. 8. *Regem Dominum exercituum vidi oculis meis. & audivi vocem Domini dicentis quem mittam &c.* Vel ſentiunt in ſe Angeli præſentiam interius ſecum verba facientis, ſic Zacharias I. 14. *& dixit ad me Angelus qui loquebatur in me, &c.* Vel conſpiciunt externam ac ſenſibilem hominis ſpeciem divina ſibi mandata & arcana denuntiantis, ſic Ezechiel 40. & *ecce vir cujus erat ſpecies quaſi ſpecies aeris*; & alibi creberrime. Vel denique Propheta nihil quidquam videt aut ſentit, ſed auditu percipit tantum verba alicuius, Dei nomine, loquentis; ſic Daniel VIII. v. 13. & *audivi unum de ſanctis loquentem; & dixit unus ſanctus alteri neſcio cui loquenti, &c.*

e *parte* 2. *cap.* 44.

EXCURSUS SEU DIGRESSIO.

De Verbo & Oraculo Dei per Ephod *atque* Urim & Thummim.

His per viſionem a Maimonide commemoratis prophetandi, & res futuras atque abditas detegendi modis, accedebat alius Dominum conſulendi *per Ephod*, nec non & per *Choshen*, ſeu pectorale, quorum deſcriptio ſacra habetur *Exodi cap.* 28. Ephod quidem a v. 6. uſque ad 15. Choshen vero a v. 15. ad 31. Erat autem Ephod veſtis extima qua inſtar interulæ ſuperinduebatur Sacerdos aut Pontifex; vox enim אפוד *Ephod* oritur a radice אפד *Aphad*, id eſt, ſuperinduit, vel cinxit, Græce ἐπωμὶς dicta a LXX. id eſt ſupernumerale. Hæc autem ſacra veſtis, alia erat Pontificalis, alia Sacerdotalis: hæc linea erat ſive byſſina, qua utebantur inferiores Sacerdotes & Levitæ, imo & Reges dum ad ſacra accedebant: talis fuit Ephod Samuelis 1. *Reg.* II. *v.* 18. & Sacerdotum a Saule occiſorum *ibid. cap.* XXII. *v.* 18. tali etiam uſus eſt David antea arcam tripudians 2. *Reg.* VI. 14. Ephod Pontificius, ſeu quo utebantur ſoli Pontifices Hebræi, confectus erat ex ſtamine byſſino, & ſuotegmine tricolari, videlicet hyacinthino, coccineo, & purpureo, aureis filis, arte varia undique pertextus; quam veſtem ſacram ſic explicat Joſephus: [f] *Tertiam*, inquit, *tunicam induit vocatam Ephod, Græcanice Epomidi ſimilem, ea fit hoc modo: ex variis coloribus, auro intermixto longitudine cubitali, ita contexitur, ut circa medium pectus lacuna quædam relinquatur; maniculis quoque ita extantibus, ut plane tunica appareat.* Ex quibus colligere licet Ephod, non protendi ultra cingulum, quippe cum Joſephus cubitali menſura eum eſſe dixerit, atque ideo ſimilem Epomidi Græcanicæ, quæ veſtis erat muliebris ab humeris ornandis, ut ait Pollux, [g] nomen adepta. Cui ſubſcribit Chæremon Poeta Tragicus ab Athenæo citatus & latine ita verſus a Jacobo Dalemchampio. [h]

f *Lib.* 3. *antiq. Iud. cap.* 8.

g *Lib.* 7. *cap.* 13.

Ε' κειτο γὰρ ἁμὶν λευκὸν ἐις σελήνάφως
Φάινουσα μαστὸν λελυμένης ἐπωμίδος.

Iacebat hæc ad albos Lunæ radios
Oſtendens ubera, ſoluta pectoris faſcia.

h *In Atheneo lib.* 13. *Dipnoſophiſt. verſus fin.*

Ubi *Epomidem* vocavit pectoris faſciam, quod optime cum Græco convenit. Quod vero ait Joſephus, lacunam circa pectus relinqui, ita intelligendum eſt, ut a S. Hierony-

ronymo exponitur: dicit autem, *contra pectus nihil contextum est, ut locus futuro Rationali derelictus.*

Patebat Ephod superne & inferne: cum autem illud induisset Pontifex, utrimque superne claudebatur duabus fibulis, quibus inserebantur duo pretiosi lapides dicti Hebraice *Schobam* quod LXX. verterunt *Smaragdos*; Aquila, Symmachus, & Theodotion, quibus consentit S. Hieronymus, *Onychinos*; Josephus vero *Sardonyches*. *In utroque autem humerali*, inquit, *Sardonyches auro inclusi fibularum vice Epomidem annectunt. His insculpta sunt Jacobi filiorum nomina literis vernaculis linguæ nostratis, in utroque Lapide sena; ita ut seniores dextrum humerum obtineant*, &c. Quibus verbis manifesta fiunt hæc Dei ad Mosem [a] de confectione Ephod mandata, *Sculpes in eis nomina filiorum Israel: sex nomina in lapide uno, & sex nomina in lapide altero, juxta ordinem nativitatis eorum ..., portabitque Aaron nomina eorum coram Domino super utrumque humerum ob recordationem*, id est, ut Pontifex ingrediens Sancta Sanctorum, nomina Tribuum Israel pro quibus deprecaturus erat Dominum, portet in humeris. *Tres autem ob causas*, ait Beda, [b] *Aaron nomina Patriarcharum inter sacrificia semper humeris, sicut & in pectore portabat; videlicet ut ipse fidem vitamque Patriarcharum meminisset imitari: ut duodecim tribuum, quæ de his natæ sunt, orationibus & sacrificiis memor existeret: ut idem populus scripta in veste Præsulis sui patrum nomina videns, curaret sedulo, ne ab illorum meritis desciscens, ad errorum contagia declinaret.*

[a] *Exod.* 28. 9.

[b] *Cap.* 4.

IV. Huic sacræ vesti alia erat superaddita, quam Hebræi *Chosben*, seu pectorale, Græci λόγιον, Latini *Rationale* ideo appellant, *vel* quia Pontificem, & consequenter populum admonebat eorum quæ summa prudentia & ratione in sacris gerenda erant: *vel* quia per istud fiebant oracula, quæ mentem ac hominum rationem instruerent; Pontifex enim rationali indutus, de rebus dubiis consulebat Dominum, & ab eo de iisdem erudiebatur, moxque Dei judicium seu sententiam, & oraculum populo renuntiabat: Quamobrem appellatur etiam *Rationale judicii*. Quadrangularis erat figuræ, spithamæ magnitudinis, quatuor gemmarum ordinibus, tribus in unoquoque ordine ornatum. Primus ordo tenebat Sardium, Topasium, Smaragdum; Secundus Carbunculum, Saphyrum, Jaspidem: Tertius Lugurium, Achatem, Amethystum: Quartus demum Chrysolytum, Onychinum, & Berillum, quibus inscripta erant nomina duodecim Tribuum filiorum Israel. Habebat præterea *Urim & Thummim*, sic præcipiente Domino Mosi Exod. XXVIII. v. 30. *Pones autem in Rationale judicii Doctrinam & Veritatem*: Hebraicæ אורים ותומים *Urim* & *Thummim* quæ aliqui vertunt *Illuminationem* & *Perfectionem*: vox enim *Urim* deducitur a radice אור *Or*, id est, *Luxit*, unde אור *Vr*, Ignis & Lux. *Thummim* vero a תמם *Tamam*, idest, perfectus fuit, quæ Vulgatus noster, sensum magis quam verba spectans, vertit *Doctrinam & Veritatem*, quia per eas mens divinæ doctrinæ & veritatis Luce illuminatur & perficitur.

V. Quid autem in Rationali pontificio fuerint *Urim & Thummim?* 2. quomodo 3. quibus in rebus Sacerdos summus in eis Deum consulere solitus fuerit, 4. quandiu hæc oracula in usu fuerint, anxie jam dudum a doctis quæsitum fuit; quæritur adhuc, nec ullus hactenus occurrit, qui quæstiones illas plene & plane dissolverit. Quoniam autem de divinis Oraculis, de quibus nihil distincte Scriptura sacra pronuntiat, difficile est certo quid definire; idcirco non tam nostram quam aliorum ea de re sententiam proferemus. *Primo*, Antiquissima est Hebræorum sententia *Urim & Thummim* nihil aliud fuisse quam scripturam, vel sculpturam nominis Tetragammaton *Iehovæ*, cum certis quibusdam ejus per alia itidem nomina divina expositionibus, ut videre est in libro Zohar [c] ubi legimus: URIM, *sunt secretum speculatis lucentis, & hoc est sculptura literarum nominis illius sancti per mysterium quadraginta duarum literarum, quibus creati sunt mundi, quæque impressæ fuerunt in eo*: THUMMIM, *sunt secretum illarum literarum, quæ comprehensæ fuerunt in loco speculi non lucentis, & hoc constabat septuaginta duabus literis, sculpturis illius nominis Dei sancti mystici. Et omnia hæc vocantur* URIM & THUMMIM. Idem sentit R. Salomo scribens: *Urim & Thummim sunt scriptura nominis Tetragrammati quam Moses indidit intra duplicationem pectoralis: vi enim & virtute illius declarabat & perficiebat verba sua. Et propter illam scripturam vocatur Iudicium, sicut dicitur: Et interrogabit eum per Iudicium Urim* Num. XXVII. 21. Neque ab ea alienus fuit R. Levi ben Gerson, ita scribens: *Quia Moses post insertos pectorali lapides pretiosos, jubetur eidem indere Vrim & Thummim, hoc facit nos credere, quod Vrim & Thummim fuerint quidpiam, quod Moses pectorali indidit; ad eum modum quo tabulas indidit in arcam; quia utrinque eadem phrasis* את נתן Venatatta el, *adhibetur. Hinc quidam priscorum dixerunt, fuisse scripturam nominis Tetragrammati, quam Moses fecerit. Et hæc sententia valde plausibilis est, ut mihi quidem videtur; volo dicere, quod Vrim & Thummim fuerint res aliqua scripta, & indita Pectorali; hanc enim ob causam duplicatum erat.*

[c] *In Exod. fol.* 105. *edit. Cremonensis.*

Secundo sunt qui existimant, Urim & Thummim, nihil aliud fuisse, quam duodecim gemmas Rationalis, idcirco dictas *Urim & Thummim*, idest illuminationes & perfectiones, quia splendorem ac lucem emittebant & Rationale perficiebant ac exornabant. Lyranus, Abulensis, Ribera, & alii censent Urim & Thummim, non fuisse aliud quam duodecim lapides rationalis nominibus duodecim Patriarcharum inscriptos: dictos autem illuminationes & perfectiones, quatenus per eorum aspectum futura solebat Deus prænuntiare, & respondere de agendis. Confirmat hanc sententiam R. Aza-

rias

rias [a] his potissimum rationibus. 1. Quod lapides isti fuerint inditi intra pectorale, & illius duplicationem repleverint; unde dicuntur *Lapides impletionum*. 2. Quod Moses Exod. 39. accurate omnia vestimenta describens, Pectoralis quidem, meminit, sed Urim & Thummim nullam mentionem facit: iterum *Levit.* 8. ubi Urim & Tummim meminit, nihil de duodecim illis lapidibus dicit. 3. Quod omnes fateantur, responsum per Urim & Thummim datum, e lapidibus illis duodecim prodiisse, & quidem per lucem ex illis promicantem, unde lucentes dicti sunt. Cum autem Moses magna religione & accuratione in describenda vestimentorum sacrorum materia & forma versatus fuerit, verosimile est illum pluribus etiam descripturum fuisse Urim & Thummim, si aliud quam duodecim pectoralis gemmas per illa intellexisset. Accedit in hujus sententiæ confirmationem, Josephus Antiquitatum Judaïcarum scriptor, secta Pharisæus, statu & professione Sacerdos. cujus authoritatem ideo majori loco habendam censet Azarias [b], quòd vixerit adhuc stante templo secundo, atque ita hæc non ex auditu & rumore, sed propriis oculis conspicere potuerit. Hic autem [c] Pontificalem ornatum describens, præsertim vero Ephod & Pectorale, tantum gemmarum, nullam Urim & Thummim facit mentionem. Et rursum [d]; de responsis e pectorali datis agens, gemmarum duodecim tantum meminit. Et iterum [e] referens Salomonici templi apparatum & ornatum; *Paratæ erant*, inquit, *& sacerdotales vestes in usum Pontificum, annumeratis talaribus & epomidibus atque logio* (idest rationali seu pectorali) *cum suis gemmis, in universum mille*. Ubi cum nihil distincte de Urim & Thummim proferat, satis innuit ea non fuisse aliud quippiam a duodecim gemmis. Consentit etiam Philo Judæus [f] qui pontificium illud Pectorale describens, ait: *In pectore quoque aliæ gemmæ spectabantur fulgentes, variis coloribus, similes signaculis, ternæ quadruplici ordine. Hæ fuerunt insertæ Rationali quod vocant: id erat quadrangulum duplicatum, pro basi destinatum ferendis duabus virtutibus*, Revelationi & Veritati (quomodo LXX. Gr. Urim & Thummim reddunt.) Et rursum [g]: *In pectorali* (Summi Pontificis) *sunt gemmæ duodecim eximiis coloribus, ternæ, serie quadruplici, ad exemplar signiferi circuli, &c. Cæterum tota hæc pars, in qua sitæ sunt, Rationale vocatur vero nomine, quoniam quidquid cælo continetur, fabrefactum ornatumque est certis rationibus inter se congruentibus. Nam ibi nihil non sua ratione nititur. Id Rationale geminus textus variat, quorum alter Claritas appellatur, alter Veritas*. Accedit etiam ad eam sententiam S. Hieronymus, qui in descriptione pectoralis Pontificii, præterit Urim & Thummim. In explicatione vero mystica vestimentorum sacrorum, scribit: *Porro quod dicitur in ipso Rationali δήλωσις esse & ἀλήθεια idest, Manifestatio, atque doctrina, vel Veritas, hoc ipsum significat, quod nunquam in Dei ratione mendacium sit; sed & ipsa Veritas multis signis, & argumentis monstretur hominibus, & usque ad mortales veniat*. Quibus verbis significat, Rationali duas illas virtutes attributas fuisse, docendi, & veritatem manifestandi, per gemmarum illarum fulgorem: nec aliud præterea Urim & Thummim fuisse censet.

Tertia sententia eorum est, qui cum Suida putant duas istas voces *Urim & Thummim*, hoc est, Doctrinam & Veritatem inscriptas fuisse duobus lucidissimis lapidibus, in Rationalis medio insertis, quorum conspectu, Summus Pontifex divinum oraculum hoc ritu excipiebat. Quoties de re aliqua Deum interrogaret, colligebat Ephod in pallio, in medio pectoris, & inferne manus supponens: habebat illud in prospectu instar tabulæ, atque defixis in illas lucidissimas gemmas oculis, Dominum consulebat, & interrogabat. Si autem res quæ gerenda erat, bene cessura esset, quæstione proposita, gemmæ vivida micabant luce: Si male, atro colore inficiebantur: Si vero Deus populum hostibus daturus esset, sanguineæ apparebant: Sin peste eundem afflicturus, nativo suo splendore destitutæ, omnino nigrescebant. Quam sententiam ex parte probat Procopius, [h] *Inter duodecim lapides*, inquit, *in Pectorali positos, erat* Claritas, & Veritas, *per alios duos lapides repræsentata*. Favet etiam S. Cyrillus: [i] *In pectore summi Sacerdotis*, inquit, *fuere lapides duodecim, in quorum medio figuratum erat Manifestatio & Veritas, duo iterum alii lapides*. Accedit quoque Anastasius Nicenus, [k] existimans *Urim & Thummim* fuisse adamantem, qui cum Pontifex ingrederetur in Sancta Sanctorum, si populus peccato pollutus esset, nigresceret; si vero Deus illum punire decrevisset, veluti cruore inficeretur: sin propitior esset futurus Deus, lapis ille, nivis instar, albesceret. Hanc tamen sententiam inanem fabulam reputat S. Augustinus explicans illud Exodi: [l] Et impones super Rationale judicii Demonstrationem & Veritatem. *Quid sibi hoc velit*, inquit, *vel in quali re, vel metallo poneretur super Rationale Demonstratio, & Veritas; quoniam talia dicit fieri in veste sacerdotis, quæ corporaliter fiunt; invenire difficile est. Fabulantur tamen quidam, lapidem fuisse, cujus color, sive ad adversa, sive ad prospera mutaretur, quando Sacerdos intrabat in sancta, & hoc esse, quod ait:* Et afferat Aaron judicia filiorum Israel super pectus suum; *Ostendens videlicet in illa Demonstratione & Veritate, quid de illis judicaverit Dominus. Quanquam possit intelligi Demonstrationem, & Veritatem literis impositam super λόγιον*.

VI. Ex hac sententiarum diversitate colligere licet, vix certo definiri posse, quid revera fuerint. *Urim & Thummim*: unde rem ut incertam, nec a Scriptura diserte explicatam, alteri oculatiori determinandam in medio relinquo. (2) At quidquid sit de prio-

a *In Meor. Enaiim cap. 50.*

b *Ut supra cap. 46.*

c *Lib. 3. cap. 8.*

d *Cap. 9.*

e *Lib. 8. cap. 2.*

f *Lib. 3. de vita Mosis.*

g *Lib. 2. de Monarchia.*

h *In Deut. 33.*

i *In expos. Symb. Nic.*

k *Quæst. 38. in Sacr. Script.*

l *Cap. 28.*

(2) Maximam inter Divinæ Scripturæ Expositores controversiam super vocibus istis *Urim & Thummim* existere, nec satis certam adhuc prodiisse definitionem, qua lis dirimatur omnino, cuilibet notum

priori illa quæstione; certissimum est, munus consulendi Dominum per Urim & Thummim, solius fuisse summi Sacerdotis, ut apparet Exod. XXVIII. v. 30. & Levit. VIII. v. 8. & Num. XXVII. v. 19. & seq. ubi Rationale in quo erant Urim & Thummim, dicitur esse ornamentum solius Pontificis. Unde audiendus non est Cuneus, [a] cum asserit ex 1. Reg. XXX. v. 7. *Davidem Regem, Amiculum sacrum Ephod sibi applicasse, & eo indutum, consuluisse Deum, an auspicato copias in hostes eductarus esset;* idque tanta confidentia, ut *Interpretes, secus hunc locum explicantes, eum pervertisse scribat, qui hic dormitasse, aut aliud egisse videantur; ac Iudices appellet, qui vel leviter has literas attigerunt.* Verum accurate satis non attendit Cuneus ad verborum textus significationem, Nam hæc verba *applica a me Ephod*, idem significant, inquit, Buxtorfius, [b] ac *applica pro*, vel *propter me*, Neque verum est quod ille fingit, Davidem per majestatis regiæ eminentiam, in sacerdotale officium involasse: repugnat enim Numer. locus XXVII. v. 21. ubi facultas consulendi Dominum, tribuitur soli Eleazaro summo Sacerdoti, ejusque successoribus. Ut vero Pontifices illi idonei essent ad divinum oraculum excipiendum, immunes esse debebant peccati mortalis: legimus enim in Talmud tit. Joma [c]: *Per nullum sacerdotem consulunt ea, qui non loquitur per Spiritum Sanctum, & super quo præsentia divina non habitat. Nam ecce de Tzadoko legimus, quod interrogaverit, & responsum acceperit; de Abiathare, quod, non acceperit.* Quapropter dicunt eum fuisse exauthoratum sacerdotio.

Neque vero licebat sacrum hoc oraculum consulere de negotio privato, aut levi aliqua causa, ait Buxtorfius mox laudatus; sed de rebus publicis, spectantibus ad totius Reipublicæ & populi salutem. Non etiam licitum erat de duabus aut pluribus rebus simul interrogare; *Non interrogant duas res conjunctim*, inquiunt Talmudistæ Babylonici tit. Joma [d], *aut si quærunt, non respondetur nisi ad unam, & quidem primam: si tamen necessitas duo requirat, respondetur ad utramque: sicut cum David interrogavit, dicendo; 1. An persequar turmam istam? 2. An assequar eam? Respondit Dominus 1. Persequere. 2. Assequendo assequeris, & liberando liberabis.* 1. Reg. 30. 8.

Qua ratione autem divinum oraculum exciperet Pontifex consulens, varia est Hebræorum sententia. Sunt enim qui affirment literas duodecim Tribuum lapidibus inscriptas, cum dandum esset oraculum, & responsum, e locis suis prominuisse, ita ut Sacerdos ex illis dictiones concinnare, atque respondere posset; ut cum David interrogaret Dominum: [e] Num ascendam in unam civitatem Juda? Respondit Dominus per sacerdotem עלה *ale*, id est ascende. Ubi dicunt tres præfatas literas Hebræas prominuisse. *Ain* ex nomine Schimeon, *Lamed* ex nomine Levi, & *He* ex nomine Jehuda. Adjiciunt alii istas literas lapidibus inscriptas, tum coire solitas in dictiones, cum oraculum esset repræsentandum. Tradunt quoque in illa sacra Scriptura, etiam adjecta fuisse nomina Patriarcharum Abraham, Isaac & Jacob, ad constituendum integrum alphabetum, quod ex aliis nominibus non poterat solum haberi.

VII. Quandiu autem oraculum per Urim & Thummim, inter Israelitas steterit, non aperte constat. Sunt Hebræorum Doctores qui asserant illud tunc desiisse, cum captivæ abductæ fuerunt Tribus Benjamin & Juda in Babylonem; *Summus Sacerdos*, inquit, Abarbenel, *toto tempore Templi secundi non respondit per Urim, & Thummim; idque duas ob causas*; Primo *Quia ibi non fuerunt omnes Tribus Israelis, sed tantum Tribus Iuda & Benjamin. Reliquas enim Tribus captivas abduxerat Rex Assyriæ. Hinc non occupavit sacerdotem magnum Spiritus Sanctus, qui super ipso residere solebat propter duodecim tribus, quando scilicet illæ essent in terra sua:* Secundo *Quia Scripturæ sanctæ nominis Tetragrammati expositi, quas Moses duplicationi Pectoralis indidit, non amplius penes ipsos fuerunt: occultatæ enim fuerunt cum Pectorali primo, quod Moses fecerat.* „ Confirmat id „ Guemara Babylonica ubi legimus: [f] Quin- „ que defuerunt in templo secundo Jerosolymitano per Esdram, & socios restaura- „ to, quibus primum templum eminebat, „ scilicet 1. Arca cum propitiatorio & Che- „ rubim: 2. Ignis cœlitus lapsus: 3. Præ- „ sentia illa Dei, quæ se circa arcam exe- „ rebat, quam *Schechinah* vocant: 4. Prophe- „ tia seu Spiritus Sanctus, atque Urim & „ Thummim. His ergo successit inferior di- „ vinæ revelationis modus, quem בת קול *Bath Kol*, id est, *filiam vocis* appellant, dicunt- „ que esse gradum revelationis inferiorem „ gradu Spiritus Sancti. „ Unde R. Bechai in Deut. *Viri pii* inquit, *qui vixerunt tempore Templi secundi, utebantur filia vocis cum desiisset Prophetia, atque Urim & Thummim.* Cur vero filia vocis dicta sit, explicat R. Ben Israel [g] *Quod pertinet ad filiam vocis*, inquit, *quidam dicunt non auditam esse vocem quæ de cælo exiret; sed e medio illius vocis aliam vocem exilientem, ut fieri solet quando homo valde aliquid percutiens, audit a longe vocem aliam inde exortam, quam appellant* Echo; *sic ejusmodi vocem audiebant: ideoque vocarunt eam filiam vocis, quæ cælitus audiebatur; & illa in usu erat durante Templo secundo*, veluti præludium & significatio quædam veræ illius vocis divinæ, ac cælestis jamjam Orbi imminentis, ac revelandæ, quæ scilicet erat Jesus Christus Dominus noster, ac Servator; cui & *Bath Kol* vox illa cælestis Dei Patris testimonium dedit, dicens:

Hic

[a] *Lib. 1. de republ. Hebr. cap. 14.*

[b] *In hist. Urim & Thum. cap. 3.*

[c] *Cap. 7.*

[d] *Cap. 7.*

[e] *2. Reg. cap. 2.*

[f] *Cap. 1. cod. Ioma.*

[g] *ad Tract. Talmud.*

tum fit ex ipso Frassenii textu: non parum tamen verisimilitudinis specimen eorum sententia præseferre, videtur, qui solam hanc inscriptionem *Doctrina*, & *Veritas* a Mose positam in rationali judicii arbitrantur, nec quid aliud per *Urim* & *Thummim* significatum esse defendunt. Verbum quippe *pono* nonnunquam pro verbo *scribo* usurpari latini idiomatis magistri non inficiantur. Videantur Cornelius à Lapide *Comment. in ỳ.* 30. *Capitis* 28. *Exodi*; Tirinus *ibi*, aliique sacri Expositores. (*W*)

Hic eſt Filius meus dilectus in quo mihi bene complacui,

Verum adverſus hanc ſententiam reclamat locus Eſdræ cap. 11, v. 63, & Nehemiæ VII. v. 65. ubi quidam filii Sacerdotum *quæſierunt ſcripturam genealogiæ ſuæ, & non invenerunt, & ejecti ſunt de ſacerdotio. Et dixit Atherſata eis ut non comederent de Sancto Sanctorum, donec ſurgeret Sacerdos doctus atque perfectus*. Hebraice, *donec extaret Sacerdos* לאורים ולתומים *Leurim Vletummim, ad, vel cum Urim & Thummim*, quibus verbis ſubinnuitur extiturum in Templo ſecundo Sacerdotem prophetantem per Urim & Thummim. Utramque hanc ſententiam conciliare nititur Maimonides [a] ſcribens; *Fecerunt ſub domo ſecunda Urim & Thummim, etiamſi ea non reſponderent*: cui ſubſcribunt Doctores Hebræi [b] referentes inter ea quæ ſub Templo ſecundo defuerunt, Urim & Thummim: *Habuerunt Urim & Thummim, nam alioqui Sacerdos magnus non omnes veſtes ſacras habuiſſet, ſed non reſponderunt iis qui ea conſulebant*, quaſi fuiſſent potius ad ornatum quam ad effectum. At evanidam hanc eſſe conciliationem colligitur ex Joſepho, [c] ubi cùm ſcripſiſſet, vim illam mirabilem prophetandi ex Rationali, Ethnicos non latuiſſe, ſubjicit: *Deſiit autem tam Hoſchen* (pectorale) *quam Sardonix*, (ſuperhumeralis) *fulgorem emittere annis ducentis antequam hæc commentaremur; irato Deo propter Legum ſuarum violationem*. Quod confirmat R. Azarias [d] dicens tempore Templi ſecundi aliquandiu Urim & Thummim in uſu fuiſſe, & reſpondiſſe conſulentibus ea, ſicut prius; prout etiam ignis ſacer aliquandiu ſub eo duravit: poſtmodum autem paulatim injuria temporum & calamitatum & perſecutionum, præcipue vero propter Iudæorum crimina & Saducæorum hæreſim, res iſtas ſacras defeciſſe & evanuiſſe. Quam utique ſententiam probabiliorem haud dubie judicabit eruditus Lector, qui ſi plura ea de re noſſe peroptet, adeat ſi lubet, Galatinum noſtrum in arcanis Catholicæ veritatis, Raymundum Martini in pugione fidei, Reuclinum de Arte Cabbaliſtica, præſertim vero Riberam de Templo Salom. & Buxtorfium Joannis filium, ex quibus, & aliis iſta delibavimus.

Hic tamen ſilentio non eſt prætereundum, hunc ritum geſtandi *Thummim* adumbratum fuiſſe a ſacerdotibus Ægyptiis, referente Diodoro Siculo, [e] *Summum* inquit, *agnoſcebant Iudicem qui haberet in collo pendentem* VERITATEM. Atque iterum poſtea: *Salaria ad victum reſque alias neceſſarias a Rege Iudicibus præbebantur: ampliſſima autem ſummo Iudici. Geſtabat is de collo pendens ex aurea catena ſimulacrum e pretioſis lapidibus, cui nomen* VERITAS. *Cauſæ autem dictio tunc incipiebat, cum hoc Veritatis ſimulacrum ſibi ſummus Iudex aptaſſet*. Rem diſtinctius explicat Ælianus [f], *Apud Ægyptios*, inquit, *qui judicabant, Sacerdotes erant: eorumque Princeps, qui ætate antecedebat cæteros: is in omnes jus dicebat. Eum vero oportebat eſſe omnium & juſtiſſimum, & parcentem nemini. Gerebat autem de collo imaginem Sapphyro, eaque imago* VERITAS *dicebatur*. Huic Rationali ſeu Pectorali ſimile quid habuerunt Salii Sacerdotes apud Romanos, qualia erant eorum Ancilia, quæ ſupra tunicam pictam in pectore geſtabant, uti referunt Dionyſius Halicarnaſſæus [g], Titus Livius [h], & Plutarchus [i], qui de Sacerdotibus Saliis, ait: *Sacras Peltas ſumunt menſe Martio Phæniceis tunicis veſtiti, & latis baltæis æneis cincti, galeaſque æneas ferentes, cum parvis pugionibus, quibus percutiebant*. Dixerat ante quomodo primum Ancile è cælo ſit demiſſum, propter ſedandam peſtem, univerſam Romanorum Regionem depopulantem; ad cujus ſimilitudinem alia Ancilia fuerint elaborata, quibus ornabantur Salii Sacerdotes, uti canit Virgilius:

Hinc exultantes Salios, nudoſque lupercos,
Lanigeroſque apices, & lapſa Ancilia cælo
Extulerat...

VIII. Dei *per Somnium* manifeſtatio & locutio fiebat quoties Deus hominibus interdormiendum indicabat futura, aut abſcondita, idque per earum rerum, aut ſermonum ſpecies, quas in eorum phantaſia & imaginativa facultate depingebat. Sic paſſim in Scripturis occurrunt Dei vel per ſe, vel Angelorum miniſterio hominibus dormientibus apparitiones. Vetus autem eſt Hebræorum Commentum, quod ad nos uſque perennaſſe fingit Bolducius, [l] quod dum Prophetæ divinum reſponſum & oraculum, in iis, de quibus conſulti fuerant, noſſe per ſomnium optarent, decumbere ſolebant ſupra lectulos ex arborum, præſertim querceti & lauri, ramuſculis conſitos. Quod etiam colligere ſe putat Bolducius ex his Eliphas filii Eſau Conſultoris & Prophetæ apud Idumæos verbis: [m] *Porro ad me dictum eſt verbum abſconditum, & quaſi furtive ſuſcepit auris mea venas ſuſurri ejus. In horrore viſionis nocturnæ quando ſolet ſopor occupare homines*, vel ut habet Hebræus textus vertente Pagnino: *In ramuſculis a viſionibus noctis faciens cadere ſoporem ſuper Enoſcim*, ideſt, pios homines; quaſi diceret, eo tempore quo Prophetæ decumbunt & dormiunt in ramuſculis arborum ad captandum divinum oraculum, inter-ſomniandum *apparuit mihi vir cujus vultum non agnoſcebam, &c.* Huic Bolducianæ conjecturæ præluſiſſe videtur Petrus Comeſtor, & ex eo Toſtatus, qui ad illa Geneſis verba *cap.* 25. ubi legimus quod cum Rebecca experiretur duos Parvulos in utero ſuo invicem collidentes, „ Perrexit (*inquiunt*) ut conſule-
„ ret Dominum, ivitque ad Montem Mo-
„ ria, quem locum ſanctum eſſe credebat,
„ ubi Abraham filium immolaturus, altare
„ ſtruxerat; ac cæſis ibi victimis in holo-
„ cauſtum, decubuit ſupra pelles ſacrificio-
„ rum, ut inter-dormiendum in ſomniis a
„ Deo ſtupendi hujus conflictus myſterium
„ ediſceret. Ne autem phantaſticis ſomnio-
„ rum illuſionibus falleretur, folia lauri quæ
„ *Tripodes* vocant, & folia agni caſti, quæ
„ eſt herba ſomniorum obvians phantaſiæ, ca-
„ piti

[a] *in Halikot, &c. cap.* 10.
[b] *in additionib. Talmud. cap.* 1. *Zoma.*
[c] *Lib.* 3. *Antiq. cap.* 9.
[d] *Cap.* 50. *in Meor Enaiim.*
[e] *Lib.* 1. *in rebus Ægypt.*
[f] *Lib.* 14. *Hiſt. cap.* 24.
[g] *Lib.* 11. *Antiq. Rom.*
[h] *Lib.* 4.
[i] *In Numa.*
[k] *Lib.* 8.
[l] *Lib.* 3. *de Eccleſia ante Legem cap.* 18.
[m] *Iob.* 4.

„ piti ſuo ſuppoſuit, & ſic dormiens a Deo „ reſponſum accepit quod ſequitur: *Duæ „ gentes ſunt in utero tuo, &c.*

Verum hujus narrationis fides ſit penes authores. Neque enim exiſtimaverim ego Deum ejuſmodi ritus ſuperſtitionem redolentes, in Prophetis, ac viris & mulieribus ſanctiſſimis præoptaſſe, ut eis mentem ſuam aperiret. Nec aliam ad id prærequiſitam arbitror fuiſſe præparationem, quam cordis munditiem, animique puritatem: atque etiam forte certas preces eum in finem præſcriptas. Ea tamen, ſi quæ fuerit Hebræorum conſuetudo, ſapientes Ethnicos non latuit; Strabo namque, poſtquam plurima de Moſe narraſſet, refert eum docuiſſe, *in Templo, vel pro ſe quemque, vel alios qui eſſent ad bene ſomniandum apti natura, pro aliis incubare oportere; & iis qui temperanter & juſte vivunt, a Deo donum aliquod aut ſignum eſſe expectandum; aliis vero nihil tale futurum.* Quæ fortaſſis id eo finxit, quod Prophetæ, ut Deo tranquilliori animo inſervirent, loca ſolitaria & ſilveſtria incolere, nec niſi ſuper foliis, ac ramuſculis arborum, obdormire ſolebant. Inde factum arbitror, uti plurimas Hebræorum leges variaque documenta ſuam in lacunam derivarunt Gentiles, ſic & hunc in arborum ramuſculis cubandi, ut per ſomnium divina reſponſa præſtolarentur, ritum ab illis hauſerint: maxime vero Druidæ, qui ut refert Bartholinus in ſuis Auſtriadibus, ſuper quercetis ad captandum augurium dormire ſolebant, canit enim.

Aſpice nunc Druydas, aluit quos Gallia vates,
Ut perhibent olim patria qui ſede relicta,
Fatidicos noſtros ſubiere examine lucos,
Sacraque in Hercynia poſuere cubilia ſylva,

Scribit enim Dioſcorides, Matronas Athenienſes ſuper ſalicis, ſive populi ramuſculis in Teſmophoriis, ideſt, Cereris ſacris, lectum ſibi ſternere ſolitas, tum ad vaticinium, tum ad pudicitiæ tutelam. Aſſerit pariter Pierius, [a] ſe legiſſe apud Serapionem Aſcalonitam, Lauro ad dormiendum capiti appoſita, videri vera ſomnia: idipſumque Antiphonem Philocrum & Artemonem, qui de ſomniorum interpretatione ſcripſerunt, aſſeveraſſe teſtatur. At quidquid ſit de Ethnicorum ſuperſtitioſis ritibus, certum eſt Deum antiquitus inter varios mentem ſuam aperiendi modos, frequentiſſime illam Prophetis inter-ſomniandum declaraſſe. Unde conquerebatur Saül, jam a Deo repudiatus; [b] quod cum conſuluiſſet Dominum, non reſpondiſſet ei, *Neque per Somnia, neque per Sacerdotes, neque per Prophetas.*

Tertium Prophetiæ & Dei ad homines locutionis genus, fiebat *per Ænigmata*, cum videlicet Prophetarum oculis & menti, Deus rerum ſpecies objiceret, quæ non niſi abſconditum & difficilem intellectum præ ſe ferrent: ſic Ezechiel, [c] Dei juſſu, proponit ænigma & narrat parabolam ad domum Iſrael de duabus aquilis, & plantata, ac creſcente vinea, quæ non proſperabitur. Quibus ſignificare volebat, Babyloniorum Regem, translato in Babylonem Rege Joakim, conſtituturum ejus loco, regem Sedeciam: qui relicto fœdere cum Nabuchodonoſor inito, ad Regem Ægypti fugiturus eſſet, ac propterea a Domino tradendus in manus Nabuchodonoſor & in Babylonem captivus, ibi moriturus traducendus. Innumera his ſimilia paſſim in Prophetarum vaticiniis occurrunt.

Quartus Prophetiæ modus fiebat *per Figuras* & earum rerum repræſentationem, quæ cum ſignificatis convenientiam ac ſimilitudinem haberent. Hujus generis fuit Ahiæ Silonitæ Vaticinium, cum pallii novi, in duodecim partes ſciſſi, decem ſegmina colligere Jeroboamum juſſit; hac imagine Salomonici regni ſciſſuram præſignificans, cujus decem Tribus, ſub hujus imperium erant conceſſuræ. Sic Jeremias per ſubligaculum lineum in Euphrate putrefactum. Hieroſolymæ, Judæorumque ſuperbiam depreſſum iri portendit. Eidem per agri Anatotici emptionem præmonſtravit Deus futurum, ut poſtliminio in patriam Babylone reverſi olim Judæi, novas agrorum emptiones, venditiones contraherent, haud ſecus quam antea facere conſueverant. Imminentes Judæis calamitates, per capillorum & barbæ ſuæ raſuram, Dei juſſu, præmonſtrat Ezechiel V. 1. *& ſeq.* Scortum ducere jubetur Oſee I. 2. *& ſeq.* ex eoque procreare liberos, atque ea ipſis imponere nomina, quibus futurorum inerant indicia. Rationem moris hujus dat S. Hieronymus, [d] vult Scriptura divina, non ſolum auribus doceri populum; ſed & oculis. Magis enim mente retinetur, quod viſu, quam quod auditu ad animum pervenit. Utroque modo Chriſtus Jeſus Diſcipulos ſuos præceptis inſtruebat, *Dominus ac Redemptor noſter*, inquit S. Gregorius Papa, [e] *per Evangelium aliquando verbis, aliquando rebus loquitur.*

Tandem quintum Prophetiæ genus fiebat per intimum cum Deo commercium & colloquium: idque duobus modis, interiori videlicet cum Deo converſatione; aut exteriori. *Interiori*, inquam, dum Prophetarum mens, conſopito corpore, veluti extra ſe divinitus abducta, ad familiare Dei conſortium & conſpectum rapiebatur, excipiebatque eam arcanorum & futurorum notitiam, quam poſtmodum aliis ingereret. Qui-quidem vaticinandi modus ex regio Vate Pſal. xxx. 23. & alibi ſæpe, a Latinis dicitur *mentis exceſſus*, a Græcis vero ἔκστασις, *Aliter enim*, ait S. Hieronymus, [f] *Latinus ſermo Ecſtaſis exprimere non poteſt, niſi mentis exceſſum.* Scio hanc vocem *Ecſtaſis*, a plurimis e SS. Patribus non ex æquo probari. Sunt enim (ut erudite obſervat doctiſſimus Valeſius [g]) qui exiſtiment eam uſurpari duntaxat ad exprimendos vanos illos mentis exceſſus, quibus Pſeudoprophetæ futura profari viderentur. Quamobrem Catholici Doctores aliqui, hoc præcipue objiciebant Montaniſtis de ſuis vaticiniis, ſuoque Prophetico ſpiritu gloriantibus, quod nihil niſi in Ecſtaſi prophetarent. Unde S. Hie-

[a] *In Hieroglyph. lib. 5.*

[b] *1. Reg. 16. 6.*

[c] *Cap. 17. 1.*

[d] *In Hierem. 19.*

[e] *Homil. 31. in Evang.*

[f] *Epiſt. ad Sunniam.*

[g] *in notis ad cap. 16. & 17. lib. 5. Euſeb. Hiſt.*

Hieronymus [a] de Nahum Propheta scribit: *Non loquitur in Ecstasi, ut Montanus & Prisca, Maximillaque delirant: sed quod prophetat, liber est visionis intelligentis universa quæ loquitur.*

[a] *Præf. Comment. in Nahum.*

IX. Verum ut SS. Patres invicem consentire videantur, duo sunt distinguenda Ecstasis genera; probandum unum, reprobandum alterum; hoc a Dæmone, illud a Deo ingestum, uti distinguere videtur S. Epiphanius, [b] qui refellens inane Montanistarum commentum, sese solos novæ Legis Prophetas superstites jactitantium, sic eos perstringit: *Aut Prophetas post Maximillam aliquos ostendant; ne ea, quam illi jactitant, gratia extincta videatur: aut Maximilla cum suis falsæ Vatis nomine censendæ sunt, quæ post præscriptum Prophetici doni, officiique tempus, non Sancti Spiritus, sed iniisssi a Dæmonibus erroris afflatum admittere non sunt veritæ, ac suis auditoribus illudere.* Tum subjicit veri Prophetæ, a Pseudoprophetis discrimen: *Verus quippe Propheta*, inquit cap. 3. *cum sui compos, tum ea quæ dicebat intelligens, futura nuntiabat: proque eo ac Spiritus Sanctus impulerat, præcipuo quodam animi robore vaticinari solebat... At contra, quæ isti* (Montanistæ) *vaticinari se jactitant, neque certa cum animi firmitate prædicant; nec quæ dicunt, intelligentia consequuntur: sed obliqua sunt illorum, ac perplexa verba, nec recti omnino quicquam effutiunt.* Ubi, ut vides, in hoc veros Prophetas a falsis distinguit, quod veri Prophetæ, placido, tranquilloque animo, atque omnino mentis suæ compotes sua edere solerent Oracula, nec quicquam præter intellectum profari. Quod pluribus exemplis ibid. confirmat, præsertim Mosis, Ezechielis, & Danielis: Hæc enim, inquit, [c] Prophetarum revera propria sunt, qui firmam ac stabilem in Spiritu S. mentem retinent, ac docendi, discernendique facultatem. Tum pag. 408. subjicit: *Quod vero Prophetæ extra se rapti leguntur, non sic accipiendum est, quasi rationis usum amiserint. Nam & Petrus extra se raptus aliquando dicitur: non quod habitum ultro citroque sermonem ignorarit; sed quod, præter quotidianum usum, nonnulla fieri inter homines animadverteret.* [d] *Vidit enim linteum demissum, & omnia quadrupedia, ac reptilia, & cæli volucres in eo contineri. Quam porro quæ dicerentur animo perceperit, nec a statu rationis alienus fuerit, ex eo potes discernere; quod cum audisset:* SURGE, OCCIDE, ET MANDUCA, *non illico velut mentis minime compos obsequitur; sed ita Domino respondet:* ABSIT DOMINE: NIHIL UNQUAM COMMUNE VEL IMMUNDUM INTRAVIT IN OS MEUM.

[b] *Lib. 2. adversus hæres. Hæresi 28. quæ est Montanist. pag. 403.*

[c] *Pag. 405.*

[d] *Act. 10. 11.*

Secus autem est de Pseudoprophetis, qui a Dæmone ingestam Ecstasim passi, furiosorum & insanorum instar, abripiuntur, nec quid profantur, attendunt; similes illi Sybillæ Cumeæ, quæ cum a Dæmone larvato, sub Apollinis nomine, fata cuderet, eamque, spiritus ille nequam, abripere jam inciperet:

[e] *Tempus alt, Deus ecce, Deus! cui talia fanti*
Ante fores subito, non vultus, non color unus,
Non comptæ mansere comæ; sed pectus anhælum,
Et rabie fera corda tument...
Horrendas canit ambages, antroque remugit,
Obscuris vera involvens, ea frena furenti
Concutit, & stimulos sub pectora vertit Apollo.

[e] *Virgil. lib. 6. Eneid.*

Concinit etiam Seneca, [f] qui de alia Vate Phœbi scribit:

Incipit Lethea Vates spargere horrentes comas
Et pati commota Phœbum, contigit nondum specum,
Emicat vasto fragore major humano sonus.

[f] *In Oedipo actu 2.*

Hinc S. Chrysostomus [g] discrimen profert inter Divinationem & Prophetiam, quod, inquit, proprium est Vatis, seu divinatoris emotæ esse mentis, & furentis instar, pelli, trahi, raptari: Propheta vero non ita; sed mente sobria, ac cum modesta & temperata animi constitutione, ea quæ loquitur, intelligens dicit omnia. Unde nonnulli e Veteribus, ut Pseudoprophetarum mentis abductionem a vera Prophetarum ecstasi secernerent, illam non tam *ecstasim* quam *παράνοιαν parecstasim* dixerunt; ea enim voce sæpius usus est Anonimus Montanistarum impugnator apud Eusebium supra laudatum, ut illos hæreticos, non vera ecstasi, a Deo sanctissimis Prophetis immissa, sed potius parecstasi ingesta a Dæmone, & ad furorem insaniamque mentem emovente abripi solitos, demonstraret. Ad quæ si mature attendisset nuperus Evangelicæ demonstrationis Scriptor, forte non has contumelioas voces in sanctissimos Prophetas immisisset, cum pag. 631. minus religiose pronuntiat, nihil mirum videri, quod in propheticis scriptis plerumque confusa ac permixta videatur rerum series: *Hunc enim*, inquit, *narrationis ordinem & connexionem vix patitur afflatus ille divinus, quo agitati Prophetæ, futura præcinebant. Scabrum quid, sulebrosum, ac dissipatum edere solet ἔκστασις, & per varias species rerum sibi obversantes, præcipitatur instinctus animus, nec ullis se se legibus sermonis coerceri patitur.* Quæ quam aliena sint, ne quid acerbius proferam, a mox plorata SS. Patrum doctrina, facile judicabit æquus rerum æstimator. Nec forte Demonstrator ipsemet diffitebitur. Nam cum ibidem ex Valesio (cujus integram ea de re observationem, ne quidem semel laudato ejus nomine exscribit) SS. Patrum, de diversa Prophetarum, a Pseudoprophetarum ecstasi, sententiam proposuisset, dixissetque Pseudoprophetarum mentis excessum, potius fuisse furorem, qui mentem suo statu depellit, quam ecstasim; prioris dicti jam pœnitens aut immemor, subjicit: *At SS. Prophetæ etiamsi divino correpti Spiritu efferverescerent dicendo, & præter solitum incalescerent, mente tamen constabant, nec quicquam præter intellectum proferebant.* Quæ si vera sint, uti in plu-

[g] *Hom. 29. in Epist. 1. ad Cor.*

plurimis veriſſima cenſeo; falſiſſimum eſt ſcabrum quid, ſalebroſum, ac diſſipatum edere ſolere divinam SS. Prophetarum ecſtaſim. Verum iſta longius a propoſito ſcopo nos evocant.

X. Itaque ut propius, in eum collimemus: Quintum illud Prophetiæ genus fiebat etiam *Exterius*, cum Deus Angelorum miniſterio, in aſſumpto corpore humano ſe videndum præbebat, ac familiari congreſſu cum hominibus verſabatur. Talis fuit Moſis præ cæteris Prophetis prærogativa ſingularis: quippe qui Dei conſpectu ac colloquio frequentiſſime recreatus fuerit, ac nobilitatus. Hæc compendio referre neceſſum duxi, ut indè perſpectum eſſet quam appoſite ſcripſerit Apoſtolus, Deum multifariam, multiſque modis olim Patribus, in Prophetis fuiſſe locutum; ſubindeque multiplex diſtingui poſſe divini Verbi genus, integro Scripturarum codice comprehenſum. (3)

XI. Advertendum inſuper Dei verbum rurſus diſtingui in ἄγραφον, ideſt, *non ſcriptum*, & γραπτὸν ſeu *ſcriptum*: priori loquendi genere uſus fuit Deus ab initio mundi, ad Moyſem uſque, ut egregie declarat Theophilactus: a *Magni quidem illi, atque divini viri*, inquit, *qui ante datam Moſi legem vixere, non ex literis & libris diſcebant, ſed munda præditi mente, Sancti Spiritus illuſtratione illuminabantur, atque in hunc modum, Deo ipſis ore ad os colloquente, quæ Deo placita erant, cognoſcebant. Tales erant Noe, Abraham, Iob, Moſes. At poſtquam deteriores facti ſunt homines, & indigni qui a Spiritu Sancto illuſtrarentur & docerentur, conceſſit tandem miſericors Deus & Scripturas, ut vel per illas divinæ voluntatis eſſent memores. Ita ut Chriſtus Apoſtolis coram, in ſua perſona locutus eſt, & Spiritus Sancti gratiam miſit doctoris. Verum quoniam hæreſes pullulatæ erant, quæ mores noſtros depaſcerentur, operæ pretium viſum eſt, ut ſcriberentur & Evangelia, quo diſcentes ex illis veritatem, non hæreſum mendaciis deciperemur, moreſque noſtri non prorſus peſſundarentur.*

a *Init. præf. in Matth.*

Neque tamen a tempore legislationis, deſiit illa divini verbi oralis propagatio. Plurima namque divinitus accepit Moyſes; quæ non ſcripto, ſed ore tenus Iſraelitarum ſanctiſſimis ac doctiſſimis, aliis ſucceſſive tradenda intimavit. Quas utique a majoribus acceptas traditiones R. Jehuda, quem vulgo vocant *Rabinu Hakadoſch*, ideſt, Magiſtrum noſtrum ſanctum, publice edidit, eaſque collectas in unum volumen digeſſit, quod inſcripſit *Miſchna*, id eſt, legem ſecundam; quia ut docet Aruch: *eſt ſecunda a priore, nimirum lege ſcripta*, de quibus in ſequentibus ſpecialis erit diſſertatio. Ex his compertum fit non omnia quæ ad informandam & illuſtrandam Synagogam erant neceſſaria, fuiſſe a Moſe ſcriptis exarata; ſed plurima ad poſteros per continuam traditionem ore tenus deſtinata, ut mirum Hetherodoxis eſſe non debeat, quod Concilium Tridentinum b ſtatuerit *omnes libros tam Veteris, quam Novi Teſtamenti, cum utriuſque unus Deus ſit author, nec non traditiones ipſas, tum ad fidem, tum ad mores pertinentes tanquam vel ore tenus a Chriſto, vel a Spiritu Sancto dictatas, & continua ſucceſſione in Eccleſia Catholica conſervatas, pari pietatis affectu ac reverentia ſuſcipit, ac veneratur*, Sacra Synodus.

b *init. Seſſ. 4.*

§. II.

Quo ſenſu Scriptura S. nominetur Sanctuarium Dei?

XII. JUDÆIS familiare eſt, Scripturam ſacram Hebræa lingua ſibi vernacula appellare מקדש יהוה MIKDASAH JEHOVA, h. e. SANCTUARIUM DOMINI. Inſigne profecto, & ipſius exprimendæ Scripturæ ſacræ dignitatis ac ſanctitatis, appoſitum nomen; quippe cum in hiſce divinis libris, ſuas infinitas dotes ac præcellentias, quot verbis, tot veluti radiis, quaſi in ſplendido gloriæ ſolio, Deus repræſentet. Unde quemadmodum ad ſacra templi adyta & penetralia, non niſi cum ſumma pietate ac reverentia patebat acceſſus; Sic Scripturæ divinæ ſacrarium ſolis religioſis piiſque mentibus ſubire licet. Nam ut præclare admonet Origenes c conſimili pene veneratione legendæ ſunt Scripturæ Sacræ, ac ſuſcipiendum ſit ſacroſanctum Chriſti Domini corpus.

c *Homil. 13. in Exod.*

(3) Triplici modo verbum Dei hominibus revelari; primo nempe cum obiectis corporeis in externos corporis ſenſus agentibus utitur Deus ad aliquid miſtice ſignificandum, ſicuti cum Moſe in Sina rubum flammis ſuccenſum conſpiciente, ſe geſſit; ſecundo cum imagines, ſeu motus in ſenſus externos hominis ſomno, vel alio mentis exceſſu correpti excitat Deus per ſe immediate, vel per Angelos ſua exequentes juſſa, ut iis imaginibus aliquid occultum homini illi in ſui, vel in aliorum utilitatem palam fiat quemadmodum Sanctis Exechieli, Danielis, aliiſve Prophetis, & Sancto Petro Apoſtolo legimus contigiſſe. Tertio tandem cum ſpecies mere ſpiritales, ut ajunt, in intellectu, ſive in ſubſtantiam ſpiritualem animæ rationalis lumine ſupernæ veritatis adiutam imprimit Deus, ſimulque hominem illum certiorem reddit tam de intima ſignificatione eorum, quæ repræſentantur, quam de ſinceritate divinæ revelationis, dubiis omnibus procul expulſis, quotquot Theologi tum Miſtici, tum Scolaſtici poſt S. Thomam 2. 2. *Quæſt.* 171. *uſque ad* 175. S. Bonaventuram de Profectu Relig. *Lib.* 2. *Cap.* 75. & Riccardum de S. Victore *Lib.* 1. in Apocalipſim *Cap.* 1. ſcripſerunt, animi docuere conſenſu: & præſertim Benedictus XIV. *lib.* 3. *de Canonizat. Sanctorum Cap.* 45. Cardinalis Bona *de Diſcret. ſpirituum Capp.* 15. & ſequent., qui ſiquidem piiſſimus auctor mira eruditione, ex Auguſtini doctrina cum materiam iſtam illuſtret, non eſt cur diutius circa eam immoremur legentes; Id unum interim ſtatuere ſatis ſit, quamcumque ſcilicet Dei locutionem, cujus homines participes fiunt, ad unum ex tribus prædictis modis reduci poſſe. (W)

pus. *Noſtis*, ait, *qui divinis myſteriis intereſſe conſueſtis, quomodo cum ſuſcipitis Corpus Domini, cum omni cautela & veneratione ſervatis, ne ex eo parum quid decidat: ne conſecrati muneris aliquid dilabatur; reos enim vos creditis, & recte creditis, ſi quid inde per negligentiam decidat. Quod ſi circa corpus ejus conſervandum tanta utimini cautela, & merito utimini; quomodo putatis minoris eſſe piaculi Verbum Dei neglexiſſe, quam corpus ejus?* Ei religiose concinit S. Auguſtinus [a], *Dicite mihi*, inquit, *quid vobis plus eſſe videtur, Verbum Dei, an Corpus Chriſti? Si verum vultis reſpondere, hoc utique dicere debetis, quod non ſit minus Verbum Dei, quam corpus Chriſti. Et ideo quanta ſollicitudine obſervamus, quando nobis corpus Chriſti miniſtratur, ut nihil ex ipſo de noſtris manibus in terram cadat; tanta ſollicitudine obſervemus, ne Verbum Dei quod nobis erogatur, dum aliquid aut cogitamus, aut loquimur, de corde noſtro pereat. Quia non minus reus erit, qui Verbum Dei negligenter audierit, quam ille qui corpus Chriſti in terram cadere negligentia ſua permiſerit:* quæ tametſi de ſolis Auditoribus divini Verbi ſcripſiſſe videatur, nihilominus etiam negligentes illius Lectores compellat.

[a] *Hom. 26. ex Quinquag.*

Inde, ex parte ſaltem, excuſanda venit Judæorum hujus temporis erga Sacra Biblia, quantumvis ſuperſtitioſa, obſervantia; nam teſte Paulo Fagio, [e] eo uſque illa venerantur, ut nuſquam ſub aliis libris, ſed ſupra cæteros quoſque collocent; grandeque piaculum ſe admiſiſſe putent: ſi illotis manibus ea contractarint: ſi ſederint in eo ſcamno in quo illa jecuerunt: ſi neglexerint illa reverenter oſculari: quoties claudunt aut aperiunt. Si vero in earum domo ſacrum hunc librum in terram cadere contigerit, ut divinam, propter iſtud facinus, paratam ſibi ultionem amoliantur, tota die ſeveriſſime jejunant,

[e] *In notis ad Paraſraſ. Chaldaic. Deut.* 17.

§. III.

Quare Scriptura S. dicatur Sacra Lectio?

XIII. HUic longe non abſimilem Scripturarum appellationem, iidem Judæi frequenter uſurpant, cum ſacrorum librorum familiarem uſum ſignificare volentes, ſimpliciter eum deſignant nomine מקרא MIKRA, i. e. *Lectura* ſive *Lectio:* quoniam vix alteram, quam ſacrorum librorum, lectionem, inter ſuos populares admittunt. Tam vero cordi eis eſt hæc ſacra lectio, ut grande nefas exiſtiment, ea prætermiſſa, maximam diei partem traduxiſſe. Unde Rabbi Zacuth graviſſimam omnium perſecutionum, quibus olim conflictati fuerunt Judæi, exiſtimat illud Trajani edictum, quo ſanxerat ne Judæi Legem legerent, tam privatim, quam publice; neque enim a diebus Eſdræ ad illam uſque ætatem unquam prætermiſſum fuerat ſacræ hujus lectionis exercitium, in Synagogis; maxime diebus Sabbathi, Quam utique praxim a majoribus frequentatam, teſtatus eſt S. Jacobus, in Apoſtolorum Synodo, [b] *Moyſes*, inquit, *a temporibus antiquis, habet in ſingulis civitatibus qui eum prædicent in Synagogis, ubi per omne Sabbathum legitur.* Quo autem ritu fieret ejuſmodi ſacra lectio, diſerte tradit R. Moſes Maimonides in Jad Chaſakah, ideſt, manu forti: [c] Conſuetudo eſt, *inquit*, „ apud „ omnes Iſraelitas communis atque recepta, „ ut Legem anno abſolvant. Incipientes a „ ſequenti poſt feſtum tabernaculorum Sab„ batho die, legunt ſectionem primam Ge„ neſeos, *In principio creavit Deus*, &c. Se„ cundo poſt Sabbatho legunt: [d] *Hæ ſunt „ generationes Abraham*, &c. In tertio de„ inde: [g] *Et dixit Deus ad Abraham*, &c. „ hoc ordine deinceps procedunt in lectio„ ne Legis, donec Legem in feſto taberna„ culorum abſolverint. Sunt qui Legem tri„ bus annis abſolvant: quæ conſuetudo non „ eſt communis. Et paulo poſt: Ideo qui„ buſdam diebus Sabbathi duas lectiones ma„ ne legunt, v. g. Levit. XII. v. 1. *Mulier „ ſi ſuſcepto ſemine*, &c. cum Sect. Levit. „ XXV. v. 1. *In Monte Sinai*, &c. ut anno „ lex abſolvatur, ſuiſque temporibus eæ ſe„ ctiones legantur. „ Hæc ille. Quod autem, ait, *hanc eſſe receptam Judæorum conſuetudinem;* non ſic accipiendum eſt, quaſi mos ille a Reipublicæ Judaicæ fundatoribus inoleverit. Etenim nec a Moſe, nec a Joſue, nec a quoquam Judicum definitum fuit, quantum quovis Sabbatho in Lege legendum eſſet, aut quo tempore anni, Legis lectio rurſum eſſet inchoanda. Primus quidem Joſapha Rex [f], Principes ſuos emiſiſſe legitur, quibus Levitas adjunxerat, qui per omnes civitates Juda circumambulando, plebem in Lege Dei inſtituebant, librum Legis ſemper deferentes. At de ejuſmodi Legis in certas *Paraſcioth* & diviſiones diſtributione, ac Sabbatina lectione nihil ſanxit. Poſt captivitatem vero Eſdras in Lege doctiſſimus, eam in eas partes diſtribuiſſe videtur, quæ poſtmodum diſtinctis diebus Sabbati lectæ ſunt. Et quia ſeptimo menſe Legem tum prælegere incœperat, ut legimus *Nehemiæ* VIII. inde factum eſt, ut ab iſto tempore Judæi Veteres, Legis per partes lectionem frequentare cœperint.

[b] *Act.* 15.

[c] *Tract. de preeib. & benedict. Sacerd. cap.* 13.

[d] *Geneſ.* 6. v. 9.

[g] *Geneſ.* 12. v. 1.

[f] 2. *Paral.* 17. 9.

Simile quid etiamnum ſuis in conventiculis frequentant: nam, ut refert Buxtorfius *Lib. de Synagoga Judaica cap.* 9. quoties in cœtum coeunt ad laudandum Deum, proferunt ex arca laminis aureis contextum librum Legis in membranis vitulinis exaratum, ex quo cum Precentor ſectionem, vel caput elata voce coram virorum multitudine legerit, accedunt ſinguli ſeniores oſculaturi extremitatem panni, quo liber involvitur; tum vero advocatur aliquis proceræ ſtaturæ, qui ambobus brachiis, volumen explí-

plicatum quantum potest, sursum attollit, ut Legis Scripturam omnes legere possint, aut saltem eam conspicere. Statim autem liber ille iterum pannis ac linteis exquisitis involvitur: prius autem quam recludatur in arca, circa illum convenientes juvenes senesque, libri involucra devote osculantur, duobusque digitis tangunt, quos e vestigio oculis suis ponunt; rem enim sanctam admodum reputant: & præsentissimum adversus oculorum morbos remedium.

Atque non publicam tantum, sed etiam privatam, ac domesticam Legis lectionem a Judæis singulis fieri debere, testatur Rabbi Jehudah, referente eodem Buxtorfio, a *Etsi audivit*, inquit, *homo singulis Sabbatis in cœtu universum Legem, tenetur nihilominus & ipse suam legere Prophetiam illius septimanæ*. Ob quem finem singulis Israelitis injunctum erat, ut manu sua, quantum fieri poterat, describeret legis exemplar. Cujus etiam præcepti meminit Maimonides; b *Præceptum affirmativum est*, inquit, *omnibus & singulis Israelitis datum, ut pro se quisque scribat librum Legis, juxta illud: Et* NUNC SCRIBITE VOBIS CANTICUM *istud; id est, scribite vobis Legem, in qua est hoc Canticum:* addit autem. „ Nec enim sectiones „ Legis seorsim scribi solent: & quamvis „ quis a parentibus suis librum Legis acceperit, sibi tamen ipse proprium scribere jubetur: quem si manu sua scripserit, „ perinde est atque si ipsum accepisset e „ Monte Sinai, Si scribendi peritus non sit, „ alii scribunt ipsi, &c. *Et Paulo post*: Rex „ quoque jubetur sibi quatenus Rex est, „ librum Legis scribere, præter eum, quem „ privatus habebat, juxta illud c: *Et erit „ quando sederit super solium regni sui, scribet sibi exemplar hujus Legis*, &c. Corrigitur autem Liber, juxta exemplar Esdræ, „ apud Consistorium majus. Quem privatus habebat, eum reponit in Gazophylaciis suis: quem vero sibi ipse jam Rex scripsit, vel ab alio scriptum habet, eum semper secum gestat, sive ad bellum proficiscatur, sive conventum adeat, sive sedeat judex: itidem decumbenti ex adverso ponitur, f *Et erit secum, & leget in eo omnibus diebus vitæ suæ*. Addit insuper g: „ Si antequam Rex esset, librum Legis non „ habebat, oportet jam Regem, sibi duos „ libros scribere, unum quem reponat in „ Gazophylaciis suis; alterum, quem semper „ habeat secum.

Nec minus religiosum erga sacrorum voluminum, assiduam lectionem nascentis Ecclesiæ filiorum erat studium: Illi namque, Machabæorum instar, in omnibus suis persecutionibus & conflictationibus *habebant solatio sanctos Libros* h, & meditabantur in Lege Domini die ac nocte. Quamobrem S. Chrysostomus Auditorum suorum in legendis sacris libris negligentiam graviter perstringit passim in suis Concionibus, præsertim vero Homil. 3. de Lazaro: *Magna* inquit, *adversus peccatum munitio est Scripturarum lectio: magnum præcipitium, profundum barathrum Scripturarum ignoratio; magna salutis jactura, nihil scire ex divinis Legibus. Ea res & hæreses peperit, & vitam corruptam invexit, hoc sursum deprsum miscuit omnia; nam fieri non potest, ut quis sine fructu discedat, qui assidua ac religiosa Scripturarum lectione fruitur, &c.* Quamobrem S. Hieronymus Eustochio Virgini, inter cætera, comparandæ eximiæ sanctitatis salutaria monita, præscripsit diurnam nocturnamque hanc lectionem, adeo ut, inquit, *tenendi Codicem somnus obrepat, & cadentem faciem pagina sancta suscipiat.*

a *Lib. de antiquit. punctorum vocalium pag.* 17.

b *Hil. Thephilim cap.* 3.

c *Deutr.* 17. *v.* 18.

f *Deuter.* 17. *v.* 19.

g §. 3.

h 1. *Machab.* 12.

§. IV.

Cur Scriptura sacra dicatur Epistola Dei, *& quomodo Deus illius censeatur Autor?*

XIV. Quartam his consentaneam sacrorum Librorum nomenclaturam adjiciunt nonnulli Latini Patres, cælestes illos libros appellantes *divinas Literas*, hoc est, *Epistolas Dei*, quibus nobis a divino ejus intuitu & consortio, in hac miseriarum valle longe positis, & exulantibus, voluntatem suam significat, mentem aperit, referat arcana; & viam quam tuto ad patriam properantes tenere debeamus, commonstrat. Unde præclare S. Augustinus d, *De illa civitate*, inquit, *unde peregrinamur; literæ nobis venerunt: ipsæ sunt Scripturæ, quæ nos hortantur, ut bene vivamus*. Hanc etiam appellationem usurpat S. Gregorius scribens ad Theodorum medicum, paulo negligentiorem in legendis divinis Scripturis, quem sic compellat: e „ Erga dulcissimam „ mentem glorioſissimi filii mei Theodori, „ habeo aliquam querelam, quia donum ingenii, donum rerum, donum misericordiæ „ atque charitatis, a sancta Trinitate percepit; sed tamen sæcularibus indesinenter „ causis astringitur, assiduis processibus occupatur, & quotidie legere, negligit verba Redemptoris sui. Quid est autem Scriptura sacra nisi QUÆDAM Epistola omnipotentis Dei ad creaturam suam? „ Et certe sicubi esset gloria vestra alibi constituta, & scripta terreni jam Imperatoris acciperet; non cessaret, non quiesceret, somnum oculis non daret, nisi „ prius quid sibi Imperator terrenus scripsisset, agnovisset: Imperator cæli, Dominus hominum & Angelorum, pro vita tua, „ tibi suas Epistolas transmisit, & tamen, „ glorioſe Fili! easdem Epistolas ardenter „ legere negligis. Strude ergo quæso, & „ quotidie Creatoris tui verba meditare. „ Disce cor Dei in verbis Dei, ut ardentius

d *In Psalm.* 90.

e *Lib.* 4. *Epist.* 84.

„ tius

„ tius ad æterna ſuſpires, ut mens veſtra „ ad cæleſtia regna majoribus deſideriis ac„ cendatur. Tanto enim tunc major ei erit „ requies, quanto modo ab amore Conditoris ſui requies nulla fuerit.

Illæ autem *Epiſtolæ* dicuntur *divinæ*; & merito quidem, quippe cum Deum præcipuum habeant autorem. *ipſe namque* (ait egregie S. Gregorius Magnus [a]) *eas ſcripſit, qui has ſcribendas dictavit; ipſe ſcripſit, qui & illius operis inſpirator extitit.* Is ſiquidem ſcripti alicujus author cenſendus eſt, qui hoc ipſum alteri ſuggerit, & dictando quaſi adſpirat: Deus autem ſacrorum librorum Conſcriptoribus, velut Amanuenſibus ſuis ſcribenda ſuggeſſit, & veluti dictitavit; *Non enim*, ait S. Petrus [b], *voluntate humana, allata eſt aliquando Prophetia, ſed Spiritu Sancto inſpirati, locuti ſunt ſancti Dei homines*: Cui concinit S. Paulus cum [c] Scripturam ſacram divinitus inſpiratam appellat πᾶσα γραφὴ θεόπνευστος, *Omnis* inquit, *Scriptura divinitus inſpirata, &c.* Unde quemadmodum ſolent homines aliis dictitantes aliquid, iſtud in eorum mentem inducere, aut per oculos illis demonſtrando, quæ ſcribi velint; aut per aures, ſuum iis ſenſum verbis conceptis, diſtincte declarando; aut per manus, ſcribentis manum & calamum regendo: Ita etiam Deus hiſce tribus modis, ſed infinite præſtantius, Scriptoribus ſacris adfuit; *vel* enim in eorum mentem, illa quæ ſcribi voluit, induxit per ſenſus exteriores; ut cum Moſi, Angeli miniſterio, Decalogum dictitavit. *Vel* per interiores, eis objiciendo nova phantaſmata, quæ rem ſcriptis mandandam repræſentarent. *Vel* immediate Scriptorum mentes illuminando, luce cæleſti, qua Canonicus Scriptor irradiatus, diſtincte videt & judicat quæ ſcribenda ſint. Aſſiſtit pariter ipſius manibus, eaſque veluti regit, ne rem pro re, verbulum pro verbulo, literam pro litera conſcribat.

Unde ut compendio dicam, Scriptoribus ſacris Spiritus Sanctus aſſiſtit tripliciter, nimirum vel antecedenter, vel concomitanter, vel conſequenter. *Antecedenter* quidem, cum inſpirat, revelat, aut demonſtrat quæ ſcribenda ſint. Hinc nati ſunt illi modi loquendi Prophetis familiares, *facta eſt ſuper me manus Domini: factum eſt ad me Verbum Domini, &c.* Concomitanter, dum ſcribentis mentem & manum ita dirigit, ut in nullo eam errare permittat. *Conſequenter* vero dum aliquid humano ſpiritu & a prophano Autore conſcriptum aſſumitur a Scriptore Canonico, in teſtimonium eorum quæ ſcripſerat; ut Ethnicos Autorum ſuorum teſtimoniis, ad fidem ſcriptis aut dictis Evangelicis faciendam, facilius inducat. Sic per S. Paulum, tanquam organum ſuum, Spiritus S. approbavit illam Arati Poetæ Ethnici ſententiam [d] τοῦ γὰρ καὶ γένος ἐσμέν, *Ipſius enim & genus ſumus*: & iſtam [e] Κρῆτες ἀεὶ ψεῦσται κακὰ θηρία γαστέρες ἀργαί *Cretenſes ſemper mendaces, malæ beſtiæ, ventres pigri*, „ Epimenidem, (inquit S. Epiphanius, [f]) veterem Philoſophum intelligens, Mithræ cujuſdam apud Cretenſes Idoli ſacerdotem, „ De quo & Callimachus Libycus Poeta, „ idem teſtimonium falſo ad inſtitutum ſuum „ tranſtulit, cum ita de Jove cecinit:

Κρῆτες ἀεὶ ψεῦσται· καὶ γὰρ τάφον, ὦ ἄνα, σεῖο
Κρῆτες ἐτεκτήναντο· σὺ δ' οὐδάνε καὶ γὰρ ἀθάνας.

Creta quidem aſſidue mendax. Rex magne ſepulchrum
Creta tuum extruxit: ſed te mors nulla ſubegit.

[g]

Licet autem hæc ſcripta ſint primum ab Ethnicis, ubi tamen aſſumpta ſunt a Scriptore Canonico, & a Spiritu S. probata, dici poſſunt *Verbum Dei*: & divinæ autoritatis: ſicut ſcriptura Secretarii regii, quam Rex ſua ſyngrapha, ſuoque ſigillo probat, paris eſt autoritatis, ac ipſa ſcriptura Regis.

Neque vero divinæ horum librorum originis, alio quærendam eſſe probationem, exiſtimat Origenes, [h] quam ex ipſa eorum pia & attenta lectione: *Si quis enim*, inquit, *cum omni ſtudio ac reverentia, quæ dignum eſt, prophetica dicta conſideret, in eo ipſo dum legit & diligentius intuetur, certum eſt, quod aliquo diviniore ſpiramine mentem, ſenſumque pulſatus, agnoſcit non humanitus eos eſſe prolatos quos legit, ſed Dei eſſe ſermones; & ex ſemetipſo ſentiet, non humana arte, nec mortali eloquio, ſed divino (ita ut dixerim Cothurno) libros eſſe conſcriptos.* Plurima tamen aliunde in hujus veritatis confirmationem ſuppetunt argumenta. Quis enim inficiabitur, libros illos divino afflatu & dictamine fuiſſe conſcriptos, qui licet numero pauci, mole exigui, ſtylo ſimplices, nullis humanæ eloquentiæ illecebris referti, nulloque argumentorum pondere ſolidati, nec niſi per homines paucos, obſcuros, & nulla rerum, quas miratur Mundus, amplitudine commendatos, conſcripti ac evulgati, omnium tamen hominum, etiam doctiſſimorum, ac religioni Chriſtianæ infenſiſſimorum, ſtudia rapuerint, conciliarint venerationem, & repugnantibus licet Tyrannis, ac in eos, eorumque Lectores, ferro flammiſque ſævientibus, orbem impleverint univerſum, ac per medios ignes, variaſque procellas ad nos illæſi penetrarint, ad finem uſque mundi duraturi? Quis niſi cæcus, aut omnino ſtolidus, divinam in illis libris non deprehendat autoritatem & ſapientiam, in quibus ne verbum quidem reperies, quod hominum cupiditatibus blandiatur, vitia univerſa non proſcribat, virtutes omnes non inſerat, & ad cœleſtem vitam, moreſque probe inſtituendos, homines non alliciat modo, ſed impellat. Iſta, hiſque ſimilia egregie torquet S. Auguſtinus lib. 18. de Civit. cap. 41. & lib. 2. de Moribus Eccleſiaſt. & alibi ſæpe: ut nemini dubium ſit, hos libros divina inſpiratione fuiſſe conſcriptos.

Iſta omnia perbelle complectitur & explicat Hugo Victorinus; [i] *Sola*, inquit, *illa Scriptura, jure* DIVINA *appellatur, quæ per ſpiritum Dei aſpirata eſt, & per eos qui ſpiritu Dei locuti ſunt, adminiſtrata; hominem dignum facit, ad ſimilitudinem Dei illum reformor-*

[a] *Præfat. in lib. Iob.*
[b] *Epiſt. 2. cap. 2.*
[c] *ad Timot. 3.*
[d] *Act. 17.*
[e] *ad Titum 1.*
[f] *Hæreſ. 42. p. 362.*
[g] *Hymn. in Jovem.*
[h] *Lib. 4. de principiis cap. 5.*
[i] *Homil. 1. cap. 1.*

formans, instruendo ad cognitionem & exhortando ad dilectionem ipsius, in qua quidquid docetur, veritas: quidquid præcipitur, bonitas: quidquid promittitur, fœlicitas.

Inde est quod omnium sanctorum Patrum calculo, tanta sit horum sacrorum Librorum autoritas, ut omnibus aliis scriptis, cujuscumque dignitatis sint & eminentiæ, longe antecellant. Unus præ omnibus, ea de re, pro suo more facundissime differens audiendus est S. Augustinus: „ [a] Ego solis, *in-*
„ *quit*, eis Scripturarum Libris, qui jam
„ *Canonici* appellantur, hunc timorem, &
„ honorem didici deferre, ut nullum eorum
„ Authorem, scribendo aliquid errasse firmissime credam. Alios autem ita lego, ut
„ quantalibet sanctitate, doctrinaque præpolleant, non ideo verum putem, quia
„ ipsi ita senserunt; sed quia mihi, vel per
„ illos Authores Canonicos, vel probabili
„ ratione, quod a veritate non abhorreant,
„ persuadere potuerunt. *Et libro de baptismo contra Donatistas* [b]: Quis nesciat sanctam Scripturam Canonicam, tam veteris quam novi Testamenti, certis suis terminis contineri, eamque omnibus posteriorum Episcoporum literis ita præponi,
„ ut de illa omnino dubitari, aut disceptari
„ non possit, utrum verum, vel rectum sit,
„ quidquid in ea scriptum esse constiterit.
„ Episcoporum autem literas, quæ post
„ confirmatum Canonem, vel scriptæ sunt,
„ vel scribuntur, & per sermonem forte
„ sapientiorem cujuslibet in ea re peritioris, & per aliorum Episcoporum gra-
„ viorem autoritatem, doctorumque prudentiam, & per Concilia licere reprehendi, si quid forte in eis a veritate de-
„ viatum sit, *Et libro contra Faustum* [c]. Distincta est a posteriorum Libris, excellentia Canonicæ autoritatis Veteris & Novi
„ Testamenti, quæ Apostolorum confirmata temporibus, per successiones Episcoporum, & propagationes Ecclesiarum,
„ tanquam in sede quadam, sublimiter constituta est, cui serviat omnis fidelis & pius
„ intellectus. Ibi si quid velut absurdum
„ moverit, non licet dicere, AUTOR HUJUS LIBRI NON TENUIT VERITATEM: SED
„ AUT CODEX MENDOSUS EST, AUT INTERPRES ERRAVIT, AUT TU NON INTELLIGIS.
„ In opusculis autem posteriorum, quæ Libris innumerabilibus continentur, sed nullomodo illi sacratissimæ Canonicarum Scripturarum excellentiæ coæquantur, etiam
„ in quibuscumque eorum eadem invenitur
„ veritas, longe tamen est impar autoritas.
„ Itaque in eis, si quæ forte propterea differre putantur a vero, quia non ut dicta
„ sunt intelliguntur: tamen liberum ibi habet
„ Lector, auditorve judicium, quo, vel approbat, quod placuerit, vel improbat, quod
„ offenderit: in illa vero Canonica eminentia sacrarum Literarum, etiamsi unus
„ Propheta, aut Apostolus, aut etiam Evangelista, aliquid posuisse in suis literis, ipsa
„ Canonis confirmatione declaratur, non
„ licet dubitare, quin verum sit: alioqui
„ nulla erit pagina, qua humanæ imperitiæ
„ regatur infirmitas, si librorum saluberrima autoritas, aut contempta penitus abo-
„ letur, aut interminata confunditur. *Tandem agens contra Cresconium scribit* [e]:
„ Nos nullam facimus Cypriano injuriam,
„ cum ejus quaslibet Literas, a Canonica
„ divinarum Scripturarum autoritate, distinguimus. Neque enim sine causa tam
„ salubri vigilantia Canon Ecclesiasticus
„ constitutus est, ad quem certi Apostolorum & Prophetarum libri pertineant, quos
„ omnino judicare non audemus, & secundum quos de cæteris literis, vel fidelium,
„ vel infidelium, judicamus. *Et post* [f]: Ego
„ hujus Epistolæ autoritate non teneor,
„ quia literas Cypriani, non ut Canonicas
„ habeo, sed eas ex Canonicis considero;
„ Et quod in eis divinarum Scripturarum
„ autoritati congruit, cum laude ejus ac-
„ cipio: quod autem non congruit, cum pace respuo,

[a] *Epist. 19. ad Hieronym. cap. 1.*
[b] *Lib. 2. cap. 3.*
[c] *Lib. 11. cap. 5.*
[e] *Lib. 2. cap. 31.*
[f] *Cap. 32.*

Nota

§. V.

Qua ratione Scripturæ S. dicantur Pandectæ?

XV. INSUPER Libri sacri, etiam a nonnullis Scriptoribus Ecclesiasticis, dicuntur PANDECTÆ; sic enim Cassiodorus [d] *Græcum Pandectum* dixit, pro græcis Bibliorum exemplaribus. Sic Venerabilis Beda [e]; *Inter alia*, inquit, *Donaria quæ* (Romam) *adferre disposerat* (Abbas meus Leolfridus) *misit Ecclesiæ S. Petri Pandecten a Beato Hieronymo in Latinum ex Hebreo, vel Græco fonte translatum.* Sic etiam Albinus, seu Alcuinus, in Bibliis quæ Caroli Magni rogatu correxerat, hos versiculos apposuit:

Nomine Pandectes proprio vocitare memento
Hoc corpus sacrum, Lector in ore tuo.

Apposita quidem, & Scripturæ totius divinæ sapientiæ encyclopediæ significandæ, congruentissima denominatio: quemadmodum enim Justinianus, de Legum amplissimo codice sua opera & studio digesto, scripsit ad Senatum, *Nomen*, inquit, *Libris imposuimus Digestorum, seu Pandectarum, qui omnes Disputationes in se habent legitimas, & quod undique fuit collectum, hoc in sinus receperunt in centum quinquaginta pene millia versuum, totum opus consummantes:* Sic sacer Codex continens omnes libros a Scriptoribus Canonicis confectos, PANDECTES merito dicitur, quia universas Dei Leges & Sanctiones comprehendit. Quanquam alia non minus convenienti ratione, integer Bibliorum codex, *Pandectes* possit appellari, quod, quæ ad Dei cognitionem, amorem, & cultum, hominumque piam institutionem, & quæ æternam salutem spectant, omnia contineat.

[d] *Lib. de Institutione cap. 15.*
[e] *Lib. de sex ætatibus circa finem.*

§. VI.

§. VI.

Convenientissime Scriptura sacra dicitur divinum Foedus, Pactum & Testamentum.

XVI. USus etiam invaluit, ut apud Hebræos, Græcos & Latinos Scripturæ sacræ dicerentur Dei cum Hominibus *Fœdus*, *Pactum*, *Testamentum*, *Sponsiones*, *Sanctiones*, & *Leges*. Quæ omnia erudite explicat Grotius, *init. Comment. in Matth.* ubi cum dixisset, tribus modis homines hominibus obligari, lege, sponsione, testamento; quæ ita inter se distincta sunt, ut tamen communitate juris cohæreant: unde & legem ευθύνας nomine definivit, Aristoteles & Sophista Lycophron, & post eum Demostenes, quod Papinianus Sponsionem transtulit, & pacta contractuum, Leges vocantur; & Testatoris voluntas Lex dicitur: natumque hinc verbum *Testamentis proprium legare*. Nam (ut erat in tabulis 12.) *uti quisque rei suæ legassit, ita jus esto.* „ Addit: Apud Græcos verbum est, quod tria „ ista complectitur, nempe διαθήκαι, quod „ *de Legibus*, usurpat Plato; *de Sponsione* „ Aristophanes; *de Testamento* Isocrates, „ aliique. Cui consequens est nomen διαθήκη „ æque late patens: nam & Testamentum „ frequentissime designat, & pro Sponsione, ponitur apud eum, quem dixi Aristophanem, & pro legibus usurpatum est ab „ Orphicis & Pythagoristis: nam hi præscriptas suo gregi vivendi normas, διαθήκας „ vocabant. Communis quoque est Legibus „ & Sponsionibus Sanctio: nam Pacta, præsertim publica, quæ Fœdera dicuntur, „ antiquitus sanciri solebant, pecude cæsa: „ ipsaque vox *sanciendi*, ut recte a Servio „ observatum est, a sanguine deducitur: „ quæ causa Hebræos magistros movit, ut „ crederent ברית *Berith* deductum a כרת *Bere* „ quod pro *succidere* usurpatur; & Latinos, ut *fœdus* a *feriendo* derivarent. Atque hinc *fœdus percutere*, loquendi modus, Hebræis, Græcis, Latinisque pariter usitatus: *Hæc ille.*

Porro Scriptura sacra jure merito, Dei cum hominibus *Pactum* ac *Fœdus* nominatur: cum enim Pactum sit de iis, quæ vel antea non debebantur, vel non putabantur debita, ipsa autem Pactione efficiatur, ut adsit jus novum, vel alterutri, vel ambobus qui inter se de re aliqua paciscuntur; haud dubium est quin Scriptura, Pacti rationem obtineat: siquidem nova, magna, minimeque debita continet bona, quæ sponte sua, & ex sola liberalitate, Deus nobis offert, quæ quoniam omnem hominis captum superant, ut huic immensæ promissioni fidem absque dubio facerent homines, atque ita demum Deo fidentes atque obsequentes, suis meritis promissa bona consequerentur, non solum verbis, sed etiam scriptis hanc suam pollicitationem exarare, ac certam facere voluit.

Cum autem inter omnia Pacta & Conventa, nihil sit in rebus humanis Testamento certius aut firmius, idcirco promissionem suam Deus Scripturis consignatam, *Testamentum* vocari voluit, quo irrevocabilem, ac firmissimam suæ voluntatis declarationem testaretur, nec ulla fieret inter filios adoptatos, de consequenda hæreditate dubitatio, appositis ex eorum parte requisitis conditionibus. *Non sine Testamento*, ait S. Augustinus [a], *dimisit nos Pater noster: qui fecit Testamentum, vivit in æternum, audit voces nostras, agnoscit suas; legamus. Quid litigamus? Ubi inventa fuerit hæreditas, eam teneamus. Aperi Testamentum, lege.* Monet autem S. Irenæus [b], *quatuor fuisse a Deo Testamenta data humano generi, unum quidem ante Cataclysmum sub Adam; secundum post Cataclysmum sub Noe; tertium Legislatio sub Moyse; quartum vero quod renovat hominem, & recapitulat in se omnia, quod est per Evangelium elevans & pennigerans homines in cœleste regnum.*

[a] *in Psalm. 21.*

[b] *Lib. 3. advers. hæres. cap. 11.*

Convenientissime vero sacri Codices dicuntur *Testamentum*, Tum quod singularem Dei erga homines voluntatem, ac mentem testentur: *Testamentum enim* (ait Servius Sulpitius Jurisconsultus) [c] *dicitur quasi contestatio mentis*; Tum quod sint quasi chirographum, ac tabulæ, quibus Deus, legem suam observantibus, felicitatem æternam spondet, ac delegat: Tum denique quod illæ, tesseræ sint divini erga nos amoris, quo factum est, ut nos per peccatum a Deo extraneos, ille proprio Filii sui sanguine mundatos, ad societatem & benevolentiam revocaret; & tamquam filiis adoptatis, divinam suam hæreditatem consignaret. Quæ omnia egregio commentario illustrat Hugo Victorinus. [d] „ Testa- „ mentum, *inquit*, dicitur Scriptura sacra, „ humana consuetudine dante occasionem: „ antiquitus enim, qui carebant liberis, „ adoptabant sibi filios, & cum constituebant illos hæredes, vocabant testes, & „ scribebant chirographum: non erat tamen „ ita ratum, quin posset mutari, nisi mortuo Testatore. Similiter Deus unum solum Filium habens ex natura, multos „ voluit adoptare ex gratia. Et primitus „ unum elegit Abraham, cui præcepit exire de cognatione sua, & promisit terram Palestinam. Nec tamen ipse legitur „ inde aliquid possedisse. Post hæc filiis „ Israel eductis de Ægypto, eandem terram Palestinam repromisit, & ne dubitarent, fecit Testamentum in certitudinem promissæ hæreditatis, scilicet Legem quæ per Moysen data est. Sed quia „ Deus non poterat mori, & Testamentum

[c] *Lib. 2. de Testam.*

[d] *Præfat. in Script. Sacram.*

„ tum

„ tum morte Teſtatoris confirmandum erat, „ interfectus eſt pro eo agnus myſticus: „ cujus ſanguine reſperſus eſt Liber & to- „ tus populus, Et in confirmationem pro- „ miſſæ hæreditatis, eodem modo Domi- „ nus Jeſus Chriſtus, vocans ad æternam „ hæreditatem; non unum tantum homi- „ nem, ſed omnes Gentes, fecit Teſta- „ mentum ſuum, Evangelium videlicet: in „ cujus confirmationem non agnus ille an- „ tiquus occiditur, ſed ipſe; quia homo „ erat, & mori potuit, mortem ſubiit. „ Et ſicut Deus ad Vetus Teſtamentum „ dandum, vocaverat teſtes, Aaron videli- „ cet & Mariam ſororem ejus & Ur: ita „ Chriſtus qui majora promiſit, plures evo- „ cavit teſtes, Apoſtolos videlicet, & Mar- „ tyres. *Hæc ille.*

§. VII.

Cur Scriptura ſacra dicatur Instrumentum Divinum?

XVII. RAtione non diſſimili divinus hic Liber interdum ab Eccleſiæ Patribus nomine Instrumenti deſignatur: ita præ cæteris, appellant Tertullianus, [a], Hieronymus [b], Caſſianus [c], &c. Nec abſurde quidem; nam ut docet Paulus Juriſconſultus [d] inſtrumentum dicitur ab inſtructione mentis: *Omnis autem Scriptura*, inquit S. Paulus, [e] *divinitus inſpirata, utilis eſt ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in juſtitia: ut perfectus ſit homo Dei, ad omne opus bonum inſtructus.* Inſuper, *Inſtrumentum* apud Latinos, eam Scripturam ſignificat, quæ in pactis conventiſque res certas firmaſque eſſe oportere docet authentice: Conſtat vero ſacras Scripturas, certa nobis reddere Dei promiſſa, & illius cum hominibus Conventa & pacta conſtantiſſima exhibere. *Denique* Inſtrumentum dicitur, id omne quo principalis cauſa efficiens, ad aliquid moliendum utitur; Deus vero ſacris his Literis utitur, ut nos ſuæ divinæ ſcientiæ lumine perfundat, ad ſui amorem, cultum, & obſequium provocet, & ſaluberrimis vitæ agendæ præceptis inſtruat. Similiter Electi & quotquot æternæ fœlicitati comparandæ invigilant, divinis illis Scripturis quaſi Inſtrumento quodam ad omnia opera pietatis & charitatis accommodatiſſimo utuntur.

[a] *Lib. de corona militis cap. 3.*
[b] *in cap. 3. Iſaiæ.*
[c] *Collat. 14. cap. 10.*
[d] *Lib. 2. Sentent.*
[e] *2. ad Timoth. 3.*

§. VIII.

Quo ſenſu Scripturæ ſacræ dicantur Biblia; & Script. Sancta.

XVIII. JAm a tribus aut quatuor ſæculis, apud omnes Chriſtianos uſus invaluit, ut omnes Scripturarum libri ſimul compacti, dicantur Sancta Biblia, nomine quidem nunc Latino, ſed a voce Græca βίβλος deflexo; βιβλίον enim, quod libellum ſignificat, diminutivum eſt a βίβλος, ſive βύβλος. Quod utique primitus (inquit Voſſius [f]) papyrum, plantam Ægyptiam ſignificabat: ſed quia inde chartæ conficiebantur, hinc factum eſt, ut pro libro accipiatur.

Porro univerſus Scripturarum contextus convenientiſſime dicitur, *Liber*; tum quia omnes omnium Scriptorum libros, auctoritatis pondere, & eruditionis plenitudine longe ſuperat; nam, ut præclare ait S. Auguſtinus [g] *Quidquid homo extra didicerit, ſi noxium eſt, ibi damnatur; ſi utile eſt, ibi invenitur: & cum ibi quiſque invenerit omnia, quæ utiliter alibi didicit, multo abundantius inveniet ea ibi, quæ nuſquam omnino alibi, ſed in ipſarum tantummodo Scripturarum mirabili altitudine, & mirabili humilitate diſcuntur.* Unde non minus præclare, quam appoſite ſcribit [h]: *Scriptura teſtis eſt*, inquit, *quæ non fortuitis motibus animorum, ſed plane ſumma diſpoſitione Providentiæ, ſuper omnes omnium Gentium literas, omnia ſibi genera ingeniorum humanorum, divina excellens auctoritate, ſubjecit.* Tum quia aliorum librorum ſcribendorum regula debet eſſe ac norma; utpote cum veritatem omnem ſuo ſinu complectatur, ac ſine ullo falſitatis, aut erroris periculo edoceat. Tum denique quia, ipſa eſt veluti ſcientiarum omnium encyclopedia.

Iſta præclare docet S. Auguſtinus [i]: *Hic eſt* Physica, inquit, *quoniam omnes omnium naturarum cauſæ in Deo Creatore ſunt. Hic* Ethica; *quoniam vita bona & honeſta non aliunde formatur, quam cum ea quæ diligenda ſunt, quemadmodum diligenda ſunt, diliguntur, hoc eſt, Deus & proximus. Hic* Logica; *quoniam veritas, lumenque animæ rationalis non niſi Deus eſt. Hic etiam laudabilis* Reipub. salus: *neque enim conditur & cuſtoditur optima Civitas, niſi fundamento & vinculo fidei, firmæque concordiæ, cum bonum commune diligitur, quod ſummum ac veriſſimum Deus eſt; atque in illo invicem ſinceriſſime ſe diligunt homines, cum propter illum ſe diligant, cui quo animo diligant, occultare non poſſunt.* Et nonnullis interjectis, ita concludit: *Hic ſalubriter & prava corriguntur, & parva nutriuntur, & magna oblectantur ingenia. Ille huic doctrinæ inimicus eſt animus, qui vel errando, eam neſcit eſſe ſaluberrimam; vel odit ægrotando medicinam.* „ Cui præclare concinit Aureo- „ lus noſter; Ipſa, *inquit*, docet *Dialecti- „ ce*, & *diſputative* in libris, Job, & Ec- „ cleſiaſtes: *Phyſice* in Moſis Pentateucho, „ ubi rerum omnium reſerantur exordia: „ *Hymnidice* in libris Pſalmorum, Treno- „ rum, & Canticorum: *Concionatorie* in li- „ bris

[f] *In Etymolog.*
[g] *Lib. 2. de Doctrina Chriſtiana cap. 42.*
[h] *Lib. 11. de Civit. Dei cap. 1.*
[i] *Epiſt. 3. ad Voluſianum.*

„ bris Prophetarum; *Ethice* in libris Pro-
„ verbiorum, Sapientiæ & Ecclesiastici: *Le-*
„ *gislative* etiam in Pentateucho: *Historice*
„ in libris Josue, Judicum, Ruth, Re-
„ gum, Paralipomenon, Esdræ, Macchа-
„ bæorum.

IX. Ultimo tandem divinus ille Liber frequentissime jam dicitur SCRIPTURA SANCTA: *Sancta*, inquam, quia, ait S. Thomas [a]: 1. A Deo inspirata est: 2. Quia sancta continet. 3. Quia sanctificat, juxta illud Joannis XVII. v. 17. *Sanctifica eos in veritate, sermo tuus verus est*. Sæpius tamen simpliciter & absque ullo addito, sacri illi Codices dicuntur *Scripturæ*: sic Ecclesiasticus cap. 44. *Narrantes carmina Scripturarum*: Sic adorandus Salvator noster apud Matth. XXI. v. 42. *Nunquam legistis in Scripturis*, & XXII. v. 29. *Erratis nescientes Scripturas*, & XXIV. v. 54. *Quomodo ergo implebuntur Scripturæ*, & alibi sæpissime. Cujus Nomenclaturæ causa potissimum triplex assignari potest. *Primo*, Quia omnium Scripturarum regula sunt, ac veluti synopsis. Nam ut supra dicebamus ex S. Augustino, in eis inveniuntur omnia, quæ utiliter alibi & multo abundantius ibi, quæ nusquam omnino alibi. *Secundo*, Quia sua dignitate, ac divinitate, Scripturas omnes alias transcendunt. *Denique* quia, ut manifestum fiet ex capite sequenti, omnium Scripturarum quæ jam extant, saltem in Mosis Pentateucho, antiquissimæ sunt & primæ.

[a] *Lectione* I. *in* 1. *cap. ad Rom.*

Ista omnia apposite complectitur, quisquis est Auctor sermonis ad Fratres de Eremo [b] ubi celebrans Scripturarum encomia, cum scripsisset: *Legite sacram Scripturam, in qua quid tenendum, & quid fugiendum sit, plene invenietis*: Post multa subdit: *Hæc est omnium sapientiarum Magistra & Domina... Hæc est scientia scientiarum ... Prophetarum spes, Martyrum corona, Virginum fortitudo, Monachorum refectio, Episcoporum vocatio, Sacerdotum cellarium ... Hæc est per quam fide ornamur, spe confirmamur, & charitate corroboramur: Hæc est quam qui invenerit, inveniet vitam & hauriet salutem a Domino.*

[b] *apud S. August. tom.* 10. *cap.* 36.

CAPUT SECUNDUM.

De Origine & Antiquitate Scripturæ sacræ.

I. *Multiplex est Scriptura divina, maxime vero duplex*, Naturalis & Characteristica: *hæc rursus duplex*, Hieroglyphica, & Alphabetica.

II. *Hieroglyphica maxime fuit in usu apud Ægyptios, eaque triplicis generis: ejus usus omnino incertus & inutilis.*

III. ALPHABETARIÆ SCRIPTURÆ *utilitas summa.*

IV. *Plures referuntur hujus eximiæ Artis Inventores: at ea de re duplex capitalis est Sententia.*

V. *Prima, eaque probabilis, Mosi hoc inventum adscribit; idque suadetur triplici momento: Primo quidem ab auctoritate Exterorum, præsertim Eupolemi, Artapani, Sanchuniathonis, Platonis.*

VI. *Qui Mosem literarum Inventorem, sub nominibus* Taauti, Thoyt, Theuth &c. *agnoverunt: Idem veteribus Gallis suboluit, a quibus culta vana Numina referuntur, inter quæ Moses videtur adumbratus.*

VII. *Declaratur quis fuerit* Hierombalus *Sacerdos* Dei Jevo *a quo Sanchuniathonem Taauti literarum Inventoris Commentaria accepisse Philo-Biblius perhibet.*

VIII. *Recensentur varia Mosis nomina, unde dictus sit* Taautus, Theuth, &c.

IX. *Ab eo Phœnices, a quibus cæteri, literarum inventum acceperunt.*

X. *Proferuntur SS. Patres eandem sententiam propugnantes.*

XI. *Rationes idem suadentes.*

XII. *Proponuntur ac expenduntur rationes adversæ Sententiæ proferentis varia Librorum & Scripturæ Alphabetariæ ante Mosis ætatem indicia.*

XIII. *Ab* Adamo. *A* Setho. *A* Caino.

XIV. *Ab* Henocho, *cujus Prophetia memorata ab Apost. Juda expenditur.*

XV. *A* Noe & Chamo *ejus filio.*

XVI. *Ab* Abrahamo, *maxime, a mutatione ejus nominis, & variis libris, quorum auctor perhibetur.*

XVII. *A* Patriarcha Jacobo *qui Titulum & Monumentum erexit.*

XVIII. *A* Zoroastre, *cujus liber, nomen, & persona incerta.*

XIX. *A* Mercurio Trismegisto, *cui adscripta opera, spuria probantur.*

XX. *A* Sybillarum *oraculis, quæ supposititia declarantur.*

XXI. *A libro sanctissimi* Jobi, *cujus Auctor inquiritur.*

XXII. *Ex* Cantico Mosis *& Israelitarum, post solutam captivitatem Ægyptiacam.*

XXIII. *A* Cariath-Sepher, *quæ dicitur Civitas Literarum.*

XXIV. *Ex columnis Tingitanis & Ægyptiorum studiis.*

EA est venerandæ antiquitatis auctoritas & commendatio, ut rebus etiam natura, & æstimatione aliunde exiguis, maximum interdum pretium faciat. Suadet istud Literatorum ac Eruditorum hominum studium ingens in conquirendis librorum vetustissimis exemplaribus; atque etiam statuis, & numismatibus (tametsi lapideis, æreis, aut plumbeis) e dirutis palatiis, aut monumentis, aliisve ruderi-

deribus eruendis; quæ licet materiæ sint vilis, & artis non satis excultæ, multo tamen, ob antiquitatem suam, auro veneunt; eoque pretiosiora censentur, quo vetustiora. Consulto itaque Tertullianus a Scripturæ sacræ dignitatem ab ejus antiquitate commendat: *Primam*, inquit, *Instrumentis istis auctoritatem summa antiquitas vendicat: Apud vos quoque, religionis est instar, fidem de temporibus asserere. Omnes itaque substantias, omnesque materias, origines, ordines, venas veterani cujusque styli vestri, gentes etiam pleraque, & urbes insignes, historiarum causas & memoriarum, ipsas denique effigies literarum, indices custodesque rerum, & (puto adhuc minus dicimus) ipsos, inquam, Deos vestros, ipsa templa & oracula, & sacra unius interim Prophetæ scrinium sæculis vincit, in quo videtur thesaurus collocatus totius Judaici sacramenti, & inde etiam nostri.* Vides quam aperte Scripturam Sacram ab antiquitate sua venerandam esse pronuntiet, quod videlicet illa Scripturarum omnium vetustissima sit & prima. Quæ ut evidentius evincamus.

a *in Apologet. cap.* 19.

I. In primis observandum est, variam, sed maxime duplicem distingui posse Dei Scripturam, *Naturalem* unam, *Characteristicam* alteram. Prima est ipsa rerum omnium Natura, sive universa Mundi moles, plurimis creaturis, quasi tot divinis apicibus, omnipotentis sui Opificis majestatem, potentiam & sapientiam commendantibus, exarata b; *Invisibilia enim ipsius a creatura Mundi, per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur; sempiterna quoque ejus virtus & Divinitas.* Unde perdocte Durandus c triplicem distinguit Dei librum. *Primum* Creaturarum Mundi, *Secundum* Prophetarum veteris Testamenti, *Tertium* Evangelistarum & novæ Legis Scriptorum. Primum Deus legendum dedit Philosophis, & Patriarchis: Secundum Judæis & Prophetis, Tertium Christianis, quibus *datum est nosse mysterium regni Dei*. d

b *ad Rom.* 1.

c *in Proœmio Theologiæ.*

d *Luc.* 8.

Primum, inquam, Philosophis legendum obtulit: loquitur enim Deus verbis significantibus res: sed loquitur etiam rebus, divinam ejus majestatem attestantibus; quot enim sunt rerum genera, tot sunt voces, seu characteres, Dei præcellentias explicantes, ut facile sit hominibus ratione utentibus, *in magnis cœlorum tabulis, in paginis elementorum, ac voluminibus temporum*; ait S. Prosper, e divinæ institutionis doctrinam pleniſſime haurire & quasi legere. Itaut quoquo modo asserere possimus, elementa, esse veluti litteras; mixta imperfecta, syllabas: perfecta, dictiones; homines demum, orationem absolutam. Vel quod rerum species omnes verba sint, Dei bonitatem, sapientiam, ac potentiam explicantia, in his enim conscribendis, quasi manus, Verbum fuit æternum; calamus, sapientia; tabella, mundus; attramentum, materia prima; characteres, formæ & qualitates specificæ; nexus, ordo rerum; virgula seu comma, rerum distinctio; perfecta vero oratio, ordinata rerum conditarum Encyclopedia.

e *Lib.* 2. *de vocat. gent. cap.* 2.

Nimirum ut scite ait Tertullianus f: *Præmisit Deus Naturam magistram, submissurus & Prophetiam; quo facilius credas Prophetiæ, Discipulus Naturæ.* Atque ea mente etiam a Beato Basilio g: *Mundus nuncupatur ἡ ψυχῶν λογικῶν διδασκαλεῖον καὶ ἡ θεογνωσίας παιδωτήριον, animarum rationalium Schola, ubi in Dei notitia erudiantur.* Quamobrem S. Antonius Anachoretarum parens, Gentili philosopho roganti, quomodo in eremo sine libris ullis agere posset; apposite respondit h: *Meus liber, o Philosophe, est Natura rerum a Deo conditarum: in qua, quotiescunque sic animo meo visum, legere possum quæ Deus dicit.* Egregie docet ista S. Chrysostomus i ubi exponens hæc verba: *Exquisita in omnes voluntates ejus*, scribit: *Quod dicit Propheta, est ejusmodi iis qui attendunt, & sapiunt, perfectissimam, apertissimam & evidentissimam Dei cognitionem, hominum menti afferunt; ad hanc enim ejus voluntatem, & ea ab initio ab ipso, maxime constituta sunt, ut magnitudine, pulchritudine, positura, operatione, ministerio, & aliis omnibus animum spectatoris commoneret, mentemque & intelligentiam excitaret, ad Opificem & præstantissimum Artificem Deum, inquirendum, & adorandum eum, qui illa fecerit; & ut universum corpus totius creaturæ, esset ei pro libris & literis; in quibus discendis, Natura pedagogus est;*

f *Lib. de resurrect. carnis.*

g *Homil.* 1. *in hexaem.*

h *apud Socratem lib.* 4. *hist. Eccles. cap.* 18.

i *in Psal.* 110.

II. Alterum genus Scripturæ, *Characteristicum* appellare licet, quod diversis lineamentis & characteribus, animi conceptus & sensa legentibus, visibiliter exprimat. Rursum hoc scribendi genus duplex capitale distinguitur, *Hieroglyphicum*, scilicet, & *Alphabetarium*. Duplicis enim rationis erant antiquitus literæ; quædam *Hieroglyphicæ*, quod variis figurarum lineamentis, res & animi conceptus adumbrabant: aliæ *Alphabetariæ*, quæ ingeniosiori modo, non tantum res & mentis conceptum, sed etiam voces, & quamlibet oris prolationem indicabant. Priores literæ erant in usu, maxime apud Æthiopes & Ægyptios, de quibus ita scribit Diodorus Siculus, k Æthiopum litteris „ quas Ægyptii *sacras* vocant, ne quid de „ priscis rebus omittatur, dicendum: sunt „ Æthiopum literæ variis animantibus, extremitatibusque hominum, atque instrumentis, sed præcipue artificum persimiles. „ Non enim syllabarum compositione, aut „ literis, verba eorum exprimuntur; sed „ imaginum forma, earumque significatione, usu memoriæ hominum traditæ. Scribunt quidem accipitrem, crocodilum, ferpentem, hominis oculum, manus, faciem „ & cætera ejusmodi, *Accipiter* denotat rem „ cito factam; quoniam hæc aliarum fere „ omnium avis sit velocissima. Transfertur „ hæc notatio ad domesticas res, quæ velociter fiant. *Crocodilus* malum significat. „ *Oculus* justitiæ servator, & totius corporis interpretatur custos. Reliquarum corporis partium, dextera manus digitis passis, libertatem designat: sinistra vero compressis, tenacitatem atque avaritiam. Eodem modo & cæterarum corporis partium „ figu-

k *Parte* 4. *suæ Biblioth.*

„ figura atque instrumenta, certum aliquid „ notabant: Quæ memoria hominum longo „ usu, ac meditatione observata, e vesti- „ gio quid ea exprimerent, internoteſcebant. *Hæc Diodorus*; cui concinit Lucanus [a] in hæc verba:

a *Lib.* 3.

Noudum flumineas Memphis contexere Biblos
Noverat, in sacris tantum volucresque feræque
Sculptaque servabant magicas animalia linguas.

Hoc autem scribendi genus, ut refert Clemens Alexandrinus, [b] apud Ægyptios triplex erat: nempe Epistolare, Sacerdotale & Symbolicum: *Primum quidem*, ait, *docent Ægyptiorum literarum viam ac rationem, quæ vocatur* ἐπιστολογραφικὴ, *hoc est, apta ad scribendas Epistolas: Secundo autem Sacerdotalem, qua utuntur* ἱερογραμματεῖς, *ideſt, qui de rebus sacris scribunt; ultimam autem* ἱερογλυφικὴν, *ideſt, sacram quæ insculpitur Scripturam; cujus una quidem est per prima elementia* κυριολογικὴ, *ideſt, proprie loquens: altera vero Symbolica, ideſt, per signa significans.*

b *Lib.* 5. *Stromatum pag.* 555. editionis Parisinæ anni M. DC. XXXXI.

Rursus *ibidem* notat, Scripturam Symbolicam apud eosdem esse triplicem, nempe Imitativam, Tropicam, & Ænigmaticam. *Imitativa* dicitur, quæ res per characteres rebus ipsis persimiles, designat, ut qui Solem volunt scribere, circulum delineant: & Lunam volentes significare, duorum lunarium cornuum imaginem pingunt. *Tropica* sive translativa est, quæ varias diversarum rerum, præsertim animalium formas, figurasque transfert ad significandum, vel Deorum, vel hominum dignitates, fortunas, mores, virtutes, vitia, affectiones & actiones. Secundum hanc significationem, apud Ægyptios, Accipitris imago, significat Deum; Scarabei figura, solem: Ibicis pictura, lunam; hominis forma, prudentiam & solertiam; Leo, fortitudinem; Equus, libertatem; Crocodilus, impudentiam; Piscis, odium.

Ænigmatica, est quæ ex conjunctione, & mutua permixtione harum imaginum resultat: quo quidem modo Sphinx, ex humano capite, & leonis corpore, composita imago, Ægyptiorum templis, altaribus, aliisque sacris rebus inserebatur, ut significarent nobis divina omnia esse ænigmatica & obscura. Sic in Crocodilo, qui in aqua non minus, quam in terra degit, significabant Solem, ad similitudinem Crocodili, partim ex aqua, partim ex terra Meteoris fomentum assumere; vel eum non minus sub aqua & in Hemisphærio inferiori delitescere tempore nocturno, quam diurno, in Hemisphærio nostro super terram radiare. Sic sceptrum regium, cujus vertici oculus & auris superstant, Deum significat moderantem, videntem, audientem omnia.

Neque vero hæc symbolica Scriptura peculiaris erat Ægyptiis & aliis disciplinarum cultoribus, sed etiam in usu erat apud barbaros. Nam ut postmodum subjicit idem Clemens ex Pherecyde [c]: *Idanthura Scythatum Rex, Dario, qui Istrum trajecerat, bellum minaus, Symbolum misit pro literis, murem, ranam, avem, jaculum, aratrum. Cum autem de his, ut erat consentaneum, exorta esset dubitatio, Orontopagas quidam tribunus militum, dicebat eos tradituros imperium, conjectans ex mure quidem, habitationes: ex rana autem, aquas: ex ave vero, aerem: ex jaculo autem, arma: ex aratro vero, regionem. Xiphodres autem contra est interpretatus. Dicebat enim: Nisi tanquam aves evolaverimus, aut tanquam mures terram, vel tanquam ranæ aquam subierimus, illorum tela non effugiemus: non sumus enim domini regionis.*

c *ibid pag.* 567.

Porro hoc Scripturæ & Literarum genus, si non inutile prorsus, saltem parum proficuum ad hominum institutionem censetur. Siquidem, ut præclare ait Conringius [d], tales literas excogitare res est multæ operæ, prolixi otii, & non vulgaris doctrinæ. Illæ insuper difficiles sunt disciplinæ, obscuræ sensu, asserto dubiæ, explicatui contractæ, nec per illas dici omnia poterant, nec quæ dicebantur explicata satis manebant.

d *Lib.* 1. *de Prisca Hermetis disciplina cap.* 14.

His adde quod in istis Hieroglyphicis, raro aliquid erat similitudinis cum re significata, ut confirmare licet exemplis quibusdam ex ipso Horapolline, qui refert [e], quod ut Ægyptum Hieroglyphicis designarent, acerram conflagrantem pingebant, & superne cor; ut significarent, quod quemadmodum Zelotypi cor in perpetuo æstu & flamma est; sic Ægyptus, quia immodice calet, quæ in ea sunt animat & procreat: quis vero per hoc symbolum potius Ægyptum, quam alias Africæ partes, quæ Ægypto plus calent, designatas augurari possit. „ Sic, „ ut mox laudatus Clemens Alexandrinus „ refert, Ægyptii quatuor Deorum simula- „ cra aurea circumferebant, duos quidem „ canes, unum autem Accipitrem & Ibin „ unam, eaque vocabant quatuor litteras. „ Atque duos quidem canes volebant signi- „ ficare duo hemisphæria, ut quæ circu- „ meant & custodiant. Accipitrem vero So- „ lem, est enim igneus, & qui vim habet „ interimendi; unde pestilentes morbos Soli „ attribuunt. Ibin autem lunam; nam um- „ brosa cum nigro, lucida cum albo plu- „ marum designari censebant. Sunt autem „ qui volunt quidem tropicos significari a „ canibus, qui custodiunt, & instar janito- „ rum, observant accessum Solis ad Austrum „ & Septentrionem: Accipiter vero signi- „ ficat æquinoctialem, qui altus & peru- „ stus est, sicut Ibis obliquum seu signife- „ rum. E longinquo hæc esse posita quis „ non videt? & quis sine viva præceptoris „ voce, talia posset explicare? (4)

e *Lib.* 1. *cap.* 22.

(4) Notissimum est eruditum opus quinquaginta octo libris comprehensum de Hieroglyficorum significationibus ab Joanne Pierio Valeriano, quod in italicam linguam versum, & Venetis Typis postea editum fuit anno 1602. compositum, cui duo libri accesserunt, quibus ea explicantur, quæ per diversas imagines, aut Deorum simulacra penes *Ægyptios*, aliasve nationes significabantur. (*K*)

III. Alphabeticæ autem literæ eæ ſunt, ex quibus ſyllabæ, ex ſyllabis autem dictiones, & inde orationes integræ conficiuntur, quarum quanta ſit utilitas, præclare expendit Rupertus: [a] „ Ecce, *inquit*, quam „ parvulo auxilio, quantum Deus & Verbum ejus ſubvenit generi humano? Viginti duæ tantum, ſicut jam dictum eſt, „ literæ ſunt. Ecce de impenſis tam parvis, „ quam magnum conſtructum eſt ædificium? „ Primo ex ipſis poſitum eſt fundamentum „ Scripturarum, ideſt, Scripturæ illæ quæ „ Canonicæ dicuntur, per Spiritum Sanctum „ conditæ ſunt: & deinde quam multi ex „ omni natione & gente, maximeque Græci & Latini, non pluribus uſi literis, ſuperædificaverunt? Inde factum eſt, ut in „ publicum conventum noſtrum habeamus „ aſcitum, & habere poſſimus Dei Verbum. „ Eatenus homines pauci inſtructi fuerant „ hoc Verbo, quorum notiſſimi ſunt Abraham, Iſaac & Jacob, ad quos fiebat Dei „ Verbum, non hujuſmodi lectione, ſed occulta inſpiratione: & idcirco pauciſſimi „ Verbum percipiebant, quia tali inſtructione non multi digni erant. Literæ datæ „ confeſtim viam fecerunt multitudini, ad „ percipiendum Verbum Dei. Ac per hoc recte dixerim, quia literarum Autorem, „ ſive Inventorem primum, non hominem „ quempiam, ſed ipſum Deum eſſe decuit, „ cujus hoc tertium eſt munus ad cognitionem valens Verbi ſui, quod homini literas dedit. Primum namque donum Dei „ eſt, quod homo, ut pote rationalis, Verbum illud poteſt meditari: Secundum „ quod ſolus, ex cunctis animantibus linguam habens eloquentem, ipſam ſuam „ meditationem valet eloqui. Tertium quod „ cum literas didicerit, manu ſcribere, & „ aliorum manu ſcripta cognoſcere poteſt, &c.

[a] *Lib. 3. de Victoria Verbi Dei, cap. 25.*

Hoc autem poſtremum Dei beneficium, cæterorum præſtantiſſimum, affirmat S. Baſilius [b]; *Magna*, inquit, *ſemper quidem & multa ſunt Domini noſtri dona.... Unum vero quod inter maxima reputari poteſt, hoc eſt, quod longiſſime propter locorum diſtantiam ſeiunctis, per literarum alloquium, mutuo coaleſcere dedit: largitus eſt autem duplicem cognoſcendi modum, unum per præſentem convictum & congreſſum, alterum per conſuetudinem literariam.*

[b] *Epiſt. 55.*

„ Quid profecto admirabilius (*ait Voſſius* [c]) quam parvulis literarum figuris „ contineri, quidquid ſacri, publici, privati, dici aut cogitari poteſt? Quæ præterea urbium, regionum, generiſque humani facies tandem foret, ſublata hac fida cuſtodia omnium geſtorum, omnium „ doctrinarum, omnium fœderum, pacto„ rum, &c. Dum peragunt linguæ, charta, manuſque vices (*inquit Cælius Rhodiginus* [d]) vetuſtatem prorogant, nihil ſinunt interire; & quod omnia conterit „ tempus; noſtris cogunt manibus ſuccumbere; quid æque admirandum, in quod „ ne mortis quidem rapacitas jus ullum habet, *concludam verbis magni Galilæi*, [e] „ Super omnes inventiones ſtupendas, *ait*, „ qua ingenii eminentia fuit is, cui venit „ in mentem excogitare modum, penitiſſimas animi ſui cogitationes, alii cuicunque communicandi, & ſi longiſſimo loci „ & temporis intervallo diſtanti, colloquendi cum his qui verſantur in Indiis, cum „ his qui necdum nati ſunt, nec niſi mille, „ aut decies mille abhinc annis naſcentur? „ Idque quanta facilitate? Nimirum viginti characteres in charta inter ſe varie jungendo; eſto hoc omnium admirandarum „ inventionum humanarum ſigillum.

[c] *in Præfat. artis gramm.*

[d] *Antiq. lect. l. 4.*

[e] *in ſyſtem. Mundi colloq. 1.*

IV. Quis vero fuerit illuſtris ille primus literarum Inventor, variant Auctores. Alii eas tribuunt *Thoth*, aut Mercurio Ægyptio, ut Hyginus, [f] Diodorus, Plato [g] & Cicero [h] Nonnulli cum Suida [i] *Cecropi* Athenarum Principi: Alii *Cadmo* Phenicio, cum Herodoto [k], Plutarcho [l], Iſidoro [m], Quidam ut refert Tacitus [n] *Lino Thebano* Herculis præceptori, aut *Palamedi Argivo*, aut *Symonidi*. Plinius hanc opinionum varietatem agnovit, ſcripſit enim: *Literas, ſemper arbitror Aſſyrias fuiſſe: ſed alii apud Ægyptios, a Mercurio ut Gellius; alii apud Syros repertas volunt. Utique in Græciam intuliſſe e Phenice Cadmum ſedecim numero: quibus Trojano bello Palamedem adjeciſſe quatuor, hac figura* ΘΞΦΧ *totidem poſt eum Simonidem Melicum* ΖΗΨΩ: *quarum omnium vis in nobis recognoſcitur: Ariſtoteles decem & octo priſcas fuiſſe,* ΑΒΓΔΕΖΙΚΛΜΝΟΠΡΣΤΥΦ; *& duas ab Epicharmo additas* ΘΧ *quam a Palamede mavult, Antyclides in Ægypto inveniſſe quendam nomine Menona tradit* 15. *annis ante Phoroneum antiquiſſimum Græciæ Regem, idque monumentis approbare conatur. E diverſo Epigenes apud Babylonios* DCCXX. *annorum obſervationes ſyderum coctilibus laterculis inſcriptas docet, gravis author in primis: qui minimum Beroſus & Eritodemus.* CCCCLXXX. *annorum. Ex quo apparet æternus literarum uſus.*

[f] *Fabul. cap. 277. & lib. 2.*
[g] *in Phædro.*
[h] *Lib. 3. de Nat. Deor.*
[i] *Lib. 5.*
[k] *Simpoſ. lib. 9. q. 2.*
[l] *Lib 1. Orig. cap. 3.*
[m] *Annal. lib. 11.*
[n] *Lib. 7. hiſt. cap. 56.*

Duplex autem capitalis ea de re nunc apud Auctores ventilatur ſententia: prior literarum Alphabeticarum Inventionem Moſi vendicat: poſterior vero earum uſum Moſe longe antiquiorem eſſe contendit. Quæ autem harum Aſſertionum probabilior ſit, ut æquius judicet Lector, utriuſque momenta, in diſtinctis ſectionibus, cum eorum animadverſione, libranda proponemus.

SE-

SECTIO I.

Quinam, & quibus argumentis Mosem, Alphabetariæ Scripturæ primum inventorem, affirment.

SUNT e Recentioribus quidem plurimi, præsertim Possevinus [a], Mariana [b] Euseb. Nierembergius [c], & alii; sed levioribus, ut reor, conjecturis ducuntur. Gravioribus nos id suadere conabimur, maxime tribus. Prima erit ab auctoritate Exterorum illud affirmantium. Secunda ab auctoritate Domesticorum. Tertia a ratione.

[a] *in sua Biblioth.*
[b] *Præfat. in Genes.*
[c] *Lib. 2. de Orig. Script. sacra.*

§. I.

Momentum primum ab auctoritate Exterorum.

V. PROFERRE possem in primis Thalmudistas, Fabulantes Deum a Mose in ardente rubo conspectum, instar Solis radios undique vibrantis, quorum vario circunflexu diversæ figurabantur literæ, quarum usum, Moses divinitus edoctus, ad earum similitudinem characteres finxit, & Alphabetum instituit. At quis nescit ejusmodi generis homines, sub obtentu explorandi literalem Scripturarum sensum, plurimas nobis nænias & vana figmenta venditare? Eis itaque repudiatis.

Primus ex Ethnicis hujusce affirmantis sententiæ patronus, occurrit Eupolemus vetustissimus auctor, qui referente Alexandro Polyhistore, scripsit [d]: *Moysem primum fuisse sapientem, Iudæisque primum literas tradidisse, a quibus eas Phœnices, ut a Phœnicibus Græci acceperint, eumdemque Iudæis Leges Principem condidisse.* Ubi vides Mosem distincte affirmari primum literarum inventorem erga Judæos, a quibus Phœnices, & ab his cæteræ nationes suas deflexerunt.

[d] *apud Euseb. lib. 9. præpar. Evang. cap. 26.*

Accedit Artapanus etiam antiquissimus, qui in suo de Judæis opere sermonem faciens de Moyse, quem *Mosum* appellatum dicit a Chenefre, filia Merrhin Ægypti Regis, a Græcis vero *Musæum*, scribit: *Moyses propter inventas plurimas artes, humano generi valde utiles, non modo popularium amorem sibi conciliavit: verum etiam parem superis honorem a sacerdotibus, qui* Ερμαῖ HERMEM *illum, hoc est,* MERCURIUM, *sive Interpretem ob Sacrarum Literarum* Ερμηνείαν *interpretationem appellarunt.* Censet itaque Mosem eundem esse cum Ægyptio Mercurio, quem ut mox patebit, veteres sapientes literarum inventorem statuunt.

[e] *Ibid.*

Eis præiviisse videtur multo antiquior Sanchuniatho Berytius, de quo Porphyrius apud Eusebium [f] hæc scripsit: *Rerum ad Iudæos pertinentium historiam Sanchuniatho Berytius summa fide conscripsit, quippe quæ cum eorum locis atque nominibus apprime consentiat, cum præcipua rerum illarum capita ab Hierombalo quodam Ievi Dei Sacerdote accepisset. Hoc illius opus Abibalo Regi Berytiorum dedicatum, non modo Rex, sed etiam ii quorum apud ipsum erat de scriptorum veritate cognoscere, omnes comprobarunt. Atque istorum quidem ætas Trojanis temporibus antiquior, proxime ad Mosem accedit, ut ex Phœniciæ Regum serie quivis auferre potest. Hic igitur Sanchuniatho, qui Phœnicia lingua veterem historiam partim ex singularum urbium actis, partim ex templorum monimentis, coagmentatam singulari veritatis studio præscripsit, Semiramide (quam Iliacis temporibus, vel antiquiorem, vel æqualem fuisse memorant) apud Assyrios regnante, vixit.* Verum circa Sanchuniathonis ætatem graviter lapsus est Porphyrius, dum scribit eum vixisse temporibus Semiramidis, eumque proxime ad Mosem accessisse, ut capite sequenti demonstrabimus, ubi Mosis ætatem definiemus.

[f] *Lib. 1. præpar. Evang. cap. 9. & lib. 10 cap. 9.*

VI. Quod autem Sanchuniatho Hermem seu Mercurium Literarum, ac scribendi artis inventorem censuerit, declarat Philo Biblius, qui ejus opera Græco sermone donavit, & novem in libros distribuit. In procœmio autem Libri sic scribit: [g] *Sanchuniatho vir in primis eruditus, cum operam in rerum plurimarum studia posuisset, cumque gentium omnium historiam, jam usque a prima Universi molitione, nosse vehementer exoptaret, præcipuam quandam in pervestigandis Taauti rebus diligentiam adhibuit, quod satis intelligeret, omnium qui lucem hanc aspexerant, eum* LITERAS PRINCIPEM INVENISSE, AC SCRIBENDORUM COMMENTARIORUM AUCTOREM FUISSE: *ab illo autem auspicatum esse, quæ ab Ægyptiis Thoyt, ab Alexandrinis Thoth nominatum, Græci* Ερμῆν, *hoc est, Mercurium reddidere.*

[g] *apud Euseb. lib. 1. præp. Evang. pag. 31.*

In eundem scopum collineat Plato in Philebo [h], ubi Socratem inducit asserentem literas & grammaticam ab homine Ægyptio nomine *Theuth*, inventas. Rem vero planius ac plenius explicantem inducit eundem Socratem in Phœdro [i] his verbis: *Audivi equidem circa Naucratin Ægypti, priscorum quendam indigetum Deorum extitisse, cui dicata sit avis quam Ibin vocant: Dæmoni autem ipsi nomen esse Theuth. Hunc primum & Numerum, & numeri computationem invenisse, & Geometriam & Astronomiam; talorum rursus & alveæ ludos & Literas.* Subjicit postea colloquium ipsius Theuth cum Thamo Ægyptiorum Rege, de literarum utilitate; quam cum Theuth ille maximam esse dixisset, ex eo præsertim quod

[h] *pag. 18.*
[i] *page 274.*

forent

forent *memoriæ & Sapientiæ adjumentum & remedium*. Reposuit Thamus, quinimo *illarum usus, propter recordationis negligentiam, in audientium animis pariet oblivionem: quippe qui externis illis literarum monumentis confisi, non ita elaborabunt res ipsas ex sese a memoria repetere. Non igitur memoriæ adjumentum, sed somnolentiæ remedium inveniisti: & Sapientiæ quoque opinionem, non veritatem discipulis paras: Nam quum multa sine Præceptoris doctrina audiverit, mutarum rerum periti habebuntur, quum tamen ut plurimum illarum sint ignari. Ac proinde in ipsis congressibus morosiores erunt, quippe qui non solide, sed opinione tenus sint eruditi*. His compertum fit Platonem cum aliis concordare, nempe literarum Inventorem, hominem esse Ægyptium quem alii Taautum, alii Thoyt seu Mercurium, ipse vero Theut appellat.

Neque id penitus ignotum fuit veteribus nostris Gallis, qui Mercurium sub nomine *Theutatis* a voce *Taauth*, vel *Theuth* deflexo, colebant. Nam ut observat Samuel Bochartus [a], Dii Gallorum, eo tempore, erant *Taramis*, *Hesus*, *Teutates*, *Belenus*, *Onuana*, & *Hogmius*. Sub personato nomine *Taramis*, colebant Jovem tonantem; *Taram* enim vel *Taran* Cambrica lingua, hodieque, est tonitru; derivatumque videtur ex Phœnicia voce *Tarem* servili T. præfixo. Sub nomine Hesus, venerabantur Martem; *Hesus* enim proprie *fortem* sonat: unde *Dominus fortis*. Hebraice est *Iehova Hizzuz*. Inde Marti factum est etiam nomen apud Phœnices, ut ex Jamblico refert Julianus Imperator & Apostata [b]: *Qui Edessam habitant*, inquit, *locum ab omni ævo Soli sacrum, Monimum, & Hezizum una cum Sole collocant, quod sic Iamblicus interpretatur, ut Monimus quidem sit Mercurius, Hezizus autem Mars*. Belenum esse Apollinem docent Aquileienses inscriptiones *Apollini Beleno* apud Gruterum. Quibus accedit Herodianus [c], nisi quod βίλον habet pro Beleno: *Ipsum autem*, inquit, *Belin vocant, & eximie colunt, Apollinem esse volentes*. Onuanam, quidam suspicantur esse Minervam, quæ apud Phœnices *Vnca*, vel *Vnga*. Ex *Vnga* vero, factum est *Onua*, & *Onuana*; G & V. permutatis, quod familiare erat Gallis; sic *Guilelmum* pro *Vuilelmo*. Nomine *Ogmion* colebant Herculem, qui vel ex Africa aut Gadibus ad Gallos se contulerat, post multos labores mari & terra exantlatos.

Tandem, quod in nostrum scopum propius collimat. *Theutatis* voce, significabant Mercurium, ut docet Livius; *Scipio*, inquit, *in tumulum obversus, quem Mercurium Theutatem appellant*; Eumque potiori cultu venerabantur, ut notavit Cæsar his verbis [d]: *Deum maxime Mercurium colunt..... Post hunc Apollinem, & Martem, & Iovem, & Minervam:* majorem autem cultum impendebant Mercurio, quod eum literarum inventorem audierant. Veteres enim Galli, in arte militari & eloquentia omnem pene suam ponebant operam, ut præ cæteris observavit Porcius Cato [e]: *Pleraque Gallia*, inquit, *duas res industriosissime persecuta, rem militarem, & argute loqui*. Neque istud S. Hieronymum latuit, scribit enim *Gallia... viris fortissimis & eloquentissimis semper abundavit*.

Ex his omnibus manifestum fit literarum inventum, ab Ethnicis Mercurio seu Taauto fuisse attributum. Porro *Taauti* nomine, adumbratum fuisse Mosem, his conjecturis ducor ad suspicandum; quod ea, que de Taauto Scriptores Ethnici pronuntiant, concordare videantur cum iis, quæ de Mose non solum sacer Textus, sed etiam Scriptores exteri referunt. Siquidem de mundi generatione scripsit Taautus: etiam rerum omnium conditarum & mundi originem, Moses literis exaravit. Universam priorum hominum historiam recensuit Moses, eandem interpolatis nominibus a Taauto acceptam, literis consignavit. Sanchuniatho, cujus reliquiæ apud Eusebium, ita Mosis doctrinam spirant passim & repræsentant, ut Taauti commentaria, ex quibus hæc se exscripsisse testatur, non alia videantur quam Mosis libri. Quam utique conjecturam confirmat Hierombalus ille, a quo Sanchuniathonem accepisse Taauti commentaria ad operis sui lucubrationem, scribunt Philo-Biblius, & Porphyrius. Enimvero tametsi circa Hierombalum varient Auctores, nihilominus eum e Mosis Successoribus & Sectatoribus aliquem fuisse, verosimilius apparebit ex sequenti excursu.

[a] *Part. 2. Geogr. Sacr.*

[b] *Orat. in Solem. ubi de Gallis.*

[c] *Lib. 8.*

[d] *Lib. 26.*

[e] *apud Charisium lib. 2.*

EXCURSUS.

De HIEROMBALO: *Sacerdote Dei* JEVO *& de S. nomine* JEHOVA.

VII. Sunt equidem e Recentioribus viri eruditissimi, qui asserunt, Hierombalum illum non alium esse quam Mosem; qui cum esset supremus dux, ac moderator Israelitici populi, & ex Tribu Levitica oriundus, statueritque ea omnia quæ maxime ad Dei cultum spectant; censeri poterat & appellari *Sacerdos Dei Ievo* seu *Iehova*; nam, inquit, Psalmista, *Moyses & Aaron in Sacerdotibus ejus*. Verum huic sententiæ obstare videtur, quod Sanchuniathon & Hierombalus fuerint æquales ac coætanei, quippe cum ille ab hoc Taauti commentaria acceperit: Moses vero Sanchuniathonis ætate longe superior fuerit. Siquidem florebat Sanchuniathon circa Trojana tempora, ut ex Porphyrio colligere licet; scribit enim Sanchuniatonem historiam suam inscripsisse, ac nuncupasse Abibalo Berythiorum, seu Phœnicum Regi: Is autem Abibalus filius fuit Hirami Phœnicum Regis qui vivebat temporibus Salomonis, in quibus contigit Trojana expeditio, ut observat Clemens Alex. [f] *Iramus*, inquit, *dat filiam suam Salomoni, quo tempore post Trojam captam, venit Menelaus in Phœnicem, ut dicit Menander Pergamenus, & Lætus in Phœniciis... A Mose autem* (ait ibid. [g] Clemens) *qui florebat sub Inacho, ad tempus rerum Trojanarum,*

[f] *Lib. 1. Strom. pag. 325.*

[g] *Pag 310.*

rum, generationes viginti, vel plures numerantur, ſuntque anni quadringenti & ultra. Quæ ſi vera ſint, alius certe a Moſe fuit Hierombalus.

Sunt etiam qui exiſtimant Hierombalum illum, non alterum fuiſſe, quam Gedeonem, a *Iudic. 6. v. 1.* *Ierobaal* appellatum, a quod lucum & aram Baalis evertiſſet. Quanquam enim, inquiunt, ille non eſſet oriundus ex ſtirpe, Aaronica & Sacerdotali, ſed Manaſſe, quæ nullam in Iſraelitico ſacerdotio partem obtinebat; nihilominus tamen cenſeri potuit Sacerdos *Dei Ievo*, ab homine Ethnico, & rerum Judaicarum non admodum perito: maxime cum ipſe Gedeon, ex hoſtium ſpoliis conſtituerit Ephod in urbe ſua, quo ſtatim ab ipſius morte Iſraelitæ abutentes, ad Idolatriam converſi ſunt, coluerunt que Baal, ut legimus VIII. Judic. v. 33. *Poſtquam autem mortuus eſt Gedeon, averſi ſunt filii Iſrael, & fornicati ſunt cum Baalim; percuſſeruntque cum Baal fœdus, ut eſſet eis in Deum.* Adde quod vox Hebræa כהנים *Cohanim*, non ſolum Sacerdotes, ſed etiam Magnates ac Principes ſignificat; unde II. Reg. VIII. 18. *Filii autem David Sacerdotes erant*, ideſt Magnates & Principes, ſeu *primi ad manum Regis* ut dicitur I. Paralip. XVIII. 17.

Probabilius tamen exiſtimarem ego, Hierombalum illum, quem offendit Sanchuniatho, aliquem fuiſſe Sacerdotem Iſraeliticum e familia Aaronica, qui nomine compoſito partim a vocabulo Græco ἱερεὺς *Sacerdos*, partim ex Hebræo בעל *Baal*, ideſt Dominus, dictus ſit a Sanchuniathone *Hierombalus*, id eſt *Sacerdos Domini*, addita ultima ſyllaba, eo quod Græci nullam habeant terminationem in L, neque in M. Nec eſt quod quis objiciat nomen *Baal*, nuſquam vero Deo, ſed ſolis ementitis Numinibus attributum legi: tametſi enim hæc de Judæis vere dicta ſint: ſecus tamen de Sanchuniathone homine Ethnico, qui, ut refert Philo-Biblius, b Deum lingua Phœnicia appellavit *Beelſamen*, Hebraice שמים בעל *Baal Schamaim*, i. e. *Dominum cœli*. (5)

b apud Euſeb. lib. de prep. Evang. pag. 34.

Itaque Sanchuniatho potuit aliquem Sacerdotem Aaronicum, a quo conſcriptam a Moſe Mundi Geneſin accepit, nominare *Hierombalum Sacerdotem Dei Ievo*, ſeu Dei יהוה *Iehova*, vel *Iabo* ut interpretatur S. Hieronymus in Pſal. VIII. *Prius*, inquit, *nomen Domini apud Hebræos quatuor literarum eſt* י *Iod*, ה *He* ו *Vau*, ה *He*, *quod proprie vocabulum Dei ſonat, & legi poteſt Iabo.* Nec mirum quod ſacratiſſimum iſtud nomen Sanchuniatho deflexerit in *Ievo*: varia ſiquidem fuit apud Ethnicos hujus divini Nominis prolatio: alij namque *Iehuvo*, ut Syri: alij *Iaoth* apud Irenæum: c aliqui Jabe vel *Ioba* apud Epiphanium: d quidam *Iabu* vel Javu apud Clementem Alexandrinum: e cæteri idem ait Porphyrius. f Communior vero a Græcis hujus ſacri Nominis acceptio fuit *Iao*: cujus duo apertiſſima occurrunt exempla: quorum primum deſumptum eſt ex oraculo Apollinis Clarij, quod extat apud Macrobium, g is enim conſultus, quis Deorum habendus eſſet qui vocatur Jao, hæc inter alia effatus dicitur.

c lib. 2. cap. ult.
d Hæreſ. 26.
e lib. 5. ſtromat.
f lib. 4.

g Saturnal. lib. 1. cap. 18.

Φράζεο τὸν πάντων ὕπατον Θεὸν ὄμμιν ἐόντα.
Maximus ille Deum tibi ſit cui nomen Iao.

Quibus verbis Dæmon larvatus, *Iao* ſupremum Deum prædicans, teſtimonium quadamtenus reddidit veritati; ita tamen ut callidiſſimus ille ſerpens, Polytheiſmum confirmaret: ſubjecit enim, *Iao eſſe Hyemem Plutonem, vere ineunte Iovem, Æſtate Solem, Autumno ſeipſum*, forte Bacchum intelligens, ob vindemiæ proventum, ut his obſcuris ambagibus conſulentes ludificaretur. Alterum in hujus rei confirmationem, exemplum reperitur in hiſtoria Diodori Siculi, h qui verba faciens de Legumlatoribus antiquis, qui ſimularunt ſe Deorum munere, acceptas Leges, popularibus ſuis conſtituiſſe, hæc confeſtim ſubjicit ταῦτα δ' εἶπε Μωσῆς τὸν Ἰουδαίων νομοθέτην ὁ τὸν ἐπονομαζόμενον Θεὸν ἐπικαλεσάμενος Ἴαω τοῖς ἰδίοις νόμοις i. e. *Apud Iudæos Moſen finxiſſe Deum illum, qui Iao cognominatur, Leges ipſi tradidiſſe.*

h lib. 1. part. 2. cap. 59.

Nec mirum videri debet, quod ſacrum iſtud Nomen, ita diverſimode a variis efferatur. *Cum enim Deum denominet ab eſſentia ſua*, inquit, Aben-Ezra, *ineffabile eſt, ſicut & ineffabilis eſt ipſa Dei natura.* Hæc nam-

(5) Duo Eccleſiaſticæ antiquitatis præclariſſimi veſtigatores Daniel Huetius in ſua demonſtratione Evangelica *Propoſit.* 4. *Capit.* 2. & Natalis Alexander *in Hiſt. vet. Teſt.* de quarta mundi ætate *Cap.* 7. *art.* 5. ex variis ſcripturæ locis, in quibus Gedeon *Jeroboal* cognominatur, inferunt Hierombalum Dei Jevo Sacerdotem, a quo libros Taauti Sanchuniatho recepiſſe traditur a Porphyrio, non alium fuiſſe quam Gedeonem Judici Populi vindicem, & Judicem, quorum opinioni præbere videtur aſſenſum magnus Uſſerius ad annum Mundi 2789. Cum tamen ex eodem Porphyrio Sanchuniathonis Hyſtoriam Abibalo Regi dicatam a ſuo Auctore fuiſſe, exploratum videatur; cumque Abibalus iſte, Pater Hyrami Tyriorum Regis cum Davide, & Salomone familiariſſime uſi habeatur a Petavio *Lib.* 9. *de temporum Doctr. Cap.* 68., eo quod ignoti prorſus, ut Vallemontius in ſuis *Elementis Hiſtoriæ Part.* 5. *Cap.* 14. adfirmat, ſint nobis quotquot ante Abibalum iſtum Reges Phœnicum extiterunt, non videtur ad Gedeonis tempora portrahi Sanchuniathonis vita poſſe, ſi cum Abibalo vivebat, quandoquidem juxta Uſſerium Gedeon a captivitate Madianitica ſuum liberavit Populum anno Mundi 2759. Hiram autem Abibali Filius regnabat anno Mundi 2958., cum nuncios miſerit, & ligna cedrina ad Davidem Regem, ut patet ex *lib.* 2. *Regum Cap.* 5. Hoc autem nonniſi circa initium Regni Hirami contingere potuit cum ipſum ad annum uſque 3014. nempe ad annum 24. Regni Salomonis imperaſſe legamus, *lib.* 3. *Regum Cap.* 9. Abibalus itaque Hirami Pater paucis annis ante unctionem David in Regem ſuper univerſum Iſraelem deceſſit; hinc ſi Abibalus iſte idem exiſtimetur cum Abibalo, cui Sanchuniatho ſuum opus dedicavit, atque Sanchuniatho cum Gedeone vixit, jam Abibalus Regnum, ad annos circiter 190. protraxiſſet, quod incredibile prorſus cum videatur; vel Hierombalus diu poſt Gedeonem vixiſſe dicendus vel alter Abibalus, Patre Hirami longe vetuſtior, qui Phœnicum dominatus fuerit, contra Vallemontii adſertum admittendus erit; Sanchuniathonem itaque tempore Samuelis potius vixiſſe probabilius exiſtimamus. (W)

namque vox *divinum Ens*, ſecundum triplicem, hoc eſt, univerſam notationem temporis exprimit; ſiquidem in nomine יהוה *Camets* productum ſub litera ה præteriti temporis index eſt; *Cholem*, præſentis; *Iod* denique futuri, & totum thema יהוה ipſum eſſe ſimpliciter ſignificat. Quo ſenſu hoc ineffabile Nomen, cum uno verbo non poſſet efferre S. Joannes, [a] periphraſim adhibuit in hunc modum ὁ ἦν καὶ ὁ ὢν καὶ ὁ ἐρχόμενος. *qui eſt, qui erat, & qui venturus eſt.* Hinc eſt, ait Buxtorfius, [b] quod vox, *Iehova*, in majori reverentia apud priſcos Hebræos habita ſit, quam cætera Dei nomina, quæ partim ab effectis, partim ab attributis petita ſunt. Quamobrem pio quodam zelo ab ejus pronuntiatione abſtinuerunt, ne quotidiano uſu vileſceret. Inde factum eſt, ut ſub pœna mortis, ejus pronuntiatio vetita fuerit plebi, ſolumque permiſſa ſummo Sacerdoti: idque in templo Hieroſolymitano, non alibi; & ſemel duntaxat in anno, videlicet die feſto [c] Propitiationis, quando ſolemniter benedicendus erat populus.

Iſta declarat Maimonides: [d] *Non eſt dubium*, inquit, *quod hoc Nomen glorioſum, (quod non profertur, neque pronuntiatur; neque dicebatur, niſi in Sanctuario a Sacerdotibus Domini ſanctificatis, & ſolum in benedictione Sacerdotum; & tunc etiam a Sacerdote magno, & in die jejunii glorioſæ Sanctificationis,) eſt Nomen illud, in quo non eſt participatio inter Creatorem & aliquid aliud.... Breviter autem dico, quod celſitudo & excellentia hujus Nominis, tanta reputatur & cavetur, ne loquatur aliquis per ipſum cautela magna & terribili, quia ſignificat Creatoris eſſentiam atque ſubſtantiam, ita quod nulla creatura communicat cum eo, quemadmodum aſſerunt Magiſtri nunc, in perſona Dei dicentes: Nomen meum eſt unicum, vel appropriatum mihi.* Neque diſſentit Joſephus, [e] qui licet Sacerdos eſſet, tamen referens preces Moſis ad Deum exorantis, ut Nomen ſuum indicaret ei, ſcribit: *Tum Deus aperit ei ſuum nomen, Nunquam antea hominum ulli auditum, aut cognitum; quod mihi eloqui nec jus, nec fas eſſe arbitror.* Quibus adde ſi lubet, dictum Hebræorum a Galatino noſtro [f] relatum, ex libro Sanhedrin in capite *Helech. Quod qui pronuntiat nomen Tetragrammaton, non habet partem in futuro ſæculo.*

Refert etiam Galatinus [g] ex Maimonide, hoc ſacratiſſimum nomen pronuntiari deſiiſſe ex quo mortuus fuit Simeon Juſtus, qui Chriſtum infantulum ſuſcepit in ulnas. Verum Maimonides loquitur de Simeone Juſto qui vixit ætate Alexandri. Simeon autem ille, non fuit is qui Chriſtum in ulnis geſtavit: non enim certe tanta ætas cadit in hominem illius temporis. Galatino etiam adverſatur Rabbi Dom Abrabaniel qui Ariſtotelem & hunc Simeonem coætaneos facit. Conjicio ego deſiiſſe hujuſce Nominis ſacri pronuntiationem ab eo tempore quo templum dirutum eſt. Nam cum in ſolo templo pronunciare iſtud liceret, idque ſi Philoni [h] credimus, ſolis audientibus Sacerdotibus; progreſſu temporis ejus pronuntiatio intercidit. Cum etiam Sacerdotes non amplius benedicerent per iſtud nomen, ſed per nomen duodecim Literarum, ut docet Maimonides: [i] inde factum eſt, ut iſtud prorſus fuerit ineffabile; nec jam certo definiri poſſit, qua ratione efferri debeant quatuor literæ conſonantes quibus conſtat. Ea enim in re variarunt Veteres, variant & Recentiores; Græci namque (ut paulo antea diximus) alij *Iaω*, alii, *Iabu*, alij *Iavo*, alij *Iaba*, alij *Iabe*, plerique *Ievo*, ut videre eſt apud Druſium, [k] qui demonſtrare nititur, perperam legi *Iehova*, quemadmodum legendum eſſe primus docuit Galatinus noſter.

Ut ut ſit, certum eſt nulli Judæorum, divinum iſtud nomen, jam proferre licitum eſſe: Hinc quoties in Scriptura legendum occurrit, abſtinet ab ejus pronuntiatione, leguntque pro eo, אדני *Adonai*, cujus puncta vocalia nomini יהוה *Iehova*, adjecta fuere; niſi pro *Cateph patach* poſitum ſit *Schevа* ſimplex ſub י *Iod*. Unde ubi Vulgata habet [l] *Nomen meum Adonai* (Hebraica fert *Iehova*) *non indicavi eis*. Dum vero *Adonai* præcedit, ne eadem vox bis continuo legatur, ſubjiciunt אלהים *Elohim*.

VIII. Vides itaque (ut tandem redeat, unde paululum noſtra deflexit oratio) vocem *Ievo* a Porphyrio memoratam, deſumptam eſſe a voce *Iehova*, ac ſubinde *Sacerdotem Dei Ievo* non alium videri, quam aliquem ex Iſraeliticis Sacerdotibus Deum Jehova colentibus, qui Sanchuniathoni Taauti, hoc eſt, Moſis de Mundi Geneſi Commentaria tradiderit; ac ſubinde Taautum illum, quem literarum Inventorem Ethnici agnoſcunt, non alium fuiſſe quam Moſen perſonatum. Cur vero Taautus dictus ſit, colligere licet ex R. Eliezero [m] dicente, Moſem a parentibus eo die quo circumciſus eſt, nominatum fuiſſe *Iekothiel*; & præterea propter elegantiam dictum eſſe תות *Thoth*, a quo haudquaquam deflexa ſunt nomina Taaut, Thoyt, Theuth, &c. Niſi forte dixeris cum Scaligero, eas voces derivatas eſſe ex טוב *Tobu*, quæ dictio cum inter primas Geneſeos occurrat, veriſimile eſt Phœnices primum, deinde Græcos Auctori, ex deſcriptione ſua, nomen finxiſſe.

Hanc noſtram conjecturam confirmat ipſum etiam Mercurij nomen, quod utique non alium quam Moſen adumbrat: ad ipſius enim hiſtoriam, Veteres plurima de Mercurio commenti ſunt. Mercurium namque Nilo patre natum affirmat Cicero; [n] Moſes etiam a Beroſo [o] dicitur ἰδροβώβης, pro ἰδροβώβης *aquigena*, hoc eſt, ex aquis tanquam natalibus extractus. Unde Joſephus, Moſis nomen compoſitum cenſet ex מו *aqua*, & ושה *natus*. Ob venuſtatem commendatur a Vulcano Mercurius, eamque omnibus placere ait [p]; pulchellus etiam fuit Moſes ut legimus in Exodo; [q] cujus rei fama ad Ethnicos manaverat; ſic enim de eo Juſtinus ſcribit, [r] *Quem præter paternæ ſcientiæ hæreditatem, etiam formæ pulchritudo com-*

a *Apoc.* 1. 4.

b *in lexico ad nomen Iehova.*

c *Num.* 6 *v.* 24. 25.

d *in More Nevochim. part.* 1. *cap.* 60.

e *lib.* 2. *Antiq. cap.* 5. *pag.* 61.

f *lib.* 2. *cap.* 10.

g *lib.* 2. *cap.* 9.

h *Lib. de Vita Moſis.*

i *lib.* 1. *More Nevoch. cap.* 61.

k *de nomine Tetragram. cap.* 11.

l *Exod.* 6. 3.

m *in Pirke.*

n *lib.* 3. *de Nat. Deor.*

o *in fragmentis.*

p *in Lucani Dialogo.*

q *cap.* 22.

r *lib.* 36. *cap.* 2.

com-

commendabat. Præterea Junonis lac Mercurius ſuxiſſe fingitur: Moſes autem cura Regiæ Puellæ educatus eſt. Paſtorum Deus dictus eſt Mercurius, ut ex Homeri Iliade probat Pauſanias: forte quia paſtoralem vitam egit Moſes, & ſoceri ſui Jethro oves duxit, atque præfuit Iſraelitis, qui ſe paſtores ovium a prima origine fuiſſe profitebantur, & pecudibus excolendis in Ægypto præcipue vacabant; unde *Hycſos* Ægyptio vocabulo, hoc eſt, *Reges paſtores* dictos fuiſſe tradit Manetho apud Joſephum. [a] Quis vero fuerit Manetho, aperit ibidem Joſephus, ſcribens, *Manetho Vir Ægyptius erat, Græca diſciplina eruditus: Scripſit enim Græce Hiſtoriam Patriam ex ſacris (ut ait ipſe) Libris interpretatus: Herodotum frequenter arguit rerum Ægyptiacarum ignoratione mentitum. Illius ætatem & Patriam noſcimus ex Operis Dedicatione* MAGNO REGI, PTOLEMEO PHILADELPHO, MANETHO SACERDOS, ET NOTARIUS SACRORUM PENETRALIUM PER ÆGYPTUM, *Genere*, SEHEMITA HELIOPOLITANUS, DOMINO MEO PTOLEMEO, SALUTEM. Tandem ut compendio dicam, Mercurius propter egregias artes divinitate prædonatus eſt: etiam ob eam rem Moſes ab Ægyptiis divinis honoribus eſt celebratus, ut refert Artapanus ſupra memoratus, necnon & Joſephus, ac Juſtinus Martyr [b] dicens *aliquos ex Ægyptiis, Dei nomine Moſen honoraſſe*, gnaros fortaſſe hæc ipſi dixiſſe Deum, *Ecce dedi te in Deum Pharaonis*. Plures alias, eaſque exquiſitioris eruditionis, & politioris literaturæ, ejuſmodi analogias Mercurij cum Moſe habet nuperus Demonſtrator Evangelicus: vix tamen ferendus dum ſanctiſſimum illum Prophetam, Mercurio furum Duci ac Numini, ideo aſſimilat, quod celebris ille Iſraelitarum Moderator eis Auctor fuerit, ut mutuo accepta ab Ægyptiis vaſa aurea & argentea ſurriperent & aſportarent: perinde ac ſi Deus, rerum omnium ſupremus Diſpenſator ac Dominus, ejuſmodi Ægyptiorum bona Iſraelitis, in laborum præmium, ac juſtam mercedem non conceſſiſſet. At multo minus audiendus, cum eundem virum ſanctiſſimum in Priapo ab Ethnicis adumbratum fabulatur [c] quod Deuter. VII. v. 14. ſcripſerit. *Non erit apud te ſterilis utriuſque ſexus.* (6)

[a] *lib. 1. contra Apion. p. 1040.*

[b] *in Paræneſi.*

[c] *pag. 89.*

Ex his omnibus colligere licet, quod qui e vetuſtiſſimis Scriptoribus literarum inventum Taauto, aut Mercurio tribuerunt, etiam Moſi conceſſerint; quippe qui vere fuerit ille Taautus & Mercurius.

IX. Id ipſum confirmant quotquot Phœnices, aut Aſſyrios, vel Syros literarum inventores faciunt, ut Plinius [d]; *ipſa Gens Phœnicum*, ait, *in gloria magna Literarum inventionis, & Syderum, Navaliumque ac Bellicarum artium*: unde Lucanus [e].

Phœnices primi, famæ ſi credimus, auſi
Manſuram rudibus vocem ſignare figuris.

[d] *lib. 7. cap. 50.*

[e] *lib. 3.*

Porro *Phœnicum* nomine, Hebræam gentem denotari, aperte declarat Euſebius [f]: *Nec deſunt* ait, *qui a Syris excogitatas literas fuiſſe velint: Syri autem illi Hebræi etiam utique fuerint, qui finitimam Phœniciæ regionem, quæque Phœnicia quondam ipſa quoque, tum Iudæa, hodie vero a noſtris Palæſtina dicitur, incolebant. Temporibus autem noſtris Palæſtinam Syriæ appellant.* Subdit autem argumento illud maxime eſſe, ab Hebræis repertas fuiſſe literas, ipſarum literarum apud Græcos appellatio: ſingula enim, ut infra demonſtrabimus, apud Hebræos elementa, appellatione ſua ſignificationem habent, quod apud Græcos nullomodo fieri poteſt. Unde non eſſe ab his inventa, ſed ab illis accepta declaratur.

[f] *lib. 10. præp. Evang. cap. 5. pag. 473.*

Quod etiam per *Litteras Aſſyrias*, quæ omnium primæ celebrantur a Plinio, intelligendæ ſint Hebraicæ, teſtis eſt etiam Themiſtius, qui *Aſſyriarum literarum* nomine, non alias quam Hebraicas, imo ſacras intelligit; ut colligere licet ex ejus *Oratione V.* ubi celebrans Imperatoris Clementiam, quod Jovis inſtar, nullum habeat malorum ac mortis dolium juxta ſe poſitum; ſed vitæ duntaxat plenum ſemper atque exuperans, quam ex eo meram & ſinceram haurit, & in homines effundit. Id confirmat hoc Salomonis oraculo; [g] *Cor Regis in manu Domini, quocunque voluerit inclinabit illud*: ſcribens; *Præclare ſiquidem huic Aſſyriorum ſententiæ fidem adhibet, quæ cor Regis merito dicit in Dei manu cuſtodiri: quod quidem in condemnationis literas minime propendere poteſt. Neceſſe enim eſt, ut qui haſce literas facile ſcribit, ex ea manu decidat, quæ vitam omnibus perpetuam largitur.* Idem repetit oratione IX. *Quam eleganter*, inquit, *hoc ipſum Aſſyriorum literis proditum animadverti, Regis ſcilicet animum, in manu Dei cuſtodiri; unde ei quantum immineat periculi providendum, ne ſi ad agendum aliquid quod a Deo ſit alienum, feratur, cuſtodiente ſe ſe manu Dei tandem excidat.* Ubi per *literas Aſſyriorum*, ſacram Hebræorum ſcripturam intelligit, Hebræos appellans Aſſyrios, quod Hebræorum Majores inter Aſſyrios vixerint primo, & poſtea inter Chananæos. Porro ſi cuipiam Hebræorum tribuendum ſit iſtud præclarum literarum inventum, non alteri ſane quam Moſi: quippe qui ſummus fuerit Hebræorum Legislator, eoſque diſciplinis, & divina doctrina excoluerit, ipſemet divinitus edoctus, nam [h] *ei loquebatur Dominus facie ad faciem ſicut loqui ſolet homo ad amicum ſuum*. Hæc ſunt arbitror præcipua teſtimonia ab Exteris petita, quibus Moſi literarum inventum adſcribitur.

[g] *Proverb. 21.*

[h] *Exod. 33.*

(6) Vir longe clariſſimus Huetius *Cap. 4. Propoſitionis quartæ ſuæ Demonſtrationis num. 2.* id unum adfirmat, nempe occaſione facinorum perilluſtrium, quæ de Moyſe leguntur, Ethnicorum fabulatores ſuorum Numinum tot ementitos eſſe auſa, difficileſque operationes; proindeque Dii omnes Gentium, vel in Moyſe adumbrati, vel Moyſes ipſe ſub diverſis nominibus contineri a prædocto Huetio dicuntur, quin tamen ullum Moyſi ingerere dedecus intentent. (*W*)

§. II.

Argumenta petita ab auctoritate Domesticorum.

X. DOMESTICOS appello SS. Ecclesiæ Patres, qui in eadem, qua nos, Christi familia vixerunt: plurimi vero ex eis Mosen literarum primum inventorem diserte pronuntiant. Ut autem multos taceam; occurrit in primis S. Augustinus [a] docens Hebræos omnino fuisse literarum rudes, antequam Moses eis constituisset Præceptores qui literas docerent, *Moses*, inquit, *in populo Dei constituit, qui docendis literis præessent priusquam divinæ legis ullas literas nossent: hos appellat scriptura*, GRAMMATON ISAGOGOS, *qui latine dici possunt literarum Inductores, vel Introductores, eo quod inducant quodammodo in corda discentium, vel in eas potius ipsos, quos docent*. Ita S. Augustinus. „ Quem locum exponens Ludovicus Vives, „ scribit loco *grammaton Isagogos* legendum „ esse γραμματοισαγωγοῖς *Grammatoisagoges*. Sic, „ inquit, vocatur apud LXXII. quos Hie„ ronymus vertit *Doctores*, Deuteron. 29. „ & 31. Numeri vero γραμματεῖς nominantur, „ quod vertit *Magistros* (7) Sunt etiam γραμ„ ματεῖς *Scribæ*, de quibus multa mentio in „ Evangelio. Hi erant qui sacrorum libro„ rum literam tantum docebant: nec ab ea „ recedebant, vel culmum latum: qui vero „ majus quiddam profitebantur, *Pharisæi* „ nominati sunt, a *Phares*, quod est divi„ sio, quia se velut meliores a multis divi„ dentes, separantesque; & utrique tam „ Scribæ quam Pharisæi in cathedra Mosis „ sedebant populo legem enarrantes: Scri„ bæ inducebant ad cognitionen literæ sen„ susque historici, ac velut introductionem „ rerum altiorum ac secretarum, quas Pha„ risæi explicabant. *Hæc ille*.

[a] *lib.* 18. *de civit. Dei cap.* 39.

Propius in scopum collineat Rupertus [b] qui cum scripsisset, *Tanto ac tali studio Deus illis* (Israelitis) *eloquia sua credidit, ut eloquiorum quoque signa, scilicet literas traderet Moysi*. Statim subdit: *Quis denique alius, nisi ipse Deus signorum hujusmodi, scilicet literarum auctor & inventor existimabitur?* Respondet [c] Ipse, *Deus literas, idest, ipsas elementorum figuras primus per semetipsum conscripsit, & ei qui primus ex omnibus hominibus scribere meruit, scilicet Moysi scriptas tradidit*, Post paucula addit: *Equidem Græcis Cadmus, quo tempore dux Othoniel filius Israel præerat. Et Latinas literas tradidit Carmentis, quo tempore populum Israel judicabat Iair. Sed hoc fieri potuit humana industria per imitationem scripturæ prioris, & divini operis; ut jam non esset impossibile fieri in alia lingua, quod homini per semetipsum Deus ostenderat in una, scilicet in Hebraica.* Accedit Theophylactus, qui, ut visum est capite præcedenti. Asserit eos qui ante legem vixerunt, absque literis & libris egisse, quod maxime confirmat S. Chrysostomus [d] iisdem pene verbis ac Theophylactus.

[b] *lib.* 3. *de Victoria Verbi Dei cap.* 22.

[c] *Ibid.*

[d] *Homil.* 1. *in Matth.*

§. III.

Argumenta petita a ratione.

XI. NON desunt etiam rationes quæ Mosi Alphabetariæ Scripturæ inventum adjudicent. Enimvero, si egregia ars illa ante Mosem Orbi innotuisset, qui fieri potuit, ut nulli ante ejus ætatem libri extiterint: nulla ab exordio Mundi ad illius tempora conscripta rerum seriem; nulla vitæ Patriarcharum illustriumque virorum Scriptis consignata narratio? Quis adeo levis est ut credat, illius ævi homines gloriæ & famæ cupidissimos, præclara sua facinora posteris invidisse? eosque adeo excordes, & propagandi sui nominis oblitos, ut ne verbulum quidem de rebus a se gestis scripturæ beneficio, posteritati consignarent: itaut omnino res a Mundo condito ad Mosem usque nos laterent, nisi ille, eas vel a majoribus per sacram Traditionem, vel a Deo revelante, acceptas, scriptis commendasset.

Deinde si quis alius, sive Adamus, sive aliquis ex Patriarchis ante-diluvianis alphabeticarum literarum artem inveniisset, absque dubio (ait Nierembergius [e]) ejus meminisset Moses, & ab egregio invento illo commen-

[e] *lib.* 2. *cap.* 5.

(7) Eo nostri Auctoris fertur intentio, ut Mosen literarum inventorem variis argumentis juxta aliorum sententiam adstrueret, hinc Augustini auctoritatem ex *lib.* 18. *de Civit. Dei Cap.* 39. commemorat in quantum prædictæ favere potest opinioni, non pro S. Doctoris intellectu, cum ipse tueatur oppositum, ut Frassenius etiam in fine §. tertii sequentis sectionis confitetur; integra ergo S. Augustini auctoritas antiquiorem Mose literarum usum fuisse demonstrat cum his verbis contineatur = Non ita„ que credendum est quod nonnulli arbitrantur, „ Hebræam tantum linguam, per illum, qui vo„ cabatur Heber unde Hebræorum vocabulum est, „ fuisse servatam, atque inde perveniisse ad Abram; „ Hebræas autem literas a lege cæpisse, quæ data „ est per Mosen; sed potius per illam successionem „ Patrum memoratam linguam cum suis literis cu„ stoditam. Denique Moses in populo Dei consti„ tuit, qui docendis literis præessent priusquam di„ vinæ legis ullas literas possent. Hos appellat Scri„ ptura Grammaton isagogos, qui latine dici pos„ sunt literarum inductores, vel introductores, co„ quod eas inducant, idest introducant quodam„ modo in corda discentium, vel in eos potius „ ipsos, quos docent = Manifestissima sunt hæc Augustini verba pro literarum supra Mosis ætatem vetustate. (*W*)

men-

mendaret Auctorem, utpote qui beneficentissimus humani generis fuisset; meminit quippe primorum aliarum rerum Inventorum, ferrariæ artis, architecturæ, musicæ, agriculturæ. Notavit Jubal primum fuisse Cythariſtam; Cain architectum, & fundatorem civitatis; Tubalcain malleatorem, & fabrum ferrarium; Sellam tentoriorum artificem; Noe agriculam; Nembrod primum Regni, seu tyrannidis Auctorem: quomodo ergo inventarum literarum, utilissimæ omnium artis, Auctorem taceret, si quis ex priscis fuisset?

Cum autem ipse Moses literarum esset inventor, alto id suppressit silentio: summa enim modestia est Scriptorum sacrorum, qui proprias commendationes ad mirum modum subticent, & sua potius errata promulgant; nec nisi coacti, cum necesse est pro re Dei, aliquam propriam mussitant laudem. Rem istam exemplo SS. Matthæi, Joannis, & Petri confirmat Eusebius, [a] nam S. Matthæus se ante suam vocationem ad Apostolatum, Publicanum fuisse diserte pronuntiat, quod cæteri Evangelistæ tacent: idem videre est in Epistolis SS. Petri & Pauli, qui priora sua errata accusant. Eodem certe humilitatis & veritatis spiritu imbutus Moses, plura a se inventa, sicut & sua præclara facinora ad sui nominis celebrationem condu-

[a] *Lib. 3. demonstr. Evang.*

centia supressit, quæ tamen ordinante Deo, ut qui se humiliat exaltetur, non solum Sacri, sed etiam Profani, & Ethnici, æternæ memoriæ consignarunt. Sic egregia facta, quæ ipse in Ægypto adversus Æthiopes bellum gerens, patravit, dum esset Ægyptiarum copiarum dux supremus, ne verbulo quidem in suo Pentateucho meminit; quæ tamen alij posteriores Historici præclare memorarunt apud Eusebium & Cedrenum: & quod præclarissimum est heroicæ humilitatis argumentum, omnino tacuit, repudiatam a se Pharaonici diadematis, jure adoptionis, conquisitam dignitatem; illiusque egregij facinoris recordatio nos penitus lateret, nisi illud a majoribus traditum, aut divinitus revelatum scriptis exarasset S. Paulus [b] his verbis: *fide Moyses grandis factus, negavit se esse filium filiæ Pharaonis, magis eligens affligi cum populo Dei, quam temporalis peccati habere jucunditatem, majores divitias æstimans thesauro Ægyptiorum, improperium Christi; aspiciebat enim in remunerationem.* Hæc sunt arbitror argumenta præcipua quibus hujus sententiæ Assertores eam confirmare possent, ac stabilire: at priusquam hac de re nostram conjecturam aperiamus, oppositæ Sententiæ fundamenta proponenda sunt & discutienda.

[b] *ad Hebr.* 11.

SECTIO II.

Proponuntur argumenta suadentia literarum usum fuisse Mose anteriorem.

XII. OMNIA quæ mihi occurrunt, majoris claritatis gratia, ad tria capita revoco: aliqua petuntur ab hominibus ante diluvianis, hoc est, ab Adamo hominum protoparente, ad Noe cataclysmum; quædam ab ipso Noe ad Mosen usque; cætera ab iis qui Mosis erant æquales, quos omnes aliquem librorum & literarum usum habuisse verosimile est.

§. I.

Argumenta petita ab Adamo ejusque Filiis.

XIII. ADAMUM compertam habuisse artem Scripturæ Alphabetariæ, eamque filios suos docuisse, suadetur: *primo* ex Psalmo 91. quem ab Adamo editum, & scriptis exaratum contendit R. D. Kimchi, scribens, die Veneris Adamum fuisse creatum circa horam tertiam; peccasse undecima; duodecima fuisse condemnatum pulsumque e paradiso; & in fletu pœnitentiæ, reliquum diem & sequentem noctem egisse; die autem Sabbati matutinis horis obtinuisse peccati veniam & remissionem; & præ lætitia prorupisse in Dei laudes, his verbis: *Bonum est confiteri Domino, &c.* Unde hic Psalmus Chaldaice inscribitur *Laus & Canticum, quod dixit homo primus pro die Sabbati.* Quibus videtur insinuari Canticum istud ab Adamo die Sabbati in gratiarum actionem impetratæ divinitus sui criminis veniæ pronuntiatum, ac scriptis exaratum, quatenus ad ejus posteros propagaretur.

Secundo, in Revelationibus B. Amadæi referuntur duo Psalmi seu Cantica, ab Adamo edita, unum quidem post creationem Evæ: aliud pœnitentiale post admissum crimen, ab Adamo & Eva alternis vicibus pronuntiatum. Utrumque integrum, ex manuscriptis S. Laurentij in Scuriali transcriptum refert Nierembergius, [c] cujus postremi Cantici unam & alteram strophan hic exscribere placuit, ut serio judicet prudens Lector, an genuinus sit, aut suppositititius Adami fœtus.

[c] *de Orig. Sacræ Script. lib. 2. cap. 13.*

„ *Adam.* Adonai Domine Deus meus,
„ secundum magnam misericordiam misere-
„ re mei, quia me caput omnium hominum
„ feciſti, tuaque sapientia simul cum socia im-
„ buisti, liberum arbitrium concessisti, & in
„ manibus nostris nos demisisti, præcepta &
„ mandata nobis dedisti. Vitam & mortem
„ ante nos posuisti, ut si mandata servare-
„ mus

„ mus, conſervaremur; non ſervando mo-
„ reremur. Lucifer invidus vidit & invidit,
„ pugnavit contra nos, & vicit. Victus ab
„ Angelis, hominem ſuperavit & ſemen ejus
„ in æternum proſtravit. Ego ſum qui pec-
„ cavi. Ego ille qui coram te iniquitatem
„ feci. Si ego noluiſſem, neque Eva, neque
„ hoſtis me avertere potuiſſet. Cum in ho-
„ nore eſſem, non intellexi, & dignitatem
„ meam amiſi. Comparatus ſum jumentis,
„ equo & mulo factus ſum ſimilis.

„ *Eva*, Adonai Domine Deus meus, ſe-
„ cundum magnam miſericordiam tuam mi-
„ ſerere mei. Magnus Dominus Deus no-
„ ſter, & magna Clementia ejus; & miſe-
„ ricordiæ ejus non eſt numerus. Qui pecca-
„ to noſtro adhibuit remedium. Ut ſi vel-
„ lemus ſurgere, poſſemus: filium ſuum
„ omnium Glorificatorem, mox ſtatuit no-
„ ſtrum Redemptorem, ejuſque ſanctam Ge-
„ nitricem ſtatuit noſtram Mediatricem, ad
„ cujus effigiem ædificavit me cunctorum
„ viventium matrem. Matrem inſtar Filiæ
„ fecit. Adam iſtar Filij ſui & mei plaſma-
„ vit, ejus meritis quoque maximis, culpas
„ noſtras abolere voluit, ſi & ipſi vellemus,
„ aut Sacramenta ejus ſuſciperemus. Volun-
„ tarium ſacrificium acceptavit, cor humile
„ nunquam abhorrebit. Venientibus ad ſe,
„ obviam occurret, eis peccata dimittens
„ gloriam infundet.

Tertio, ab Hebræis memoratur liber dictus, *Generationes Adami*, quem ipſi hominum Protoparenti a Deo dictatum eſſe volunt. Apud S. Epiphanium [a] mentio fit etiam libri inſcripti *Revelatio Adami cum Deus ſoporem in illum immiſit*. *Inſuper* Duretus refert characterum formas Adami, Sethi, Enochi & Noe. Et Bonau. Hepburnus Scotus, inter Septuaginta Alphabeta Romæ edita, numerat Alphabetum Adami. *Denique in* Bibliothecæ Vaticanæ deſcriptione, memorat Angelus a Rocha & Laurentius Scharderus in monumentis Italiæ, columnam literarum octavam in bibliotheca illa, ubi ſupra caput effigiei Adami, exarantur literæ antiquæ, & ad ejus pedes inſcriptio Latina his verbis: *Adam divinitus edoctus Scientiarum & Literarum Inventor*.

[a] *in Panario.*

Quarto, denique id ipſum ſuadet ratio: facile namque Adamum Literarum & Scripturæ notitiam habuiſſe, exiſtimabit, qui eum divinitus edoctum noverit, longamque illius vitam cum ſolertiſſimo genio, & diutina experientia ſecum perpendet. Neque enim exiſtimare decet, Protoparentem illum novem ſæcula emenſum, & univerſæ in terris hominum familiæ Regem, Patrem, & Sacerdotem, otioſum rerum ſpectatorem fuiſſe: quinimo veroſimile fit, eum plurimas excogitaſſe artes ad repellendam, aut ſaltem emolliendam, prævaricatione ſua in humanum genus ſuperinductam calamitatem, cujus cum modica pars non ſit memoriæ lapſus quæ res ſibi mandatas facile oblivioni tradit: vero ſimile inquam eſt, eum caracteres illos inveniſſe, quibus fugacibus & inſpectabilibus vocibus, indumenta quædam & vincula injiceret, & rerum hiſtoriam poſteritati conſignaret. Concludendum itaque cum Suida [b]; *Adami ſunt Artes & Literæ; hujus Scientiæ rationales, & non adſtrictæ legibus rationis; hujus Prophetiæ, ſacri Ritus, purgationes, leges ſcriptæ pariter & non ſcriptæ: hujus denique ſunt omnia inventa, & diſciplinæ, & quæcunque ad vitam atque convictum utilia ſunt & neceſſaria*. Hæc ſunt meo judicio ſolidiora momenta, quibus literarum inventum Protoparenti poteſt adjudicari.

[b] *in voce* Adam.

At quam levia, ne dicam inania ſint iſta, facile judicabit, eruditus Lector: quis enim (etſi Scripturam ſacram extremis tantum labiis delibaverit) adeo cœcus, ut non videat Pſalmum LXXXXI. non ab Adamo, ſed vel a Moſe, aut Davide fuiſſe concinnatum, eo fine ut agerentur Deo gratiarum actiones propter creationem Univerſi. Neque enim forte cogitavit unquam Adamus, quid eſſet mons Libani, quid Decachordum, quid Cythara, quid Pſalterium, & alia his ſimilia, quæ in eo Pſalmo commemorantur. Sane ſi Adamus eum edidiſſet, haud dubie potius naturam, & elementa invitaret ad laudandum Deum, ſuum opificem, quam res artificiales, quæ ſunt opera manuum hominum, longe poſt ejus mortem inventa.

Revelationes B. Amadæi quod ſpectat, nemo neſcit ipſas eſſe dubiæ fidei & auctoritatis incertæ, utpote cum in plurimis vitiatæ ſint, ut obſervant Chronica noſtri Ordinis. Nullum ſubinde efficax ex eis deduci poteſt argumentum. *Accedit* quod nullus eſt paululum oculatus Lector, qui præfata Adami & Evæ cantica, ab aliquo Chriſtiano, forte ab ipſo B. Amadæo, confecta & conficta deprehendere non valeat; conſtant enim plurimis utriuſque Teſtamenti Veteris & Novi textibus, juxta vulgatam Editionem Latinam. Unde etiam nec ipſe B. Amadæus affirmat, ea ab Adamo ſcripta, ſed dictata tantummodo, ac ſibi in Ecſtaſi revelata.

Ad III. dico, librum *Generationum Poſterorum Adami*, nec non & librum *de Divinitate*, quem in Thalmud, & apud R. Abraham legimus, ab Adamo conſcriptos, purum putum eſſe Hebræorum figmentum, quorum ſuperſtitioſis fabellis, ac commentis, nemo Sapientum, arbitror, fidem dabit.

Idem eſto judicium de antiquiſſimis illis Alphabetis, nomine, Adami, Enochi & Noe evulgatis: nullus enim eſt tantillum cordatus, qui ea a Recentioribus excogitata, ut ſub antiquitatis obtentu, aliqualem ſibi gloriam conſciſcerent, non ſuboloretur.

Ad ultimum tandem repono, nihil mirum videri, quod Adamus protoparens noſter, tametſi omni ſcientiarum & artium genere, divinitus fuerit inſtructus, ac ſubinde Alphabetarias etiam literas apprime callens; nihilominus tamen eas ſuis Poſteris non tradiderit, quippe cum ea, quæ minus ingenioſa, magis tamen humanæ miſeriæ levandæ, & conſtituendæ ac formandæ ſocietatis, neceſſaria non tradiderit. Summe quippe neceſſarium videbatur, hominum vitæ tuen-

tuendæ, ac protegendæ, ars ædificandi domos, & tentoria & veſtes conficiendi, quam tamen Adamus filios docuiſſe nullibi legimus; imo ejuſmodi artium & plurium aliarum Inventores, Adamo poſteriores a Moſe laudantur. Quid igitur mirum, ſi etiam Adamus Alphabetarias literas, minus utiles, poſteritati non conſignarit?

Aliud & quidem efficacius occurrit argumentum ex filiis Adami: ſcribit enim Suidas *Enos*, *Enoch*, *& alios Poſteros Seth*, *filii Adæ*, *non incongrue appellari* FILIOS DEI, *cum Seth Dei cognomen inter eos*, *qui tum vixerunt homines*, *ob inventas literas Hebraicas*, *ſtellarumque appellationes*, *& inſignem pietatem obtinuerit*. Quod utique confirmari poteſt ex Joſepho [a], ubi de Setho ſcribit: „ Cum ipſe vir optimus evaſiſſet, „ etiam Nepotes ſui ſimiles, poſt ſe reliquit. Qui, quoniam erant omnes bona „ indole præditi, & patriam abque ſeditione incolebant: in perpetua felicitate „ vitam exegerunt; & Syderalem ſcientiam, „ ac cœleſtium rerum cognitionem; excogitaverunt. Ne autem inventa ſua ex hominum notitia dilaberentur, & prius perirent, quam pernoſcerentur; ſcientes „ Adamum univerſalem rerum interitum „ præciniſſe, unum incendio, diluvio alterum, excitatis duabus columnis, utrique „ ſua inventa inſcripſerunt; ut ſi lateritiam „ diluvio deleri contingeret, lapidea ſuperſtes hominibus diſcendi copiam faceret, „ & quæ inſcripta continebat, ſpectanda „ exhiberet. Aiunt enim lapideam illam ab „ ipſis dedicatam; quæ & noſtris temporibus extat in terra Syria. In idem conſpirat Interpres, ab imperfecto opere, dictus Imperfectus [b], ad hæc verba: *Vidimus ſtellam ejus in Oriente*. Audivi, *inquit*, aliquos referentes de quadam Scriptura, etſi non certa, tamen non deſtruente fidem, ſed potius confirmante: „ quoniam erat quædam Gens ſita in principio Orientis circa Oceanum, apud quam „ ferebatur quædam Scriptura, inſcripta nomine Seth, de apparitura hac Stella, & „ muneribus ejus, nempe Chriſto, hujuſmodi offerendis.

[a] *Lib. 1. Antiq. Iudaic. cap. 3.*

[b] *Homil. 2. in Matth.*

Verum reponere quis poſſet, inſcriptionem illam (ſi res ita ſe habeat) fuiſſe tantum hieroglyphicam; nec repugnabit ipſemet Joſephus, quippe cum inventum literarum, poſt diluvium ſtatuat, illudque Abrahæ aſcribat. Quod ſpectat narrationem Imperfecti, revera omnino falſa eſt. Unde nec ipſe Auctor, quiſquis ſit, illius libri, id tanquam certum, ſed veluti dubium renuntiat. Nec immerito ſane, iſtud namque ſapit hæreſim Sethianorum, qui ut ſcribit S. Epiphanius, [c] *Certos libros clariſſimorum virorum nominibus inſcriptos circumferunt. Ex quibus ſeptem omnino Setho tribuunt; alios vero* ἀλλογενῆ, *hoc eſt*, *generis alterius nuncupant. Eſt & alius liber*, *falſo Abrahami nomine*, *quem pro Apocalypſi venditant*, *omni nequitia refertus. Præter quem alterum a Moyſe*, *reliquos ab aliis editos eſſe mentiuntur. Ad hæc quæ eſt illorum ſoliditas ac vecordia*, *uxorem Sethi Horæam neſcio quam*, *nominatim vocant. In quo vide quæſo*, *quam inepti ſint*, *ut illorum*, *velut ſcenica commenta*, *ſtultiſſimaſque fabulas*, *ac temere conficta mendacia*, *omni ex parte condemnes*.

[c] *hæreſ. 19. ſeu ut volunt alii 39.*

III. Tertium argumentum repetunt ex iis verbis Geneſis [d]: *Poſuit Dominus ſignum in Cain*, *ut non interficeret eum omnis qui inveniſſet eum*. Hoc enim ſignum quidam arbitrantur, fuiſſe divinum illud juſſum, in vultu Cain impreſſum, ne a quoquam interficeretur. Alioqui, inquiunt, aliud ſignum vix poterat explicare divinam voluntatem circa incolumitatem Cain. Alii volunt fuiſſe nomen יי *Cain*, aut ſaltem primam ejus nominis literam, idque colligunt ex voce אות *Oth* quæ Hebræis, & ſignum, & literam ſignificat. Itaque jam tum erant literæ Alphabetariæ.

[d] *Cap. 4.*

At reponerem, non certo conſtare hactenus quale fuerit iſtud ſignum Caino divinitus indltum, ne a quovis obvio interficeretur. De eo namque ſigno multa nugantur Hebræi; quidam enim cornu in ejus capite prominens fingunt; alii fabulantur canem, qui ſemper præcurreret ad monſtrandam viam, qua tutus ingredi poſſet; alii temporarium aliquod ſignum fuiſſe putant, quo ab exteris dignoſci poſſet: at Nehemanides firmum, durabile & perpetuum ſignum iſtud fuiſſe dicit, idque colligit ex iis verbis: *Et poſuit Dominus &c.* Quamobrem ſignum iſtud non aliud eſſe tenet, quam torvum & truculentum Caini aſpectum, qui omnibus videntibus terrorem incuteret, aut maniam quandam natam ex furiatæ mentis carnificina: ſiquidem, menti male ſanæ *metus undique & undique mortes*. Verum iſthæc omnia incerta ſunt. Ego, ſi quid hic ſtatuendum eſſet, mallem iis ſubſcribere, qui ſentiunt ſignum iſtud, nihil aliud fuiſſe, quam corporis tremorem cum conſternatione vultus & mentis. Quod utique concordat cum LXX. Interpretum verſione; nam ubi in Vulgata legitur, *Vagus & profugus eris*, ipſi vertunt, *Suſpirans & tremens eris ſuper terram*. At quidquid ſit, certum eſt Dominum, ipſum Cain aliquo ſigno manifeſto prodidiſſe: ut omnes eum eſſe fratricidam, & ſceleratum agnoſcerent, ſibique ejus exemplo a fundendo humano ſanguine, omnibus modis caverent.

XIV. Quartum tandem argumentum colligunt ex *libro Henoch*, cujus meminiſſe videtur S. Judas Apoſtolus, in ſua Epiſtola his verbis: *Prophetabit autem & de his ſeptimus ab Adam Henoch*, *dicens: Ecce venit Dominus in ſanctis millibus ſuis facere judicium contra omnes*, *& arguere omnes impios de omnibus operibus impietatis eorum*, *quibus impie egerunt*, *& omnibus duris*, *quæ locuti ſunt contra Deum peccatores impii*. Quæ utique verba ſignificant Prophetam Henoch, ſibi divinitus factas revelationes, ſcriptis mandaſſe: nec enim aliter vaticinium iſtud, ejus nomine ab Apoſtolo laudatum, per tot annorum myriadas, ad ejus uſque tempora, ſine ſcripto propagari potuiſſet. *Præterea* librum iſtum Canonicum fuiſſe affirmant

mant S. Juſtinus Martyr, Irenæus, Clemens Alex. Athenagoras, & Tertullianus, qui librum illum tanti fecerunt, ut inde dogma ſuum de Angelis, ſeu Dæmonibus, filiabus hominum matrimonio junctis, & ex eo vetito connubio Gigantes procreantibus, (Aliena certe ab Auctoris mente & ſententia) hauſerint. Quibus poſtmodum ſubſcripſerunt Methodius Martyr, S. Cyprianus, Lactantius Firmianus, Severus Sulpitius, & alii bene multi:

Quapropter Tertullianus [a] cum laudaſſet librum Henoch, ejus auctoritatem vindicat „ his verbis: Scio Scripturam Henoch, quæ „ hunc ordinem Angelis dedit, non recipi „ a quibuſdam, quia nec in armarium Judaicum admittitur. Opinor, non putaverunt illam ante cataclyſmum editam, poſt „ cum caſum Orbis omnium rerum abolitorem, ſalvam eſſe potuiſſe. Si illa ratio „ eſt, recordentur Pronepotem ipſius Henoch, fuiſſe ſuperſtitem cataclyſmi Noe; „ qui utique domeſtico nomine, & hæreditaria traditione audierat & meminerat de „ proavi ſui penes Deum gratia, & de „ omnibus prædicatis ejus: cum Henoch filio ſuo Matuſala, nihil aliud mandaverit, quam ut notitiam eorum poſteris ſuis „ traderet. Igitur ſine dubio potuit Noe in „ prædicationis delegatione ſucceſſiſſe, vel „ quia & alias non tacuiſſet, tam de Dei „ conſervatoris ſui diſpoſitione, quam de „ ipſa domus ſuæ gloria. Hoc ſi non tam „ expedite haberet, illud quoque aſſertionem Scripturæ illius tueretur: proinde „ potuit abolefactam eam violentiam cataclyſmi, in ſpiritu rurſus reformare: quemadmodum, & Hieroſolymis Babylonica „ expugnatione deletis, omne inſtrumentum „ Judaicæ literaturæ, per Eſdram conſtat „ reſtauratam. Sed cum Henoch eadem Scriptura etiam de Domino prædicarit, a nobis quidem nihil omnino rejiciendum eſt, „ quod pertinet ad nos; & legimus omnem „ Scripturam ædificationi habilem, divinitus inſpirari: a Judæis poſtea jam videri „ propterea rejectam, ſicut & cætera fere „ quæ Chriſtum ſonant. Nec utique mirum „ hoc, ſi Scripturas aliquas non receperunt „ de eo locutas, quem & ipſum coram loquentem, non erant recepturi. Eo accedit, quod Henoch apud Judam Apoſtolum teſtimonium poſſidet, *Hæc Tertullianus*. Quibus verbis auctoritatem hujus libri, quatuor potiſſimum rationibus vendicat, Primum quod ille poſt cataclyſmum, ſi in eo perierit, reſtitui potuerit per Noe Henoch pronepote; quemadmodum ab Eſdra inſtrumentum literaturæ Judaicæ inſtauratum eſt; Deinde quod omnis Scriptura, quæ hominum ſaluti & ædificationi habilis eſt, ſicut hæc erat, divinitus inſpirata credatur. Inſuper quod idcirco Judaicum librum rejecerunt; quia authenticum in eo legebatur de Chriſti adventu teſtimonium. Denique, quod ejus S. Judas Apoſtolus meminerit.

Ejuſdem ſententiæ fuit Origenes, [b] nam expendens illa Pſalmi verba: *Qui fecit multitudinem ſtellarum & omnibus eis nomina vocat*. Scribit: „ De quibus quidem nomini„ bus plurima in libellis, qui appellantur „ Henoch, ſecreta continentur & arcana, „ &c. „ Idem probatur ex libro Teſtamenti duodecim Prophetarum, qui frequenter citatur ab Origene, ut infra memorabimus: in Teſtamento enim ſuo Simeon ait: Vidi in charactere Scripturæ Henoch .... „ Quoniam Deus corpus aſſumens, & comedens „ cum hominibus, ſalvabit homines: & „ nunc filioli mei, obedite Levi, & in Juda „ liberamini & non efferamini ſuper duas „ Tribus has; quoniam ex ipſis orietur nobis ſalutare Dei. Suſcitabit enim Dominus ex Levi Principem Sacerdotum, & „ ex Juda Regem Deum & hominem; ita „ ſalvabit omnes Gentes. Haud abſimiliter „ etiam Levi: Innocens; (inquit) ego ſum „ ab omni impietate veſtra, & tranſgreſſione quam facietis in conſummatione ſæculorum, in Salvatorem Mundi impie facientes, & ſuſcitantes ei mala magna a „ Domino, & inique facientes cum Iſrael, „ ut non ſubſiſtat Hieruſalem a facie malitiæ veſtræ, & ſcindetur velum templi, „ &c. quemadmodum continet liber Henoch juſti. „

His ſuffragatur etiam S. Auguſtinus [c]: *Scripſiſſe quidem*, inquit, *non nulla divina Henoch ſeptimum ab Adam, negare non poſſumus, cum hoc in Epiſtola Canonica Apoſtolus Iudas dicat, ſed non in Canone Scripturarum. Unde illæ quæ ſub nomine ejus proferuntur, & continent fabulas illas de Gigantibus, quod non habuerint homines patres, recte a prudentibus judicantur, non ipſius eſſe credenda*. Similia profert [d] alibi ad hunc modum ſcribens: *Quid Henoch ſeptimus ab Adam? Nonne etiam in Canonica Epiſtola Apoſtoli Iudæ prophetaſſe prædicatur? Cujus ſcripta, ut apud Iudæos, & apud Nos in auctoritate non eſſent, nimia fecit antiquitas, propter quam videbantur habenda eſſe ſuſpecta, ne proferrentur falſa pro veris. Nam & proferuntur quædam quæ ipſorum eſſe dicuntur ab eis, qui pro ſuo ſenſu, paſſim quod volunt, credunt: ſed ea caſtitas Canonis non recipit. Non quod eorum hominum, qui Deo placuerunt, reprobetur auctoritas: ſed quod iſta eſſe non credantur ipſorum. Nec mirum debet videri, quod ſuſpecta habeantur, quæ ſub tantæ antiquitatis nomine proferuntur*. Ex quibus videtur certo colligendum, temporibus SS. Patriarchæ Henoch viguiſſe literarum & librorum uſum.

Verum quam debile ſit iſtud momentum, aperte colligitur ex aliis ſanctis Patribus, qui librum illum Henoch, ut fictum & ſuppoſititium ſugillant. Sic in primis ipſemet *Origenes*: [e] Henochi Scripturam ut apocryphan, & nullius apud Hebræos auctoritatis cenſet. Sic *Clemens Alexand.* [f] inter ſpurias Scripturas librum iſtum deputat. *S. Epiphanius* ſimiliter, ubi agit de hæreſi Marcionis, cum Patriarchæ Henoch meminiſſet, ſtatim adiicit: *Sed nondum extabat Lex ſcripta, verum naturalis tantum illa ex mente & traditione per ſucceſſionem Patrum ad filios.*

a *Apolog. cap. 2. & lib. de Idololatr. cap. 4. & 5. lib. de cultu fœminar. cap. 5.*

b *Homil. 28. in Librum Numer.*

c *Lib. 15. de Civit. Dei cap. 23.*

d *Lib. 18. cap. 38.*

e *hom. 28. in lib. Num.*

f *lib. 3. Strom.*

lios. Negat ergo aliquid temporibus Henoch fuisse scriptum. Hoc præ cæteris constantissime tuetur *S. Hyeronymus*, [a] scribens, Judam Apostolum, citando testimonium Henoch ex libro apocrypho, non totum librum illum probasse, sed illud duntaxat testimonium, quod verum esse compertum ipsi erat; ac proinde uti licuit parte libri, etiamsi totum librum non approbaverit; in Apocryphis enim plura reperiri possunt ex Canonicis excerpta. *Addit* [b] Epistolam Judæ, propterea a multis olim rejectam, quod in ea citaretur testimonium Henoch, ex libris apocryphis depromptum.

[a] *in cap. 1. Epist. ad Titum.*

[b] *lib. de Script. Eccles.*

His accedit quod si fuisset aliquis liber ab Henoch Patriarcha editus, haud dubie summæ fuisset apud Judæos celebritatis & auctoritatis; tum propter Auctoris antiquitatem & sanctitatem: tum quod in eo libro, res admodum memorabiles, & scitu dignissimæ fuissent exaratæ; ac subinde aliqua hujus libri fieret mentio; si non apud Moysen, qui historiam sacram, ab Orbe condito, ad suum usque tempus texuit; saltem apud Philonem, aut Josephum, antiquitatum Judaicarum investigatores, ac scriptores. Itaque verosimile mihi fit, S. Judam Apostolum prophetiam Henoch citasse; vel ex sola traditione a Majoribus accepta; vel ex peculiari sibi facta revelatione, quo consimili modo, S. Paulus, hoc Christi Domini oraculum *Beatius est magis dare, quam accipere*; & nomina eorum Magorum, nempe *Iamnes* & *Mambres*, qui Moysi restiterant, ex traditione vel revelatione recensuit.

Fortassis tamen temporibus S. Judæ jam extabat liber ille suppositicius nomine *Henoch*, cujus fragmentum de Egregoris habet Georgius Syncellus in Chronographia ad ann. Mundi 143. pag. 24. ex quo potuit S. Apostolus Judas aliquod testimonium decerpere, quod aliunde sibi constabat esse verum, ut convinceret Hæreticos, qui cum extremum Dei judicium negarent futurum, Henochi tamen librum admittebant, in quo venturum annuntiabatur; non enim in libris Apocryphis omnia supposititia sunt. Imo frequenter eorum Auctores, quæ aliunde vera sunt, solent interserere, quo facilius Lectorum fidem aucupentur. Hinc, inquit, Syncellus mox laudatus, [d] „ S. Paulus Apo- [d] *pag. 27.*
„ cryphorum dictis nonnunquam fuit usus;
„ ut cum in prima quam scripsit ad Co-
„ rinthios Epistola dicit: *Oculus non vidit,*
„ *nec auris audivit, nec in cor hominis ascen-*
„ *dit, &c.* Quæ quidem ex Heliæ desumpsit
„ Apocryphis. Et rursum in ea quæ est ad
„ Galatas, ex Mosis revelatione hæc ha-
„ bet: *Neque circumcisio est aliquid, neque*
„ *præputium; sed nova creatura.* Et in ea
„ quæ ad Ephesios ex Apocryphis Hieremiæ
„ adscriptis: *Excitare qui dormis, & exur-*
„ *ge a mortuis, & illuminabit te Christus.*
„ Hæc Syncellus.

§. II.

Proferuntur & expenduntur varia Scripturarum indicia a Diluvio ad Mosen usque.

XV. OCCURRIT in primis venerandus Patriarcha, atque humani generis post universalem diluvii cladem instaurator Noe; refert enim Berosus Babylonicus Sacerdos Beli, & Chaldaicæ historiæ, rerumque a diluvio gestarum scriptor [c], Noam cum sua familia, ex famosa illa aquarum inundatione, qua universus periit Orbis, navi instar arcæ, cooperta, ereptum & salvum, illam Universi cataclysmi historiam scriptis mandasse, ut suis posteris perpetuum divinæ in peccatores animadversionis monumentum, consignaret. Subditque eum, non solum Theologiam & sacros ritus, filios suos docuisse, sed etiam humanam sapientiam. *Et quidem*, inquit, *multa naturalium rerum secreta mandavit literis, quæ solis Sacerdotibus Scythiæ Armeni commendant. Neque enim fas est illa ulli inspicere aut legere, vel docere, quam solis Sacerdotibus, & inter Sacerdotes duntaxat: sicut & quos Rituales libros reliquit, ex quibus illis primum* SAGA *nomen fuit inditum, id est*, SACERDOS, *& Sacrificulus, & Pontifex. Docuit item illos astrorum cursus, & distinxit annum ad cursum Solis, & duodecim menses ad motum Lunæ: quæ scientia prædicebat illis ab initio quid in anno, & cardinibus ejus futurum contigerat. Ob, quæ illum existimarunt divinæ naturæ esse participem, ac propterea illum* OLYBAMA, *&* ARSA, *idest, Cælum & Solem cognominaverunt; & illi plures civitates dedicaverunt. Nam & ad hæc tempora Scythæ Armeni urbes habent Olymbama & Arsa, Ratha & ejuscemodi.* Hæc ille.

[c] *Lib 3. Antiq. Chaldaic. ex edit. Joann. Annii Viterbiensis Theologi.*

Similiter S. Clemens [e] Romanus Pontifex asserit, Cham filium Noe, libros aliquos scripsisse: Cui consentit Cassianus [f], hæc habens: *Cham filius Noe, qui superstitionibus istis, & sacrilegis, ac profanis artibus fuit infectus, sciens nullum se posse super his memorialem librum, in arcam prorsus inferre, in qua erat una cum Patre justo, ac sanctis Fratribus ingressurus; scelestas artes, ac profana commenta, diversorum metallorum laminis, quæ scilicet aquarum corrumpi inundatione non possent, & durissimis lapidibus inscripsit, quæ peracto diluvio, eadem qua celaverat curiositate perquirens, sacrilegiorum, ac perpetuæ nequitiæ seminarium transmisit in posteros.*

[e] *Lib. 4. Recognit. cap. 21.*

[f] *Collat. 8.*

Respondeo duo ista momenta nullius esse auctoritatis & fidei: nam quod attinet ad Berosi testimonium, norunt Literati omnes quod quæ ex ejus Chaldaica historia, fragmenta publici juris fecit & evulgavit Annius, omni-

omnino sint suppositicia; nihilque aliud ex genuina Berosi historia jam occurrere, quam quæ apud Josephum, in libris suis de Antiquitate Judæorum, & contra Apionem, atque etiam apud Origenem, Tertullianum, Eusebium Cæsariensem, aliosque Veteres Christianæ religionis Apologistas & Assertores, selecta fragmenta reperiuntur; quorum potissima, quæ ad illustrandam sacram Bibliorum Chronologiam, lucem conferre possunt ad calcem libri sui de Emendatione temporum, præsertim ex Josepho ac Eusebio, in unum libellum congessit eruditus Scaliger. *Accedit* quod Pseudo-Berosus ille, etsi ea quæ de Mundi ortu recenset, mutuatus fuerit ex libris Mosaicis; nihilominus tamen, tot figmentis & paganicis fabellis ea conspurcavit, ut vix in eis sit audiendus. *Præterea* tametsi quæ recenset, veritatis speciem haberent, inde non esset consequens, literas Alphabeticas temporibus Noe jam in usu fuisse; scribit enim sanctissimum illum Patriarcham, lugendam illam diluvii cladem, in saxo exarasse: *Noa*, inquit [a], *cum familia de monte Gordyceo, ut par erat, descendit in subjacentem planiciem plenam cadaverum, quam ipsi, ad hanc ætatem, appellant* MYRI-ADAM, *idest, eviscceratorum hominum; & inscripsit in lapide in monumentum rem gestam, & vocant incolæ locum,* EGRESSORIUM NOA. Porro monumenta vetustissima lapidea, & lateritia, literis duntaxat hieroglyphicis fuisse inscripta affirmat Plinius: neque dissentit ipse Berosus: ait enim inscriptionem illam Noe, solis Sacerdotibus explicandam fuisse commissam, utpote qui soli ænigmaticam & hieroglyphicam Scripturam possent interpretari.

a *Lib.* 3.

Ad testimonium depromptum ex *Libro Recognitionum*, Respondeo librum illum, qui ab aliis interdum *Itinerarium Clementis*; a quibusdam vero *Recognitiones Clementis*; a nonnullis etiam *Circuitus Petri*, appellatur insulsis fabulis esse refertum, & ideo a Gelasio Summo Pontifice in Concilio Romano, inter Apocrypha rejectum. Nec imerito quidem, nam, inquit Sixtus Senensis [b], præterquam quod in ipsis, sub persona Petri Apostoli, ex intima Platonis & Aristotelis Philosophia, proferuntur; duo quoque integra folia recitantur ex persona Petri pleraque in nono libro ejus operis, ad verbum transcripta ex libro *de Fato* adversus Abydam Astronomum Bardesanis Syri, qui teste S. Epiphanio, claruit sub Marco Imperatore annis 70. post mortem Clementis. Ubi Petro affingit quæ Bardesanes de Fato disputavit, teste Eusebio, qui tamen hæreticus, post septuagesimum tertium annum a Martyrio S. Clementis cœpit impium suum dogma proferre. Sunt quoque in his libris pleraque incerta, multa fabulosa, nonnulla insuper Catholicis dogmatibus adversaria. *Facessant igitur*, ait Baronius [c], *ejusmodi portentosa mendacia, & insana deliria, quæ ex dicto cœnoso gurgite Recognitionum; quæ sunt nomine Clementis insignitæ, deducta sunt, quas non tantum dictus Alexander & Dorotheus, inter cæteras quisquilias suas adlegit, &c.*

b *Lib.* 2. *in voce Clemens.*

c *Tom.* 1. *Annal. ann.* 5.

Ad Cassianum dico, eum istud certo non affirmare, sed ex popularium traditionum opinione. Nec mirum videri debet quod nefariæ arti Magicæ, perditissimi homines dediti, hominem nequissimum, & a Patriarcha Noe suo parente, maledictione fulminatum, illius Diabolicæ artis, & librorum fecerint Auctorem: cum in dies pessimi libri magici, sub ementitis etiam Summorum Pontificum nominibus, puta *Enchiridion Papæ Leonis, & libellus Honorii Pontificis, &c.* evulgentur. Nec solis Magis ea fraus familiaris est, sed etiam Hæreticis: Scribit enim Clemens Alexandrinus [d], ab Hæreticis confectum fuisse librum prænotatum, *Prophetia Cham*, ex quo Isidorus Basilidis discipulus, plurima in sui erroris confirmationem deprompsit. Omnis igitur illa, sub nomine *Cham* vulgata Scriptura Alphabetaria, recentior est, & suppositicia, ac apocrypha.

d *Lib.* 6. *Stromat.*

XVI. Urgentiora argumenta repeti possunt ex parte Abrahæ. *Primo* quia Deus, ipsius nomini literam adjecit dum ait [e]: *Nec ultra vocabitur nomen tuum* ABRAM, *sed appellaberis* ABRAHAM, *quia patrem multarum Gentium constitui te.* Scio nonnullos interpretes existimare nomen *Abraham* esse compositum ex אברם *Abram* i. e. *pater excelsus* & המון *Hamon*, i. e. *multitudo*; unde legendum esset *Abram-hamon*, hoc est, *Pater excelsæ multitudinis*; at propter vitandam Cacophoniam, & ad nominis Euphoniam & compendium, ם, quod erat in voce רם *ram*, & jam futurum erat in medio nominis, aufertur; & ex voce המון *Hamon*, quæ *multitudinem* significat, illud ן *on* tollitur. Philo [f] vult mutationem factam in nomine *Abrahæ* additione unius literæ, *a*, & *Abram*, sonare *patrem sublimem*, *Abraham* vero, *patrem excelsum vocis;* sed Philo licet Judæus, satis prodit multis locis peritum se non esse linguæ Hebraicæ.

e *Genes.* 17. 5.

f *Lib. de Abrahamo.*

Rectius S. Hieronymus observat [g], ex Hebræis, & cum eo Lipomanus, nomini *Abrahæ*, & *Saræ* additam fuisse literam ה *he*, quæ præcipua est in nomine *Dei Tetragammaton* יהוה JEOVA, & bis in eo reperitur. Qua in re, non pauci mysterium rimantur; nimirum *vel* Abrahamo & Saræ, eorumque similibus viris sanctissimis, Deum non modo bona sua in hac mortali vita, sed etiam seipsum in æterna beatitudine communicaturum: *vel* ex Abrahami & Saræ semine nasciturum Dei Filium, nempe Christum Dominum de Maria Virgine, Abrahæ & Saræ filia. Quin etiam litera ה *he* geminata, & media, in nomine Abrahæ significabat Christum nasciturum sub initio quinti millenarii annorum ab Orbe condito; ה *he*, enim litera, apud Judæos, quinque significat. Quanquam alii ad quartum millenarium id trahant, quod ה in nomine *Abrahæ*, sit quarta litera, denotetque Christum venturum, sub finem quarti millenarii.

g *In Quæst. Hebraic.*

Addi possunt, (inquit Bonfrerius in hunc locum) & alia ex Hebræorum Cabala, seu Secretiore eorum disciplina; Abrahamum hominem plane divinum fuisse, idque nomen ipsum *Dei* hoc loco ei impositum de-

cla-

clarare: ex tribus enim vocibus, *Abrahami* nomen formatum est, ex אב *ab*, & רם *ram*, & המן *Hamon*, quæ tres in unum idemque nomen coalescentes, possunt designare tres in Deo personas in Unitate naturæ, quæ hoc ei nomen imposuerunt, & quoddam sui symbolum Abrahamo, homini divino indere, & adhærescere voluerunt.

Rursum idem Trinitatis Mysterium, in ipsis primis literis, quæ in *Arahami* nomine sunt, designari posset; ut pote, quarum singulæ personam unam divinam indicant, & in singularum personarum nomine; primæ reperiuntur: Prima enim persona per א indicatur, quæ prima est, in voce אב *ab*, quæ Patrem significat: Secunda persona per literam sequentem ב significari potest, quæ est prima in voce בן *ben*, quæ Filium indicat: Tertia denique persona per literam quæ in Abrahami nomine est tertia, ר scilicet, quæ itidem est prima in voce רוח *ruach*, Spiritum significans.

Secundum literarum indicium ex Abrahamo colligunt Hebræi, ex Psalmo LXXXVIII. cujus sanctissimum Patriarcharum Auctorem putant: eisque favet Paraphrastes, qui ei Psalmo, hunc præfixit titulum; *Intellectus bonus dictus per manum* ABRAHÆ, id est, ab eo literis exaratus.

Tertio, Ipsum faciunt Auctorem *Testamenti duodecim Patriarcharum*, ubi eorum virtutes, ac revelationes referuntur. Quem librum plurimi facit Origenes [a], & Procopius Gazæus [b], nec non & Rupertus, seu potius Robertus Lincolnienſis, qui librum istum Latinum fecit.

a *homil. 15. in Iosue.*
b *in 38. cap. Genes.*

Quarto, Communis est Judæorum sententia, librum *Ietsira*, ab *Abrahamo* Patriarcha fuisse compositum, adversus Chaldæos Philosophos, qui de Dei unitate, inter se dissidebant. Nam Rabbi Moses Batrel, qui illum commentatus est, initio sui Commentarii, de isto libro sic loquitur: ABRAHAM *pater noster, super quem pax, fecit illum, contra Sapientes ætatis suæ, qui dissidebant inter se, in causa unitatis divinæ, ut scribit R. Saadias, cujus memoria in benedictione, in libro cui titulus*, LAPIS PHILOSOPHICUS CAP. 1. Igitur, &c.

Verum operosum non erit eorum argumentorum vim infringere: ad *Primum* namque reponerem, nominis *Abrahæ* permutationem factam, potius per adjectionem alterius vocabuli, quam solius literæ; vel quod verius dicendum arbitror, per novam istius nominis *Abrahæ* pronuntiationem, gutturalem videlicet, & cum vehementiori aspiratione, quæ antea leviori, & duntaxat labiali vocis elisione efferebatur. Plurima namque sunt Hebraica vocabula, quæ sine ulla literarum permutatione, sed sola prolationis diversitate, variam significationem important: quæ vero de adjectione literæ ה comminiscuntur Hebræi, Cabalisticum commentum est, cujus apud viros cordatos, celebris adeo non est auctoritas.

Ad secundum, Resp. Psalmum LXXXVIII. nulla ratione videri *Abrahamo* tribuendum, quippe cum in eo multoties fiat mentio Davidis, plurimos postea annos nati. *Insuper* ejus inscriptio est hæc, *Intellectus Ethan Esraitæ:* Porro Ethan Davidis erat æqualis & ejus ætate celeberrimus; nam III. *Regum* cap. 4. inter sapientissimos viros scribitur, & I. *Paralipomenon* cap. XXII. dicitur unus ex Principibus Cantorum.

Ad tertium Dico, librum Testamenti duodecim Patriarcharum, Apocryphum esse & ignorari a quonam, & quando sit editus; quippe cum nusquam fuerit ab ipsa Synagoga probatus.

Ad quartum repono, librum illum ementito titulo Patriarchæ Abrahamo adscribi: quippe cum nihil omnino pietatis, ac eximiæ sanctitatis illius præstantissimi, ac piissimi Patriarchæ, redoleat; sed totus sit ænigmaticus, absque ullo prorsus genuino sensu. Unde tantum abest, ut pro Unitate Dei propugnanda, sit editus; quinimo unice collimat, in tradendis obscurissimis præceptis, quibus aurum Chimicum confici debeat. Hinc quisquis est hujus libelli Auctor, eum sic claudit: „ Postquam *Abraham* pater noster vidit, respexit, investigavit, intelle„ xit, sculpsit, & composuit, statim ade„ ptus est creaturam in manibus suis. Tunc „ illi apparuit omnium Dominus, fecitque „ federe, & osculatus est caput illius, & „ ex nomine suo nuncupans, amicum suum „ appellavit: & cum illo & semine ejus „ pepigit fœdus in sæculum, sicut & scri„ ptum est; Credidit Deo & reputatum est „ ei ad justitiam: Pepigit inter digitos pe„ dum fœdus, circumcisionem; & pepigit „ inter digitos manuum suarum fœdus lin„ guæ. Ligavit 22. literas in lingua sua, „ Deus aperuit secretum suum. Tranat per „ aquam, accendit in igne & grandine. Si„ gnavit in aere. Disposuit cum septem, & gubernavit cum duodecim. En quanta hujus scientiæ utilitas, cum propter illius nugamenta, Deus *Abrahæ* apparuerit, illum in sinu sedentem, amplexus fuerit, & eum osculatus, cum eo & ejus semine, fœdus pepigerit, circumcisionem dederit, & amicus Dei factus fuerit, cæteraque quæ ænigmatice referuntur consequutus fuerit.

Mirari igitur desine Lector: si tot Judæi, in illius studio immoriuntur. Librum quidem istum quinque Rabbini illustrarunt, aut potius, ipsius fabellis nova figmenta addiderunt: Primus est R. Saadias Gheonum unus, & Academiæ Soranæ in Babylonia Magister: Secundus R. Abraham ben Dior, qui valde diffusus est. Tertius R. Moses Bar Nachman: isti tres antiqui sunt, quorum postremus florebat anno 1300 Quartus R. Moses Botrel. Quintus R. Eliezer de Gemariſſa. Editus est Mantuæ cum omnibus istis Commentariis, anno Christi 1562. Cabbalistæ omnes, *inquit Morinus* [c], „ quotidie „ deprehendunt in isto libro, novas myste„ riorum fodinas, nec unquam erit illorum „ eruendorum finis. Quia enim in eo nul„ lus est sensus, ideo omnes sensus comple„ ctitur. Similis est materiæ primæ Philoso„ phorum, quæ cum nullam habeat sibi „ connaturalem formam, ideo omnium est „ capax.

c *pag. 2. Exerc. 11. cap. 2.*

XVII. Alterum Alphabetariæ scripturæ argumentum, ante Mosen, repeti potest ex sanctissimo Patriarcha Jacob, qui cum divina apparitione inter dormiendum recreatus fuisset, mane surgens, tulit lapidem, quem supposuerat capiti suo, & erexit in titulum, dixitque [a] *Lapis iste, quem erexi in titulum, vocabitur* DOMUS DEI, quibus verbis [b] titulus ille, *Domus Dei*, videtur ab eo, lapidi inscriptus. Similiter mortua Rachele, idem Jacob erexit titulum super sepulchrum ejus: *Hic est titulus monumenti Rachel, usque in præsentem diem*, quæ verba significant eum monumento Rachelis inscripsisse Epitaphium, quo declarabatur ibi Rachelis corpus esse conditum,

a *Genes.* 28.

b *ibid. cap.* 35.

At momentum hoc primum elevari potest, dicendo titulum a Jacob erectum, non fuisse inscriptionem aliquam, sed rudem lapidem, prius in terra jacentem, deinde in sublime supra aliorum lapidum acervum erectum, ad perpetuam recordationem eorum, quæ eo in loco, Jacobo Patriarchæ contingerant. Nam *Tituli* vox, in Scripturis sacris sumitur quadrupliciter. *Primo* quidem pro inscriptione rei, ut titulus libri, titulus crucis, Secundo pro columna, aut pyramide in trophæum Victoriæ, aut insignis facinoris erecta, sic legimus [c]: *Ædificavit Simon super sepulchrum Patris sui, & Fratrum suorum ædificium altum visu, lapide polito, retro & ante: & statuit septem Pyramidas, unam contra unam Patri & Matri, & quatuor Fratribus*, &c. Tertio pro statua, imagine, vel idolo erecto, ad cultum & adorationem; qualis titulus prohibetur his verbis [d]: *Non facietis vobis idolum & sculptile, nec titulos erigetis, nec insignem lapidem ponetis in terra vestra, ut adoretis eum*. Solebant enim veteres Idololatræ, erigere & oleo ungere lapides, etiam rudes & informes, ut essent domicilium alicujus Genii. Unde Arnobius, dum adhuc idolorum cultui deditus esset, scribit [e]; *Si quando conspexeram lubricatum lapidem & ex olivi unguine ordinatum, tanquam ineesset vis præsens, adulabar*. Quarto denique, titulus est lignum, vel lapis, tumulus, aut res alia, posita & erecta in alicujus rei recordationem, absque ulla inscriptione. Vox enim Hebraica מצבה *Matsseba* significare potest, statuam, tumulum, vel quodvis monimentum, in alicujus rei recordationem.

Vox Tituli varie usurpatur.

c 1. *Machab.* 13.

d *Levit.* 26.

e *Lib.* 1.

Hujusmodi videtur fuisse titulus ille a Jacobo erectus, in memoriam divinæ visionis & apparitionis; ut videlicet hoc signo, postmodum locum in reditu agnosceret, ibique aliquo Dei cultus, hujus tam insignis beneficii, memoriam recoleret: quod etiam fecit, nam legimus [f] quod ibi ædificavit altare, & appellavit nomen loci illius *Domus Dei*. Atque hinc est, quod Christiani, ad exemplum illius sanctissimi Patriarchæ, Ecclesias suas antiquitus *Titulos* appellabant, *vel* a titulo crucis ibi erecto: *vel* a nomine alicujus Sancti, in cujus honorem Ecclesiæ intitulabantur, & consecrabantur; ut *Titulus sanctæ Praxedis*, & *Titulus S. Laurentii*, &c. Ex quibus Eminentissimi Cardinales suos titulos, & cognomina sumpserunt, uti docet Platus [g].

f *Cap.* 35.

g *Lib. de Cardinal. dignit. Cap.* 2.

Ad secundum reponerem, Rachelis sepulcrum, nulla inscriptione fuisse nobilitatum, sed duntaxat fornice erecta, & illustrata columnis; quemadmodum hoc sepulchrum „ describit Colovicus, [h] his verbis: Sepul- „ crum Rachelis uxoris Jacob Patriarchæ „ integrum adhuc; & quod mireris, omni- „ no illæsum: id totum lapideum quadra- „ tæ formæ opus est, quatuor ornatum co- „ lumnis, seu pilis lapideis quadrangulari- „ bus quæ arcuato opere junctæ, arcus to- „ tidem instituunt testudine rotunda super- „ imposita; Inter quæ medio solo affixa „ hæret tumba lapidea, calce undique ob- „ linita, altitudinis pedum sex, longitudi- „ nis septem, latitudinis trium cum dimi- „ dio, cujus superior pars, in rotunditatem definit. Juxta hanc duo videntur se- „ pulchra ejusdem formæ, minora tamen, „ tumbisque vacua,

h *Lib.* 2. *cap.* 10.

XVIII. Aliud etiam Scripturarum indicium, ante Mosis ætatem, colligi potest ex Zoroastre, de quo mira refert Plinius, præsertim [i] ubi scribit: *Unum eum*, inquit, *mortalium eodem quo natus est die, risisse; cerebrumque ita ei palpitasse, ut impositam repelleret manum, futuræ præsagio scientiæ: viginti annis in deserto Magiæ vacantem, caseo vixisse ita temperate, ut vetustatem non sentiret*. Idem sentit S. Augustinus [k]; *Solum*, inquit, *Zoroastrem quando natus est, ferunt risisse; nec ei boni aliquid, monstrosus ille risus portendit nam Magicarum artium fuisse perhibetur Inventor; quæ quidem illi, nec ad præsentis vitæ vanam felicitatem, contra suos inimicos prodesse potuerunt: a Nino quippe Assyriorum Rege, cum ipse esset Bactrianorum, bello superatus est*. Porro hic Zoroaster qui Mosem longe antecessit, utpote, qui floruerit temporibus Nini, plurium librorum Auctor fertur apud Clementem Alexandrinum [l] scribentem: *Zoroastrem Magum Persam Pythagoras ostendit. Qui Prodici hæresin sectantur, gloriantur se arcanos libros hujus viri possidere*. Subscribit Suidas: *Zoroastres Persomedus*, inquit, *sapientia superior Astronomus, primus Auctor recepti apud illos Magorum nominis, bellum Trojanum antecessit, annis D. Circunferuntur ejus libri quinque*. Similiter Eusebius [m] Cæsariensis citat librum ab ipso Zoroastre editum: *Sed Zoroastres quoque Magus*, inquit, *in libro, in quo res Persicas collegit, hæc ad verbum scribit: Deus caput Accipitris habet; is incorruptibilium primus est, sempiternus, ingenitus, expers partium, sibi ipsi simillimus, bonorum omnium Moderator, integerrimus, optimus, prudentissimus, se tantum præceptore doctus, naturalis, perfectus, sapiens, & sacræ vis naturæ unicus inventor*.

i *Lib.* 7.

k *Lib.* 21. *de Civit. Dei. cap.* 14.

De Zoroastre.

l *Lib.* 1. *Stromat. pag.* 304.

m *Hist. cap. lib.* 1. *Evang. præpar.*

At quam dubii, atque incerti debeant esse libri nomine Zoroastris inscripti, apparet ex ancipiti & vaga de ejus persona, ætate & patria Auctorum sententia: dubiam enim ejus personam facit anceps de illo Scriptorum judicium. Sunt enim qui putent eum

non

non alium fuisse, quam Chamum Noe filium, ita Petrus Comestor [a]: *Ninus*, inquit, *vicit Cham, qui adhuc vivebat, & regnabat in Bactria, seu in Tracia, ut alii volunt, & vocabatur Zoroaster, inventor artis Magicæ, qui & hanc, & septem liberales artes, in quatuordecim columnis scripsit: septem æneis, & septem lateritiis, contra duplex Orbis excidium quod timebatur, unum per aquas, alterum per ignem. Ninus vero libros ejus combussit. Hinc etiam orta sunt idola.* Aliqui vero eum putant fuisse Japhetum Chami fratrem: Alii Assur: Nonnulli Chus: Quidam Mesraimum Chami filium; ita Auctor libri Recognitionum [b], qui cum de Chamo scripsisset, subjicit: *Cuidam ex filiis suis, qui Mesraim appellatur, a quo Ægyptiorum & Babyloniorum, & Persarum ducitur genus, male compertam Magicæ artis tradidit disciplinam. Hunc Gentes, quæ tunc erant, Zoroastrem appellaverunt, admirantes primum Magicæ artis Auctorem. Cujus nomine etiam libri, super hoc plurimi habentur.* Quæ si vera sunt, quod de Scriptura Chami censuimus, idem quoque de libris Zoroastris existimandum est. Nempe scriptionem illam tantum esse Hieroglyphicam. Quod maxime confirmatur ex eo quod Ægyptii & Babylonii Astronomi ejus successores, solis Hieroglyphicis literis, plurimis post illum annis usi sunt.

Alii in dubium revocant, an unicus, an plures fuerint Zoroastris nomine, ut observat Plinius: [c] „ Magi, *inquit* sine dubio „ erant in Perside a Zoroastre, ut inter „ Auctores convenit. Sed unus hic fuerit, „ an postea & alius, non satis constat. Quibus significat: incertam esse de Zoroastris persona & ætate, apud Auctores sententiam: & merito quidem, nam Trogus [d] meminit Zoroastris Bactrianorum Regis, qui adversus Ninum bellum gerens, ab eo victus est. Quanquam, ait Arnobius, [e] non tantum in eo bello ferro dimicaretur & viribus, verum etiam Magicis, & Chaldæorum reconditis disciplinis. Laertius autem in præmio alterum laudat, quem Philosophum & Magorum Principem nominat. Clemens Alexandrinus, tertium his duobus accenset subnominatum *Erum*. Arnobius [f] autem quatuor Zoroastres computat, his tribus annumerans *Armenium* filium Hostanis. Tandem Suidas [g] duos alios adjicit, unum *Persomedum*, alterum *Proconesiensem*.

Unde Goropius non absurde colligit *Zoroastris* nomen potius esse familiæ, seu professionis & Sectæ Philosophicæ, quam distinctæ alicujus personæ: subscribunt Bochartus [h] & Huetius dicentes, *Zoroastris* nomen significare Astrologum, seu contemplatorem Astrorum; vel sacrificulum Astrorum, ut placet Laertio [i]. Consentit etiam Apuleus [k] scribens, Magiam Zoroastris esse Diis immortalibus acceptam, colendi eos ac venerandi pergnaram; & *Magum*, Persarum lingua, nihil aliud, quam Sacerdotem sonare. Neque multum hinc abit Porphyrius, [l] cum homines rerum divinarum peritos, & Dei cultores, dicit a Persis Magos appellari. Addit Hesychius, [m] Persas appellare Magum, qui sit & Theologus & Sacerdos. Suidas [n] vero Magos Persas, Zoroastris disciplina institutos, dicit esse Philosophos, & Dei amantes.

Accedit in hujus veritatis confirmationem Auctorum de Zoroastris ætate & patria fluctuatio. Nam ad ætatem quod attinet; *Eudoxus*, inquit Plinius [o], *qui inter sapientiæ Sectas, clarissimam, utilissimamque eam intelligi voluit, Zoroastrem hunc, sex millibus annorum ante Platonis mortem fuisse, prodidit: sic & Aristoteles. Hermippus vero qui vicies, centum millia versuum a Zoroastre condita, indicibus quoque voluminum ejus positis explanavit, ipsum quinque millibus annorum, ante Trojanum bellum, fuisse tradit.* Quibus subscribunt Plutarchus [p] & Suidas [q], quos tamen pro merito ibidem refutat Plinius: mirum enim hoc in primis, inquit, durasse memoriam, artemque a Zoroastre traditam, tam longo ævo Commentariis non intercidentibus, præterea nec claris, nec continuis successionibus custoditam; maxime vero mirum est in bello Trojano tantum de arte Zoroastris silentium fuisse Homero. Unde colligit incertain esse Zoroastris ætatem.

Hinc Persæ Recentiores, illum Abrahami coævum statuunt, Agathias vero [r] Darii Hystaspis æqualem facit. Sunt etiam qui putent eum vixisse temporibus Ezechielis; imo ipsum non alium quam Ezechielem Prophetam suspicatur Joannes Seldenus: [f] plurimi namque e Veteribus censent Zoroastrem illum fuisse Zaratum, quem Plutarchus, vel Nazaratum, quem Alexander apud Clementem Alexand. [t] vel Zabratum, quem Malcus [u] Pytagoræ præceptorem fuisse renuntiant: Zoroaster enim Zarades etiam dictus est, ut testes sunt luculenti Theodoretus [x], & Agathias [y]. Hunc vero Zaradem, vel Zaratum, seu Zoroastrem Pythagoræ præceptorem, eundem cum Ezechiele pluriumi est sententia, ut scribit Clemens Alexand. mox laudatus: qui tametsi hanc assertionem rejiciat, nihilominus tamen, si temporum ineatur ratio, deprehendemus iuventutem Pythagoræ in Ezechielis senectutem incidisse; illos enim inter L. & LII. Olympiadas simul floruisse accuratissima Chronologia docet: ideo quin Nazaratus ille Ezechiel fuerit, non adversatur temporis ratio, ut putat Clemens. Proindeque cum ad Chaldæos iviisse Pythagoram constet: certe fieri potuit, ut cum Ezechiele, viro inter suos claro, & sanctitate, vaticiniis, ac prodigiis celebri, fuerit conversatus, maxime cum ad ejusmodi viros noscendos & alloquendos, tam longinquas peregrinationes susceperit. Vides itaque ex hac sententiarum varietate, incertam omnino esse Zoroastris ætatem.

Neque certe notior est, ac certior apud Auctores ipsius Patria; illum enim nunc Persam, nunc Medum statuit Clemens Alexand. supra laudatus: Persomedum Suidas, [z] Æthiopem Arnobius, [aa] plerique Bactrianorum Regem, qui cum Nino infeliciter conflixit. At ipsum Bactrianorum Regem [a]

[a] *in hist. Genes. cap.* 33.
[b] *Lib.* 4.
[c] *Lib.* 30. *cap.* 11.
[d] *Lib.* 1.
[e] *Lib.* 1.
[f] *Lib.* 1.
[g] *Lib.* 1. *in voce* Zoroaster.
[h] *Lib.* 4. *Geogr. sacræ cap.* 1.
[i] *in Zoroastre.*
[k] *Apolog.* 1.
[l] *Lib.* 4.
[m] *in Magum.*
[n] *in voce Magus.*
[o] *Lib.* 30. *cap.* 1.
[p] *de Iside & Ozyride.*
[q] *in Zoroastre.*
[r] *Lib.* 2.
[f] *Lib. de Diis Syriis syntag.* 2. *cap.* 1.
[t] *Lib.* 1. *Strom.*
[u] *in vita Pithagoræ.*
[x] *Serm.* 9.
[y] *hist.* 11.
[z] *in Zoroastre.*
[aa] *Lib.* 1.

Nino ſuperatum, non Zoroaſtrem, ſed Oecyartem ex Cteſia appellat Diodorus; Alii aliter, nec tamen verius de Zoroaſtris patria fabulantur, ut videbis, ſi lubet, apud Huetium, qui omnia pene de Zoroaſtre Ethnicorum vana Commenta in ſuum librum Demonſtrationis Evangelicæ conjecit: ut inde conſtet de Zoroaſtris perſona, nihil quicquam ex Auctoribus poſſe colligi & definiri.

Accedit quod etiamſi aliquis revera extitiſſet Zoroaſter, inde non eſſet conſequens, libros ſub ejus nomine evulgatos, ab eo fuiſſe certo editos. Fieri enim potuit, ut a Recentiore quodam confecti illi libri, ſub antiquiſſimi Zoroaſtris inſcriptione circumferrentur; quatenus ſub antiquitatis obtentu, majorem ſibi auctoritatem conciliarent: quo ſane artificio plurimi ineſcati, præclara iſta ementitæ vetuſtatis monumenta, velut oracula, exceperunt.

Faceſſant ergo oracula illa Magica, Græce ſcripta, quæ cum Pſelli, & Pletonis Scoliis edita ſunt; tametſi ea vetuſtiſſima ſint, utpote, quæ Crœſi temporibus extitiſſe narret Nicolaus Damaſcenus a Porphyrio prolatus. Non ſinceri quoque ſunt libri illi, quos Zoroaſtris nomine inſcriptos, Caldaice habuiſſe fertur Joannes Picus Mirandulanus. Ementiti pariter ducenta verſuum millia, quos, teſte Plinio [a], Hermippus ſub Zoroaſtris nomine conditos explanavit. Suppoſititia quoque ea Zoroaſtris opera, quæ ſe in Arcadis habere jactabant Hæretici illi, qui Prodici Philoſophi doctrinam ſectabantur, ut refert Clemens Alexand. [b] indidem & quos libros commemorat Suidas, & qui de Magia Zoroaſtris nomine ſcripti circumferebantur, ut Auctor Recognitionum Clementis, [c] nec non & plurimæ aliæ lucubrationes, quæ ſub ementito Zoroaſtris nomine, veteres Hæretici, aut perverſi homines, incautis obtruſerunt.

a *Lib.* 30. *cap.* 1.

b *Lib.* 1. *Strom*

c *Lib.* 4. *cap.* 27.

XIX. Alterum ſcripturæ ante Moſen uſitatæ argumentum proferri poteſt ex Mercurii libris, quem Trismegistum a Veteribus idcirco appellatum exiſtimat Marſilius Ficinus, quod ſimul Rex, Sacerdos, & Sapiens maximus crederetur. Ab eo autem varios ſcriptos libros & in uſu fuiſſe apud Ægyptios, ſic recenſet Clemens Alexand. [d]

d *Lib.* 6. *Strom. p.* 633.

„ Suam quandam ac peculiarem exercent „ Ægyptii Philoſophiam, *inquit*, hoc autem maxime oſtendunt ſacræ eorum Cæremoniæ. Primus autem procedit Cantor, unum aliquod afferens ex Symbolis Muſicæ. Eum dicunt oportere accipere duos libros ex libris Mercurii: ex quibus unus quidem continet hymnos Deorum, alter vero rationes vitæ regiæ. Poſt Cantorem vero procedit Horoscopus, qui in manu habet horologium, & palmam, ſymbola Aſtrologiæ & ſigna. Eum libros Mercurii, qui tractant de Aſtrologia, qui quidem ſunt quatuor numero, oportet ſemper habere in ore. Ex quibus unus quidem eſt de ordine inerrantium, quæ videntur, Aſtrorum; alius vero de coitu & illuminatione Solis & Lunæ, reliqui de eorum ortu. Deinceps autem ὑπογραμματεὺς, id eſt, Scriba Sacrorum pennas habens in capite, & librum in manibus, ac regulam, in qua eſt & atramentum ad ſcribendum, & juncus quo ſcribunt, progreditur: hunc oportet ſcire, & ea quæ vocantur Hieroglyphica, & Mundi deſcriptionem, & Geographiam, & ordinem Solis & Lunæ, & quinque errantium, Ægyptique Chorographiam, & Nili deſcriptionem, & deſcriptionem inſtrumentorum, ornamentorumque ſacrorum & locorum eis conſecratorum, menſuraſque & ea quæ ſunt in ſacris utilia. Deinde poſt eos qui prius dicti ſunt, ſequitur qui dicitur ὡρολόγος, id eſt, Ornator qui juſtitiæ cubitum, & ad libandum habet calicem. Is ſcit omnia quæ vocantur κειθαρωδικὰ, id eſt, ad diſciplinam, & inſtitutionem pertinentia, & μαγειροφαγικὰ, hoc eſt quæ ad ritum mactandorum ſpectant vitulorum. Sunt autem decem quæ pertinent ad honorem eorum, qui ſunt apud eos Deorum, & Ægyptiam continent religionem: nempe ſacrificia, primitiæ, hymni, preces, pompæ, dies Feſti, & quæ ſunt his ſimilia. Poſt omnes exit Propheta, qui aperte in ſinu geſtat hydriam: quem ſequuntur qui emiſſos panes portant. Is, ut qui ſit ſacrorum Præfectus, ediſcit libros decem qui vocantur Sacerdotales; continent autem de Legibus, & Diis, & de univerſa Sacerdotum diſciplina: Propheta enim apud Ægyptios præeſt etiam diſtributioni vectigalium. Sunt ergo quadraginta duo libri Mercurii valde neceſſarii, ex quibus triginta quidem & ſex, qui continent omnem Ægyptiorum Philoſophiam, ediſcunt ii qui ante dicti ſunt: reliquos autem ſex παστοφόροι, id eſt, qui geſtant pallium, ut qui pertineant ad Medicinam, nempe de conſtructione corporis, & de morbis, & de inſtrumentis, & medicamentis, & de oculis, & poſtremo de mulieribus. *Hæc S. Clemens Alexand.*

Inſuper Jamblicus [e] refert hunc Mercurium, non ſolum Philoſophiæ, ſed & totius Ægyptiacæ ſapientiæ fuiſſe Auctorem, ac Principem; profertque teſtimonium Seleuci, & Menæti, veterum Auctorum aſſerentium ſcripſiſſe eum de univerſa Ægyptiorum ſapientia libros triginta ſex millia, & quingentos viginti quinque; in quibus particulatim recenſentur de Diis Empyreis, libri centum; de Diis Æthereis, libri centum; de Cœleſtibus libri mille. Quorum plerique ex lingua Ægyptiaca in Græcam tranſlati ſunt a viris Philoſophiæ non imperitis. Et ob id ſtylo Græco videntur conſcripti.

e *Lib. de Myſteriis Ægypt.*

Adjicit tandem Philo Biblius ex Sanchuniathone [f] Mercurium Triſmegiſtum, Saturno fuiſſe a tabulis & codicillis; atque ejus conſilio & operibus, ac Magicis cantionibus, Saturnum Cœlo patri bellum intuliſſe; eoque imperii finibus ejecto, regno illius fuiſſe potitum. Ex quibus omnibus manifeſtum fit, literarum uſum Mercurii temporibus fuiſſe frequentatum. Hunc autem Mer-

f *apud Euſeb. lib.* 2. *Prep. pag.* 36.

Mercurium Pharaone antiquiorem facit Suidas, Abrahami æqualem eum fuisse scribit Candalla, qui Græce Latineque ipsius Trismegisti Pœmandrum publicavit. Fuit ergo literarum inventum Mose anterius.

Verum etsi ista argumenta præcedentibus urgentiora videantur, eorum tamen vim posset quis elidere reponendo I. Mercurium ipsum, ut jam dictum est, non alium fuisse, quam Mosen personatum, cujus cum celebre ubique terrarum nomen esset, maxime apud Ægyptios, inde factum est, ut eo posteriores Ægyptii Scriptores, libros suos sub ementito Mercurii nomine evulgarint, quatenus illis ex antiquitate pretium & existimationem venarentur, ut testis est Jamblicus [a] sic scribens: *Αἰγύπτιοι φασὶ περὶ Ἑρμοῦ τὰ πλείστα ἐφευρεθῆναι. Sane Ægyptii Scriptores putantes omnia inventa esse a Mercurio, libros suos Mercurio inscribebant.* Subscribit Tzetzes, [b] adjicens propterea Ægyptios libros suos Mercurio inscripsisse, quod ipsum totius sapientiæ Præsidem existimarent; quia scilicet rerum omnium primordia in suis libris Moses complexus est, nec Mundi solum, & Naturæ, sed Religionis etiam & Theologiæ, Historiæ quoque humani generis & animalium, nec non Castrensis disciplinæ, & Legum ferendarum doctrinæ, omniumque artium præcepta, ac documenta tradidit. Unde merito scripsit Artapanus [c] in libro de Judæis, armorum, navigiorum, antliarum, seu tolenonum, sacrarum literarum, & Civilis disciplinæ Inventionem Mosi Ægyptios debere, Merito quoque dixit Clemens Alexand. *Est ergo nobis Moses præscius futurorum, Legumlator, aciei instruendæ, exercitus ducendi, Reipublicæ administrandæ peritus & Philosophus.*

Ea itaque causa fuit, ut propter Mosis auctoritatem & antiquitatem, ei sub Mercurii nomine multa adscripta sint a subdolis hominibus, favorem scriptionibus suis & plausum illustri nomine conciliantibus; quemadmodum & libellos sub Pœmandri & Asclepii titulis, non multo post Christum, eidem Christiani quidam adscripserunt. Hos enim libros suppositititium esse opus, & non solum Mose, sed etiam Scriptoribus Canonicis novi Testamenti posterius esse, sibi facile persuadebit quisquis eorum concordiam diligentius inspexerit. Nam Pseudo-Mercurius iste oblatam sibi per visum speciem Orbis conditi refert, eo pene modo, quo Moses *cap. I. Geneseos* exponit. *Præterea* narrat Deum hominem a se conditum & ad imaginem factum adamasse, eique omnia sua opera commisisse: non aliud certe, quam quod Moses ibidem scribens, hominem procreatum a Deo, ut præesset piscibus maris, bestiis terræ, volatilibus Cœli, & cæteris quæ terra continentur. *Rursus* eodem capite recenset Deum animalibus omnibus a se procreatis mandasse ut crescerent, & generatione multiplicarentur, terramque & mare replerent, quæ sunt ipsissima Mosis verba. *Insuper* Pœmandres se λόγον κυρίου *Verbum Domini* esse prædicat; quæ loquendi ratio, & appellatio non alibi quam in sacris literis usurpata legitur. Similiter scribit λόγον & νοῦν, *Verbum & Mentem a patre genitum esse*; & θεὸν τὸ πνεῦμα καὶ πνεύματος, *ac Deum ignis & Spiritus.* Quæ certe non aliunde, quam ex Scriptoribus Novi Testamenti deprompta videntur.

Est tamen Pseudo-Trismegistus iste perantiquus; siquidem illius testimonio usus est Justinus Martyr [d] qui anno Christi 150. floruit, ut ipse refert in Apol. 2. Quamobrem videntur scripta illa consignata ab aliquo Christiano paulo post Apostolorum tempora, qui ad antiquitatis usurpandam speciem, veris dogmatibus Christianæ religionis, pleraque de Platone, ac Philosophis aliis, de industria admiscuit, Mercurioque adscripsit, ut sub tanto nomine fumum suum posteris venditaret. Quoniam autem scripta ista avide, ut pretiosa venerandæ antiquitatis monumenta arripiebant Philosophi Gentiles; consulto ex eis, quæ Christianorum causæ patrocinabantur, testimonia usurpabant SS. Patres, ut ex scriptis a Gentilibus probatis, eorum errorem revincerent, fideique dogmata suaderent. Unde Lactantius [e] Augustinus [f], Cyrillus [g], & alii Patres, ex suppositio illo Pœmandre, ad Christianorum dogmatum illustrationem, plurima protulerunt. Ex his omnibus colligere licet, libros omnes sub Mercurii nomine vulgatos suppositititios esse: ac subinde ex eis nihil accedere patrocinii eorum sententiæ, qui scripturæ Alphabetariæ usum Mose antiquiorem esse contendunt.

II. Responderi potest cum S. Augustino, quod etiamsi aliquis extiterit antiquissimus Scriptor nomine Mercurius, & dignitate Trismegistus, ille certe Mose posterius claruit. *Quod attinet* (inquit S. Augustinus [h]) *ad Philosophiam, quæ se docere aliquid profitetur, unde fiant homines beati, circa tempora Mercurii, quem* TRISMEGISTUM *vocaverunt, in illis terris ejusmodi studia claruerunt: longe quidem ante Sapientes, vel Philosophos Græciæ: sed tamen post Abraham, & Isaac, & Iacob, & Ioseph: nimirum etiam post ipsum Mosen: eo quippe tempore, quo Moses natus est, fuisse reperitur Atlas ille magnus Astrologus, Promethei frater, maternus avus Mercurii majoris, cujus nepos fuit Trismegistus ille Mercurius.*

Etiamsi concederetur aliquem revera extitisse Mose anteriorem, nomine Mercurium, sapientia celebrem, qui doctrinam suam posteritati consignaverit; reponere quis posset inde argumentum non esse, literas Alphabetarias ejus ætate fuisse in usu; quippe Mercurius ille, qui etiam Tath, & Taautus, ac Thoyth dictus est, (si tamen alius fuit a Mose) nihil videtur scripsisse literis Alphabetariis, sed tantum Hieroglyphicis; idque in eis columnis, quæ *Mercuriales* dictæ sunt, quibus ad Philosophiam veluti magistris usi sunt, Pythagoras, Plato & alii.

Sciendum enim est ante repertum papyri usum, saxis Veteres animi sensa consignasse; præsertim vero Phœnices & Ægyptios, ut tradunt Herodotus [i], Strabo [k], & Plinius [l]. Eximia generis hujus monumenta quam plu-

[a] *init. lib. de Myster. Ægypt.*

[b] *Chil. 4.*

[c] *apud Euseb. prap. Evang. lib. 9. cap. 27. pag. 432.*

[d] *in calce paraneseos ad Græcos, ad calcem.*

[e] *lib. 4. cap. 6.*

[f] *lib. de 5. hæres. cap. 3.*

[g] *lib. 1. contra Iulian.*

[h] *lib. 18. de Civit. cap. 19.*

[i] *lib. 2. cap. 102.*

[k] *lib. 17.*

[l] *lib. 6. cap. 29.*

ri-

rima extabant olim in Ægypto, quæ a Diodoro [a] descripta sunt. Mirabiles in primis fuere Syringes, seu subterranei quidam secessus prope Thebas Ægyptias, magno labore excavati, quorum meminit Ammianus Marcellinus [b], qui eorum parietibus Hieroglyphicas literas insculptas fuisse perhibet ante diluvium a viris, qui calamitatis hujus præscii, priscarum rerum notitiam, hac arte adumbratam, ad posteros commendarunt. *Sunt*, inquit, *Syringes subterranei quidam & fluxuosi secessus, quos, (ut fertur) periti rituum vetustorum (adventare diluvium præscii, metuentesque ne cæremoniarum obliteraretur memoriæ) penitus operosis digestos fodinis, per loca diversa struxerunt: & excisis parietibus, volucrum, ferarumque genera multa sculpserunt, & animalium species innumeras, quas Hieroglyphicas literas appellarunt.*

a *lib.* 1.

b *lib.* 22. *pag.* 232.

Celebriores vero ac sacratiores habebantur illæ columnæ, quæ ferebantur sacris notis inscriptæ a Thoyth, sive priori Mercurio, in linguam Græcam postmodum ab Agathodæmone secundi Mercurii filio transcriptæ & explicatæ, ut refert Manetho apud Eusebium & Georgium Syncellum [c]. *Ex columnis*, inquit, *in Seriadica terra positis, sacro sermone, & Hierographycis literis a Thoth Mercurio primo exaratis, ex illa sacratiore lingua, figurisque more sacro scriptis, in Græcanicum sermonem transtulit Mercurius Agathodæmonis filius, eosque libros in adytis templorum Ægyptiorum reposuit.* Itaque nulli fuerunt Mercuriales libri, nisi illi, qui ab ipso Mercurio secundo confecti ferebantur.

c *in Chron. pag.* 40.

Porro hic Mercurius si revera fuerit, Mose junior fuit, ut notat Eusebius [d], scribens eum duntaxat floruisse circa annum 50. post exitum Israelitarum ex Ægypto; imo si quæ Manethoni fides, longe adhuc posterior; quippe significat eum fuisse ex majoribus Ptolemæi Philadelphi: sic enim ad ipsum Regem scribit apud Syncellum mox citatum: *Manetho Sacerdos & sacrorum per Ægyptum penetralium Notarius, genere Sebennyta, urbe Heliopoli, Domino meo Ptolemæo salutem. De rebus omnibus nobis tuo jussu, Rex magne, propositis, attente cogitandum est. Hac de causa interroganti tibi de iis quæ Mundo accident, quæque ex libris ab Primogenitore tuo, ter magno Mercurio conscriptis, mihi sunt nota, pro ut imperasti cuncta manifestabuntur.* Quod autem ait Manetho apud Eusebium & Georgium Syncellum, Mercurii columnas ante diluvium extitisse in Seriadica terra, in eo videtur Columnas Mercurii Ægyptias confundere cum Columnis duabus, lapidea una, lateritia altera, quibus Sethi nepotes sideralem scientiam insculptam commendasse, Josephus [e] tradidit; quarum lapideam sua adhuc ætate in Syriade mansisse affirmat. Ubi eruditus Vossius [f] advertit scriptum esse *Syriade*, forte pro *Seirath*, loco in Galgalis in quo fuisse פסלים *pessilim*, hoc est, lapides sculptos, docet nos liber Judicum, ubi vulgatus Interpres vertit *Idola*, forte quia lapides illi a Patriarcha insculpti, propter venerandam antiquitatem ritu indebito colerentur,

d *in Chronico. Num.* 556.

e *Joseph. Antiq. lib.* 1. *cap.* 3.

f *de ætate Mundi cap.* 10. *cap.* 3. 19. & 26.

At, *inquies*, Sanchuniatho supra a nobis relatus dicit Mercurium Trismegistum Saturno fuisse a codicillis, hoc est ejus Amanuensem, & Regium Scribam. Erat ergo ejus ætate scripturæ Alphabeticæ usus.

Respondeo. Primo incertum esse, quis fuerit ille Saturnus, cujus Mercurius dicitur a codicillis extitisse, plurima siquidem de Saturno fabulati sunt Veteres. Nam alii volunt adumbratum in Adamo, alii in Noacho, cujus cum filii Orbem terrarum diviserint inter se, ita Jovem, Neptunum & Plutonem Saturni filios, totum Orbem partitos esse, Græci fabulantur. Id prædicat Lactantius [g] & plurimi comprobant Recentiores. Sunt etiam qui Saturnum patris virilia falce demetentem, Chami figuram esse, patrem nudatum deridentis, & fratribus denuntiantis affirment. Belum autem seu Nemrodum Babylonis conditorem, Saturnum esse dissimulatum, docent Eusebius [h] & Theophilus [i]: at de his infra.

g *lib* 1. *cap.* 11. *Institut.*

h *in Chron.*

i *lib.* 3. *ad Autolic.*

Respondeo secundo, Non omnia quæ de Sanchuniathone refert Philo-Biblius, exacte exscripta censeri, sicut nec ipse Sanchuniatho Mosis libros, ex quibus rerum principia, & primorum hominum historiam excipsit, perfecte fuit assectatus; ea enim excerpsit duntaxat, quæ cum gentis suæ religionibus & receptis dogmatibus consentirent, plurimis admixtis fabulis, & commentis, quale est istud Saturni bellum, adversus Cœlum Patrem, ad vindicandam terræ Matri suæ a Cœlo marito irrogatam injuriam. Mosis itaque veram Historiam Sanchuniatho, Sanchuniathonem vero Philo-Biblius in plurimis interpolavit.

His adde, non universim & absque delectu, dandam esse fidem Scriptoribus Ethnicis, in iis maxime quæ de rebus gestis ante primam Olympiadem referunt; omnis namque anterior Historia omnino nutat, ut erudite docuit Varro, a Censorino [k] prolatus. *Hic enim*, inquit, *tria discrimina temporum esse tradit. Primum ab hominum principio ad Cataclysmum priorem, quod propter ignorantiam vocatur ἄδηλον. Secundum a Cataclysmo priore ad Olympiadem primam: quod quia in eo multa fabulosa referuntur μυθικὸν nominatur. Tertium a prima Olympiade ad nos: quod dicitur ἱστορικὸν quia in eo res gestæ veris historiis continentur.*

k *de die natal. cap.* 21.

XX. Tandem proferri possunt in hujus sententiæ de Antiquitate Scripturæ confirmationem varia Sibyllina oracula, quæ videntur ante Mosem literis mandata: etenim Sibylla vaticinatur de populo Israelitico in hunc modum [l],

Cum vero Ægyptum linquet, desertaque vadet,
Per loca bis senæ, populus de prole creatus,
Sub Ducibus missis divinitus, inque columna,
Ignita per iter noctis gradietur opaca,
Per totumque diem nebulæ præeunte columnæ;
Huic populo Ductor dabitur vir magnus, ab illo
Moses, quem inventum propter Regina palude
Sustulit & nati nutritum nomine dixit.

l *lib.* 3. *de ipso Mose & Israel.*

Ve-

Verum hæc efficacius quam præcedentia nos movere non debent; siquidem Sibyllarum oracula quæ nunc extant, quæve Obsopeus e Bibliotheca Regia publici juris fecit, cum notis Pselli & aliorum, genuina non sunt, sed supposititia; siquidem ut ipse Obsopeus notavit, tempus, ordo, dictio, & res ipsæ quæ narrantur, ejusmodi oraculorum auctoritatem elevant. Nam si ætatem, qua Sibyllæ vixerunt, attendas; omnes illæ, ut scribunt Justinus Martyr, Clemens Alexandrinus, Eusebius & cæteri Ecclesiastici Scriptores, Mose posteriores fuerunt. Idque colligitur ex ipsismet Sibyllinis oraculis, quippe cum conscripta proferantur annis 1500. post initium Græcorum imperii ut patet ex his versibus.

Mille anni atque aliæ sunt Penthecatontades, ex quo
Græcorum Reges regnum tenuere superbi.

Quin-etiam plurima ex istis oraculis, post Christum conscripta esse videntur: tum quod Sibylla asserit se alterum incendium ædis Vestalis vidisse; hoc autem incendium, ut refert Eusebius, * contigit sub Imperatore Commodo. Tum quod referta sunt pluribus opinionibus post Christum excogitatis, puta impios post aliqua sæcula ex æterno supplicio liberatum iri, quæ fuit sententia Origenistarum; unde non levis oritur suspicio, oracula ista a quodam opinionis illius imbuto, potiusquam a Sibylla concinnata fuisse. Similiter supponit secundum hæresim Chiliastarum, non solum Hierusalem reædificandam, ac restaurandam; verum etiam futuram sedem imperii Filii Dei, ubi sancti omni delitiarum, tum spiritualium, tum corporearum genere perfruentur, sic autem canit [a]:

* *In Chronicis.*

[a] *Lib. 2.*

Ast alios qui jus æquum coluere bonumque
Et quibus & pietas, & mens fuit optima cordi,
Sublatos genii, rapidum per fluminis æstum,
Ducent in lucem, & securæ munera vitæ,
Immortalis ubi magni via trita Tonantis;
Fontibus & trinis vinum, lac mella scatebunt, &c.

Rursum plura in ejusmodi oraculis falsissima referuntur, nam lib. 1. asseritur Noe quadraginta tantum diebus mansisse in arca his verbis;

Noe igitur cunctos homines justissimus inter
Exiit octavus, vicenos cum bis & unum
Complessetque Soles (Deus ipse volebat) in undis.

At ex Genesi constat [b], Noe anno solido, in arca fluctuasse. Similiter [c] vaticinatur Tiberium Persidem & Babyloniam expugnaturum, quod certe omnibus historiis repugnat. Prædicit Romam perituram infra annum 248. scilicet anno Christi 195. & Severi Imperatoris tertio; cujus contrarium probavit eventus.

[b] *Cap. 7. & 8.*

[c] *Lib. 5.*

Denique Sibyllina oracula, ita aperte referunt mysteria Incarnati Verbi, ut inde conjicere liceat ea exprimere, quæ non erant futura, sed res præteritas, aut præsentes; nam quod Isaias [d] indefinite prædixit; *Ecce Virgo concipiet & pariet filium*; Sibylla nominatim effert: *Ecce Virgo Maria pariet puerum Iesum in Bethleem*; perinde ac si clarius & distinctius incarnandi Divini Verbi mysteria, Sibyllæ præviderint [e] quam Prophetæ Christi baptismum in Jordane nullus Prophetarum clare prædixit: at Sibylla & baptismum illum & Spiritus Sancti apparitionem sub Columbæ specie, multo ante, si ita est, præsignificavit. His adde quod illorum versuum Auctor sese Christianum prodit [f], cum ait;

[d] *Cap. 7. 14.*

[e] *Lib. 6.*

[f] *Lib. 8. pag. 66.*

Nos igitur sancta Christi de stirpe creati
Cœlesti nomen retinemus proximitatis
Lætitiæ memores, servantes Religionem.

Ex his aperte constat Sibyllina vaticinia, prorsus esse suppositicia; non recentiora tantum quæ circunferuntur: sed etiam pleraque antiqua, quorum meminerunt Veteres. Nam ut scribit Cicero [g]: *Callide qui illa composuit, perfecit, ut quodcunque accidisset, prædictum videretur, & hominum & temporum definitione sublata. Adhibuit etiam latebram obscuritatis, ut iidem versus alias in aliam rem posse accommodari viderentur.* Et deinde; *Quamobrem Sibyllam quidem sepositam & conditam habeamus, ut id quod proditum est a majoribus, injussu Senatus ne legantur quidem libri, valeantque ad deponendas potius, quam ad suscipiendas religiones.* (8)

[g] *Lib. 2. de Divinat.*

§. III.

(8) Varia fuerunt de Sibyllarum oraculis Eruditorum judicia: inter apocrypha eorum nonnulli singulos illarum versiculos reiiciendos tuentur pro viribus, inter quos Blondellus præsertim, qui ab impostore aliquo post Christum natum ea vaticinia arbitratur conficta. Diu post Mosem ea in lucem prodiisse nequaquam ambigimus; quemadmodum & plura ex aliena manu inter eadem inserta fatemur, proindeque ex illis nullum argumentum pro Scripturæ antiquitate supra Mosem desumi posse. Verumtamen ante Christum natum aliqua sub Sibyllarum nomine extitisse vaticinia, ultra Lactantium Lib. 1. *de falsa Religione* Cap. 6., & Lib. 4. *de vera Sapientia* Cap. 15. ubi a Cicerone, Varrone, aliisque veteribus Erithræam Sibyllam, aliasque commemoratas esse scribit, testes habemus S. Justinum in cohortatione ad Græcos, Clementem Alexandrinum Lib. 6 Stromatum, Origenem Lib. 7. contra Celsum, Ciceronem Lib. 1. de Divinatione & in Verrina ultima, Dionysium Alicarnassæum Libris 1. 3. 4. & 10. Livium Libris 3. 4. 5. 7. & 10. Decadis primæ, Josephum Lib. 1. Antiquitatum Cap. 5. Gellium Lib. 1. Cap. 19. Pausaniam denique, Solinum, & Plutarchum: ex quibus ante Christum aliquos Sibyllarum Libros extitisse revincitur. (W)

§. III.

Urgentiora proferuntur indicia usitatæ Alphabetariæ scripturæ ante Mosem, petita ab ejus coætaneis.

XXI. LEVIORA sunt fateor omnia quæ hactenus protulimus momenta, ad eam Alphabetariæ scripturæ vendicandam antiquitatem, quam affirmans sententia prætendit. Graviora jam ab ipsius Mosis coætaneis, aut paulo superioribus vel inferioribus petita profero. Primusque mihi occurrit virorum patientissimus JOB, qui suo tempore literarum ac librorum usum jam familiarem fuisse, aperte significat, cum ait[a]; *Quis mihi tribuat, ut scribantur sermones mei? Quis mihi det, ut exarentur in libro stylo ferreo, &c.* Agnovit ergo usum librorum & literarum Alphabeticarum, quibus solis, voces & sermones scribi possunt, & oculis objici. Porro vir ille sanctissimus, Mosi æqualis erat aut paulo superior. Scio quidem circa ejus originem variare Auctores; quippe ea de re quadruplex memoratur diversa sententia. Prima eum Chananæum facit: Secunda Israelitam? Tertia Nachoritam: Postrema Idumæum. Sed priores duæ opiniones, obscuros habent Auctores; propugnatorem neminem; probabilitatem fere nullam. *Tertia* inventores habet Hebræos, propugnatorem S. Hieronymum[b], qui Jobum de stirpe Hus primogeniti Nachor, fratris Abraham descendisse scribit; & errare eos, qui de Esau genere esse putant. *Quarta* vero communissima est, quæ Jobum ab Esau stirpe propagatum esse contendit; quam post LXX. Interpretes tuentur plurimi e SS. Patribus, in primis Origenes[c], Eusebius[d], Athanasius[e], Epiphanius[f], Chrysostomus, Theodoretus[g], Gregorius Magnus[h], & alii.

Tametsi, vero, circa ejus originem non conveniant Auctores; consentiunt tamen, aut saltem modicum dissentiunt circa ejus ætatem; affirmant quippe tertiæ sententiæ propugnatores, ipsum tertio gradu distare a Nachore; nam Nachor habuit filium Hus, qui genuit Zaram, quem volunt Jobi fuisse parentem. Assertores vero quartæ sententiæ, eum quinto gradu cum LXX. Laudatis, ab Esau distare volunt, natumque illum fuisse annis aliquot antequam Jacob cum stirpe sua in Ægyptum migraret. Vixisse autem fertur 248. vel 240. ut est in Bibliis Sixtianis: quoniam, ut legitur ad calcem hujus historiæ, post sospitatem vixit annis 140. antea itaque natus erat ann. LXX. cum enim duplicia illi Deus omnia reddiderit postquam e malis emersit, etiam ætatem duplicasse credendum est, ac proinde annos habebat LXX. antequam in calamitatem incideret, in ipsa autem calamitate annos VII. transactos esse volunt Olympiodorus & Suidas. Quoniam itaque natus ponitur Job sub id tempus, quo in Ægyptum profectus est Jacob; ab eo vero tempore, ad migrationem Israelitarum, cum anni putentur 215. mortuum esse Jobum, biennio post eandem profectionem Israelitarum ex Ægypto existimat Perrerius, ex eoque Torniellus. Ut ut sit, probabilissimum est, Jobum Mosis esse æqualem, aut paulo superiorem. Cum itaque ejus tempore jam frequens esset librorum & scripturæ Alphabetariæ usus, argumentum est ipsum Mosem non esse hujus artis primum inventorem.

XXII. Confirmatur indicium istud ex *cap.* XV. *Exodi* ubi legimus quod Israelitæ vadato Maris rubri gurgite, videntes Ægyptios mortuos super littus Maris, & manum magnam, quam exercuerat Dominus contra eos, tunc in Dei laudem & gratiarum actionem, cum Mose cecinerunt canticum istud: *Cantemus Domino gloriose enim magnificatus est, equum & ascensorem dejecit in mare, &c* Neque id viri duntaxat, sed etiam mulieres, præeinente Maria Prophetissa sorore Mosis & Aaron, ut legitur ibidem[k] quinimmo etiam parvuli, & infantes idem præstiterunt. ut declarat Sapiens his verbis[l]: *Decantaverunt Domine Nomen sanctum tuum & victricem manum tuam laudaverunt pariter; quoniam Sapientia aperuit os mutorum, & linguas infantium fecit disertas*: Qui autem fieri potuit, ut tot virorum fœminarumque millia, uno ore, eademque modulatione, canticum unum cecinissent, nisi a Mose prius editum, Israelitarum quisque exscriptum habuisset? Neque enim audiendus est Auctor *de mirabilibus Scripturæ sacræ*, dum scribit[m]: *Accidit dignum miraculum, ut cuncti pariter senes cum pueris, & omnes ætates, eodem inspirante flamine, uno quasi ex ore nulla præmunitione edocti, eusdem concinentes literas decantarent in unum*. Et infra: *Consonum omnes carmen decantare in uno momento, Dominus illis donavit, & in tali cantico eorum linguas & ingenia gubernabat*. Ista, inquam, ab eo Auctore, quisquis ille sit, gratissime asseri nemo est qui non videat, quippe cum ejus miraculi, apud Scriptores Canonicos, qui minus notanda non silent, ne levis quidem fiat mentio.

XXIII. Urgentius in hujus sententiæ confirmationem, argumentum subministrat de Calebo sacra narratio. De eo namque refert sacer Textus[n] quod post expugnatam Hebron, *inde conscendens venit ad habitatores Dabir, quæ prius vocabatur Cariath-Sepher, idest*, CIVITAS LITERARUM; unde Joannes Annius[o] existimat civitatem illam, primam fuisse Orbis Universitatem. Petrus autem Comestor auguratur sic nuncupatam, quoniam hujus urbis cives, Scriptores essent: Lyranus vero conjicit Dabir appellatam, civitatem literarum, quia ibi vigebat

ali-

a *Cap.* 9. 23.

b *in Trad. Hebr. in Genes.*

c *in cap.* 63. *Genes.* 31.
d *lib.* 9. *cap.* 25. *præp. Evang.*
e *in Synopsis.*
f *initio Panari.*
g *Homil.* 2. *de Lazaro*
h *Quæst.* 92. *in Genes.*
i *init. Præfat. in Iob.*

k *vers.* 10.

l *Ap.* 10.

m *Cap.* 28.

n *Iosue* 15.

o *Super Xenophontis æquivoca.*

alicujus doctrinæ ſtudium inter Chananæos: Xenophonti eſt Gymnaſium Phœnicum: Chaldæo בריתארכי *Berith archi* Urbs Archivorum; nam Chaldaice ארכי *Archi*, idem quod Græce ἀρχεῖα, ſive *Archiva*: quia (inquit Maſius in hunc locum) plurima antiquitatis monimenta, poſt diluvium in ea urbe fuerant repoſita a Nepotibus Noe, cum in vicina civitate Hebrone habitarent. Eſt enim Hebron, inquit Maſius, Dabiræ propinqua, urbs antiquior Tani Ægyptiorum annis ſeptem [a], omnium urbium vetuſtiſſima. Accedit etiam quod nomen *Dabir* Perſice librum deſignat; Hebraice locum ſecretiſſimum & veluti ſacroſanctum atque penetrale adytum, qualia profecto habentur tabellaria, in quibus ſacra antiquitatis monimenta recondebantur.

a *Num.* 13. 23.

XXIV. Adjici etiam poteſt in hujus rei confirmationem, illa columnarum Tingitanarum inſcriptio facta a Phœnicibus illis, qui Joſue vaſtationem declinantes, in Africam trajecerant, Quam rem ſic narrat. Procopius [b]: *Univerſa illa regio, quæ patet a Sidone in Ægyptum uſque*, PHOENICIA *olim dicebatur: & qui Phœniciam hiſtoriam ſcripſere, unum olim Regem imperitaſſe ei tradunt. Finitimi vero erant Gerſeſei, & Iebuſei, qui cum numeroſum illum Joſue exercitum, recta ad ſe pergere viderunt, in Ægyptum confugerunt. Sed quia regio tantæ multitudinis capax non erat, paulo poſt in Africam penetrarunt, ibique Vrbes multas extruxerunt, & ad uſque Herculis columnas, Colonias deduxerunt. Vnde lingua Semiphœnicia adhuc utuntur. Inter alias in Numidia urbem* TINGIT *condiderunt; natura loci munitiſſimam, apud quam prope magnum foutem, columnæ duæ ex candido marmore viſuntur, quibus Phœnicia lingua inſculpta leguntur hæc verba:* HMEIC ECMEN OI ΦΥΓΟΝΤΕC ΑΠΟ ΠΡΟCΩΠΟΥ ΙΗCΟΥ ΤΟΥ ΛΗCΤΟΥ ΤΙΟΥ ΝΑΥΗ. id eſt, NOS FUGIMUS A FACIE JOSUE LATRONIS FILII NAVE. *Et hæc eorum populorum origo, qui hodie* MORUSII *vocantur.* Erat itaque Scripturæ uſus, etiam apud Exteros, ea ætate qua florebat Moſes.

b *Lib.* 11. *Vandal.*

Confirmantur iſta omnia hoc oraculo S. Stephani Protomartyris in Actis Apoſtolicis dicentis [c]: *Eruditus eſt Moſes omni ſapientia Ægyptiorum*; quæ autem comparari poſſet eruditio, ſine literis? *Neque quiſquam dicere audebit*, inquit S. Auguſtinus [d], *mirabilium diſciplinarum eos peritiſſimos fuiſſe, antequam literas noſſent.* Erat igitur ante natum Moſem literarum & librorum apud Ægyptios uſus. Hoc maxime perſuadent varia diſciplinarum genera apud Ægyptios frequentari ſolita, quibus Moſes innutritus refertur a Philone [e]: *Moſes*, inquit, *Numeros & Geometriam, univerſamque Muſicam, Rithmicam, Harmoniam, Metricam, ſive contemplativam, ſive per voces inſtrumentaque promentem ſe modis variis, accepit ab Ægyptiis Doctoribus: maxime vero occultam Philoſophiam deſcriptam literis, ut vocant, Hieroglyphicis, hoc eſt, notis animalium quæ ipſi venerantur pro Numinibus: ex propinquis autem regionibus evocati Chaldæi docuerunt Syderalem ſcientiam, ſeu Aſtronomiam.* Idem referunt Auctor Quæſtionum ad Ortodoxos, [f] & Clemens Alexandrinus [g].

c *Cap.* 7. *v.* 22.

d *Lib.* 8. *de Civit. Dei cap.* 39.

e *Lib.* 1. *de vita Moſis.*

f *Quæſt.* 25.

g *Lib.* 6. *Strom.*

Quanto autem ſtudio variis his diſciplinis incubuerint Ægyptii, præclare exponit apud Heliodorum Calaſiris Ægyptius Antiſtes: duplicem ſiquidem eſſe ait ſapientiam Ægyptiorum; aliam vulgarem, quæ *Necromantia* eſt; aliam divinam, quæ vera *Sapientia* eſt [h]: *Cui nos*, inquit, *Sacerdotes e Prophetis prognati, ab adoleſcentia ſtudemus; cœleſtia ſpectantem, Deorum Sociam, naturæ divinæ participem, Aſtrorum motus ſcrutantem, & notitiam futurorum lucrifacientem.* Hanc diſciplinam hauſiſſe videntur Ægyptii a Chaldæis, qui omnium primi Aſtronomiam videntur ſtudioſiſſime excoluiſſe; nam, inquit Plinius [i]: *Epigenes apud Babylonios 720. annorum obſervationes ſyderum coctilibus laterculis inſcriptas, docet.* Antiquiorem adhuc apud Chaldæos hujus diſciplinæ uſum aſſerit Simplicius [k] refert enim poſt expugnatam & captam Babyloniam ab Alexandro Magno ibi repertas fuiſſe ſyderum obſervationes vetuſtiſſimas, ab annis videlicet 1903. Unde fit conſequens eos his obſervationibus ſtuduiſſe anno 95. poſt diluvium. Quis autem credat Babylonios aut Ægyptios, tantum Aſtronomiæ ſtudium impendiſſe abſque literarum Alphabeticarum uſu? Qui enim fieri potuiſſet, ut diverſos Aſtrorum ortus & occaſus, annorum dierumque periodos, Eclypſes præteritas aut futuras, aliaque his ſimilia deſignaſſent & ad poſteros propagaſſent, abſque hujuſmodi literarum ſubſidio. Oportuit ergo cum Arithmeticæ, Geometriæ, & Aſtronomiæ uſu, etiam Alphabetica ars apud Ægyptios & Chaldæos ante Moſem viguerit.

h *Lib.* 3.

i *in Hiſt. Natur. lib.* 7. *cap.* 56.

k *Comment.* 46. *in* 3. *lib. Ariſt. de Cœlo.*

Repones Forſan, hæc omnia fieri potuiſſe abſque literarum Alphabeticarum ope; ſiquidem variæ ſunt numerandi rationes etiam ſine literis: nam Peruani ignari omnium literarum, filiis quibuſdam diſcoloribus & quibuſdam nodulis, Arithmeticam exercebant, eo tempore quo ad eos penetrarunt Europæi, ut teſtantur rerum Indicarum hiſtorici. Quinimo ipſimet Romani, etiam cum literis omnino non carerent, illas tamen aliquando pro numeris non uſurpabant, ſed annos Conſulares fixis clavis numerabant, ſicut & Volſci in templo Nortiæ Deæ Hetruſcæ, quod Plinius [l] ſic teſtatur: *Annales antea in clavis fuerunt, & per numerum clavorum fixorum fuerunt anni numerati, quod raræ literæ eo tempore fuiſſent. Idcirco clavum ex lege vetuſta, figebat Prætor maximus.*

l *Lib.* 8.

Fuit quoque apud antiquos uſitata numerandi ratio, & Arithmeticæ exercitium per digitos, numerando videlicet ab uno uſque ad centum ſiniſtra manu; a centeſimo autem deinceps dextera, ideo de Neſtore Satyricius ait, *dextera jam computat annos.* Numerum ergo qui UNUS dicitur, panſa ſiniſtra manu denotabant, minimo duntaxat complicato ad manus volam. Duo, eadem manu minimo, & annulari contractis. TRES autem, duobus addito medio, ſubſidentibus.

QUATUOR, manu ipsa aperta, infami & medio contractis. QUINQUE, eadem contracto duntaxat impudico. SEX, cæteris erectis complicato solo annulari, etsi medium, ut puto, perperam quidam existimant. SEPTEM, minusculo solo fere ad unius numeri modum palmæ affixo. OCTO, duobus contractis, ut de numero duo docuimus. NOVEM, tribus subsidentibus ad numeri trium similitudinem. DECEM vero, indice pollicis articulum leviter attingente. VIGINTI, summo pollicis ad salutaris & infamis radices. SEXAGINTA, indice contracto in hemycicli figuram, pollicis fronti subjacente. SEPTUAGINTA, pollice secundum indicis articulum impellente. OCTOGINTA, pollicis ungue ab incurvato salutari compresso. NONAGINTA, pollicis radicem ejusdem salutaris summitas inquiebat. At numerus qui CENTUM dicitur, transfertur ut diximus, in dexteram, & eo modo quo unum pinximus, conformatur. De his videndus est Beda, Giraldus, & Eusebius Nierembergius [a]: Ex quibus, inquies, apparet certam haberi posse annorum seriem, distinctumque computum sine arte Alphabetica.

[a] *Lib. 3. cap. 20.*

At ista qualiscunque elusio, argumenti nostri vim non frangit; quanquam enim ex præfata, aut simili numerandi arte, designari posset certus aliquis annorum numerus, sane omnino foret insufficiens ad distincte signandam annorum seriem, & exacte recensendos varios per tot sæcula Astrorum motus, ortus & occasus, uti fecere Ægyptii & Babylonii: illa enim qualiscunque foret recensio signis Hieroglyphicis designata, haud dubie confusa esset, nec absque conjectore & hariolo aliqua ex parte posset innotescere.

Concludendum itaque, ut tandem huic dissertationi finem faciam, vel omnino incertum esse quis fuerit primus Literarum & Librorum Inventor, quæ est ipsa Augustini sententia; nam cum dixisset [b] a Mose inter Israelitas constitutos fuisse γραμματων διδασκαλους, cujus appellationis interpretationem se prorsus ignorare ibidem profitetur: *Quoniam*, inquit, *hoc nomen in nullo usu habemus, vel officiorum vel magisteriorum. Nam quidam*, DOCTORES *interpretati sunt, ut intelligantur utique literarum.* Subjungit: *Hic sane significatur, quod ante Legem datam habuerint Hebræi literas quæ quando cœperint esse, nescio utrum valeat indagari. Nonnullis enim videtur a primis hominibus eas cœpisse & perductas esse ad Noe, atque inde ad parentes Abrahæ, & inde ad populum Israel: sed unde hoc probari possit, ignoro. Vel* quod probabilius videtur, Mosem eatenus esse censendum primarium Alphabeticæ scripturæ Inventorem; quatenus forte literas antea rudiori & crassiori charactere exarari solitas; elegantiores fecerit & scriptu faciliores: *Vel* quod ipsas apud Israeliticum populum, propter diuturnam captivitatem Ægyptiacam antiquatas, restauraverit: *Vel* denique quod ipse primus Hebraicos characteres seu Samaritanos finxerit, Israelitisque tradiderit, ut colligitur ex his versibus, quos in pervetusto Bibliothecæ Septimanæ codice, se inveniisse scribit Petrus Crinitus.

[b] *Quæst. 69. in Exod.*

Primus Hebræas Moses exaravit literas:
Mente Phœnices sagaci condiderunt Atticas:
Quas Latini scriptitamus, edidit Nicostrata:
Abraham, Syras, & idem reperit Chaldaicas:
Ipsis arte non minore protulit Ægyptias:
Gulfila prompsit Getarum quas videmus literas.

Ubi nomine *Gulfilæ*. Ulphilas intelligendus est, qui circa annum 370. temporibus Valentiniani & Valentis, Gothorum fuit Episcopus & Geticas, sive Gothicas literas finxit & tradidit, ut affirmant Jornandes [c], Ricobaldus [d], Ferrariensis [e] & Socrates [f]. Unde quæ Joannes & Olaus Archiepiscopi aiunt, Scandinaviæ incolas habuisse suas literas ante repertas Latinas, hoc est annis ante Christum natum prope mille ducentis, commentitium est; & majori Gentis suæ amore quam veritatis scriptum merito putat Gerardus Vossius.

[c] *In Geticis*
[d] *In Chronic.*
[e] *Lib. 4. hist.*
[f] *Cap. 27.*

Tametsi vero constantissimum non sit Mosem fuisse primum Alphabetariæ scripturæ Auctorem; nihilominus censendus est omnium Auctorum, tam Sacrorum quam Profanorum, quorum opera extant, antiquissimus; subindeque Pentateuchus ab eo editus, non solum dignitate ac sanctitate; sed & veneranda sua antiquitate, cæteros quoscunque libros vincit, quod ut compertum fiat, statuenda est Mosis ætas. (9)

CA-

(9) Quæ in tertio isto §. a Frassenio proponuntur argumenta, ejus utique ponderis dignoscuntur, ut dubitandi locum de existentia characterum ante Mosis ætatem nequaquam videantur relinquere, quod quidem S. Augustini sententiæ apprime congruit; ut in Nota (7) præcedenti animadvertimus. Quarum autem literarum Mosis ætate invalesceret usus inferius in Nota (23) ad Caput sextum hujus Libri ex insignium Scriptorum, & ex ipsius Frassenii verosimilium sententia proponemus. (W)

CAPUT TERTIUM.

Quonam tempore Moses floruerit?

I. *Triplex de Mosis ætate sententia: Porphyrius Semiramide anteriorem; Africanus Inachi, Eusebius Cecropis æqualem facit.*

II. *Præferendam esse Africani sententiam, suadetur variis argumentis, maxime Appionis, Ptolemæi Mendesii, & Ctesiæ, testimonio.*

III. *Varia de Homeri patria & ætate sententia, qui tamen Mose inferior est.*

IV. *Idem esto Judicium de Lino, Orpheo, & aliis vetustissimis Græciæ Sapientibus.*

I. CIRCA Mosis ætatem variant Auctores; sunt qui Semiramidis Assyriorum Reginæ; quidam tantum Inachi Argivorum Regis; alii vero Cecropis Athenienſium Imperatoris æqualem faciant. Priorem ſententiam tradidit Porphyrius apud Eusebium [a], ubi ſermonem faciens de Sanchuniathone quem Mosi dicit coævum, aut paulo posteriorem; affirmat eum Semiramidis temporibus vixisse. Verum hallucinatur Porphyrius, & erroris manifeste convincitur; Moses enim quintus est ab Abrahamo, quem Semiramidis temporibus floruisse probat Eusebius [b]; unde colligit Mosem (quem Cecropis æqualem censet) annis quinque supra quingentos Semiramide esse posteriorem. *Secundam sententiam* tradunt Africanus, Tatianus, Clemens Alexand. & alii apud eundem Eusebium [c], existimantes Mosem floruisse temporibus Inachi qui regnabat anno periodi Julianæ 2857. & ante Christi Domini natalem 1857. aut sub Ogige apud Gentiles tantopere celebrato, tum propter diluvium quod ejus ætate universam pene Atticam obruit, tum quod eum crederent Auctorem Eleusinæ, cujus institutio refertur ad annum 2932. periodi Julianæ, & 1782. ante Christum Dominum natum. *Tertiam sententiam* aperuit ipsemet Eusebius, qui detractis a Mosis ætate 200. annis, eum temporibus Cecropis Athenienſium Regis circa annum 3150. periodi Julianæ, & ante Christum 1558. vixisse & Israelitas a servitute Ægyptiaca solvisse censet, cui subscribunt Petavius, Scaliger, & nonnulli recentiores Chronologistæ. Duo itaque hic sunt statuenda: Primum quanam ætate Moses floruerit. Secundum, an ejus scripta antiquissima sint eorum omnium Auctorum, quorum opera extant.

[a] *Lib. 10. de præp. Evang. cap. 9. p. 485.*

[b] *ibid. pag. 84.*

[c] *pag. 487. & seq.*

§. I.

Probabilius est Mosem floruisse sub Inacho.

II. HANC Africani, Tatiani, & Clementis Alexandrini sententiam, in primis confirmat Appio Ægyptius, cujus testimonium eo debet esse majoris ponderis, quod Judæis fuerit infensissimus, libroſque adversus eos ediderit, quos erudite refellit Josephus hic autem in quarto historiarum Ægypt. lib. Amosis quondam Ægyptiorum Regis, & rerum ab eo gestarum facta mentione, scribit [d]: *Athyriam evertit Amosis, qui æqualis Inachi Argivi fuit, ut scriptum in Chronico Mendesius Ptolemæus reliquit. Hic autem Ptolemæus Sacerdos erat, qui Regum Ægyptiorum historiam libris tribus integris complexus, Amosi in Ægypto regnante, Iudæos Mosem ducem secutos, ex Ægypto migrasse testatur; ex quo intelligitur Mosem Inachi temporibus floruisse*: Ita Clemens Alex. Eadem fuit Ctesiæ ab eodem Clemente Alex. prolati sententia: *Anno trigesimo secundo*, inquit, *Assyriorum Imperii Seluchi autem octavi principatus secundo & sexagesimo, sub Amosi Ægyptio Inachi Argivi æqualis Mosis ex Ægypto profectio contigit*. Subscribunt etiam apud Africanum citatum ab Eusebio, Hellanicus & Philochorus, qui res Atticas; itemque Castor & Thallus qui Syriacas prosecuti sunt: quibus certe Auctoribus vetustissimis, Mosis ætas longe notior fuit, quam Eusebio asserenti eum duntaxat ducentis post Inachum annis, videlicet temporibus Cecropis, floruisse.

Istius autem Eusebianæ conjecturæ falsitatem demonstrat Georgius Syncellus [e], ex ipsiusmet Eusebii verbis; hic enim scribit Mosem quibusvis Græcis ex Antiquitate laudatis superiorem, nempe Homero, Hesiodo; ipsisque etiam Trojanis bellis, Castore & Polluce, Æsculapio, Baccho, Heroibusque omnibus; Mercurio quoque & Apolline, reliquisque Græcorum Diis, Arcanis sacris, ipsisque insuper a Jove gestis, supra modum, Græcorum more, decantatis: Horum siquidem omnium historiæ sequaces, Cecropis ætate recentiorem affirmant. Porro inquit Syncellus, quæ Græci de Jove referunt, non sunt Cecrope inferiora, sed aliqua, ipsum longe antecedunt. Nam prima fœminarum, quam adulterio vitiasse Jupiter a Græcis fingitur, fuit Niobe Inachi filia. Itaque si Inachus, juxta Eusebii computum, annis trecentis Cecrope prior est, sequitur Mosem, quem Eusebius statuit Cecropis æqualem, rebus a Jove gestis antiquisve

[d] *apud Clem. Alex. lib. 1. Strom. pag. 320.*

[e] *in Chronog. p. 67.*

quisve aliis, de quibus memorant Græci, non fuisse anteriorem; sicque proprio gladio seipsum conficit Eusebius. Si vero Jove aliisque Græcorum fictitiis Numinibus sit antiquior, ut ipse cum cæteris Ecclesiasticis Scriptoribus consentit Eusebius, consequens est ipsum, Inachi saltem ætate, non esse inferiorem: subindeque Eusebium (ait Syncellus) annis minimum ducentis, in Mosis ætate designanda, peccare compertum est. (10) At quæcumque Mosi assignetur ætas, constantissimum esse debet, eum Scriptorum omnium, quorum lucubrationes ad nos pervenerunt, antiquissimum esse, quod manifestum fiet in sequenti Paragrapho.

§. II.

Moses Scriptores omnes, quorum opera extant, ætate antecessit.

III. QUEMADMODUM cum non constaret satis de Homeri natalitiis & patrio solo, omnes incessit illum sibi vindicandi æmulatio; adeo ut Cicero a, quatuor urbes nominet Homerum sibi vindicantes; *Homerum*, inquit, *Colophonii civem esse dicunt suum; Chii suum vendicant; Salaminii repetunt; Smyrnæi vero suum esse confirmant, atque etiam delubrum in ejus oppido dedicaverunt.* Quibus M. Varro tres alias adjicit b in hoc Epigrammate:

a *pro Archia.*

b *apud Aulum Gellium.*

Septem urbes certant de stirpe insignis Homeri,
Smyrna, Rhodus, Colophon, Salomis, Chios, Argos, Athenæ.

Sicut, inquam, Homeri ingenium Græcorum animos, tanta mulcebat admiratione, & illius carmina tam magnifico apparatu passim recitabantur, ut amplissimæ quæque civitates ejus natalitiis illustrari ambirent: Sic & posteriora sæcula, eum sibi certatim vendicarunt. Inde diversæ sunt de ejus ætate sententiæ: Nam Crates a Tatiano citatus c dixit, illum floruisse ante reditum Heraclidarum intra annos octo post bellum Trojanum; Eratosthenes, post ann 100. a Troja capta, Aristarchus, circa Jonicam migrationem, idest, post annum 140. a casu Trojæ; Philochorus, post Ionicam migrationem, sub Archippo Athenis: Archontes, annis 180. post excidium Trojæ. Apollodorus annos numerat 100. post migrationem Ionicam, ut sint anni 250. post Trojæ cladem 302. ut constat ex inscriptione marmoris Arundeliani.

c *Tatian. contra Græc p. 166. Euseb. in Chron. n. 980.*

At esto sane, demus Homerum non modo non eversione Troiana posteriorem, sed etiam ipsum & belli Trojani tempore vixisse; imo etiam Agamemnonem in illa expeditione secutum; longe adhuc ipso superior erit Moses; siquidem non solum multis annis captum Ilium antecessit, verum etiam Troa & Dardano ejus conditoribus antiquior extitit. Quod utique probat Tatianus f luculentissimis Sapientum Chaldæorum, Phœnicum & Ægyptiorum testimoniis: *Chaldæorum*, inquam, nempe Berosi: Phœnicum vero, maxime Theodoti, Hypsicratis & Mochi scribentium in suis historiis, Menelaum, unum ex ducibus Græcis qui Trojam expugnaverunt, in Phœniciam profectum, fœdus ac societatem iniisse cum Hyramo Phœnicum Rege, qui Salomonis tempore regnabat. Ex Ægyptiis vero testes profert Ptolemæum Mendetum scribentem, regnante Inacho, Israelitas ex Ægypto in Pa-

d *Lib. 1. Strom. pag. 327.*

e *Lib. 17. cap. 21.*

f *apud Euseb. p. 492.*

(10) Tam variæ inter se scriptorum de re Chronologica inveniuntur sententiæ, ut quicunque vel tantillum eorum triverit opera alicujus in temporum Epochis certitudinis reperiundæ sibi fiduciam deesse prorsus compellatur fateri. Id unum in præsenti statuere pretium operæ ducimus; Systema videlicet illud amplecti pro annorum computo, quod utilius præ cæteris existimamus Historiæ; Hinc quamvis utilem, laudabilemque Periodum Julianam fateamur cum Clarissimo Pagio in sua Dissert. *de periodo Græco-Romana* Num. V., & sequentibus, tamen supra Julianam periodum, cum longe utiliorem, quam ipsemet Pagius nobis proponit, quamve Græco-Romanam appellat, opinemur, hinc eamdem veluti Chronologiæ regulam in nostris hisce adnotationibus respiciemus, quamquam & annos Julianæ periodi indicare non ommittemus. Ad Calcem denique hujus Tomi Tabulas Chronologicas juxta methodum nostram, & aliorum principaliorum de re Chronologica scriptorum, adiiciemus, atque periodum Græco-Romanam ex Pagio in legentium utilitatem breviſſime explicabimus, Dicimus interim Mosem in Ægypto natum anno periodi Græco-Romanæ, quam nostram deinceps appellabimus, 3923. Cyclo Solis 7., Lunæ 8. Indict. 8. Anno videlicet Julianæ periodi 3143. qui siquidem annus eisdem Solis, & Lunæ Cyclis, eademque notatur indictione. Natus itaque Moyses annis 795. ante primam Olympiadem, & ante Romæ conditum annis 823. Cum autem Inachus regnaverit annis 1080. ante primam Olympiadem juxta Usserium in Annalibus veteris Testamenti; cumque prima Olympias anno periodi nostræ 4718. habuerit exordium, evidenter constat initium Regni Inachi in annum 3638. nostræ periodi incidisse; si per quinquaginta annos Inachus regnasse dicatur jam illius Regnum finem anno periodi nostræ 3678. consecutum cognoscimus; hinc Moyses annis 245. post finem Regni Inachi convincitur natus, & annis 15. antequam Cecrops Athenjensium Regno daret initium. (W)

Palæstinam migrasse. Cum autem, inquit, ab Inacho ad captum Ilium ætates viginti numerentur, aut duæ & viginti, anni vero quadringenti & amplius ut censet Clemens Alex. Evidentissimum est Mosem Homero, ac subinde quocumque alio Scriptore e Gentilibus superiorem esse.

IV. Ex his colligit idem Tatianus, non Homero solum superiorem esse Mosem; verum etiam iis omnibus, qui Homero vetustiores Scriptores feruntur, tametsi eorum operum nulla supersint indicia, quales sunt Linus, Philammon, Tammyris, Amphion, Orpheus, Musæus, Demodocus, Femius, Sybilla, Epimenides Cretensis, Aristeus, Proconnesius, Asbolus, Centaurus, Isatis, Drymum, Euclus Cyprius, Orus Samius & Protænis Athenienfis. Linus enim Herculis magister fuit, Hercules vero Trojana tempora ætate duntaxat una anteceffit, ut vel ex eo intelligi potest, quod Hepolemus Herculis filius, Græcorum adversus Trojanos expeditionis socius fuerit. Ejusdem Herculis Orpheus æqualis fuit: tametsi quæ vulgo ipsi tribuuntur, ab Onomacrito Atheniensi, qui sub Pisistratidarum dominatu, circa Olympiadem quadragesimam vixit, conscripta ferant. Orphei porro discipulus Musæus fuit. At Amphion, qui duabus Trojana tempora ætatibus antegressus est, plures a nobis, ad priores illos doctrinæ studiosos, adjungi non patitur. Jam Demodocus & Femius sub ipsum Trojani belli tempus extitere, cum alter apud Procos, apud Phæacas alter versaretur. Quo utroque Thamyris ac Philammon haud multo antiquiores fuere.

Colligit pariter omnes a Græcis celebratos sapientes, Mose longe inferiores esse. Minos, inquit, *quem omnis cum Sapientiæ, tum solertiæ, adeoque Legum sanctionis principem fuisse putant, Lynceo qui Danao successit, regnante florebat, ætate post Inachum undecima.* Licurgus *vero, longe post captum Ilium, annis ante Olympiades haud amplius centum, Lacedæmonios Legibus instituit,* Dracone *circa Olympiadem nonam supra trigesimam fuisse reperies,* Solonem *vero circa sextam & quadragesimam,* Pythagoram *denique circa sexagesimam secundam. Olympiades autem annis septem supra quadringentos post Trojana tempora institutas fuisse ostendimus.*

His certo constitutis, septem quoque sapientum ætatem facile breviterque definiemus. Nam cum vetustissimum eorum Thaletem, circa Olympiadem quinquagesimam vixisse constet, simul etiam uno quasi compendio cæterorum, quos ille suppares habuit, ætatem colligimus. Ex his omnibus compertum fit, quod quæcunque Mosi assignetur ætas, quoslibet alios Scriptores longe anteceffierit. Ista omnia egregie paucis explicat Tertullianus [a]: *Si quem*, inquit, *audistis interim Mosem, Argivo Inacho par est ætate; quadringentis pene annis: nam & septem minus, Danaum, & ipsum apud vos vetustissimum, prævenit; mille circiter eidem Priami antecedit. Possem etiam dicere, quingentis amplius & Homerum; habens quos sequar. Cæteri quoque Prophetæ etsi Mosi postumant, extremissimi tamen eorum non retrosiores deprehenduntur primoribus vestris Sapientibus & Legiferis & Historicis.* Hoc patebit evidentius ex capite nono hujus libri

[a] *in Apologetic. ca. 19.*

CAPUT QUARTUM.

Moses aliquam Divinæ Scripturæ partem in Libris exaravit.

Omnium ferme tam Catholicorum, quam etiam Protestantium communis opinio fert Mosem aliquos scripsisse Libros; cum divina eloquia nimis hanc veritatem contestentur, quorum plurimi Textus a Frassenio in *Cap. I.* Libri quinti Disquisitionum hujus novæ editionis, referuntur. Verum cum ibi totius Pentateuchi Auctor Moses demonstretur, ideo generaliter ea in præsentiarum, quæ Mosem aliquid per characteres exarasse in Libris ostendunt, proferuntur testimonia, ut deinceps quibus characteribus fuerit usus Judæorum ille Dux auspicari, atque pervestigare possimus, *Exodi XVII.* 14. legimus Mosem a Domino jussum in libro exarare partam de Amalecitis victoriam a Filiis Israel = Dixit autem Dominus ad Moysen: Scribe hoc ob monimentum in Libro, & trade auribus Josue; delebo enim memoriam Amalec sub Cœlo = Dei præceptum Moyses adimpleviffe credendus est. Evidentius tamen est, quod legitur de Scriptura Moysis, testimonium in *Cap. XXIV. Exodi V. V.* 4., & 7.

= Scripsit autem Moyses universos sermones Domini .... Assumensque volumen fœderis legit audiente Populo = Deuteronomii *Cap.* 31. 9. legimus = Scripsit itaque Moyses legem hanc, & tradidit eam Sacerdotibus Filiis Levi, qui portabant Arcam fœderis Domini, & cunctis Senioribus Israel. Præcepitque eis dicens: post septem annos, anno remissionis in solemnitate tabernaculum convenientibus cunctis ex Israel, ut appareant in conspectu Domini Dei tui in loco, quem elegerit Dominus, leges verba legis hujus coram omni Israel audientibus eis, & in unum omni populo congregato tam Viris, quam Mulieribus, Parvulis, & Advenis, qui sunt intra portas tuas ut audientes discant, & timeant Dominum Deum vestrum & custodiant, impleantque omnes sermones Legis hujus = *V.* 19. ejusdem Capitis præcepit Dominus Moysi, ut Canticum quoddam conscriberet = Nunc itaque scribite vobis Canticum istud, & docete Filios Israel; ut memo-

riter

„ riter teneant, & ore decantent, & ſit „ mihi carmen iſtud pro teſtimonio inter Fi- „ lios Iſrael.... Scripſit ergo Moyſes Can- „ ticum, & docuit Filios Iſrael .... Poſt- „ quam ergo ſcripſit Moyſes verba legis hu- „ jus in volumine, atque complevit; præ- „ cepit Levitis qui portabant arcam Fœderis „ Domini dicens: tollite Librum iſtum, & „ ponite eum in latere Arcæ Fœderis Do- „ mini Dei veſtri, ut ſit ibi contra te in „ teſtimonium = *Lib.* 2. *Paralip. Cap.* 24. *V.* 14. clariſſimum legimus teſtimonium, quo convincitur Moyſem alicujus divini libri fuiſſe Scriptorem; hæc enim ſunt, quæ loco citato habentur = Reperit Helcias Sacer- „ dos Librum legis Domini per manum „ Moyſi, & ait ad Saphan Scribam: Li- „ brum Legis inveni in domo Domini, & „ tradidit ei. At ille intulit Volumen ad „ Regem, & nunciavit ei dicens; omnia, „ quæ dediſti in manu Servorum tuorum „ ecce conplentur .... tradidit mihi Helcias „ Sacerdos hunc Librum = Hujuſcemodi Li- brum, quamquam ſolum Deuteronomium comprehendiſſe Sanctus Athanaſius in ſua Epiſtola ad Marcellinum, Chryſoſtomus *Hom.* 9. in Matthæum, & *Hom.* 7. *in I. ad Corinth.* opinetur, ut tradit Natalis Alexander in *Hiſtoria Eccl. Veteris Teſtamenti* Diſſert. 9. de quarta Mundi ætate; quod tamen in præſentiarum nobis eſt opus, demonſtrat, Moyſen ſcilicet alicujus Sacri Libri fuiſſe Auctorem.

Hoc autem ulterius ex *Libro* II. *Eſdræ Cap.* 8. *V.* 1. confirmatur. = Congregatuſ- „ que eſt omnis Populus quaſi vir unus ad „ plateam, quæ eſt ante portam aquarum „ & dixerunt Eſdræ Scribæ ut afferret Li- „ brum Legis Moyſi, quam præceperat Do- „ minus Iſraeli = *Cap. vero* 13. ejuſdem li- „ bri ſubiungitur = In die autem illo le- „ ctum eſt in volumine Moyſi audiente Po- „ pulo, & inventum eſt ſcriptum in eo quod „ non debeant introire Ammonites, & „ Moabites in Eccleſiam Dei uſque in æter- „ num = Lex iſta in *Cap.* 23. Deutero- nomii *V.* 3. præſcripta adinvenitur. Quis ergo ambigere queat Librum Deuteronomii a Sancto Propheta Moyſe fuiſſe conſcriptum? Plurima poſſent alia proferri in aſſertionis noſtræ confirmationem Teſtimonia, tum Veteris, cum novi Teſtamenti, quæ tamen propoſita ſunt ejus inveniuntur ponderis, ut Litem prorſus definiant. (11) W.

CAPUT QUINTUM.

Quonam ſermone, quave lingua, Moſes ſacram Scripturam fuerit auſpicatus,

I. Ratio & Oratio, *duæ hominis ſingulares prærogativæ.*
II. *Utriuſque Protoparentes a ſuæ formationis exordio, uſum habuerunt, non naturæ, ſed Dei beneficio & inſtituto.*
III. *Profertur quorumdam Veterum & Recentiorum ea de re delirium.*
IV. *Quibus non ſuffragatur S. Gregorius Nyſſenus, cujus ſententia expenditur.*
V. *Lingua primigenia, ad confuſionem Babylonicam illibata perſeveravit.*
VI. *Linguarum varietas non a diverſa hominum conſtitutione, aut Regionum varietate, ſed a Dei in homines perduelles Babylonicæ turris conſtructores ſæviente, juſtitia orta eſt.*
VII. *Quis fuerit Babylonicæ Civitatis & Turris extruendæ Auctor.*
VIII. *Non omnes illius ævi homines in inſanum illud opus conſenſerunt.*
IX. *Qualiter in eo opere peccatum fuerit.*
X. *Quomodo, & in quot partes facta fuerit Linguarum diviſio.*
XI. *Quænam ſuperſint Linguæ Matrices.*
XII. *Quo tempore contigerit illa varietas.*
XIII. *Lingua primigenia in ea clade ſervata eſt apud fideles & obſequentes Dei Cultores; eaque poſtmodum Hebraica dicta eſt.*
XIV. *Expenduntur ac eluduntur rationes in oppoſitum.*
XV. *Etiamſi aliqua ſit Hebraicæ linguæ cum Chaldaica affinitas, tamen ab ea plurimum diſcrepat.*
XVI. *Non fuit appellata* Hebræa, *ab* Abrahami *nomine, nec a voce* עבר Habar, *nec a voce* עבר Eber, *id eſt,* trans *vel* ultra *quod Abrahamus Chananæis eſſet transfluvialis; ſed ab* Hebero.
XVII. *Invariatam illam in Ægyptiaca ſervitute perſeveraſſe, communis eſt ſententia. At graviſſima momenta contrarium ſuadent.*
XVIII. *Quin etiam Moſem, dum junior eſſet, ejus facilem uſum non habuiſſe, non eſt omnino improbabile.*
XIX. *Poſtmodum degeneravit in Syriacam, cujus varii ſunt Dialecti.*

I. INTER cæteras eximias nobis a Deo rerum omnium Opifice conceſſas dotes, eminent *Ratio* & *Oratio*, quibus potiſſimum a belluis animantibus diſtinguimur. Illa, nobiſcum, & cum Angelis, immo & cum ipſo Deo; hac, cum aliis hominibus verſamur. Eſt enim *ſermo* ſeu *oratio*, quaſi ſplendidum immortalis animæ

(11) Caput quartum hujus Libri ex aliena manu hoc in loco inſertum eſt, ut in materierum diſpoſitione ordo, quoad fieri poteſt ſervaretur, quemadmodum ex Præfatione jam præmonitum Lectorem ſupponimus.

mæ speculum, in quo mentis arcana, ex imo pectore, sensibus exhibentur, & animi conceptus, tanquam orationis instrumento, aliis manifestantur. Parum sane fuisset, ait Postellus [a], Deum hominem *Microcosmum* fecisse, & totius naturæ parvum quoddam exemplar Divinitatis participem, & orbis terrarum visibilem monarcham, ac possessorem unicum; nisi ad propalandum tantum beneficium accederet sermo, quo omnium creaturarum vice, causam ipsam primam, & munificentissimum, ac potentissimum opificem, omnium nomine celebraret, & posteritati tanti beneficii magnitudinem consignaret. De hac autem singulari hominis prærogativa nonnulla hic occurrunt determinanda. I. Quando hominibus concessus fuerit ille sermonis usus. II. Quomodo primigeniæ linguæ varietas & divisio contigerit. III. Utrum primitiva lingua post confusionem integra perseveraverit & quænam illa sit. IV. Unde primitiva lingua dicta sit Hebræa. V. Tandem, utrum apud Israelitas etiam tempore captivitatis Babylonicæ permanserit illibata.

[a] *Lib. de Originib. in præf.*

§. I.

Quando hominibus concessus fuerit ille sermonis usus.

II. PERSPICUUM est ex Creationis historia, Protoparentibus nostris, ab eorum formationis exordio, non Rationem solum, sed etiam Orationem ac Sermonem divinitus fuisse inditum; siquidem conditi fuere perfecti animo & corpore, omnibusque eorum dotibus instructi; idque virili ætate, ut invicem sibi forent in adjutorium & societatis delicias: quæ certe vera non starent, nisi præter Rationem, etiam Sermonem & Linguam, quibus rationales conceptus, & animi sensa mutuo enuntiare possent, Creator ipsis ab initio dedisset. Quamobrem, ubi legimus Genes. II. Adamum factum fuisse *in animam viventem*. Onkelos Paraphrastes reddit, *In spiritum loquentem*: ejus sunt hæc verba, *Et fuit*, inquit, (anima) *in Adamo in spiritum loquentem*. R. vero Jonatham; *Et fuit anima in corpore hominis in spiritum loquentem*. Quibus significant, Deum, qui Protoparentum animam multiplici rerum scientia dotaverat, etiam eis Linguam primum infudisse, sine qua, varia illius scientiæ supellex nulli fere usui inserviret. Unde appositè R. Salomo; *Etiam bestiæ*, inquit, *& feræ vocantur, anima vivens: sed anima ista hominis vivens est præ reliquis omnibus; quia ei præter vitam addita quoque est scientia, vel* RATIO, *&* ORATIO.

Accedit quod homo ab Hebræis רוח מדבר *chai medabber*. i. e. *Animal loquens*; a Græcis vero ζῶον λογικὸν *Animal ratiocinans* definiatur. Hæc autem ei definitio perfecte non competeret, nisi *Ratione* & *Oratione* præditus esset. *Insuper* Protoparentes nostri, in summa perfectione animæ & corporis fuerant conditi; cum autem post Rationem, Oratio præcipuum sit, quo a reliquis animalibus homo differt; hauddubium est, quod ejus non fuisset absoluta perfectio, si Oratione caruisset. *Deinde* homo formatus est ad imaginem & similitudinem Dei: quoinodo autem Conditoris Dei similitudinem referret, si non divinæ Mentis Verbum ab æterno generantis & dicentis, imago fuisset expressa. *Præterea* primi Parentes nostri, statim a sua formatione, tum cum Deo, tum inter se & cum serpente locuti sunt: Et insuper Adam singulis animalibus coram se a Deo vocatis & collectis nomina imposuit. Quæ certe omnia perspicue demonstrant, Linguæ & Sermonis usum, inter primos Parentes, ab eorum exordio fuisse frequentatum.

Neque tamen existimandum est hanc Sermonis facultatem fuisse eis insitam a natura; vel instituto & exercitatione comparatam: non quidem ab instituto; alioqui diutissime sermonis usu caruissent: siquidem longa annorum serie fuisset opus, ut vocabula cuderent, quibus res obvias & animi motus atque affectus exprimerent: cujus contrarium aperte constat ex statim prolatis Scripturæ textibus. Non insuit etiam illa facultas a naturæ vi: si enim quædam lingua hominibus esset naturalis, ea procul dubio facilius quam cæteræ posset comparari; at hujus rei nulla extant indicia; cum enim lingua Hebræa, ut paulo infra videbimus, primigenia sit; illa hauddubie esset quoque naturalis; ac proinde cæteris comparatu facilior censeretur, cujus contrarium manifesta suadet experientia. *Deinde*, ait Franciscus Valesius [b], si sine Doctore, ut alia „ quamplurima, innasceretur sermo iste ho- „ minibus, innasceretur profecto, etiamsi „ alium sermonem discerent, essentque omnes „ duplicis sermonis. Si enim sermo, quem „ prius homo didicit non prohibet quominus „ discat alium denuo, sed sciunt multi bifa- „ riam, trifariam, aut etiam quadrifariam lo- „ qui: multo minus prohiberi posset, qui ex „ ipsa natura pullularet, ab eo qui esset com- „ paratus studio; quæ tamen cum nullus ex- „ periatur, consequens est nullam Linguam „ esse hominibus a natura insitam.

[b] *Lib. de sacrâ Philos. cap. 3.*

III. At, inquies variis experimentis probatum est, puerulis nullo docente, a natura inditum esse Sermonem & Linguæ usum, quo ad vitæ sustentationem necessaria requirerent. Refert enim Herodotus [c] quod cum Ægyptii & Phryges de antiquitate contenderent, Psammetichus Ægyptiorum Rex, animadvertens controversiam istam nullo rationum pondere posse dirimi, pueros duos ex humilibus parentibus recens natos, tradidit pastori inter pecora educandos, hunc in modum:

[c] *in Euterpe seu lib. 2. cap. 2.*

dum: jubens videlicet neminem coram eis vocem ullam edere, sed in deserta casa ambos seorsum collocari, eisdemque in tempore capras adduci: ubi autem lacte expleti forent, alias administrari. Hæc ideo faciebat jubebatque Psammetichus, quod quæ vox prima ex his pueris erumperet, ubi inarticulate vagire desiissent, audire cuperet: prout & contigit. Nam bimatus exacto tempore, pastori, qui hæc administrabat, aperienti januam atque intranti, ambo infantes porrectis manibus occurrentes, *bec bec* clamabant. Quod primo audiens pastor, obticuit: cum vero crebrius adeunti & observanti, idem verbum frequentaretur, ita demum re domino indicata, jussus ab eo, pueros attulit exhibuitque; quos cum & ipse Psammeticus audisset, percontabatur quinam homines *bec* quidpiam appellarent; comperit autem Phrygas sic panem appellare solitos & inde judicavit eos Ægyptiis esse antiquiores, utpote, qui a natura insitum Sermonem servassent. Similia ab aliis Principibus facta referunt historici.

Verum, rem ut incertam & commentitiam declarat Herodotus, subdit enim Græcos asserere Psammetichum pueros educandos curasse apud mulieres, quarum linguas præsciviisset. Deinde tametsi vera esset illa narratio, voces illas, vel ab ovibus ac capris, quas pueri illi sugebant; vel ab aliis animalibus excipere potuerunt. Denique, ut observat Postellus [a], voces istæ *Be*, *bi*, *bac*, *bec*, *&c.* Quæ potissimum labiis efferuntur, sæpissime & mutis & trimestribus infantibus communes sunt. Itaque nulla homini lingua inest a natura; neque a primis Parentibus fuit exercitio aut instituto comparata, sed Dei beneficio eis in ipso eorum formationis exordio concessa; ut qui erat naturæ, esset etiam humanæ linguæ Auctor.

[a] *lib. de Orig.*

Apage ego temerariam illam, ne dicam prorsus impiam & hæreticam quorumdam Neotericorum assertionem, qua in Scripturæ sacræ præjudicium, & contra Christianorum omnium sententiam, non verentur effutire, primos Parentes sola Ratione, non autem Oratione & Lingua primitus a Deo fuisse donatos, voceisque inarticulatas & confusas primum emisisse, donec paulatim verba flectendo, & de rebus singulis mutua inter se signa fingendo, notam sibi fecerint omnium interpretationem. At execranda magis nefaria infausti verius quam *Fausti Socini* sententia, qua calamo simul & ore sacrilego pronuntiat, Adamum non cognovisse naturam bestiarum; & nominum impositionem, ab eo factam, non aliam in illo arguere cognitionem, præter eam, quam quilibet, quantumvis stupidus, habere potuisset: nec ad alia respexisse talia nomina, quam quæ sensibus sese prodebant, & unicuique manifesta fuissent, asserere non veretur. Imo Adamum ante peccatum fuisse instar infantis vel pueri, non ratione innocentiæ tantum, sed etiam ratione cognitionis; quia nescivit quid esset nudum esse. Hauserat dubio procul delirium istud ex rerum sacrarum imperitis Gentilibus, quorum ea de re sententiam verius dicam; crassam ignorantiam & inanem fabulam, sic declarat Lucretius. [b]

[b] *Lib. 5. paulo post med.*

At varios linguæ sonitus natura subegit
Mittere, & utilitas expressit nomina rerum:
Non alia longe ratione, atque ipsa videtur
Protrahere ad gestum, pueros infantia linguæ,
Cum facit ut digito, quæ sint præsentia monstrent....
Postremo quid in hac mirabile tantopere est re,
Si genus humanum, cui vox, & lingua vigeret,
Pro vario sensu, varias res voce notaret,
Cum pecudes mutæ, cum denique sæcla ferarum
Dissimiles soleant voces variasque ciere,
Cum metus, aut dolor est, & cum jam gaudia gliscunt?

Similia habet Diodorus Siculus de primorum hominum statu scribens, *Illos inordinata & belluina vita utentes, sparsim ad pascua exivisse, herbas suavissimas quasque & sponte nascentes arborum fructus devorasse; & oppugnandos a feris, mutuo sibi auxilio succurrisse utilitate commotos: atque ita per timorem congregatos, paulatim suam inter se formam agnovisse. Cum autem vox inarticulata & confusa esset, paulatim flectendo verba, & de rebus singulis mutua inter se signa fingendo, notam sibi ipsis effecisse omnium interpretationem. Ejusmodi conventiculis in universo Orbe factis, non habuisse omnes eandem Linguam, cum singuli fortuito nomina fingerent, &c.* Rem paucioribus verbis explicat Vitruvius [c]: *Primos homines*, inquit, *sine sermonis articulati usu, diu in cavernis terræ, ferarum instar, habitasse, ac crebris nutibus, spiritu vocali & voce rudi, animi sensa designasse; & sic demum ex eadem voce, de eadem re sæpius repetita, vocem articulatam, vocabula significativa, ac sermonum usum ortum esse.* At quid mirum si Ethnici rerum sacrarum, atque Mundi Geneseos, priorumque hominum status prorsus ignari, tam fœde deliraverint: quibuscum si nostris hariolatoribus desipere libuerit, per me licet.

[c] *Lib. 2. Archit. cap. 2.*

At inquiunt, eadem S. Gregorio Nysseno fuit sententia: is enim *Orat.* XII. *contra Eunomium*, cum dixisset hominem quidem Rationis participem a Deo factum esse, „ sed verborum usum & inventionem, ejus „ arbitrio & judicio fuisse reservatam, *con-* „ *cludit his verbis.* Nugæ & vanitas Ju- „ daica, *inquit*, quæ permultum a Christia- „ norum sublimi natura & excellentia ex- „ cidit: nimirum putare, magnum & ex- „ celsissimum & supra omne nomen & ani- „ mi cogitationem, Deum qui sola volun- „ tatis potestate Universum creat, & ad „ generationem adducit, & in sua natura „ ipsum conservat, ut aliquem Grammati- „ stam, id est, ludi literarii magistrum, ejus- „ modi nominum positiones inaniter ope-

„ ran-

„ rantem, ſedere. Sed quemadmodum ſur-
„ dis ſignis & geſtibus quid agere debeant,
„ indicamus; non quia ipſi vocem non ha-
„ beamus, cum hoc facimus; ſed quia
„ omnino ſit inutilis non audientibus, quæ
„ ſit verbis enarratio: ſic natura humana
„ cum ſit quodammodo ſurda & nihil ex-
„ celſum & ſublime audiat, Dei gratiam
„ dicimus multifariam, multiſque modis in
„ Prophetis loquentem, pro captu noſtro,
„ & ſecundum id quod nobis eſt conſuetum
„ & familiare Sanctorum Prophetarum lin-
„ guas conformantem, per hæc nos ad ſu-
„ blimium cognitionum, velut manu ducere,
„ non vero ſecundum ſuam magnitudinem &
„ ſublimitatem, doctrinam facere; quomodo
„ enim in exiguo, quod magnum eſt cape-
„ retur: ſed quia ad parvitatem noſtram, ſe
„ vis divina demittit. Et quemadmodum
„ motricem animali facultatem, Deus, cum
„ dedit, non amplius ſingulos greſſus effi-
„ cit, ſemel enim principium ab eo qui fe-
„ cit, adepta natura, ſeipſam movet & de-
„ ducit ad quodcumque libitum eſt, motum
„ efficiens (niſi forte greſſus hominis a Do-
„ mino dirigi dicantur:) ſic loqui poſſe, &
„ ſonos edere, ac per vocem, voluntatem
„ enuntiare, a Deo accepit vim, pergit na-
„ tura per res, ſigna quædam rebus, cer-
„ ta quadam ſonorum differentia imponens.
„ Et hæc ſunt quæ a nobis dicuntur verba
„ & nomina, quibus rerum vim ſignifica-
„ mus. *Ita S. Gregorius*. Ex quibus nuga-
tores illi inferunt S. Gregorium Nyſſenum
ſuæ ludicræ ſententiæ ſuffragari.

IV. Verum ſi ſcopum & mentem illius ſanctiſſimi Patris, attentius inſpiciamus, alia certe apparebit ejus ſententia. Diſputat enim ibi contra Eunomium blaſphemantem Chriſtum Dominum non eſſe revera Deum; atque propterea arguentem S. Baſilium, quod recenti nomine eum ἀγέννητον καὶ ἀνάρχον id eſt, *Ingenitum & carentem principio* dixiſſet; ſicque nomina nova cudendo, videretur arguere ſapientiam Dei, qui rebus ſingulis in exordio, nomina ſcripſerat. Hanc criminationem ut depelleret S. Gregorius, ait non ipſum Deum, ſed homines ex inditæ ſibi divinitus rationis uſu, & aſſidua rerum experientia, ac diuturna ſocietate, rebus ſingulis nomina feciſſe: quod confirmat quatuor momentis. I. Quia Deus cum ſit corporis expers, humana voce non loquitur; nec ſubinde nomina ſyllabis conſtantia efformat & enuntiat. II. Quia cum Deus per ſex dies res conderet, homine nondum facto, nemo erat ad quem ſermonem dirigeret; & impoſita rebus nomina, memoriæ mandaret. III. Tametſi ex Dei perſona, quædam a ſacra Scriptura verba nobis familiaria & aſſueta dicantur, ea figurate eſſe accipienda, nempe Deum eatenus nomina rebus indidiſſe, quatenus res fecerit, quibus homines nomina poſtmodum fecerunt, quemadmodum enim ſermo noſter, interiorem mentis affectum & ſenſum manifeſtat; ſic res a Deo conditæ, Dei voluntatem, ac majeſtatem declarant. Hinc David [a]: *Cœli enarrant gloriam Dei & opera manuum ejus: annuntiat firmamentum: dies diei eructat verbum, &c.* Ut igitur, inquit S. Gregorius [b], qui in cœlo eſt ornatus, opificis gloriam teſtificatur, & eum qui fecit confitetur, nec tamen voce indiget; ſic contra, quis ſumpto ex Moſis Scripturæ loco mecum reputet, quod Deus qui ſuo juſſu univerſa in rerum natura produxit, Mundum dicit ſuam eſſe creaturam, nec verbis ad hujus notitiæ declarationem indiget. IV. Ex his omnibus colligit S. Gregorius, Deum nomina rebus non feciſſe: neque ut ludi-litterarii Magiſtrum & Grammatiſtam, homines indita rebus nomina docuiſſe; ſed tantum indidiſſe hominibus Rationem & Mentem, quæ nomina iſta rebus tribueret. Quæ ſane ſi recte perpendas, videbis communi Theologorum doctrinæ non omnino adverſari; neque enim volumus Deum rebus omnibus nomina propria præſcripſiſſe. Quinimo aſſerimus præcipuis Mundi partibus, ſicut & animalibus, ſaltem nobilioribus nomina, ab Adamo fuiſſe conſtituta; res vero cæteras ab Adami poſteris ſuis nominibus, pro opportunitate fuiſſe deſignatas.

[a] *Pſal.* 18.

[b] *pag.* 776.

His adde quod etiamſi S. Gregorius, ſtudio partium abreptus, ſaltem in modo loquendi a recepta apud Chriſtianos ſententia, de ſermone Protoparentibus ingenito declinare videatur; ſatius erit literalem Scripturæ ſenſum quam a ſenſu alienam explicationem auſcultari, maxime cum prænonentem habeamus S. Auguſtinum Epiſt. 19. ad S. Hieron. *Solis eis Scripturarum libris, qui jam Canonici appellantur, didici hunc timorem honoremque deferre, ut nullum horum Auctorum ſcribendo aliquid erraſſe firmiſſime credam .... Alios autem ita lego, ut quantalibet ſanctitate doctrinaque præpolleant, non ideo verum putem, quia ipſi ita ſenſerunt, ſed quia nihil, vel per illos Auctores Canonicos, vel probabili ratione, quod a vero non abhorreat, perſuadere potuerunt. Neque enim* (ait alibi [c]) *quorumlibet diſputationes, quantumvis Catholicorum & laudatorum hominum, velut Scripturas Canonicas, habere debemus; ut nobis non liceat, ſalva honorificentia quæ illis debetur hominibus; aliquot in eorum ſcriptis improbare atque reſpuere; ſi forte invenerimus quod aliter ſenſerint, quam veritas habet, divino adjutorio, vel ab aliis intellecta, vel a nobis. Talis ego ſum in ſcriptis aliorum; tales volo eſſe intellectores meorum;* Cum itaque habeamus Scripturam ſacram dilucide aſſerentem Adamum & Evam tum invicem, tum cum Deo & ſerpente, ſtatim a ſuæ formationis exordio, collocutos; & ipſum Adamum non ſolum animalibus, ſed etiam uxori, ubi primum eam conſpexit, nomen indidiſſe; nihil prorſus, aut parum movere debet, quidquid in contrariam vel ipſe S. Gregorius, vel quivis alius e ſacris Interpretibus ſenſerit.

[c] *Epiſt.* 3.

V. Conſtantiſſimum etiam eſſe debet, linguam primigeniam Protoparentibus a Deo inditam, omnibus eorum poſteris, ad Babylonicam confuſionem uſque, fuiſſe familiarem & vernaculam, tametſi forte leves quaſdam deflexiones, & in prolatione mu-

tationes passa fuerit. Unde jam ab omnibus erroris arguitur, atque vanum & inane commentum reputatur; imo ab Alphonso a Castro inter hæreses deputatur hæc Philastrii assertio [a]: *Credendum firmiter, etiam ante ædificationem Babel multis sæculis, magnam fuisse inter homines linguarum & sermonum diversitatem: quarum tamen omnium linguarum scientiam, omnes homines Dei munere usque ad constructionem turris, & linguarum confusionem, tenuerunt. Quod autem Moses dixit,* TERRAM FUISSE LABII UNIUS; *ideo dictum est, quia etsi varia erant linguarum genera, omnes tamen se invicem intelligebant; eratque omnibus lingua una, & idem sermo, non quidem eorumdem vocabulorum usu, sed eadem hominum loquentium & audientium intelligentia.*

[a] *in Catalog. Haref. cap.* 106.

Verum sententiæ hujus falsitas apparet tum ex Scriptura sacra, quæ ante Babylonici sceleris tempora, diserte pronuntiat: [b] *Erat autem terra labii unius & sermonum eorumdem.* Et v. 6. *Ecce unus est populus, & unum labium omnibus.* Et v. 7. *Venite igitur descendamus, & confundamus ibi linguam eorum & non audiat unusquisque vocem proximi sui.* Quæ verba cum de Noachi posteris ante cladem Babylonicam, & de turris Babylonicæ extructionem auspicantibus dicta sint; evidens argumentum est, toto antea tempore, inter Adami posteros unicam linguam viguisse. Tum etiam quia id manifesta suadet ratio; cum enim ab una communi stirpe totum genus humanum originem duxerit, primique hominum Parentes linguam unicam a Deo infusam habuerint, verosimile est hanc eandem ad suos posteros derivasse; quippe cum liberi non nisi a parentibus primum linguæ usum accipiant, eumque tandiu invariatum ac illibatum servent, quandiu invicem sociantur, nec varias in regiones ablegantur: tametsi temporum successu, ubi una familia in copiosum hominum cœtum excreverit quandam loquelæ deflexionem ac interpolationem patiatur; alii forte res easdem aliter nominantibus, & eadem verba leviori aut crassiori vocis inflexione proferentibus.

[b] *Genes.* 11. 2.

Unde præclare Maimonides [c]: *Labium*, inquit, *unum omnibus illis erat. Sic enim decebat, cum omnes essent filii unius viri.* Neque hæc veritas Ethnicos latuit, nam Abydenus apud Eusebium [e] loquens de Babylonicæ turris molitione, deque consecuta linguæ unius in plurimas divisione, scribit: *Homines porro, quorum ad id tempus, una eademque lingua fuerat, multiplicem ac discrepantem ab eo vocem emiserunt.*

[c] *in More Nevochim p.* 3. *cap.* 50.

[e] *lib.* 9. *de prap. cap.*14.

Non obstat quod ante narratam linguæ in varias distributionem scripserit Moses cap. x. Genes. v. 5. de filiis Japheth: *Ab his divisæ sunt insulæ Gentium in regionibus suis, unusquisque secundum linguam suam:* Et v.20. *Hi sunt filii Cham in cognationibus & linguis, & generationibus, terrisque, & Gentibus suis.* Et v. 31. *Isti filii Sem secundum cognationes, & linguas & regiones in Gentibus suis:* Evidens enim est ea per anticipationem a Mose fuisse scripta, cum Noachi filiorum genealogiam referret, ut egregie exponit S. Augustinus [f], qui expendens & approbans sextam ex septem a Ticonio interpretandæ Scripturæ sacræ præscriptis regulis, dicit; hic ut plerumque alibi in Scriptura inversum esse narrationis ordinem, atque Mosem (præmissis Noe filiorum genealogiis & divisionibus in diversas nationes, quarum quælibet ab alia distinctam linguam habeat) quasi recapitulando adjunxisse, *Et erat terra labii unius* &c. *Latenter*, inquit S. Augustinus, *narratione redeunte, ut diceretur quomodo factum sit, ut ex una omnium lingua fuerint divisi per multas. Et continuo de illa Turris ædificatione narratur, ubi hæc eis judicio divino ingesta est pœna superbiæ, post quod factum, dispersi sunt super terram secundum linguas suas.* Hæc S. Augustinus. Neque id obscure significat Moses; istam enim Noe filiorum genealogiam his verbis claudit: *Ab his divisæ sunt Gentes in terra post diluvium*; Quo vero tempore post diluvium hæc divisio contigerit, indicat capite sequenti; ubi cum dixisset tunc fuisse terram *Labii unius & sermonum eorumdem*; refert Noachi posteros dixisse v. 4. *Venite faciamus nobis civitatem & turrim, cujus culmen pertingat ad cælum; & celebremus nomen nostrum antequam dividamur in universas terras.* Itaque illa terrarum a Noachi posteris secundum linguas & cognationes divisio facta est dumtaxat post cladem Babylonicam. Qua de re agendum est in paragrapho sequenti.

[f] *lib.* 3. *de Doctr. Chri. cap.* 36.

§. II.

Quomodo primigeniæ linguæ varietas & divisio contigerit.

VI. LINGUARUM diversitatem veteres Ethnici, rerum sacrarum, atque sæculorum priorum ignari, ex varia hominum constitutione, aut Regionum diversitate repetendam esse inepte censuerunt; Quem errorem refert, ac erudite refellit Rabbi Levi Ben Gerson [d], hoc argumento. Si linguæ varietas oriretur ab hominum naturali constitutione, vel regionis influxu, sequeretur alterutrum ex his duobus, aut quod genus humanum diversum esset, juxta diversitatem linguarum: aut quod variæ essent linguæ pro diversitate climatum sive regionum: Porro utrumque falsissimum est: Primum quidem, tametsi enim homines pro diversitate nationum diverso idiomate & sermone utantur, iisdem tamen naturalibus principiis & affectibus eos constare manifestum est. Itidem falsum est quod linguæ varient secundum diversa climata, atque di-

[d] *lib.* 6. *Bellorum Domini cap.* 26.

ver-

versos regiorum situs & influxus; alioqui omnes ejusmodi Regionum incolæ, etiam advenæ & viatores, huic linguæ mutationi quemadmodum aliis cœli & aeris istius Regionis influxibus subjacerent; cujus tamen contrarium experiuntur. Sequeretur etiam hinc velocitatem aut tarditatem motionis seu pronuntiationis in lingua, consequi ex natura cujusque climatis; non vero ex notatione nominum & verborum cum his vel illis literis quibus scribuntur & proferri debent; quæ cum falsa sint inde liquet linguarum diversitatem non ex climatum varietate esse repetendam.

Rem istam divinitus edoctus verissime declaravit Moses [a], cum non aliunde quærendam multitudinis linguarum originem, quam ex animadversione Dei in superbientes homines ad Babylonicæ turris & civitatis molitionem conspirantes. Constat enim ex sacro textu ante imprudens & insanum de illius nefario opere initum consilium, terram fuisse labii unius & sermonum eorumdem; ex ea vero turris auspicata molitione, linguæ confusionem divinitus fuisse inductam, Deo se vindicante de hujusmodi primævorum post diluvium hominum superbia, juxta hæc sacri Textus verba: *Venite descendamus & confundamus ibi linguam eorum, ut non audiat unusquisque vocem proximi sui. Atque ita divisit eos Dominus ex illo loco in universas terras, & cessaverunt ædificare civitatem: & idcirco vocatum est nomen ejus Babel, quia ibi confusum est labium universæ terræ: & inde disperšit eos Dominus super faciem cunctarum regionum.* En genuina linguarum multitudinis ac varietatis origo, certissimaque narratio, quæ etiam apud nonnullos e veteribus Ethnicis suboluit. Nam ex Sybilla nescio qua hæc refert Josephus [b]: *Cum homines omnes una lingua uterentur, altissimam turrim, quidam ædificare cœperunt, velut per eam cœlum scansuri: At Dii ventis immissis everterunt turrim hanc, & suam cuique linguam attribuerunt: unde urbi* BABYLON *factum est nomen.* Hinc nata fabula affectati in cœlum a Gigantibus itineris, tanto studio a Poetis decantata, maxime Ovidio [c].

Affectasse ferunt regnum cœleste Gigantes;
Altaque congestos struxisse ad sydera montes.
Tum pater Omnipotens misso perfringit Olympum
Fulmine, & excussit subjectum Pelion Ossæ.

Vide etiam Homerum [d], Virgilium [e], & Lucanum [f]. Propius ad Mosis narrationem accedit Abydenus prolatus ab Eusebio, [g] & S. Cyrillo [h]: *Sunt qui dicant*, inquit, *primos illos e terra editos homines, cum & viribus & mole sua superbirent, ita ut se plus Diis posse jactarent, vertisse se ad turrim struendam, quo loco nunc est Babylon. Cumque jam prope ad cœlum pervenisset opus ventorum vi Diis auxiliantium, dissectum id super ædificantes: ruinis impositum nomen Babylonis. Cum vero ad id temporis unius sermonis fuissent homines, immissam in eos a Diis linguarum discrepantiam.* Mitto cæteros ea de re veteres Scriptores Ethnicos, ut præfatam Mosis narrationem paucis expendam; quæ ut perspecta fiat & planior habeatur, hæc sunt sigillatim discutienda. 1. Quis fuerit illius insani consilii & operis de extruenda turre, quæ ad cœlum pertingeret, Dux & promotor. 2. An omnes illius ævi homines, in illam operam consenserint & conspiraverint. 3. An in ea molitione peccaverint, quodve fuerit illorum crimen. 4. Quomodo facta fuerit illa linguarum varietas & confusio. 5. Quot extiterunt ex hac confusione principes linguæ. 6. Quonam tempore illa divisio contigerit.

VII. Ad primum quod attinet, consentiunt nobiliores Scripturæ sacræ Interpretes; Nembrod antesignanum fuisse ac præcipuum Auctorem ædificandæ Babylonicæ turris: idque colligere licet ex his sacris verbis [i]: *Nembrod robustus venator coram Domino, fuit autem principium regni ejus Babylon, & Arach, &c.* id est, Nembrod imperii sui exordium fecit in urbe Babylonica, aliisque civitatibus terræ Sennaar quæ ejus studio & opera fuerant conditæ. Ex quibus hoc elicitur argumentum: Is Babylonicæ turris Dux fuit, qui & ædificandæ civitatis Promotor; iidem enim turris qui & civitatis Conditores referuntur in sacro textu, ubi [k] turris ac civitatis conjunctim fit mentio vers. 4. *Faciamus nobis civitatem & turrim &c.* v. 5. *Descendit autem Dominus, ut videret civitatem & turrim, quam ædificabant filii Adam.* v. 8. *Et cessaverunt ædificare civitatem.* At Nembrod ædificandæ civitatis Babylonicæ præcipuum Auctorem fuisse, non solum ex præfato Scripturæ textu constat, sed etiam ex
„ Josepho [l], qui istud diserte declarat scri-
„ bens: Ad superbiam autem, Deique con-
„ temptum excitabat eos Nabrodes, Ne-
„ pos Chamæ, filii Noe, vir audax, &
„ manu promptus, subinde jactans, non
„ Deo, sed propriæ virtuti, præsentem feli-
„ citatem eos debere: atque ita paulatim
„ rem ad tyrannidem trahebat, ratus fo-
„ re, ut homines ad se deficerent a Deo, se
„ se illis ducem præberet, opem suam offe-
„ rens, contra novum aliud diluvium in-
„ tentantem. Turrim enim se ædificatu-
„ rum excelsiorem, quam quo aqua ascen-
„ dere posset: & insuper Majorum suo-
„ rum interitum ulturum. Vulgus autem
„ facile Nabrodis placitis obtemperabat, i-
„ gnavum ratus Deo cedere: atque ita stru-
„ cturam turris occœperunt, nulli labori
„ parcentes, nihilque sibi ad diligentiam
„ reliquum facientes. Cumque ingens esset
„ operarum numerus, surgebat opus, su-
„ pra quam speraverant. Crassitudo autem
„ erat tanta, ut proceritatem obscuraret;
„ struebant autem lateribus coctis ad firmi-
„ tatem bitumine ferruminatis.

Ei subscribunt plerique Hebræi Doctores, ut videre est in Thalmud [m], & in Pirke R. Eleazaris [n], ubi legimus: *Dixit Nembrod ad populum suum, Venite ædificemus nobis civitatem,*

a *Genes.* 11. v. 6. &c.

b *Lib.* 1. *Antiq. cap.* 5.

c 1. *Metamorph.*

d *Odiss.* A
e *Georg.* 1.
f *lib* 7.
g *lib.* 9 *prap. cap.* 14.
h *lib.* 1. *cont. Julian.*

i *Genes.* 10. v. 10.

k *Genes.* 11.

l *lib.* 1. *Antiqu. Judaic. cap.* 5.

m *Tract. Cholin. ca.* 6.
n *cap.* 24.

tatem, & habitemus in ea, ne dispergamur in superficiem totius terræ. In eundem sensum præfata Genes. x. v. 9. verba interpretantur: *Ipse* (Nembrod) *incepit esse potens in terra ad rebellionem scilicet incitando totum Mundum contra Deum benedictum in consilio sæculi divisionis, scilicet Linguarum, & Gentium.* Idem sentit S. Augustinus [a], *Ex ipsa*, inquit, *Scriptura colligitur, Gigantem illum Nembrod fuisse Babylonis Conditorem, quod superius breviter fuerat intimatum, ubi cum de illo Scriptura loqueretur, ait:* INITIUM REGNI EJUS FUIT BABYLON, *id est, quæ civitatum aliarum gereret principatum, ubi esset tanquam Metropolis habitaculum Regni quamvis perfecta non fuerit usque in tantum modum, quantum superba cogitabat impietas.*

a lib. 16. de Civit. cap. 4.

Neque officit quod ab Auctoribus proferantur alii Babylonis Conditores, puta Belus & Semiramis, quibus ex sacro textu accedit Nabuchodonosor. Hi namque fuerunt potius Babylonicæ civitatis Instauratores quam Conditores: Cum enim illa conspiratio ædificandæ turris & civitatis per linguarum confusionem fuisset dissipata, Belus Nembrodis, ut putant, filius, & Nini pater, post ablegatas diversas hominum colonias, in varias Orbis regiones, incœptam Babylonis ædificationem promovere cœpit: ut præ cæteris affirmat Alphæus prolatus ab Eusebio [b]. Quia vero urbem exiguam, & inundationibus Euphratis pene dirutam ac hostium incursionibus vastatam, postea Semiramis uxor Nini amplissimam & munitissimam fecit, propterea Babylonem a Semiramide conditam prodiderunt Herodotus [c], Diodorus [d], Strabo [e], Mela [f], Justinus [g], & S. Hieronymus [h]: Utramque sententiam complectitur Pseudo-Berosus [i]: Nembrod, *inquit*, assumpto filio Jove Belo, tum coloniis venit in Campum Sennaar, ubi designavit urbem, & fundavit maximam turrim anno post diluvium centesimo trigesimo primo; eamque turrim ad altitudinem & magnitudinem montium excitavit, in signum & monumentum, quod primus in orbe terrarum esset populus Babylonicus, & regnum regnorum dici deberet. Verum nec turris ædificationem complevit, nec designatam urbem fundavit, quia post quinquaginta sex annos, subito non comparuit. Jupiter autem Belus, filius ejus, quem diximus Nembrod, secundo loco regnavit Babylone annis sexaginta duobus, & fundamenta Babylonis a patre suo designata in formam & magnitudinem oppidi magis quam urbis excitavit. At vero Semiramis uxor Nini, quæ ejus imperio successit quarto loco, idque duobus & quadraginta annis Regnum obtinuit, ut priores omnes bellica gloria, victoriis atque triumphis, divitiisque antecessit, ita & urbem Babylonem ex oppido tantam & talem fecit, ut verius dici possit eam urbem a Semiramide conditam quam amplificatam vel exornatam fuisse. At cum post Semiramidem qui secuti sunt Reges Assyriorum, Babyloni prætulerint Niniven, eamque fecerint Regiam, id est, sedem, caputque imperii Assyriorum ut refert Diodorus; [k] hinc accidit ut Babylon, a Regibus deserta, & Eufratis eluvionibus, & hostium incursionibus vastata, diu obscura & ignobilis fuerit, donec Nabuchodonosor eversa Ninive, Babylonem de integro restauraverit, & latissime amplificatam, sedem imperii, ut quondam fuerat, restituerit. Unde Daniel *cap.* IV. inducit eum gloriantem & sese jactantem illis verbis: *Nonne hæc est Babylon civitas magna quam ego ædificavi in domum Regni?*

b lib. 9. præp. cap. 41.

c lib. 1.
d lib. 3.
e lib. 16.
f lib. 1.
g lib. 1.
h in 2. cap. Oseæ.
i ab Annio lib. 4.

k lib. 3.

VIII. Ad secundam quæstionem quod spectat; verisimilius est (quidquid reclament nonnulli cum Pererio [l]) non omnes omnino illius ævi homines ad insanam illam structuram convenisse & consensisse. Neque enim probabile est Noachum, Semum, Japhetum, aliosque piissimos, & sanctissimos homines in tam absurdum & impium opus fuisse consensuros, & operam suam illi locaturos; quippe qui intelligere poterant conspirationem illam in Dei contemptum, & perduellionem vergere. Accedit quod a pœna in hujus conspirationis ultionem inflicta, posteritas Semi & Heberi immunis fuerit; neque enim illi, qui in Deum steterunt observantes, linguæ primigeniæ usum perdiderunt: Unde probabiliter concluditur, illos ab ea in Deum perduellione fuisse immunes. Crederem ergo Nembrod potissimum universam Chami familiam in hoc pessimum consilium induxisse, uti perbelle docet R. Abarbenel, [m] Sicut, *inquit*, filii Kain impulerunt homines totius Mundi ante diluvium ad res superfluas, ad turpes cupiditates, violentiam & rapinam, horumque causa venit diluvium: Sic Cham & filii ejus seduxerunt homines in ædificatione urbis, & turris Babel, & propterea rei facti sunt pœnæ confusionis linguæ, divisionis, & dispersionis in superficiem totius terræ. Cham enim inter filios Noachi fuit loco Kaini inter filios Adami primi, & confusio linguarum fuit loco diluvii. *Hæc ille.* Nihilominus tamen non abnuerem aliquos etiam ex filiis, aut saltem nepotibus Japheti & Semi, conspiratores illos in suam sententiam perduxisse, quippe cum pauci fuerint apud quos primigenia lingua perseveraverit; subindeque argumentum est numerosiorem hominum cœtum in impiam illam sententiam conspirasse. (12) IX.

l in Genes. lib. 16. cap. 11. num. 5.

m in Legem fol. 50.

(12) Eutychius Patriarcha Alexandrinus in suo Opere, ubi plures Orientalium traditiones collectæ inspiciuntur, referente Calmeto in sua *de Babelica Turre Dissertatione*, tradit non a solo Nembrod, sed a pluribus, a septuaginta duobus nimirum familiarum Principibus, unanimi consensu statuum fuisse ædificium Turris, & Civitatis; quod scribit etiam S. Epiphanius Lib. I. Hæresum ad hæresim 39. Calmetus autem in laudata Dissertatione Noemi Posteros e regionibus Armeniæ in terram Sennaar, idest in Babyloniam venisse opinatur, non quidem inito consilio, & una simul transmi-

IX. Neque enim ullatenus apparet probabilis Tostati assertio [a], qua contendit, architectus Babylonicæ turris in illo suscipiendo opere nihil peccasse, quia, inquit, ædificare civitatem & turrim nec erat mala actio, nec illius finis etiam malus fuit; sive enim ædificare voluerint illam civitatem ne dispergerentur, ut indicat Lectio Hebraica, sive ut nomen suum celebre facerent, ut significat lectio Græca & Latina, neuter finis malus fuit. Nam dispergi, & invicem separari nolle, sed velle congregatos simul vitam civilem degere, est naturale hominis desiderium. *Siquidem homo*, ut ait Aristoteles [b], *est animal politicum societate gaudens*, & civilem vitam amans: explere autem naturale desiderium cum debito modo & ordine, non est peccatum; ut si quis cum naturaliter sitit aut esurit, velit bibere aut comedere. Cupere porro, & quærere claritatem & celebritatem nominis, si non fiat per malas artes, neque id contra Dei voluntatem. & honorem sit, aut contra utilitatem, & ædificationem proximi, culpari non debet tanquam peccatum. Ædificatio autem illius civitatis & turris, nec per se mala erat, nec a Deo prohibita: fama vero & gloria quam illi ambibant, nec divino honori, nec hominum cujuspiam utilitatibus adversabatur. *Hæc ille.*

Verum Tostatus opinioni suæ adversantes habet omnes ferme sacros Interpretes, maxime vero S. Chrysostomum [c] qui Deum inducit ita statuentem: *Quia abusi sunt vocis unitate, ideo vocis diversitate castigare volo.* Et mox: *Hi quoque honore pares, & ejusdem linguæ, abusi illa, quam graviter peccarint, ex linguarum varietate sunt experti. Et confundamus*, inquit, *illorum linguas, ut non audiat unusquisque vocem proximi sui: ut sicut linguæ unitas cohabitationem fecit, ita linguæ diversitas dispergat. Nam quibus non est idem sermo & lingua, quomodo cohabitare possunt?* Ei consentit etiam S. Augustinus [d]: *Genus vero*, inquit, *ipsum pœnæ quale fuit? Quoniam dominatio imperantis in lingua est, ibi damnata est superbia, ut non intelligeretur jubens homini, qui noluit intelligere ut obediret jubenti Deo.* His accedit Philo Judæus, [e] qui expendens illa Conspiratorum verba; „ *Faciamus nobis nomen priusquam dispergamur*, sic exclamat: Oh insignem impudentiam! Cum enim deberetis vestras iniquitates tenebris abdere, & prætextum aliquem vestris maleficiis, si non verum, certe verisimilem quærere, ne vel in bonorum, & prudentium virorum offensionem incurratis, vel ut effugiatis pœnas confessorum criminum: Audetis vos in clarissima luce ostentare, contemptis hominum minis, & suppliciis divinitus infligendis? Quin etiam innumerabiles omni ævo nuntios, ac testes flagitiorum vestrorum habere vultis, ut nemo nesciat vestrum nomen. At quale tandem nomen cupitis? Certe quale factis vestris convenit. Id vero innumeras continet vitiorum species, quas vobis posteri exprobrabunt. Inest enim vobis petulantia cum impudentia, contemptus cum violentia, cædes cum sævitia, cum immoderatis voluptatibus immensa concupiscentia, cum temeritate insolentia, cum calliditate malitia, cum mendaciis periuria, denique cum iniquitate erga homines, etiam adversus Deum impietas. Egregia vero gloratio, captare celebritatem nominis ex iis quæ celari, & sempiterno, si fieri posset, silentio obrui deberent.

Eos etiam graviter peccasse indicat sacer Textus, processum Dei judicialem in perduelles, his verbis perscribens: *Venite descendamus & confundamus ibi linguam eorum.* Nec non & ista, *Descendit autem Dominus, ut videret civitatem & turrim:* utrunque enim verbum *descendendi & videndi*, ut recte admonet Buxtorfius *Num.* 33. ad judicium referunt Hebræi. De verbo *descendendi* scribit Maimonides. [f]: *Quando plaga super gentem vel regionem aliquam, juxta voluntatem Dei descensura est, eamque Deus infligit, dicitur descendere, & res ista vocatur* ירידה, *descensio: ut* AGE DESCENDAMUS ET CONFUNDAMUS IBI LABIUM EORUM: *item* ET DESCENDIT DOMINUS UT VIDERET: *Sic Descendam nunc & videbo, Genes.* XVIII. 21. *Omnia hæc significant pœnam hominum.* De verbo *videndi* legimus in libro Zohar [g]: *Quid sibi vult quod hic dicitur* למחזי *ad videndum? Annon sciverat illud jam antea? Omnino: sed* AD VIDENDUM, *significat hic, ad videndum in judicio, vel judicialiter, juxta illud, videbit Dominus super vos, & judicabit.* [h] Unde Jonathan Paraphrastes, præfata Scripturæ verba *Descendit Dominus &c.* Sic reddidit, *& manifestavit se Dominus ad vindictam sumendam de structoribus urbis & turris.*

At inquies, linguarum variarum peritia & cognitio, jam singulare censetur Dei beneficium. Itaque linguarum varietas non est illius iræ & ultionis effectus & argumentum. Nego hanc illationem; enimvero idcirco plurium linguarum notitia Dei beneficium est, quia plures illæ linguæ in eo qui illas callet, quasi ad unitatem revocantur, adeoque linguæ primigeniæ unitas veluti in eo restituitur, ut videlicet hic cum pluribus diversæ regionis hominibus sermonem facere possit eadem facilitate, qua homines illi ante confusionem linguarum omnes simul societatem & colloquium inire poterant. Annon pœnæ loco censendum est, inquit Buxtorfius, id quod cum lacte materno quasi fugere, & a gerulis & nutricibus absque studio & labore discere poteramus, scilicet modum communicandi sermones cum omnibus

[a] *Quæst.* 8. *in cap.* 11. *Genes.*

[b] *lib.* 1. *Politic.*

[c] *homil.* 30. *in Genes.*

[d] *lib.* 16. *de Civit. cap* 4.

[e] *in lib. de confus. ling.*

[f] *in More Nevochim part.* 1. *cap.* 10.

[g] *Columna* 218.

[h] *Exod.* 5. 21.

migratione, sed paulatim ad opima suis gregibus pascua procuranda, donec aucto Hominum, & Jumentorum numero insimul habitare cum non posse dignoscerent, atque in alias terras eorum plures transire cum cogerentur, consilium cæptum est de ædificanda Civitate, & Turri, ad perpetuum tum nominis, cum necessitudinis monumentum firmandum, quo eorum Posteri ex eadem gente, patria, & familia se progenitos fuisse intelligerent, en ergo consilium, quo Turris, & Civitas ædificatæ sunt juxta Calmetum. *W.*

bus hominibus, eosque seu loquentes seu scribentes intelligendi; nunc nonnisi summis laboribus, sumptibus, & temporis dispendio mediocriter tantum, & non nisi modica ex parte comparare valeamus?

Quodnam vero fuerit speciale peccatum istud, Scriptura sacra diserte non explicat: unde sacri Doctores & Interpretes varia commentantur. Sunt enim qui putent eos peccasse peccato audaciæ & præsumptionis in Deum, quia architecti illius turris putarunt posse sibi parari securitatem, tutumque refugium adversus generale diluvium, si quando Deus illud iterum vellet immittere: cujus sententiæ Auctor multis [a] fuisse videtur Josephus a ubi ait Nembrod sollicitasse homines ut deficerent ab eo: *Opem suam*, inquit, *offerens illis, contra novum aliud diluvium: turrim enim se excædificaturum excelsiorem quam quo aqua ascendere posset. Et insuper Majorum suorum interitum ulturum. Vulgus autem facile Nabrodis placitis obtemperabat, ignavum ratus Deo cedere.* Hugo Victorinus putat peccatum istud fuisse vesanam dominandi cupiditatem, qua Nembrod flagrabat, cui multitudo vulgi & plurimi ex familiarum capitibus obtemperarunt. Alii alia commentantur. Plurimi tamen in eam sententiam concedunt, ut existiment, peccatum istud non aliud fuisse quam inanem celebrandi nominis cupiditatem & gloriam, ut indicant illa conspirantium verba: *Faciamus nobis civitatem & turrim, & celebremus nomen nostrum, &c.* Quanquam enim malum non sit per se famam quærere; imo Spiritus Sanctus præcipiat, [b] *Curam habe de bono nomine, hoc enim magis permanebit tibi quam mille thesauri pretiosi & magni;* illud tamen fieri debet modo debito: scilicet ut in opere suscipiendo primum intendatur Dei gloria, divinaque ejus voluntas præ cæteris attendatur: Architecti vero illi ne leviter quidem Dei gloriam spectabant; neque enim ædificabant pro templo, ut Deum ibi colerent; nec ut posteris testarentur singulare Dei in Noe familiam beneficium, quod eam solam ab universali naufragio, quo perierat universa alia Adami posteritas, incolumem servaverit, & ita denuo multiplicaverit, ut jam posset cunctas Orbis regiones occupare. Sed id solum in votis habebant ut nomen sibi compararent, & immortalitatem cœlestem nihili ducentes, solam terrenam ambirent.

Tametsi istas omnes aliasque ejusmodi conjecturas non improbem, verosimilius tamen existimo Architectorum illorum crimen, manifestam fuisse eorum in divina mandata perduellionem. Quemadmodum enim Deus in ipso statim rerum primordio dixerat, *Crescite & multiplicamini & replete terram, & subjicite eam*; ita etiam post diluvium eandem suam voluntatem repetens & renovans, [c] Ait ad Noe & filios ejus: *Crescite & multiplicamini & replete terram*, quibus præcipit ut cum multiplicati fuerint, varias distribuantur in Colonias per diversas orbis partes dispergendas. Quod utique divinum mandatum verosimile est Patriarchas Noe, Semum, & Japhetum suis nepotibus jam in plura hominum centena millia multiplicatis, significasse, eosque, ut tandem illi parerent, precibus, adhortationibus, necnon & terrore divinæ in rebelles futuræ ultionis stimulasse. At Nembrod dominationem in omnes homines ambiens, hisce divinis mandatis reluctari cœpit, & alios ad defectionem pellicere, dicens sub horum Dei mandatorum obtentu, parari insidias ab iis qui dominandi cupiditate flagrabant; nec illam dispersionem alio fine suadere, quam ut facilius una post alteram colonia subacta & a tyrannidem ambientibus oppressa, omnes tandem homines miseræ servituti subjacerent. Ita aperte declarat Josephus mox laudatus his verbis, *Deo jubenti, ut propagandi, multiplicandique humani generis gratia, colonias diducerent, homines illi rudes minime paruerunt: quamobrem calamitatibus implicati, offensum Deum errore suo, damnoque sunt experti. Cum enim florerent juventutis multitudine, subinde Deus illos de coloniis deducendis admonebat; illi vero obliti se ipsius benignitate præsentibus commodis perfrui, totamque illam fœlicitatem suis viribus acceptam ferentes, dicto ejus non fuerunt obedientes. Et quod pejus erat, consilium & mandatum divinum, de colonis ducendis, non favorem Dei, sed insidias interpretabantur: videlicet quo facilius dispersi, possent opprimi. Hanc autem superbiam, Deique contemptum excitavit in illis Nemrod nepos Cham filii Noe.*

Quod autem ad structionem Babylonicæ turris se se accinxerint, ut suæ dispersioni obsisterent, apparet ex Hebraico textu; habet enim ad verbum: *Ædificemus nobis civitatem & turrim, & caput ejus in cœlum, & faciamus nobis nomen, ne forte dispergamur super faciem universæ terræ:* Idque etiam significant hæc Vulgatæ verba: [d] *Confundamus ibi linguam eorum, ut non audiat unusquisque vocem proximi sui: atque ita divisit eos Dominus ex illo loco in universas terras:* Ista enim non obscure declarant, idcirco Deum induxisse linguarum varietatem, ut perduelles illi nullam amplius invicem societatem habere valentes ob sermonis ignorantiam, necessitate compellente, diversi diversas cum suis, quibus eadem lingua communis erat, quærerent sibi commodas & gratas terræ regiones, quas incolerent & excolerent, (13)

[a] *lib. 1. Antiq. cap. 5.*

[b] *Eccli. 41. v. 15.*

[c] *Genes. 9. v. 1.*

[d] *Genes. 11. v. 7.*

X.

(13) Tostati sententiæ nedum laudati a Fraffenio Patres refragantur, sed insuper Josephus Lib. 1. Antiquit. cap. 5., Abydenus, Artapanus, & Eupolemus apud Eusebium Lib. 9. Præparat. Evangel. cap. 4. edit. Basileens. contrarii sunt, cum hominum pervicaciæ Turris ædificium adscribant. Verum si eo, quod nobis suppeditat Calmetus in Nota præcedenti (12) consilio, Civitatis, & Turris constructionem moliti homines illi fuerunt, Tostati sententia non videtur corruere, cum aliquid simile de Israelitis legamus Josue 22. ℣. 27., qui ad suas ædes trans jordanicas revertentes, extruxerunt monumentum quoddam instar Altaris in testimonium suis Posteris relinquendum, quo ejusdem

X. Quomodo autem, quave ratione facta fuerit illa linguarum confusio & divisio, cum Scriptura non explicet, facile non est indicare. Ex ea tamen colligere licet non sic confusas fuisse atque permixtas hominum linguas, quasi nullus illorum hominum audierit alium loquentem, aut ejus sermonem intellexerit. Neque hæc verba, *Ut non audiat unusquisque vocem proximi sui*, significant in illa multitudine hominum neminem fuisse qui alium intelligeret; seu quot erant numero homines, totidem fuisse eorum diversas linguas, alioqui periisset omnino omnium hominum societas, nec vir cum uxore, nec parentes cum filiis cohabitare potuissent; quod haudubie fuisset certissimum humani generis exitium, idque oppositum Dei consilio & proposito; induxit enim linguarum diversitatem, eo fine ut homines in diversas dispersi colonias, varias terræ plagas incolendas quærerent, quatenus totus orbis terrarum cultoribus abundaret. At si nullus hominum alterum loquentem intellexisset, nulla ratione potuissent invicem sociari; sicque, ferarum instar, per deserta & inculta loca, palantes errare fuissent coacti. Eo itaque sensu accipienda est illa linguæ divisio, ut certæ ac singulæ hominum familiæ ac classes, unius linguæ notitiam & usum habuerint, aliis vero essent veluti extraneæ & barbaræ, atque ideo ab invicem separari eis necessum fuerit. (14)

Quæritur quinto, in quot linguas matrices ista divisio facta sit? Communis est Hebræorum sententia, linguarum divisionem factam esse juxta familiarum capita, quæ huic Babylonicæ ædificationi consilio & opera adfuerunt. Inde colligunt linguas esse matrices LXX. non enim plura familiarum capita tunc temporis extabant. Nam ut legimus Genes. x. ex tribus Noe filiis LXX. distinctæ familiæ a diluvio ad Babylonicam cladem succreverant. Ex Chamo quidem XXX. ex Japheto XIV. ex Semo XXVI. quæ simul LXX. familias constituunt. Nam Philistæi non numerantur inter legitimos Misraimi filios, sed orti dicuntur ex Chaluchæis, qui (ut scribit Moses Gerundensis prolatus a Buxtorfio, a) facta manu quærentes habitationem, invaserunt & subjecerunt terram cui nomen erat פלשתים *Peleschetb*, & ab illa terra deinceps vocati sunt Philistæi. Sententiam suam confirmant Hebræi ex illo Deuter. xxii. v. 8. *quando dividebat Altissimus Gentes, quando separabat filios Adam, constituit terminos populorum, juxta*

a *Num.* 42.

dem gentis, & familiæ tam populus citra, quam ultra Jordanem cohabitans quod extiterit, firmaretur. Quod autem per confusionem Linguarum obstiterit Deus eorum consiliis id unum indicare videtur, nempe diversimode de gentibus illis voluisse Divinam Providentiam decernere, mundum videlicet universum quam citius replere, quod fieri non poterat quandiu insimul congregatæ morabantur; Diu jam in opere illo insudaverant innumeri illius temporis homines, si nobis vera retulerint, qui de Babelica Turre monumenta ad nos aliqua transmiserunt. Diutius adhuc eorum opus perseverasset, quod maximum erat propagationi hominum per totum orbem obstaculum; hinc facta confusione Linguarum in eis, ad diversas mundi plagas unaquæque familia progredi coacta est; Hæc pro Tostato reponi posse videntur, quanquam Sanctorum Patrum veneremur sententias.

Mira quidem, & ferme incredibilia sunt, quæ de tempore in Turri, & Civitate ædificandis consumpto, quæ de ejusdem Turris ingenti mole, de immensa hominum multitudine operam impendentium a variis scriptoribus referuntur. Integrum triennium in primis in compingendis, excoquendisque lateribus, quorum longitudo tredecim cubitorum, decem cubitorum latitudo, quinque autem cubitorum crassitudo erat, elapsum fuisse tradit ex aliis Calmetus in sua *de Turre Babelica Dissertatione*. Hisce autem comparatis lateribus urbem construere sunt aggressi loco Tyrum inter & Babelem medio quæ in longitudine non minor erat tercentis tredecim Perticis, in latitudine autem ad centum quinquaginta & unam perticam extendebat. Mœnibus cingebatur, quorum altitudo ad quinque mille quingentas triginta tres perticas insurgebat, & eorum latitudo triginta tribus perticis comprehendebatur. Turris autem ad 10000. perticas extollebatur, quibus construendis non minus spatium quam annorum quadraginta consumptum est. Deglutiat hæc portenta qui potest; pertica enim est mensura sex pedum; pes autem duodecim pollices comprehendit. Rabbini pro more suo magis adhuc de Babelica Turre fabulantur, cum ejus altitudinem usque ad septuaginta millia passuum extendant. Beniamin Tudelensis bis mille passus in longitudine Turris fundamentis concedit; in latitudine ipsam Turrim ad ducentos quadraginta cubitos, vel 360. pedes extensam tradit; in longitudine vero ad centum perticas, vel 600. pedes perveniisse scribit.

Alii referunt Turrim Babelicam molem fuisse lateritiam, singulosque lateres ad brachii mensuram accessisse; Turris vero altitudinem ad 300. pedes, sive 50. perticas pertigisse. Sanctus vero Hieronymus in Isaiam Cap. 14. veluti ab aliis acceptum refert altitudinem Turris ad quatuor millia passuum excreviisse. Alii tandem usque ad 5174. passus eamdem altitudinem esse porrectam. Hæc ex Calmeto huc transtulimus, ut legentium *πολυπραγμοσύνη* satisfaciamus. (*W*)

(14) Non una inter Scriptores de modo, quo in Babele linguarum confusio evenit, opinio versatur. S. Gregorius Nissenus Orat. 12 contra Eunomium tandiu homines in unitate idiomatis perstitisse retur quandiu Societatis servarunt unitatem; ea autem disrupta, ac in longinquas ab invicem partes translatis domicilils, quælibet gens pro libito suo proprii animi sensa per varias voces significare aliis cæpit, relicta a Deo facultate cuilibet iis utendi vocibus, que magis placerent. A Nisseni opinione parum distat Joannis Clerici sententia, qui in Cap. 11. Geneseos, & alibi, non linguarum, sed consiliorum unitatem in Babele disruptam arbitratur, proindeque improbo Turris omisso ædificio, populisque ad varias Mundi plagas profectis, paulatim, natura duce, varia fuerunt invecta idiomata. Simonius tandem in sua Historia Critica Tom. V. Lib. 1. Capitibus 14., & 15. confusionem Linguarum eo sensu refert in Deum, quatenus ipse providentiæ suæ ordine ita disposuit, ut Homines in mundum universum dispergerentur, variisque Dialectis, & vocibus deinde assuescerent. Opiniones istæ eo collimant omnes, ut nullum supernaturale prodigium in confusione linguarum admittant. Verum Catholici ferme omnes in divinæ potestatis miraculum eam Sermonum perturbationem referendam volunt, sive interim Deus varios loquendi modos gentibus illis inflaverit derepente, sive intelligentiam patrii sermonis inverterit adeo, ut nemo, Heberis excepta familia, ut aliqui volunt, sermonis, & vocum proximi sui apperciperet significationem: qua de causa opificium deserere, & ab invicem separari compulsi sint, donec paulatim dialectos, & accentus deinde voces, & nomina gens unaquæque permutaverit, variæque linguæ exortæ sint. Clara satis Mosis verba sunt Genes. 11. ℣. 6., & 7. quibus Deo ædificium Civitatis, & Turris indignanti linguarum confusio in Babele facta tribuitur. (*W*)

juxta numerum filiorum Israel, hoc est, inquit R. Bechai, [a] *Quando Deus divisit linguas ad statuendum terminos populorum qui sunt LXX. secundum numerum filiorum Israelis descendentium in Ægyptum, qui fuerunt animæ LXX. non elegit ex omnibus nisi Israelem.*

[a] *in Deutr. fol. 224.*

Addunt Kabbalistæ LXX. fuisse linguas juxta totidem nomina divina, nec non & capita Synagogæ Israeliticæ, quam Deus instituendam tunc in mente habebat. Addit Origenes, diversitatem linguarum factam esse juxta numerum LXX. Angelorum principum, quibus totidem populos regendos Deus assignavit. Verum Rabinica ista commenta sunt, quæ Augustinus Justinianus Episcopus Nebiensis [b] docte refellit.

[b] *in Psal. 119.*

Communior itaque SS. Patrum sententia est, fuisse quidem linguas divisas juxta numerum familiarum; quot vero tunc temporis fuerint diversæ familiæ, non ita liquet: nam S. Augustinus [c] LXXIII. tunc temporis familias extitisse pronuntiat, quindecim videlicet ex Japheth, & unam supra triginta de Cham, & viginti septem de Sem, qui omnes numeri in LXXIII. coalescunt; nihilominus LXXII. tantum linguas principes fuisse asserit, quia, inquit, Heber & Phaleg, qui in hoc numero distincte ponuntur, nec duas diversas Gentes fecerunt, nec duas diversas linguas habuerunt, propterea numerus ille Gentium & linguarum recte dicitur fuisse LXXII. Ideo autem numerat quindecim nepotes Japhet, quod videatur secutus exemplar aliquod Græcorum, in quo Elisa octavus filius Japheto adjicitur; at illum respuunt emendatiores alii Græci Codices, sicut & Hebræus ac Chaldaicus textus. Ipsi pro statuendo septuaginta duarum linguarum numero, præiverat Clemens Alexand. [d] scribens: *Euporus autem, & alii multi Historici, & Gentes & linguas dicunt septuaginta quinque, cum audissent vocem Mosis dicentis: Erant autem omnes animæ ex Iacob septuaginta quinque, quæ descenderunt in Ægyptum. Videntur autem, ex vera ratione linguæ seu dialecti, ut vocant, & sermones generales esse septuaginta duo, ut nostræ tradunt Scripturæ* (Græcæ scilicet.) *Fiunt autem, aliæ per communionem duarum, vel trium, vel etiam plurium dialectorum.* Diversa ab eis fuit S. Epiphanii [e] sententia.

[c] *Lib. 16. de Civit. cap. 3. & 11.*

[d] *Lib. 1. Strom. pag. 338.*

[e] *lib. 1. advers. hæreses hæres. 19. seu 39. pag. 288.*

„ Quo tempore, inquit, Babylon in Assyria, ab iisdem illis extructa, qui & Turrim condiderunt. Erantque tum, (uti in superioribus hæresibus ex generationum a nobis instituta serie demonstratum est) homines ferme LXXII. stirpium Auctores, & capita. Nimirum ex Chami progenie XXII. E genere Sem XXXII. E Japheti vero stirpe XXV. Cum Turris illa cum Babylone conderetur. Ab his in universum Orbem nationes omnes ac linguæ dissipatæ sunt. Posteaquam septuaginta illi duo, qui Turrim moliebantur, confusis linguis huc illucque dispersi sunt, & pro una quam callebant, alias aliam ex afflatu Dei ac voluntate sortitus est. Ex quo ad hanc usque diem linguarum omnis est conflata varietas; quarum uniuscujusque licet Auctorem nullo negotio deprehendere. Sic enim Javan Græci sermonis princeps extitit, a quo sunt Jones cognominati, penes quos veteris est Græcæ linguæ possessio. A Thera Thracum lingua profecta est, Mossynœcorum a Mosocho: a Thobele Thessalorum. Elud porro Lydorum sermonis Auctor fuit; uti Gasphenorum Gephar, Ægyptiorum Mistrem; Psus Axumitarum; Armot Arabum; ac deinceps, ne sigillatim percenseam, suæ cujusque linguæ reliquis est impertita scientia. Atque ita singularum successio est paulatim in Orbe dilatata. At in hac enumeratione apparet S. Epiph. lapsus.

Verum etiamsi plurimi alii e SS. Patribus eidem sententiæ subscribant, nihilominus tamen eam prorsus incertam & dubiam ac Mosis historiæ non adeo consentaneam suadere videntur hæ rationes; *Primo* quia incertus est familiarum tunc temporis numerus; Moses quidem cap. x. recenset omnes Noe filios & Nepotes: at non affirmat illos fuisse tot familiarum & Gentium capita, quæ proinde diversis linguis uterentur. *Secundo* probabile non est patrem a filio, & fratrem a fratre sic fuisse distractos & segregatos ut & lingua, & habitatione, & societate prorsus essent deinceps invicem alieni ac veluti barbari. *Tertio* in assignanda illa Noe nepotum serie, non solum non concordant Græci Codices cum Hebræis, sed neque etiam SS. Patres qui seriem illam diversimode referunt, licet enim Græci libri, & ex eis B. Augustinus, numerent octo filios Japhet; attamen textus Hebraicus & Chaldaicus, nec non & Vulgata editio Latina septem tantum recenset, prætermisso Elisa quem habent Græci Codices, sicque essent duntaxat LXXI. familiarum capita, quinimo forent tantum LXX. Nam Heber & Phaleg, qui in enumeratione illarum Gentium distincte ac separatim recensentur, diversam familiam & linguam, ipso etiam fatente S. Augustino, non instituerunt. *Præterea* ex hoc septuagenario Gentium numero, oportet eos demere qui prima capita fuerunt earum familiarum, quæ a Mose enumerantur; hi autem sunt decem, nempe ex Japhet duo, Gomer & Javan: ex stirpe Cham quatuor, Chus, Mesraim, Chanaan, & Regma; totidem ex progenie Sem, Arphaxam, Aram, Heber, Jectan: Neque enim parentes possunt per se ac separatim a suis posteris Gentem ullam facere, & sine aliquo suorum filiorum. Igitur eædem fuere Gentes & linguæ parentum & filiorum. Deinde si parentes a posteris separatim essent numerandi, similiter Noe ac tres filii ejus Sem, Cham, & Japhet commemorandi essent separatim a suis posteris, & eos ab illis diversas Gentes fecisse, dicendum esset; quod si concedatur, jam non LXXII. sed LXXVI. linguæ & familiæ erunt. Vides ergo quam levi fundamento nitatur illa vel de LXX. vel de LXXII. principibus familiis & linguis sententia.

XI.

XI. Utrum autem ex illis linguis in ea confusione inductis aliquæ jam supersint quæ aliorum modo extantium matrices & autogenæ censeantur, nullus mihi apparet dubitandi locus; id enim certissimum efficiunt vetustissima quarumdam linguarum monumenta, ex quibus apparet linguas illas eodem modo ab Antiquis, atque a Modernis in usu fuisse, nec nisi levi deflexione aut pronuntiatione variatas, ut constat ex Antiquis inscriptionibus Græcis, Latinis, Teutonicis & Illyricis. Quæ vero & quot supersint matrices linguæ, varii varie & anxie disputant. Ut ut sit, certum est quintuplicem linguam, nempe Hebræam, Græcam, Latinam, Teutonicam, & Illyricam, post Babylonicæ confusionis tempus, ad nos usque perseveravisse; ex quibus, inquit, Kircherus [a], quæcunque linguæ in universa „ *Europa*, *Asia*, & *Africa*, exceptis omni„ no Barbaris idiomatis, de quibus postea, „ veluti ex equo Trojano prodeuntes, „ mundum linguarum dialectorumque va„ rietate replerunt. Prima itaque lingua, „ quæ in domo HEBER semper mansit, suc„ cessu temporum, primo in *Chaldaicam* „ deflexit; secundo in *Arabicam*, seu *Ma„ dianiticam*; tertio in *Samaritanam*; quar„ to in *Æthiopicam*; quinto in *Syriacam*, „ veluti ex *Græca* & *Hebræa* mixtam, de„ clinavit. Secunda fuit GRÆCA, quam ne„ potes *Phaleg* a confusione linguarum se„ cum in *Græciam* detulerunt: unde & po„ steri a *Phalechi* familia *Pelasgi*, & *lingua „ Pelasga*, nomen suum sortiti sunt; quæ „ iterum varias decursu sæculorum dialecti„ cos, *Atticam*, *Ionicam*, *Æolicam*, *Phry„ giam*, aliasque diversas pro constitutione „ populorum, tot linguas, quot Gentes, „ in *Græcia* fuerunt, pepererunt.

a *lib. 3. turris Babel sect. 1.*

Porro LATINA *Autogena* censetur quidem ab omnibus; tametsi plurimi eam ut jam extat, ex variarum linguarum, maxime Græcæ admixtione interpolatam esse censeant. Istud variis Auctorum veterum & recentium calculis probat Thomas Gatakerus [b] Ex antiquioribus quidem prodit Dionysius [c] Halicarnass. *Romani*, inquit, *sermone nec prorsus barbaro, nec exquisite Græco utuntur, sed quodam ex utroque mixto, cujus major pars est Æolica. Atque ex commercio multiplici hoc solum reportarunt, quod non omnia vocabula recte efferant*. Consentit Eustathius: *Dictiones multæ Græcanicæ ad Italos emerserunt, & Doricæ maxime apud illos perstiterunt: etiamsi temporis progressu Græcanica illa nomina a nativa desciverint specie, dum decurtantur & ritu barbaro enuntiantur*. Fabius quoque [d]: *Verba aut Latina, aut peregrina sunt: peregrina porro ex omnibus prope dixerim, Gentibus, ut homines, ut instituta etiam multa, venerunt*. Ita linguarum cinnum, quem nostræ quidam vitio vertunt, suam quoque latinam, nempe Fabius ipse, agnoscit. *Tum, plurima*, inquit, *Gallica valuerunt*. Mox, post Punica & Hispanica; quædam adjecta; *Sed hæc*, inquit, *divisio mea ad Græcum sermonem præcipue pertinet: nam & maxima ex parte Romanus inde con-*

b *Dissert. de novi instrumenti stylo pag. 2.*

c *lib. 1. Antiq. Rom.*

d *Institut. lib. 1. cap 5.*

versus est: & confessis quoque Græcis utimur verbis, ubi nostra desunt. Et ibidem [e]: *Vocabula Latina plurima sunt ex Græcis orta; præcipueque Æolica ratione, cui est sermo noster simillimus, declinata*. Fer. Varro: [f] *Adventitia pleraque habemus Græca; Evander enim qui venit e Græcia in Palatium, Arcas fuit*. Isdem alibi. His accedunt e recentioribus *Hugo Grotius* [g]: est veterum Latinorum lingua tota, Græcæ depravatio. *Ioannes Meursius* [h]: Veterem linguam Latinam esse Græcæ traducem, jam non ignotum est, vel mediocriter eruditis. *Joan. Vossius* [i]: Lingua Latina tota pene fluxit ex Græca: si exceperis ea, quæ vel ex primigenia lingua retinuit, vel a vicinis Celtis accepit. *Laur. Ramirez* [k]: A Græca defluxit lingua Latina. *Conradus Gemerus* [l]: Latini innumera rerum vocabula a Græcis mutuati sunt. *Hieronym. Megiserus* [m]: Latini a Græcis complures voces „ mutuantur. *Hæc ille*. Sive ex primoge„ nitis una, ex ruditate sua ad perfectio„ nem perducta, tandem ex adventu *Gotho„ rum*, *Alanorum*, *Vandalorum*, ingentem „ corruptionem passa, quaternas alias pe„ perit, *Italicam*, *Gallicam*, *Hispanicam*, „ *Lusitanicam*, & ex hisce alias, ex *Itali„ cæ*, & *Latinæ* commixtione insulares *Sar„ dam*, & *Siculam*; tot autem & unius „ *Italicæ* linguæ idiomate differentes dialecti tandem exsurrexere, quot provinciæ „ in *Italia* constituuntur; quod idem me in „ *Galliæ* & *Hispaniæ* provinciis observasse „ nemini. TEUTONICA lingua, quemadmo„ dum probatissimi Auctores referunt, a „ *Tuiscone Japheti* filio, *Noe* pronepote, no„ men suum obtinuit; quæ ex ruditate in „ perfectionem summam, Imperatorum cu„ ra reducta, tandem varias filias, videlicet, „ *Belgicam*, *Danicam*, *Suecicam*, *Anglicam*, „ *Scoticam* peperit, quæ duæ posteriores oc„ casione *Saxonum*, natæ sunt, qui pulsis „ *Pictonibus*, universæ insulæ se indigenas „ fecerunt; unde & *Anglo-Saxones* postea „ dicti fuerunt. ILLYRICA lingua ramos suos „ in *Poloniam*, *Lituaniam*, *Moscoviam*, *Tar„ tariam*, usque in ultimos Orientis termi„ nos, innumerabili linguarum fœtu tradu„ xit; ex hac enim postea *Turcica*, *Bulga„ rica*, *Bosnica*, *Tartarica* nata maximam „ *Tartariæ* magnæ portionem replevit, ita „ tamen illæ corruptæ sunt, ut vix ullum „ primitivæ vestigium retineant. Hæc Kir„ cherus.

e *cap. 6.*

f *de ling. Lat. lib. 9.*

g *De Satisfact. Christi cap. 8.*

h *in Mantissa ad Luxum Roman. cap. 12.*

i *in Præfat. ad Libr. de vitiis sermon.*

k *Pentecontarch. cap. 6.*

l *in Mithridat.*

m *Præfat. Polyglot.*

XII. Sexta quæstio est quo tempore, quove anno contigerit illa linguarum varietas & confusio. Quod etsi Scriptura sacra aperte non explicet, nihilominus tamen obscure nonnihil indicat, ex quo quid verosimilius sentiendum sit, colligere licet, quando ait Genes. x. v. 25. *Natique sunt Heber filii duo nomen uni Phaleg, eo quod in diebus ejus divisa sit terra*. Constat itaque homines, temporibus Phaleg, in universas terras & regiones dissipatos fuisse & ablegatos: quod cum nonnisi post linguarum confusionem acciderit, evidens argumentum est, id ejus ætate contigisse. At utrum istud acciderit

in ejus ortu, an sub vitæ medium, an vero circa terminum, incertum habent Auctores & Interpretes, tresque, ea de re, in sententias dispertiuntur, quarum prima divisionem linguarum in annum primum Phaleg refundit; altera in mediam ejus ætatem, tertia in postremum illius vitæ annum. Consentiunt tamen omnes, Phaleg natum esse anno post diluvium 101. idque diserte declarat Moses, cum ait Genes. II. v. 10. Sem filium Noe genuisse Arphaxad biennio post diluvium. v. 12. Arphaxad genuisse Sale anno vitæ suæ trigesimo quinto v. 14. Sale Heberum genuisse anno vitæ trigesimo v. 16. Heber Phaleg genuisse anno vitæ trigesimo quarto, qui simul juncti faciunt annos 101.

Priorem sententiam amplectitur S. Augustinus [a]: *Intelligendum est*, inquit, *ipsum Heber propterea tale nomen imposuisse filio suo, ut vocaretur* PHALEG, *quod interpretatur* DIVISIO, *quia tunc ei natus est, quando per linguas terra divisa est, idest, ipso tempore &c.* In eandem etiam sententiam inclinat Josephus [b] scribens: *Porro Heberus Iectam & Phalegum genuit, qui natus est dum habitationes distribuerent*. At huic sententiæ obstare videtur, quod centum annorum spatio non videantur tres filii Noe in tantam hominum multitudinem excrevisse, ut tot nationes constituerent, totque regiones occuparent. Hanc tamen difficultatem elevabit qui reponet, non minus id possibile ac credibile videri, quam quod familia Jacob, quæ in pauciſſimo numero ingressa fuerat Ægyptum, ibi per viginti supra ducentos circiter annos, (ut volunt aliqui Auctores) in sexcenta millia armatorum excrescere potuerit, senibus, mulieribus, & parvulis exceptis. Quare prima hæc sententia probabilitate non caret.

Secundam tuentur plurimi Recentiores, Cornelius a Lapide [c], Torniellus [d], &c. sed levioribus ducuntur argumentis, quæ piget hic referre & refellere. Tertia, mihi verosimilior sententia, eorum est, qui putant confusionem linguarum contigisse circa postremos annos Phaleg: cum enim hic natus anno post diluvium 101. vixerit autem 239. annis, potuit humanum genus per illos trecentos & amplius annos in tantam hominum multitudinem excrescere, ut sufficienti numero essent familiarum duces & capita, a quibus diversæ fierent coloniæ, quæ eandem linguam in usu habentes, varias orbis terrarum regiones occuparent. Nec obstat quod Phaleg nomen a divisione linguarum & terrarum ei fuerit impositum, neque enim illa impositio fuit argumentum & testimonium rei factæ, sed vaticinium & omen rei futuræ, ut indicat S. Chrysostomus [e]: *Considera*, inquit, *quomodo signi non multo post futuri præscientiam vocabulo nati pueri indidit, ut cum videris rem opere adimpletam, non ultra mireris, videns divinitus hoc pueri nomine prædictum.* Rem clarius explicat S. Hieronymus scribens: *Heber a quo Hebræi vaticinio quodam filio suo Phaleg nomen imposuit, qui interpretatur* DIVISIO, *ab eo quod in diebus ejus linguæ in Babylone divisæ sint* (15).

[a] *lib. 16. de Civitat. cap. 11.*

[b] *lib. 1. Antiq. cap. 7.*

[c] *in Comment.*

[d] *in Annal. Sacr. sub anno 1931.*

[e] *homil. 30. in Genes.*

§. III.

(15) A nemine mortalium, Divina sublata revelatione, certo definiri posse tempus, quo linguarum confusio facta est, arbitramur, cum Moses id unum Genes. 10. ℣. 25. nobis indicaverit, Terram scilicet in diebus Phalegi inter Noeticos Posteros fuisse divisam: cum autem id æque verum ostendatur, sive in Phalegi ortu, sive in media ejus ætate, sive tandem sub illius vitæ fine divisio terrarum contigerit, hinc variæ Chronologorum sententiæ, quarum præcipuæ ad tres, ut Auctor indicat, reduci queunt. Prima in ortu Phaleg linguæ, & orbis divisionem accidisse tuetur; & ista nedum S. Augustinum, & Josephum, sed nonnullos alios sibi Patronos vindicat, inter quos Calmetum in Tabula Chronologica ad Annum Mundi 1757, necnon Benedictum Pererium Lib. 15. Comment. in Genes. num. 148. ubi ait nullam vel probabilem rationem afferri posse, qua divisionem Linguarum, & Hominum discessionem ab invicem contingere in Ortu Phalegi non potuisse, ostendatur, cum tamen adversus eos, qui ad ultimum vitæ ipsius Phaleg prædictam divisionem reponunt, validissimum sibi præsto sit argumentum: istud vero ex eo vim desumere supponit, quod suis Adversariis, Abrahæ nativitatem in Anno quadragesimo tertio Regni Nini eveniſſe necessario sit concedendum; in ea utique hypothesi Pererii argumentum validum esset. Si enim linguarum divisionem postremo Phalegi anno occurrisse dederimus, simul in Annum 48. vitæ Abrahæ incidisse supponendum erit. Abraham vero natum esse anno 43. Regni Nini pro certo statuit Pererius; antequam ergo divisio linguarum, & Populorum accidisset, jam erant Reges, & Regna ab invicem divisa, si ad extremum vitæ Phaleg divitio terrarum reducatur, quod quidem absurdum est. Si autem Pererio, ejusque opinionis Defensoribus objiciatur humanum genus non adeo multiplicari potuisse intra centum, & unius Annorum spatium, qui a Diluvio ad ortum Phaleg elapsi sunt, ut fuerit necesse ab invicem dividi, & in varias progredi Mundi partes; reponere statim ipsi poterunt quod magnus Petavius Lib. 9. de Temporum doctrina Cap. 14. suppeditat, videlicet: Concedamus Japhetum Noachi filium octennio post diluvium octo suscepisse filios, quorum quilibet ad annum suæ ætatis decimum septimum prolem incæperit gignere, singulisque annis singuli unum filium exceperint per annos octo, jam anno post diluvium 31. Filii nasci potuerunt 512., & ex istis anno 77. post Diluviano, eadem retenta computandi ratione, Filii poterant haberi 4096; & anno denique post diluvium centesimo, ex solo Japhet haberi poterant homines 32768. Istis modo si eos omnes adjiciamus, quos generare unusquisque eorum poterat supra octo Filios a nobis statutos, si progenitos ab aliis duobus Noe Filiis computare velimus, quis non videt in Phalegi Nativitate tot in Mundo homines esse potuisse, quot pares essent ad ædificium Turris, & Civitatis aggrediendum, atque necessitatem separandi ab invicem inducendam?

Secunda opinio, quamvis ad postrema Phalegi tempora linguarum confusionem minime protrahat, eam tamen vel ad annum 70. vitæ ejus, ut Cornelius a Lapide, vel ad annum 144. ejusdem perducit, ut Torniellus cum aliis, hisce convicti argumentis; primo quod Nativitas Abrahæ in hac tantummodo hypothesi ad annum 43. Regni Nini referri queat. Et quia non potest alias intelligi quo pacto in divisione linguarum Jectan Frater Phaleg tredecim jam Filios habuerit, quos veluti familiarum Principes, & in quos terram divisam fuisse commemorat Moses Genesis 10. ℣. 26. Compertum utique est Phaleg natum esse anno 34 Patris sui Heber; quis modo crediderit si hoc anno terra divisa fuit tredecim existere potuisse Jectanis Filios jam adultos, & capita familiarum existentes? ut igitur ista conciliari queant, dicenda est

terra

§. III.

Utrum primitiva lingua post confusionem integra perseveraverit, & quænam illa sit.

XIII. PRIMÆVAM linguam in confusione & clade Babylonica ita dissipatam, ac pessundatam fuisse, ut illius duntaxat reliquiæ quædam in omnibus linguis supersint affirmat Grotius: [a] cujus nova cudendi dogmata pruriginem sectatus nuperus demonstrator Evangelicus, scribit [b]: Quænam illa fuerit primæva lingua, Assyria an Chananæa, an alia quævis, absque temeritate assignari non posse. At utrumne absque temeritate hæc ipse adversus manifestam SS. Patrum, illustriorumque Scripturæ sacræ Interpretum sententiam, ista scripserit, judicabit æquus rerum æstimator ex iis quæ mox dicturi sumus.

a *in cap.* 11. *Genes.*

b *propos.* 4 *cap.* 13.

Communis est & pervulgata non solum Judæorum, sed etiam Christianorum sententia, primitivam linguam Protoparentibus a Deo inditam, & ad confusionem Babylonicam frequentatam, eandem esse quæ postmodum Hebraica dicta est. Id enim docet in primis Hierosolymitanus Interpres [c], *Fuerunt omnes Generationes terræ*, inquit, *linguæ unius & loquelæ unius, & consilii unius, quia lingua sancta loquebantur, in qua conditus est mundus ab initio.* Per linguam vero sanctam, non aliam intelligit, quam Hebræam, quæ ab Hebræis Doctoribus lingua sanctitatis appellatur; tum respectu efficientis, quia, inquit, Abraham de Balmis [d], *Est lingua sancti Dei, videlicet Creatoris, separati & sanctificati super omnes sanctos:* Tum respectu materiæ, quod, ait Maimonides [e], nihil turpe hæc sacra lingua enuntiat: Nam, inquit, *in lingua ista sancta, nullum extat vocabulum proprium membrorum generandi, neque viri, neque mulieris; neque etiam actus venerei, &c.* Quam tamen rationem impugnat Moses Barnachman [f], dicens vocem שגל *schagal* proprium esse vocabulum Actus venerei; & חורים *Chorim* partem obscænam significare. Tum denique sancta dicitur respectu subjecti, quia conservata fuit in populo sancto, & solius veri Dei religioso cultore, ita Ephodeus [g]: *Lingua Hebræa*, inquit, *appellatur lingua sanctitatis, quia est lingua illius populi qui vocatur* [h] *sanctitas & semen sanctitatis* [i]. Eadem est aliorum Hebræorum Doctorum constantissima sententia, unde Ephodeus mox laudatus [k]; *Vidi*, inquit, *Interpretes Legis omnes consentientes in hoc, quod lingua illa creata, & a consensu & instituto Dei profecta, sit lingua Hebræa, a Prophetis dicta Iudaica;* & in libro Bereschith Rabba [l] legimus: *Sicut data est Lex in lingua sancta, sic*

c *in cap.* 11. *Genes.*

d *in Grammat. cap.* 1.

e *More Nevochim cap.* 8.

f *in Comment. suo in legem.*

g *in Grammat.*

h *Ierem.* 2. *ver.* 3.

i *Isaia* 6. *ver.* 13.

k *sua Grammat. cap.* 3.

l *Sect. in Genes.* 18.

terra fuisse divisa circa annum 144. vitæ Phaleg, inquit Torniellus sub anno Mundi 1031. num. 11. Nativitas Abrahæ insuper in annum incideret centesimum octavum vitæ Phaleg, si anno 43. Regni Nini eum natum esse concedamus; quandoquidem, ait Torniellus, consentiunt Historici Nemrodum, & Belum eamdem esse personam, annos 65. a linguarum divisione in Babylone imperasse, eidemque Ninum successisse, ad cujus annum 43., si Abraham natum concedimus, evidens est ad annum Phalegi 108. Abrahæ nativitatem esse referendam, quod utique contradicit Scripturæ Genes. 11. ℣. 16, ubi a Phalegi ortu usque ad nativitatem Tharæ Patris Abrahæ anni plusquam centum viginti recensentur.

Hujus argumenti æquivocatio in eo reposita est, quod supponat initium Regni Nemrodi statim post divisionem linguarum sit constituendum; cum tamen primæ opinionis Auctores, præsertim Pererius Lib. 15. Comment. in Genesim num. 67., & seqq. primordia Babylonici Regni non nisi ad annum 83. post linguarum divisionem, & ad annum 184. post Diluvium constituat, unde Torniellii ratiocinatio deficit prorsus. Consentit cum Pererio Cornelius a Lapide, quanquam 10. circiter annis prius, initium illius Regni constituat.

Alterius argumenti ex Filiis Jectanis desumpti vim hoc modo nituntur evertere, qui primam tueri volunt opinionem; a Mose nimirum in Cap. 10. Geneseos eos omnes fuisse connumeratos Noemi Posteros, qui Capita, & Principes diversarum gentium, & nationum post diluvium extiterunt, hinc per quandam anticipationem Filii Jectanis nominati sunt, quamvis post Linguarum divisionem progeniti sint; neque enim certum est in quot gentes, & familias divisi sint homines in Babele, quamvis in temporis decursu non solum in eas, quæ narrantur Genes. Cap. 10., sed in plures alias discissi sint.

Alterum argumentum quod urget Torniellus in eos, qui circa vitæ Phalegi finem, linguarum confusionem in Babele occurrisse defendunt, simile prorsus est argumento Pererii superius proposito, quamquam diversam sequatur Torniellus temporum computationem, atque inter Patriarchas post diluvianos Cainanem reponat auctoritati LXX, & vulgato Sancti Lucæ Evangelio innixus. Hunc *Cainanem secundum* rejicit Auctor noster in Conciliatorio Biblico, aliique Catholici Doctores innumeri Hebraicæ, & Vulgatæ veritatem amplectentes, quod & nos in Notis ad Conciliatorium præstabimus. Nativitas Abrahæ cum anno 43. regni Nini in prioris sententiæ hypothesi cum peroptime concilietur, nulla necessitate compellimur ad Torniellii hypothesim recipiendam.

Auctoribus tertiæ sententiæ Linguarum, & orbis divisionem ad finem vitæ Phaleg rejicientibus eadem ferme argumenta præsto sunt, quæ secundæ opinionis Defensoribus: scilicet existentia tredecim Filiorum Jectanis, & hominum paucitas in Phalegi nativitate: utrumque autem quomodo a primæ opinionis Fautoribus resolvatur, observavimus; interim id unum adiungimus, quod non admodum vero simile videatur ab Hebero, suo, quem genuit anno 34, filio, *Phalegi* nomen per spiritum propheticum fuisse iniunctum, cum ab insigni aliquo facto solerent tunc temporis Filiis suis nomen imponere: Cur, quæso, nomen istud, quod *divisionem* significat alteri Filio, qui divisioni proximior nascebatur, non imposuit Heberus, si per filii appellationem memorabile didisionis factum significare cupiebat? Quisque modo intelligit per quam sit difficile Epocham divisionis linguarum, & orbis decernere. Non prorsus contemnenda hypothesis Saliani videtur, quam nobis sub anno mundi juxta ejus computum 1788. proponit, nempe in ortu Phaleg a Noe divisam esse inter suos Filios, eorumque Posteros terram, eorum-

sic quoque creatus est mundus in lingua sancta. Similiter in libro Cosri [a]; *Linguam Hebræam per se esse præstantissimam omnium linguarum, habetur tum ex Kabala, tum ex recta ratione. Kabala enim seu traditio est, quod sit illa lingua in qua locutus est Deus cum Adamo & Eva, quaque illi quoque ambo sunt locuti.*

a *Orat.* 2. *sect.* 68.

At quoniam in propria causa forte non essent audiendi Judæi, profero SS. Patres idem affirmantes, in primis vero S. Augustinum [b], qui sermonem faciens de Hebero, scribit linguam primævam in ejus familia perseveravisse, & ab ea nomen accepisse: *Lingua* (primigenia) inquit, *divisis per alias linguas cæteris Gentibus ideo deinceps Hebraica est appellata, tunc enim opus erat distingui eam ab aliis linguis nomine proprio; quando enim erat una omnium, nihil aliud quam humana lingua vocabatur, quod ea sola universum genus humanum loquebatur.* Et paulo post, rationem proferens cur hæc lingua apud Heberi familiam remanserit, scribit: *Hebræa vocatur lingua, quam Patriarcharum & Prophetarum, non solum in sermonibus suis, verum etiam in literis sacris custodivit auctoritas. Profecto cum quæritur in divisione linguarum, ubi lingua illa remanere potuit, quæ fuit ante communis: quæ sine ulla dubitatione, ubi remansit, non ibi fuit illa pœna, quæ facta est mutatione linguarum. Quid aliud occurrit, nisi quod in hujus Gente remanserit, a cujus nomine nomen accepit: & hoc justitiæ Gentis hujus non leve apparuit vestigium, quod cum aliæ Gentes plecterentur mutatione linguarum, ad istam non pervenit tale supplicium.*

b *lib.* 11. *de Civit. cap.* 11.

Præ cæteris omnibus unicus nobis erit S. Hieronymus [c], ea in re omnium versatissimus, scribit autem: *Initium moris & communis eloquii, & hoc omne quod loquimur, Hebræam esse linguam, qua Vetus Testamentum scriptum est, universa tradit antiquitas.* Et expendens hæc verba [d]: *Nugas quæ a Lege recesserunt congregabo*, ait: *Id quod diximus* NUGAS; *sciamus in Hebræo ipsum esse Latinum sermonem* NUGE; *& propterea a nobis ita, ut in Hebræo erat positum, ut nosse possimus Hebraicam omnium linguarum esse matricem.* Unde in Prologo Galeato asserit omnes linguas Orientales ab ea velut a fonte manasse, utpote cum Syri & Chaldæi eadem habeant elementa & nomina literarum, licet diversis lineamentis exarata.

c *Epist. ad Damasum.*

d *in cap.* 3. *Sophoniæ.*

At ne auctoritatibus tantum & nudis testimoniis Adversariorum sententiam profligare videamur, corrogandæ sunt & proferendæ rationes, quibus hæc linguæ Hebrææ dignitas, a primæva antiquitate petita, validissime simul ac evidentissime demonstratur. Primum itaque argumentum colligitur ex Hebrææ linguæ reliquiis cæteris omnibus linguis insperſis: Ea enim primæva lingua censenda est, cujus reliquiæ & vestigia aliqua in aliis linguis perseverant: at ita est de Hebraica, siquidem illustria ejus indicia supersunt, maxime in his populis, qui Babyloni, ubi prima linguarum divisio facta est, viciniores sunt, puta Chaldæi, Syri, „ Arabes, Persæ, Chananæi. Unde Postel- „ lus [e] perite colligit: Nisi esset Hebraica „ lingua principium omnium istarum, nun- „ quam posset fieri ut tot linguæ, in tam va- „ riis Orbis partibus, per tot annorum millia, „ ita affines essent, & ad illam unam ita „ accedentes, ut ea diligenter cognita, illas „ discas faciliori negotio, quam Latina lin- „ gua quidam adjuti Italicam, Hispanicam, „ Gal-

e *lib.* 3. *de* 12. *linguis.*

rumque singulis debitam portionem fuisse legatam; ut ab eis coleretur, divinumque Præceptum: *Crescite, & multiplicamini, & replete terram.* Genes. 9. ℣. 1. adimpleretur; Ex ista divisione Heber occasionem desumpsit appellandi *Phaleg* eum Filium, quem eo tempore suscepit. Antiqui Patris Noe voluntati satisfacere, divinumque præceptum exequi detrectarunt aliquando tunc temporis homines, quinimmo improbo operi Turris, & Civitatis ædificandæ se ipsos applicuerunt, quod Supremo indignante Numine per confusionem linguarum illud relinquere, & in varias Mundi partes progredi compulsi, Dei voluntatem, & Noemi testamentum volentes, nolentes, antequam Phaleg occumberet morti, adimpleverunt. Hæc ad conciliandas Auctorum sententias adferri posse videntur, Non tamen ex his, quæ tradidimus, definire sub aliqua certitudinis specie præsumimus quonam Mundi anno hæc terræ divisio a Noe facta, sive quonam anno Phalegi nativitas contigerit; cum celeberrimi Scriptores non desint, qui ad LXX. versionem, vel ad Pentateucum Samaritanum recurrendum potius, quam ad Hebraicam, vel Vulgatam tueantur, ut exactam, & accuratam Mundi Chronologiam possimus pertexere; Nos unumquemque computum referemus: juxta vulgatam itaque, quam sequimur Phaleg natus est anno Mundi 1757. post diluvium anno 101. periodi Græco Romanæ 3247. Cyclo Lunæ 16; Solis 3. Verum si LXX. versionem sequi velimus, Phaleg natum esse comperiemus anno post Diluvium 531. Mundi autem 2773. Juxta Samaritanum denique Pentatheucum Phaleg natus est anno post Diluvium 401; a creatione autem Mundi 1708. Quis modo ad certam temporum cognitionem pertingere se posse præsumat si certi non sumus an vitium in Hebraicam, & vulgatam; vel potius in LXX. Interpretum versionem, & in Samaritticam ex incuria, vel malitia Amanuensium irrepserit? Soli Deo nota hæc sunt. Unum nobis animadvertendum supereſt, Nativitatem videlicet Abrahæ in annum quadragesimum tertium Regni Nini illius magni, qui totam ferme Asiam subjugavit, incidere non potuisse; quamvis non diffiteamur Babylonicum Regnum sub Nemrodo habuisse principium, ut patet ex Genes. 10. V. 10. Diu quippe Assyriorum imperium post Ninum perseverasse consentiunt Historici, & quidem ingenti cum amplitudine, & potentia; A Nino quidem tradunt Scriptores celeberrimi, præsertim Diodorus, Trogus, & Justinus, & ex istis Petavius Lib. 9. de doctrina temporum cap. 14. subjugatas esse omnes ferme Asiæ Provincias, cum suæ ditioni Mediam, Syriam, Ægyptum, Asiam, Phœniciam, & Asianos tractus omnes præter Indiam adligaverit. Ista imperii amplitudo conferatur modo cum Abrahæ vita, & erit compertum quod anno 84. ætatis Abrahæ in Sennaar regnabat Amraphel, in Ponto, sive Ellasare, ut legunt Hebræa, & LXX. principabatur Arioch; Elamitarum autem, seu Persarum Chodorlahomor dominabatur; & tandem in Galilæa Superiore Thadal regnabat, qui Rex Gentium dicitur Genes. 14. v. 1. Reguli illi invicem confœderati in Principes Sodomorum, atque Gomorrhæorum irruerunt, eorumque gentes abstulerunt, atque substantiam, quos tamen insectatus est Abraham cum 318. Vernaculis, eorumque exercitum profligavit, totamque prædam redemit, & Sodomorum, aliarumque Civitatum regulis restituit, quemadmodum tradit Moses Geneſis 14. Non ergo tunc temporis Assyriorum imperium extitisse videtur; cum potius plures Reguli, & Principes per Asiam dominarentur. (*W*)

„ Gallicam, Siculam, &c. Nec ſolum ejuſmodi Hebraicæ linguæ veſtigia in linguis Orientalibus apparent, ſed etiam in cæteris totius Orbis, ut ex Daviſio Cambro Britanno aſſerit Marcus Zuerus Boxhornius [a]: „ Sunt, *inquit*, iſta Hebrææ linguæ veſtigia in aliis linguis ita manifeſta, ut voces „ aliquæ in omnibus linguis eædem ſint in ſono & ſignificatione; ut *ſaccus*, *vinum*, *cornu* „ *camelus*, quem ex nomine Syriaco in Latium veniſſe, dicit Varro: aliquæ in pluribus, ut *Kir*, *Keriath*, urbs, unde „ *Charta* & *Chartago*, & *Cair* magna Ægypti urbs & Sarmaticum ſeu Scythicum, „ *Cair* & *Carni*, & Parthorum *Certa* in „ *Dudocerta*, *Tigranocerta*, *Vologecerta* &c. Hæc ille. Ad quorum pleniorem confirmationem adjicere licet varia vocabula Græce & Latine eodem pene ſono & levi duntaxat inflexione inverſa ex Hebræa lingua deprompta; qualia ſunt: פשׁ *Sak*, ſaccus, σάκκος, קרן *Keren*, κέρας, *cornu*. כרכום *Crocom*, κρόκος, *crocus*, vel *crocum*. קנמון *Kinnamon*, κιννάμωμον, *cinnamomum*. בעל שמן *Babhal-Scemen*, βάλσαμον, *balſamum*. פרדס *Pardes*, παράδεισος, *paradiſus*. כמון *Cammon* κύμινον, *cyminum*. קציע *Ketſiahh*, κασσία, *caſſia*, מר *Mir*, μύρρα, *myrrha*. כנר *Canar*, *canere*: unde כנור *Cinnor*, κίθαρις, *cithara*. קול *Col*, i. e. *vox*; ex quo *calare*, καλεῖν, *clamare*. ספר *Saphar*, *ſcribere*, γράφειν, תחש *Tachaſch*, *taxus*, τάξος. שטן *Satan*. שבת *Sabbath* σάββατον, *ſabbathum*. נרד *Nerde*, νάρδος, *nardus*. ערבי *Hharabbi*, ἄραψ, *Arabs*, בוץ *Buts*, βύσσος, *byſſus*. שבר *Schecer*, σίκερα, *ſicera*. אזוב *Ezob*, ὕσσωπος, *byſſopus*, & varia his ſimilia. Cum itaque linguæ Hebraicæ aliqua in aliis linguis ſuperſint veſtigia, indicium eſt illam fuiſſe primitivam; non enim hac in confuſione Babylonica ita fuit diſturbata; quin homines qui a pueris eam calluerant, aliquorum ſaltem ejus vocabulorum meminerint.

Secundum argumentum petitur ex nominibus propriis, ſive hominum, ſive locorum, quæ ab Orbe condito ad linguarum confuſionem commemorántur in hiſtoria Moſis & quorum origines, non in alia lingua quam Hebraica reperiuntur; ſic autem argumentum cónfici poteſt: Ea lingua omnium prima & antiquiſſima cenſenda eſt, ex qua primorum hominum & Patrum antediluvianorum propria nomina a primitivis ſuis radicibus ſic deflexa ſunt, ut vox a voce dependeat, tanquam paronyma; non enim veroſimile eſt ex lingua aliqua poſt multa demum ſæcula oritura, ſed tum præſenti & apud homines uſitata nomina illa concepta vel impoſita fuiſſe. At quæ in Moſis hiſtoria occurrunt, primorum hominum nomina, ex linguæ Hebrææ, quæ jam extat, originis themate ſic derivata ſunt, & ſignificationis atque etymologiæ cauſam adeo efficaciter & clare exhibent, ut eandem notationem paronymam in nulla alia lingua pari flexu & energia poſſint aſſequi. Itaque concludendum eſt Hebræam linguam reliquis priorem eſſe.

Minor hujus argumenti manifeſta fiet inveſtiganti nomina primorum hominum, & ea conferenti cum radicibus & vocibus Hebræis ex quibus eliciuntur. Ex plurimis vero pauca in argumenti confirmationem, & Lectoris gratiam hic ſubjicio. Ordior ab homine primo, qui dictus eſt ADAM, id eſt, *terrenus*, quia a Deo formatus eſt ex אדמה ADAMAH, *terra*. Chaldæus quidem *Adam* etiam retinet, ſed pro *Adamah*, dicit ארעא ARRA, a quo vox *Adam* derivari nequit. Græcus vero pro *Adam* ſive *homine* dicit Ἄνθρωπος, pro terra vero γῆ, ex quo nulla deduci poteſt Adami originis notatio & alluſio. EVA, Hebraice חוה CHAVA, id eſt, *vivifica* aut *vivificatrix*, a radice חיה CAJA, id eſt, *vivere*, eo quod mater eſſet כל חי COL CHAI, id eſt, *omnis viventis*, ſcilicet *hominis*. Pro quo inquit eruditus Buxtorfius, Græci ex defectu linguæ ſuæ dicunt Εὔα, quia aſpirationem illam ח non habent, & ſic vulgo *Eva*; ſed pro חי CHAI dixerunt ζώντων *viventium*: Chaldæus retinet חוה *Chavah*, ſed pro חי *Chai*, dicit כל בני אנשא *col bene enoſcha* i. e. *omnium hominum* perdita utrobique etymologia, quæ in ſolis vocibus Hebraicis ſervatur. Primus homo genitus, dictus eſt קין KAIN, id eſt, poſſeſſus ſeu acquiſitus a קנה *Kanah*, acquiſivi ſeu acquiſitum poſſedi, quia in ejus ortu Eva dixit קניתי איש *Kaniti iſch*, poſſedi hominem Geneſ. IV. 1. Chaldæus quidem habet *Kain*, ſed pro *Kaniti* habet *Keneti*, ubi revera eadem eſt etymologia, quia Hebrææ voces Chaldæis maxima ex parte ſunt communes; ſed diverſimode flexæ. Tertius homo qui in Moſis hiſtoria genitus refertur, ab Eva dictus eſt שת SETH, id eſt, repoſitus, a radice שת *Scath*, repoſuit, quia Eva eo naſcente dixit gratulabunda ſibi, *Poſuit mihi Deus ſemen aliud pro Abel quem occidit Kain*. Chaldæus quidem habet *Scheth*: ſed pro *Scath*, habet שבי *Schavi*, perdita alluſione & paronomaſia.

Ad id etiam ſpectat nomen אשה *Iſcha*, *Virago*, quia eſſumpta eſt ex איש *Iſch* viro, Geneſ. II. 23. At Chaldaice mulier אתא *Ittha*, vel אתתא *Itthetha* dicitur: Vir autem גבר *Gevar* vel בעל *Baal*, inter quæ nulla cognatio, nulla ſimilitudo. Latinis quidem *Vir*, ait Buxtorfius [b], uſitatum vocabulum eſt, ſed *Vira* inſolens; etſi a viris doctis ex Feſto Pompeio obſervatus locus, in quo dicitur: *Sed fœminas quas nunc dicimus*, *antiqui* VIRAS *appellabant; unde adhuc permanent* VIRGINES, *vel* VIRAGINES. Sed Virgo παρθένος, alia vox eſt a *Viri* voce *Virago*, etſi ex *Viri* vocabulo compoſitum ſit, tamen aliud eſt, quam Hebræum נקבה *Iſcha*. Nam *Virago* eſt γυνὴ ἀνδρεῖα, i. e. *mulier Virum agens*, ſeu *mulier virili animo prædita*: unde illud Ovidii.

——*Bello metuenda Virago*

[a] *Orig. Gall. cap.* 7.

[b] *de Orig. ling. Heb. num.* 39.

„ Accedit ad hujus argumenti confirmatio- „ nem, Quod, *inquit R. Azarias*. [c] videa- „ mus tractu temporis, & hiſtoriarum, ſem- „ per dici *Adam*, *Chava*, *Kain*, *Seth*, „ *Peleg*, &c. Et quamvis hiſtoriæ iſtæ transl- „ latæ ſint in omnes Gentium linguas, tamen oculi noſtri vident, nomina iſta non „ mutata eſſe ſed adduci ab omnibus popu-

[c] *in Mor. Enaïim cap.* 57.

„ lis

„ lis in lingua ſancta ipſiſſime, Adam, Kain, „ Noah: & ſimilia. Hæc certe eſt valida „ demonſtratio & teſtimonium fidiſſimum ab „ omnibus Gentibus, principium impoſitio- „ nis illorum nominum eſſe in lingua ſancta: Adiicit aliam ibidem non minus efficacem confirmationem, quod in Hebræa lingua plurimæ ſint locutiones & ſignificationes metaphoricæ, myſteriis refertæ, quales in aliis linguis non reperies. Cujus rei exemplum profert illud dictum Jacobi circa vitæ exi-
a *Geneſ.* 47. 30. tuin vaticinantis a; *Et cubabo cum Patribus meis:* in quibus duabus vocibus plurima vult eſſe comprehenſa & expreſſa myſteria: cum enim ait; *Cubabo*, ſignificat mortem eſſe cubitum-itionem, ita ut quemadmodum qui it cubitum, mane iterum excitatur, & ſurgit; ſic qui poſt mortem tumulo veluti lectulo clauditur, iterum vivificabitur & reſurget: deinde quando addit *cum Patribus meis*, profitetur animæ immortalitatem, quæ poſt mortem adhuc ſuperſtes ſit; nam abſque hoc, (inquit Azarias) Patres ejus & populi ejus ubi eſſent?

b *in Geneſ.* 11. 7. *& in notis ad lib.* 1. *de verit. Religionis.* Ut argumentum iſtud diſſolvat Grotius b, reponit Moſem nomina illa mutaſſe, ex lingua primæva in Hebraicam, in qua ſcripſit, ut ita eorum vis & ſignificatio ab Hebræis intelligi poſſet: cujus mutationis exempla affert complura; velut illa e Curtio, milites quondam a Perſis vocatos eſſe *Immortales;* Chiliarchos vero, eos qui mille militibus præeſſent: quas voces aliter extuliſſe Perſas haud dubium eſt; *Clupeam* præterea appellaſſe Latinos, quæ *Aſpis* dicebatur; *Pithecuſam* & *Ampeluſiam* appellaſſe, quæ Punica nomina habebant ejuſdem notionis; & Græcos Auctores, nomina quædam Hebraica locorum & virorum juxta ſenſum Græce reddidiſſe. Sic Iſaacum cujus nomen Hebraice *riſum* ſonat, γέλωτα appellat Alec *apud Euſeb. lib.* 9. *præp. Ev.* xander Polyhiſtor. c *Eſau* cui & *Edom*, hoc eſt, Rufus nomen fuit *Erythras* a Græcis dictus eſt. *Og*, qui fuit Rex Baſan, & id nomen habuit ab uſtione ſeu coctione, juxta nonnullos, a Græcis Typhon eſt appellatus; quæ dictio ejuſdem eſt ſignificationis. Qui *Cephas* a Chriſto nomen habuit, πέτρος a Græcis eſt nuncupatus. Unde colligit Grotius eorum nominum derivationem & alluſionem nihil prorſus Hebraicæ linguæ antiquitati ſuffragari.

Verum hæc reſponſio jejuna eſt, nec ullo probabili fundamento nititur; licet enim Hiſtorici, qui aliarum nationum res geſtas referunt, in propria ſua lingua interdum nomina, in quibus energia quædam latet, immutent, hoc tamen conſtanter per totam hiſtoriæ ſeriem nullus peritus Scriptor umquam uſurpavit. Nam, ut obſervat Vvaltonus d, Hiſtorici Græci, qui ſcriptis manda- d *in Proleg. pag.* 16. runt bella Græcorum cum Perſis Imperatorum Perſarum nomina propria Perſice exſcribunt; ſic nominant Artaxerxem vel Xerxem; non vero exprimunt illius nominis ſignificationem, nempe *Lumen*, *ſilentium ponens*; & ſcribunt Darium, non autem *Inquirentem*, quamvis ea ſit ipſius nominis ſignificatio. Sic etiam Romani Scriptores deſcribentes bella Punica, non referunt pro Carthagine *civitatem novam*; nec pro Burſa, *Carthaginis arcem*; nec pro Aſdrubale, *Dominum ad pugnam accinctum:* quamquam voces iſtæ, ita verti poſſent; ſed unumquemque deſignant per propria nomina, quibus a ſuis ſolebant appellari: abſurdum enim eſſet, neglectis propriis nominibus, alia pro arbitrio, ex varia ejuſdem vocis interpretatione fingere, & pro eis quibus tum domi, tum foris noſcuntur, appellativa ſubſtituere; Hoc enim eſſet de neſcio quibus hiſtoriam conſcribere, & hiſtoriæ finem nullatenus aſſequi. Unde ridendus eſſet Scriptor ille, qui Creationis hiſtoriam & ſeriem Latine reddens, ſuppreſſo Adami nomine, primum hominem ſemper vocaret *terrenum*, quia vox Adam, ſignificat ex terra deſumptum. Similiter, non memorato Evæ nomine, primam mulierem *vivificam* appellaret, eo quod Eva ſignificet matrem omnium viventium; nulla igitur ratione excipienda eſt, nec quidquam officit Grotii & aliorum evanida reſponſio. (16)

XIV. Plurima a nonnullis adverſus venerandam Hebraicæ linguæ antiquitatem proferuntur argumenta, ad pompam & ſpeciem nonnulla, quæ ut futilia prætermittimus. Validiora opponere videtur Georgius Amyra e, ut omnium linguarum matricem e *in præf. ad ſuam Gramm. Syram.* ac primam Chaldaicam eſſe ſuadeat. *Primo*, quod Hebræi originem duxerint ex Chaldæis: etenim cum Holofernes f Aſſyriorum militiæ f *Iudith. cap.* 5. Princeps, & acerrimus Judæorum hoſtis, quæreret quiſnam eſſet iſte populus, qui præ omnibus, qui habitant in Oriente, ſe ſuoſque exercitus contemneret, & ſibi obviam non prodiret: Achior dux filiorum Ammon reſpondit: *Populus iſte ex progenie Chaldæorum eſt, hic primum in Meſopotamia habitavit, quoniam noluerunt ſequi Deos patrum ſuo-*

(16) Fraſſeni reſponſio non parum ex iis, quæ a Calmeto in ſua *de lingua primitiva* Diſſertatione adferuntur, illuſtrari poteſt, atque fulciri. Hoc itaque pacto adverſus Grotium, alioſve ſcribit ibidem = „ Felix plane Viri ingenium, qui in ea nominum „ tranſmutatione potuit vernaculi ſermonis æque „ ſignificativa, & non diſſimilibus ducta ethimologiis nomina in locum veterum ſubſtituere. Hæc „ ægre quidem, ſed tamen utrumque in lucubratione aliqua ſcribenda, in qua rara tantum nomina tranſmutanda tentarentur: ſed in Spiſſo „ quodam opere, quale Pentateuchum agnoſcimus „ vix fieri poſſe credimus. Opus etiam fuiſſet cæteros poſt Moyſen Scriptores eamdem cum illo „ methodum ſequutos fuiſſe, quod factis poſſibile „ minime credimus. Fac tandem Moyſem, cæteroſque Sacros Hebræorum ſcriptores hanc ſibi „ methodum ſtatuiſſe; an ne poterant eam pariter „ legem profanis etiam ſcriptoribus, integris gentibus, atque infeſtiſſimis Judaici nominis Adverſariis imponere, qui ſcilicet omnes iiſdem, ac „ Moyſes nominibus Urbium, locorum, Hominum, Provinciarum, Fluminum uterentur? Unde tam concors ſententiarum affinitas, & ſimilitudo, niſi a lingua illa primitiva, cujus veſtigia in „ omnibus ferme linguis, & Gentibus reſidua? = Hiſce omnibus ſi, quæ a Fraſſenio traduntur pro Hebraicæ linguæ vetuſtate, adiungantur, majoris utique momenti quam ſint oppoſitæ rationes invenientur. [W]

ſuorum, qui erant in terra Chaldæorum. Colligitur ergo Hebræos eſſe ex Chaldæis oriundos, ac proinde linguam Hebraicam poſteriorem eſſe Chaldaica. Confirmatur ex S. Juſtino Martyre [a], qui probat ex Philone & Joſepho, Moſem ex Chaldæorum genere prodiiſſe; *Hi enim*, inquit, (ſcilicet Philo & Joſephus) *Iudæorum res ſcribentes, Moſem ex Chaldæis genus duxiſſe dicunt.* Idem pariter docet Clemens Alexandrinus [b] ubi ait: *Moſes cum ex alto petita origine eſſet Chaldæus, natus eſt in Ægypto.*

a *erat. parænet. ad Genit.*

b *lib. 1. Stromat.*

Secundo idipſum probat ex Jeremiæ v. ubi Propheta magnopere commendat Chaldaicam antiquitatem; ſiquidem vice Dei Iſraelitas alloquens, ait: *Ecce ego adducam ſuper eos Gentem de longinquo domus Iſrael! ait Dominus: Gentem robuſtam, Gentem antiquam, cujus ignorabis linguam, nec intelliges quid loquatur.* Ibi autem ſermo eſt de Gente & populo Chaldæorum, qui & urbem, & templum Hieroſolymitanum diſſipaturus erat, & ipſos Iſraelitas captivos in Babylonem abducturus, ut manifeſte colligitur ex II. Paralip. cap. ult. his verbis: *Adduxit ſuper eos Regem Chaldæorum & interfecit juvenes eorum gladio in domo ſanctuarii ſui ...., ut compleretur ſermo Domini ex ore Ieremiæ.* Ex quibus ſequi videtur, Deum illis Epithetis *Gentem robuſtam*, *Gentem antiquam*, ſignificare aliquid, quo Hebræi Chaldæis inferiores videntur, nempe virium robore, & generis antiquitate.

Tertio denique idem ratione ſuadet; nam rationi conſentaneum erat, ut lingua prima & communis in ea potiſſimum regione ſubſiſteret, ubi primum facta eſt linguarum diviſio: ea autem regio Chaldaica fuit igitur primigenia lingua maxime apud Chaldeæos perſeveravit. At iſta momenta facile diſſolvuntur.

Ad primum enim Reſpondeo, quod etſi Hebræorum Majores in Chaldæa habitaverint, ibique natus fuerit Abraham; inde tamen non eſſe conſequens eos ex Chaldæis originem duxiſſe, nec alterius quam Chaldaicæ linguæ uſum habuiſſe; incoluerunt equidem Chaldæam, ſeu illam Meſopotamiæ regionem, quæ Chaldæa a Chaldæis in ea habitantibus nomen obtinuit. Vinculus enim ille nominatus *Ur*, & Abrahæ natalitiis nobilitatus, ſæpius in ſcriptura dictus *Ur Chaldæorum*, erat in Meſopotamia, ut ſignificat S. Stephanus Act. VII. *Deus Gloriæ*, inquit, *apparuit patri noſtro Abrahæ cum eſſet in Meſopotamia priuſquam moraretur in Charan, & dixit ad illum: Exi de terra tua ..... tunc exiit de terra Chaldæorum.* Sic etiam Joſue XXIV. v. 2. *Hæc dicit Dominus Deus Iſrael: Transfluvium* (Euphratis) *habitaverunt patres veſtri ab initio .... Tuli ergo patrem veſtrum Abraham de Meſopotamiæ finibus.* Imo ipſemet Achior loco in objectione citato v. 7. ait de populo Iſraelitico, *Hic primum in Meſopotamia habitavit, & quoniam noluerunt ſequi Deos patrum ſuorum, qui erant in terra Chaldæorum, &c.* Sed & Chaldæos ibidem fuiſſe probari poteſt ex Xenophontis lib. 3. de Inſtitutione Cyri: ubi multoties Chaldæos Armeniæ contiguos facit. Et ex Joſephi lib. 1. Antiq. cap. 8. qui Chaldæos, & Meſopotamios in populum unum confundere videtur, eoſque odio Abrahamum habuiſſe & in eum inſurrexiſſe ait. Sic & Ur caſtellum in Meſopotamia deprehenditur ex Ammiani Marcellini lib. 25. *Cum Iuliano extincto*, inquit, *Romanus exercitus a Cteſiphonte Niſibin rediens Tigrim trajecit, & inter Tigrim & Niſibin Caſtellum Ur in itinere offendit &c.*

Ex quibus equidem manifeſtum fit, Abrahamum & Thare patrem ipſius, eam incoluiſſe Meſopotamiæ Regionem, quam Chaldæi occupabant, ac propter diuturnum eorum ibidem incolatum, dictos fuiſſe Chaldæos; non tamen inde ſequitur illos eſſe ex Chaldæis oriundos, nec aliam quam Chaldaicam calluiſſe linguam. Nam veroſimile eſt, Iſraelitarum Majores utriuſque linguæ Chaldaicæ & Hebraicæ uſum habuiſſe; itaut Chaldaice cum Chaldæis, & Hebraice loquerentur cum ſuis propinquis & vernaculis; quemadmodum etiam hodie familiare eſt Judæis inter ſe Hebraice colloqui; quanquam cum exteris ſermonem faciant idiomate vulgari in ea regione quam incolunt. Quod autem Abrahamus ejuſque parentes ac filii, primigeniam linguam a Majoribus accipere, & etiam poſt Babylonicam cladem illibatam ſervare potuerint, facile demonſtratur. Siquidem poſt illam cladem Noachus ipſe multis annis ſupervixit, ac ſubinde primigeniam linguam, ab Adamo poſt Patriarchas propagatam, conſervare potuit & ad aliquos e ſuis poſteris derivare. Natus eſt enim Noachus circiter 120. annos poſt mortuum Adamum, æqualis autem fuit Mathuſalæ, qui cum Adamo annis 243. cum Noacho vero circiter 600. vixit, ac ſubinde rerum a Mundi exordio geſtarum ſeriem, ſicut & primævam linguam, ipſi Noacho tradere potuit: a quo eandem linguam Sem ipſius Noe filius, qui temporibus Abrahami & Iſaaci, juxta computum vulgarem, adhuc ſuperſtes erat, acceptam priſtinam linguam, ſicut & veri Dei cultum, inter ſuos poſteros potuit propagare: quapropter ea forte ratione ipſe dicitur pater filiorum Heber, Geneſ. x. *Sem quoque nati ſunt patre omnium filiorum Heber, fratre Iapheth maiore*; ut videlicet ipſe Sem, non ſolum Hebræorum cenſeatur primarius Patriarcha, ſed etiam eorum Inſtitutor & Doctor utpote, qui verum Dei cultum, ſicut & primigeniam linguam ad eos traduxerit.

Ad ſecundum dico, Chaldæos quidem Gentem antiquam reputari, ſive Gentem a ſæculo, ut habet textus Græcus, vel populum a ſæculo, ut fert Paraphraſis Chaldaica, quia videlicet a linguarum diviſione, & filiorum Noe in varias Provincias migratione, ipſa Chaldæorum Natio conſiterat in nativo ſolo: at quid hoc conducit ad prioritatem linguæ; non enim hic ſermo eſt de antiquitate alicujus nationis a linguarum confuſione; nam plurimæ aliæ Gentes, ejuſdem cum Chaldæis ſunt antiquitatis; ſed inquirimus diuturnitatem illius linguæ, quæ

a Mun-

a Mundi primordio inſtituta ad nos uſque perſeveraverit. Hanc autem Hebraicam eſſe contendimus.

Ad tertium denique dico, oppoſitum inde magis colligi: enimvero rationi minime conſentaneum erat, ut Deus in illo loco primigeniam linguam ſervaret, ubi in vindictam ſuperbæ molitionis linguarum diverſitatem induxerat, ut ab infelici opere cœpto revocarentur; alioqui potuiſſent vetitum opus proſequi, & ad conſummationem perducere: quod utique divino decreto ac conſilio contrarium erat. Probabilius itaque eſt, inquit Vvaltonus, linguas alias in eos Deum infudiſſe, qui ibi commorati ſunt, ne ſe mutuo intelligerent, & ab inſana ſtructura deſiſterent; unde non niſi poſt longum tempus, videlicet poſtquam ii qui robuſtiores erant, ſubjugatis vicinis, imperium erexiſſent, victorum lingua, quæ poſtea Chaldaica dicta eſt, per univerſum Aſſyriorum imperium fuit propagata. Quanquam autem Abrahæ Majores eandem regionem incoluerint, nihilominus ſibi traditam a Semo primigeniam linguam intactam ſervarunt.

Non abnuo tamen Chaldaiſmos plures in Veteri Teſtamento reperiri; nam ob Chaldæorum vicinitatem, Hebræi plurimos idiotiſmos ex eis hauſerunt, & cum de rebus Chaldaicis agunt Scriptores ſacri, interdum quaſdam eorum voces uſurpant, præſertim in libris ſacris, poſt captivitatem Babylonicam editis; ea namque durante Judæi Chaldæis commixti eorum linguam & mores hauſerunt. In libris autem antea conſcriptis pauciſſimi ſunt Chaldaiſmi. Adde quod Chaldaica lingua plurimum habeat affinitatis cum Hebræa. Unde Stephanus Munſterus a ſcribit: Non eſt quod ii qui hactenus Hebraiſmo operam impenderunt, novum cauſentur laborem, ſi nunc quoque ad Chaldaiſmum invitentur, cum parvi negotii res ſit inculcato ſemel Hebraiſmo Chaldaiſmum quoque adjungere: nam utrobique eiſdem utimur literarum figuris, eiſdem verborum ordinibus & conjugationibus, utimur & fere eadem Alphabeti in literas ſerviles & radicales diviſione: præterea ſunt prima vocabula utriſque familiaria, &, ut ſemel dicam, habet Chaldaiſmus magnam cum Hebraiſmo cognationem: ſolum deſinentiæ perſonarum in verbis, & numerorum in nominibus, itemque affixa ab Hebræis variant. *Hæc ille*.

a *in Epiſt. Nuncupat. ad Dictionar. Chald.*

XV. Verum quamvis maxima fuerit inter utramque linguam affinitas, certum eſt tamen utramque ita diſcrepare, ut qui unam calluerit, alterius ſit neſcius; quod maxime conſtat ex præfato Iſaiæ vaticinio, ubi comminatur Deus, ſe contra Judæam adducturum Chaldæos Gentem antiquam & robuſtam, cujus linguam ignorabat domus Iſrael; quo certe clarius nihil dici potuit, ad probandum diverſas fuiſſe has linguas, cum ii, quibus vernacula erat Hebraica, Chaldaicam non intelligerent. Idem apparet ex notatione illa Moſis b, qua acervum teſtimonii a Labano & Jacobo erectum, diverſimode ab utroque appellatum recenſet, ab illo quidem יגר שהדותא *Iegar Sahaduta*; ab hoc vero גלעד *Galed*; aut *Galaad* quæ duo idem ſignificant. *Præterea* c pueros Hebræos jubet Nabuchodonoſor inſtrui literis & lingua Chaldæorum: igitur illi quibus vernacula erat Hebraica lingua, Chaldaicam ignorabant. *Inſuper* d verba illa MANE TEKEL PHARES, Hebraice deſcripta, Sapientes Chaldæi, nec legere potuerunt, neque intelligere; Daniel vero facile perlegit, & quid ſignificarent referavit: Non quod literæ illæ alio ordine diſpoſitæ eſſent, quam quo ſolebant collocari, uti ſomniavit Abrabanel, ſed quod multum differrent Hebraica lingua & Chaldaica. *Denique* id colligitur ex eo quod Judæi (propter diuturnam apud Chaldæos tempore captivitatis Babylonicæ moram & habitationem vernaculæ ſuæ linguæ Hebraicæ puræ obliti, mixtam quandam ex Hebræa & Chaldæa in patriam reduces introduxiſſent,) vix poterant ſacros libros legere & percipere. Unde cum Eſdras Legem populo publice perlegi curaret ex textu Hebraico, quem vulgus ignorabat, neceſſe erat ut Levitæ exponerent, & prælectæ Legis uſitato tunc apud Judæos idiomate intelligentiam darent, ut conſtat ex illo Nehemiæ VIII. *Legerunt in Libro Legis diſtincte* (Levitæ) *& aperte ad intelligendum, & intellexerunt cum legeretur: dixit autem Nehemias .... & Eſdras Sacerdos & Scriba, & Levitæ interpretantes univerſo populo*. Ex quo haud dubie proceſſit ritus & obſervantia explanationis faciendæ in Synagogis diebus Sabbati, poſt prælectos Moſis libros. Cujus utique explanationis mentio fit in Actis Apoſtolicis, ut cap. I. obſervavimus. (17) §. IV.

b *Geneſ.* 31. 47.

c *Daniel.* 1.

d *ibid.* 5. 8.

(17) Alterum ſolent in Hebraicæ linguæ vetuſtatem proferre argumentum, nempe: in Moſis ſcriptis, & in ætate Babelicam confuſionem præcedente varia habentur nomina, quæ nullam in vulgari Hebræorum ſermone ſignificationem præſeferunt, id argumento eſt diverſam fuiſſe linguam ab Hebraica, vetuſtiſſima illa tempeſtate; proindeque Hebraicum Idioma non eſt, quo ante diluviani homines utebantur. Id totum ex eo confirmatur ulterius, quod vulgaris Hebræorum ſermo ipſemet prorſus inveniatur cum Phœnicum, vel Cananæorum Idiomate, ut patet ex nominibus locorum hominum, & gentium, quas illuc advenientes Hebræi reperierunt. Tandem Cananæam linguam eamdem cum hebræa extitiſſe eruitur ex Iſaiæ 19. v. 18. = *In die illa erunt quinque Civitates in terra Ægypti, loquentes lingua Chanaan, & jurantes per Dominum exercituum*; vel igitur lingua hebræa non eſt qua ante-diluviani homines utebantur, vel in generali illa confuſione Babelica, non tantum in unica Semifamilia, ſed etiam in familiis Canaan primitiva lingua ſervata fuit inviolata.

Ad primum argumentum reſpondet Calmetus in ſua Diſſert. *de lingua primitiva* ingenue confitendo nonnullas occurrere voces, ſeu nomina, quorum nullæ in Hebræo radices inveniuntur; id tamen Hebraici ſermonis vetuſtati nequaquam officere, cum mirum eſſe non poſſit ſi poſt tot annorum centena voces quædam interierint alicujus linguæ, aut earum ethymologiæ deperditæ fuerint, quæ fortaſſis tunc temporis habebantur. Qua deinde ratione compellimur, ad omnium in Hebræorum ſermone vocum, & nominum ethimologias exquirendas? Nulla profecto. Ad alterum vero dicimus magnam quidem

dem

§. IV.

Unde primitiva lingua dicta ſit Hebræa.

PRimus omnium Hebræus legitur appellatus Abraham [a] his verbis: *Ecce unus qui evaſerat, nuntiavit Abram Hebræo.* Abeo autem ad ejus poſteros, hæc derivata videtur appellatio; nam de Joſepho Jacobi filio legimus Geneſ. XLI. *Erat ibi puer Hebræus.* Et cap. XLIII. Eodem nomine donantur cæteri Jacobi filii; cum enim Joſeph convivium illis parari juſſiſſet, voluiſſetque aliquos Ægyptiorum Magnates cum eis menſæ accumbere, ſtatuit ut ſeorſim ab illis ſederent. Cujus facti hæc ibidem profertur ratio; *Illicitum eſt enim Ægyptiis comedere cum Hebræis, & profanum putant hujuſmodi convivium.*

a *Geneſ.* 14.

XVI. A quo autem petenda ſit hujus appellationis origo, non convenit inter Auctores; quadruplex enim ea de re capitalis eſt ſententia. Sunt qui exiſtimant Hebræi etymon deduci ab Abrahamo, ita quod Hebræi dicti ſint, quaſi *Abrahæi*: Sic apud Euſebium [b]: *Artapanus in rerum Iudaicarum hiſtoria, Iudæos ſcribit Hermiuth nominari, quæ vox ſi Græce loqui velis, Iudæos ſonet; eoſdem vero Abrahami ex nomine Hebræos nuncupari.* In eandem ſententiam deſcendit S. Ambroſius [c]: *Hebræi*, inquit, *propter Abraham dicti ſunt. Immutata enim eſt litera propter ſonum, ut non vocarentur* ABRÆI, *ſed* HEBRÆI; *ut apud Veteres, cum diceretur* MEDIDIE, *& eſſet abſurdum; immutata eſt litera, ut diceretur* MERIDIE. *Si enim origo ex Abram eſt, ex ipſo debet & trahi nomen, non ex Heber, qui ſexta generatione eſt ſuper Abraham. Si enim in Abraham reformari cœpit genus humanum, & ipſe eſt pater fidei, ex ipſo nomen & lingua Hebræa. Prima enim lingua quæ erat ſine nomine, cum huic redditur, ex eo nomen accepit. Nam nulla cauſa eſt, cur ex Heber trahat nomen.* Eadem ſententia placuit aliquando S. Auguſtino [d], ſcripſit enim: *Quid ergo probabilius ſit, ab Heber, tanquam Heberos dictos; aut Abraæos ab Abram merito quæritur.* Sed poſtmodum diſplicuit, eamque revocavit [e], *In quo libro, quod dixi (ex Abram cœpiſſe Gentem Iudæorum) eſt quidem & hoc credibile, ut Hebræi, velut Habræi dicti eſſe videantur; ſed ex illo verius dicuntur appellati, qui vocabatur Heber, &c.* Porro hæc ſententia facile profligatur, quippe cum ait Lyranus [f] noſter; Ipſa ratio Grammatica ſummam,

b *lib. 5. prep. cap. 18. pag. 420.*

c *in cap. 3. Epiſtol. ad Philip.*

d *quæſt. in Geneſ. quæſt. 24.*

e *lib. 2. retract. cap. 16.*

f *in Geneſ.*

inter Abrahæ & Hebræi nominis diſcrepantiam indicet. Nam עברי *Ibri* i. e. *Hebræus*, ſcribitur per literam ע *ain*; *Abram* vero per literam א *Aleph*; unde manifeſte conſtat illa duo nomina omnino eſſe diverſa, nec ab eodem themate oriri. Accedit quod ipſemet Abraham, primus omnium Hebræus appelletur; nihil autem a ſeipſo nominis derivationem & appellationem accipit, ſed cætera ab eo; albedo namque non dicitur alba, ſed ab ea paries albus demominatur.

Secunda ſententia eorum eſt qui exiſtimant Hebræos dictos a voce עבר *Habar*, i. e. tranſiit, quaſi עברי *Ibri Hebræus*, idem ſit ac *Tranſitor*, cujus expoſitionis occaſionem præbuiſſe videtur verſio LXX. Interpretum, qui Geneſ. XIV. vocabulum hoc *Ibri*, reddunt voce περάτης, quam S. Hieronymus *Tranſitorem* reddidit: Sic enim ſcribit: [g] עברי *Ibri* Hebræus περάτης, id eſt, *Tranſitorem ſonat, qui de loco tranſit in locum.* Et iterum [h]: *Quamobrem & Abraham Hebræus, ideſt* περάτης, *& Peregrinus, Tranſitorque memoratur.* Eadem eſt Origenis & S. Chryſoſtomi ſententia, ſed variant in aſſignanda ratione hujus nominis. Nam Origenes [i] ſcribit: *Ipſe populus etiam Hebræus dicitur, quia tranſiit de Ægypto ad terram promiſſionis, de tenebris ad lucem, de vita ad mortem.* S. Chryſoſtomus autem [k] cum dixiſſet nomen Abraham idem ſignificare ac *Tranſitor*, ſubjecit: *Sed dicis, quare Tranſitor vocatur?* Reſpondet *Iudæa regio, hoc eſt Palæſtina omnis, quæ ab Ægypto uſque ad Euphratem e regione jacet Babyloniæ, unde erat Abraham, & fluvius communis terminus utriuſque terræ, medius utramque ſecat. Et quia Abraham non Palæſtinus erat, ſed ab ulteriori ripa fluminis venerat, nempe a Babylonia, ideo a loco & facto nomen accepit, & dictus eſt Tranſitor.*

g *in Iſ. 19. 18.*

h *in Exechiel. cap. 7.*

i *homil. 19. in lib. Num.*

k *tom. 3. homil. de Nomin. Abraham.*

Verum hujus etymologiæ derivatio, nullam probabilitatis ſpeciem præ ſe fert; reclamat enim ipſa forma nominis *Ibri* deſinentis in *jod*; ſiquidem nomina Gentilitia apud Hebræos per jod in ultima proferuntur, ut paulo poſt demonſtrabimus. Accedit quod ſi ab *Hobar* duceretur, ut Trajectorem ſignificaret, potius dicendum eſſet *Hober* vel *Habbar* per *Kametz*, quod fit in nominibus appellativis, quam *Ibri*.

Huic ſententiæ affinis eſt tertia altera, quæ contendit Abrahamum ejuſque poſteros

dem inter Hebraicum, & Phœnicium Sermonem interceſſiſſe affinitatem; verum Abraham hebraicæ loquutum, antequam Cananitidem appulerit, ſatis demonſtrant hebraica nomina ipſius Abrahami, Uxoris ejus Saræ, ſicut & Parentum, Fratrum, atque Nepotum; Nomina ergo locorum, hominum, & gentium, quas repererunt Hebræi Cananæam adventantes, non identitatem, ſed ſolam affinitatem linguæ Cananææ cum Hebraica demonſtrant.

Oraculum autem Iſaiæ facillime intelligitur ſi dicamus Sanctum Prophetam eſſe vaticinatum quod nonnullæ Civitates Ægypti aliquando forent lingua Hebraica loquuturæ, quamvis iiſdem Hebræorum nomen eſſet exoſum. Appellant autem Iſaias linguam Canaan Hebraicum ſermonem, eoquod Hebræi terram Canaan incolerent, proindeque lingua eorum lingua Cananitica appellabatur tunc temporis, nequaquam vero Iſaias indicare voluiſſe creditur. Hebræorum linguam eamdem fuiſſe cum vetuſtiſſimo Cananæorum idiomate, quod demonſtrandum foret, ut argumentum urgeret. (*W*)

dictos fuisse Hebræos a voce עבר *Eber*, id est, *trans* vel *ultra*, quia Abraham de regione trans Euphratem, ubi prius habitaverat, ex Mesopotamia in Chananæam transiisset; sicque עבר pro עבר הנהר *Eber hannahar*, id est, *transfluvialis* dictus est: non secus ac solemus *Trans-marinos*, *Transalpinos*, & *Ultramontanos* appellare eos populos, quos vel maria, vel montes a nobis disterminant. Hanc sententiam præ cæteris amplectitur Theodoretus [a] *Quidam dicunt*, inquit, *ab Heber Hebraicam linguam appellatam esse, & illum solum in pristina lingua permansisse, indeque Hebræos esse dictos. Ego vero puto, Hebræos ese appellatos ex eo, quod Abraham Patriarcha, cum e regione Chaldæorum veniret in Palæstinam, fluvium Euphratem pertransit. Hebra, enim Syrorum lingua, idem significat quod Euphrates.* Ex his postremis verbis colligere licet, Theodoretum ex imperitia linguæ Syriacæ & Hebraicæ ista scripsisse; neque enim *Hebra* Euphratem significat sed עברא Syre idem quod Hebraice *trans*, & *Ibri* sive *Ebri*, qui de ulteriori loco in alium transit: Euphrates autem dicitur פרת *Perath.*

[a] *in Genes. quæst. 60.*

Verum tametsi hæc sententia plurimorum jam mentem occupaverit, quin tamen in eam descendam obstat, *Primo* quod ab actione ejusmodi transitoria, nec, ut apparet, adeo celebri, probabile non sit nomen impositum fuisse nationi tam illustri, & ex cunctis Gentibus soli a Deo in populum & peculium electæ. Quare enim tam memorabilis & insignis fuerit ille fluminis trajectus, ut inde Gentilitium nomen, tam Abrahamo, quam ejus posteris fieret non video.

At, inquies, transitus ille, fuit illustre Abrahæ erga Deum observantiæ argumentum; nam Deus ipse in ejus actionis præmium, promisit se daturum ei ejusque posteris terram, in qua peregrinabatur, in perpetuam hereditatem. Et insuper adjecit insignem illam benedictionem Genes. XII. quod in ipso omnes cognationes terræ benedicerentur, & benediceret ei benedicentibus, maledicentibus autem malediceret. Quemadmodum ergo Abrahæ posteri non dicti sunt *Israelitæ*, nisi postquam Jacobo Israelis nomen impositum est in illa celebri victoria, quam de Angelo secum luctatore reportavit, Genes. XXXII. Nil mirum si Abrahamus ille non videatur obtinuisse appellationem *Hebræi*, nisi post Euphratis trajectionem, & auspicatam illam peregrinationem in terram alienam, ut jubenti Deo obtemperaret, quod utique eximium fuit suæ erga Deum observantiæ argumentum.

Verum si hæc ita sint, cur ergo Moses in recensendis divinis beneficiis, quibus donatus est Abraham in suæ erga Deum observantiæ præmium, non attexuit celebre ei additum *Hebræi* nomen ad posteros traducendum; quemadmodum meminit nominis *Israelis* Jacobo impositi, & ad nepotes derivati, propter reportatam ab eo in lucta cum Angelo victoriam: Quidni eodem *Hebræi* nomine celebraretur Loth ejusque familia, quæ cum Abrahamica nativum Solum deseruerat, ut pariter in terra Chanaam migraret Genes. XII. v. 5. Tam enim ipse quam ipsa ejus familia transfluvialis erat. *Accedit* quod non solus Abraham, sed & omnes qui ex Mesopotamia in terram Chanaam vadato Euphrate migrassent, ea quoque ratione transfluviales & Hebræi fuissent dicendi. *Denique* si Abrahamus, inquit Aben Esra [b] dictus fuisset Hebræus quia venit ex *Eber Hennahar* i. e. ex terra transfluvium, non simpliciter appellandus fuisset *Ibri*, sed *Ibri Nabari:* vox enim *Eber*, cum tantum significet *trans*, imperfectum omnino sensum reddidisset.

[b] *in Exod. 21.*

Verosimilior itaque mihi videtur quarta sententia, in quam etiam inclinat illustrior Scriptorum, tam Hebræorum quam Christianorum cœtus: nimirum Hebræi appellationem derivari a nomine proprio *Heber* filii *Semi*: ita ut Abraham Hebræus dictus sit, quia fuit peculium Heberi, sicut Heber fuit præcipuum decus & peculium Semi; ejusque doctrinæ, fidei, ac pietatis sectator illustris. Ita ex Judæis Josephus [c], Rabbi Nehemias [d], Auctor libri Cosri [e]: *Abraham*, inquit, *fuit peculium Heberi & discipulus ejus; ideoque etiam vocatus fuit Hebræus.* Abarbanel etiam [f]: *Remansit lingua sancta*, inquit, *penes Noachum, & quidem in præcipuo filiorum ejus Hebero, a quo lingua Hebræa est vocata; & in Abrahamo Heberi tum nepote tum discipulo*, Ex Christianis Scriptoribus, primus occurrit Eusebius [g] scribens: *Hebræi autem ab Hebero dicti sunt, a quo Abraham originem traxit.* Eandem sententiam tuetur S. Augustinus [h], & cum eo plurimi Recentiores.

[c] *lib. 1. Antiq. cap. 6.*
[d] *in Bereschith. Rabba sect. 41.*
[e] *part. 1.*
[f] *in legem fol. 51.*
[g] *lib. 7. præp. cap. 6. pag. 307.*
[h] *lib. 6. de Civ. cap. 3.*

Colligitur autem ex Genes. X. v. 1. ubi Sem dicitur pater omnium filiorum Heber; non alia certe ratione, quam quia Pater erat Hebræorum, seu Filiorum Heber, qui ut mox dictum est, *peculium fuit Semi*, ut Hebræi loquuntur; hoc est, præcipuus filiorum ejus, in quem non solum familia, sed etiam benedictio paterna transiit, una cum vero Dei cultu, & lingua primigenia; quod ipse Heber, nec turris Babylonicæ molitioni, nec pravis ædificantium consiliis adesse voluerit.

Colligitur secundo hæc etymologia ex forma nominis gentilitii עברי *Ibri*, i. e. *Ebræus*: nam cum nomina gentilitia, & patronymica desinentia in *jod* apud Hebræos, deriventur a populo, aut Auctore, sicut a יהודה *Iehudah* fit יהודי *Iehudi*, i. e. *Iudæos*: vel a terra, vel a loco, ut docet Elias Levita; [i] hoc vero nomen *Hebræus*, neque a terra, neque a speciali loco sic appellato, sit deductum, recte colligit Buxtorfius, probabilissimum esse a Progenitore aliquo & capite familiæ, dictos fuisse Hebræos: non alio certe quam Hebero, qui avitam Religionem & linguam illibatam conservavit, & ad posteros, non quidem omnes, sed solos paternæ pietatis & Religionis sectatores & æmulatores, quales fuerunt ex Abraham soli filii Jacob, veluti sacrum peculium, divinamque hereditatem transmisit.

[i] *in notis ad grammat. Mosis Kimchi.*

Ista præclare explicat S. Augustinus [k]: *Quemadmodum*, inquit, *cum erat una omnium*

[k] *lib. 18. de Civit. cap. 39.*

nium lingua, non ideo tamen filii peſtilentiæ defuerunt; nam & ante diluvium una erat lingua, & tamen omnes deleri, præter unam Noe juſti domum, diluvio meruerunt: ita quando elatioris impietatis merito Gentes linguarum diverſitate punitæ ſunt, & civitas improborum confuſionis nomen accepit, ut appellaretur Babylon, non defuit domus Heber, ubi & prior lingua, & pietas conſervaretur. Nam quia de pœna venit multiplicatio mutatioque linguarum, utique præter hanc pœnam eſſe debuit populus Dei. Ergo ubi eadem lingua remanſit, ibi non fuit illa pœna, quæ facta eſt mutatione linguarum, ad iſtam non pervenit tale ſupplicium, nam fruſtra lingua iſta, quam Patriarcharum & Prophetarum, non ſolum in ſermonibus ſuis, verum etiam in literis ſacris cuſtodivit auctoritas, non in omnes Abrahæ vel Heber poſteros tranſmiſſa eſt, ſed in eos tantum, quorum generatio recta ſerie perducitur ad Abraham; & hinc præterea in eos tantum, qui propagati per Jacob, & inſignius atque eminentius in Dei populum cohærentes, Dei teſtamenta & ſtirpem Chriſti habere potuerunt. Ei concinit Eucherius Lugdunenſis: [a] ſcribens: *Una Thare domus erat, de qua natus eſt Abraham, in qua verus Dei cultus, & quantum credibile eſt, in qua jam ſola Hebræa lingua remanſerat.*

[a] *ad Geneſ. cap. 11. vit. 9.*

Hinc nomen Hebræorum, non ſimpliciter fuit Gentile, & Patronymicum, ſed ſimul nomen profeſſionis, fidei, doctrinæ & dignitatis. Quare nulli alii in Scriptura Hebræi uſpiam vocati ſunt, quam filii Jacob ſeu Iſraelitæ ſoli veri Dei cultores. Unde [b] Joſeph voluit fratres ſuos ſedere ad menſam ſeorſim ab Ægyptiis: *Illicitum eſt enim Ægyptiis comedere cum Hebræis, & profanum putant ejuſcemodi convivium;* quia videlicet Leges alias, aliam doctrinam & Religionem ſectabantur. Quare cum Jonas interrogaretur a Nautis, unde veniret, & ex quonam populo eſſet, non ſolum reſpondit *Hebræus ſum*, ſed explicationis veluti gratia, continuo adjecit: *Et Dominum Deum cæli timeo, qui fecit mare & aridam.*

[b] *Geneſ. 43. 32.*

Hinc facile diſſolvitur eorum objectio qui opponunt, quod ſi Iſraelitæ dicti fuiſſent Hebræi, ab Hebero, omnes Heberi poſteri pari nomine eſſent cenſendi. Inanitas enim illius illationis apparet, ex eo quod nomen iſtud, non ſimpliciter Gentile fuerit, ſed inſuper tranſierit in nomen & indicium profeſſionis ac Religionis. Quamobrem in ſolis ex Heberi poſteris, ſicut & ex Abrahami nepotibus, apud quos viguit vera Religio, perſeveravit etiam Hebræi nomen; in iis videlicet, in quibus promiſſiones Abrahamo factæ, fuerunt impletæ; non vero in illis, qui ſpreto Dei legitimo cultu, & abjecta pietate paterna, ſeſe Chananæis idololatris (uti fecerunt Iſmaelis & Eſau poſteri) commiſcentes veram Religionem exuerunt, indigni qui appellarentur Hebræi, quia hoc nomine ſoli deſignabantur veri Dei cultores. Unde cum antea omni Abrahæ familiæ commune fuiſſet, ſolis poſtmodum Iſraelitis ſpeciale factum eſt & proprium Hebræi nomen. (18)

§. V.

Utrum lingua Hebraica illibata perſeveraverit in captivitate Ægyptiaca.

XVII. AFFIRMANT communiter recentiores Scripturæ ſacræ Interpretes, una cum illuſtrioribus Judæorum magiſtris, quos refert Elias Levita [c], dicens tria in Ægypto Iſraelitas non mutaſſe, nempe nomina, veſtes & linguam. Unde legitur [d] *Quot rerum merito redempti & liberati fuerunt Iſraelitæ ex Ægypto? Rabbini hac de re ſic docuerunt; Quatuor rerum virtute ſive merito: 1. Quod non mutarint nomina ſua: 2. Quod non mutarint linguam ſuam: 3. Quod non revelarint ſecreta ſua: 4. Quod denique fornicationibus ſe non contaminarint:* 1. Non mutarunt nomina ſua; *Simeon enim & Ruben, &c. deſcenderunt in Ægyptum: Simeon & Ruben rurſum inde aſcenderunt:* 2. Non mutarunt linguam ſuam, *ſicut dicitur;* Ecce oculi (verba ſunt Joſephi) veſtri vident, oculi quoque fratris mei Benjamin, quod os meum loquatur ad vos, Geneſ. XLV. v. 12. *Loquebantur enim lingua ſancta, &c.* Negantem vero ſententiam probabiliorem exiſtimo, his rationibus inductus. *Primo* conveniunt Scripturarum & Hebraicæ linguæ periti, tempore captivitatis Babylonicæ: Judæos Hebraicæ linguæ uſum & notitiam ſaltem ex parte amiſiſſe. Licet enim eorum Seniores & Sacerdotes, cum haberent ſolatio ſanctos libros, eam linguam integram ſervaverint: Attamen rudis Judæorum plebs illius omnino videtur oblita. Nam in patriam poſt captivitatem reduces Judæi Hebraico ſermone conſcriptos ſacros libros non intelligebant,

[c] *in Præf. Meturg.*

[d] *in Tanchuma in lib. num. ſect. Balak.*

(18) Non minus facile altera, quam proponunt, eluditur objectio, ſcilicet; a Moſe nunquam Abraham eſſe cognominatum Hebræum, niſi poſtquam ex Meſopotamia trajecto Euphrate venit in terram Chanaan; quod quidem levi non eſt argumento propter illum fluminis tranſitum *Hebræi* nomen Abrahæ, ejuſque Poſteris contigiſſe. Verum quis non videat levem ſatis hanc eſſe conjecturam ad infirmandam noſtri Auctoris ſententiam? Non prius quam Euphratem tranſierit Abraham *Hebræus* appellatus a Moſe legitur, quia de vita, & geſtis Abrahæ, quandiu in Chaldæa permanſit, & priuſquam a Deo vocaretur nil prorſus ſcriptum nobis reliquit Moſes; ita reſpondet Pererius argumento propoſito; vel hoc in loco primum fuit eo nomine appellatus, quia ſuam inſtituerat familiam a cæteris omnibus Conſanguineis ſejunctam, in qua ſola cognomen Hebræi erat retinendum. (*W*)

nisi exponerentur Syriace, ut legimus *Nehemiæ II.* At potior fuit ratio ejus linguæ, saltem ex parte usum deperdendi in Ægyptiaca servitute: *Tum quia* multo plures Judæi in Babyloniam fuerant deducti, quam
a *Genes.* 46. 27. in Ægyptum [a]; omnes enim animæ domus Jacob, quæ ingressæ sunt in Ægyptum, fuerunt septuaginta. Quamobrem si isti, quantumvis ingenti numero, quo facilius invicem colloquentes, patriam linguam servare poterant, nihilominus illius usum & notitiam amiserint, multo magis idem de his sentiendum est. *Tum quia* captivitas Babylonica duntaxat fuit LXX. annorum: Israelitæ autem in Ægypto multo diutius steterunt: *Tum quia* longe minus Judæis molesta fuit Babylonica servitus nec ulla ratione comparanda cum oppressione Ægy-
b *Deut.* 4. ptiaca, quam Moses [b] vocat fornacem ferream: *Vos*, inquit, *eduxit Dominus de for-*
c 3. *Reg.* 4. *nace ferrea Ægypti.* Et Salomon [c]: *Populus tuus est & hæreditas tua, quos eduxisti de terra Ægypti, de medio fornacis ferreæ.* Tum denique quia, cum in Babylone degerent, habebant pro solatio sanctos libros, saltem aliqui ex Sacerdotibus & Senioribus, qui hoc subsidio non solum patriam Religionem, sed & linguam in captivorum filiis propagare poterant: in Ægypto autem nullus librorum Alphabetariorum usus, nulli sacri Codices, qui exaratas Hebraicas voces incorruptas servarent: igitur si durante Babylonica tyrannide, Israelitæ paternæ linguæ sunt obliti, multo magis id contigisse existimandum est in Ægyptiaca servitute. (19)

Repones fortasse non esse utrimque parem deperdendæ avitæ linguæ rationem, quia Israelitæ, dum in Ægypto morarentur, cohabitarunt & convixerunt in terra Gessen seorsim ab Ægyptiis; in Babylonia vero, captivi ubique erant dispersi, & mancipati servituti variorum Dominorum, quorum mandatis ut obtemperarent, callere debebant linguam Chaldaicam. Unde licet eorum Seniores ac Patres, quia a Judæa in Babyloniam fuerant deducti, Hebraicam linguam toto tempore vitæ suæ forte servaverint, eorum tamen liberi, in ea captivitate geniti, pro Hebræa Chaldaicam linguam ex Chaldæorum contubernio discebant, ut etiam hodie contingit: Judæi namque earum regionum ubi dispersi vivunt, linguas pro vernaculis habent.

At hæc responsio hujus argumenti vim non elidit: quanquam enim Israelitæ, in primo suo in Ægyptum ingressu, & forte quamdiu Joseph Ægypti Prorex in vivis fuit, seorsim ab Ægyptiis convixerint, nihilominus successu temporis, magnum eis fuit cum Ægyptiis commercium; maxime vero toto tempore servitutis, quo per Ægyptum dispersi colligebant paleas, ut lateres coquerent. Siquidem cum surrexisset Rex novus super Ægyptum, qui ignorabat Joseph, duræ servituti Israelitas subjecit, maxime cum Mosem & Aaronem audiissent ex parte Dei eorum libertatem sollicitantes. Legimus enim Pharaonem [d] mandasse præfectis operum, quibus addicti erant Israelitæ, ut hæc eis significarent: *Sic dicit Pharao; non do vobis paleas, ite & colligite sicubi invenire poteritis, nec minuetur quidquam de opere vestro: dispersusque est populus per omnem terram Ægypti ad colligendas paleas.* Itaque saltem eo tempore Israelitæ simul non convivebant, sed per universam Ægyptum erant dispersi. *Præterea* mandavit Mo-
d *Exod.* 5. 11.
ses [e] Israelitis, ut postularet quisque ab
e *Exod.* 11. amico suo Ægyptio vasa aurea & argentea, &c. Igitur eo tempore Hebræi cum Ægyptiis in eadem vicinia habitabant. Quod etiam Philo [f] observat: *Tot plagis*, inquit,
f *lib.* 1. *de vita Mosis* *Ægyptus fatigata, quarum tamen nulla Hebræos attigit, quamvis cohabitantes in iisdem oppidis, vicis, domibus.* Id ipsum etiam insinuatur Exodi XI. ait enim Deus: *Erit clamor magnus in universa terra Ægypti; qualis nec antea fuit, nec postea futurus est; apud omnes autem filios Israel, non mutiet canis ab homine usque ad pecus, ut sciatis quanto miraculo dividat Dominus Ægytios & Israel.* Ex quibus colligitur filios Israel tunc temporis per universam Ægyptum fuisse dispersos.

Neque his obstat, quod terra Gessen immunis dicatur a communibus plagis, quibus cæteræ Ægyptiorum Provinciæ vexabantur; nam tunc temporis maxima quidem Hebræorum dispersorum multitudo, visis tot miraculis eorum liberationis causa patratis, & Mosis ac Aaronis monitu, in terram Gessen se se receperat, quatenus illi cum cæteris contribulibus ad exitum paratiores essent & promptiores. Nihilominus quicunque procul eo tempore a terra Gessen adhuc distabant quamvis eisdem in civitatibus & pagis cum Ægyptiis morarentur, nulla ratione eorum plagis premebantur, quod clarissime expressit Scriptura in plaga tenebrarum, nam legimus [g]: *Factæ sunt tenebræ*
g *Exod.* 10. *horribiles in universa terra Ægypti: tribus diebus nemo vidit fratrem suum, nec movit se de loco, in quo erat; ubicunque autem habitabant filii Israel, lux erat.* Igitur crassissimæ illæ tenebræ, quæ in Ægyptiorum ædibus nulla luce fugari poterant, Hebræorum domos non occupabant, & mirabili Dei virtute fiebat, ut ubicunque essent Israelitarum habitacula, inter palpabiles illas tenebras, luce meridiana illustrarentur. Igitur verosimile non fit, Israelitas tempore servitutis seorsim ab Ægyptiis omnes habitasse. Itaque facili negotio perire aut saltem vitiari & corrumpi potuit eorum Hebraicæ ac vernaculæ linguæ puritas & integritas.

Secundo multi Ægyptiorum cum Hebræis deseruerunt Ægyptum, in terram promissam simul cum eis properantes, ut declaratur his verbis, Exodi XI. *Vulgus promiscuum innumerabile ascendit cum eis.* Sed clarius capite XI. Numer. ubi legimus: *Vulgus promi-*

(19) In præcedentibus notis 7, & 9 jam diu ante legis promulgationem per Mosem, literarum usum apud Hebræos extitisse, animadvertimus, quæcunque tandem eorum literæ fuerint, de quibus inferius. (*W*)

miſcuum quod aſcenderat cum eis, flagravit deſiderio, ſedens & flens, junctis ſibi pariter filiis Iſrael, & ait: Quis dabit nobis ad veſcendum carnes? Ubi ſatis manifeſte diſtinguitur vulgus illud promiſcuum ab Iſraelitis: oportuit ergo magnam fuiſſe inter Iſraelitas & Ægyptios confœderationem, alioqui ingens illa Ægyptiorum multitudo, patriam & parentes non deſeruiſſet, ut fugientes exteros, & ad plagam & ad regionem ignotam ſequeretur, niſi affinitatis, ac religionis eſſet inter eos neceſſitudo. Quod inſuper declaratur; legimus enim, quod [a] *Egreſſus filius mulieris Iſraelitidis, quem pepererat de viro Ægyptio inter filios Iſrael jurgatus eſt in caſtris cum viro Iſraelita, &c.* Ex quibus clariſſime patet, communes, aut ſaltem non prohibitas fuiſſe nuptias Iſraelitarum cum Ægyptiis, ac ſubinde maximam inter eos ſocietatem & confœderationem viguiſſe.

[a] *Levit. cap. 24.*

Tertio deperditam fuiſſe, aut ſaltem interpolatam linguam Hebræam tempore ſervitutis Ægyptiacæ, demonſtrat avitæ Religionis, & veri Dei cultus jactura; conſtat enim plurimos ex Hebræis, non ſolum mores Ægyptios hauſiſſe; ſed etiam Religionem ipſam Ægyptiorum & idololatriam: hoc enim ſignificat Joſue [b], cum Hebræos monet, *Auferte Deos, quibus ſervierunt Patres veſtri in Meſopotamia, & in Ægypto.* Hinc eſt quod Ezechiel Propheta pluribi, maxime cap. XXIII. Dei nomine & vice, Iſraelitis priſtinam idololatriam exprobrans, ait: *Fornicationes ſuas, quas habuerat in Ægypto, non reliquit.* Et rurſus: *Recordans dies adoleſcentiæ, quibus fornicata eſt in terra Ægypti.* Cum itaque Iſraelitarum plurimi avitam ſanctorum ſuorum Patriarcharum Religionem, & verum Dei cultum exuerint, mirum videri non debet, ſi propriam linguam etiam neglexerint, ut Ægyptiis commixti eorum mores & idioma uſuparent.

[b] *cap. 24.*

Denique confirmari poteſt hæc ſententia ex his verbis [c]; *Cum exiret de terra Ægypti, linguam quam non noverat, audivit.* Quanquam enim aliqui hoc referant ad Joſeph, qui in Ægyptum a Chananæa convectus, audivit loqui Ægyptiace, quam linguam ipſe nondum noverat; hæc tamen interpretatio omnino aliena videtur a genuino ſenſu; ſiquidem totus Pſalmus univerſum populum Iſraeliticum, non vero ſolam perſonam Joſeph reſpectat; non enim dicitur. *Cum ingrederetur terram Ægypti*, ſed *cum exiret de terra Ægypti*, Joſeph autem non exiit de Ægypto, ſed ad mortem uſque ibi dominatus eſt. *Inſuper* ſi quis anteriora hujuſce Pſalmi verba ſedulo meditetur, facile conjiciet ibi ſermonem inſtitui de toto populo Iſraelitico; antea namque legimus: *Præceptum in Iſrael eſt & teſtimonium Deo Jacob: teſtimonium in Joſeph poſuit illud, &c.* Porro præceptum illud divinum celebrandi Neomeniam, non fuit injunctum duntaxat perſonis Joſeph & Jacob, ſed multis annis poſt obitum Joſephi Iſraelitico populo fuit intimatum; ſubindeque nomine *Jacob* & *Joſeph* totus Iſraeliticus populus intelligitur.

[c] *Pſal. 80. v. 6.*

Quod utique perſpicuum fit ex aliis Scripturæ textibus; nam [d] Semei occurrens Davidi & veniam irrogatæ injuriæ exorans, ait: *Agnoſco ſervus tuus peccatum meum, & idcirco hodie primus veni de omni domo Joſeph, deſcendique in occurſum Domini mei Regis:* hic autem *Joſeph* accipitur pro *Iſrael* Semei namque non erat de tribu Joſeph, ſed Benjamin, ut conſtat ex cap. XVI. ejuſdem libri. Idem deducitur ex variis Pſalmiſtæ oraculis: Pſalmo enim LXXIX. *Qui Regis Iſrael intende, qui deducis velut ovem Joſeph.* Et Pſalmo LXXVI. *Redemiſti in brachio populum tuum filios Jacob & Joſeph, &c.* Appellantur autem Iſraelitæ filii Jacob & Joſeph, tum quod Joſeph veluti Pater fuit omnium fratrum ſuorum, cum eis & alimoniam & habitationem & protectionem ſubminiſtravit: tum quod revera fuit Pater duarum tribuum, Ephraim & Manaſſe; imo & plurium aliorum Iſraelitarum, quos ipſe præter Manaſſe & Ephraim genuit. Igitur cum Joſeph dicitur in exitu de Ægypto, audiſſe linguam quam non noverat, id venit intelligendum de populo Iſraelitico, cui reſtituta fuit Hebraica lingua, quam prius propter aſſiduum & diuturnum cum Ægyptiis commercium, oblivioni tradiderat. Hanc autem expoſitionem probat Jacobus Chriſtopolitanus [e], ubi expendens Pſalmiſtæ verba, ſcribit: *Tunc audivit ille populus linguam, quam nunquam noverat: nam neſciebant loqui, niſi Ægyptiace, in qua lingua nutriti fuerunt in Ægypto. Sed cum fuerunt in deſerto, & in terra promiſſionis, communicando cum cæteris Gentibus, didicerunt idiomata, & linguas ignotas. Et etiam dicit quod Moſes docebat eos lingua Hebraica, quæ fuerat ab eis oblivioni tradita. Et etiam ille populus audivit linguam ignotam. Cum Legem per os Moſis a Deo datam accepit.*

[d] *lib. 2. Reg. cap. 19. v. 20.*

[e] *Queſt. 60. in Geneſ.*

XVIII. Sed ut ut ſit de aliis Iſraelitis, probabiliſſimum videtur. Moſem nullam, aut duntaxat rudem, & imperfectam Hebraicæ linguæ peritiam habuiſſe, priuſquam ad Pharaonem, & Iſraelitas legatus a Deo deſtinaretur; etenim puerulos adhuc, a Pharaonis filia in regiam aulam aſſumptus, & in filium ab ea adoptatus, antequam Hebraice loqueretur, educatus fuit inter Ægyptios, quorum haud-dubie linguam habuit in uſu. Quanquam enim ſuæ matri Hebrææ traditus fuerit lactandus, veroſimile tamen eſt illum ſtatim a pueritia traſmiſſum fuiſſe in Regiam, ubi ſi quid eloquii Hebraici a matre & nutrice accepiſſet, id totum depoſuit, ut Ægyptiorum moribus & loquela imbueretur. Teſtatur enim Protomartyr S. Stephanus [f], de Moſe ſermonem faciens, *Quod ſuſtulit eum filia Pharaonis, & nutrivit eum ſibi in filium, & eruditus eſt Moſes omni ſapientia Ægyptiorum, & erat potens in verbis, & in operibus ſuis.* Inſuper poſtquam translatus eſt, uſque ad quadrageſimum ſuæ ætatis annum, nullum habuit cum Hebræis commercium; nam S. Stephanus ſtatim ſubdit: *cum autem impleretur ei quadraginta annorum tempus, aſcendit in cor ejus, ut viſitaret fratres ſuos filios Iſrael.* Igitur a pueritia ad quadrageſimum annum, non videtur

[f] *Act. 7.*

tur conversatus cum Hebræis, nec proinde Hebraicæ linguæ usum habuisse. Neque illa conversatio, quam cum eis jam quadragenarius habuit, hujus linguæ peritiam ipsi conciliare potuit; quippe brevissimo duravit tempore: cum enim Ægyptium dire tractantem aliquem Hebræum jugulasset, re in vulgus, & forte in domum regiam delata, fugit profugus in terram Madian, ubi alios XL. annos egit sine ullo Hebraicæ linguæ usu. Cujus etsi perfectam notitiam habuisset, facili negotio potuisset obliviscì, cum eam linguam semel duntaxat loquendi, jam octogenarius occasionem fuisset nactus.

Repones forsitan ipsum fuisse perspicacissimi ingenii, ac tenacissimæ memoriæ, fierique potuisse, imo & debuisse, ut vir ab Hebræis oriundus, Hebraicam linguam una cum Ægyptiaca disceret. Verum etsi istud gratis concederem, nemo est qui non videat, eum non minori facilitate Hebraicæ linguæ fuisse oblitum, quam Ægyptiacæ, cujus frequentiorem usum per annos quadraginta habuerat. Quod autem Ægyptiacæ linguæ ex parte fuerit oblitus, toto tempore, quo perstitit inter Madianitas, affirmant aliqui cum Hugone Victorino; idque colligunt ex ipsis Mosis verbis [a], ubi sibi divinitus impositam ad Pharaonem legationem excusans: ait: *Obsecro Domine non sum eloquens ab heri & nudius tertius*, id est, jam apprime non calleo linguam Ægyptiacam, quæ ad hanc legationem implendam videtur necessaria, ipsius quippe ex parte sum oblitus a diuturno illo tempore, quo inter Madianitas versor.

[a] *Exod.* 4.

Conjicerem ergo eo ipso tempore, quo Moses a Deo ad Pharaonem & Israelitas delegatus est nuntius, ut hos a duro captivitatis jugo solveret, accepisse utriusque loquelæ Ægyptiacæ & Hebraicæ perfectam notitiam, & facillimum usum; idque significare videtur Deus, cum Mosi impedimentum tardioris linguæ causanti, ait: [b] *Quis fecit os hominis? aut quis fabricatus est mutum & surdum, videntem & cæcum? Nonne ego? Perge igitur, & ero in ore tuo, docebòque te quid loquaris.* Quibus Deus significat se Mosi concessurum eam omnem peritiam tanto muneri, ad quod destinabatur, debite implendo necessariam, qualis maxime erat perfecta notitia linguæ Hebraicæ, ut nempe avitam SS. Patriarcharum Religionem, verumque Dei cultum, apud Israelitas eorum posteros, quibus Dux erat præficiendus, restauraret. Nec id mirum & insolitum videri debet, nam ejusdem Hebraicæ linguæ in omnibus Israelitis, post solutam Ægyptiacam tyrannidem; restitutionem divinitus factam, colligere licet, ex eo quod statim atque trajecerunt mare rubrum, videruntque mortuos Ægyptios super littus maris, tunc divino afflatu, omnes cum Mose cecinerunt Canticum in laudem, & gratiarum actionem, quod exaratum habemus cap. XV. Exodi.

[b] *ibidem v.* 12.

Cum igitur Canticum istud Hebraico carmine concinnatum sit, oportuit Hebraicæ linguæ peritiam omnibus iis divinitus infundi, maxime eis, quibus hæc lingua non erat pervia, aut saltem ab extraneo idiomate non omnino libera.

Nec obstat quod hujusmodi miraculi Moses nullibi meminerit; plura namque ab eo prætermissa sunt, quæ postmodum ab aliis sacris Scriptoribus fuerunt exarata; nihil enim Moses meminit horrendorum spectrorum, quibus perterrefacti fuerunt Ægyptii; hanc autem calamitatem declarat Sapiens [c], ubi loquens de tenebris triduanis, quas passi sunt Ægyptii, ait: *Neque enim quæ continebat illos spelunca, sine timore custodiebat, quoniam sonitus descendens perturbabat illos, & personæ tristes illis apparentes pavorem præstabant.* Non observavit Moses illarum tenebrarum plagam, nullo artificio potuisse superari. Hoc autem commemoravit Sapiens, ibidem dicens: *Et ignis quidem nulla vis poterat illis lumen præbere, nec syderum limpida flamma illuminare poterat illam noctem horrendam.* In aperiendis Mannæ proprietatibus prætermisit Moses, quod narrat Sapiens, nempe quod ab igne non poterat exterminari & liquefieri. Similiter quod uniuscujusque voluntati ad quod quisque volebat, converteretur & inserviret, ut legimus cap. XVI. Plurima pariter observat Nierembergius [d], quæ a Mose prætermissa fuerant miracula, a Sapiente & Davide postmodum fuisse commemorata. Quæ utique per traditionem, aut specialem Dei revelationem didicerant; quemadmodum & S. Paulus [e] explicat nomina Magorum, qui Mosi restiterant, nec ipse tamen declaraverat. Quid igitur mirum, si divinitus restitutam Israelitis linguam Hebraicam, Moses ipse non commemoraverit? (20)

[c] *cap.* 17.

[d] *lib. 6. cap.* 32.

[e] 2. *ad Timoth.* 3.

XIX.

(20) Hoc in paragrapho Auctor noster deperditam fuisse Hebraicam linguam in Ægyptiaca servitute, eaque soluta per Dei prodigium Israeliticæ genti fuisse de repente restitutam variis perductus argumentis opinatur. Verum integram in Ægypto avitam suorum Patrum linguam Judæos custodisse, quomodocumque Ægyptianum idioma eorum plures calluerint, iisdemque momentis poterit affirmari, quibus Frassenius primitivam linguam antediluvianam videlicet, in Heberi familia inter Chaldæos servatam fuisse ducentis, & amplius annis, a confusione Babelica nimirum usque ad Abrahæ egressum ex Ur Chaldæorum, propugnat. Quinimmo in Ægypto facilius quam in Chaldæa servari potuisse ex eo fit palam, quod brevi tempore ad miraculum usque Jacobi descendentes in Ægypto multiplicati sint; quod in terra Gessen diu ab Ægyptiorum consuetudine absentes vixerint unicam gentem ab Ægyptiis divisam constituerint; nullamque cum Idololatris necessitudinem haberent; degeneres tandem eorum nonnulli a patriis ritibus, divinoque cultu sese exhibuerunt, indeque cum Ægyptiis nedum familiaritatem, sed cognationem etiam contraxere; non propterea Dei Populus universus a patriis legibus, & ritibus declinavit, nec a materno idiomate proinde excidisse credendus, & si aliquando per universam Ægypti terram dispersi leguntur Judæi Exodi Cap. V. v, 12., id ultimo oppressionis, & servitutis mense contigisse, postquam scilicet Moyses, & Aaron Pharaoni ex Dei nutu populi discessum ab Ægypto indixerunt, eodem Exodi Capite expressum est; quis modo dixerit brevi eo temporis intervallo antiquam linguam Judaicam gentem amisisse? Quid autem mi-

XIX. Hanc autem Hebraicam linguam, a ſoluta captivitate Ægyptiaca, ad Babylonicam uſque omnino puram, & ab exterarum linguarum permixtione illibatam ſervarunt Iſraelitæ; ita ut toto illo tempore, nullam notabilem mutationem ſubierit, quod, inquit Waltonus, partim a ſingulari Dei providentia profectum, partim ex moribus, & inſtitutis Judæorum, quibus a connubiis, fœderibus & omni fere cum vicinis Gentibus idololatris commercio arcebantur: unde quia cum Gentibus nonniſi raro mixti eſſent, linguam ſine mixtura conſervabant; ſicut ob eandem cauſam Sinenſes & alii linguas ſuas per tot ſæcula immixtas habent. Cum vero, ut præfati ſumus, durante captivitate Babylonica, huc illucque Judæi diſtracti & a diverſis Dominis, quibus venditi fuerant, varias in Chaldææ Regiones eſſent abducti; linguæ Hebrææ ſibi prius vernaculæ obliti, Chaldaicam cum aliqua Hebrææ dictionis tinctura didicerunt, ut ſcribit Elias [a] his verbis: *Cum vero ex terra ſua exularent, & in Babyloniam adducti eſſent, penitus obliti fuerunt linguæ ſuæ, ſicut ſcriptum eſt in libro Nehemiæ.* [b] Manebat tamen in quorumdam animis, Sacerdotum videlicet & Judicum Hebraicæ linguæ, ſicut & Moſaicæ Legis peritia, ut legimus in libro Coſri [c]: *Conſervata fuit lingua in corde Sacerdotum & Judicum, ut docerent judicia juſtitiæ.* Inde factum eſt, quod in patriam Judæorum vulgus mixtam quandam ex Hebræa & Chaldaica dictionem introduxerit: nec linguæ Hebrææ uſus familiaris revocari & reſtaurari potuit; eo quod maxima populi pars, ita linguæ Chaldaicæ & aliis aſſueti eſſet, ut avorum ſuorum Hebraicam linguam vix intelligeret. Unde Nehemiæ cap. XIII. v. 23. legimus: *In diebus illis vidi Iudæos ducentes uxores Azotidas, Ammonitidas, & Moabitidas; & filii eorum ex media parte loquebantur Azotice, & neſciebant loqui Judaice* (id eſt Hebraice) *& loquebantur juxta linguam populi.* Unde R. David Kimchi; [d] *Ex quo tempore*, inquit, *deportati ſunt Patres noſtri in terram alienam, & inter Gentes illas, didicerunt linguam ipſorum, & obliti ſunt linguæ ſanctæ, donec aßueverunt filii & filii filiorum ipſorum, uſque in hodiernum diem, loqui linguam alienam & Labium peregrinum, quiſque nimirum ſecundum linguam loci captivitatis, vel exilii ſui, & populi ſui; nihil invenitur Hebraice in manibus noſtris, præter viginti quatuor Libros ſacros, qui inter nos remanſerunt, & pauca quædam vocabula in Miſchna. Unde ſollicite cuſtodire debemus id, quod Deus nobis de noſtra lingua reliquit.* Nam ut addit Ephodeus [e]: ex ſingulari Dei providentia erga linguam Hebræam, & erga populum ſuum, libri ſacri in ſua perfectione & integritate remanſerunt in tanta accuratione, ut de illis nulla ſit diſſenſio vel inter Judæos. Nam præter illa nullum alium antiquum Judæi habent librum, qui lingua Hebræa pura ſit conſcriptus, vetuſtis ipſorum monumentis omnibus, injuria temporum, & gravitate perſecutionum ac exiliorum, collapſis & deperditis.

Itaque poſt captivitatem Babylonicam, familiaris linguæ Hebrææ uſus nuſquam amplius fuit purus inter Judæos, ſed primo Babylonice ſunt locuti, poſtmodum autem in terram ſuam reduces linguæ Chaldaicæ uſum etiam corruperunt, & mediam quandam invexerunt linguam, partim ex Hebraica, partim ex Chaldaica, aliiſque dialectis & idiotiſmis, juxta diverſitatem Exterorum cum quibus converſabantur; quæ lingua a patria, quam incolebant, dicta eſt Syriaca & Judaica. Cujus mixtæ & Syriacæ linguæ, ut obſervant Buxtorfius, Breeruvodus, & Vvaltonus, variæ erant Dialecti. Nam dialectus *Galilæa* ab Hieroſolymitana differebat adeo ut ex S. Petri ſermone, colligerent ipſum eſſe Galilæum, Marci XVI. v. 70. magis enim rudis & agreſtis erat ſermo Galilæus, ut exiſtimat Buxtorfius in Lexic. Talm. Rabb. Præcipuæ vero ejus Dialecti erant I. *Babylonica* omnium puriſſima, in qua ſcripta ſunt capitula quædam Danielis & Eſdræ; & poſtea licet ſtylo non ita puro, Onkeloſi, & Jonathæ paraphraſes, & Talmud Babylonicum II. *Hieroſolymitana*, quæ a genuina Chaldaica plus diſtabat per mixturam verborum peregrinorum, ſcilicet Arabicorum, Græ-

[a] *in præfat. lib. Meturg.*

[b] *cap. 8. v. 7. & 8.*

[c] *parte 3. fol. 15.*

[d] *in Præf. libri Michol.*

[e] *Cap. 7. Gramm. ſua.*

rum ſi Domus Joſeph, vel univerſa Judæorum gens ex Ægypto in Cananitidem erumpens, linguam, quam non noverat, audivit; ſi Cananæorum idioma diverſum quodammodo ab Hebraico a temporibus etiam Abrahæ fuiſſe non diffiteamur? Non eſt propterea cur ad prodigium confugiamus, ſi, ſuper Ægyptios in Mari rubro demerſos Canticum metro Hebraico, Domino Sabaoth ceciniſſe Iſraelitas ſcriptum reperiamus Exodi 15.

Moyſem pariter Hebræorum ſermonem neſcire non potuiſſe non levia demonſtrant ex divinis literis deducta argumenta. Nutricem habuit in primis ipſam Matrem ſuam puerulus Moyſes, quæ in mentem infantuli nedum propriam linguam, ſed Dei cultum, & religionem tam alte defixit, inſtillavitque, ut nunquam vel tantillum ab eadem, declinare voluerit; quinimmo eſto in Pharaonis aula diu vixerit, omnique ſapientia Ægyptiorum inſtructus fuerit, = Fide grandis factus negavit ſe eſſe Filium filiæ Pharaonis, magis eligens affligi cum Populo Dei, quam temporalis peccati habere jucunditatem = ut legimus Hebræorum Cap. 11. v. 24. Filiæ autem Pharaonis a propria Matre Jocabeda non prius reſtitutus eſt Moyſes quam adoleverit aliquantulum, ut legimus Exodi 2. v. 10. = ſuſcepit Mulier puerum, adultumque tradidit filiæ Pharaonis =; quis modo non videat matris linguam optime potuiſſe puerulum Moyſem apperçipere? Eam tandem perfectiſſime didiciſſe ex familiariſſima conſuetudine cum Judæis habita vir jam factus, ex teſtimonio S. Stephani Protomartyris Actorum 7. v. 25. dignoſcimus, ibi enim ſcriptum eſt Moſen occidiſſe Ægyptium, qui injuriis Iſraelitam quemdam divexabat = Exiſtimabat autem, ſubjungit ibi S. Stephanus, intelligere Fratres; quoniam Deus per manum ipſius daret ſalutem illis, at illi non intellexerunt; ſequenti vero die apparuit illis (Moſes) litigantibus, & reconciliabat eos in pace =, Dum hæc Moſes geſſit, quadraginta erat annorum, ut ibidem adfirmat laudatus Protomartyr; quis modo non videt Moſem optimam habuiſſe Hebraici idiomatis non minus quam Ægyptiaci notitiam, ſi quadragenarius inde in Madian aufugit, ſi tantam neceſſitudinem, familiaremque uſum cum Iſraelitis Fratribus tam frequenter habebat? Eam autem Moyſem oblitum in Madian fuiſſe, incredibile prorſus judicamus; hinc Hebraico ſermone ſuos libros Moſen ſcripſiſſe non ambigimus. (*W*)

Græcorum, & Latinorum, quam longo tempore contraxit: & in hac ſcripta ſunt Talmud & Thargum Hieroſolymitanum, liber Zohar, & quædam Medrashim, ſeu expoſitiones allegoricæ III. *Antiochena* Comagena, & Maronitica. Antiochena autem dicebatur, quia circa Antiochenum Tractum in uſu fuit, & in Eccleſia Antiochena, & per totum Patriarchatum in ſacris uſurpata; *Comagena* vero a Comagena ultima Syriæ regione: & *Maronitica* a Maronitis, qui habitant in pagis Montis Libani & in minoribus Syriæ oppidis: & hæc κατ' ἐξοχὴν Syriaca dicitur, quam Chriſtiani per Orientem ſibi fere propriam fecerunt, ſiquidem utriuſque Teſtamenti verſiones in hac Dialecto habuerunt, ſacra in eadem celebrarunt, reliquis Paraphraſibus Chaldaicis Judæis relictis. Hujus autem Syriacæ linguæ maxima hæc exurgit prærogativa, quod Chriſti Domini ore ſacro ſancto fuerit nobilitata, ipſi namque ejuſque Diſcipulis fuit vernacula, atque etiam Legem ſuam Evangelicam, vitæque æternæ promiſſa, quibus omnis noſtra ſpes nititur, in ea primum lingua mundo promulgavit.

CAPUT SEXTUM

Quonam charactere uſus fuerit Moſes in conficienda divina Scriptura.

I. *Duplex hac de re Sententia: aliqui pro Hebraico, alii pro Samaritano jam vulgari decertant.*
II. *Quæ ſit Samaritanorum origo.*
III. *Quæ Religio.*
IV. *Quam infeſtum fuerit eorum in Judæos & Judæorum in ipſos odium.*
V. *Quis ſit hodiernus eorum ſtatus.*
VI. *Quare ex omnibus Scripturæ libris ſolum Pentateuchum admittant.*
VII. *Quomodo eorum character Alphabeticus ab hodierno Hebræo diſcrepet.*
VIII. *Ille a Moſe excogitatus, apud Iſraelitas in uſu fuit ante captivitatem Babylonicam: at eum in Chaldaicum Eſdram commutaſſe aſſerunt plurimi SS. Patres:*
IX. *Id ipſum Judæorum Sapientes fatentur.*
X. *Confirmatur ex antiquis Inſcriptionibus.*
XI. *Duplex apud Judæos non fuit Scripturæ genus, ſacrum videlicet & prophanum.*
XII. *Variæ mutati ab Eſdra Judaici characteris cauſæ proferuntur & expenduntur.*
XIII. *Qua auctoritate id præſtiterit Eſdras,*
XIV. *Qua ratione Samaritani potius, quam Judæi antiquum Characterem ſervaverint:*

I. DUÆ hic e diametro pugnantes occurrunt Auctorum ſententiæ. *Prima* quorumdam Judæorum, quibus adſtipulatur Baronius [a], exiſtimantium non ſolum Hebraica lingua, ſed etiam eo, qui nunc circumfertur, charactere Hebraico, Legem a Moſe primitus fuiſſe conſcriptam; ac ſubinde linguam ac Scripturam Hebraicam a Moſe ad nos uſque invariate perſeveraſſe. *Secunda* vero eorum eſt, qui contendunt antiquum characterem, quo primum a Moſe ſcripta Lex eſt, eum fuiſſe, qui nunc Samaritanus dicitur, ab Hebræo hodierno longe diverſus. Cujus quidem difficultatis ut plenior ac planior appareat eliquatio, quædam ſunt e limine prælibanda; nempe quæ ſit Samaritanorum origo, quæ Religio, quæve cauſa eorum ſchiſmatis & defectionis a Judæis.

[a] *ad annum Chriſti 180.*

II. In primis autem conſtat ex III. Regum cap. XII. & II. Paralip. cap. XI. Samaritanorum Regnum & Gentem coaluiſſe ex defectione decem Tribuum Iſraeliticarum, quæ propter aggravata tributorum onera, adverſus Roboamum Salomonis filium rebellantes, Regem ſibi elegerunt, & præfecerunt Jeroboam, cui antea Propheta Ahias prædixerat, ipſum ſuper decem tribus regnaturum. Hic autem cum apprime noſſet, quantam in animis hominum vim obtineat Religio, quantumque valeat ad regni quietem & firmamentum nobis cum lacte inſtillata avorum pietas; cum mutatione regiminis Politici, cenſuit quoque Religionem mutandam. Quapropter veritus ne populus, Hieruſalem aſcendendo, ut fieri conſuevérat, ob Dei cultum & ſacrificia ſecundum Legem peragenda, reverteretur ad dominum ſuum Roboamum regem Juda: *Excogitato conſilio fecit duos vitulos aureos, & dixit eis:* (Iſraelitis) *Nolite ultra aſcendere in Jeruſalem: ecce Dii tui Iſrael qui te eduxerunt de terra Ægypti*. III. Regum cap. XII. v. 28. Inde factum eſt, ut Iſraelitæ, qui antea ab uno Patriarcha Jacobo geniti, omnes in unum regnum quaſi in familiam unicam veluti fratres convenerant, in duo poſtmodum diverſa regna ſcinderentur, nempe in regnum Judæ coaleſcens ex Tribubus Juda, Benjamin, & Levi, II. *Paralip.* II. 13. & Regnum Iſrael conſtans aliis decem Tribubus Iſraelitarum, qui Jeroboamum ſibi Regem delegerant. Hujus recens inſtituti Regni Metropolis primum extitit *Sichem* in monte Ephraim III. Regum XII. 28. Unde ejus ſubditi a Judæis ſubſannantibus dicebantur *Sichimitæ*. Cum vero Amri Rex Iſrael empto a Semer monte Samariæ, ibi civitatem ædificaſſet, eamque *nomine Samer Domini montis, Samariam appellaſſet*, ibidem cap. XVI. v. 24. In ea Iſraelitarum Regni caput ac ſedem fixit. Inde ortum Samaritanorum nomen, quanquam ante captivitatem & quandiu hoc regnum ſtetit inconcuſſum, ejus Princeps

ceps communiori appellatione diceretur *Rex Iſrael*.

Porro hoc Iſraeliticum regnum, a ſui exordio ad excidium floruit annis circiter 254. a Jeroboamo videlicet ejus fundatore ad Salmanazarem Aſſyriorum Regem, qui triennali obſidione capta & expugnata Samaria Iſraelitas majori ex parte una cum eorum Rege captivos tranſtulit ad Aſſyrios, prout legimus IV. Reg. XVIII. 11. Totum tamen populum Iſraeliticum in captivitatem non adductum fuiſſe, ſed ex plebe multos relictos, inter quos etiam Tribuum diſtinctio ſervabatur, colligitur ex eo maxime, quod LXXII. Interpretes ad Ptolomæum Philadelphum ſacrorum Bibliorum vertendi cauſa delegati dicantur ſelecti ex qualibet Tribu Iſrael. Verum cum iſti r fidui non ſufficienti eſſent numero, nec univerſam terram incolere poſſent & excolere, Salmanazar imperavit, ut ex diverſis imperii Babylonici Provinciis, maxime de Babylone, & de Cutha, & de Avah, & de Emath, & de Sepharvaim collecti incolæ illuc tranſmitterentur, *Qui poßederunt Samariam, & habitaverunt in urbibus ejus*, IV. Regum cap. XVII. (21)

III. Cum autem primum terram illam incolere cœpiſſent, & Deos Patrios in terra Iſraelis venerarentur, in vindictam illius Idololatriæ, immiſit in eos Dominus leones, qui interficiebant eos. Read Salmanazar delata convocavit ſeniores captivitatis, qui exiſtimantes Regem ſoluta captivitate eos ad propria remiſſurum, dixerunt, *Gentes quas tranſtuliſti; & habitare feciſti in civitatibus Samariæ, ignorabant legitima Dei terræ, & immiſit in eos Dominus leones, & ecce interficiunt eos; quod ignorarent ritum Dei terræ.* v. 6. Verum Rege ſpem ipſorum fallente, præcepit, dicens: *Ducite illuc unum de Sacerdotibus, quos inde captivos adduxiſtis, & vadat & habitet cum eis, & doceat eos legitima Dei terræ. Igitur cum veniſſet unus de Sacerdotibus, ex his qui captivi ducti fuerant de Samaria, habitavit in Bethel, & docebat eos quomodo colerent Dominum;* utique ritu quem ſtatuerat Moles. Illi tamen novi incolæ Legem Iſraelitarum ita obſervarunt, *Ut cum Dominum colerent, Diis quoque ſuis ſervirent, juxta conſuetudinem Gentium, de quibus translati fuerant Samariam*, v. 32. *Fuerunt igitur Gentes iſtæ timentes quidem Dominum, ſed nihilominus & idolis ſuis ſervientes; nam & filii eorum, & nepotes, ſicut fecerunt Patres ſui, ita faciunt uſque in præſentem diem* v. 41. Ad id videlicet uſque tempus, quo hæc ſcribebat, ſacrorum voluminum reſtaurator Eſdras. Quoniam autem recentium illorum incolarum maxima pars ex habitantibus circa fluvium Cuthæum, traducti fuerant; inde factum eſt, ut qui a primaria quam incolebant civitate, dicebantur *Samaritani*, poſtmodum a Judæis appellati fuerunt כותים *Cuthiim* ſeu *Cuthæi* ut habet ipſemet Joſephus. [a]

[a] *lib. 9. cap. 20.*

Diuturno quidem tempore (22) vixerunt in eo nefario Idolorum cultu, una cum Moſaicæ Legis obſervantia. Puriorem autem Dei cultum amplectendi & Idola omnia abolendi hæc extitit occaſio. Regnante Dario ultimo Perſarum Rege, cum Judæorum Rempublicam adminiſtraret Jaddus Summus Pontifex, ejus frater Manaſſes, contra Legis vetitum, Matrimonio ſibi copulavit filiam Sanaballeti, genere Cuthæi, Samaritanorum Præfecti. Quam ob cauſam ab altaribus ſacris, & ab omni ſacerdotali officio exauctoratus, ira tumens & impatiens ſeceſſit ad

(21) Vita functo Salomone, ejus Filius Roboamus ſpreto Seniorum conſilio, juvenumque adhærens voluntati, cauſa fuit διαιρέσεως Davidici Regni, quæ contigit anno periodi noſtræ 4519; Cyclo Solis 15; lunæ 15. indict. 4; anno ſcilicet Julianæ periodi 3739; currente vero anno a Mundi conditu 3030; anno autem Judaico juxta præſentem computum 2787: anno pariter 28. currente poſt nonum Jubilæum ab Hebræis celebratum, nec non anno primo poſt annum Sabbaticum ſexageſimum ſeptimum, incepto: aſcendit quippe Jeroboam ſuper altare ſacrilegum, quod in Bethel extruxit, hoc anno juxta Uſſerium, die ſexta Decembris feria ſecunda, quæ reſpondet diei quintædecimæ menſis octavi lib. 3. Regum cap. 12. v. 33. indicatæ. Cecidit autem Iſraeliticum Regnum anno nono Regis Oſeæ, capta a Salmanaſare Civitate Samariæ anno periodi noſtræ 4773 Cyclo Solis 17. lunæ 3. Indict. 3. anno Judaico 3041. poſt Jubilæum decimum quartum celebratum anno 37.; necnon anno ſecundo incepto poſt annum Sabbaticum 103.; annis ergo 254. Regnum Iſraelis perſeveravit. (*W*)

(22) Nefarius Idolorum cultus in Samaria annis 643. perſeveraſſe dicendus eſt, ſi ejus initium ab eo ſumpſerimus anno, quo Jeroboam Altare Sacrilegum in Bethel extruxit, ejuſque finem ad annum, quo in Monte Garizzim templum, ſolicitante Sanaballeto, & permittente, ut tradunt Uſſerius ad annum Mundi 3671, & Joſephus Hiſtoricus, Alexandro Macedone dum obſidione Tyrum premebat, quod contigit anno periodi noſtræ 5162, excitatum fuit, referamus. Verumtamen ſi ad invicem, quæ in Scriptura Divina, & in ipſomet Joſepho leguntur, conferre non pigeat; non ad Alexandri, ſed ad Darii Nothi ætatem Samaritici templi conſtructionem pertinere unuſquiſque fatebitur cum D. Prideauxio in ſua de Judæis Hiſtoria Part. 1. Lib. 6. & iterum Part. 1. Lib. 7. ubi animadvertit ex Joſepho Lib. II. Antiquit. Cap. ultimo, quod Samaritæ Alexandrum poſt debellatam Tyrum per Palæſtinam proficiſcentem exorarunt enixe, ut ad eorum templum accederet: erat ergo tunc temporis templum illud ædificatum; ſeptem autem ſolis menſibus obſidione Tyrum perſtrinxit. Quis modo ſibi ſuadeat intra ſeptem, vel novem menſium ſpatium templum Hieroſolymitano ſimile extrui potuiſſe? Sanaballetus ulterius tempore Nehemiæ jam Præſidis vices inter Samaritanos gerebat; cum veniente Nehemia in Jeruſalem, ejuſque muros ædificare curante anno 20. Artaxerſis Longimani, ille cum Tobia contriſtari maxime cæpit, ut patet ex Lib. 2. Eſdræ cap. 2. v. 10 Annus autem viceſimus illius Principis incidit in annum Periodi noſtræ 5049. Alexander vero Tyrum obſedit anno ejuſdem Periodi 5162. Si ergo Sanaballeto concedamus ſaltem viginti ætatis annos, dum Nehemias muros Jeruſalem conſtruebat, compertum eſt quod eſſe debebat annorum 133. Sanaballat dum Alexander Tyrum evertit. Credibilius eſt ergo quod ſub Dario Notho circa annum quartum Pontificatus Jojadæ, dum ejus filius Manaſſes a Nehemia fugatus, ad Socerum ſuum Sanaballetum acceſſit, templum in Monte Garizzim condi cæperit circa annum videlicet periodi noſtræ 5085; unde annis 566. in Samaria cultus idolorum perſeveravit; atque propterea Joſephus anacroniſmum commiſit dum ab Alexandro Macedone factam fuiſſe Sanaballeto poteſtatem ædificandi templum, ſcripſit, cum eam a Dario Notho probabilius acceperit. (*W*)

Sanaballetum, qui permittente Dario, & poſtea Alexandro Magno, templum Hieroſolymitano ſimile ædificavit in monte Garizim, cujus Pontificem maximum conſtituit Manaſſen Generum ſuum: ad quem ſe ſe receperunt etiam plurimi nobiles Judæi, qui ſimiliter profanarum nuptiarum conſcii, ne quas duxerant alienigenas uxores repudiare cogerentur, a Judæis ad Samaritanos deflexerunt. Illuc pariter confugiebant vitæ ruendæ cauſa quotquot apud Judæos gravioris & capitalis criminis erant rei, ut declarat Joſephus [a] his verbis: *Si quis apud Jeroſolymitas, aut illiciti cibi ſumpti, aut violati Sabbati, aut ſimilis criminis reus ageretur, ad Sichimitas confugiebat, calumniam ſe paſſum dictitans.* In eo autem templo Garizim eodem ritu colebatur Deus, quo Hieroſolymis, ablegato prorſus omni idolorum cultu. Unde hujuſmodi templum, eaque Samaritanorum Religio, uſque ad Joannem Hircanum, ſtetit, nempe 200. annis poſt jacta fundamenta, ut ſcribit Joſephus. [b] At ille Judæorum Princeps & Summus Pontifex templum iſtud funditus delevit, urbemque Samariam poſt unius integri anni obſeſſionem & oppugnationem ſolo æquavit.

a *lib.* 11. *cap. ult.*

b *lib.* 13. *cap.* 17.

IV. Cum autem, ut Auctor eſt Joſephus, devicto Antonio, Auguſtus rerum potiretur, Samariam & aliquot urbes Herodis regno adjecit, qui illam Samaritanorum Metropolim, a fundamentis inſtauravit, & mutato nomine, *Sebaſten* appellari voluit. Licet autem in ejus meditullio templum magnificum ingenti ſumptu condidiſſet, Samaritani tamen juxta avorum Religionem & conſuetudinem, in monte Garizim Deo ſacrificia & preces obtulerunt, etiam uſque ad Chriſti D. tempora; ut conſtat ex ejus colloquio cum muliere Samaritana, dicente Joann. IV. 20. *Patres noſtri in monte hoc adoraverunt, & vos dicitis quia Hieroſolymis eſt locus ubi adorare oportet.* Ex hoc ſchiſmate ortum eſt capitale odium Judæos inter & Samaritanos; quanquam alias priores inimicitiarum cauſas referat Joſephus [c], ubi ſcribit; quod cum Eſdras & Nehemias, populuſque Judaicus ſoluta captivitate ex Cyri, & poſtea ex Darii decreto, in patriam reduces, templum & urbem cum muris ædificare, & regimen tam Politicum quam Eccleſiaſticum inſtaurare cœpiſſent, variis obſtaculis & inſidiis tentarunt Samaritani eos ab hujuſmodi opere avertere, imo manu facta aggreſſi ſunt eos expugnare: ſiquidem legimus in *Pirke-Avoth*, ſive *capita Patrum.* [d] „ Veniſſe Samaritarum centum „ & octoginta millia viros contra Eſdram, „ & Nehemiam ut impedirent eos in ædifi„ cando; unde excommunicationem ſole„ mnem contra ipſos Eſdras, Zorobabel, & „ alii fulminarunt; convocaruntque omnem „ congregationem in domum Domini, & ve„ nire fecerunt trecentos Sacerdotes & tre„ centos pueros: trecentæ autem tubæ & „ trecenti libri Legis erant in manibus eorum. „ Illi autem clangentes tubis, Levitæ vero „ canentes & pſallentes fugaverunt Cuthæos „ per ſecretum nominis expliciti, (id eſt, „ *Jehova*) & per Scripturam ſcriptam ſu„ per tabulas, & per anathema domus ju„ dicii ſuperioris, & per anathema domus „ judicii inferioris, ut nullus Iſraelita co„ mederet buccellam Cuthæi in æternum „. *Ab eo tempore pronuntiarunt, quicunque comederet carnem Cuthæi, ſicut qui comedit carnem porcinam, neque fiat Cuthæus Proſelytus; neque ſit illi pars in reſurrectione mortuorum ſicut dictum eſt? non nobis & vobis ædificatio domus Dei, neque in hoc ſæculo, neque in futuro, nec ei ſit pars & hereditas in Hieruſalem.* Quod anathema, ut notant Druſius [e] & Morinus [f], Judæis qui in Babylonia remanſerant, miſſum, ab illis non tantum approbatum, verum & ingeminatum & confirmatum, remiſſum eſt: hoc autem odium etiam ad Chriſti D. tempora perennavit, ut colligitur ex illo Samaritanæ effato Joann. IV. *Quomodo tu Judæus cum ſis, bibere a me poſcis, quæ ſum mulier Samaritana, non enim coutuntur Judæi Samaritanis.* In tantum autem odium iſtud efferbuit, ut quidquid Samaritanorum manu confectum eſt, illud profanum cenſeant Judæi. Quamobrem nec Legem, nec Thephilim deſcribunt in coriis & pergamenis ab eis præparatis. Cujus rei hanc rationem univerſalem profert Moſes Ægyptius [g] quod, *Quidquid neceſſe eſt fieri nomine ſuo, ſi illud faciat Cuthæus, profanum eſt.*

c *lib.* 11 *cap.* 4. & 11.

d *cap.* 38.

e *lib.* 3. *de tribus Sectis Judaor. cap.* 11.

f *Exercit.* 1. *cap.* 2.

g *Part.* 1. *lad Gazachad tract. de Tephilin ſect.* 1. *n.* 11.

Inde continua fuit Judæos inter & Samaritanos contentio, non ſclum inter eos, qui Palæſtinam incolebant; verum etiam & inter illos, quos Judæa & Samaria devicta, Ptolomæus in Ægyptum traduxerat, ut teſtatur Joſephus [h]: *Seditiones continuæ*, inquit, *fuerunt inter Judæorum Poſteros & Samaritanos inſtituta patria pervicaciter retinentes, pugnabantque inter ſe jugiter; dum Hieroſolymitani ſuum templum ſacroſanctum eſſe affirmant, & victimas non alio mittendas. Samaritæ contra in montem Garizim eas mitti debere contendunt.* Hæc autem contentio, regnante in Ægypto Ptolomæo Philometore, longius progreſſa eſt; Samaritani enim auſi ſunt contendere coram Rege, ex Lege Moſaica conſtare, Garizitanum templum Hieroſolymitano præferendum eſſe. Verum contrarium Judæis per continuas Pontificum ſucceſſiones Sacerdotii uſque ad ſua tempora, & ab omnibus Aſiæ Regibus, majeſtatem ejus loci honoratam donariis demonſtrantibus, cauſa cecíderunt Samaritani, ut refert Joſephus. [i]

h *lib.* 12. *cap.* 1.

i *lib.* 13. *cap.* 6.

V. Quamquam autem variis captivitatibus afflicti Samaritani, & varias in Mundi nationes diſperſi, pauciſſimi in patria ſtetiſſent, nihilominus ſucceſſu temporis, eorum creſcente numero, contra Romanos auſi ſunt rebellare; legimus enim in Chronico Alexandrino de Juſtula quodam Samaritano, qui aſſumpto Regis titulo, arma movit contra Zenonem Imperatorem, ſed ab ejus Ducibus devictus, capitali ſupplicio mulctatus eſt, Idem alii moliti ſunt ſub Juſtiniano; ſed ab eo ita fracti ſunt eorum temerarii conatus, ut plurimis interemptis, reliqui ſe Chriſtianos ſimularint, ut promeritas pœnas evaderent: unde pauciſſimæ eorum reliquiæ hodie

die ſuperſunt, & oppidatim in Samariæ regione habitant, ut notat Scaliger [a]: *Synagogas*, inquit, *habent Sichemi Hieroſolymis, Gazæ, Chayri, & Damaſci, ubi plures quam alibi reperiuntur; Colonias enim ex Samaria in Ægyptum traduxit Ptolomæus, quarum reliquiæ hodie Cairi, ubi & Synagogas habent. Ita ut tam gens, quam ipſorum Religio pene extincta eſſe videatur.*

[a] *lib. 7. de emendat. temp. notis ad annum Samarit.*

VI. Ex omnibus ſacris Scripturis Samaritani ſolum Pentateuchum admittunt. *Primo* quia Pentateuchus ſolus, Religionis Judaicæ ſummam complectitur, cujus cæteri libri ſunt appendices & explicationes. *Secundo*, Quia cum primum decem Tribus a Rege Juda defecerunt, etſi alii eſſent libri ſacri nulli adhuc extabant libri Prophetici, cumque Prophetæ omnes fere in Reges Iſrael, eorumque populum propter ipſorum ſchiſma & Idololatriam continuo inveherentur; mirum videri non debet, ſi eorum Scripturam & oracula non receperint, in quibus eorum aperte damnabatur inſtitutum, & vitiata Religio. *Denique* cum graviſſimæ inter eos & Judæos ſimultates & contentiones exarſerint iis temporibus, quibus Eſdras cum magnæ Synagogæ viris, non ſolum templum & civitatem Hieroſolymitanam, ſed etiam Scripturas in unum Codicem reſtitueret; nihil mirum, ſi illi horum anathemate percuſſi, & capitali odio in eos furentes Canonem ſacrum Scripturarum ab Eſdra & ſociis confectum rejecerint, & ſolius Pentateuchi, in quo non tantum divina Lex erat exarata, ſed & omnia præſcripta, quæ ad ſacrorum & civilium adminiſtrationem erant neceſſaria divinam auctoritatem agnoverint.

VII. His, majoris claritatis gratia, ita præmiſſis, jam incumbit probandum veteres literas Hebraicas, primum a Moſe excogitatas, eas eſſe quas nunc Samaritanas appellamus, quarum ſpecimen exhibemus: (23)

ALPHABETHA.

Samaritanum.	*Hebraïcum*	*Græcum.*	*Latinum.*
𐤀	א Aleph	Α, α. Alpha	a
𐤁	ב Beth	Β, β. Vita	b
𐤂	ג Gimel	Γ, γ. Gamma	g
𐤃	ד Daleth	Δ, δ. Delta	d
𐤄	ה He	Ε, ε. Epſilon	e
		ϛ. Epiſemon vau	
𐤅	ו Vau	Ζ, ζ. Zita	z
𐤆	ז Zain	Η, η. Ita	i
𐤇	ח Hheth	Θ, θ. Thita	th
𐤈	ט Teth	Ι, ι. Iota	i
𐤉	י Jod	Κ, κ. Kappa	k
𐤊	כ Caph	Λ, λ. Lambda	l
𐤋	ל Lamed	Μ, μ. My	m
𐤌	מ Mem	Ν, ν. Ny	n
𐤍	נ Nun	Ξ, ξ. Xi	x
𐤎	ס Samech	Ο, ο. Omicron	o
𐤏	ע Aain	Π, π. Pi	p
		Ϙ Epiſemon coppa	
		Ϡ Epiſemon ſanpi	
𐤐	פ Pe	Ρ, ρ. Rho	r
𐤑	צ Tſade	Σ, σ. Sigma	s
𐤒	ק Koph	Τ, τ. Tau	t
𐤓	ר Reſch	Υ, υ. Ypſilon	y
		Φ, φ. Phi	f
		Χ, χ. Chi	ch
𐤔	ש Schin	Ψ, ψ. Pſi	pſ
𐤕	ת Tau	Ω, ω. Omega	o

Eſdram autem illas Aſſyriis & Chaldaicis commutaſſe (ita quod character, qui jam communi appellatione dicitur Hebraicus, revera Chaldaicus ſit & Aſſyrius, &

(23) Moyſem eumdem ac Taautum plures cum exiſtiment Scriptores celeberrimi, Daniel Huetius in primis in ſua Demonſtratione Evang. Propoſit. 4. Cap. 3., Fraſſenius noſter, aliique plures; cumque Taautum

ab eo, quo primum uſus eſt Moſes, omnino diverſus) clariſſime docet S. Hieronymus [a]: *Samaritani*, inquit, *Pentateuchum Moſis totidem litteris ſcriptitant, figuris tantum & apicibus diſcrepantes. Certumque eſt Eſdram Scribam, Legiſque Doctorem, poſt captam Hieroſolymam, & inſtaurationem templi ſub Zorobabel, alias literas reperiſſe, quibus nunc utimur, cum ad illud uſque tempus, iidem Samaritanorum & Hebræorum characteres fuerint.* Unde idem ſanctus in Commentario capitis III. Epiſt. ad Galat. Poſt caſtigatam textus Hebraici ex Samaritanorum Codicibus corruptelam, illorum literas Judaicis antiquiores confidenter pronuntiat. Idem docet in Ezechiel cap. IX. Ubi affirmat in antiquis Hebræorum literis, quibus adhuc ſuo tempore utebantur Samaritani, extremam *Tau* literam crucis habere ſimilitudinem: *In antiquis*, inquit, *Hebræorum literis, quibus uſque hodie utuntur Samaritani, extrema Tau litera, crucis habet ſimilitudinem, quæ in Chriſtianorum frontibus pingitur, & frequenti manus inſcriptione ſignatur.* Quæ utique S. Hieronymi teſtimonia eo majoris eſſe debent auctoritatis, quod præceptores inter Judæos habuerit celebres, a quibus certo hoc reſcire potuit; & ipſe aliunde in Hebræorum ſcriptis erat omnium ſuo tempore peritiſſimus. Quod vero dicit Eſdram alias literas reperiſſe, non ſic eſt intelligendum, quaſi cenſeret, eum fuiſſe primarium inventorem alphabeti Hebraici, quo nunc utimur, ſed tantum quod illud Judæis, loco earum literarum, quibus utebantur antea tradiderit, & auctoritate ſua firmaverit. Idem pariter docet Beda, qui ob eruditionem & pietatem ſummam, *Venerabilis* nomine donatus eſt; ſcribit enim apud Hebræos nullam eſſe de hac re dubitationem, Eſdram literas leviores ſub nominibus earum, quas eatenus habuerant, excogitaſſe, priores Samaritanis reliquiſſe. Ei præiverat Euſebius [b]: *Fuit Eſdras eruditiſſimus Legis divinæ, & clarus omnium Judæorum Magiſter, qui de captivitate regreſſi fuerunt in Judæam, affirmaturque divinas Scripturas memoriter condidiſſe, & ut Samaritanis non miſcerentur, literas Judaicas commutaſſe.* Hic videmus Euſebium non tantum hanc literarum mutationem diſerte aſſerere, ſed etiam ejus cauſam afferre; ne ſcilicet Judæi cum Samaritanis miſcerentur.

[a] *Præf. in lib. Reg.*

[b] *in Chronic. ad ann. Mundi* 4740

VIII. Idem colligi poteſt ex antiquioribus SS. Patribus, qui diſerte affirmant Legem ab Eſdra, poſt ſolutam captivitatem Babylonicam fuiſſe reſtitutam, idque ex ipſa, ut credere par eſt, Apoſtolorum & Judæorum traditione; hoc ut namque certum, & apud omnes vulgatum tradunt. Licet enim de literarum mutatione nihil pronuntient, facile tamen conſequitur Eſdram elegiſſe eos characteres, quibus [c] Lege neglecta & corrupta Judæi jam aſſueverant. Prodit inprimis S. Irenæus ubi comparans miraculum conſenſus LXXII. Interpretum in edenda ſua verſione cum Eſdra Legem reſtaurante, ſcribit: *Non eſt mirabile Deum, hoc in eis operatum, quando in ea captivitate populi quæ facta eſt a Nabuchodonoſor, corruptis Scripturis, & poſt LXX. annos Judæis deſcendentibus in regionem ſuam, & poſt deinde temporibus Artaxerſis Perſarum Regis, inſpiravit Eſdræ Sacerdoti Tribus Levi, præteritorum Prophetarum omnes rememorare ſermones, & reſtituere populo eam Legem quæ data eſſet per Moſem.* Hoc ipſum confidentius confirmat Tertullianus [d], ubi agens de Scriptura Enochi, ſcribit: *Proinde potuit abolefactam eam violentia Cataclyſmi in ſpiritu rurſus reformare: quemadmodum & Hieroſolymis Babylonica expugnatione deletis, omne inſtrumentum Judaicæ literaturæ per Eſdram conſtat eſſe reſtauratum.*

[c] *lib. 3. cap. 25.*

[d] *cap. 3. lib. de habitu muliеb.*

IX. Conſimilis eſt quorumdam Judæorum de primigeniis literis ſuis ſententia, quam ſic explicat Talmud Hieroſolymitanum: *Aſſyriaca eſt & Scriptura, ſed non eſt: ei lingua*

Taautum literarum, ſeu charecterum inventorem Eupolemus, Arthapanus, Sanchuniato, Plato, aliique judicent, quicunque iſtorum adhærent auctoritatibus, Moyſem quoque primum literarum inventorem conſtituant neceſſe erit. Nos cum clariſſimo Huetio in Demonſtr. Evangel. Propoſit. 4. Cap. 13. §. 9. quiſnam hominum primus literarum inventor ſit habendus ignorari prorſus fatemur ingenue; hinc non longe a veri ſpecie aberrare arbitramur, qui poſt Gentium diviſionem in Babel, uſum literarum incepiſſe rentur, incultum quidem admodum in principio, ſed paulatim & temporis longitudine, & ingeniorum induſtria ad perfectionem evectum. Varii propterea Caracterum alphabeticorum inventores apud varias Nationes habiti fuiſſe creduntur: cum ille fortaſſis æſtimaretur inventor, qui vel in Patriam de longinquo literas tranſtuliſſet, vel qui nonnullas de novo excogitaſſet, vel qui tandem diverſa figura donaſſet eaſdem. Hæc ſiquidem in hypotheſi facillime, niſi decipimur, diverſæ ſcriptorum conciliantur de literarum inventore ſententiæ. Id unum tamen animadvertere ducimus neceſſarium, ex Calmeto in Diſſert. *de veterum literarum tranſmutatione*, priſcas ſcilicet Hebræorum literas, quæ eædem cum Samaritицis exiſtimantur, parum, aut nihil ab antiquis Phœnicibus, atque Ægyptiacis diſcrepaſſe, quarum poſtea ſexdecim in Græciam a Cadmo translatæ, paulatim ad aliam formam temporis tractu defecerunt, nonnullæque de novo eiſdem adiectæ fuerunt, ſicuti iſtæ quatuor Φ. Ξ. Ψ. Χ a Palmede, ut Plinius tradit, vel a Pherecide, ut Apulejo viſum fuit. Aliæ deinde quatuor Ψ, Z, H, Ω a Simonide Melico Græcorum alphabeto additæ ſunt. A Pelaſgis in Latium ſexdecim literas adlatas nonnulli opinantur, quanquam alii a Carmenta Evandri Matre id præſtitum arbitrentur; hinc Plinius eaſdem fuiſſe latinorum, atque Græcorum literas contendit, quamquam Tacitus a Chorinthio Damarato Hetruſcos in Italia, Aborigenes autem ab Evandro Arcade eis percepiſſe opinetur. Iſtorum ſententiam Ludovicus Bourguetus ſequutus, in ſua Diſſertat. *de Hetruſco Alphabeto* in opere, cui titulus italice = *Saggi di Diſſertazioni Accademiche lette nella nobile Accademia Etruſca dell' Antichiſſima Città di Cortona*, publici facto juris Romæ anno 1742. demonſtrat characteres Samaritanos, & Hebraicos, eoſdem in ſua origine extitiſſe, & ſola quadam accidentali mutatione inter ſe differre; Græcos autem Archadicos, Pelaſgos, & Hetruſcos Characteres ab illis duabus eſſe derivatos; Samariticis itaque illis characteribus Moſen uſum fuiſſe in ſuis libris conſcribendis probabiliſſimam eſſe videtur, quod & Huetius, & Calmetus citatis in locis, aliique tuentur. Quicunque tandem Characterum primi inventores fuerint ſive Phœnices, ſive Chaldæi; ex illis ad univerſas Mundi partes propagati videntur. (*W*)

gua: Hebraica eſt ei lingua, ſed non eſt ei Scriptura. Elegerunt illi Scripturam Aſſyriacam, & linguam Hebræam. Quare autem vocatur Aßyria? Quia character ejus excellens eſt, & ornatus. Dixit Rabbi Levi, eo quod aſcendit per manum eorum de Aſſyria. Docuit Rabbi Ioſe, dicens; dignus eſt Eſdras, per cujus manum daretur Lex, niſi præceſſiſſet eum ſæculum Moſis. Quanquam autem data non ſit Lex per manus ejus, tamen data eſt Scriptura, & lingua per manum ejus. R. Samuel Japhe ex ſententia ſua ſic breviſſime rem explicat: *Opinio mea eſt*, inquit, *quod mutata fuerit Scriptura in diebus Danielis, ex Scriptura Hebraica, in qua data eſt Lex, in Scripturam Aßyriacam; & ſcripta fuerit Lex Aſſyriace in diebus Eſdræ.* Sed maxime luculentum eſt teſtimonium Joſephi Albo [a], qui apud ſuos divinus audit Philoſophus: ille igitur lib. de Fundamentis fidei Judaicæ, ſic ſcribit: *Cum aſcenderent de Babylone, decreverunt conſtituere memoriale captivitatis ſecundæ: hoc autem fecerunt duobus modis: uno eum reliquerunt Scripturam Hebraicam, & elegerunt ſibi Scripturam Aſſyriacam in monimentum, quod in Aſſyriam portati ſunt & inde migraverant; & ſic dixerunt Magiſtri noſtri, quorum memoria eſt in benedictione, in additamentis ad tractatum Sanhedrin; Quare vocatur nomen ejus Aſſyria? quia aſcendit cum eis de Aſſur.* Addit aliud monumentum præteritæ captivitatis Babylonicæ, nempe mutationem nominum menſium; Eſdras enim indidit menſibus nomina Chaldaica, *Tiſri, Marcheſuan, Casleu* &c. Cum antea Judæi menſes ſuos nullo alio nomine vocarent, quam primi, ſecundi, tertii, &c. voluitque ut initium anni a *Tiſri* ſeu menſe ſeptimo duceretur, qui antea a *Niſan*, ſeu menſe primo incipiebat. Hæc ille fuſius.

[a] 2 parte 3. cap. 16.

X. Horum omnium Rabinorum agmen claudet R. Moſes Bar-Nachman, qui ſcribit ad calcem Commentarii ſui in Legem, quod cum eſſet *Accone*, quæ civitas eſt Palæſtinæ: *Invenit ibi in manu Seniorum terræ monetam argenteam ſignatam ſculptura ſigilli. Ex uno latere erat veluti figura virgæ amygdalinæ, & ex altero velut figura urnæ. In utroque autem latere ad marginem ſcriptura erat inſculpta admodum manifeſte, & oſtenderunt ſcripturam illam Cuthæis, qui ſtatim eam legerunt, quia ſcriptura erat Hebraica, quæ relicta erat Cuthæis, ſicut commemoratur in Sanhedrin. Legerunt autem ex uno latere,* SICLUS SICLORUM; *& ex altero,* HIERUSALEM SANCTAM; *dicebant quoque figuram eſſe virgæ Aaronis amygdalarum & florum ejus: figuram vero ſecundam eſſe urnæ, in qua erat manna.* Sic intelligitur Gloſſa Talmudica, quæ idem confirmat: *Scriptura Hebraica, vel quæ non mutat linguam, ſed characterem, ea eſt qua ſcribitur charactere eorum qui ſunt trans fluvium, & in tractatu Sanhedrin vocatur Scriptura Liponæa, donec ſcripſerit eum Aſſyriace, Scriptura Aſſyriaca Sciptura eſt noſtra.* Vides expoſitam eſſe a Samaritanis numiſmatis Iſraelitici veterem Scripturam, quam Judæi recentiores in lingua Hebraica, quæ nunc extat, periti, legere non potuerant: igitur ſignum eſt antiquam Scripturam Hebraicam apud ſolos Samaritanos illibatam perſeveraſſe. In his tamen Nachmanis verbis, forte Amanuenſium lapſu, *pro ſiclo Iſrael* irrepſit *ſiclus ſiclorum:* omnes enim veteres illi Sicli, referunt ex una parte ſignatum, *Siclus Iſrael*, ut notat R. Azarias in libro quem inſcripſit *Lumen oculorum*, ubi referens præfata Nachmanis verba, ſtatim ſubdit: *Sed certe ego, ſit benedictus Deus, vidi unum ſiclum ex ſupra dictis: oſtendam tibi id, quod R. Moſes Elſceher in ſuis reſponſis ſcripſit; Scito quod pervenerunt ad manus meas quædam monetæ ex multis generibus diverſæ in pondere ſicli, & ſemiſicli: & in nonnullis earum ſcriptum eſt, anno tali conſolationis Iſrael, & in aliis anno tali Regis talis: & in quibuſdam vidi formam palmæ faſciculi & cedri: & dixit mihi quidam Hebræus in illa ſcriptura peritus, quod in uno latere erat ſcriptum literis Hebræis antiquis, opinor quod ſint inſculptæ tempore ſervitutis.*

Teſtatur etiam Poſtellus [b], Judæos aſſerere adhuc Hieroſolymis in maceriis & profundis ruderious hujuſmodi ſiclos ab effoſſoribus reperiri cum eadem inſcriptione, *Hieruſalem ſancta* ex una parte, ex altera vero *ſiclus Iſraelis*. Unde colligit Arias Montanus ejuſmodi ſiclos cuſos fuiſſe ante defectionem decem Tribuum, nec non ante earum captivitatem, cum videlicet omnes Tribus nomen Iſraelis obtinebant, omnibuſque regia & ſancta erat Hieroſolyma civitas. Quod utique ante eam defectionem vigebat: poſtea enim a Tribu Juda, quæ principatus erat eorum, qui ei adnæſerunt, Judæi fuerunt appellati. (24)

[b] *lib de duodecim linguis.*

Ut

(24) Recentior Monetæ ſignatæ uſus equidem eſt quam ab aliquibus judicetur; quamquam apud Nationes quaslibet contractuum praxis per rerum commutationes ab antiquis uſque temporibus haberetur, ſicuti & ponderis certa quantitas in auro, aliiſque metallis, veluti menſura pretii rerum inter gentes, & populos ſtatuta eſſet. Verum ſi de Monetæ ſignatæ vetuſtate loquamur, eæ ante Darium Hiſtaſpem Perſis haudquaquam innotuere, ſi vera ſcribit Herodotus lib. 3. Cap. 89. Romani etiam fruſtulis æris rudibus, & infectis ante Servium Regem utebantur, qui primus inter eos, nummos pecude inſculpſit, & bove, ut tradit Plinius lib. 8. Cap. 3. quamquam alibi Populum Romanum argento ſignato ante Pyrrum Regem devictum, fuiſſe uſum denegare non timeat. Nummi a Dario Hiſtaſpe cuſi, in Græcia poſt illius Regnum frequentes eſſe cæperunt, iique Darici appellabantur. Pro tempore Ezechielis commercia, & divitias Tyriorum deſcribentis nec levem habemus in Divina ſcriptura Monetæ ſignatæ mentionem. Quod autem legimus Geneſis 23. v. 17. Siclos quadringentos probatæ Monetæ publicæ ab Abrahamo fuiſſe ſolutos pro Saræ Sepulcro; hoc, id unum oſtendit, ſcilicet tantum argenti ab Abrahamo traditum fuiſſe Ephroni, quod ponderi quadringentorum Siclorum æquivaleret, vel quod pro Saræ ſepulcro ducentas Argenti uncias exſolverit, cum ſiclus ſit Semiunciæ pondus; per *publicam monetam* vero, ejus generis intelligitur argentum, quod a Mercatoribus in mercium pretium recipiebatur, argentum videlicet igne purgatum, atque perfectum; vel tandem ſi velis ſiclos numero quadringentos, quorum valor ex pondere, non ex ſignatura deſumeretur, Abrahamum exſolviſſe non inficiamur. Duo ſupereſſe videntur pro Monetæ ſignatæ vetuſtate in ſacris literis teſtimonia; alterum Geneſ. 33. v. 19. expreſſum eſt, ubi legimus juxta vulgatam Jacob, centum agnis emiſſe partem agri;

Ut omnia hæc argumenta convellant recentiores Judæi, iniquiſſime ferentes gloriam literarum primigeniarum, quibus Lex a Moſe ſcripta fuit, apud Samaritanos, ſuos juratos hoſtes, perſeveraſſe; plura comminiſcuntur. Sunt enim eorum aliqui, qui id pertinaciſſime negent; freti, ut exiſtimant, auctoritate Philonis, qui [a] ait: illam ipſam linguam & characterem, quibus antiquitus exarata fuit Lex, abſque ulla mutatione perſeveraſſe uſque ad Ptolemæum Philadelphum. *Verum* hoc momentum facile eliditur; ſolum enim ſcribit Philo, *Legem nuſquam fuiſſe mutatam*, nempe quantum ad linguam; ita quod uſque ad Ptolomæi Philadelphi tempora, non alia quam Hebraica lingua Lex fuerit conſcripta. Quantum vero ad characterem, quo illa ſcribi ſoleat, nihil quidquam affirmat; nec enim characteris vocabulum appoſuit,

[a] *lib. de vita Moſis.*

XI. Reponunt alii, duplicem characterem apud antiquos Iſraelitas fuiſſe in uſu, ſanctum unum, profanum alterum: ſanctum characterem illum eſſe, quo nunc ipſi Judæi utuntur, profanum vero quo Samaritani. De ſancto charactere rurſus diverſa ſentiunt; exiſtimant enim aliqui illo tantum fuiſſe exaratas duas tabulas, librumque Legis, qui juxta arcam conſervabatur; cæteros vero Legis libros, illum etiam ipſum, quem Rex poſt ſuam inaugurationem ſcribere tenebatur, profano, hoc eſt, Samaritano, fuiſſe deſcriptos, ac proinde populo prorſus incognitum fuiſſe ſanctum characterem. Alii vero ſancto charactere libros omnes Legis ac Prophetarum ſcriptos fuiſſe affirmant; profano autem cætera omnia, quæ vel ad Regem, vel ad Principes & plebem pertinebant. Interim conveniunt omnes Legem charactere

Aſſy-

agri; quæ verba a S. Stephano Actorum 7. v. 16. vertuntur, quod Jacob emerit pretio argenti, ajunt quippe Agnam ſpeciem fuiſſe Monetæ, eo nomine appellatæ, eo quod agna ſculpta in ea eſſet. Jobi ultimo v. 11. ubi noſter legit ſingulos Jobi cognatos ei dediſſe *ovem unam*; alii vertunt *nummum unum*, qui ſcilicet ovem pro inſigne ſculptum habebat. His haud modice conducibilis exiſtimanda videtur conjectura clariſſimi, & eruditiſſimi viri Joannis Rinaldi Carli-Rubbi in celebri ſuo opere *de Monetis, & Officinis Monetariis* Italiæ Tom 1. pag. 6. edit. Mantuæ 1734. ex verbis Homeri lib. 6. Iliadum deſumpta; Hæc itaque ſcribit Poeta =

ἐνθ' αὖτε γλαύκῳ κρονίδης Φρένας ἐξέλετο ζεύς
ὃς πρὸς τυδείδην διομήδεα τεύχε' ἄμειβεν
χρύσεα χαλκείων, ἑκατόμβοι ἐννεαβοίων

Ea autem verba ita a Laurentio Valla interpretantur = Dehinc inter ſe arma permutant. Glaucus aurea, quæ centum bobus (Juppiter enim homini mentem eripuit) Diomedes ferrea, quæ novem bobus taxabantur = Andreas autem Juſtinopolitanus Homeri verſus hoc modo ad literam vertit. =.

„ *Tunc Glauco Saturnides mentes abſtulit Juppiter;*
„ *Qui ad Tydidem Diomedem arma mutavit*
„ *Aurea æreis centum Ducatorum, novem Ducatorum* =.

Conjicit Eques Joannes Rinaldus in laudato loco, non adeo boum refertam fuiſſe Græcorum Regionem, ut centum ἑκατόμβοι ſingulorum aureorum ἑκατόμβοι boves; pro ærea autem armatura novem ſolverentur; hinc credibile putat quod nomine boum, nummi aliqui bove inſculpti debeant intelligi, eoquod Plutarchus in vita Poplicolæ tradat bovem ſtetiſſe centum obulis, ovem autem decem obulis. Heſichius etiam, Athenienſium nummos bove fuiſſe inſignitos tradit his verbis = Ἀθήναιον νόμισμα ἔχον βοῦν = Saltem igitur Homeri ætate, qui ad ſummum 302. annis Trojano excidio fuit poſterior, nummi ſignati habebantur. Verum & iſta non ſatis exiſtentiam Monetæ ſignatæ pro eo temporis oſtendere videntur. Sancti etenim Stephani verba de emptione Abrahami, non Jacobi, utique facta ſunt, quæ ſiquidem per ſiclos argenteos completa dicitur Geneſ. 23. v. 16. Antilogia autem propter Patriarcharum ſepulcra in Siche poſita, in divinum textum intruſa, niſi ad Jacobi emptionem laudata Sancti Stephani verba referantur, optime conciliatur ab Interpretibus, & expoſitoribus Divinæ Scripturæ. Quod autem nonnulli legant in Cap. ultimo Job *Nummum unum* pro *ovem unam* ſatis non probat ea ætate nummos ſignatos extitiſſe, cum revera legendum ſit *ovem unam*, ut legunt vulgatus Interpres, Paraphraſis Chaldaica, Septuaginta, Pagninus, aliique plures, idque naturalis ſermo demonſtrat; cum enim referatur Dei benedictio in Jobi ſubſtantiam effuſa, atque ejus divitiæ multiplicatæ magis quam in principio, narrantur ei fuiſſe quatordecim millia ovium, ſex millia Camelorum, & mille juga Boum, & mille Aſinæ; cum in principio, quemadmodum Cap 1. Jobi v. 3. narratur, ejus ſubſtantia fuerint ſeptem millia ovium, tria millia Camelorum &c. Si ergo ſeptem millia ovium Cap. 1. Jobi commemorata de veris ovibus, non de nummis intelliguntur; etiam veræ oves intelligendæ veniunt Cap. ultimo. His ergo præhabitis eorum veroſimilior videtur ſententia, qui ajunt apud Judæos primo invaluiſſe monetæ ſignatæ uſum ſub Simone Macchabæo, cui facultatem cudendi nummos factam legimus Macchabæorum 1. Cap. 15; ſuos autem nummos Samaritanis characteribus inſculptos voluiſſe Simonem tradit Calmetus in Diſſert. *de moneta ſignata vetuſtatate* cujus quidem Auctoris opinioni merito fortaſſis illudit Vir Doctiſſimus Dominicus Diodati in ſua exercitatione anno ſuperiore edita *De Chriſto græce loquente* pag. 91: hinc eruditi conveniunt nullum extare numiſma hebraicum, quod Simonis illius ætatem præcedat. Suppoſititii inſuper numini habentur, quotquot etiam Chaldæo, vel recentiori Hebraico charactere inſcripti, tanquam vetuſtatis Hebraicæ monumenta venditantur. Quæ autem nobis a nobiliſſimo Æquite proponitur conjectura ex lib. 6. Iliadum deducta, non parum ex iis, quæ ipſemet Homerus in fine lib. 7. earundem Iliadum tradit, infirma reddi videtur; en itaque Homeri verba loco citato.

„ ἔνθεν ἀρ' ἐνίζοντο κομόωντες ἀχαιοὶ
„ ἄλλοι μὲν χαλκῷ ἄλλοι δ' αἰθωνι σιδήρῳ
„ ἄλλοι δὲ ῥινοῖς ἄλλοι δ' αὐτοῖσι βόεσσιν
„ ἄλλοι δ' ἀνδραπόδοισι τίθεντο δὲ δαῖτα δαλῖαν

Illa Homeri verba hoc pacto a Valla vertuntur =
„ Hinc itaque Greci pro ſe quiſque vinum mercabantur rerum permutatione, alii ære, alii ferro, „ hi coriis, illi bobus, nonnulli captivis rebus cum „ vino commutandis = Magis literam ſequutus Andreas Juſtinopolitanus ita latine reddit Homeri verba = Hinc vinum emebant comati Achivi,

„ *Alli quidem ære, alii autem ardenti (fulgido)*
„ *ferro,*
„ *Alii autem pellibus, alii autem ipſis bobus,*
„ *Alii autem captivis rebus: poſuerunt autem con-*
„ *vivium abundans.*

Hæc de Græcis narrat Homerus, dum præ Trojæ mœnibus in obſidione commorabantur, ac ad eoſdem vinum ex Lemno pervenit; credibile ne eſt quod Milites hujuſmodi commutationes efficerent, ſi inter eos Monetarum uſus invaluiſſet? Sub Polydoro Rege pariter, referente Calmeto in prælaudata Diſſertatione, annis nempe 1030. poſt Lycurgum viduæ ejuſdem Regis in pretium venditæ regiæ Domus, opimus boum grex perſolutus eſt, quæ ſiquidem omnia fundamentum conjiciendi ſuppeditant ejus non eſſe antiquitatis uſum monetæ ſignatæ, ut ætatem Homeri adeo ſuperet, quod ad excidium Trojanum pertingat. (*W*)

Aſſyrio e monte Sinai latam fuiſſe. Qua ratione vero hæc Scriptura dicta ſit Aſſyriaca, aperit Moſes Maimonides [a]: *Scriptura autem iſta*, inquit, *qua nos hodie ſcribimus Legem, eſt Scriptura* אשורי Aſchuri *dicta. Scriptura autem, qua Deus Legem ſcripſit, vocatur* Aſchuri, *propter magnificentiam & decorem, ex ſignificatione illa verbi* Aſchri, *qua legimus,* באשרי Beoaſchri, *Beatam me! quia* אשרוני Iſcheruni, *Beatam dicent me filio* Geneſ. xxx. 13. *Et hoc eſt quod Rabbini noſtri dicunt:* Aſchuri *dicitur, quia eſt Scriptura omnium beatiſſima.* Ex quibus apparet Scripturam Hebræam hodiernam dici Aſſyriacam, non proprie, ſed appellatione a verbo אשר *Iſcher*, vel *Aſchar*, quod ſignificat *beatum reddere*: ac proinde Scriptura hæc in eorum mente dicitur *beata*, quod putent in ea ſcriptam fuiſſe Legem a Deo; vel quod ſit omnium ornatiſſima ac decentiſſima.

[a] *in Comment. ſuper Libr. Miſch. nojot tract. Iadarim cap. ult.*

Reni paulo aliter explicat R. Jacob [b], & Samuel Japhe his verbis: *Propter ſanctitatem & perfectionem Scripturæ illius*, inquit, *in illis diebus non ſcribebant eam, etiam in libris, quos ſcribebat Rex, aut unuſquiſque pro ſeipſo; ſed ſcribebant eos charactere Hebraico. Quia autem abſconſa erat Arca, & obliti ſunt literarum* ג.ד.ק.ל.ט. *quæ duplici figura ſcribuntur, dum migrarunt in Aſſyriam; Aßyrii vero cognoſcentes characterem iſtum, acceperunt eum ſibi, vel eo quod antea apud eos eßet; innotuerat enim illis ex Libro ſacro præter ſcripturam ſuam; vel quod illorum fuerat, illius concupiverunt. Filii autem Iſrael aßueverant ei ſimul cum eis ab illo tempore & deinceps.* Et *hoc eſt, propter quod dicitur* (nempe in Talmud) *aſcendiſſe cum illis de Aßyria: ſed in diebus Eſdræ datum eſt illis ſcribere librum Legis, & reliqua ſcripta charactere Aßyrio.*

[b] *in lib. Meor. Enaim.*

Verum quæ ipſi comminiſcuntur de duplici illo charactere, figmenta prorſus ſunt, & gratiſſime pronuntiata, hujus namque duplicis ſcriptionis ſacræ & profanæ, ne leve quidem apud veteres Judæos veſtigium extat. Fateor equidem apud Gentes idololatras fuiſſe literas, quas dicebant ſacras (verius dixiſſent profanas & ſacrilegas) quibus myſteria ſua horrenda & turpia in antris ac delubris occultabant, ut ignara plebecula, quæ non intelligebat, veneraretur. Tales fuiſſe apud Ægyptios teſtatur Theodorus [c]: fuerunt etiam apud Æthiopes literæ Regiæ præter vulgares, quibus ſolis principibus, in ſuis edictis & ſancitis uti licitum erat, ut ſcribit Heliodorus [d]. At in hoc differt vera religio a falſa Gentilium ſuperſtitione, quod myſteria ſua non occultet, ſed ea potius propalanda exponat, ut omnes ea cognoſcant, & credentes ſalvi fiant. Unde Deus Legem ſuam populo ſuo propoſuit, ut eam omnes legerent, & populos docerent. Quamobrem per Prophetas conqueritur & expoſtulat de eorum negligentia in evolvendis ſacris libris & divina Lege meditanda. Quod utique non feciſſet, ſi charactere aliquo ignoto, & qui omnibus non eſſet pervius, Lex fuiſſet exarata.

[c] *lib. 3.*

[d] *lib. 4.*

Si vero quis dixerit characterem hunc equidem populo non fuiſſe ignotum, licet in libris ſacris ſolis, ejus uſus haberetur. Urgeo, cur Samaritani characterem hunc in ſuo Pentateucho deſcribendo non uſurparunt? a quibuſcunque enim Samaritani Codices ſuos habuerint, nemo ſanæ mentis credet ipſos, poſtpoſito charactere ſacro, profanum uſurpaſſe, ut ſuos Codices conficerent. His accedit, quod altum de utraque hac ſcriptione apud Joſephum & Philonem ſilentium, omnino dubiam eam ſententiam efficiat, nec enim illi rerum Judaicarum indagatores vigilantiſſimi hanc ſuæ Gentis in conſcribendis ſacris ſuis Codicibus pietatem ac Religionem prætermiſiſſent.

XII. Quæ autem hujus mutationis cauſa fuerit & occaſio, non ita conveniunt: Sunt enim *Primo* qui id factum exiſtimant ob reverentiam Angeli, quem Aſſyriis literis, cenſent ſcripſiſſ. ſententiam in Regem Babylonis, his verbis: MANE TEKEL PHARES, ita præ cæteris Auctor libri inſcripti: *Speciosum Speculum*, qui eſt Commentarius in præcipuas Talmudis Hieroſolymitani ſententias, ubi poſt longam de hac re diſſertationem ſe ſe colligit his verbis: *Scriptura iſta innovata eſt nobis per manus Angeli in diebus Balthazaris; poſtquam autem cognoverunt eam Daniel & Eſdras, ab iis didicerunt eam Aßyrii, ut dicit Auctor libri dicti* OCULUS JACOBI, *& hoc neceſſe eſt; quanquam enim vocetur Scriptura iſta* CHALDÆA, *ut dictum eſt ex verbis Salomonis Iarki ſupra citatis, & libro cui titulus eſt,* ADITUS AD SCIENTIAM, *& Scriptura exemplaris ſcripti Chaldaice, & tranſlati Chaldaice. Tamen fieri non poteſt, ut fuerit eorum Scriptura ab initio; nam ſi ita eſt, quomodo non potuerunt Chaldæi legere Scripturam Angeli, quæ erat ſimilis Scripturæ & linguæ ſuæ? Profecto non cognoverunt eam niſi poſtquam novata eſt per Angelum: & quia poſtea illi ſe ſe aßuefecerunt Chaldæi vocata eſt* CHALDÆA. *Hoc etiam quod dictum eſt, quod aſcendit cum iis ex Aſſur, non eſt quod Iſrael didicerit linguam ab Aßyriis, ſed quod nova data eſt Iſraeli ab Angelo in Babylonica, & aßuefacti ſunt illi, cum eßent in Perſide, quæ vocatur Aſſyria, ut reperire eſt in libro Eſdræ, qui vocat Darium Aßyriæ Regem. Nulla autem eſt difficultas, quod tabulæ datæ non ſint in ſancta iſta Scriptura; hoc enim reſervatum erat Eſdræ, ut magnificaretur, in eo quod Scriptura per manum ejus mutata eſt, cum dignus haberetur, per cujus manus Lex ipſa daretur.* Hæc ille. Qui conſentit equidem mutatam eſſe Scripturam Legis, ſed exiſtimat characterem, quo nunc utuntur Judæi, neque Moſaicum eſſe, neque etiam Aſſyrium, quod ante captivitatem Aſſyriis familiaris eſſet. Verum ab Angelo primo tunc datum Judæis, dum in pariete coram Balthazaro Rege ſcripſit: MANE TEKEL PHARES, hunc que characterem tunc Judæos didiciſſe: unde Eſdras relicto Samaritanis antiquo charactere, in eo, utpote Judæis poſtmodum familiari Legem deſcripſit.

Ali-

Aliqui eorum conſentiunt, mutatam quidem fuiſſe illam Scripturam Judaicam, occaſione ſcriptionis Angelicæ; nihilominus volunt Angelicam illam ſcriptionem exaratam fuiſſe charactere Aſſyrio ſeu Chaldaico; ſic Samuel Japhe: *Non eſt probabile*, inquit, *quod per Eſdram mutatio facta fuerit, niſi Scripturæ; etſi enim Scriptura Angeli fuerit Chaldaica, ideſt, Aſſyriaca, & lingua Chaldaica; nihilominus cum deſcripſit Eſdras Legem, non mutavit exemplar Moſis, ſed tantum Scripturam, quæ innovata fuerat in diebus Danielis, &c.*

Verum hæc exiſtimatio minus congrua videtur, neque enim Angelus cenſendus eſt docuiſſe novum Alphabetum, cum tantum paucas literas ſcripſerit. Unde etiam adverſus eam reclamant alii Rabbini exiſtimantes ſententiam illam Angelica manu exaratam fuiſſe charactere Hebraico, non autem Aſſyrio; quippe Aſſyrias ſeu Chaldæas literas Chaldæi Sapientes, quos vocavit Rex ut Scripturam legerent & explanarent, haud dubie intellexiſſent; quam tamen nullus ex Aſſyriis legere & intelligere potuit. Probabilius itaque cenſerem Samaritanis characteribus Angelum exaraſſe in pariete verba illa, quibus divina in Balthazarem Babylonium Regem ſententia lata eſt: unde ſignanter Rex ille Judæorum Sapientes advocans, maxime Danielem, qui Scripturam legerent, & explicarent, dixit: *Tu es Daniel de filiis captivitatis Judæ, quem adduxit Rex pater meus de Judæa.* Illi ſiquidem qui ex Judæa venerant, aut paulo poſt nati, eas literas Hebraicas priſcas, nunc Samaritanas, ſcire & legere poterant: ſecus de iis qui cum poſt diuturnam captivitatem Babylonicam nati fuiſſent ex Judæis inter Chaldæos degentibus, Judaicis literis commodam operam dare non poſſent. Unde licet priſcarum Hebraicarum notitia, apud Sacerdotes & Sapientes videatur perſeveraſſe, qui proinde Scripturam Angelicam legere poterant; ſolus tamen Daniel divino afflatus ſpiritu, Scripturæ interpretationem & myſterium noſſe poterat & explicare.

Quare alii Rabbini hujuſmodi Scripturæ permutationis, aliam cauſam & occaſionem venantur: aliqui enim exiſtimant, id factum fuiſſe ob pulchritudinem characterum Aſſyriorum, quos putant Aſſyrios idcirco vocatos, non quod ab *Aſſur* ducant originem: ſed quia præ cæteris pulchri erant & elegantes. Sic R. Obadias a Bertenora [a]: *Scriptura autem*, inquit, *qua nos ſcribimus hodie libros, Scriptura Aſſyria vocatur; eſtque Scriptura tabularum; vocatur autem* ASSYRIA, *quod fœlix ſit & pulchra, eadem ſignificatione qua dicitur*, Geneſ. XXX. cap. PROPTER BEATITATEM MEAM BEATAM ME DICENT FILIÆ. Idem habet *R.* Jacob in libro qui inſcribitur *Oculus Jacobi*, nec-non & Moſes Ægyptius in Commentario Miſchnæ, ubi ait: *Dicta eſt Aſſyria, quod beata eſt charactere ſuo.* Unde Samuel Japhe ſcribit: *Videtur mihi quod interpretatio dicti iſtius (Aſſyriis Scripturam eſſe pretioſam & decentem, ſed non eſſe illis linguam decentem) ſic ſit, quod lingua illorum eſt Chaldaica; Hebraica vero intelligitur de iis qui ſunt ultra fluvium. Eſt autem illis lingua decens: quia ſancta eſt: ſed non eſt illis Scriptura, verum imminuta & vilis, qua utuntur Cuthæi*, Samaritanarum enim ſeu Cuthæarum literarum effigies rudior & minus elegans apparet.

[a] *Comment. in librum Miſchnaiot.*

Specioſæ autem iſtius formæ & Scripturæ illius Aſſyriæ, has tradit cauſas idem R. Jacob; *Eo quod*, inquit, *mutata non eſt, & nunquam incidit in eam ſimilitudo, quoniam literæ ejus non ſunt invicem ſibi ſimiles, neque adhæret litera literæ in ordine Scripturæ ſuæ, & ideo nulla eſt huic ſimilis in cæteris Scripturis.* Verum nullus quantumvis oculatus eſt, qui plures ex Hebræis, nunc vulgaribus literis, magis invicem ſimiles non deprehendat, quam in quovis alio idiomate; ut cuivis in Hebraico Alphabeto tantillum erudito pervium eſſe poteſt. Inſuper quæcunque Judæus ille ait de literis ſuis, ea multo magis Europæorum omnium literis convenire, quam Judaicis, (ſi Germanicas literas excipias:) noſtræ namque uſuales literæ, longe aſpectu delectabiliores ſunt quam Judaicæ. Unde malunt alii doctiores Rabbini, aſſerere Eſdram idcirco retinuiſſe characterem Aſſyrium, ut conſervaret memoriam priſcæ captivitatis & libertatis, divino beneficio Judæis aſſertæ, ut ſupra referebat Joſephus Albo.

Itaque veroſimilior ſententia eorum eſt, qui exiſtimant, quod cum antiquum ſcribendi genus, poſt diuturnam captivitatem omnino fuiſſet oblivioni traditum; idcirco neceſſum fuit Eſdræ Aſſyriorum charactere, Judæis tunc familiari, deperditos ſacræ Scripturæ libros reſtituere. Euſebius autem [b], hanc illius literarum mutationis refert cauſam; *Fuit*, inquit, *Eſdras eruditiſſimus Legis divinæ & eorum omnium Judæorum Magiſter, qui de captivitate regreſſi fuerant in Judæam; affirmaturque divinas Scripturas memor condidiſſe: ut autem Samaritanis nunquam commiſcerentur, Literas Judaicas commutaſſe.* Quas utique duas poſteriores cauſas, longe cæteris probabiliores exiſtimo, immutatam videlicet Scripturam ab Eſdra, tum ob divortium Judæorum a Samaritanis, tum ob deſuetudinem atque maximam & craſſiſſimam ignorantiam antiqui characteris, maxime apud Judæorum vulgus, cui jam Aſſyrius character familiaris erat.

[b] *in Chronico.*

XIII. His opponunt Adverſarii I. non eſſe veroſimile Eſdram virum religioſiſſimum propria auctoritate auſum fuiſſe immutare Scripturam Legis, Dei digito conſignatam. Reſpondet Rupertus [c], *Nil mirum ſi elementorum figuras, quas ipſe Deus tradiderat, per Prophetam Eſdram immutari voluerit . . , Cum ipſas quoque tabulas, in quibus Scripturæ Dei literæ inſculptæ fuerant, (quas nimirum non Moſes præcidit, ſed Moſi ipſe dedit) frangi placuerit, & alias Moſes ipſe fecerit, quamvis nec in illis ſcripſerit, dicente Domino ad eum: Præcide tibi duas tabulas lapideas, inſtar priorum, & ſcribam ſuper eas verba quæ habuerint tabulæ quas fregiſti.*

[c] *lib. 3. de Victoria Verbi Dei cap. 24.*

Qui-

Quibus ſubjungit Rupertus: *Non ergo mirum ſi in reſtauratione civitatis vel templi, literas quas digitus Dei ſcripſit, per hominem immutari placuit, cum in conſtructione Tabernaculi quandoque deſtruendi, tabulas, quas ipſe Deus præparaverat, homo* (Moſes) *fregerit, & alias juſſu Dei præciderit: Potuit, in utroque ſcilicet, & in alteratione tabularum, & in demutatione literarum ejuſdem rei eſſe portentum; quia videlicet futurum erat, ut omnia quæ tunc inſtituit Deus, nondum homo factus, pertranſirent.* Ex his omnibus liquido conſtat, linguam primigeniam, qua a Moſe exarati fuerant libri ſacri, eſſe quidem Hebraicam; characteres vero Samaritanos, qui apud ejuſmodi populos invariati perſeverarunt.

At inquiunt, II. quis perſuaſum habebit, Samaritanos ex Aſſyriis & Gentibus originem ducentes, majori ſtudio & obſervantia ſervare potuiſſe veterem Iſraelitarum Scripturæ characterem, quod ipſoſmet Iſraelitas, qui ejuſmodi literis aſſueti, eas a parentibus exceperant.

XIV. *Reſpondeo* Iſtud facile in animum inducere eum qui revocaverit quæ initio capitis obſervavimus; nempe multos veterum incolarum cum Cuthæis permixtos, & in proprio ſolo a Salmanazaro relictos fuiſſe, quos probabile eſt Legis Moſaicæ Codicem, quo antea utebantur, retinuiſſe, vel ex Sacerdotibus Tribus Judæ comparaſſe. *Inſuper* Sacerdos ille, a Salmanazaro ad eos Samaritanos recens traductos delegatus, ut veri Dei cultum eos doceret, quatenus a Leonum infeſtatione liberarentur; haud-dubie hunc Dei cultum ex Lege Moſis, & juxta præſcriptas in ea cæremonias, eos docuit; ac ſubinde oportuit eum habere Codicem Legis iiſdem literis exaratum, quibus, tam decem Tribus illæ Iſraeliticæ ante ſuam captivitatem, quam Tribus Juda uſæ fuerant. Unde ipſi Samaritani, cum ſe Eſdræ & ſociis ad Templi ædificationem comites vellent adjungere, dixerunt ſe quærere Deum illorum, cui ſacrificarant a diebus *Aſſar-haddon* Regis Aſſyriæ, qui ipſos iſtuc tranſtulit. Potuit ergo ille Sacerdos; imo & debuit traductos illos Aſſyrios, non ſolum verum Dei cultum, juxta Legem Moſaicam, ſed etiam ex legitimo & probato Codice ſacro, uſitatum characterem Hebraicum eos docere.

Idipſum confirmat R. Joſeph, qui in capitibus Eliezeris, [a] ait, quod audito de leonibus incolas Samaritanos miſere vaſtantibus rumore, Salmanazar convocavit ſeniores captivitatis Samaritanæ, ut reſciret ab eis, qua ratione tantæ calamitati poſſet occurrere. Illi autem ſperantes Regem eos in patriam remiſſurum, dixerunt, *Domine Rex noſter, terra iſta non recipit Gentem incircumciſam, Reſpondit eis: Date duos de vobis, eantque & circumcidant eos, & doceant populum Leges: verba autem Regis nihil erat reſpondendum: miſerunt igitur R. Doſithæum, & R. Zachariam, qui flentes circumciderunt eos, & docuerunt eos librum Legis cum Scriptura Ænigmatica & compendiaria.* Ubi videos eos traductos Aſſyrios in Samariam didiciſſe non ſolum Legem, ſed etiam Scripturam, eam videlicet, qua Lex exarata fuerat, & quæ tunc apud Judæos & Iſraelitas adhuc erat vernacula; quæ utique Scriptura, idcirco a Rabbinis Ænigmatica & compendiaria dicitur, quod Judæis poſt ſolutam captivitatem Babylonicam, inſtar ænigmatis, fuerit ignota, & ratione ſuæ tenuitatis videatur compendiaria, comparative ſcilicet ad characterem Hebraicum, qui amplior & craſſior eſt.

[a] *Sect.* 38.

Conficitur tota hæc reſponſio hoc argumento: Sacerdos ille, qui ad Samaritanos in Lege veri Dei erudiendos miſſus fuit, Legem proculdubio eos docuit, non aliis characteribus deſcriptam, quam quibus Iſraelitæ a Moſe ad illam uſque diem uſi fuerunt: acceperunt autem ab ipſo Legem, non literis Hebraicis hodiernis, ſed Samaritanis dictis ſcriptam. Ergo illæ ſunt veræ literæ, a Moſe ad illam uſque diem inter Iſraelitas uſitatæ.

Argumentantur III. ex hoc II. Matth. v. 18. *Jota unum aut unus apex non præteribit a Lege, &c.* Quibus verbis Chriſtus Dominus ſignificat, non ſolum nulla præcepta, neque ſententias Legis majores integras ſolutum iri, antequam impleantur: ſed ne minimam quidem literam, qualis eſt litera *Jod*, prætermittendam. Itaque cenſet adorandus Salvator, Legem eo charactere primitus expreſſam, in quo litera *Jod* eſt minima. At in Alphabeto Samaritano hæc litera ſpatioſa eſt, varioque ac multiplici ductu compoſita. Igitur non in hodierno characterе Samaritano Legem primitus exaratam fuiſſe Chriſtus cenſuit.

At quis non animadvertat quam elumbe ſit hoc argumentum; loquebatur enim Chriſtus Dominus de eo charactere, quo ætate ſua Lex erat deſcripta; neque enim jam extabat a Moſe exaratum Legis autographum; neque alius in uſu erat apud Judæos literarum character, quam qui dicebatur Aſſyrius ſeu Babylonicus, qui alius non eſt ab Hebræo hodierno, in quo litera *jod* omnium eſt minima.

Arguunt IV. character ille ante captivitatem Babylonicam Judæis erat in uſu, quo uſus eſt Propheta Iſaias; at ille non alio quam hodierno Hebraico charactere Prophetias ſuas exaravit: eum enim charactrem uſurpavit in quo ם *Mem* finale & clauſum, præter regulas & accurate ac religioſe obſervatum ſcribendi modum, ſcribere voluit cap. IX. v. 7. in medio hujus vocis למרבה *Lemarbe*, ut ſignificaret, quod Chriſtus de quo hic loquitur, naſciturus eſſet præter naturæ ordinem, ex Virgine clauſa, & a viro intacta. Id autem non occurrit, niſi in charactere Hebraico hodierno, in quo ſunt quinque literæ, in fine vocis aliter pingi ſolitæ, quam in principio aut medio; Samaritani autem hiſce finalibus carent. Itaque Hebræo hodierno uſus eſt Iſaias, ac proinde ſua ætate Judæis erat familiaris.

Recte quidem ſi conſtantiſſimum eſſet, *Mem* illud clauſum a ſanctiſſimo Propheta

eo fine in medio hujus vocis *Lemarbe*, fuiſſe additum. At quo argumento id ſuadebis? diceret enim quis cum Forerio id accidiſſe potius Amanuenſis & Typographi vitio, quam Prophetæ myſterio. Quod ſi myſterium in eo latere contendas, per me licet: Verum, quidni ab Eſdra divinitus afflato, cum Scripturam reſtauraret, ſignanter iſtud fuerit adjectum, quo poſteri latens in eo myſterium pro ſuo quique judicio quærerent & deprehenderent. Neque enim eadem omnibus eſt de myſtica hac ſcriptione ſententia. Lyranus namque putat *Mem* iſtud clauſum, præter ordinem in medio dictionis ideo ſcriptum, ut denotaretur quod Chriſtus ex illibata Virgine eſſet oriundus. Galatinus [a] præter hanc cauſam etiam ſcribit; *Per Mem clauſum, tempus adventus Meſſiæ præfixum ſignificari, nempe 600. annos* (quia Mem finale in numeris 600.) *qui ab hac Prophetia, uſque ad Nativitatem Chriſti, futuri erant*; quod inductione probat. Vide eum loco dicto & lib. 7. cap. 13. ubi Kabaliſtice probat, *Nomen Mariæ Virginis & Dominæ*, in vocibus לטרנה הפיתה *Lemarbe hammiſrach*. At Picus Mirandulanus [b]: *Sciri poteſt in Kabala per myſterium Mem clauſi, cur poſt ſe miſerit Chriſtus Paracletum*. Alii ad myſterium vocationis Gentium referunt, per quarum acceſſionem ad regnum gratiæ Chriſti, amplitudo ejus infinita futura erat, quod Judæis abſconditum fuit, nec innotuit ante Chriſti Aſcenſionem. (25)

[a] *lib. 4. cap. 192.*

[b] *diſp. ult. concluſ. 41.*

CA-

(25) Alia ſolent non minoris roboris argumenta proponi, quibus Characterum immutationem ab Eſdra fieri non potuiſſe demonſtrent. 1°. Norunt omnes quam ſuperſtitioſi ſemper extiterint Judæi in iis omnino ſervandis, quæ a majoribus ſuſceperunt: puncta vocales literas exprimentia nunquam in Sacrum codicem voluerunt intrudere, quamvis tantæ cognoſcerentur utilitatis ad vagam ſenſuum ſacrorum ſignificationem determinandam, quamquam per eadem tam valde lectionis difficultas removeretur; quis exiſtimet modo hujuſmodi gentem totalem veterum Characterum mutationem admittere voluiſſe? 2°. Inutilis prorſus ea mutatio habenda erat, eo præſertim tempore, quo facta judicatur, ſoluta ſcilicet captivitate; Judæi quippe tunc temporis per Syriam, Phœniciam Inſulas, aliasque remotiſſimas partes diſperſi erant, unde diverſis characteribus, diverſiſque linguis aſſueti cum eſſent, non minus quam Chaldaicis, facilius ſacros libros legere potuiſſent, ſi in patriis eorum characteribus, quam ſi in Chaldaicis ab Eſdra conſcripti eſſent, illos etenim facilius in captivitate ſervari potuiſſe quam linguam, quiſque fatebitur ſponte; aſt hebraicam linguam incorruptam prorſus fuiſſe ſervatam ſatis teſtantur Ezechiel, Eſter, Daniel, ipſemet Eſdras, Aggæus, Zacharias: & Malachias ſub ipſa captivitate, vel paulo poſt ſcribentes, qui omnes vetuſto Hebræorum ſermone uſi ſunt; quare ergo adeo patriæ Scripturæ obliti eſſe potuere, ut ad Chaldaicos Characteres Eſdræ fuerit recurrendum, dum Sacrorum Librorum reſtaurationem aggreſſus eſt? Merito ergo ab aliquibus hæc Characterum immutatio pernegatur ſub Eſdra contigiſſe, quod & ab inſignioribus Rabbinis, a Juda præſertim, quem Sanctum appellant, præſtitum eſt.

Horum argumentorum vim facile eludent oppoſitæ ſententiæ Defenſores, ad primum quippe reſpondent Eſdram ab Judæis hominis inſtar divini habitum fuiſſe Spiritu Sancto plenum, ſummæque propterea auctoritatis apud eos; hinc librorum canonem novum eiſdem propoſuit, quem remotis quibuslibet oppoſitionibus ſuſceperunt; multo ergo magis, juſta accedente cauſa, quæcunque illa fuerit, conſentiente Judæorum Sinedrio potuit Eſdras Vir tantæ exiſtimationis perſuadere Judæis e captivitate reducibus neceſſitatem conſcribendi Sacros Libros characteribus Chaldæorum. Ad ſecundum reponunt eam mutationem fuiſſe quam maxime utilem, ob uſum Chaldaicæ Scripturæ Judæis jam familiariſſimæ redditæ, quamquam autem in varias Aſiæ partes diſperſi eſſent Judæi, nec non diu poſt captivitatem, eorum plures eas incoluerint terras, omnes tamen Regum Chaldææ, ac deinde Regum Perſidis imperio ſubjiciebantur; quapropter Chaldaico, vel Syriaco, vel Aramæo (omnes enim iſti unus ferme erant) ſermone utebantur; cum iſte in Regis aula potiſſimum eſſet in praxi; ejuſdemque in commerciis per univerſum imperium uſus retinebatur, nec alio ſcripta ſunt Edicta Regum Chaldæorum, & Perſidis, ut patet ex Danielis 2. v. 4 ubi legimus ſapientes Babyloniæ Syriace Regi fuiſſe loquutos; Syriace pariter Judæorum æmuli epiſtolam ad Regem Artaxerſem ſcripſerunt, ut ex cap. 4. Libri I. Eſdræ convincitur; Syriaca igitur lingua familiaris erat, eademque cum Chaldæa tempore captivitatis. Hoc in ſtatu res Judæorum, cum ad Alexandrum uſque Macedonem perſeveraverint, familiariſque in Meſopotamia, Paleſtina, Phœnicia, Syria, cæteriſque Aſiæ Provinciis Chaldæa, vel Syriaca lingua extiterit, facile Judæi per univerſas regiones illas diſperſi Chaldaicam ſcripturam legere poterant, proindeque Sacra volumina Chaldaice ſcripta libentiſſime erant ſuſcepturi; quod autem Daniel, Ezechiel, aliique Sacri Scriptores ſuas lucubrationes Hebraice ediderint, id hoc evincit, nempe Hebraicæ linguæ eoſdem fuiſſe peritos, minime vero hebraicam linguam tunc temporis fuiſſe vernaculam Judaicæ Genti, quemadmodum ſi hodiernis temporibus Italus, Anglus, vel Gallus latine ſcribit, non ex eo revincitur latinum ſermonem nationibus illis eſſe familiarem. Hæc ex Calmeto in legentium, vel libris carentium commoditatem huc tranſtulimus. (*W*)

CAPUT SEPTIMUM.

Quanam Arte, quove ſcribendi modo uſus fuerit Moſes in conficiendis divinis libris.

I. *Duplex Scripturæ genus*, ORDINARIUM & KABBALISTICUM; *hujus triplex ſpecies*, NOTARICON, PERMUTATIO, GEMATRIA.
II. *Scripturæ Notaricæ varia proferuntur exempla.*
III. *Ab ea deduci videtur Machabæi nominis origo.*
IV. *Permutationis ſeu Anagrammatiſmi varia indicia.*
V. *Quid ſit* Gematria, *& utrum eam uſurpaverit S. Joannes ut Antichriſti nomen indicaret,*
VI. *Hoc ſcribendi genus omnino incertum eſſe, manifeſtum ſit ludicro exemplo Æſopi.*
VII. *Iſtius Auctorem eſſe Angelum, qui in Balthazarum, ſententiam parieti inſcripſit fabula eſt Rabbinica.*
VIII. *Ad quid proſit Scriptio Kabbaliſtica.*
IX. *Quo ſcribendi modo uſus fuerit Moſes.*

I. DUPLEX celebris apud veteres Hebræos, Egyptios, & Græcos fuit in uſu ſcribendi modus, unus quidem *uſitatus*, quem genuinum, ſimplicem & familiarem appellare licet: alius vero *Kabbaliſticus*, ſeu Arcanus & Ænigmaticus: *Kabbala enim*, inquit Capnio [a], *nihil aliud eſt, niſi ſymbolica Theologia, in qua non modo literæ ac nomina ſunt rerum ſigna, verum res etiam rerum.* Hujus autem Kabbaliſticæ ſcriptionis tres ſunt ſpecies, nempe *Notaricon*, *Permutatio* & *Gematria*.

a *lib. 3. de arte Kabbal.*

II. *Notarica ſcriptio* a *notando* deſumpta, fit quando literæ vocis alicujus ſignificativæ, ſingulas dictiones connotant; ſic S. Auguſtinus [b] & ante eum S. Cyprianus, ſeu quiſquis eſt Auctor tractatus de *Sina & Sion*; & poſt utrumque Beda venerabilis; [c] explicantes Etymologiam nominis *Adam*, putant primum hominem ſic appellatum, quia terra illa, ex qua factus eſt, a Deo ſumpta eſſet ex quatuor Mundi cardinibus, qui Græce quatuor literis ejuſdem nominis comprehenduntur: nam *A*, ἀνατολὴ; id eſt Orientem, *D*, δύσις i. e. Occaſum; aliud *A*, ἄρκτος, id eſt, Septentrionem; & *M*, μεσημβρία hoc eſt, Meridiem ſignificat. Eandem nominis interpretationem habent Sibyllini libri his carminibus expreſſam.

b *tract. 9. in Joan.*

c *in Commentar. ſuper Ioan.*

Nimirum Deus is finxit Tetragrammaton Adam,
Qui primus fictus eſt, & qui nomine complet,
Ortumque Occaſum, Auſtrum, Boreamque rigentem.

Quanquam autem dictio *Notaricon* Judæis ſit peregrina; nihilominus adeo Rabbinis familiaris eſt, ut plurima ex Notaricis ſuis obſervationibus concludere ſoleant. Sic ex prima Geneſis dictione בראשית *bereſchith*, id eſt, *In principio*, colligunt hoc oraculum: בראשיתה ראה אלהים שיקבלו ישראל תורה *Bariſchonah raah Elohim Schikbelou Iſchrael torah*. i. e. *In principio vidit Deus quod acciperent Iſraelitæ Legem*, cujus quidem prætenſi oraculi ſingulæ dictiones per ordinem incipiunt a literis vocis *Bereſchit*, quaſi Dei mens fuerit ab ipſo Legis limine gratiam Judæis eſſet collaturus, indicare.

III. Volunt etiam Machabæos dictos ab initialibus literis hujus ſententiæ מיכמכה באלהים יהוה *Mikamoka baeolim Jehova*, i. e. *Quis ſicut tu in Diis Domine*. Quæ habentur *Exodi* XV. *v.* 11. Cujus oraculi cum initiales literas nempe מכבי ſuis militaribus vexillis pingi feciſſent, ut monerentur milites, his vocibus divinam opem implorare, cenſent Rabbini Machabæorum nomen inde deductum, & univerſæ familiæ, quæ prius *Aſſamonæa* dicebatur, fuiſſe attributum. Ejuſmodi Notaricæ ſcriptionis uſum in ſacro textu etiam obſervavit S. Hieronymus in traditionibus [d], ubi expendens illa verba Davidis ad Salomonem: *Habes quoque apud te Semei filium Gera filii Jemini de Baburim, qui maledixit mihi maledictione peſſima*, ita ſcribit: *Peſſima Hebraice* NIMREZETH *dicitur, quod quinque literis enuntiatur, id eſt* נ *Nun*, מ *Mem*, ר *Res*, ז *Tzad*, ת *Thau. In* נ *nun* NOEPH, *i. e. adulter;* מ *mem* MOABITA; ר *res* RASA, *id eſt, impius;* ז *Zade*, ZARA *i. e. leproſus;* ת *Thau* THOABA, *i. e. abominatus*.

d *in lib. 3. Reg.*

Obſervat etiam Reuclinus Judæos ex his verbis [e]: *Multi inſurgunt adverſum me*, colligi poſſe qui ſint illi adverſarii ex voce רבים rabbim *multi*, nempe רומיים בבליים יונים מדים *Romilm, Babelilm, Jonim, Madim*, i. e. Romani, Babylonii, Græci ſeu Jones, & Medi. Pariter Bahal-haturim, in Geneſ. XIV. probat Melchiſedecum eundem eſſe cum Sem filio Noe, eo quod dicatur *Rex Salem* מלך שלם *Melek ſchalem*, cujus Notaricum eſt שם *Sem*.

e *Pſal.* 3.

IV. Secunda Kabbaliſticæ ſcriptionis ſpecies dicitur *Permutatio* ſeu Anagrammatiſmus, quando una, vel duæ dictiones, in unam vel plures per literarum tranſpoſitionem, aut qualitatis inverſionem tranſmutantur. Cujus mutationis tres modos recenſet Schikardus: [f] *Primus* eſt quando literæ textus, ſervata illarum ſerie, in alias dictiones ſignificativas diſpeſcuntur.

f *Bech. happ. p.* 70.

Secundus modus, cum unius nominis literæ ſibi invicem permutatæ, aliquid aliud ſignificant; ſic hæc verba [g]: *In virtute tua lætabitur Rex*, de Meſſia dictum probant,

g *Pſal.* 21.

eo quod ישמח id eſt, *lætabitur*, permutatum משיח Meſſiam faciat. Sic pariter, quia Exodi XXIII. Populo Iſraelitico dicitur *Præcedet te Angelus meus* מלאכי *Malachi*, per metatheſin, colligunt S. Michaelem fuiſſe populi Iſraelitici cuſtodem; ſiquidem ex præfati vocabuli literarum permutatione, מיכאל *Michael* exurgit.

Tertius denique modus fit per mutationem & conjunctionem ſeu combinationem literarum cum aliis; quod ſcriptionis genus Hebræi vocant, *Athbas*, ſive *Ethbas* cum videlicet ultima litera ſumitur pro prima; penultima pro ſecunda; vigeſima pro tertia, & decima nona pro quarta: puta cum ſubſtituitur ת pro א & ב pro ת. Hujus ſcriptionis uſum uſurpavit S. Hieronymus in Hieremiam, [a] expendens hæc verba: *Et Rex Seſac bibet poſt eos*. Nam literarum permutatione per *Seſac* intelligit Regem Babel; *Sicut apud nos*, inquit, *Græcum alphabetum uſque ad noviſſimam literam per ordinem legitur, hoc eſt α, β, &c. uſque ad ω; rurſumque propter memoriam parvulorum ſolemus lectionis ordinem invertere, & primis extrema miſcere ut dicamus α. ω. β. γ: Sic apud Hebræos primum eſt א. ב. ג. ד uſque ad extremum ת, cui penultima eſt, ב. legimus itaque בבל Ethbas. Cumque venerimus ad medium ל literæ occurrit ב & ut ſi recte legatur, legimus Babel; ita ordine commutato, legimus Seſac.* Duo illa nomina de quibus agit S. Hieronymus ita Hebraice ſcribuntur בבל *Babel* ששך *Seſac*, ubi *beth* pro *ſchin* bis ſumitur, & *caph* pro *lamed*. Forte autem Propheta ſubticuit nomen *Babel*, ne eo vulgato, in eum excandeſcerent Babylonii, & Judæi captivi durius vexarentur. Hujus autem permutativæ ſcriptionis uſus frequentiſſimus eſt apud Hebræos, ut præ cæteris obſervat Reuclinus [b].

[a] *Cap.* 25.

[b] *de arte Cabaliſti pag.* 72.

V. Tertia denique ſpecies eſt *Gematria*, vox Græca γεωμετρία, quæ in arte Kabbaliſtica non ſignificat terræ, aut figurarum demenſionem, ſed Arithmeticam literarum ſupputationem, qua diverſæ dictiones eundem numerum literis ſuis exprimunt, unde Cornelius Agrippa eam vocat Arithmeticam: ſic שושנה *Suſanna*, ſeu lilium, idem quod אסתר *Eſther*; utrumque enim 661. numerum efficiunt. Sic pariter Elias Levita [c] explicans quamobrem Deus מקום *Makom* i. e. *locus*, a Rabinis appellatur, hanc rationem eruit ex officina Kabaliſtarum, quia מקום *Makom* Gematrice numerum 186. conficit, totidem ſcilicet ac nomen שם nam ש valet 100. ם 25. ש 36. aliud ſimiliter ם valet 25. quæ ſummam efficiunt 186.

[c] *In Tisbi.*

Sic etiam aliqui ex ſacris Interpretibus Chriſtianis ex hoc Apocalypſis oraculo [d]: *Qui habet intellectum computet numerum beſtiæ, numerus enim hominis eſt, & numerus ejus ſexcenti ſexaginta ſex*. Augurantur S. Joannem literis Græcis, earumque Arithmetica ſignificatione, conjectandum reliquiſſe, quodnam ſit futurum Antichriſti nomen. Hinc SS. Irenæus & Hippolytus cenſuerunt hoc nomen eſſe *Teitan*; nam T in numeris apud Græcos 300. indicat, cumque in hac dictione duplex T reperiatur, fiunt 600. Quibus ſi addas N. 50. I, 10. E, 5. A, 1. exurgit numerus 666. Ticonius Antichriſti nomen conjicit eſſe ΛΑΜΝΙΤΣ. nam T 300. Σ 200. Π 80. M 40. A 30 I 10. E 5. A 1. Ex quibus in unam ſummam conflatis idem exurgit numerus 666. Arethas nomen hoc facit ΛΑΤΕΙΝΟΣ quia T 300. Σ 200. O 70. N 50. A 30. I 10. E 5. A 1. qui numeri itidem juncti conflant 666. Primaſius nomen hoc vult eſſe ΑΝΤΕΜΟΣ, ſiquidem T 300. Σ 200. O 70. N. 50. M 40. E. 5. A. 1. conflatur eadem ſumma. Plurima ſunt ejuſdem modi nomina conficta, in quibus idem numerus reperitur: vide apud Maluendam de Antichriſto [e] ubi & reperies nonnullos qui hunc numerum ſtuduerunt exprimere e nomine Mahometis, Lutheri, Calvini; quam recte ipſi viderint: certe nihil mirum foret ſi Antichriſti character in hiſce Antichriſti prodromis ſe ſe proderet. Quemadmodum Grotius in caput XIII. Apocal. v. 18. cenſet illo ſymbolico numero adumbratum fuiſſe ac deſignatum a S. Joanne nomen Trajani cruentiſſimi Chriſtianorum perſecutoris, qui ut omnes nos Hiſtoriæ docent, appellabatur Ulpius, & ſic a Græcis plerumque vocatur, etiam in deſcriptione Græca quæ eſt in editione Gruteriana ubi dicitur ΟΥΛΠΙΟΣ hoc autem nomen complectitur numerum 666. nam O 70. T 400. Λ 30. Π 80. I 10. O 70. C 6. ſumma 666. Sicut autem, inquit Grotius, nos hodie ſenarium numerum ut ſigma in fine, ſcilicet, ita veteres C, quod eſt ſigma, ſæpiſſime ſcribebant pro eodem Senario, ut videre eſt in inſcriptione facta in honorem Datonis Pnilonis filii in eadem Gruteriana editione pag. 327. aut etiam hunc in modum S, quomodo ea nota legitur in Canone Paſchali Hippolyti, qui ſcriptus fuit Alexandri Mammeæ temporibus; itemque in manuſcriptis multis, inter alios Ptolemæi in Bibliotheca Regia.

[e] *lib.* 8. *cap.* 18. 17.

VI. At ex his facile quiſque conjicit, ſcriptionem Kabaliſticam omnino inutilem & indignam, quæ Scripturis ſacris exarandis deſerviat, nec ſubinde Moſem eam uſurpaſſe, quippe cum incerta ſit & fortuita, & ad plurimos ſenſus eædem literæ torqueri poſſint. Quod utique lepido exemplo probavit Æſopus, in ejus namque vita legitur, ut refert Nerembergius, [f] quod dum una cum hero Xantho, veterum ædificiorum macerias perluſtraret, forte incidit in columnam quandam marmoream, cui ſeptem Græcæ literæ erant inſculptæ indicantes theſaurum in eo loco non longe a columna defoſſum; quarum cum Xanthus intelligentiam anxie diſquireret, Æſopus inventis dictionibus, qui ab iiſdem characteribus incipiebant, illam, tribus adhibitis expoſitionibus, illuſtravit. Erant autem literæ ejuſmodi, Α. Β. Α. Ο. Ε. Θ. Χ. quas Æſopus manifeſtans hero ſuo locum theſauri, quem literæ deſignabant; ſic primum expoſuit Α, ἀναβᾶς, i. e. aſcendens, Β, βήματα, gradus. Α. τέτταρα. quatuor. Ο. ὀρύξας, fodiens. Ε. εὑρήσεις. invenies. Θ. θησαυρὸν. theſaurum. Χ. χρυσοῦν. aureum, hoc eſt. *Aſcendens gradus quatuor, invenies theſaurum aureum*. Cum itaque Xanthus theſaurum effodiſſet, neque partem ullam auri Æſopo decerneret; modeſte eum admonuit Æſopus ut præcepto columnæ

[f] *lib.* 5. *cap.* 7.

inſculpto pareret, quod literæ illæ continebant, hunc in modum: Α. ἀπαιρόμενοι, i. e. tollentes. Β. βαδίσατε, ite, Δ. διελεῖτε dividite, Ο. ὅν, quem, Ε εὑρεῖτε, invenietis, Θ θησαυρὸν thesaurum, Χ χρυσίον aureum, hoc est, *Tollentes, ite, dividite, quem inveniſtis theſaurum aureum*. Quod cum Xanthus facere contemneret, ſoluſque auro potiri vellet: indignatus Æſopus, comminatus eſt, niſi partem acciperet, ſe alterum ejuſdem ſcripturæ mandatum executurum, ita præcipientibus literis, Α Χανθε, i. e. redde, Β βασιλεῖ, Regi, Δ Διονυσίῳ, Dionyſio, Ο. ὅν, quem, Ε, εὗρε, inveniſti, Θ θησαυρὸν, theſaurum, Χ χρυσίον, aureum. Hoc eſt *Redde Regi Dionyſio, quem inveniſti theſaurum aureum*.

Plurima alia huic ſimilia hujus incertæ ſcriptionis & ſcientiæ exempla, ibidem profert Nerembergius, ex quibus facile conſtat ejuſmodi ſcriptionem, etſi aliquando quidpiam utilitatis habere poſſit, ſæpe ſæpius inutilem ac futilem eſſe; imo omnino noxiam & perverſam: nihil enim tam ſacrum ſanctumque quod pravum in ſenſum, hoc ſcribendi genere, detorqueri non poſſit; ſic ex ſancto Dei nomine שדי *Sadai*, magi literarum permutatione Legunt שד *Dæmon*.

VII. *Opponunt Kabbaliſtæ*, hujus ſcriptionis Auctorem fuiſſe Angelum, qui adverſus Balthazarem Aſſyriorum Imperatorem, divinitus latam mortis ſententiam in pariete deſcripſit his verbis: MANE TEKEL PHARES. Talmudici enim [a] cum propoſuiſſent ſententiam R. Simeonis contendentis characterem, quo primitus exarata fuit Lex, non fuiſſe ab Eſdra immutatum. Adverſus eam objciunt. Si immutata non fuit Scriptura, quid eſt quod ſcribitur: *Non poterant Scripturam legere*. Cui objectioni quatuor reſpondit Rabbi Rab; [b] *Per Gematriam ſcriptum erat his verbis:* JATETH, JATETH, ADEC PUGHAMET. Quæ eſt iſtorum interpretatio? *Mene Mene Thekel Upharſi*. Mene *numeravit Deus tuum regnum, & complevit illud tibi*. Tekel, *appenſus es in ſtatera, & inventus es deficiens*. Pharſin, *diviſum eſt regnum tuum & datum eſt Medis & Perſis*: Permutatæ enim literæ harum dictionum מנא מנא תקל ופרסין iſtas componunt יתת יתת אדך פוגמת *Jateth, Jateth, adec pughamet*. Igitur hic ſcribendi modus a Scriptura non eſt rejiciendus.

[a] *In Talmude Hieroſ. tract. Megil. Sect. 1.*

[b] *Daniel. 5.*

Inſuper plerumque Notaricam ſcriptionem uſurpant ſacrorum Codicum Scriptores, maxime vero Moſes, ut compertum ſit, nedum ex ſuperius expenſa prima Geneſis voce *Bereſchith*; ſic etiam ex Geneſ. cap. XXXVII. ubi Jacob dicitur dediſſe filio ſuo Joſeph פסים, *Paſſim i. e. particularum*, ſeu *polymitam*, tunicam iſtam Notarice explicatam futuræ captivitatis indicem fuiſſe volunt; hæc enim vox Hebræa Notarice explicata, hanc reddebat ſententiam לפרסיף טוחרים ישמעאלים מדיים. *Putiphar Sohárim Iſmaelim Medinim* i. e. *Putipharo divendunt Iſmaelitæ Madianitis*: Itaque Kabbaliſtica ſcriptio a divinis Scripturis non videtur rejicienda.

Reſpondeo omnes illas conſequentias futiles eſſe, quippe cum ex leviſſimo principio, ne dicam inani & falſo eliciantur; ſupra namque dixi, ideo Angelicam Scripturam ab Aſſyriis, & Hebræorum vulgo legi non potuiſſe, quod Samaritanis characteribus eſſet exarata; non vero quod tranſpoſitæ literæ eſſent. Idem dicendum de cæteris exemplis in objectione laudatis; quiſque enim pro libito ex iiſdem literis, vel initialibus, vel tranſpoſitis, longe alias elicere poſſet ſententias, qui in ejuſmodi Kabbaliſtico luſu tempus inaniter vellet impendere.

VIII. Ex iis omnibus aperte conſtat Kabbaliſticam ſcriptionem, non ſolum inutilem, ſed plerumque eſſe noxiam; quanquam interdum poſſit aliquid utilitatis conferre, maxime quantum ad vocabulorum etymon & ſymbolicam explicationem; cujus rei præclarum & notandum exemplum nobis ſubminiſtrat Abraham Ben-Ezra, qui (expendens vocem Hebraicam, qua primum appellata fuit mulier, nempe אשה *Iſcha*, ſeu *virago*, quia derivatur ab איש *Iſch*, id eſt, *viro*, addito he fœminino) obſervat in voce אשה *Iſcha* contineri nomen contractum Dei יה *ia*, quo ſignificatur eum eſſe Auctorem conjugii, nec non ac pacis & felicitatis inter conjuges, quandiu hoc divino nomine invicem uniuntur, Deumque religioſe colunt, & ſe ſe mutuo diligunt. Si vero invicem oderint & Dei obliviſcantur, tum illud Dei nomen conjuges abjiciunt; ſicque ſublato י *Jod* & ה *he* אש tantum remanet ex איש *Iſch* & אשה *Iſſa*; ex *viro* & *muliere*, fit אש, *Eſch eſch*, id eſt, *ignem* & *ignem*, ſcilicet ignem rixarum & moleſtiæ in hac vita, in altera vero ignem æternum.

At quantacunque hujus Kabbaliſticæ Scripturæ fingatur utilitas, certum eſt eam nimium obſcuram & dubiam eſſe, ut a Spiritu ſancto veritatis fonte, ſuis Amanuenſibus ſeu Scriptoribus Canonicis inſpiraretur: quamobrem eam a Moſe in conficiendis divinis Scripturis uſurpatam, ſolus vanis Rabbinorum commentis ineſcatus cogitabit. Jam videndum eſt quem ſcribendi modum Moſes uſurpaverit. (26)

§. I.

(26) Chabbaliſticum ſcribendi modum aliquando a Sacris Scriptoribus fuiſſe uſurpatum, certiſſimum eſt, ſi Chabbalæ nomine id intelligatur, quod a Capnio ſub num. 1. hujus Capitis in definitione proponitur; nec hujus generis modum ſcribendi a Sacris Vatibus removet Fraſſenius, cum myſticum ſenſum divinis literis ineſſe fateatur inferius lib. 4. Diſquiſitionum. Aliæ autem quæcunque Chabbaliſticæ artes nec Moſen, nec Eſdram, nec alterum ex Prophetis habere queunt auctorem, cum ludicra quædam verborum combinatio, aut quid ſimile exiſtant. Novæ inſuper ſunt omnino, cum eaſdem nec Philo, nec Joſephus, nec Origenes, nec Epiphanius, quamquam ſæpe de Judæorum traditionibus, & ſectis loquutus ſit, vel leviter commemorent; quemadmodum neque libros de mirabili illa arte Chabbaliſtica editos. Opponat modo qui vult, auctoritatem ex Cap. 14. libri 4. Eſdræ, in qua Eſdras ipſe ſeptuaginta libros Chabaliſtice ſcripſiſſe traditur, ſolis legis Doctoribus comunicandos, & Moyſes in Sina Arcanam hanc ſapientiam a Deo habuiſſe, ac per traditionem ad Eſdram uſque tranſmiſiſſe fertur. Nos enim cum Sancto Hieronymo Lib. contra Vigilantium reſpondebimus: „ Tu vigilans dormis & dormiens ſcribis, „ & proponis mihi librum apocryphum, qui ſub

„ no-

§. I.

Quo ſcribendi modo Moſes uſus fuerit.

IX. QUATUOR apud Veteres in uſu fuerunt, & etiam hodie vigent celebriores ſcribendi modi. *Primus* omnium antiquiſſimus, fit a dextra ſiniſtrorſum, qualis eſt modus ſcribendi Hebræorum, & aliorum qui literas & eruditionem ab Hebræis hauſerunt, ut Chaldæi, Syri, Arabes, & plerique Orientales: eandem etiam ſcribendi methodum olim ſervaſſe Ægyptios docet Herodotus.[a] *Secundus* fit a ſiniſtra verſus dexteram, qualis eſt in uſu non ſolum apud Europæos, tam Græcos quam Latinos, ſed etiam apud Orientales, Armenios, Æthiopes, Ægyptios, & nonnullos alios. *Tertius* eſt quem βουστροφηδὸν appellabant, eo quod ſcriberent inſtar Boum ſulcos ducentium, incipiendo ſecundam lineam ubi deſinebat prima; ut explicat S. Iſiodorus, [b] *Vulgo*, inquit, *vocatur* VERSUS *quia ſic ſcribebant Antiqui ſicut aratur terra, ſtylum a ſiniſtra ad dextram, deinde a dextra ad ſiniſtram vertendo; & hos ruſtici hodie* VERSUS *vocant*. Hoc modo ſcriptæ ſunt Solonis Leges antiquæ, teſte Euphormione apud Didymum, & ex ipſo Suida. *Quartus* eſt a ſummo Paginæ, incipiendo deorſum ſcribere, quod Sinenſibus in uſu eſt, qui a dextra parte chartæ primum verſum ſcribunt, ut narrant Alvar, Simoneta, Trigaultius, Kircherus, & alii qui res Sinenſes tractant.

[a] *In Euterpe.*

[b] *Orig. lib. 6. cap. 13.*

Cum autem Moſes ſacros Pentateuchi libros literis & Charactere Hebraico confecerit, etiam ſcribendi modum uſurpavit a dextera ſiniſtrorſum. *Inſuper* aſſerunt Judæi Kabbaliſtæ Moſem ſcripſiſſe totam Legem, inſtar unius פסוק *Paſouch*, ſive verſiculi, id eſt, ſine ulla libri, capitis, verſus, ſectionis, vel periodi diſtinctione: ſed ad modum unius lineæ, nulla verborum ſejunctione diſtinctæ, ut fuſius dicemus infra.

CAPUT OCTAVUM

Utrum Moſes ſicut Scripturæ Hebraicæ, ſic & vocalium punctorum Auctor ſit,

I. *Vocales duplicis generis nunc habent Hebræi*, literales & punctuales.

II. *Hæ ſunt quadruplicis ordinis, longæ, breves, breviores, breviſſimæ.*

III. *Quadruplex de earum inventione ſententia.*

IV. *Præfertur ea quæ illam recentiorem facit & Maßorethis Tiberienſibus adſcribit.*

V. *Illius enim Auctorem, nec Moſem, nec Eſdram cenſeri poſſe, variis argumentis probatur.*

VI. *Maxime auctoritate S. Hieronymi, qui ejuſmodi vocalium nullibi meminit.*

VII. *Eas non deſignavit Chriſtus Dominus cum dixit:* Jota unum, aut unus apex non præteribit a Lege.

VIII. *Quinque fuerunt vocales literales apud Hebræos, quæ nunc pro conſonis habentur.*

IX. *Liber Zohar, in quo fit vocalium punctualium mentio, non eſt tantæ antiquitatis quantum Judæi comminiſcuntur.*

X. *Maßora quæ punctualium vocalium meminit a variis auctoribus & diverſo tempore confecta eſt.*

XI. *Judaicæ ſcholæ Tiberienſes, ad quintum a Chriſto nato ſæculum ſteterunt.*

I. VOCALES duplicis generis agnoſcunt Hebræi *Literales* nempe & *punctuales*. *Literales* dico, eas literas Hebræas, quas vulgo appellant *Matres lectionis*, quod formandis omnibus dictionibus inſervirent, ſuntque numero quatuor א. ה. ו. י quibus S. Hieronymus cenſet additam fuiſſe literam ע. Cum autem eædem literæ interdum conſonantium munere fungerentur, nec facile dignoſci poſſet, cujuſnam vocalis munus exprimerent; hinc factum eſt, ut poſteriores Hebræi ad faciliorem linguæ ſuæ propagationem & notitiam, certa quædam puncta excogitarent, quæ ipſis eſſent loco vocalium, & dictionibus formandis diſtincte inſervirent.

II. Hæc autem, ut notum eſt, in quatuor ordines diſtinguunt. Alia enim puncta ſunt longa, alia brevia, quædam breviora, cætera breviſſima. Quæ ut Hebraicæ linguæ inſciis lectoribus comperta fiant, ea ſequenti ſchemate delineanda cenſui.

QUIN-

„ nomine Eſdræ a te, & ſimilibus tui legitur....
„ quem ego librum nunquam legi. Quid enim neceſſe in manus ſumere, quod Eccleſia non recipit? = Ex indice divinarum Scripturarum libros tertium, & quartum Eſdræ ſemper rejecit Eccleſia Catholica in Synodis congregata, quemadmodum ſe geſſit etiam in Tridentina. Verum de hujuſmodi materia inferius, ubi de canonicitate librorum Eſdræ, redibit ſermo. (*W*)

QUINQUE VOCALES LONGÆ			QUINQUE VOCALES BREVES.		
Figura.	*Nomen.*	*Valor.*	*Figura.*	*Nomen.*	*Valor.*
◌ַ	Cametz.	A	◌ַ	Patach.	A
◌ֵ	Tsere.	E	◌ֶ	Segol.	E
◌ִ	Chiric gadol.	I	◌ִ	Chiric caton.	I
◌ֹ	Vau cholem.	O	◌ָ	Camets chatouph.	O
◌ֻ	Vau schurec.	V	◌ֻ	Kibbuts.	V

TRES VOCALES BREVIORES.			UNA BREVISSIMA.		
Figura.	*Nomen.*	*Valor.*	*Figura.*	*Nomen.*	*Valor.*
◌ֲ	Chateph patach.	A	◌ְ	Scheva.	E
◌ֱ	Chateph segol.	E			
◌ֳ	Chateph cametz.	O			

III. Quis autem hujus egregii artificii fuerit Auctor & Inventor, non convenit inter Hebraicæ linguæ peritos; quadruplex enim ea de re est eorum sententia, *Prima* ejusmodi punctualium vocalium originem ascribit Mosi, quem volunt hos apices sacro Textui inseruisse, aut saltem Lege orali Sacerdotibus, quibus demandata cura erat Legem populo explicandi, commisisse, ut ad posteros propagarent. *Secunda* cunctorum Auctorem facit Esdram, cum viris Synagogæ magnæ, dum sacra Biblia restaurarunt, Elias Levita *tertiam* profert sententiam [a], asserens puncta vocalia & accentus, non nisi post completum Talmud, hoc est circiter annum Christi 500. a Massorethis Tiberiensibus excogitata fuisse. *Denique*, sunt qui ut pugnantes has sententias ad unitatem revocent, affirmant puncta vocalia esse traditionem Mosis a monte Sinai, ita quidem, ut Moses punctorum figuras non modo a Deo acceperit, sed etiam scribendo expresserit: at successu & progressu temporis, cum homines ex quotidiano loquendi usu etiam sine punctis legerent expedite, sub templo primo apud plerosque ex vulgo, non vero apud doctos eos in oblivionem venisse: at post solutam captivitatem Babylonicam ab Esdra in usum revocata. Censent vero alii a Mose non textui ejusmodi puncta fuisse affixa, sed Lege orali, non scripto tradita; quæ idcirco cum tempore captivitatis, a Judæorum memoria & usu, excidissent; Esdras cum restauraret Libros sacros etiam textui has vocales affixi, quo planior & certior fieret sacrorum Librorum lectio. Dehinc vero cum sub templo secundo Judæi linguæ Hebrææ obliviscerentur, & Aramææ assuevissent, adeo ut in vulgari usu hac lingua uterentur; ideo earum vocalium notitia, non nisi apud singulares quosdam illibata permansit, usque ad tempus absoluti Talmud a Tiberiensibus, qui ut faciliorem sacrorum librorum lectionem conciliarent, punctorum seu vocalium usum restituerunt.

[a] *In Massoreth. Hamassoreth.*

Censuerunt autem hujus utriusque assertionis posterioris Auctores, punctuationem divinæ auctoritatis esse, utpote divinitus, vel Mosi vel Esdræ in conscribenda, vel restituenda Lege inspiratam. Contraria vero sententia apud plerosque doctrina & eruditione Hebraica clarissimos invaluit. Unde licet hæc controversia pure grammatica videatur; nihilominus apud Novatores, centum circiter abhinc annis, in Religionis causam traducta est; verebantur enim quidam non indocti, ne si puncta vocalia non assererentur institutionis divinæ, incerta prorsus & ambigua redderetur Scripturæ lectio, & divina ejus auctoritas omnino nutaret. Verum non obstante vana ac ludicra hujus prætensi periculi occasione, plerique hujus sæculi eruditione Hebraica clarissimi, punctorum Auctores faciunt Massorethas Tiberienses, qui post confectum Talmud anno post Christum 500. vocales hodiernas notas Textui sacro apposuerunt, ut facilius legeretur, & verus ac genuinus illius sensus perspicatius appareret.

IV. Quam utique sententiam mihi probabiliorem faciunt sequentes rationes, quarum *primam* deducit Elias Levita ex illo Talmudis & Midraschim dicto, *Ne legas sic sed sic*: Si puncta, inquit, data fuissent e monte Sinai, Rabbini nullo modo ausi fuissent alium legendi modum, quam eum quem præ se ferebat dictio punctuata, percipere. *Secundam* colligit ex eo quod in Talmudis tractatu qui dicitur *Bava batra* [b], refertur Joabum e cæde filiorum Amalech revertentem, a Davide interrogatum, quamobrem mares, non autem fœminas exterminasset; illico respondisse, quia scriptum est, *Delebis marem Amalech*, Davidem autem regessisse, sed nos legimus *memoriam*; quod cum audiisset Joabus, præceptorem adiit, atque interrogavit, quomodo legendum esset hoc Scripturæ testimonium, qui respondit *marem*: quo dicto strinxit gladium Joabus, eumque interfecit. Ut hujus argumenti vis appareat, animadvertendum est, tres has literas זכר modo *marem*, modo *memoriam* significare; si legatur זכר *Zecer*, cum duplici Segol, memoriam sonant; si זכר *Zacar*, cum duplici camets, marem. At si eo tempore puncta fuissent affixa, neque Joabo, neque ejus præceptori errandi causa fuisset. Similem historiam de Saule refert S. Hieronymus:

[b] *Cap.* 2.

„ c Nec terrere nos debet, *inquit*, quare „ LXX. masculum, & cæteri Interpretes „ memoriam transtulerunt, cum eisdem tribus „ literis ז כ & ר, utrumque scribatur apud „ Hebræos. Sed quando memoriale dicimus, „ legitur זכר, quando masculum זכר. Et hac „ verbi ambiguitate deceptum arbitrantur „ Saul, quando pugnavit contra Amalech, „ & interfecit omne masculinum eorum. „ Deo enim præcipiente, ut deleret omnem „ me-

[c] *In Isaiam. cap. 26. v. 14.*

„ memoriam Amalech ſub cœlo, ille pro „ memoria, non tam errore, quam prædæ „ ſeductus cupidine, maſculos, interpretatus eſt: *hæc ille*. Igitur ſignum eſt neque Talmudiſtas, neque S. Hieronymum, quidquam de punctis audiſſe; cauſam enim erroris aperuiſſent dicendo dictionem illam ויולדו legendam fuiſſe per duplex ſegol, non per duplex camets. *Tertiam* infert, ex eo quod in Talmude nulla ſit punctorum vocalium mentio: quod utique ſignum eſt ea nondum fuiſſe excogitata.

V. *Præterea* id ipſum confirmat hodierna praxis Judæorum, qui in ſuis Synagogis nefas & profanum ducunt, ſacra Biblia populo publice perlegere notata punctis vocalibus; unde ſacrum, quod dicunt volumen, in arca ſancta ad lectiones ſolemnes publicas diebus Sabbati peragendas, conſervatur ſine verſuum diſtinctione ac ſine punctis vocalibus & accentibus, ut etiam nunc hodie viſitur; quoniam exiſtimant tale fuiſſe exemplar a Moſe primitus ſcriptum, ut refert R. Azarias; a cujus facti hanc profert rationem: *Moyſes vero Doctor noſter*, inquit, *qui ſcripſit Legem ſine punctis vocalibus, ſuper iis etiam dictionibus quæ dubiæ lectionis eſſe poſſunt; graviſſimam id agendi rationem habuit, quia nimirum voluit, ut nemo intelligeret præcepta ſua, niſi ſecundum traditionem ſuam oralem*. Ut ita nimirum ii qui Legis ſtudio operam darent, intelligerent ſe ſuo ingenio Legis notitiam habere non poſſe, ſed a Legis-peritis, Doctoribuſque eſſe petendam, quorum inſtitutione eruditi, Scripturam legerent, prout eam pronunciaverat Moſes. Idipſum confirmat Buxtorfius ex Ephodæo, & aliis aſſerentibus librum Legis punctuatum apud Judæos omnino profanum eſſe, etiamſi punctuationem eraſerint.

a *in lib. Imre Binah. cap. 39.*

Quinto, idem colligitur ex literis Samaritanis, in quibus Moſem Pentateuchum exaraſſe, ſupra probavimus: puncta vero vocalia nulla agnoſcunt Samaritani; nec in libris ipſorum M. SS. aut antiquis eorum ſiclis, tempore Regum Iſraelis exaratis, ulla punctorum veſtigia apparent. (27) Nam operum literarum, quas *Matres lectiones* vocabant, & quæ atiquitus pro vocalibus habitæ ſunt, omnes libros ſuos conficiunt & legunt. Igitur ſignum eſt, ejuſmodi punctuationem non a Moſe fuiſſe uſurpatam. Quod autem non inſtituta fuerint ab Eſdra, & viris magnæ Synagogæ, conſtat ex mox dictis; id enim ſi exiſtimarent Judæi volumen punctis notatum, profanum non cenſerent.

VI. *Denique*, ut cætera omittam, non leve in hujus rei confirmationem argumentum deducitur ex SS. Patribus, maxime ex S. Hieronymo, qui licet indefeſſis ſtudiis ſummam Hebraicæ linguæ peritiam fuerit aſſecutus; nihilominus de ejuſmodi punctis vocalibus, altum eſt apud ipſum ſilentium; quod utique ſignum eſt ea nondum ſuo tempore innotuiſſe. Colligitur inſuper ex variis ejus operibus, maxime vero ex quæſt. 22. in Hieremiam, ubi „ ſcribit, verbum Hebraicum, quod tribus „ literis ſcribitur דוד, vocales enim in medio non habent, ſed pro conſequentia, „ & legentis arbitrio legunt: ſi legatur *Davar*, „ *ſermonem* ſignificat; ſi *Dever* mortem; ſi *Daver* loquere: Unde LXXII. & „ Theodotion junxerunt illud præterito capitulo, ut dicerent, *diſperdens parvulos „ de foris, juvenes de plateis morte*. Aquila vero & Symmachus tranſtulerunt λάλησον, „ ideſt, loquere &c. Idem habet Comment. in III. cap. Habacuc v. 5. Ex quibus apparet, apud S. Hieronymum nullam punctorum fieri mentionem, licet ad ambiguitatem hujus vocis tollendam, & varietatem ſignificationis explicandam, hic apertam occaſionem haberet, dicendo vocabulum דבר *davar*, cum duplici camets ſignificare *verbum*; cum duplici Segol דבר *dever*, *mortem* vel *peſtem*, cum patach & tſere דבר *daver*, *loquere*. At tantum abeſt ut hoc inſinuet, etiamſi opportunam haberet occaſionem, quin imo ſe nullam hujuſmodi punctorum notitiam habuiſſe, non obſcure declarat, cum ait vocales in medio apud Hebræos non haberi & pro conſequentia & legentis arbitrio varie legi poſſe. Quod etiam inculcat Epiſtola ad Evagrium; ubi loquens de *Salem* Metropoli Sichem, quæ etiam *Salim* dicitur Joan. XIII, *Nec refert*, inquit, *utrum Salem, aut Salim nominetur, cum vocalibus in medio literis perraro utantur Hebræi, & pro voluntate lectorum, atque varietate regionum eadem verba diverſis ſonis atque accentibus proferantur*.

Nec eſt quod reponas S. Hieronymum nomine vocalium literarum, ſignificare puncta vocalia, & conſequenter ea fuiſſe in uſu ante ejus ævum. Quod inſuper confirmari poteſt, ex eo quod S. Hieronymus b dicit Pentateuchum Samaritanum, totidem literis ac Hebraicum ſcriptum eſſe, figuris tantum & apicibus diſcrepare. Ubi per *apices*, vocalia puncta intelligit, & conſonantes, per figuras.

b *Præfat. in lib. Reg.*

Hæc enim reſponſio facile eluditur: ultro quippe fatemur Hebræos ſuas vocales habuiſſe, ut plenius ſtatim dicemus; raro tamen eis in medio nominum uſos. Unde quamvis ſcriberentur, tamen plerumque non pronuntiabantur, nec quem præ ſe ferebant in locutione ſonum habebant: hinc quieſcentes dictæ ſunt. *Similiter* quid per accentus intelligat, aperit ipſe pluribus in locis; maxime in Zachariam, cum ait, c *Literarum* ר *Reſch* & ד *Daleth ſimilitudinem parvo diſtingui apice*; ubi per apicem non ſignificat vocalem, ſed ſolum lineolæ ductum, *Daleth* enim & *Reſch* vix differunt. Sic etiam in Abdiam Prophetam ſcribit: *Onus Duma, paululum literæ apice commutato, pro* ד *Legi poſſet* ר, *& ſonare Romam*. ו *Vau quoque littera, & pro u, & pro o, eorum lingua accipitur*. Quis ita linceus, ut in eo apice punctum vocale perſpicere poſſit? Sed verba quæ ſequuntur, manifeſte convincunt nullam

c *Zach. 12. v. 10.*

fuiſſe

(27) De Siclis ſub Regibus Iſrael caſis videatur nota (24) præcedens. (W)

fuisse S. Hieronymo punctorum vocalium cognitionem. Quid enim erat expeditius ad quæstionem propositam, quam dicere duplex esse vau, nempe ו *Vau cholem*; quod sonato; & ו *Vau schurec*, quod sonat v: *vau* autem pronuntiari *v*, si punctulus in medio ejus infigitur; *o* vero si punctulus ipsi superscribitur. Sane S. Hieronymus qui scientiæ Hebraicæ nunquam fuit parcus æstimator & ostentator, hanc nactus occasionem, aliquid de ea differendi non prætermisisset. *His accedit* quod idem sanctus ibidem scribat, *Samaritani Pentateuchum Mosi, totidem literis scriptitant, figuris tantum & apicibus discrepantes.* Porro character Samaritanus semper punctis caruit, ut testatur Abraham Ekellensis, qui asserit se Chronicum Samaritanum legisse, quod omnia singula enumerat, quæ in sacro Codice ab Esdra, vel mutata sunt, vel addita, vel adempta: ac inter cætera de illo summopere conqueritur, quod antiquos & ab ipso Mose conditos characteres, in hos quos habemus nunc, & vocamus quadratos, permutavit; de punctis vero nec verbum quidem facit. Ex quibus colligere est, punctorum neque Mosen, neque Esdram fuisse Auctores.

Contrariæ sententiæ assertores, eam tuentur *primo* hoc Christi Domini oraculo. [a] *Donec transeat cœlum & terra, jota unum, aut unus apex non præteribit a lege, donec omnia fiant.* Et rursus, [b] *facilius est cœlum & terram præterire, quam de Lege unum apicem cadere;* pro *apice* autem in Græco est κεραια, quæ vox apud Plutarchum, punctum significat: igitur inquiunt apicis nomine punctuales vocales intelligit.

a *Matth.* 5. 19.

b *Luc.* 16. v. 17.

VII. *Verum* respondeo *apicis* voce, non significari aliquam vocalem literam, sed summam literæ particulam, vel summum elementi fastigium. Similiter per κεραιαν, intelligitur particula, quælibet minima, quæ ab alio delecatur. Punctuales autem vocales non possunt appellari particulæ, sic ab invicem distinctæ; unde Christi Domini verba de ejusmodi punctis non sunt usurpanda. Alius itaque quærendus est ipsius verborum sensus; nempe quod cum י *Jod*, in Hebræorum Alphabeto litera minima sit significare voluit adorandus ille Salvator, non modo hanc excidere non posse, sed minimam quidem ejus particulam, si ea quantumvis parva divideretur, prius quam ea quæ de ipso in Lege vaticina a fuerant, implerentur. Nam ut ad illum Evangelii textum observat Grotius, vox κεραια idem sonat quod *apex* Latine. *Apices* autem, inquit, literarum, ipsos literarum ductus aut partes dixit Gellius; & hinc nata translatio *De juris apicibus disputare*. Etiam Aristides de Græcorum Legibus agens, dixit νόμ κεραιαι. In glossis veteribus apex, κερια, γραμματος ἄκρον. Sed & apud Plutarchum, Dionem Chrysostomum, Philonem Judæum, Clementem Alexandrinum, & in Pseudo-Sibillinis extat vox κεραια eo sensu.

Opponunt secundo: Nulla est prorsus lingua, quæ vocalibus literis careat, solisque consonantibus constet; vocales enim sunt quasi dictionum animæ, sine quibus nec formari, nec proferri possunt; unde a *voce* dicuntur *vocales*, quia earum adminiculo, vox articulata profertur. Sed non aliæ cogitari possunt vocales Hebrææ præter puncta vocalia. Igitur hæc consonantibus fuerunt coæva, & a Mose harum literarum inventore sacro textui inserta.

VIII. Ultro fateor nullam linguam carere vocabulis, unde etiam Hebræa, tam vocales quam consonas, instar aliarum linguarum, semper habuit; nam א *Aleph*, a, ה *he*, e; י *jod*, i; ו *vau*, o, & u, quæ hodie pro consonis tantum habentur, olim, ut S. Hieronymo & aliis placet, pro vocalibus erant usurpatæ. Id aperte docet Josephus, [c] ubi ornatum Templi & summi Sacerdotis describens, ait: *Caput Byssina Tiara tegebat Hyacinthis coronata, & circa eam alia corona erat, aurea, scriptas ferens sacras literas, quæ sunt quatuor elementa vocalia*: ubi vides nomen Dei Tetragrammaton, יהוה ex quatuor literis componi, quæ vocales dicebantur. Igitur verum est Hebræos, ante punctorum vocalium inventionem, suas vocales habuisse. Nec mirum, illi quippe tot habuerunt literas, quot aliæ Nationes; cum hæ ab illis suas literas exceperint; ac subinde suas vocales, sicut & consonantes habebant. Unde non potuit Hebraica lingua, vel Scriptura, sine vocalibus quibusdam pronuntiari; tametsi absque ullis notis & characteribus interdum scribatur. (28)

c *lib. 6. de bello Iud. cap. 6.*

(28) Adversus hanc a Frassenio propositam responsionem insurgere quis posset ostendens non satis fuisse quatuor literas א. ה. ו. י. quæ veluti vocales habebantur, atque *lectionis Matres, & pronunciationis Magistræ* vocabantur, ad constituendum germanum vocabulorum, in quibus exaratæ erant, intellectum, quandoquidem unaquæque ex his *Magistris literis* sonum habere potest aliarum omnium vocalium literarum; v. g. א sonum potest habere literarum a, e, i, o, u; quidquid autem de א dictum est, idipsum de aliis literis Magistris dici potest: quomodo ergo legitimum vocabulorum sonum, & sensum per vagas illas literas constituemus? Verum quod magis est: innumeræ in Bibliis, aliisque Hebræorum libris inveniuntur voces, quæ nec unam ex illis *Magistris* literam habent, cum tamen vocabulum nullum sine vocalibus literis fingi queat; literæ ergo illæ quatuor, quæ vocalium munere functæ dicuntur fuisse, non satis ad Hebraicas dictiones constituendas videntur; proindeque puncta vocalia a tempore Mosis, vel Esdræ instituta fuisse merito creduntur.

Huic argumento qui Eliæ tuentur sententiam respondere compelluntur potuisse Judæos suos codices optime perlegere sine punctis vocalibus, & solo consonantium literarum præsidio, eodem ferme pacto, quo suos codices Samaritani legunt, quamquam & ipsi vocalibus literis sint destituti; idem quippe alphabetum literarum habent cum Hebræis, ut patet ex tabula Frassenii Cap. VI. num. VII. hujus libri proposita.

Compertum utique est homines linguam aliquam perfecte callentes, ex solo sermonis ordine ejus linguæ scripturas quaslibet abbreviatas expedite legere, quomodocumque vocales ibidem suppressæ sint; hinc Prideauxius etiam, quamvis paulo post Esdram puncta vocalia inventa fuisse defendat Part. 1. Historiæ Judæorum Lib. 5. fatetur tamen ab Orientalium idiomatum peritis optime legi libros, mandata, statuta, & Acta publica Syriace, vel Arabice, vel Persice absque vocalibus literis conscripta. Concedit ulterius libros Hebræorum quoscumque, demptis veteris testamenti communibus codici-

Opponunt tertio; Librum Zohar omnium Kabbalisticorum esse antiquissimum (cujus Auctor putatur R. Simeon filius Jochai, quem plurimi Judæi Christi Domini ævo, ac subinde Massorethis Tiberiensibus anteriorem & majorem faciunt) aperte meminit punctorum vocalium, nam fol. 110. ait: *Puncta & vocales sunt traditio Mosis de Monte Sinai*; & fol. prox. *Motiones accentuum omnes firmatæ per manum Mosis*: nominatim vero meminit *Segol*, *Tsere*, *Chirik*, &c. & fol. 262. *Dictiones absque punctis, sunt sicut mulier absque vestimento, quæ non potest prodire in publicum*. Et fol. 28. *Non est subsistentia aut lux ullis literis, sine luce punctorum: & totum illud traditum est per secretum Legis in Sinai*. Idem habetur in libro Bahir, teste R. Bechai sect. Exodi, [a] ubi legimus; *Talia sunt puncta cum literis Legis Mosis, qualis est anima vitæ in corpore humano*: qui utique liber paris antiquitatis cum libro Zohar censetur. Igitur punctuales vocales non sunt recens Massoretharum Tiberiensium inventum.

a *Exod.* 13. *v.* 17.

IX. *Respondeo* librum Zohar, non esse tantæ antiquitatis, quantam comminiscuntur quidam Judæi, quippe cum fatentibus etiam Rabbinis, ante annum Christi 1240. apud suos non innotuerit. Qui enim fieri potuit, ut liber iste mille ducentis annis latuisset, si revera ea, quam ipsi fingunt, ætate fuisset editus? *Reponunt aliqui*, latuisse in Ægypto. Verum Rabbi Saadias totius Ægypti Doctor celeberrimus, ex Ægypto Babylonem, ad scholas & Judæorum triounalia regenda evocatus; multa scripsit de genere Kabbalæ, qua totus inspergitur hic liber: de eo tamen ne verbulum quidem facit. *Similiter* R. Moses Bar Nachman, de eodem Kabbalæ genere plurima scripsit, atque in Palæstina diu vixit, obiitque in Europam reversus anno Christi 1260. qui tamen hujus libri, nequidem ex nomine meminit. Idem dicendum de maximo illo Mose Cordubensi, qui propter diuturnum in Ægypto incolatum, vulgo dictus est Ægyptius: is enim plurima volumina scripsit, in quibus aliquando Simeonis Ben-Jochai honorifice meminit, qui tamen librum Zohar ne ex umbra quidem cognovit.

His adde quod liber iste pluribi, maxime in Genesim, [b] Ismaelitas seu Muhammedanos plurimum commendat, propter summam doctrinæ eruditionem, quod utique contingere non potuit, nisi ducentis post Mahumetem annis, hoc est, post annum Christi 800. quo scilicet tempore, ab eis expugnata & subacta Orbis parte, artes liberales & scientias magno conatu coluerunt; & libros Græcos omnis generis in linguam suam transtu-

b *Colum.* 263. & 266.

dicibus, absque vocalibus punctis esse exaratos, & tamen ab Hebraicæ linguæ peritis juxta legitimum eorum sensum hac etiam ætate peroptime legi. Quomodo autem sonus literarum magistrarum esset in dictionibus decernendus uno potius quam altero modo, id ex grammaticæ Magistris appercipiendum erat, quod absque gravi difficultate in vernacula lingua poterat obtineri. Hujusmodi legendi regulas in speciali Tractatu editurum se aliquando clarissimus vir Benedictus Blancuccius linguæ Hebraicæ Professor spopondit, quamvis & alii non desint, præter Hebræos non paucos, qui materiam istam pertractarunt idonee.

Per responsionem istam, quam oppositæ Frassenio opinionis fautores ipsi suppeditant, facile obviam iri videtur cæteris eorum, quæ supersunt argumentis, inventionem punctorum vocalium vel ad Mosis ætatem, vel ad tempestatem Esdræ saltem ex parte revocantibus. Si enim quispiam cum Mario Calasio Ordinis Sancti Francisci alumno & linguæ Hebraicæ Professore opinetur imperfecte satis & inconcinne a Mose Scriptam fuisse legem, si vocalibus literis divinus ejus codex caruisset, quippe qui voces omnino vagas referret, & indeterminatas ex hominum postea voluntate ad sensum aliquem exprimendum determinandas per punctorum vocalium liberam & arbitrariam appositionem; jam cum divinæ scripturæ sensus dependeat a vocibus, seu verbis, ista autem a vocalibus literis, si Massoretarum inventio sint vocalia puncta, non Mosis, aliorumque Divinorum Scriptorum; si a Massoretis Sacro Codici sunt inscripta, cum isti non credantur fuisse Prophetæ, sequitur necessario sensum, quem modo Sacri Codices præseferunt non divinæ sed Massoretarum inhærere auctoritati; quod est absurdum.

Facile, inquiebam, obviam huic ibimus argumento, si dixerimus quamcumque vocem fuisse in scriptura Hebraica sub certis literis constantissimam, atque invariabilem quandiu usum scribendi sine punctis Judæi custodierunt, eo ferme pacto quo abbreviaturas in Græco, & Latino harum linguarum periti eisdem vocibus, & sonis constantissime legunt, eumdemque sensus eisdem semper affigunt esto vocalibus omnibus sint destitutæ, variisque vocalibus, & variis sensibus donari queant, sicuti ex innumeris, quæ in medium a latina scriptura proferri possent exemplis pauca, quæ proponimus, quæque familiarissima in scriptis sæculi decimi quarti & sequentium habebantur, ostendunt: en igitur unum = l'ʒ. scm̃. al'. q̃. sm̃. bnfm̃. vr. ꝺ. Spm. S.; tm̃ ꝑm̃', ddʒ. q. sm̃. q. am̃. dcm̃. e. s. ỹ p̃dcā. pt. Plat'. in pctis. q̃. &c. ideſt = licet factum aliter quam secundum beneficium videtur contra Spiritum Sanctum; tamen respondetur dicendum quod secundum quod ante dictum est supra versiculo *prædicta* potest Prælatus in peccatis, quæ &c. Hujuscemodi abbreviationes si diversis vocalibus donentur utique diversas voces exhibebunt, & sensus, & tamen constantissime legebantur, prout expositæ sunt, ab omnibus eo tempore quo ferebantur in usum. Idipsum de Græcorum abbreviationibus dicendum; semper enim $\overline{\kappa\varsigma}$ lecta est κύριος, & $\overline{\kappa\nu}$ lecta est κύριον. quamvis duæ illæ consonantes literæ aliarum vocalium diversorumque sensuum essent susceptibiles. Sicut ergo duæ linguæ Græca & Latina esto in varius earum vocibus supprimerentur vocales addisci poterant etiam postquam desierunt esse vernaculæ; & quemadmodum modo Hebræorum libri sine punctis & scribuntur & perleguntur, ita pariter dilci poterat, & intelligi, veruque sensus appingi Hebræorum scriptis vocibus, quamquam sine punctis, etiam postquam vernacula esse desiit Judæis Hebraica lingua, eorum scriptura haberetur; si præsertim dupliçis generis Magistri inter Hebræos, quorum aliqui grammaticem & legendi artem, alii vero scripturæ intelligentiam edocerent, ut conjectat Prideauxius Part. 1. Lib. 5. Historiæ Judæorum extitisse supponantur, atque præsidium quatuor literarum *magistrarum* vocalium loco adhibuisse, ubi necessarium foret, existimentur. Hinc concludi potest cum Frassenio post quintum circiter Ecclesiæ Christianæ sæculum puncta vocalia Sacris Bibliis fuisse adjecta, quin vel periculum quoddam legitimus scripturæ sensus subierit, vel impossibiles intellectu Sacri Codices haberentur, cum Massoretæ vocalia puncta ea lege apposuerint ut sonum redderent, & sensum in vocibus, qui antea in Synagoga, quæ Divinorum oraculorum custos ad Christum usque indubie fuit, tenebatur. (W)

tulerunt. Unde factum est, ut ex eis plurimi floruerint viri, in Mathematicis & medicina doctissimi; & non modo in Asia, verum etiam & in Europa nostra celeberrimi. Vides ergo manifestam Judæorum impostu-ram in fictitia hujus libri antiquitate.

Nec obstat quod liber iste præ se ferat nomen R. Simeonis filii Jochai tanquam Auctoris: nam, ut observat Buxtorfius, [a] nihil frequentius est apud Judæos, quam libros recentes inscribere nominibus veterum, ut venerandæ antiquitatis obtentu majorem ipsis auctoritatem concilient.

[a] *in Biblioth. Rabinic.*

Opponunt quarto, in Massora frequens est vocalium & accentuum mentio, tanquam rei pridem usitatæ; observantur enim in ea multa vocabula contra regulas punctari. Igitur oportuit punctuationem illam pridem ante Massorethas fuisse in usu.

X. *Respondeo* Massoram non ab aliquo certo Auctore, nec eodem tempore fuisse confectam, sed cum a variis Rabbinis incepta fuisset, & per multas annorum centurias continuata; tandem a posterioribus absoluta fuit & repurgata. Unde posteriores hi Rabbini, qui novis studiis sacrum textum recensuerunt, potuerunt annotare plurimas punctuationes a prioribus contra regulas fuisse adjectas.

Opponunt ultimo, si punctorum vocalium inventio recens esset hujus admirandi inventi vestigium aliquod appareret in historia Judaica, illiusque Auctores recenserentur, de quibus tamen apud Judæos historicos altum est silentium. *Deinde* hæc punctorum recens inventio tribuitur scholæ Tiberiensi, circa annum Christi 500. At, inquiunt, post annum Christi 340. ejusmodi scholæ nulla fit mentio, sed duntaxat Babylonicæ, quæ per mille annos post urbis excidium duraſſe videtur. *Denique* cum Rectores scholæ Babylonicæ, apud Judæos essent celebratissimi; ita ut Judæi per varias nationes dispersi, in controversiis & dubiis circa Religionem ab eorum judicio, & sententia omnino penderent, haud dubium est, quod si recens fuisset punctorum inventio, potius ipsis esset tribuenda, quam Tiberiensibus, qui pari gloria, fama, & sapientia apud suos non erant celebres. Igitur, &c.

Respondeo ad primum, Judæos post urbis excidium, ob transmigrationum calamitates, & frequentem in remotissimas Nationes abductionem & dispersionem, in propria texenda historia, parum studiosos ac diligentes censeri; quapropter Grotius [b] Judæos appellat, *pessimos historiæ magistros*, quibus proinde vix credendum est, nisi probati aliunde testes accedant: id maxime compertum sit in Talmude, ubi quæ recensentur, tot fabulis ac næniis inspersa sunt, ut supposititia a veris secernere, grandis sit labor. *Accedit* quod rarum non sit illustrium inventionum Auctores ita ignorari, ut nec eorum nomen, nec patria, nec ætas prodatur. Quis enim primus Auctor fuerit Telescopii, nemo est, qui asserat; excoluit quidem ipsum Galilæus: at ante illius ætatem inventum fuisse citra dubium est. Quis mirandæ artis Typographicæ primus delineator extiterit, adhuc sub judice lis est; nam antequam Europæ innotesceret, dicunt quidam illam pridem apud Chinenses fuisse in usu. Quis tandem inventor pyxidulæ nauticæ, seu instrumenti ad magnetem conformati, quo navigatio per Oceanum non ita formidabilis cœpit esse, quærunt plerique; nemo certo definit. Vulgata quidem fama est paucis ab hinc sæculis, a cive quodam Amalphitano, Europam tanto beneficio donatam, ut referunt Blondus, [c] Jovius, [d] & Leander Albertus: [e] at eam Italis monstratam peritiam per Marcum Paulum Venetum circa ann. 1260. quam apud Sinas didicerat, subinnuit Guillelmus Gilbertus Angelus. Verum plerique Interpretes a Paulo Sherlogo [f] laudati, contendunt hanc artem a Salomone fuisse derivatam, quippe cum ejusmodi compendio ad navigationes in auriferos tractus Ophir & Tharsis, maxime opus habuerit. Non ergo mirum, quod punctorum vocalium inventio, certum jam non habeat Auctorem: hujus enim utilitas tanta evidentia comperta fuit, ut ad ejus commendationem non fuerit opus Auctoris nomen attexere, nec publicum Synagogæ edictum,

[b] *in Matth. c. 24. v. 24.*

[c] *in descript. Campaniæ.*
[d] *lib. 25. historiar.*
[e] *in delineat. Italiæ.*
[f] *lib. 2. antiq. Hebraic. dissertat. 3. sec. 1. n. 5.*

XI. *Ad secundum dico*, scholam Tiberiensem diutius quam fert objectio floruisse; siquidem S Epiphanius qui circa annum 400. florebat, meminit scholæ Judæorum Tiberiadæ, [g] & affirmat res Judæorum, tam ibi, quam in aliis Palæstinæ locis, tunc temporis prospere succesſisse. Quin etiam S. Hieronymus testatur, se inter alios præceptores, unum habuisse celebrem ex schola Tyberiensi: hæc itaque illius adhuc ætate vigebat. *Insuper* Ben-Ascher, qui universam Bibliorum punctuationem recensuit, post annum Christi 1000. in Palæstina vivebat; idcirco omnes Occidentales Judæi, ipsius lectioni maxime studuerunt. *Adde* quod perinde nobis sit, utrum punctorum vocalium inventio facta fuerit a Rabbinis Tiberiade, aut alibi existentibus, dummodo recens illa censeatur, nec adscribatur divinis Scriptoribus; sitque duntaxat humanum inventum, nulla divina auctoritate probatum.

[g] *Hæresi 30.*

Ad tertium dico, incertum esse, utrum eo tempore, quo excogitata videntur puncta vocalia, adhuc floreret schola Babylonica. *Deinde* tametsi aliqua ejus tunc temporis fuisset commendatio, forte tamen tanta non fuit, quanta scholæ Tiberiensis, quæ cum esset in Palæstina, majoris apud Judæos auctoritatis erat, quam ea quæ forte apud Babylonios florebat. Quanquam enim Munsterus existimet, puncta hæc inventa in Tiberiade Moesiæ; Hieronymus autem Valensis, [h] in Tiberiade Paphlagoniæ; Uvoverius vero [i], in Paphlagonia Moesiæ; nihilominus tamen verosimilior sententia est, hanc inventionem factam fuisse a Rabbinis Tiberiade Palæstinensi existentibus; est enim Tiberiadis in Palæstina, seu Judæa, urbs percelebris, ut legimus Joan. VI. & XXI. ubi Synagogæ complures & plurimi Rabbini, ut referunt S. Epiphanius, [k] & S. Chrysostomus. [l]

[h] *lib. de accent. Hebr. cap. 1.*
[i] *in Polymatia ca. 18.*
[k] *Hæresi 30.*
[l] *præfat. in lib. Psal.*

CAPUT NONUM

A quibus literas, & ſcribendi artem Sapientes Ethnici videantur hauſiſſe.

I. *Europææ Nationes literarum uſum a Latinis, & Latini a Græcis acceperunt.*
II. *Græci vero a Phœnicibus, præſertim Cadmo.*
III. *Qui non erat Ægyptius, ut Marshamus fingit, ſed Phœnix.*
IV. *Phœnices ab Hebræis edocti ſunt: inde utriſque eadem lingua, eædem literæ.*
V. *Quæ a Græcis etiam hodiernis paululum diſcrepant, ut apparet ex earum collatione in propoſito Schemate.*

OMNEM Sapientum eruditionem ex literarum uſu pendere, præter aſſiduam experientiam, ratio etiam ipſa demonſtrat; per eas enim humana mens foras prodit, ſeipſamque ſapientia depingit, & deponit in librorum velut ſacrario conſervandam, atque ad poſteros & abſentes tranſponendam. Unde merito omnis ſapientiæ primatum ſibi vendicant Hebræi: ſiquidem ab eis literas primum, deinde eruditionem omnem cæteræ Nationes, tanquam a primordiali ſcaturigine hauſerunt, quod manifeſtum fiet ex duplici ſequente Paragrapho.

§. I.

Cunctarum Gentium Alphabetariæ literæ ab Hebræis expreſſæ ſunt.

I. CONVENIUNT omnes antiquitatis periti, Latinos a Græcis literarum notitiam & uſum primum accepiſſe: ſive enim ſtatuamus cum Solino eas in Latium introductas a Pelaſgis, qui circa annum 150. poſt adventum Cadmi in Græciam, ab ea in Italiam migrarunt; ſive ab Arcadibus ſub Evandro LX. annis poſt illum Pelaſgorum in Italiam acceſſum; citra controverſiam erit, Latinos a Græcis eas fuiſſe mutuatos; idque diſerte affirmat Dionyſius Halicarnaſſ. [a] γραμματικὴν Ἑλληνικὴν χρῆσιν εἰς Ἰταλίαν πρῶτοι διανεμηθεῖσαι, i. e. Arcades primi in Italia Græcarum literarum uſum invexerunt. Similiter Tacitus [b] aſſerit formas eaſdem eſſe literis Latinis cum veterrimis Græcorum: & Plinius [c] idem probat ex Delphica tabula antiqui Æris, quæ tunc erat in palatio dono Principum, Minervæ dicata: cum hac inſcriptione: Ναυσικράτης τισαμένου Ἀθηναῖος, In quibuſdam vero codicibus adjiciuntur hæc verba: κόρῃ καὶ Δ θεᾷ ἀνέθηκε, vel ut ſuſpicatur Voſſius [d] κόρῃ καὶ δεσποίνῃ Ἀθηνᾷ, ut ſit ſenſus: *Nauſicrates Tiſamenti filius, Athenienſis, Virgini ac dominæ Minervæ hæc ſuſpendebat.*

Quod ad alias nationes Europæas attinet, difficile non eſſet oſtendere, pleraſque literas Græcas aut Latinas a Græcis expreſſas, vel a Romanis per ipſorum Victorias & Colonias; vel per illorum ad Religionem Chriſtianam converſionem hauſiſſe. Quin etiam Aimoinus Auctor eſt, Childericum Francorum Regem, Græcas literas frequentari voluiſſe, & mandaſſe Gallis, ut his quatuor Græcorum literis uterentur, nempe θ. φ. χ. ψ: ac de numero iſto conſentit quoque Gregorius Turonenſis [e]: ſed alias memorat, [f] nempe ο. υ. ζ. η. Rem igitur brevi conficiam, ſi demonſtravero Jonicas literas, quæ eædem erant cum Hebræis aut paulo diverſæ, a Phœniciis fuiſſe expreſſas,

II. Porro fatentur omnes Græci, ſe ſcribendi artem & literas, a Cadmo Phœnice Regiſque Tyri filio; aut ut volunt alii, ejuſdem militum Præfecto accepiſſe. Iſtud in primis diſerte tradit Herodotus, quem *hiſtoriæ patrem* appellant, ſcribit [g] enim: *Phœnices iſti qui cum Cadmo advenerunt, quorum Gephyræi fuere, dum hanc regionem incolunt, cum alias multas doctrinas in Græciam introduxere, tum vero literas, quæ apud Græcos, ut mihi videtur, antea non fuerant. Et primæ quidem illæ extiterunt, quibus omnes Phœnices utuntur: progreſſu vero temporis, una cum ſono mutaverunt, & modulum priſtinum. Et cum ea tempeſtate in pleriſque illis locis eorum accolæ Jones eſſent, qui literas a Phœnicibus diſcendo acceperant, eas illi cum ſuis pauculis colloçantes in uſu habuerunt: & in utendo confeſſi ſunt, ut ratio ferebat; vocari Phœnices, quod eſſent a Pœnicibus in Græciam illatæ.* Zenodotus quoque de Zenone, in Epigrammate apud Laertium:

Si patria es Phœnix, quid tum? fuit hæc quoque Cadmo
Patria, qui Græcis prima elementa dedit.

Unde apud Heſychium [h] ἐφοινίξαι, *phœniciſſare*, eſt ἀναγινώσκειν *legere*. Hinc mare advexiſſe dicit Plutarchus [i] τὰ φοινίκεια γράμματα μνημόσυνα λήθης *ex Phœnice literas adverſus oblivionem remedium*. Et Tacitus: *Fama eſt Cadmum claſſe Phœnicum vectum, rudibus adhuc Græcorum populis, artis ejus Auctorem fuiſſe*. Et Mela [k] de Phœnicibus: *Literas & literarum operas, aliaſque artes, maria navibus adire, claſſe confligere, imperitare gentibus,*

a *Lib.* 2.
b *lib.* 11.
c *lib.* 5. *cap.* 58.
d *lib. de Arte Gram. pag.* 50.
e *cap.* 40.
f *lib.* 5. *Hiſt. Franc. c.* 45.
g *lib.* 5. *pag.* 309.
h *lib.* 11.
i *lib. de aqua & igne.*
k *lib.* 11. *cap.* 12.

tibus, regnum præliumque commenti. Et Curtius [a]: *Si famæ libet credere, hæc* (Tyriorum) *gens, literas prima aut docuit, aut didicit*. Et Clemens Alex. [b] Κάδμος ὁ Φοῖνιξ ὃν ὁ τῶν γραμμάτων Ἕλλησιν εὑρετής, ὃς φυλὴ Βύβλιος, *Cadmus autem erat Phœnix, Græcis literarum inventor, ut ait Euphorus*. [c] Ea de re videri poſſunt Plutarchus [d], Victorinus [e], Iſidorus [f], & Athanaſius [g].

Adverſus tam apertam, totque teſtimoniis firmatam veritatem nonnulli occurrunt: in primis vero Joſephus contendens literarum uſum, apud Græcos Cadmo eſſe multo recentiorem: *Qui literarum uſum antiquiſſimum eſſe volunt*, inquit, *a Phœnicibus & Cadmo gloriantur ſe didiciſſe: ſed neque illo tempore quiſquam demonſtrare poſſit ſervatam inſcriptionem, neque in templis, neque in publicis anathematibus*. Adjicit poſtea Græcos Trojani belli tempore adhuc literas ignoraſſe. Verum ait Bochartus [h]: fallitur Joſephus; neque enim in Græcia deerant inſcriptiones, non Homero ſolum, ſed & Trojano bello vetuſtiores. Talis illa Amphitryonis, quam Thebis in Iſmenii Apollinis templo literis Cadmeis in tripode inciſam ſe legiſſe ſcribit Herodotus; [i]

Ἀμφιτρύων μ' ἀνέθηκε, ἰὼν ἀπὸ τηλεδόαων.
Obtulit Amphytrion me Gentis Teleboarum.

Facta hæc ætate Laii qui Cadmum habuit proavum. Ibidem etiam legere eſt duas alias inſcriptiones pene ejuſdem ævi. Scribit etiam Plinius [k]: *Mutianus ter Conſul prodidit nuper ſe legiſſe, cum præſideret Lyciæ, Sarpedonis a Troja ſcriptam in quodam templo Epiſtolæ chartam;* fuit ergo Scriptura in uſu apud Græcos etiam ante bellum Iliacum.

Non etiam officit quod Tzetzes [l] probare nititur Græcos habuiſſe literas, etiam ante Cadmum, tum quod Cadmo oraculum redditum fuit tum quod Bellerophon eo antiquior, ſcriptas tabulas attulit. At utrumque argumentum futiliſſimum eſſe demonſtrat Scaliger [m], utpote cum utrumque geſtum, confictum fuerit a Poetis. Addit Bochartus oraculum quidem ipſi Cadmo redditum fuiſſe in Græcia, non tamen eſſe conſequens, literas tunc temporis in uſu fuiſſe apud Græcos; ſiquidem multi populi ante literarum uſum, ſuos habuerunt Vates. In poſteriore autem argumento, Tzetzes ſupponit rem falſiſſimam, nempe Bellerophontem antiquiorem eſſe Cadmo. Nam Proetus Rex Argorum, qui hoſpiti ſuo Bellerophonti dedit σήματα λυγρὰ *funeſtas literas*, in Lyciam ferendas ad Jobaten, regnare cœpit Argis, annis 45. poſt Thebas a Cadmo conditas. Conſtantiſſimum ergo eſſe debet, Græcos literas Alphabetarias a Phœnicibus, nempe Cadmo accepiſſe [n].

Antiquiſſimis tamen temporibus ſexdecim tantum literæ Græcis erant in uſu, ut poſt Scaligerum recenſet Bochartus, nempe Α, Β, Γ, Δ, Ε, Ζ, Ι, Κ, Λ, Μ, Ν, Ο, Π, Ρ, Σ, Τ. reliqua ſex Epiſema. Inde eſt quod plerique veteres dicunt ſexdecim ſolum literas a Cadmo traditas. Ita Plinius [o] utrique in Græciam intuliſſe a Phœnice Cadmum ſexdecim numero. Et Irenæus [p]: Græci fatentur a Cadmo primum ſexdecim literas ſe accepiſſe. Et Caſſiodorus initio Grammaticæ ubi de literis: Quas, inquit, primus omnium Cadmus ſexdecim tantum legitur inveniſſe, eaſque Græcis ſtudioſiſſimis tradidiſſe. Tandem Euſebius [q]: Athenienſes XXIV. literis uti cœperunt, cum ante XVI. tantum literas haberent. Vides igitur Græcos literas ſuas a Phœnicibus accepiſſe.

III. Nec eſt quod nobis objiciat Marshamus nuperus Auctor Anglus [r] Cadmum non Phœnicem, ſed Ægyptium fuiſſe, ut docere videntur Diodorus Siculus [s] & Euſebius [t] ubi ſcribit: *Phœnix & Cadmus de Thebis Ægyptiorum in Syriam profecti apud Tyrum & Sidonem regnaverunt*. Hæc inquam nihil officiunt, quippe, ait Bochartus, [u] hanc fabulam refellunt *Phœnicis & Cadmi* nomina, quæ Phœnicia ſunt, non Ægyptia: necnon & vetuſti Phœnicum annales, quorum Auctor Sanchuniatho; ibi enim *Chna*, qui *Phœnicis* cognomen primus habuiſſe legitur, ex Phœnicia eſt oriundus; atque illud ipſum nomen Chna, vel ex Chanaan, vel ex Chananæo contractum eſſe apparet: Phœnicum denique ſacra & ritus ſunt ab Ægyptiacis diverſiſſima, ut teſtatur S. Athanaſius [x]: *Phœnices quidem*, ait, *Ægyptios Deos non agnoſcunt, nec Ægyptii viciſſim eadem adorant Idola cum Phœnicibus*. Non eſt ergo cur tam avide Marshamus geſtiat omnem Græcorum literaturam & eruditionem, ad Ægyptios potius, quam ad Phœnices & Hebræos referre.

IV. Quod autem ſecundum argumenti noſtri caput eſt, nempe in ipſa Phœnice non eſſe primum natas literas, ſed a Syris aut Hebræis ad Phœnices prodiiſſe, jam ſuperius ex parte demonſtratum eſt; & confirmatur inſuper luculento teſtimonio Diodori Siculi: [y] *Syri quidem*, inquit, *literas invenerunt; ab iis autem edocti Phœnices Græcis tradiderunt; hi nimirum qui cum Cadmo in Græciam navigaverunt*. Similiter Plinius [z]: *Literas*, inquit, *ſemper arbitror Aſſyrias fuiſſe, ſed alii apud Ægyptios a Mercurio, ut Gellius: alii apud Syros repertas volunt*. Syrorum autem nomine, Hebræos intelligendos eſſe aperte declarat Euſebius [aa], ubi cum dixiſſet Cadmum communes literas, adeoque prima Grammatices elementa Græcos docuiſſe; ſubdit: *Nec deſunt qui a Syris excogitatas illas fuiſſe velint: Syri autem illi ſunt etiam, Hebræi qui finitimam Phœniciæ regionem, quæ quondam Phœnicia, tum Judæa hodie vero a noſtris Palæſtina dicitur, incolebant*. Rem diſtinctius definit Eupolemus [bb] jam a nobis laudatus, dicens apud Euſebium, *Moſem primum ſapientem fuiſſe, Judæiſque primum literas tradidiſſe, a quibus eas Phœnices, ut a Phœnicibus Græci acceperint*.

Idipſum aperte colligitur ex variis Auctorum veterum teſtimoniis, quibus conſtat Phœniciam linguam eandem fuiſſe cum Hebraica, aut modica deflexione ab ea expreſſam. Hoc in primis indicat Sanchuniatho [cc] his verbis *Deum unum Cœli moderatorem eſſe* cre-

a *lib.* 4.
b *lib.* 1. *Strom. pag.* 306.
c *in Sympoſ. lib.* 9. *q.* 2.
d *lib.* 1. *cap. de Orthogr.*
e *lib.* 1. *Orig. cap.* 3.
f *lib. contra Gentes.*
g *lib.* 1. *contra Apion.*
h *lib.* 1. *Geogr. ſacra pag.* 490.
i *lib.* 5. *p.* 310.
k *lib.* 13. *cap.* 13.
l *Chiliade* 5. *&* 10.
m *in Euſebium Chronic. p.* 113.
n *Vide Euſeb. lib.* 2. *Chronic.*
o *lib.* 7. *cap.* 56.
p *lib.* 1. *c.* 2.
q *lib.* 1. *Chron.*
r *in Chronic. pag.* 118. *& ſeq.*
ſ *lib.* 1. *p.* 14.
t *Chronic. lib.* 2.
u *lib.* 1. *p.* 374.
x *Orat. contra Gentes.*
y *lib.* 5.
z *lib.* 7. *cap.* 56.
aa *lib.* 10. *de Præpar. cap.* 5.
bb *lib. de prep. pag.* 431.
cc *apud Euſeb. lib.* 1. *prep. pag.* 34.

credebant, eumque propterea vocant BELSAMEN *; id eſt, Phœnicum lingua* COELI DOMINUM. Porro hæc appellatio Hebraica eſt בעל שמים *Baal ſchamaim*. Plutarchus in Sympoſiacis [a] refert Cadmum, quia bos ei primus occurriſſet, dum urbem in Bœotia condere vellet, propterea primam literarum nominaſſe *alpha*, quia inquit, *Phœnices bovem ſic appellant*; eadem vero apud Hebræos eſt ſignificatio: vocabulum enim אלף *eleph Bovem* denotat. Hinc Lucianus, nullum Phœniciam inter & Hebræam linguam diſcrimen agnoſcit: ſcribit enim, ὁ δὲ φώνας τινὰς ἀφῆκε φοινικιστὶ; οἷα φθέγγεται ἐν Ἐβραίοις ἢ φοινίκων, id eſt, *loquebatur ignoto prorſus idiomate, quale eſt Hebraicum aut Phœnicium*. Unde etiam Carthaginenſes a Phœnicibus oriundi, teſte S. Hieronymo [b] Virginem appellabant *Alma*, id eſt, *abſcondita*, ſeu inquit, *Virgo nimia diligentia cuſtodita, quod majoris videtur laudis eſſe, quam Virgo: Virgo quippe juxta Apoſtolum, poteſt eſſe corpore & non ſpiritu; abſcondita vero, quæ Virgo eſt, introrſum virginitatis habet, ut & Virgo ſit & abſcondita*. Hæc autem vox עלמה *Alma*, Hebraice *occultam* ſignificat. Unde præclare ibid. S. Hieronymus, *Alma non ſolum puella & Virgo, ſed cum introrſum Virgo abſcondita dicitur & ſecreta, quæ nunquam virorum patuerit aſpectibus, ſed magna parentum diligentia cuſtodita ſit*. Quod & repetit in libris contra Joviniaanum. Idem S. Hieronymus [c] diſtinctè pronuntiat: *Tyri & Sidonis in Phœnicis litore civitatum Chartago Colonia; unde &* POENI, *ſermone corrupto quaſi* PHOENI *appellantur: quorum lingua Hebrææ linguæ magna ex parte confinis eſt*.

Ei concinit S. Auguſtinus qui linguam Phœniciam, vulgarem Pœnis Africæ, ex Hebræa derivatam eſſe declarat [d]; *Quid eſt* MAMONA? inquit, *verbum eſt enim quod Latinum non eſt, Hebræorum verbum cognatum linguæ Punicæ: iſtæ enim linguæ ſibi ſignificationis quadam vicinitate ſociantur. Quod Punici dicunt* MAMON, *Latini lucrum vocant*. Et rurſum [e]; *Nam & ipſe* CHRISTUS, inquit, *a Chriſmate appellatur, id eſt, ab unctione. Hunc Hebræi dicunt Meſſiam, quod verbum Punicæ linguæ conſonum eſt; ſicut alia Hebræa permulta, & pene omnia*. Idem de hac re plura habet lib. Expoſitionis inchoatæ in Epiſt. ad Rom. Conſentit etiam Priſcianus [f] ubi ait: *Linguam Pœnorum quæ Chaldææ, vel Hebrææ ſimilis eſt & Syræ, non habere neutrum genus*. Notat etiam Livius, Pœnos ſuos magiſtratus ac judices appellare ſolitos *Suffetes*, quod vocabulum mere Hebraicum eſt, ſi terminationem Latinam mutaveris: nam שופטים *ſophetim*, aut *ſuffetim*, judices ſonat.

Denique res ipſa docet Græcas literas ab Hebræis eſſe derivatas. *Primo* quia, inquit idem Joſephus [g], Græcarum literarum nomina ab Hebræis levi deflexione deducuntur: *Quid enim*, inquit, *Alph ab Alpha magnopere differt? Quid autem vel Betha a Beth, vel a Gamma Gimel, aut Deltha a Delth, aut Epſilon ab He, aut a Zai Zeta, aut Theta a Teth, cæteraque deinceps? Maneat ergo, voces illas non Græcorum, ſed Hebræorum eſſe, apud quos ſua cuique ſignificatio tribuitur. Ibi vero natæ cum eſſent, cum ad alios deinde, tum ad ipſos quoque Græcos pervenere*. Hæc Euſebius: ubi, ut vides, paulo aliter utrumque Alphabetum ſcribit, quam jam ſit in uſu. Neque etiam, inquit Bochartus, id Græcos latuit, qui apud Varronem agnoſcunt illa nomina non eſſe Græca. Cum enim Crates Philoſophus quæſtionem Grammaticam in Græcia agitaret, cur non diceretur ἄλφα ἀλφατος, ut ῥῆμα ῥήματος, reſponderunt alii Græci: *Hæc non ſunt vocabula noſtra, ſed barbara*, id eſt, *Phœnicia*, ſeu *Hebræa*.

V. *Secundo*. Quia Phœnices ſeu antiquæ Hebrææ literæ, quibus hodie utuntur Samaritani, in pleriſque tam ſunt ſimiles veteribus literis Græcis, quarum ſpecimen exhibet Joſephus Scaliger [h], ut nemini non pateat has ex illis eſſe expreſſas. Quod etiam conjicere eſt ex hodiernis literis Græcis; niſi quod diverſo ordine ſcribantur, equidem a ſiniſtra in dexteram, illæ vero a dextera in ſiniſtram, qui ſcribendi mos etiam communis erat apud veteres Græcos, ut indicat Pauſanias [i], ubi notat Agamemnonis ſtatuæ adſcriptum fuiſſe nomen, id autem ſcriptum erat a dextera in lævam, id eſt, ſiniſtrorſum, ad morem ævi, in quo vixerat. Eadem Scripturæ verſura exaratas fuiſſe Leges Solonis, teſtatur Suidas in νόμοι. *Tertio* denique præter figuras & nomina; etiam Alphabeti ordo, idem fere Hebræis & Græcis oſtendit utriuſque literas ex eodem fonte fluxiſſe. Ordo enim Alphabeti Hebraici, cujus exemplum apparet in Pſalmis, maxime *Pſalmo* XXV. & in Jeremiæ Threnis, idem eſt cum Græco. Hæc ut plenius ac diſtinctius innoteſcant, placet ſubjicere ſequens Diagramma, quod a Scaligero expreſſit Bochartus, & in quo Samaritanum ſeu Phœnicium, Hebraicum & Græcum ac Latinum eis correſpondens, Alphabeta proponuntur, hic videndum Schema.

Ex hac collatione, inquit ex Scaligero Bochartus, liquet Græcos eundem in literis ordinem ſervare, quem Phœnices & Hebræos; niſi quod interpuncta duo, νίννα & σάντι ſunt tranſpoſita; & hoc illius locum occupat. Nam νίννα debuit poſtponi; quia reſpondet Hebræo *Koph*, & σάντι præponi, quia reſpondet Hebræo *Tſade*. Hodie in vulgaribus Græcorum Alphabetis interpuncta βαῦ & duo alia quæ diximus, νίννα & σάντι plane omittunt, quia nullum amplius in literis uſum habent, nec niſi numeris inſerviunt: nempe ϛ pro ſenario ponitur, Ϟ nonaginta ſignificat, & Ϡ nongenta. De his duobus Epiſemis eſt elegantiſſimus locus cujuſdam veteris Critici apud Bedam [k] his verbis: *Græci omnibus literis ſuis exprimunt numeros. Verum toto Alphabeti ſui charactere in numerorum figuras extenſo, tres, qui plus ſunt, numeros, notis propriis, quæ ex Alphabeto non ſunt, depingunt. Prima eſt* ϛ, *quæ dicitur Epiſemon, & eſt nota numeri* VI. *ſecunda eſt* Ϟ *quæ vocatur Kophe, & valet in numero* XC. *tertia eſt* Ϡ, *quæ dicitur Enneacoſia, quia valent* DCCCC

[a] *lib. 9. probl. 3.*

[b] *in cap. 7. Iſaiæ v. 14.*

[c] *Comment. ad cap. 5. Iſrem.*

[d] *Serm. 35. de verbis Domini.*

[e] *lib. 3. cont. literas Petiliani Donat.*

[f] *Lib. 5.*

[g] *ibid. pag. 474.*

[h] *in animad. Euſeb p 103.*

[i] *lib. 5. pag. 338.*

[k] *lib. de indigit.*

DCCCC. *quia Ennea Græce, novem Latine; enneneconda, nonaginta: Enneacoſia noningenta dicitur.*

Obſervant inſuper Scaliger & Bochartus, Epiſema olim fuiſſe pro literis, ut colligitur ex Romano Alphabeto, in quo Epiſemon βαῦ tranſiit in F, & Epiſemon Koppa in Q: & prius illud Æoles uſurpaſſe pro V. conſonante, nemo neſcit. (29)

CAPUT DECIMUM

Sapientiæ Græciæ pars maxima a Moſe, & Prophetarum libris profluxit.

I. *Græcos Philoſophos ad Judæos, tanquam omnis veræ ſapientiæ fontes, confluxiſſe teſtantur Hermippus, Ariſtobulus, Porphyrius, Jamblicus, Alexander, Joſephus, & plures e SS. Patribus.*

II. *Iſtis unicum Lactantium perperam opponit Marshamus.*

III. *Quam Sapientes Ethnici veram habuerunt de Deo, deque Rerum exordio notitiam, e Moſis libris hauſerunt, ut apparet ex antiquiſſimis Ethnicis Scriptoribus.*

IV. *Ex illuſtriorum Philoſophiæ Sectarum Principibus.*

V. *Ex inſcriptione templi Delphici, aliiſque Teſtimoniis.*

VI. *Ex iiſdem libris aliqua eiſdem Ethnicis Trinitatis Sanctiſſimæ cognitio, confuſa tamen eluxit.*

VII. *Marshami reſponſio confutatur.*

I. SUPERFLUUS hac in ſtabilienda veritate noſter eſſet labor, cum argumentum iſtud pleniſſime jam præoccupatum fuerit ab eruditiſſimis, cum Antiquis, tum Recentioribus Chriſtianæ Religionis Aſſertoribus; niſi ad ſcribendum provocarent quorundam hominum male feriatorum opera, in id maxime collimantia, ut omnem veterum Sapientum, etiam Judæorum, doctrinam in Ægyptios veluti rivulos in fontem, refundant. Quod quam iniquum ſit, & a veritate alienum, ut aperte demonſtrem: *Primum*, advocabo teſtes, omni exceptione majores, non ex Domeſticis tantum, ſed etiam Exoticis, qui apertiſſime conteſtantur, Veteres Philoſophos, præcipua ſuæ doctrinæ capita, ab Hebræis hauſiſſe. *Deinde*, ſelectiora proferam Gentilitiæ Philoſophiæ de Deo, deque Rerum exordiis dogmata, quæ nil aliud quam Moſis doctrinam ſpirant. Quoniam autem immenſum eſſet ac tædioſum ire per ſingula, celebriorum dumtaxat Philoſophorum placita recenſebo.

Ordior a Pythagora, quem norunt omnes propter ſummam eruditionem & antiquitatem cæteris Philoſophis præluxiſſe; maxime vero cultoribus ſectæ Italicæ, cujus Princeps & Auctor fuit: hunc autem maximam doctrinæ ſuæ partem ab Hebræis fuiſſe mutuatum, probat Joſephus a auctoritate Hermippi; *Hermippus*, inquit, *vir circa omnem hiſtoriam diligentiſſimus indagator, refert in primo de Pythagora libro, in quo Pythagoras uno familiarium ſuorum defuncto, nomine Calliphonte, genere Crotoniate, illius animam dicebat ſecum degere die noctuque: & quod præciperet ut non tranſiret locum, ubi aſinus laſpus eſſet, & ab aqua fœculenta ſemetipſum abſtineret, & ab omni blaſphemia recederet.* Deinde ſequitur: *Hæc autem agebat atque dicebat, Judæorum & Thracum opiniones imitatus, ac transferens in ſemetipſum. Dicitur enim vere quod ille vir multas Judæorum Leges in ſuam tranſtulit Philoſophiam.* Joſepho ſubſcribunt Origenes b, Clemens Alexand. c Euſebius d, & celebriores Chriſtianæ Religionis Apologiſtæ.

Verum quoniam Marshamus e neſcio qua prurigine (ſatius ducens doctrinæ principatum & originem, ad Ægyptios quam Hebræos referre) horum SS. Patrum teſtimonia parvi facit, quod eos a Joſepho deluſos incuſet; quanquam Joſephus iſtud gratiſſime non proferat, ſed in partes advocet Hermippum. Joſepho antiquiorem profero teſtem, Ariſtobulum videlicet, qui (ajunt mox laudati Clemens f & Euſebius g) in primo libro ad Philomatrem Imperatorem ſcribit his verbis: *Secutus eſt autem noſtras quoque Leges Plato, & ſatis aperte oſtendit, ſe eorum quæ in eis dicuntur, fuiſſe admodum ſtudioſum. Ante Demetrium autem, priuſquam rerum potirentur Alexander & Perſa, verſa fuerant, & quæ ab Hebræis noſtris geſta fuerant in exitu ex Ægypto, & quæcunque eis inſignia & facta erant & apparuerant, & regionis per vim quæſita poſſeſſio & omnium quæ latæ ſunt Legum deſcriptio, adeo ut clarum ſit antedictum Philoſophum multa ex eis ſumpſiſſe. Fuit enim multa doctrina præditus, ſicut etiam Pythagoras multa ex noſtris tranſtulit in ſuorum dogmatum traditionem.*

a *lib. 1. contra Apion. pag. 1046.*

b *lib. 1. contra Celſum.*

c *lib. 1. Strom. pag. 342.*

d *lib. 9. de prap. pag. 145.*

e *lib. 1. Strom.*

f *lib. 13. prap. pag. 164.*

g

His

(29) Græcorum literas ab Hebraicis ſuam recognoſcere originem jam ſuperius in nota (23) traditum eſt; ibi pariter Samariticas parum, aut nihil continere diſcriminis a Phœnicibus, & Ægyptiacis vetuſtis, cum inſignibus Scriptoribus confeſſi ſumus; num vero Phœnices Abrahamum ex Chaldæa in Cananitidem peregrinantem docuerint eas, vel potius Phœnices ſcribendi artem ab ipſo perceperint, quam ex Aſſyria ſecum tranſtulerit, incertum exiſtimamus, quidquid nonnulli pro adfirmativa parte decernant; hoc unum propterea ſolum tueri poſſe confidimus in præſenti, quod & ſuperius in notis (7. & 9.) indicavimus; literarum nempe uſum longe ante Moſis ætatem extitiſſe. (W)

His accenſendus eſt Malchus ſeu Porphyrius [a], aſſerens Pythagoram ſciendi cupidine ſtimulatum, varias adiiſſe nationes, præſertim Arabes, Ægyptios, Chaldæos & Hebræos: conſentit etiam Jamblichus [b] ſcribens: *Pythagoram Sidone congreſſum fuiſſe cum Mochi Phyſiologi diſcipulis*, ſcribere debuit *Moſchi*, nam Mochus Phœnix, cujus meminerunt Athenæus [c], Joſephus [d], & Tatianus [e], tantum hiſtoriam Gentis ſuæ patria lingua prodidit: at is, quem commemorat Jamblichus de rerum principiis & naturis diſſeruit: quod utique in Moſem quadrat qui & Hebraice מֹשֶׁה *Moſche* dictus eſt, & de rerum exordiis & naturis diſſeruit: origine autem Sidonius credi potuit ab iis qui patriam ejus ignorabant. Refert etiam Clemens Alexand. [f] ex Alexandro Polyhiſt. in libro de ſymbolis Pythagoricis, ipſum Pythagoram fuiſſe diſcipulum & auditorem Nazarati (verius Zabrati) Aſſyrii, quem quidam, ut diximus, exiſtimant Ezechielem Prophetam Hebræum; ſatius ego Danielem, qui tum ſenex erat, degebatque apud Chaldæos, cum illuc profectus eſt Pythagoras, intelligendum exiſtimarem. Inde mirum videri non debet, quod tam conſona Moſis doctrinæ diſſeruerit, ut ſtatim recenſebimus quippe cum vel ſacros Moſis libros legerit, aut ejus Sectatorum fuerit auditor.

Idem ferendum eſſe judicium de cæteris Philoſophis, aperte docet Juſtinus Martyr [g]. *Quidquid Philoſophi & Poetæ*, inquit, *de immortalitate animæ aut ſuppliciis poſt mortem aut cœleſtium rerum contemplatione, aut doctrinis ſimilibus dixerunt a Prophetis argumento ſumpto intelligere ea, & exponere potuerunt*. Cui ſubſcribit Tertullianus in Apologetico [h], ubi cum de S. Scriptura dixiſſet, *Antiquior omnibus, ni fallor? & hoc mihi proficit antiquitas præſtructa divinæ Literaturæ, quo facile credatur Theſaurum eam fuiſſe poſteriori cuique ſapientiæ*: Subjicit: *Quis Poetarum, quis Sophiſtarum, quis non omnino de Prophetarum fonte potaverit? inde igitur Philoſophi ſitim ingenii ſui rigaverunt, &c.* Duas deinde profert cauſas ab eis interpolatæ divinæ veritatis, quam e ſacris Codicibus hauſerant: *Homines*, inquit, *gloriæ & eloquentiæ ſolius libidinoſi, ſi quid in ſanctis Scripturis offenderunt digeſtis, pro inſtituto curioſitatis ad propria opera verterunt: neque ſatis credentes divina eſſe quominus interpolarent: neque ſatis intelligentes, & adhuc tunc ſubnubila, etiam ipſis Judæis obumbrata, quorum propria videbantur: nam etſi qua ſimplicitas erat veritatis, eo magis ſcrupuloſitas humana fidem aſperata mutabat, per quod incertum miſcuerunt, etiam quod invenerunt certum.* (30)

II. Adverſus tot tantique nominis teſtes, reclamans Marshamus, unicum nobis opponit Lactantium ſcribentem [i]: *Equidem mirari ſoleo, quod cum Pythagoras & poſtea Plato, amore indagandæ veritatis, ad Ægyptios & Magos & Perſas uſque penetraſſent, ut earum Gentium ritus & ſacra cognoſcerent (ſuſpicabantur enim Sapientiam in Religione verſari) ad Judæos tamen non acceſſerint, penes quos tum ſolos fuit, & quo facilius ire potuiſſent.*

At quam levis ac futilis ſit hæc eluſio, facile concludet quiſquis adverterit quod ubi plures Teſtes omni exceptione majores, factum aliquod affirmant, teſtimonium unius reclamantis nullius debet eſſe momenti. Porro non ſolum Joſephus & SS. Patres plurimi mox a nobis laudati, aliique plures in eandem ſententiam, niſi tædium foret, proferendi: ſed etiam plurimi ex Gentilibus & Exoticis diſerte tradunt Pythagoram, Platonem, & alios Philoſophos Hebræorum auditores fuiſſe, ſacroſque legiſſe Codices. Imprudentiſſimus ergo ſit oportet, quiſquis tot ac tantis repudiatis teſtibus, uni Lactantio credendum eſſe cenſuerit. Præterea cum inter Ægyptios ac Perſas (quos Pythagoram adiiſſe concedit Lactantius) tanquam in meditullio poſiti fuiſſent illi Judæi, qui jam ex captivitate Babylonica redierant, ac ultro citroque commeanti Pythagoræ, ſe ſe velut obviam darent; vix credibile eſt ipſum cum eis nullam habuiſſe conſuetudinem; maxime cum vulgatum eſſet eos habere ſacros libros, in quibus Mundi Geneſis, hominumque ab exordio res geſtæ ac propagationes erant

a *in vita Pythag.*

b *lib. 1. vita Pythag.*

c *lib. 3.*

d *lib. 1. Antiq. cap 4.*

e *Orat. contra Gentes.*

f *lib. 1. Strom, pag. 304.*

g *Apolog. 2. pag. 81.*

h *Cap. 47.*

i *lib. 4. cap. 2. de Satient. ver.*

(30) Nequaquam hac in re diſſimulandum videtur, quod in Libro I. contra Julianum diſerte ſcribit paulo poſt initium S. Cyrillus Alexandrinus poſtquam oſtenderat ex temporum ſerie longe antiquiorem omnibus Græciæ ſapientibus Moſen -- At „ forte dicet aliquis (ſunt S. Archiepiſcopi verba): eſto Moſaica antiquiora ſint his, quæ a „ Græcorum ſapientibus ſcripta; adhuc tamen non „ eſt verum dicere quod ſuam ſapientiam inde „ ſublegerint, vel certe deprehendantur tranſtuliſſe. Igitur an non probabilis ſit ſermo noſter probent auditores ſtudioſi. Nam illorum quidem „ Hiſtorici omnem peragrantes terram ſemper aliquid diſcere voluerunt, ut vetera ſcire exiſtimarentur. Habebant enim pro decore magno ſi „ nihil quod factum erat, in ſuis libris ſilentio „ præteriiſſent. Deinde quo pacto hi, qui tales erant, & ſeduli ad utilia quæque diſcenda neglexiſſent tam venerandarum hiſtoriarum cognitionem, dogmatumque, & legum antiquitate digniſſimarum manifeſtationem? Quamvis „ Pithagoras, Samius, & Jales Mileſius haud ita „ longo tempore in Ægypto verſati ſunt, & collectis, quæ illic diſcere poterant, & diſciplinarum multitudinem, qua polluiſſe dicuntur, in „ patriam reportarunt..... Quid quod Solon Atticarum rerum inventor, & etiam ipſe Plato „ quia in Ægypto fuere præ aliis ſapientiores habiti ſunt? Ad hæc admirati ſunt moſaica; nam „ quod Moſes Græcorum Hiſtoricis notiſſimus „ fuerit, ex ipſis, quos ſcripſere, libris facile cognoſcere licet. Nam & Polemon in primo Hiſtoriarum Græcarum mentionem ejus facit. „ Præter hunc & Ptolomæus Mendeſius, & Hellanicus, & Philochorus, Caſtorque, & cum his „ alii..... ſufficienter opinor hoc ſermone, cujus „ irreprehenſibilis, & manifeſta eſt demonſtratio, „ de antiquitate elucubratum eſt, & quod Moſaica, quæ apud Græcos in honore præſtantiora, & antiquiora ſunt habita „ Eadem ferme Theodoretus ſcribit in ſerm. 1. ad Græcos, necnon S. Ambroſius plurimis in locis, præſertim vero in Pſal. 118. *Serm.* 2. *num.* 5. & 13. *De fuga ſeculi cap.* 8. *num.* 47. *de bono mortis cap.* 10. *num.* 45. *de Noe, & Arca cap.* 8. Hæc ſiquidem omnia, ſi iis, quæ jam tradita ſunt, iiſve, quæ in ſequentibus ab Auctore noſtro tradentur, velimus adiicere, maxime nedum ejus ſententia fulcietur, ſed etiam a recentiorum ſcriptorum objectis vindicabitur. (W)

erant inſcriptæ. Denique Pythagoras Perſas adiit regnante aut Cyro, aut Dario Hiſtaſpis filio, aut Xerxe: at temporibus Cyri & Darii, plurimi apud Perſas erant Judæi, etiam in aula regia, facultatem inſtaurandæ civitatis Hieroſolymæ exorantes & Principum in Judæos patrocinium deprecantes, quos hauddubie convenit Pythagoras. Sub Xerxe vero, plures in Perſide fuiſſe Judæos, teſtis eſt Chærilus Poeta, qui, inquit Euſebius, [a] permultos Judaicæ gentis a Xerxe Rege adverſum Græcos ſuſceptæ expeditionis ſocios fuiſſe commemorat his verbis.

a *lib. 9. prep. cap. 9.*

Trajicit inde hominum genus admirabile viſu.
Phœnicum ſimilis grandi ſonat ore loquela,
Montibus in Solymis habitant, juxtaque Paludem
Immenſam: Attonſum ſqualens caput obſidet orror.
Pro galeis, derepta ab Equis, durataque ſumo
Ora ferunt.

„ Ac Judæos quidem *inquit Euſebius*, his „ ab eo verbis expreſſos ac deſignatos eſſe „ vel inde conſtat, quod & Hieroſolyma „ in montibus iis, quos *Solymos* Græci vo„ cant, ſita ſit; & prope ab Aſphaltite Pa„ lude abſit, quæ, ut Poeta loquitur, latiſ„ ſima eſt, omniumque Syriæ Paludum ma„ xima. Videt igitur Marshamus nullum omnino, aut certe dumtaxat dubium, ex Lactantio ſententiæ ſuæ patrocinium accedere.

III. Triplex doctrinæ genus ex Marco Varrone apud veteres Ethnicos agnovit ac diſtinxit S. Auguſtinus [b] nimirum Fabuloſum, Naturale & Civile. Primum Poetæ, ſecundum Philoſophi, tertium Legislatores ac populi Rectores excoluerunt. Id autem omne maxima ex parte ex Moſis & Prophetarum libris prodiiſſe demonſtrandum eſt, in ſequentibus.

b *lib. 6. de civit. Dei cap. 5.*

Quanquam paulo poſt univerſale diluvium omnes pene hominum mentes idololatria, (quam Tertullianus appoſite appellat *principale crimen generis humani, ſummum ſæculi reatum, totam cauſam futuri judicii*) occupaverit & infecerit; attamen non ſolum *notus fuit in Judæa Deus, & in Iſrael magnum nomen ejus*, ſed etiam apud eos omnes Gentiles cum veteres tum recentiores, qui propter eruditionem ſingularem, aliquid nominis & laudis obtinuerunt. Veteres dico, eos omnes qui Platonem & Ariſtotelem anteceſſerunt: illique fuerunt Græci vel Barbari; omnes enim exoticos, ſolebant Græci *Barbaros* appellare. Sapientes vero Græci dicti ſunt vel *Theologi*, ut Orpheus, Linus, & plurimi apud eos celebres Poetæ, qui maximam ſuam poſuerunt operam circa Divinitatis celebrationem & cultum: vel *Philoſophi*, iique duplicis Sectæ, nempe *Jonicæ* cujus princeps fuit Thales Mileſius: vel *Italicæ*, quam Pythagoras inſtituit. Inter Barbaros vero Sapientes antiquiores, præter Hebræos cenſebantur potiſſimum Ægyptii, Chaldæi & Phœnices, a quibus literarum & ſcientiarum uſum ad Græcos Cadmum derivaſſe jam diximus. Porro qui cordatiores & celebriores apud eos Barbaros extiterunt, eandem quam Moſes cæterique Hebræorum Prophetæ, de Deo unico rerum omnium Opifice, fidem & exiſtimationem habuerunt.

Unus pro Barbaris omnibus a SS. Doctoribus profertur Hermes Ægyptius; idcirco Triſmegiſtus appellatus, inquit Marſilius Ficinus, quod ſimul Rex, Sacerdos & Sapiens maximus crederetur: tametſi vero ſcripta, quæ ejus nomine vulgantur, ſpuria ſint, ut ſupra diximus; quoniam tamen iis maxime delectabantur ac gloriabantur Gentiles, merito jure ex iis argumenta deprompſerunt SS. Patres ad revincendam Idololatrarum cæcitatem. Hic autem, ait S. Cyrillus, [c] etſi Sacerdos eſſet, & idolorum fanis aſſideret, eadem cum Moſe, quamvis non pu„ re, nec abſolute, attamen ex parte ſen„ ſiſſe de Divinitate videtur..... ſcribit „ enim in hunc ferme modum: nimirum *Intelligere Deum, eſſe difficile; exprimere vero ſupra humanas vires poſitum, ſi quis etiam intelligere poſſet: nam quod eſt incorporeum corpore denotari nequit, nec perfectum ab imperfecto comprehendi; & quod perpetuum eſt, non facile cum brevi duraturo coaleſcit; nam hoc ſemper eſt, illud præterit; hoc verum, illud imaginatione adumbratur. Quanto igitur infirmius fortiori, & inferius præſtantiori, tanto mortale divino & immortali diſtat. Quare ſi quis eſt oculis incorporeus, prodeat e corpore, atque ad contemplationem pulchri evolet & evehatur; non figuram, non corpus, nec ideas cernere quærens, ſed illud magis quod iſta efficit quietum, ſerenum, ſtabile, immutabile, ipſum omnia & ſolum, unum idem ex ſeipſo, idem in ſeipſo, ſibi ipſi ſimile, nec ſibi ipſi diſſimile.* Rurſuſque idem. *Nihil ergo unquam de ipſo uno & ſolo Bono cogitans impoſſibile dicas: omnis enim potentia ipſe eſt: neque in aliquo ipſum eſſe conceperis, neque extra aliquem: cum enim infinitus ſit, omnium eſt finis, & a nemine continetur, omnia continens. Quantum enim diſcrepant corporea ab incorporeis, genita ab ingenitis, neceſſitati ſubjecta a liberis & ſpontaneis, vel terrena a cœleſtibus, & corruptioni obnoxia ab æternis! Non quod aliud quidem ſui juris ſit, aliud vero neceſſitati mancipatum. Quæ porro infra ſunt, imperfecta & corruptibilia cenſeas.* Ita S. Cyrillus.

c *lib. 1. contra Iulian. pag. 30.*

Ei concinit Lactantius [d] de eodem Triſmegiſto ſcribens: *Hic ſcripſit libros, & quidem multos, ad cognitionem divinarum rerum pertinentes: in quibus majeſtatem ſummi ac ſingularis Dei aſſerit: iiſdemque nominibus appellat, quibus nos, Deum & Patrem. Ac ne quis nomen ejus requireret* ἀνώνυμον, *id eſt, ſine nomine eſſe dixit: eo quod nominis proprietate non egeat, ob ipſam ſcilicet unitatem.* Ipſius hæc verba ſunt: ὁ δὴ θεὸς οὗτος· ὁ δὲ οὗτος ὁ ἀνώνυμος· οὐ προσδεῖται γὰρ ὁ οὐκ ἀνώνυμος. *Deo igitur* (inquit Lactantius) *quia ſolus eſt: nec opus eſt proprio vocabulo, niſi quum diſcrimen exigit multitudo, ut unamquamque perſonam ſua nota & appellatione deſignes.*

d *lib. 1. de falſ. Rel. cap. 6.*

Deo autem quia ſemper unus eſt, proprium nomen eſt Deus. Addit Suidas hunc Triſmegiſtum de divina Triade coram Pharaone multa Evangelicæ veritati conſona diſſeruiſſe, cujus aurea dicta (ſi tamen illius ſint) paulo poſt proferemus. At cum Mercurium non alium quam Moſem perſonatum dixerimus ſupra, inferendum eſt hanc doctrinam a Moſe Ægyptios hauſiſſe.

Eadem fuit cæterorum Sapientum apud veteres Barbaros & Græcos, de unius ac ſolius ſupremi Dei majeſtate ſententia, ut videre eſt apud Athenagoram, [a] Clementem Alexandrinum, [b] Lactantium, [c] Cyrillum, [d] Euſebium, [e] Juſtinum, [f] & alios Chriſtianæ veritatis & Religionis Aſſertores; qui omnes varias referunt veterum apud Græcos Theologorum, hoc eſt Poëtarum de Deo Unico rerum omnium Opifice, Rectore & Moderatore, cum Moſis & Prophetarum doctrina concordes ſententias. Proferri poſſunt in primis verſus illi quos Vetuſtas Orphicos appellavit, quique extant apud Juſtinum Martyrem, [g] & Clementem Alexand. [h]

a *Orat. pro Chriſt.*
b *lib. 7. ſtrom.*
c *lib. 1. cap. 3. 4. & 5.*
d *lib. 1. contra Iulian.*
e *lib. 13. de prep. Evang.*
f *In cohort. ad Græcos & lib. de Monarchia.*
g *in admonit. ad Græc.*
h *lib. 5. ſtrom.*

Εἷς ἐς' αὐτοτελὴς' ἐνὸς ἴκγονα πάντα πέπυκται·
Ἐν δ' αὐτοῖς ἀρέσκεται· ἐδὲ τὶς αὐτὸν
Εἰσοχὰ ὄψεται, αὐτὸς δὲ γε πάντας ἐφᾶται·

Unus is æternus: ſuntque omnia facta per unum.
Ipſe agitat totam præſenti Numine molem:
Mortalis quem nemo videt, videt unicus omnes.

Phocylides quoque præclare & ad Moſis mentem de Unico Deo cecinit

Εἷς θεὸς ἐστι σοφὸς, δυνατός γ' ἅμα καὶ πολύολβος

Unus eſt Deus ſapiens, potens atque beatus.

Πάντες ἴσοι θνητοὶ, ψυχὰν δ' ὁ θεὸς βασιλεύει.

Omnes mortales ſunt, animis vero Deus imperat.

Ab hac una divinitate ſunt, ut Empedocles canit.

Πάντα μὲν ἦσαν τε νῦν ἔσα τ' ἔσται ὀπίσω·
Δένδρεα μὲν βλάστησε, καὶ ἄνδρες δὲ γυναῖκες·
Θῆρές τ', οἰωνοί τε, καὶ ὑδατοθρέμμονες ἰχθῦς,
Καὶ τε θεοὶ δολιχαίωνες, τιμῇσι φέριστοι.

Omnia quidem quæ fuerunt, quæ ſunt, quæ erunt poſtea
Arboreſque germinarunt, & viri fœminæque,
Feræque, volucreſque, & qui aquis aluntur piſces,
Et Dii longævi, honoribus eximii.

Xenophantes Colophonius etiam cecinit.

Εἷς θεὸς ἔν τε θεοῖσι καὶ ἀνθρώποισι μέγιστος,
Οὔτι δέμας θνητοῖσιν ὁμοίϊος, οὐδὲ νόημα.

Maximus inter Deos, hominesque eſt Deus unus,
Neque corpore hominibus ſimilis, neque mente.

i *lib. 1. contra Iulianum. p. 32.*

Videbis etiam apud eundem Juſtinum & Cyrillum [i], Sophoclem cum Moſis oraculis de Dei unius veri aſſertione, & falſorum atque inanium Numinum proſcriptione conſentientem, ſcribit enim:

Εἷς ταῖς ἀληθείαισιν εἷς ἐστὶν θεὸς,
Ὃς οὐρανὸν τέτευχε, καὶ γαῖαν μακρὰν,
Πόντου τε χάρτον εὐδμα, καὶ ἀνέμων βίας
Θνητοὶ δ' ὅσοι πλανοὶ, καρδίᾳ πλανώμενοι
Ἱδρυόμεθα, τιμάτων ἄξι' ψυχῆς
Θεῶν ἀγάλματ' ἐκ λίθων τε καὶ ξύλων,
Ἢ χρυσοήλατων, ἢ ἐλεφαντίνων,
Θυσίας τε τεύχοντες, καὶ καλὰς πανηγύρεις
Τεύχοντες, ἅτινας εὐσεβεῖν νομίζομεν.

Unus revera Unus eſt Deus,
Qui cœlum fabricavit & terram longam,
Mariſque truces tumores, & ventorum impetus.
Mortales vero multi, corde devii.
Statuimus, animæ damna
Deorum ſimulacra ex lapidibus & lignis
Ex auro, eboreve facta,
His ſacrificia, ſolemniaque pulcra
Facientes, pietatem retinere putamus.

Mitto cæteros, ne ſim prolixior. Ex quibus apparet illam Ethnicorum Poëtarum de Dei unitate & majeſtate ſententiam, nihil aliud quam hanc Moſis doctrinam ſpirare; [k] *Audi Iſraël Dominus Deus noſter, Dominus unus eſt, &c.*

k *Deuter. VI. 4.*

IV. Eandem veritatem multo divinius & apertius declararunt veteres Philoſophiæ Principes: in primis vero Thales Mileſius, qui præclariſſime de uno Deo ſenſit: inter varia enim ejus ἀποφθέγματα hæc præcipua refert Laertius πρεσβύτατον τῶν ὄντων, θεὸς, ἀγένητον γάρ. *Antiquiſſimum eorum quæ ſunt, Deus, non enim genitus.* Addit: *Pulcherrimum, Mundus; opus enim Dei: maximum, locus; capit enim omnia: ſapientiſſimum, tempus; invenit enim cuncta.* Eadem ſenſere celebriores ejus diſcipuli, maxime Anaxagoras, qui, ait Ariſtoteles [l], docuit divinam Mentem Mundum creaſſe & ſingulas ejus partes ſapienter ordinaſſe. Idem ſentit Archelaus Anaxagoræ auditor, ut refert Clemens Alexand. [m] Miſſos facio cæteros Ionicæ Sectæ Sequaces, quorum doctrinæ cum Moſaica de Deo conſenſionem alibi dabimus, ut aliquid ex Italicæ Sectæ profeſſoribus ſubjiciam.

l *lib. 1. de Generat.*
m *Admonit. ad Gent. pag. 43.*

Præivit omnibus, illius Sectæ Auctor Pythagoras, qui referente Cicerone [n], Plutarco [o], & S. Cyrillo Alexandrino [p], velut unus e Prophetis dixiſſe fertur: *Quæ ſunt, Deus quidem unus eſt, Ipſe vero non, ut nonnulli ſuſpicantur, extra Mundum, ſed in ipſo eſt, totus in toto, omnes circumquaque conſiderans generationes. Ipſe eſt Temperamentum omnium ſæculorum, Lux omnium facultatum, Principium omnium rerum.* Ipſe *Fax cœli, hominum Pater, Mens & Anima univerſi, omnium Sphærarum Motus.* „ Ecce, inquit S. Cyrillus, perſpicue dicit „ unum Univerſi Deum, omnium Principium, operatorem facultatum, lumen, animam, & vitam Univerſi, Sphærarum omnium motum; nihil enim a ſeipſo moveatur, ſed omnia ab eo deducta & motum a „ non eſſe ad eſſe ſortita cernuntur. „ Idem Py-

n *lib. 1. de Nat. Deor.*
o *De viris illuſtribus.*
p *lib. 1. contra Iul. pag. 32.*

a *Apud eund. Clement. ib. pag. 47.*

Pythagoras [a] dicebat, *Mundum a Deo factum, & natura quidem ſua corruptioni obnoxium eſſe, quippe cum ſit corporeus; tamen ab interitu Dei providentia & cuſtodia ſervatum iri.*

Eadem fuit Pythagoræ diſcipulorum de unico vero Deo ſententia: Philolaus enim ejus auditor Auctore Philone Judæo ſcripſit [b]: *Princeps & dux omnium rerum Deus, unus, ſemper exiſtens, ſingularis, immotus, ipſe ſui ſimilis, aliis diſſimilis.* Conſentit etiam Archytas ejuſdem Pythagoræ diſcipulus apud Eugubinum his verbis: *Quicunque*, inquit, *poſſit omnia genera rerum ad unum, & idem Principium reſolvere, & rurſum componere & connumerare, is mihi ſapientiſſimus, maximeque veridicus eſſe videtur. Inſuper pulchram ſpeculam reperiſſe, ex qua poſſit contemplari Deum, & omnia quæ in coordinatione, & ſerie ejus ſeparata ſunt. Hacque regia via aperta menti, recta pergere, curſumque conficere, principia finibus connectens, cognoſcenſque quod Deus eſt Principium, & Finis, & Medium omnium, quæ ſecundum jus, rectamque rationem peraguntur.* Tandem, ut cæteros omittam, Numenius Pytagoricus [c]: ubi enumerat Gentes exiſtimantes Deum incorporeum, inter eas Judæos recenſet. Nec mirum quippe, ait Origenes [d], *Scio Numenium Pythagoreum pleriſque de rebus melius quam Plato diſſerentem, & Sectæ ſuæ Principem, multa ſuis commentariis inſerere, deprompta e Moſis & prophetarum libris, &c.* Vides itaque quam religioſe Pythagoricæ, ſeu Italicæ Sectæ Principes ac Sectatores de ſummo ac ſingulari Deo ſenſerint & prædicarint, omnino certe doctrinæ Moſaicæ conſentanea.

b *lib. de Mundi Opific.*

c *Lib. 1. περὶ τἀγαθοῦ.*

d *lib. 4. cont. Celſ.*

e *lib. 2. cont. Jul. p. 47.*

Verum ait S. Cyrillus [e] Platoni ſicut & Pythagoræ cæteris omnibus Philoſophis apertior & æquior adhuc de Deo, & rebus ipſis divinis ſententia & doctrina fuit: & *quæ tota cæleſtis eſſet*, ait Octavius [f], *niſi perſuaſionis civilis nonnunquam admixtione ſordeſceret.* Hic enim, licet in Epinomide cœli pulchritudinem & majeſtatem demiratus, ipſi divinitatem tribuerit, forte nondum auſus veram de Deo doctrinam, quam a Præceptore hauſerat, apud vulgus propalare; *Quia*, inquit S. Cyrillus, *Anyti & Meliti accuſationem timeret, atque Socratis cicutam*; nihilominus poſtmodum generoſior factus, ita præclare de Deo ſenſit & ſcripſit: ut ea de re *divinus* fuerit ſubnominatus. Nec immerito quidem, nam in Timæo [g] cum demonſtraſſet Mundum eſſe factum & habere originem ab aliqua cauſa, non alia certe quam a Deo: *Nihil enim*, inquit, *ſine cauſa fieri poteſt; cauſæ autem principes ſunt duæ, Deus & Natura: Deus eſt Opifex: Natura opus, quæ tamen ſuo modo eſt cauſa, creata videlicet a Deo; & eatenus efficax, quatenus efficacem illam Deus eſſe voluerit.* Subijcit: *Illum quidem quaſi Parentem hujus Univerſitatis invenire difficile, & cum inveneris, indicare in vulgus impoſſibile:* Unde Herodotus lib. VIII. *Deus*, inquit, *neminem alium quam ſeipſum, ſinit magnifice de ſe ſentire.* Eadem fere quæ Moſes cum Deum rerum omnium Conditorem, cujus nomen ſit ineffabile, ſcripſit. Quamobrem Numenius Philoſophus Pythagoricus, ait Clemens Alexand. [h] perbelle dixit: τί γάρ ἐστι πλάτων ἢ Μωσῆς ἀττικίζων, *Quid enim eſt Plato, niſi Moſes qui loquitur Attice?* Unde quemadmodum Moſes ſcribit [i] Deum ſibi revelaſſe ſuum nomen ſuamque naturam his verbis: *Ego ſum qui ſum.* Sic Plato in Timeo [k] *Primum*, inquit, *meo judicio diſtinguenda iſta ſunt, quid eſt, quod ſemper ſit; nec ullum habet ortum; & quod ſemper gignatur, nec unquam ſit. Quorum alterum intelligentia & ratione deprehenditur; quod unum ſemper, atque idem eſt; alterum opinione cum ſenſu rationis experte & eſt opinabile. Quod gignitur & interit nec unquam eſt revera.* Quibus verbis cum dicat τὸ ὂν eſſe ἀγένητον, id eſt ortus expers, & eodem modo ſe habere ſemper; adeoque inquit Numenius; *In eadem ſemper naturæ ſuæ ratione perſiſtat, quod ab illa nec ſuapte ſponte, nec alia vi ac neceſſitate diſcedat*; Apparet per illud τὸ ὄν, ſeu *eſſe* ipſum Deum a nullo productum & cuncta producentem deſignari.

h *lib. 1. Strom. pag. 342.*

i *Exod. 3.*

k *paulo poſt init.*

„ Nam ut obſervat Auguſtinus Steuchus [l] „ vocarunt antiqui Deum τὸ ὂν *ipſum eſſe*, „ id quod ſolum ac principaliter exiſtat, „ quod nunquam non fuerit, nunquam eſſe „ ceſſaverit. Cætera enim aliquando fue„ runt, aliquando non fuerunt.

l *lib. 1. de perenni Philoſ. cap. 7.*

V. Huc etiam conducunt duæ illæ inſcriptiones in propylæo templi Delphici exaratæ, nempe EI, ES, & NOSCE TE IPSUM, quas Plutarchus [m] docte ſic explicat EST *omnino Dei perfectum: ex ſe ſe integrumque nomen, quod ei a quo pronuntiatur, una cum voce ipſum continuo poteſtatis divinæ ſenſum & cogitationem injiciat. Nam cum unumquemque noſtrum qui eo accedimus, hac veluti Deus ſalutatione compellat,* NOSCE TE IPSUM, *quod quidem nihil minus ſonat, quam* SALVE: *tum vero nos, reſalutandi Numinis gratia, reſpondemus* EI, ES; *quaſi veram ac propriam, adeoque ſolam eique ſoli convenientem, hanc a nobis appellationem tribui fateamur. Nos enim vere nullo modo ſumus: ſed omnis omnino natura mortalis, in quodam interitus ortuſque medio conſtituta, umbram ſui duntaxat aliquam, exilemque ac lubricam opinionem oſtendit.* Hæc autem omnia quid aliud ſpirant, quam quæ Deus ad Moſem inquirentem quod eſſet divinum ejus nomen, dixit [n] *Ego ſum. Sic dices filiis Iſrael, qui* EST *miſit me ad vos.*

m *in Opuſculo de ſyllab. EI.*

n *Exod. 3. 14.*

His conſentit Porphyrius [o]: *Deus*, inquit, *eſt ubique, quia nunquam intellectus eſt: ubique etiam, quia nuſquam anima: denique ubique eſt, quoniam eſt & nuſquam: ſed Deus quidem ubique & nuſquam eſt eorum omnium, quæ ſunt poſt ipſum. Sui vero ipſius* EST *ſolum ſicut* EST, *atque vult.* Proclus ſimiliter in Theolog. Platon. *Quis ille Rex omnium, Deus unicus, qui & ab omnibus ſeparatus eſt, & omnia nihilominus ex ſe producit? Qui omnes fines ad ſe convertit, Finis finium, cauſa prima operationum, Auctor omnis boni & pulcri, cujus luce irradiantur omnia & collucent? Si Platoni cre-*

o *in lib. de Occaſ. cap. XXI.*

dis, nec explicari, nec percipi poteſt. Simplicius [a]: *Omne pulchrum a prima & præcipua divina pulchritudine; omne verum a divina veritate, omnia principia ab uno principio. Id autem non, ut cætera, particulare aliquod principium eſt, ſed principium omnia principia ſupereminens, ſupergrediens, in ſe colligens; adeo ut omnibus dignitatem principii largiatur, ſinguliſque prout naturæ ſuæ convenit.* Quæ omnia pleniſſime cum Moſis de Deo rerum omnium Artifice & Moderatore doctrina concordant.

[a] *in Arriani Epictet.*

Similiter quia Moſes [b] flagrantiſſime cupiebat conſpicere gloriam Dei, divinique illius vultus aſpectu recreari; Deus quoque ejus votis ex parte annuens dixiſſet: *Oſtendam tibi omne bonum;* idcirco Platonici, inquit Euſebius [c], Deum dixerunt bonorum omnium fontem, ejuſque cognitionem, ſummam hominis felicitatem. Sic mox laudatus Simplicius: *Bonorum omnium Scaturigo & Principium Deus eſt, omniaque ex ſe ſe producit, prima, media, ultima. Una bonitas pruducit multas bonitates, una Unitas multas unitates, unum Principium multa principia, Unitas autem, Principium, Bonum, Deus, unum & idem ſonant. Eſt enim Deus univerſorum cauſa prima, in eoque cætera particularia principia fundantur. Is ipſe, cauſa cauſarum eſt, Deus Deorum; Bonitas bonitatum.* Jamblichus quoque [d]; *Intellectus divinus dat eſſe animæ per intelligere ſuum eſſentiale. Ergo eſſe animæ eſt quoddam intelligere, ſcilicet Deum, unde dependet.* Esse *noſtrum, eſt Deum cognoſcere, quia præcipuum eſſe animæ, eſt intellectus ſuus, in quo idem eſt eſſe, quod intelligere divina actu perpetuo.* Lucianus tandem [e]: *Hominem ex nihilo ad eſſentiam produxit Deus, eſtque in cælo aſpiciens juſtos pariter, atque injuſtos, & in libris deſcribens cujuſque res & actiones. Rependet autem omnibus eo die, quem ipſe præfinivit.*

[b] *Exod. xxxiii. 19.*

[c] *prapar. Evang. pag. 542.*

[d] *in Myſt. cap. 1.*

[e] *in Philopatride.*

Plurima in hujus veterum doctrinæ cum Moſaica conformationis demonſtrationem doctiſſime profert Euſebius totis libris XI. & XII. *De Præparat.* ubi ſcribit [f]; idcirco celebres illos Philoſophos aſſeruiſſe unicum eſſe Deum Mundi Rectorem, Opificem & Judicem quod, ut diximus apud Moſem legiſſent [g]; *Audi Iſrael, Dominus Deus noſter, Dominus unus eſt.*

[f] *Pag. 530.*

[g] *Deut. 6. 4.*

Addit inſuper [h] Euſebius Platonem & Numenium diſerte pronuntiaſſe, Deum eſſe bonum, imo bonitatem ipſam: aſſerit pariter [i] Platonem, ſuam de Idæis ſententiam in Timæo excogitaſſe, quod apud Moſem legiſſet, *Creavit Deus hominem ad imaginem ſuam, ad imaginem Dei creavit illum*, ad quæ verba attendens Plato, ſcripſit: *Cum igitur procreatus fuerit Mundus, ſequitur ipſum ad exemplaris alicujus, quod ratione tantum ac mente capiatur, quodque eodem ſe modo habeat, imitatione elaboratum fuiſſe: id quod ſi ſemel conceditur, Mundum etiam hunc, alicujus imaginem eſſe concedatur, neceſſe eſt. Nam exemplar quidem illud vim ſpiritualium animantium univerſam, uti nos ipſe Mundus in ſe complectitur.* Ex his omnibus, verbis

[h] *pag. 542. & ſeq.*

[i] *pag. 545.*

S. Cyrilli [k] concludere licet, *Quod unus ſit Deus ſecundum naturam, ſupra omnem mentem intellectum & rationem, incomprehenſus, figuræ expers, vivificus, omnium principium, ingenitus, incorruptus, generationis Univerſi Opifex, perſpicue teſtatum eſt tum divina Scriptura, tum Poetarum ac Scriptorum Gentilium voce.* Addit inſuper, *Etiam genitum ex ipſo ſecundum naturam Filium, ipſius Opificem Verbum, iidem cognoverunt, per ea quæ ſcripſere.*

[k] *ibid. pag. 32.*

VI. Neque enim ſolum de Dei Unitate ac Majeſtate fuit Ethnicorum Sapientum cum Moſis doctrina ſumma conſenſio; ſed etiam aliquid de Trinitate divinarum Perſonarum ex Iſraelitarum, præſertim vero Moſis apud Ægyptios diſſeminata fide & ſententia illis innotuiſſe, & ab eis ad Græcos promanaſſe, probabiliſſimum facit eorum de adorando illo Myſterio non omnino obſcura confeſſio. Nam ut refert S. Cyrillus [l], Hermes, ſeu Mercurius ter Maximus, ſic de Deo pronuntiat: *Sermo ipſius procedens, omnino perfectus exiſtens, & fœcundus & opifex, atque in fœcundam aquæ naturam incidens, eam prægnantem facit.* Et infra: *Natura hujus intellectualis Verbi, natura eſt ad generandum & operandum apta: hoc tanquam ejus generatio, vel natura, vel mos, vel quocunque nomine voces, licebit, id unum duntaxat cogitans quod perfectus eſt in imperfecto, & a perfecto, perfecta opera efficit, atque fabricat ac vivificat.* Quæ certe de Divino Verbo exiſtimatio, non aliunde apud Ægyptios invaluit, quam ex Patriarcharum, & Iſraelitarum, præcipue vero Moſis veri utique Mercurii, de Adoranda SS. Trinitate ſententia: maxime vero quod apud Moſem initio Geneſis legerint Deum dicentem: *Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram.* Aut apud Pſalmiſtam: *Verbo Domini cœli firmati ſunt, &c.* Et rurſus: *Dixit Dominus Domino meo, ſede a dextris meis, &c.* Cum autem Græci Sapientes præcipua ſuæ doctrinæ capita ab Hebræis & Ægyptiis hauſerint, mirum non eſt, ſi illa de Sancta Trinitate doctrina eorum aliquibus innotuerit, præſertim vero Platonicis. Teſtatur enim S. Auguſtinus [m] ſe in libris Platonicorum, ſi non verbis eiſdem, ſaltem eodem ſenſu legiſſe, Quod *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum & Deus erat, &c.*

[l] *lib. 1. cont. Iul. pag. 33.*

[m] *lib. 7. Confeſ. cap. 9.*

Nec abſre quidem, Porphyrius enim explicans Epiſtolam Platonis ad Dionyſium citante S. Cyrillo mox laudato, ait: *Eſſentia Dei ad tres Hypoſtaſes ſive ſubſiſtentias porrigitur. Eſt enim Deus ſupremus, qui proprie* BONUS: *poſt eum* SECUNDUS, *qui Opifex Univerſi; &* TERTIUS *demum Anima Mundi: ad animam enim uſque extenditur Divinitas. Id autem ſibi voluit Plato, ubi ſtatuit tres Reges: etſi enim pendent omnia ab his tribus; pendent tamen ita ut primum a* PRIMO: *deinde ab* EO, *qui a Primo eſt: tertio a* TERTIO *qui a* SECUNDO *procedit, ordine pendeant.* Verba autem Platonis ſunt hæc: *De natura* PRIMI *ænigmatice loquendum eſt, ut ſi forte terra, mari-*

ve

ve periclitentur literæ, legantur quidem, ſed non intelligantur. Omnia ſunt circa REGEM UNIVERSI, *& per eum & propter eum omnia, & is omnium quæ pulchra videntur, Cauſa. Circa autem* SECUNDUM *Secunda ſunt: & circa* TERTIUM *Tertia, &c.* Concinit his Plotinus [a]: *Sunt tres*, inquit, *primariæ hypoſtaſes, Unus ſeu bonum, Mens ſeu intellectus, & Anima Mundi; nec de his, niſi implorato Dei auxilio, & ſedata mente loquendum. Si rogas, qua ratione gignat una aliam; de rebus ſempiternis agimus: itaque non eſt, quod quiſquam temporalem hic generationem ſibi fingat. Cum enim generationem dicimus, cauſam & ordinem tantum reſpicimus.* Et rurſum [b]; *Quid profecerit qui Deum contemplatus fuerit? Sane quod viderit Deum gignentem Filium, & in Filio omnia, &c.* Propius ad rei veritatem acceſſit Numenius [c]: *Deus, Primum dico, qui eſt in ſemetipſo, ſimplex eſt, ſibi undequaque cohæret; Deus etiam Secundus & Tertius unum eſt. Exiſtimandum autem eſt, Patrem eſſe primum ejus qui omnium opifex appellatur.* Jamblicus quoque [d]: *Primus Deus*, inquit, *ante ens, & ſolus Pater eſt primi Dei, quem gignit manens in unitate ſua ſolitaria, atque id eſt ſuperintelligibile: eſtque exemplar ipſius, quod dicitur, ſui Pater, ſui Filius, Unus Pater, & Deus vere bonus, &c.*

Concludendum itaque, ait S. Cyrillus [e], Platonicos revera divinæ Trinitatis myſterium fuiſſe ſubodoratos, cum ad tres hypoſtaſes divinam ſubſtantiam procedere affirmant. Nam inquit in eorum mente: *Unus eſt Univerſi Deus; extenditur vero tanquam ipſius notio in ſanctam & conſubſtantialem Trinitatem, in Patrem, inquam, & Filium, & Spiritum Sanctum, quem Mundi animam vocat Plato: vivificat enim Spiritus & procedit ex vivente Patre per Filium: & in eo vivimus & movemur & ſumus: verax eſt enim Dominus noſter Jeſus Chriſtus dicens, Spiritus eſt qui vivificat.* Nihilominus tamen ibidem obſervat S. Cyrillus, in eo peccaſſe Platonicos, quod fuerint Arianorum anteſignani & prodromi; quippe cum divinas Perſonas non æqualis auctoritatis & poteſtatis, ejuſdemque ſubſtantiæ conſtituerent; imo Divinitatem in tres Deos diſtribuerent; putarentque inter tres divinas Perſonas non aliam quam affectus & voluntatis eſſe conſenſionem & unitatem, ut quidquid vellet una, vellent & aliæ. Niſi forte ita locuti fuerint popularis invidiæ declinandæ cauſa; timebant enim, inquit, *Anyti & Meliti accuſationem atque Socratis cicutam;* hi namque ab idololatra plebe ad necem fuerant expoſtulati, quod inane de pluribus Numinibus commentum riderent, & unicum eſſe Deum aſſererent.

Omnium autem Platonicorum diſtinctius, & ad Evangelicam veritatem proximius ſcripſit Amelius, tametſi Chriſtiani nominis accerrimus hoſtis: agens enim de Filio & Verbo divino, hæc habet: *Certe hic eſt, ille λόγος qui ab æterno eſt, ſecundum quem factum fuit quicquid eſt, ut Heraclitus cenſuit. Et per Jovem idem ille λόγος, quem Barbarus ille* (Joannem Evangeliſtam intelligit) *apud Deum in Principio fuiſſe ait, in confuſione & diſpoſitione rerum: & Deum eſſe, per quem omnia abſolute facta ſunt, & in quo vivunt, vitaque & eſſentia exiſtunt. Hunc porro λόγον carne humana indutum, hominem apparuiſſe, nec eo minus tamen majeſtatem naturæ ſuæ exeruiſſe; quin & hac vita ſolutum revixiſſe, & Deitatem reſumpſiſſe, & Deum omnino fuiſſe, ſicut erat antequam in corpus, & carnem, & hominem deſcenderet.* Quæ verba etiamſi ex Evangeliſtarum oraculis, maxime ſancti Joannis exſcripſerit, nihilominus tamen ea non adjeciſſet, niſi vidiſſet eſſe Platonicæ doctrinæ prorſus conſentanea. Unde Philo Judæus prolatus ab Euſebio [f], non ſolum in Hebræorum, ſed etiam Platonicorum doctrina eruditus, expendens hoc Oraculum Zachariæ cap. VI. v. 12. *Ecce homo cui nomen Oriens*, ſcribit: *Novum profecto nomen, ſi aliquem ex corpore animoque conflatum intelligas. Sin autem incorporeum illum ac divinum exemplar ferentem accipias, tum enimvero, convenientiſſimum hoc ipſi* ORIENTIS *nomen impoſitum eſſe, facile admodum libenterque fateberis. Eum quippe Filium antiquiſſimum edidit Univerſi Parens, quem etiam alibi Primogenitum appellavit. Is autem ex Deo genitus, in archetypa illius exemplaria reſpiciendo formavit.*

VII. Ex his inferre licet, Sapientes Ethnicos, omnem, quam veram aut veroſimilem habuerunt de Deo exiſtimationem, e Moſis Libris, velut rivulos ab uberrimo & limpidiſſimo fonte promanantes, in ſuam lacunam derivaſſe: ſubindeque Marshamum turpiſſime fuiſſe hallucinatum, cum Moſem Ægyptiorum diſcipulum fabulatur. Qui enim fieri potuit, ut Moſes, Ægyptiorum doctrina ludificatus, tam conſtanter Deum unicum fuiſſet profeſſus; cum ipſimet Ægyptii, etiam fatente Marshamo [g], omnis idololatriæ fuerint Auctores. Quod etiam confirmat Herodotus [h]: *Dicunt Ægyptios*, inquit, *duodecim Deorum cognomina, primos in uſu habuiſſe; & Græcos ab iis fuiſſe mutuatos; illos etiam aras & ſimulacra, & delubra, Diis primos ſtatuiſſe.* Conſentit etiam Lucianus [i]; *Primi hominum*, ait, *Ægyptii dicuntur Deorum notitiam percepiſſe, & templa conſtituiſſe & delubra, &c.* Forte hæc, & Satyricum [k] canentem non audiit Marshamus

Quis neſcit Voluſi Bithynice, qualia demens
Ægyptus portenta colat? Crocodilon adorat....
Illic cæruleos, hic piſcem fluminis, illic
Oppida tota canem, venerantur, nemo Dianam.
Porrum, & cepe nefas violare, ac frangere morſu.
O ſanctas gentes, quibus hæc naſcuntur in hortis
Numina, &c.

Præclarus eſt etiam ea de re locus Clemen-

tis

[a] lib. 1. Ennead. V.

[b] ibid. lib. VIII. cap. V.

[c] in lib. de bono.

[d] in lib. de Myſt. cap. 39.

[e] pag. 34.

[f] lib. 11. prep. Evang. cap. 15.

[g] pag. 33. & 56.

[h] lib. 2. cap. 4.

[i] de Dea Syria initio.

[k] Iuvenalis Satyr. 15.

a *in Admon. in Gent. pa. 25.*

tis Alexand. a *Ægyptii*, inquit, *diſperſi ſunt in varios cultus ac religiones. Ex his Syenitæ quidem colunt Piſcem Phagrum. Mæoten autem (eſt vero hic quoque alius piſcis) colunt qui habitant Elephantinam. Oxyrinchitæ autem piſcem ſimiliter, qui ab eorum dictus eſt religione. Præterea Ichneumonem Heracleopolitæ; Saitæ autem Thebani, Ovem: Lupum autem Lycopolitani: Canem vero Cynopolitani: Apim Memphitani: Hircum Mendeſii.* Non potuit itaque Moſes Dei unitatem & majeſtatem ab Ægyptiis, tot inanium Numinum cultu ludificatis, mutuari: ſed divinitus acceptam, & a Majoribus ſuis traditam, de unico ſupremo rerum omnium Artifice ac Rectore ſententiam, conſtantiſſime profeſſus, eam ſcriptis exaravit, ut illa nedum ad ſuos poſteros Iſraëlitas, ſed etiam cæteras Mundi Nationes permearet, b Unde etiam ſanxit b ſub diræ mortis interminatione, ne quis ementita Numina coleret, & ab unius veri Dei cultu tantillum declinaret.

b *Deut. 17.*

Nec eſt quod Marshamus nobis obiiciat, Apollinis oracului, a Porphyrio laudatum c, quo ſcientiarum originem & primariam Dei notitiam Ægyptiis tribuere videtur; nam ejuſmodi oraculis nulla fides, *Cum*, inquit Clemens Alex. d *veſanæ ſint infidelium hominum fallendi artes, & comparatæ ad puram putamque fraudem, quaſi aleæ ac ſordis officinæ;* neque alium quam Dæmonem errorum ac mendaciorum Patrem & artificem habeant. Deinde prætenſum iſtud oraculum, non minus Hebræis, quam Ægyptiis, ea in parte favet: imo aliud ibidem Porphyrius oraculum profert, ubi Ægyptiorum nulla facta mentione, Apollo ſic fatur;

c *apud Euſe. lib. 9. ca. 10. præp. p. 413.*

d *in protreptico ſeu admonit. ad Gentes.*

Μοῦνοι Χαλδαίοι σοφίαν λάχον ἠδ' Ἑβραῖοι
Αὐτοχθονίλλον ἄνακτα σεβαζόμενοι Θεὸν ἀγνῶς

Chaldæo Hebræoque uni ſapientia ceſſit.
Qui caſto æternum venerantur Numen honore.

Ubi vides ſcientiarum originem, Chaldæis (propter Patriarcham Abrahamum, & alios Iſraëlitarum Majores qui Chaldæam incoluerant) nec non & Hebræis attribui, a quibus potiſſima de Dei majeſtate ac cultu doctrina ad alias Nationes derivata eſt.

Iſta plæclare explicat Joſephus e de Abrahamo ſcribens: *Cum*, inquit, *Ægyptiorum gens in diverſos ritus & opiniones ſcinderetur, & per mutuum contemptum, atque inſectationem infenſis inter ſe animis agerent; colliſos inter ſe eorum de religione ſermones, & a ſeipſis confutatos, vaniſſimos eſſe, nihilque prorſus veritatis habere declaravit: ob has diſſertationes in pretio habitus, ut qui magnam, tam intelligendi, quam eloquendi docendique facultatem præ ſe ferret, & numerorum ſcientiam, & ſyderum benigne illis communicavit. Nam ante Abrahami ad ſe adventum, Ægyptii rudes erant hujuſmodi diſciplinarum, quæ a Chaldæis ad Ægyptios profectæ, hinc tandem ad Græcos pervenerunt.* Ex quibus omnibus apertiſſime conſtat, omnem de Deo ſacram & veram doctrinam, omnemque religioſam de eo ſententiam & exiſtimationem, ab Hebræis, eorumque Majoribus, Sapientes Ethnicos hauſiſſe.

e *lib. 1. Antiq. Iudaic. cap. 7.*

CAPUT UNDECIMUM.

Eadem de Rerum exordio fuit veterum ſapientum, quæ Moſis, & Prophetarum ſententia,

I. *Originem mundi ex Moſis Geneſi pene ad verbum exſcribunt.*

II. *Referunt eadem de primis hominibus, quæ a Moſe narrantur.*

III. *Protoparentes a ſerpente tentatos, & victos deſcribunt.*

IV. *Caini fratricidium, hominumque depravationem commemorant.*

V. *Noachi diluvium; Abrahæ ejuſque filiorum hiſtoriam recenſent.*

VI. *Sapientes omnes Ethnicos plagiarios fuiſſe, etiam ſcriptores Ethnici fatentur.*

IDem ferendum judicium de Mundi, rerumque omnium Exordio, cujus non aliunde quam ex Moſaicis libris notitiam habuiſſe Philoſophos, compertum fit ex illorum ea de re cum Moſe conſenſione. Ut autem ex plurimis aliqua delibemus, ſigillatim expendemus præcipua Rerum a Deo initio creatarum capita.

I. Mundi Geneſim auſpicatur Moſes his verbis, *In Principio creavit Deus cœlum & terram: terra autem erat inanis & vacua, & tenebræ erant ſuper faciem abyſſi*, quibus tria ſignificat, nempe Deum cœli & terræ Opificem: terram primitus informem & indigeſtam molem; tandem tenebras hanc primævam Mundi faciem, velut abyſſum, operientes. Hæc autem tria Philoſophis eomperta fuere; nam & Deum cœli & terræ artificem conſtantiſſime profeſſi ſunt, maxime Platonici; & terram primitus rudem nullis plantarum florumque divitiis ornatam, ſed veluti abyſſum denſa caligine circunfuſam agnoverunt, ſic Heſiodus f.

f *in Theogonia.*

Ἤτοι μὲν πρώτιστα χάος γένετ', αὐτὰρ ἔπειτα
Γαῖ' εὐρύστερνος, πάντων ἕδος ἀσφαλὲς αἰεὶ
Ἀθανάτων, οἳ ἔχουσι κάρη νιφόεντος Ὀλύμπου,
Τάρταρά τ' ἠερόεντα μυχῷ χθονὸς εὐρυοδείης

Principio natum Chaos, hinc prodivit in auras
Larga ſinu tellus, Divum certiſſima ſedes,
Summa tenent qui templa nives tangentis Olympi,
Tartaraque obſcuro terræ concluſa receſſu.

Idem

Idem ſentiunt Apollonius [a], Epicharmus Comicorum vetuſtiſſimus [b], Ariſtophanes & Auctor hymnorum, qui Orphei nomen præferunt. Poſtremo tandem Ovidius [c] qui verbis ad Moſem proxime accedentibus, Mundi primordia cecinit;

a *in Argonaut.*
b *apud Lucian. in Philoparride.*
c *in Aribus.*

Ante mare & terras, & (quod tegit omnia) cœlum.
Unus erat toto, naturæ vultus in orbe,
Quem dixere Chaos: rudis indigeſtaque moles.
Nec quidquam niſi pondus iners, congeſtaque eodem.
Non bene junctarum diſcordia ſemina rerum.
Nullus adhuc Mundo præbebat lumina Titan.
Nec nova creſcendo reparabat cornua Phœbe,
Nec circumfuſo pendebat in aere tellus
Ponderibus librata ſuis, nec brachia longo
Margine terrarum porrexerat Amphitrite.
Quaque erat & tellus, illic & pontus, & aer.
Sic erat inſtabilis tellus, innabilis unda.

Vides terram juxta Moſis narrationem, initio rudem indigeſtamque molem, abyſſum tenebris oppletam, & nullis adhuc Syderum fulgoribus irradiatam. Inde eſt quod plurimæ Nationes, cum a Majoribus accepiſſent, tenebras, in rerum exordio, lucem anteceſſiſſe; temporum ſpatia, non ex diebus, ſed ex noctibus computabant. Ita de Numidis in Libya affirmat Nicolaus Damaſcenus, apud Stobæum [d], & de Gallis veteribus Cæſar [e]; *Galli*, inquit, *ſe omnes a Dite patre prognatos prædicant, idque a Druidibus proditum dicunt. Ob eam cauſam ſpatia omnis temporis, non numero dierum, ſed noctium definiunt: & dies natales, & menſium, & annorum initia ſic obſervant, ut noctem dies ſubſequatur.* De Germanis etiam Tacitus [f]. *Nec dierum numerum ut nos, ſed noctium computant. Sic conſtituunt, ſic condicunt, ut nox ducere diem videatur.* Ejuſdem ſententiæ fuit Thales Mileſius [g], qui rogatus, utrum nox, an dies præceſſerit, Reſpondit, *Noctem unam fuiſſe priorem die*, quia videlicet Moſem legerat, veſperam diei & luci anteponentem, dicentemque tenebras ſuper faciem abyſſi & luce tempore fuiſſe priores. Quam in ſententiam cecinit Ariſtophanes ſupra laudatus:

d *Serm. 165.*
e *lib. 6. de bello Gallic.*
f *de Morib. German.*
g *apud Laertium.*

Χάος ἦν, καὶ νὺξ, ἐρεβώδες τε μέλαν πρώτιστα. καὶ τάρτα-
ρος εὐρώεις.
Γῆ δ' οὐδ' ἀὴρ οὐδ' οὐρανὸς ἦν πρίν.

Chaos erat, & nox, Erebuſque niger primum, & tartarus obſcurus,
Terræ vero neque aër neque cœlum erat.

Hinc etiam nox a Pſeudo-Orpheo omnium rerum prima dicitur, dum ſic canit:

Νύκτα θεῶν γενέτειραν ἀείσομαι, ἠδὲ καὶ ἀνδρῶν.

Noctem Deorum matrem cano, & hominum.

Adijcit Moſes; *Spiritus Dei ferebatur ſuper aquas*, vel ut fert vox Hebraica מרחפת *Merachepheth*, *Amore incubabat.* Vox enim *Merachepheth*, affectum ſignificat, nedum quia eſt in conjugatione *Piel* quæ actionem cum ardore elicitam exprimit; ſed quia quandam cordis teneritudinem, ſuavemque propenſionem denotat; quo ſignificetur Deum amore, ac bonitatis effuſione, cuncta procreaſſe: quæ poſtmodum fuit ipſiſſima Platonicorum doctrina, Habes enim apud Platonem [h] Deum amore rerum pulchrarum cuncta condidiſſe. Ea omnia ex Phœnicum Philoſophia confirmat Sanchuniato [i], ſcribit enim: *Principium hujus Univerſitatis eſſe Aërem tenebroſum, ac ſpiritu fœtum; ſeu magis tenebroſi aeris flatum ac ſpiritum, Chaoſque turbidum, altaque caligine circumfuſum. Hæc porro infinita eſſe, nullumque niſi longo ſæculorum intervallo terminum habere. Verum ubi Spiritus, amore Principiorum ſuorum flagrare cœpiſſet, eumque ſimul eſſet mixtio conſequuta, nexum hunc mutuum, Cupidinem appellarunt. Is quidem rerum omnium procreationis Principium fuit.* Virgilius etiam Spiritu Dei, infuſam rebus vitam, in rerum primordiis agnoſcit; canit enim [k]

h *in convivio Sapientum pag. 201*
i *apud Euſeb. de præp. cap. 10.*
k *in 6. Æneid.*

Principio cœlum, & terras campoſque liquentes
Lucentemque globum, Lunæ, Titaniaque aſtra
Spiritus intus alit, totamque infuſa per artus
Mens agitat molem, & magno ſe corpore miſcet,
Inde hominum pecudumque genus, vitæque volantum, &c.

Declarat inſuper Moſes, non alio inſtrumento, quam imperiali ſuo juſſu & divina voce, Deum res cunctas condidiſſe ac efficaciſſimo verbo *fiat*. Ipſe enim, ait Vates Regius, *Dixit & facta ſunt, ipſe mandavit & creata ſunt.* Hoc etiam Gentiles non latuit. Nam, ait Tertullianus [l] ipſos alloquens, *Apud veſtros quoque Sapientes* λόγον, id eſt, *Sermonem, atque Rationem conſtat, Artificem videri Univerſitatis; hanc enim Zeno determinat factitatorem quæ cuncta diſpoſitione formaverit.* Idem docent Cleantes, Chryſippus, Archedemus, Poſſidonius & alii, teſte Laertio in Zenone [m]. Conſentit etiam Auctor verſuum Orphicorum

l *in Apologet.*
m *hymno in Oceanum.*

Λύδιν ἐρείζω ες πατρὸς, τὴν φιλίγχαλο τρόπιν
Ἥνικα κόσμον ἅπαντα ἰαῖς στείξατο βυλαῖς.

Illa mihi teſtis vox ſit quæ prima Parenti
Edita, cum totum fundavit juſſibus Orbem.

Narrat Moſes Lucem primam omnium rerum viſibilium fuiſſe creatam. Idipſum agnoverunt veteres Philoſophi: ſcribit enim Timotheus Chronographus: *Erat Chaos & nox tenebroſa omnia occultans quæ ſub Æthere. Terra præ tenebris erat inconſpicua: ſed lux Æthera perrumpens, illuminavit omnem creaturam.* Notat etiam Sanchuniatho, ut apud Moſem, lucem illam primigeniam Sole priorem extitiſſe, *Luce*, inquit, *illuſtratus eſt Limus, & Sol & Luna & Stellæ & Aſtra magna.* Subii-

Subjicit Moſes, Deum diſcreviſſe aquas ſuperiores ab inferioribus, medio firmamento; & congregaſſe aquas inferiores in locum unum, quem appellavit *Maria*: aridam vero, quam prius occupabant aquæ, nominavit *Terram*. Hanc rerum ſegregationem & ordinationem norunt etiam Veteres: Anaxagoras enim, inquit Timophaliſius, dixit *Cuncta ſimul erant, at Mens ea diſcrevit ornavitque, & quæ confuſa erant, ordinavit*. Unde ipſi Anaxagoræ inditum eſt Mentis nomen;

Nam Mens illi eſſe putatur
Quæ turbata prius ſubito diſgeſſit in unum.

Addit Ovidius * ad Moſis narrationem proximius: * *init. lib. 1. Metamorph.*

Corpore in uno
Frigida pugnabant calidis, humentia ſiccis,
Mollia cum duris, ſine pondere habentia pondus:
Hanc Deus & melior litem natura diremit.
Nam cœlo terras, & terris abſcidit undas
Et liquidum ſpiſſo ſecrevit ab aere cœlum;
Quæ poſtquam evoluit, cæcoque exemit acervo,
Diſſociata locis, concordi pace ligavit.

Pherecydes etiam, ut refert Joſephus [a], dicit: *Ochbonia* (arida) *nomen telluris accepit, poſtquam Deus ei honorem attribuit*, eam videlicet appellans terram. Anaximander vero mare dixit [b], *Id quod reſtitit de primo illo madore rerum*, quæ certe omnino conſona ſunt Moſis deſcriptioni. [a] *lib. 1. contra Apion.* [b] *apud Laer.*

Moſes refert Deum quarto Creationis die, produxiſſe luminaria in firmamento cœli, ut dividerent diem, ac noctem, & eſſent in ſigna, & tempora, & dies, & annos. Id etiam notum fuit Gentilibus; ſcribit enim Aratus rerum primordia canens,

..... Τὰ γὰρ σήματα ἐν ἐρανῷ ἐστήριξεν
Ἄρχα διακρίνας, ἐνιαυτὸν δ' εἰς ἑὸν αὐτὸν
Ἀγίεσε. εἶδε μάλιστα τετυγμένα σημάντειν
Ἀνθρώποις ἐρέειν ἔφαρ ἵππιδα πάντα φύονται.
Τῷ μὲν ἀὶ φρητόν γε καὶ ὔστατον ἰλάσκονται.

Ipſe etiam in magno defixit ſidera mundo
Ordine quæque ſuo, atque in totum providus annum
Aſtra dedit, quæ nos moneant, qua quælibet hora
Apta regi, certa naſcantur ut omnia Lege.

Chalcidius etiam [c] notitiam illam, ex Moſis libris ad Gentiles derivaſſe teſtatur: *Rei*, ait, *Hebræorum quoque ſententia concinit, qui perhibent exornatorem Mundi Deum mandaſſe Provinciam, Soli quidem ut diem regeret, Lunæ vero ut noctem tueretur: cæteras quoque Stellas diſpoſuiſſe, tanquam temporum limites, annorumque ſigna, indicia quoque futurorum proventuum.* [c] *ad Timæum Platonis.*

Quinto rerum Geneſis die, *Dixit Deus, producant aquæ reptile animæ viventis, & volatile ſuper terram.* Quod utique divinum mandatum, quoſdam Philoſophos induxit, ut rerum omnium originem aquam ſtatuerent. Sic etiam Scholiaſtes [d] Apollonii, *Zeno*, inquit, *Chaos illud, apud Heſiodum aquam eſſe dicebat, unde fiunt omnia, ea ſubſidente factum limum, limo concreto terram ſolidatam.* Cui concinit Virgilius [e]: [d] *in Argonaut. 4.* [e] *Eglog. 6.*

Namque canebat, uti magnum per inane coacta
Semina, terrarumque, animæque, mariſque fuiſſent,
Et liquidi ſimul ignis: ut his exordia primis
Omnia; & ipſe tener Mundi concreverit Orbis:
Tum durare Solum, & diſcludere Nerea ponto
Cœperit, & rerum paulatim ſumere formas.

Eis præiverat Thales Mileſius [f], qui de rerum exordio loquens, *Aquam eſſe dixit initium rerum: Deum autem illam Mentem, quæ ex aqua cuncta fingeret*; Unde Auctor verſuum Orphicorum, etiam canebat: [f] *apud Cicer. de Nat. Deor.*

Ὠκεανὸν καλέω πάτερ, ἄφθιτον εἶδος ἱέντα
Ἀθανάτοις τε θεοῖς γενέσιν, θνητοῖς τ' ἀνθρώποις

Te veneror pater Oceane, immortalis origo
Naturæque Deum æternæ, & mortalium hominum.

II. Tandem ut cætera omittam, Moſes dicit omnibus Mundi partibus a Deo conſtitutis & ordinatis, eum feciſſe hominem ex luto, ad imaginem & ſimilitudinem ſuam, ut rebus creatis præeſſet, Similiter, hominem ex luto formatum agnoverunt Gentiles: canit enim Heſiodus:

Ἥφαιστον δ' ἐκέλευσε περικλυτὸν ἅψι ταχίστα
Γαῖαν ὕδατι μίσγειν ἐν δ' ἀνθρώπου θέμεν αὐδὴν

Mulciberumque moras jubet omnes ſolvere, & undas
Commiſcere Solo, atque humanam imponere vocem.

Unde a Callimacho [g] appellatur homo πηλὸς ἐμπεφυρμένος, *Lutum Prometheum*. Hujus etiam Luti mentio, eſt apud Juvenalem, & apud Martialem. Adde Cenſorini locum, *Democrito vero Abderitæ ex aqua limoque primum viſum eſt homines procreatos*. Nec longe ſecus Epicurus. Hominem etiam ex luto effigiatum & animatum divino flatu, agnovit Sanchuniatho, dum ſcriberet ex COLPIA *vento, atque ejus uxore* BAAU, *Ævum ac Primogenitum mortales ambo procreatos*. Vox enim Κολπία, cujus virtute dixit homines procreatos, Hebraice קול-פי *Keipi Iah*, *vocem* ſeu *ſtatum oris Dei* ſignificat: *Baau* vero, quam Græci noctem interpretantur, verius denotat inanimem humani corporis effigiem, quam ſpiritu ac flatu ſuo Deus vivificavit: *Ævum* autem ac *Primogenitum* non obſcure deſignant Evam & hominum Protoparentem Adamum, quem ad Dei imaginem formatum, ut rebus cunctis præeſſet, ex Veterum doctrina agnovit Ovidius his verbis: [g] *in Scaſonti.*

San-

Sanctius his animal, mentiſque capacius altæ
Deerat adhuc, & quod dominari in cætera poſſet
Natus homo eſt.....
Finxit in effigiem moderantum cuncta Deorum.

Abſolverem nuſquam, ſi cuncta doctrinæ Moſaicæ in veterum Sapientum ſcriptis exarata veſtigia, vellem huc revocare. Videbis enim apud eos homines in horto voluptatis nudos a Deo conſtitutos, & divinitus paſtos, ut referunt Plato [a], Diodorus Siculus [b] & Varro [c]. Videbis apud Strabonem [d] Calanum Indum, referentem homines propter perduellionem ab illo voluptatis hortulo ejectos: *Olim*, inquit, *omnia ita plena erant farinæ ex tritico & hordeo, ut nunc pulvere. Fontes fluebant, aqua nonnulli, lacte alii: rurſum alii vino ac melle. Sed homines præ copia rerum ac deliciis, ad contumeliam ſe tranſtulere: quem ſtatum exoſus Deus, omnia ea abolevit; aliudque vitæ genus, per laborem agendæ inſtituit.* Ex his præclare intelligitur, quam temere & abſurde affirmaverit Simplicius [e] diſputans adverſus Joannem Philopponum, quæ a Moſe de rerum Creatione tradita ſunt, eſſe commentitia & ex Fabulis Ægyptiorum expreſſa. Tantum enim abeſt, ut Moſes quidpiam de rerum origine ab Ægyptiis fuerit mutuatus; imo ex divina ipſius Doctrina Theologiam ſuam adornaſſe Ægyptios atque alios Ethnicos Philoſophos, ſatis aperte ſuperiora & ſequentia demonſtrant. Porro Hebræos ab Ægyptiis ſuam omnem, tum de Mundi Opifice, tum de Opificio Doctrinam hauſiſſe, ideo falſa hæc Gentilium animis inſederat opinio, quod exiſtimarent Hebræos, propter diuturnum ſuum in Ægypto incolatum, Ægyptiorum eſſe progeniem; quam utique ludicram exiſtimationem Scriptores Ethnici complures in Libros ſuos retulerunt. At ſi hebraïcarum rerum & veteris Hiſtoriæ conſultiores fuiſſent, intellexiſſent utique, toto cœlo Hebraicam Theologiam ab Ægyptiaca in plurimis diſcrepare & Hebræos origine Chaldæos eſſe, non Ægyptios. Accedit quod non ſolum circa rerum originem, ſed & in iis quæ demum evenere in omnibus pene Ethnicorum Hiſtoria cum Moſaïca concordet.

III. Videbis Adami &, Evæ, necnon Arboris ſcientiæ boni & mali, Serpentiſque tentatoris hiſtoriam, apud Indos idololatras extitiſſe, ut notavit Maimonides [f]: quorum etiam præclara veſtigia extabant in antiquis Græcorum myſteriis, in quibus, ut referunt Clemens Alex. [g] & Plutarchus [h], inter cæteros ritus, clamare ſolebant Εὔα *Heva*, dum Serpentis figuram oſtentarent. Clementis Alex. [i] verba ſunt: *Dionyſium Mænolem orgiis Bacchi celebrant, crudarum carnium eſu, ſacram agentes inſaniam, & cæſarum carnium peragunt divulſionem, coronati Serpentibus, ululantes Evam, Evam illam, per quam error eſt conſecutus: & ſignum Bacchicorum orgiorum eſt Serpens myſteriis initiatus. Jam vero ſi accurate vox ſpectetur Hebraïca, nomen* HEVIA *aſpiratum, exponitur Serpens fœmina*: attamen hic obiter obſerva Hebraicæ linguæ ſe non adeo peritum Clementem prodere. Sic etiam ex Moſe ſcribit Chalcidius [k]: *Juxtaque Moſea*, inquit, *Deus vitæ primigenis interdixit, ne edulibus arborum, ex quibus notitia boni malique, animis eorum obreperet, veſcerentur.* Idem alio loco, *Quibus Hebræi concinunt, cum dicunt homini quidem a Deo datam eſſe animam, ex inſpiratione cœleſti, quam rationem atque animam Rationabilem appellant; mutis vero & agreſtibus, ex ſilva rationis expertem juſſu Dei vivis animantibus & beſtiis terræ gremio profuſis: quorum in numero fuerit etiam illa Serpens, quæ primitias generis humani, malis ſuaſionibus illaqueaverit.* Etiam Pherecydes Syrus apud Origenem, [l] ſcribit Dæmonem, qui terras devaſtavit, Serpentem fuiſſe: eumque idcirco ὀφιογενῆ & ὀφιόνιον, id eſt, Serpentigenam vocat: qui quidem homines, tanquam turmatim adverſus Deum in aciem producat. Ubi prætermittendi non ſunt hi Sybillæ ea de re adſcripti Verſus:

Ἀνθρωπος πέπλασται θεῦ παλαμαῖσι ἐνὶ αὐταῖς.
Ὃντινα πλάνησιν ὄφις δόλιος ἐπὶ μοῖραν ἀνήλθειν
Τῦ θάνατε, γνῶσίν τε λαβεῖν ἀγαθῦ τε κακῦ τε.
Homo formatus eſt manibus ipſis Dei,
Quem abduxit Serpens doloſus, ut ad ſortem veniret
Mortis, cognitionemque caperet boni & mali.

IV. Habes præterea apud Sanchuniatonem, Caini, quem *Hypſuranium* vocat, in Abelem fratrem livorem & odium. Habes eundem artis Architecturæ primarium Auctorem, & alia plurima, quæ ex Moſis hiſtoria, ſub mutatis & mentitis nominibus, in ſuam derivavit. Habes etiam Gigantum ferinam vitam, & ingentia corpora, quorum pluries Moſes meminit: multo enim olim fuiſſe hominum majora corpora, nudatis ſepulchris compertum, plurimarum Gentium hiſtoriæ prodiderunt. Nam, ut notat Grotius: [m] Gabinius in Mauritaniæ deſcriptione dicebat a Sertorio reperta Antæi oſſa, quorum compagem fuiſſe cub. 60. Phlegon Trallianus [n] meminit etiam effoſſi capitis Idæ, quod triplæ eſſet ad ſolitum modum quantitatis. Addit item in Dalmatia reperta multa corpora, quorum ulnæ, ſexdecim ulnas excederent. Narrat idem ex Theopompo in Boſphoro Cimmerio repertam oſſium humanorum compagem longam 24. cub. Plinius [o] quoque refert in Creta, terræ motu, rupto monte, inventum fuiſſe corpus altiſſimi Gigantis. Plurima etiam in hujus rei confirmationem proferunt S. Auguſtinus [p] & Solinus [q].

Habes pariter, apud eoſdem a Moſe memoratam diuturnam primorum hominum vitam, quorum aliqui ad mille ferme annos vixerunt, cujus utique diuturnitatis hanc „ rationem profert Joſephus: [r] Illi, *inquit*, „ Deo

a *in Politic.*
b *lib. 1.*
c *apud Porphyr. lib. 4. de non eſu animal.*
d *lib. 15.*
e *lib. 8. Phyſic. cap. 11.*
f *in more Nevochim par. 3. cap. 29.*
g *in Protrept. pag. 9.*
h *in Alexand.*
i *Admonit. ad Gent. pag. 9.*
k *ad Timæum.*
l *contra Celſum.*
m *in notis ad lib. 1.*
n *mirabil. cap. 9.*
o *lib. 7. cap. 16.*
p *lib. 25. de Civ. cap. 11.*
q *cap. 5.*
r *lib. 1. antiq. Iudaic. cap. 4.*

„ Deo chari cum eſſent, ipſiuſque recens
„ etiam tum opificium, & commodiore
„ victu ad diuturnitatem uterentur, meri-
„ to per tam multos aanos vivebant. Præ-
„ terea tum propter ſtudium virtutis, tum
„ propter utilitatem inventarum artium,
„ ut Aſtronomiæ ac Geometriæ, Deus illis
„ prolixiorem largitus eſt vitam: quarum
„ certitudinem aſſequi non poterant, ſi mi-
„ nus DC. annis vixiſſent. Ex tot enim
„ magnus annus conſtat. Atteſtantur au-
„ tem mihi omnes qui Græcas, Barbaricaſ-
„ ve antiquitates literis prodiderunt. Nam-
„ que & Manetho Ægyptiacarum rerum
„ ſcriptor, & Beroſus Chaldaicarum, ad-
„ hæc Mochus, Heſtiæus, Hieronymus
„ Ægyptius, qui Phœnicum res proſecuti
„ ſunt, nobiſcum conſonant. Heſiodus quo-
„ que cum Hecatæo, Hellanicus & Aucu-
„ ſilaus, Ephorus & Nicolaus, narrant
„ priſcos illos ad mille annos vitam pro-
duxiſſe. Non eſt ergo cur propter ſtupen-
dam Gigantum corporis magnitudinem a
Moſe memoratam, nec non & diutinam
primorum hominum vitam, quidam Gram-
maticuli Moſis narrationem criminentur,
cum longe prodigioſiora ab Exoticis refe-
rantur.

V. Similiter Beroſus, [a] Abydenus, Hie-
ronymus Ægyptius, Mnaſeas Molonus,
Nicolaus Damaſcenus, & alii plurimi Noe-
mitici, diluvii hiſtoriam, iiſdem pene ver-
bis, ac circunſtantiis, quibus Moſes, enar-
rant. Nam Abydenus refert, [b] *Noe* (quem
Siſitrum vocat) *ex navi, qua, juxta Dei
Saturni monitum, in Armeniam trajecerat,
ut imminentem illuvionem declinaret, aves
emiſiſſe, ut experimento cognoſceret, an re-
miſiſſet tempeſtas & terra aliqua ex parte
eſſet aquis libera.* Plutarchus [c] diſtinctius lo-
quitur; *Columbam*, ait, *dicunt ex arca emiſ-
ſam, certum indicium detuliſſe Deucalioni,
cum rediret, tempeſtatis; ubi vero manebat,
ſereni.* At Moſi proximius conſonat Lu-
„ cianus, [d] ſcribit enim: Contumelioſi ho-
„ mines cum eſſent, iniqua facinora perpe-
„ trabant: nam neque jusjurandum ſerva-
„ bant, neque excipiebant hoſpites, neque
„ curabant ſupplices: ob quas res, maxima
„ eis ſupervenit calamitas. Statim enim ter-
„ ra plurimum aquæ de ſe extulit; tum ve-
„ ro plurimi de cœlo cecidere imbres, flu-
„ mina quoque ultra modum exundavere,
„ & mare ipſum ſuperfuſum eſt terris, ita
„ ut res omnes aqua fierent, homines vero
„ perirent omnes. Solus tunc ad ſecundi
„ generis exordium Deucalion relictus eſt,
„ prudentiæ & pietatis ergo. Servatus au-
„ tem hoc modo eſt. In arcam magnam
„ quam habebat, liberos, muliereſque do-
„ mus ſuæ impoſuit, ipſeque eam ingreſſus
„ eſt: quod cum faceret, venere apri, &
„ equi, & leonum genera, & ſerpentes,
„ & alia quæ in terra paſcuntur, bona
„ quæque. Ille hæc ad ſe animantia rece-
„ pit omnia, quæ nihil nocuere; ſed ma-
„ gna ei cum illis divinitus amicitia ob-
„ venit: unaque in arca navigarunt omnes,
„ quandiu aqua ſuper terras fuit. Hæc ſunt
„ quæ de Deucalione referunt Græci. *Ita*
„ *Lucianus.* Ubi vides eandem a Moſe ex-
preſſam de Diluvio narrationem; niſi quod,
inquit Philo Judæus, [e] *hunc Græci Deuca-
lionа vocant, quem Chaldæi & Judæi*, Noe, *ſub quo ille magnus Cataclyſmus evenit.* Xi-
zithrus enim, ut & Ogyges, & Deucalion,
ait Grotius, nomina ſunt idem aliis lin-
guis, nimirum *requiem*, ſignificantia, quod
Hebraice vox *Noe*. Niſi forte cum Theo-
philo Antiocheno [f] dixeris, Noe a Græcis
dictum fuiſſe Διυσαλιος, quod mortalibus im-
minentem Cataclyſmum prænuntians, dice-
re conſueviſſet, δεῦτε, ταχὺ ὑμᾶς ὁ θεὸς εἰς μετά-
νοιαν *Venite! Deus ad pœnitentiam vos vo-
cat; Inde Noe Deucalion* ἀπὸ τῆς κλήσεως, id eſt,
vocando, dictus eſt.

Porro non inſolitum fuiſſe Scriptoribus
Ethnicis, res Hebræas, omiſſis propriis vo-
cibus, & earum duntaxat ſignificatione ex-
preſſa, enarrare, probat Euſebius [g] ex Mo-
lone, prolato a Polyhiſtore; is enim, cum
Græca voce non poſſet exprimere vim no-
minis *Iſaac* iiſdem ſyllabis, ipſius ſenſum
expreſſit, eum nominando γέλωτα *Gelota* quod
utique riſum, quemadmodum vox Hebraica
Iſaac ſignificat; eruitur enim a radice γελάω,
i. e. *rideo*, ſicut Iſaac a radice Hebraica
צחק *Tſachak*, quod etiam ridere ſignificat.

Ejuſdem etiam Arcæ ſalutiferæ Noe, a
Moſe memoratæ, reliquiarum meminerunt
plurimi alii Scriptores exotici, maxime Stra-
bo [h] & Plinius; [i] quibus conſentiunt Me-
la & Solinus: ex Chriſtianis vero Theo-
philus Antiochenus, [k] Epiphanius, [l] Chryſo-
ſtomus, [m] Iſidorus, [n] omnes conſtanter af-
firmantes, ſuo adhuc tempore illius Noemi-
ticæ arcæ, in Ararath monte Armeniæ, ubi
eam poſt diluvium quieviſſe narrat Moſes,
apparere reliquias; ex quibus incolæ, par-
ticulas uſurpantes collo ſuſpendebant, &
geſtabant pro amuleto.

„ Ea de re audiendus eſt Joſephus. [o] Hu-
„ jus, *inquit*, tum *Diluvii*, tum *Arcæ* me-
„ minerunt, quotquot Barbarorum hiſtorias
„ conſcripſerunt. Quos inter Beroſus Chal-
„ dæus, in ea quam habet Diluvii narra-
„ tione ita ſcribit. Atque hujus navigii
„ partem etiamnum aliquam in Armenia,
„ circa Montem Cordyæorum ſervari fe-
„ runt, ex qua deraſi bituminis aliquid
„ loci ejus indigenæ ad procurandam ma-
„ xime & averruncandam Numinis iram,
„ geſtare conſueverint. Ejuſdem rei men-
„ tionem quoque facit Hieronymus Ægy-
„ ptius, qui priſcam Phœnicum hiſtoriam
„ conſcripſit: itemque Mnaſeas, aliique
„ complures. Quibus Nicolaum Damaſce-
„ num adde, qui libro nonageſimo ſexto
„ hæc habet; *Eſt*, inquit, *ſupra Minyadem
„ Mons ingens in Armenia, Barin vocant,
„ ad quem plerique, cum Diluvij tempore
„ confugißent, eos periculum effugiße nar-
„ rant. Præterea certum quendam Arca ve-
„ ctum, ſummum ad montis verticem appu-
„ liße, ac Lignorum ibi reliquias perdiu con-
„ ſervatas fuiße.* Is vero non alius utique
„ fuerit, quam qui a Moſe Judæorum Le-
„ gislatore memoratur. *Hæc Joſephus.* Simi-
lia

[a] *apud Joſeph. lib.* 1. *Ant. cap.* 4.
[b] *Euſeb. lib.* 9. *prap. Evang. cap.* 11. 12. *& Cyrill. lib.* 1. *adv. Iuli.*
[c] *lib. terreſtria an aquatica animantia plus habeant ſolertia.*
[d] *lib. de Dea Syria.*
[e] *lib. de præmiis & pœnis.*
[f] *lib.* 3. *ad Autolyc.*
[g] *lib.* 9. *præp. Evang. cap.* 19.
[h] *lib.* 16. *cap.* 25.
[i] *lib.* 5. *cap.* 13.
[k] *lib.* 3. *contra Nazaraos.*
[l] *Orat. de perf. dilect.*
[m] *lib.* 14. *Orig. cap.* 8.
[n] *lib.* 1. *Antiq. & apud Euſeb. lib.* 9. *præp. Evang. p.* 414.
[o]

lia habet Abydenus, ab eodem Euſebio prolatus, & Alexand. Polyhiſtor a S. Cyrillo. [a]

a *lib. 1. contra Iulian. pag.* 8.

Idem eſto Judicium de cæteris Moſis narrationibus & hiſtoriis, quas Ethnici Scriptores ad verbum pene exſcripſerunt. Idem enim Abydenus, ſicut & Eupolemus, ac Artapanus, meminerunt Turris Babel & confuſionis linguarum. *Sunt*, inquit Abydenus apud Euſebium, [b] *qui primos homines e terra natos, cum & viribus & corporis mole confiderent, potentiamque Superis ipſis majorem affectarent, immenſæ altitudinis Turrim, ubi nunc ſita Babylon eſt, molitos eſſe dicant; quæ cum jam propius abeſſet a cœlo, Ventos ipſo navata Diis opera, vaſtam & immanem eorum in capita ſubſtructionem effudiſſe, cujus ex collapſæ ruderibus, ea quam Babylonem vocant, extiterit. Homines porro, quorum ad id tempus una eademque lingua fuerat, multiplicem ac diſcrepantem ab eo vocem emiſiſſe, ac poſtmodum Saturnum inter ac Titana bellum eſſe conflatum.*

b *pag.* 416.

Sodomorum incendium ex Dei vindicis ira, & in ſceleratos homines animadverſione refert Moſes. Enarrant pariter Diodorus Siculus, Strabo, Tacitus: ſed prætermiſſa aut diſſimulata legitima & vera cauſa: *Vicina regio*, inquit Diodorus, [c] *cum igni ſubardeat, ſæyumque odorem exhalet, in cauſa eſt cur Accolarum corpora morbida, ſint minime vivacia.* Strabo autem: [d] *Eſſe in hoc Solo ignem, multa indicia adferunt. Nam & petras oſtendunt aſperas & exuſtas circa Moaſada: tum multis in locis exeſas cavernas, terram cineroſam, picis guttas de petris ſtillantes, ferventia non ſine fœdo odore flumina, & habitationes paſſim everſas: quæ cuncta fidem faciunt famæ apud indigenas vulgatæ, tredecim olim in ea regione habitatas urbes, quarum princeps* SODOMA *fuerit, cujus ambitus etiam nunc oſtenditur in LX. ſtadia patens: terræ autem motibus, erumpente igne, aquiſque calidis & bituminoſis extitiſſe, qui nunc eſt lacum, ſaxa concepiſſe ignem, urbium abſorptu alias, alias ab iis qui fugere potuerunt derelictas.* Tacitus vero: [e] *Haud procul inde campi, quos ferunt olim uberes, magniſque urbibus habitatos, fulminum jactu arſiſſe: & manere veſtigia, terramque ſpecie torridam, vim frugiferam perdidiſſe. Nam cuncta ſponte edita, aut manu ſata, ſine herba tenus aut flore, ſeu ſolitam in ſpeciem adolevere, atra & inania velut in cinerem vaneſcunt.*

c *lib. 19. ubi poſt lacus aſphaltitis deſcript.*
d *lib. 16. poſt Aſphalt. deſcriptionem.*
e *Hiſt. 5.*

Propius ad Moſis narrationem accedit Julius Solinus Polyhiſtor [f] in deſcriptione Judææ, *Longa*, inquit, *ab Hieroſolymis receſſu triſtis ſinus panditur, quem de cœlo tactum teſtatur humus nigra & in cinerem ſoluta. Duo ibi oppida, Sodomum nominatum alterum, alterum Gomorrhum, apud quæ pomum gignitur, quod habeat ſpeciem licet maturitatis, mandi tamen non poteſt. Nam fuliginem intrinſecus favillaceam ambitio tantum extima cutis cohibet, quæ vel levi tactu preſſa, fumum exhalat, & fatiſcit in vagum pulverem.* Hæc ille. Ubi licet duo tantum memoret oppida; nihilominus quinque cæleſti igne conſumpta ſunt: nimirum Adama, Seboim, Segor, Sodoma & Gomorrha, ut notat S. Hieronymus; [g] conſentit etiam Egeſippus [h] ubi de Sodomitica Regione ſcribit: *Nam*, inquit, *cum omnia illis Deus ſuo contuliſſet munere, arva frugum feracia, & vineis cæteriſque fructuoſis arboribus rus conſitum; ingrati nec præ oculis habentes potentiam Dei ſummi, quaſi non omnia cerneret, omnia proſpectaret flagitia, nihilque eſſet quod illum latere, aut præterire poſſet: ita intemperantiæ ſuæ probris miſcere univerſa, ac polluere cœpere, quibus divinam traxere offenſam, & pro ſcelerum pretio, de cœlo deſcendit ignis, qui regionem illam exureret. Quinque itaque urbes incenſæ, quarum umbra quædam & ſpecies in favillis videtur. Arſere terræ, ardent aquæ, in quibus cæleſtis ignis reliquiæ recognoſcuntur, atque adhuc manent. Spectes illic ad ſpeciem poma viridantia, formatos uvarum racemos, ut edendi generent ſpectantibus cupiditatem: ſi carpas, fatiſcunt ac reſolvuntur in cinerem, fumumque excitant, quaſi adhuc ardeant. Hæc propter ſupplicia impiorum de Sodomitano territorio comperta, ſilentio obducere non oportuit.* Hiſtoria Abrahæ, Iſaaci, & Jacobi non latuit Beroſum, Hecateum, Molonem, Eupolemum, Artapanum, Theodotum & Demetrium, laudatos ab Alexandro Polyhiſtore apud Euſebium.

f *lib. cap. 16. & ſeq.*
g *cap. 14. lib. 2. adverſ. Jovinian. & lib. de locis Hebraicis.*
h *lib. 4. cap. 18.*

VI. Nec mirum quod pleraque Moſis dogmata expilaverint Ethnici, maxime vero „ Græci, quippe ut eis obiicit Porphy- „ rius, [i] hujuſmodi latrociniis erant aſſue- „ ti: Quod variis exemplis probat: Quid „ enim, *inquit*, Ephori ſingulare ac pro- „ prium eſt, qui ex Daimachi, Calliſthe- „ nis, & Anaximenis operibus, tria non- „ nunquam ipſa verſuum millia totidem „ verbis in ſua tranſtulerit? Cui Apollo- „ nius Grammaticus, Enimvero neſcis, in- „ quit, Theopompum illum, quem ei præ- „ ferre geſtis, eodem quoque morbo labo- „ rare, qui libro de Philippi rebus unde- „ cimo, ex Iſocratis Areopagitica, locum „ illum ad verbum tranſcripſerit, *Boni ma- „ lique nihil per ſeſe hominibus evenire:* & „ quæ ſequuntur. Iſocratem interea deſpi- „ cit, eoque certamine, quod in Mauſoli „ honorem inſtitutum eſt, victum abs ſeſe „ Magiſtrum gloriatur. Quin etiam res „ ipſas ille ſubſtraxit, quæ aliorum pro- „ priæ ſunt, aliis tribuendo, ut hoc etiam „ modo mendacii teneatur. Cum enim An- „ dro in Tripode res a Pythagora Philo- „ ſopho prædictas collegiſſet, interque cæ- „ tera commemoraſſet, eum aliquando Me- „ tapenſi ſitientem, cum hauſtam ex quo- „ dam puteo aquam bibiſſet, terræ motum „ ante diem tertium futurum prædixiſſe. „ Hic nonnullis interjectis, ita proſequi- „ tur: Illam igitur Andronis de Pythago- „ ra hiſtoriam Theopompus integram fu- „ ratus eſt. Qui ſi eam de Pythagora com- „ memoraret, alii quibus ea forte nota jam „ eſſet, eandem etiam a Theopompo nar- „ ratam eſſe dicerent. Nunc vero furtum „ ipſe ſuum, nominis mutatione patefecit. „ Rem enim eandem ſcribens, nomen ſup- „ po-

i *lib. 1. de erudit. Aud. apud Euſeb. p.* 464.

„ poſuit alienum. Id videlicet a Pherecyde
„ quodam Syro prædictum fuiſſe tradit. Imo
„ non hujus tantum nominis integumento;
„ verum etiam loci mutatione, ſuum ipſe
„ plagium occultare conatur. &c.

Iſta omnia egregie confirmat Clemens Alexand. [a] ubi cum Gentilium Philoſophorum furta plurima recenſuiſſet, tandem concludit: *Vita me deficeret ſi quidquid illi dum ſe nimium amant, furtive ſurripuerunt, ſigillatim exponere & perſequi voluero; nec non ut pulcherrima quæque dogmata, quæ a nobis primum conſtituta, ſumpſerunt, pro ſuis poſtea venditarunt. Iam vero non ſatis ipſi Barbarorum dogmata ſurripere palam habuerunt: ſed etiam res æmulati noſtras, quæ noſtri, erudiendi cauſa, viri ſanctiſſimi, ſupra communem hominum opinionem, divina vi tanto ante perfecerant, ea Græcarum fabularum monſtris & involucris peßundarunt*, ut plurimis exemplis ſtatim conſtabit.

a *Lib. 6. Strom. pag. 629.*

CAPUT DUODECIMUM.

Ethnicorum Mythologia ex Moſaicis libris prave intellectis originem habet.

§. I.

I. *Mythologi omnia ſua numina ex perverſa Moſis Pentateuchi interpretatione finxerunt.*

II. *Suas etiam leges, ſuoſque Ritus ſacros ab eo ſunt mutuati.*

III. *Proponuntur, & reſolvuntur omnes Marſhami obiectiones.*

I. ETſi ea quæ diximus in præcedenti capite, ad demonſtrandam Moſis ejuſque Librorum antiquitatem, ſufficere videantur; quia tamen apud Veteres Ethnicos, triplex, ut dictum eſt, vigebat doctrinæ genus, Phyſicon videlicet, Mythicon, & Civile, ut argumentorum noſtrorum ſeries uſquequaque cohæreat, nec ulla parte dehiſcat; emenſo jam priori ſtadio, ad ſecundum devolvor; ac præcipua Ethnicorum Mythologiæ capita, a Moſe, ejuſque & aliorum Prophetarum ſcriptis, manaſſe demonſtro.

Ordior a SATURNO quem Deorum omnium Patrem Ethnici profitebantur. *Ante Saturnum*, ait Tertullianus, *Deus penes vos nemo eſt; ab illo cenſus totius, vel potioris vel notioris Divinitatis.* Quem autem veterum hominum Saturno adumbraverint, non eadem eſt apud Auctores ſententia. Potiſſimæ vero duæ ſunt; quarum prima Saturni nomine, expreſſum fuiſſe Patriarcharum Noe contendit, his ducta conjecturis.

Eo tempore, quo omnis caro corruperat viam ſuam, & propter graſſantem ubique hominum improbitatem, ſtatuerat Deus delere hominem a facie terræ, Noe propter eximiam pietatem [b] *invenit gratiam coram Domino*, fuitque [c] *juſtitiæ præco* ſedulus, nihilque non egit, ut prævaricatores ad pœnitentiam & pietatem, verbo & exemplo revocaret. Saturnum itidem Regem juſtiſſimum eſſe volunt, adeoque homines ſui temporis ex agreſti vita, ad humaniorem cultum tranſtuliſſe: & propterea magnos honores conſequutum, varias Orbis plagas peragraſſe, & omnes ad juſtitiam & animi ſimplicitatem induxiſſe, ſcribit Diodorus Siculus [d],

Ab exacto diluvio, ad nativitatem Phalegi centum videlicet circiter annis, Noe in univerſum genus humanum, nondum in varias Orbis regiones diſperſum, ut Pater in liberos, imperium habebat; unde cuncta ad pacem & juſtitiæ normam erant compoſita. Eadem finxerunt Poetæ de regno & ætate Saturni, quam idcirco auream fabulantur, quod homines omnia in commune poſſidebant & veluti filii ſub unius parentis moderamine vivebant: *Rex Saturnus*, inquit Trogus [e], *tantæ juſtitiæ fertur, ut neque ſervierit ſub illo quiſquam, neque quidquam privatæ rei habuerit; ſed omnia communia & indiviſa omnibus fuerunt, veluti unum cunctis Patrimonium eßet.* Hinc Heſiodus de eadem ætate cecinit:

Cœlorum imperium dum rex Saturnus habebat,
Diis ſimiles ſumma degebant pace, nec ullus
His labor aut erumna fuit.

Sumptum id videtur ex Vaticinio Lamechi, qui filium ſuum vocavit Noe dicens [f]: *Iſte conſolabitur nos ab operibus & laboribus manuum noſtrarum in terra, cui maledixit Dominus.*

Erat tunc [g] *terra labii unius & ſermonum eorumdem.* Idem de Saturni tempore finxerunt Poetæ, imo & Philoſophi. Plato namque ſcribit [h], *Saturni alumni, tanto otio & facultate, non ſolum cum hominibus, ſed & cum beſtiis colloquendi, hiſce omnibus ad Philoſophiam utebatur.*

Noe dicitur [i] *Vir agricola*, qui terram exercere cœpit & vineam plantare. Saturno etiam agrorum & vitium cultura tribuitur ab Aurelio Victore [k], qui cum dixiſſet, *Saturnum feros homines, & raptu vivere aſſuetos, ad compoſitam vitam traduxiſſe*, ſubdit [l] *Hicque primus agriculturam edocuit*: Unde Plutarchus dicit ejus ſimulacrum cum falce effigiari, eo quod inquit [m], *Fructuum virtuti aut agriculturæ Deus ille præeſt, hoc enim falx ſignificat.*

Noe bibens vinum inebriatus eſt, fortaſſe nondum expertus ejus vires. Hinc etiam

c apud Iuſtin. lib. 45.

b *Geneſ. 6, 78.*
c *2. Pet. 2. 5.*
d *lib. 5. Bibl.*
e *Geneſ. 5. 30.*
f *Geneſ. 11. 1.*
g *in Politic.*
h *Geneſ. 9. 20.*
i *in lib. de Orig. gentis Romani.*
k *Quæſt. 42.*
l *Ibid. v. 22.*
m

etiam Ethnici commenti ſunt Saturnum lautis epulationibus & ebrietati præeſſe. Unde tempore Saturnaliorum, non licebat ſerium quidquam aggredi; ſed, inquit Lucianus [a], *Inebriari & bibere, & vociferari.* Quamobrem in primo Dialogo, Saturnum ſic loquentem inducit, *Sibi curam eſſe commiſſam plauſus, & cantus, & luſus; & honoris æqualitas omnibus, cum ſervis, tum liberis, neque enim me regnante ſervus erat.* Quapropter ut referunt Macrobius [b] & Athenæus [c], in Saturnaliorum feſto, ſervos ſuos Domini conviviis liberalibus & lautis excipiebant; imo ipſi ſervilibus officiis fungebantur, & ſervis impune, quidquid luberet, licebat. Ideo Catullus [d] Saturnalia *Optimum diem* appellat, quod nimirum aurei illius ſæculi, Saturno regnante, memoriam repræſentabat, quo nondum erat auditum ſervitutis nomen propterea quod Noe in Chamum filium ſui deriſorem non adhuc pronuntiarat hoc anathema: *Maledictus Chanaam, ſervus ſervorum erit fratribus ſuis.*

a *in Saturnal.*

b *lib. 1. Saturnal.*

c *lib. 14.*

d *ad C. Licinium.*

Tandem fabulabantur Ethnici Saturnum devoraſſe ſuos liberos, præter tres illos Jovem, Neptunum & Plutonem, qui ſoli ſuperſtites orbem univerſum inter ſe diviſerunt: quod haud dubie acceptum fuit ab hiſtoria Noe, qui cum Propheta & Paſtor eſſet, cenſeri potuit Pater hominum ante diluvium: quos cum ad meliorem frugem verbis, exemplis, & brevi futuræ in eos divinæ vindictæ comminationibus fruſtra provocaſſet; & ut ait S. Paulus, *Reſponſo accepto de iis quæ adhuc non videbantur metuens, aptaſſet Arcam in ſalutem domus ſuæ, per quam damnavit Mundum:* Idcirco perduelles illos conſumpſiſſe dici potuit, quia prædixit conſumendos & abſorbendos in aquis diluvii: quippe ex Scripturæ phraſi, [e] Prophetæ interdum dicuntur id facere, quod futurum prænuntiant, ſic Jacob, Simeon & Levi filios alloquens, ait: *Dividam eos in Jacob, & diſpergam eos in Iſrael*, id eſt prædico dividendos & diſpergendos. Tres autem, omnibus hominibus extinctis, ſolum ſuperfuerunt; nimirum Sem, Cham, & Japhet, qui Orbis imperium inter ſe diſtribuerunt.

e *Geneſ. 49. 7.*

Aliter cenſent Alii, exiſtimantes ſub *Saturni* larva, verum Patriarcham *Abrahamum* ab Ethnicis, maxime Phœnicibus, fuiſſe divinis honoribus donatum. Iſtud colligere ſe putant ex Sanchuniathone, ex quo Philo Biblius [f] refert, *Saturnum, quem Phœnices Iſraelem cognominant; quemque poſt obitum, in aſtrum ejuſdem nominis conſecrarunt; cum regnaret in iis locis, ac Filium unigenitum ex Nympha quadam indigena, quam* ANOBRETEM *vocant, ſuſcepiſſet: cum graviſſimum belli periculum univerſam in regionem incubuiſſet; moſque eſſet illius regionis, ut in ſummis Reipublicæ calamitatibus, penes quos aut civitatis, aut gentis imperium eſſet, filiorum cariſſimum Dæmoni ſævienti jugularent; Saturnus filium ſuum regio cultu ornatum, ad aram a ſe prius erectam & inſtructam immolavit.* Ubi vides Abraham, Saræ & Iſaaci immolandi hiſtoriam adumbratam, quam ſub Iſraelis, ſive Saturni & *Anobreth*, & Unigeniti quem dicunt *Iehudem*, nominibus exponunt. *Anobreth* enim ut interpretantur Scaliger [g] & Bochartus [h] ſignificat *ex gratia concipientem*, qualis fuit Saræ partus; *Iſrael* vero *videntem Deum*, quod in Abrahamum optime quadrat, ſiquidem Dei conſortio & apparitione pluries fuit recreatus: *Iſaacus* autem dicitur *Iehud*, lingua Phœnicia, hoc eſt, unigenitus a Patre immolatus, ad placandam Numinis iram, ut fingunt Ethnici: verius, ut teſtatam haberet Deus Abrahæ obedientiam, ut refert ſacer textus. [i] Iſtud aliter explicat Grotius in *cap. 5. Matth. de divortio*, ubi dicit Sanchuniathonem Iſraelem ſcripſiſſe pro Abrahamo, hoc eſt, nepotem pro avo, eumdem dicens eſſe *Saturnum*, nimirum quia poſteri ejus Saturni die feriabantur. Αγοβρετ aut inquit, ni fallor παρα per ἐκλογην, vocavit Saram. Nam ρωδ pro ρωδηθ, dialectus magis eſt quam corruptio vocabuli.

f *apud Euſeb. lib. 1. de præp. pag. 40.*

g *in Fragm. pag. 48.*

h *lib. 2. cap. 2.*

i *Geneſ. xxii.*

Addit Sanchuniatho Saturnum, tum ſibi circumcidiſſe virilia, & Commilitones omnes idem ut facerent adegiſſe. Ubi proximius indicat Abrahamum, qui primus Circumciſionem Dei juſſu induxit, & ad ſuos poſteros propagavit.

Nec Saturno ſolum Noachum diſſimularunt, ſed etiam Jano; atque hunc, quod Noachus vidiſſet utrumque hominum genus, ante & poſt diluvium, & quod ipſo diluvio antiquius fuerat ac recentius, bifrontem & utrimque oculatum, ſub Jani ſimulacro repræſentarunt. Etiam in Libero patre Noachi erat imago, quippe uterque refertur vitium conſitor, repertor vini, & poſt diluvium velut renatus. Nec mirum quod unius hominis acta in plures partiti ſint, aut multorum hominum geſta uni tribuerint Mythologi; nempe unica veritatis via eſt, plures erroris. Omnia vero iſta, quæ vel Noacho affinxerunt ex Codicibus ſacris præcipue ex Pentateucho Moſis hauſerunt.

Sunt etiam qui aſſerant Nembrodum eſſe Belum, Babylonis conditorem, quem Euſebius [k], Theophilus [l], Damaſcius [m] & Servius [n], Saturnum eſſe ſtatuunt: voluntque Saturnum idcirco temporum rectorem & metatorem eſſe dictum; quod Belus ipſe dictus ſit cognomine Græce χρονιος *temporarius* Hebraice vero בל *Bel tempus*; quæ etiam a Moſe [o] de Nembrodo narrante deprompta ſunt. Qui plura deſiderat, videat S. Auguſtinum [p], Lactantium [q], Ludovicum Vivem, Bochartum [r], Huetium, &c. ex quorum ampliſſima ſegete hunc manipulum legi.

k *in Chron.*

l *lib. 3. ad Autol.*

m *apud Photium.*

n *in 1. Ænead.*

o *Geneſ. 10.*

p *lib. 7. de Civit. cap. 9.*

q *lib. 1. de falſa Relig. cap. 11.*

r *lib. 1. Geograph.*

Ut Noe perſonatum eſſe Saturnum, multis argumentis conſtitit; ita Sem, Cham & Japheth, Noe filios, ſub tribus Saturni filiis, Jove, Neptuno, & Plutone Veteres adumbrarunt. *Chamum* enim, ſeu *Hamum* eſſe *Jovem*, inquit Bochartus, probant hæ rationes. I. ex nomine Hebræo חם *Cham*, aſpiratione denſa mutata in χ Græcum, factum eſt Ægyptium Αμουν & Africanum *Ammon* & *Hammon*, quæ Jovis eſſe Nomina, nemo eſt qui neſciat.

חם

חם *Ham* ait Bochartus, fervidum ſonat, a radice חמם *fervere*, invaleſcere: ita etiam Jupiter Græce ζεὺς videtur a fervendo dici, quod Auctor ethymologici refert ad calorem aeris; quaſi, Jovis nomine Poetæ aerem intellexerint; a fervore enim aer eſt calidiſſimus. Vel a verbo ζέω *ferveo* unde *Jupiter* ζεὺς & *Juno* ζέα *Soror* & *conjux Jovis*, quæ duo Gentilium Deorum vocabula, *ignem* & *aerem* declarant: *Nam* inquit Fulgentius, *maritatus igne aer, ferveſcit*. Hinc Tertullianus [a]: *Ipſa quoque vulgaris ſuperſtitio communis Idololatriæ, cum in ſimulacris de nominibus & fabulis, veterum mortuorum pudet, ad interpretationem naturalium refugit, & dedecus ſuum ingenio obumbrat; figurans Jovem in ſubſtantiam fervidam, & Junonem ejus in aerem, ſecundum ſonum Græcorum vocabulorum*. Qua ratione *Chamus* dici potuit *Jupiter*, ſiquidem CHAM *proprie* Calidum *notat*, *ſive ſic a parentibus ſit vocatus*, inquit Voſſius [b], *quod jam in puero ignea quædam mens, & mirus animi fervor reluceret: ſive ita dictus a colore fuſco: quando vox Hebræa, non calidum modo, ſed etiam nigrum ſignificat, quia, ſolari æſtu fuſci, vel nigri etiam homines fiant: ſive etiam Prophetico ſpiritu, nomen hoc illi datum ſit, quia progenies ejus, inhabitatura eſſet regiones Meridionales, quibus Sol magis urit, & nigrorem hominibus adfert. Chami enim poſteris, tum Ægyptus obtigit; tum ab Oriente Arabia, ab Occidente poſterior Libya, a Meridie Æthiopia*.

[a] *lib. 1. adverſ. Marcion. cap. 13.*

[b] *lib. 2. de Idolol. cap. 11.*

Jupiter fingitur eſſe cœli Dominus; forte quia Chamo in ſortem etiam obtigit Africa, cujus magna pars cum ſit inter tropicos, Solem habet & reliquos Planetas ſupra verticem: Unde *cœlo proxima* a Lucano [c] dicitur. Tandem Jupiter patrem Saturnum execuiſſe fabulantur Poetæ, quod ſumptum videtur ex his Geneſis verbis prave acceptis: *Cum vidiſſet Cham pater Chanaam verenda ſcilicet patris ſui eſſe nudata, nuntiavit duobus fratribus ſuis foras*. Hebraice enim vocabulum ויגד *Vajagged*, quod a ſerie orationis divulſum, tum cum vocalia puncta aberant, legi potuit *Vejaggod*, i. e. & *abſcidit*, ut plurimis exemplis confirmat Bochartus ſupra laudatus.

[c] *lib. 9.*

Aliam tamen *Jovis* etymologiam venantur aliqui ex voce Ζεὺς, vel Ζεῦ & πατήρ; & inde putant factum *Jovis pater*; & per eliſim *Jupiter*, quaſi *Iehova* ſeu *Deus pater*. Vel ut vult Lactantius [d] *Jupiter* quaſi *Juvans pater*. Nam, inquit Aulus Gellius [e], *Jovem* Latini veteres a *juvando* appellavere: eundemque alio vocabulo juncto, *Patrem* dixerunt. Unde quod eſt in eliſis, aut immutatis quibuſdam literis *Jupiter*; id plenum atque integrum, eſt *Jovis pater*. Sic & *Neptunus pater* conjuncte dictus eſt, & *Saturnus pater*, & *Janus pater*, & *Mars pater*: hoc enim eſt *Marſpiter*. Itemque *Jupiter Dieſpiter* appellatus, id eſt, *diei* & *lucis pater*. Hæc Gellius. Similiter vocem *Ammon*, deducunt vel a gente Ammonitarum: vel a regione quæ *Ammonia* dicitur, ubi celebre erat templum *Jovi* dicto *Ammoni* ſacrum, in ea parte Libiæ quam præter Æthiopes accolunt *Naſamones* Gens Syrtica, & Troglodytæ, teſte Diodoro Siculo [f], qui eam regionem appellat ἱερὰν τοῦ Θεοῦ χώραν, *Sacram Dei regionem*, quod nempe in ea regione fuerit diffammatum Ammonis oraculum, ad quod confluebant remotiſſimæ quæque Gentes Aſianæ, ubi Jupiter ſub Arietis ſimulacro colebatur. Unde & Phœſtus ille, qui res Macedonias ſcripſit:

[d] *lib. 1. cap. 11.*

[e] *lib. 5. cap. 12.*

[f] *lib. 17.*

Ζεῦ λιβύης Ἄμμων μεγατυφέος, κικλήθι μάντι.
Jupiter Libyæ Ammon coruute, audi vates.

Sed jam Strabonis ætate negligi cœperat, ut ipſe teſtatur [g] his verbis: *Itaque oraculum Ammonis propemodum eſt deſertum, quod in honore prius fuit*. Temporibus vero Theodoſii Senioris deſpicatui plane erat. Unde Prudentius:

[g] *lib. 11.*

Nec reſponſa refert Libycis in Syrtibus Ammon.

Veroſimilius tamen eſt, Jovem hunc Ammonem, eſſe eundem ac *Ham*, ſive *Cham* Noe filium, cui in diviſione terrarum ſortito obtigerit Chananæa, Arabia, Ægyptus, Æthiopia, Africa & Libya exterior.

Japhetum etiam ſub larva Neptuni adumbrarunt & coluerunt, quem mari & aquis præeſſe ideo fabulati ſunt; quod in Orbis partitione, portio quæ ejus familiæ ac poſteris obtigit, magna ſui parte conſtabat inſulis; ut apparet ex his verbis Geneſis [h], ubi recitata Japheti Genealogia, ſubditur: *Ab his diviſæ ſunt inſulæ Gentium in regionibus ſuis unuſquiſque ſecundum linguam ſuam & familias ſuas in nationibus ſuis*. Accedit etiam *Japheti* nominis cum *Neptuni* voce conformitas; ſiquidem a dilatatione ſumptum eſt *Japheti* nomen ut colligitur ex apprecatione Noe [i]: *Dilatet Deus Japheth*. Quod apprime quadrat Neptuno confecto maris Deo, de quo Phornutus: πρόσηγορος *Lato pectore vocatur Neptunus ob maris latitudinem*.

[h] *cap. 10. 5.*

[i] *ibid. 9. 27.*

Tandem *Sem* Patriarcham ſub *Plutonis* ementito nomine, Deum quidem fecerunt, ſed inferorum. Cum enim ipſe Semus Dei cultor eſſet Zelantiſſimus, & gliſcentem Idololatriam, verbo & exemplo pro viribus compeſceret; inde cæteris nationibus, Dæmonum præſtigiis & idolorum cultu ludificatis, ſumme fuit inviſus: quamobrem eum ſub Plutonis nomine detruſerunt in inferos. Quia vero ille unus erat ex humanæ naturæ per diluvium pene extinctæ Reſtauratoribus; & proxime affinis eis, quos ut Deos cæca Gentilitas colebat; ipſi etiam divinitatem affinxerunt, ſed quæ duntaxat imperium haberet in inferos. Idem ſentiendum de cæteris ementitis Numinibus, quæ pro arbitrio, & Gentium ſingularum captu, Mythologi finxerunt: pleraque certe ex illuſtrioribus viris, quorum virtutes & geſta referunt ſacri Codices, maxime vero Pentateuchus Moſis, ex quo præcipua Theologiæ ſuæ ac Mythologiæ capita hauſerunt.

§. II.

§. II.

II. CErtiſſimum antiquitatis Moſaici Pentateuchi indicium eſt, quod vetuſtiſſimæ Ethnicorum priſcorum Leges, celebrioreſque in ſuis Numinibus colendis Ritus ſervari ſoliti, ex eo fuerint deprompti: quæ quoniam pleniſſime & evidentiſſime jam fuerunt demonſtrata cum ab Euſebio, Theodoreto, Arnobio, aliiſque antiquis Ethnici erroris expugnatoribus; tum a plurimis Recentioribus, maxime Grotio, Bocharto, & noviſſime ab Huetio, ex uberrima eorum meſſe exiguum duntaxat Spicilegium conficiam.

Occurrit in primis a Moſe divinitus eruditio ſancita Lex de Sabbato ſervando [a], propterea quod eo die quieverit Deus ab omni opere quod patrarat. Septimum quoque diem Græcis veteri inſtituto, ſacrum fuiſſe, Joſephus mox proferendus aſſeverat, [b] idque diſerte probant apud Euſebium Ariſtobulus; & Clemens Alex. ex Homero, Heſiodo, Lino, Solone & Gallimacho; ex quorum verbis luculenter apparet credidiſſe eos ſeptimo die completam fuiſſe rerum omnium procreationem. Unde Philo Judæus diſerte pronuntiat de die ſeptima, *Eſt feſtus dies, non uni urbi, aut regioni, ſed Univerſo.* Cui concinit Theophilus Antiochenus [c]: *De ſeptima die*, inquit, *quam omnes homines concelebrant.* Hinc Tibullus loquens de iis feriis quas Romanæ Mulieres obſervabant, ſcribit:

Cultaque Judæo ſeptima ſacra viro.

Dei præceptum eſt apud Moſem [d] *Ignis autem in altari ſemper ardebit, quem nutriet Sacerdos, ſubiiciens ligna mane per ſingulos dies: & impoſito holocauſto deſuper adolebit adipes pacificorum. Ignis eſt iſte perpetuus, qui nunquam deficiet in altari.* Eundem ritum æmulatæ ſunt omnes pene Nationes, quæ ſuis in templis ignem perpetuum, ſummia cura & religione aſſervare ſolebant. Vetuſtiſſimum hunc eſſe apud Chaldæos morem, affirmat R. Moſes Majemonides. [e] Teſtatur etiam Porphyrius [f] Ægyptios ignem immortalem ſervaſſe in ſuis delubris. Legimus quoque apud Maximum Tyrium [g], Priſcos Perſas, ignem cenſuiſſe Divinitatis ſimulacrum; forte quia apud Moſem legerant [h]: *Dominus Deus tuus ignis conſumens eſt.* Unde ipſis erat maxima cura, ignem perpetuo in focis aureis, exquiſitiſſimis quibuſque lignis Aromaticis nutriendi. Eadem fuit Græcorum Religio, ut probatum eſt a Caſaubono in Athenæum [i]: nec non & Romanorum, qui Virgines Veſtales, igni perpetuo ſervando præficiebant; imo ignem ipſum, ſub Deæ Veſtæ nomine & ſimulacro venerabantur, ut teſtis eſt Ovidius ſcribens [k]:

Nec tu aliud Veſtam, quam vivam intellige flammam:
Nataque de flamma, corpora nulla vides.

Quæ ſic egregie declarat S. Auguſtinus [l], *Veſtæ*, inquit, *ſerviebant Virgines, quia ſicut ex Virgine, ita nihil ex igne naſcitur: quam totam aboleri vanitatem, & extingui utique ab illa oportuit, qui natus eſt ex Virgine.*

Quin etiam omnes pene a Moſe præſcriptos ſacrificandi Ritus æmulabantur Sanguinem victimarum circa aram fundebat Moſes [m]; idipſum a Græcis & Romanis uſurpatum eſſe refert Porphyrius. [n] Sanxit Moſes [o]: *Quidquid obtuleris ſacrificii ſale condies, nec auferes ſal fœderis Dei tui de ſacrificio tuo: in omni oblatione tua offeres ſal.* Idem ab Ethnicis uſurpatum, ait Plinius [p], *Nulla*, inquit, *ſacra conficiuntur ſine mola ſalſa.* Inde etiam mos apud eos invaluit, ſale ac ſulphure delibutam aquam, in expiationibus atque purificationibus adhibere, uti meminit Theocrit. [q]

---

a *Exod.* 16. 23. & 20. 8.

b *lib.* 13. *præp. pag.* 676.

c *lib.* 2. *ad Autolicum*

d *Levit.* 6. 12. 13.

e *in more Nevochim.*

f *lib.* 3. *cap.* 30.

g *Orat.* 38.

h *Deuter.* 4. 24.

i *lib.* 15. *cap.* 19.

k 6. *Faſtor.*

l *lib.* 4. *de Civit. Dei, cap.* 10.

m *Exod.* 29. 16.

n *apud Euſeb. lib.* 4. *præp. cap.* 9.

o *Levit.* 2. 13.

p *lib.* 31. *cap.* 7.

q *in parva Hercule.*

---------- καθαρῷ δ' πυρώσατε δῶμα θείῳ
Πρῶτον ἔπειτα δ' ἅλεσσι μεμιγμένον (ὡς νενόμισται)
Θαλλῷ ἰτυφάλλοιο ἑτημμένον ἀλλάξ ὕδωρ.

——Puro vero purgate domum ſulphure
Primum, poſtea vero ſale mixtam (uti mos eſt)
Florido ramo aſpergere decet aquam.

Præceperat Moſes, ut Sacerdotes dum ſacris miniſtrarent, caſto eſſent corpore, & a mulierum conſortio abſtinerent. Inde piaculum cenſebatur apud Ethnicos, ſi quis a libidine non temperans, ſacrificium offerret; quamobrem Galli Sacerdotes genitalia ſibi amputabant, quo caſti viverent & ſacris adeſſent: Athenienſes vero cicuta utebantur, ut libidinis pruriginem refrænarent; qua de re inſignis eſt locus Demoſthenis [r] de Præſidibus ſacrorum ſcribens: *Ego ſane*, inquit, *ſic exiſtimo, eum qui ad ſacra accedit, & res ſacras ſit tractaturus, aut res ad Deos ſpectantes curaturus, oportere non per dictum, aut ſtatutum dierum numerum eſſe caſtum; ſed per univerſum vitæ ſuæ curſum, ab hujuſmodi turpibus ſtudiis abſtinuiſſe.* Statuerat Moſes [s] Sacerdotibus, ne ullus, in quo eſſet immunditia, ad ſacra accederet, eaque tangeret, alioqui periret coram Domino. Hinc mos invaluit apud Sacerdotes Ethnicos, non niſi mundo corpore, atque manibus puris, ſacra facere aut tangere. Cujus ritus meminit Homerus [t]:

r *in Orat. cont. Timocrat.*

s *Levit.* xxii. v. 3.

t *Iliad.* 3.

Χερσὶ δ' ἀνιπτοισιν Διὶ λείβειν αἴθοπα οἶνον.
Αἴζομαι, ἔδπιστ' ἐσὶ, κελαινεφὶ Κρονίωνι
Αἵματα καὶ λύθρῳ πεπαλαγμένον εὐχετάασθαι.

Manibus vero illotis Jovi libare ardens vinum
Vereor, nec ullomodo fas eſt, nubicogæ Saturnio
Sanguine & pulvere pollutum vota facere.

Heſiodus quoque nulli Deorum ſacra fieri oportere arbitratur, niſi manus lotæ fuerint:

Μηδέποτ' ἐξ ἠῶ Διὶ λείβειν αἴθοπα οἶνον
Χερσὶν ἀνιπτοισιν, μηδ' ἄλλοις ἀθανάτοισι.
Nec unquam de mane Jovi libato nigrum vinum
Manibus illotis, nec aliis Immortalibus.

a *lib.* 2. *Æneid.* Eis concinit Virgilius a Æneam patrem ſuum ſic alloquentem inducens:

Tu Genitor, cape ſacra manu, patrioſque penates;
Me bello e tanto digreſſum & cæde recenti,
Attrectare nefas, donec me flumine vivo
Abluero.

Hunc Ethnicorum ritum a Moſe expreſſum b *Apolog.* 2. ſic egregie declarat Juſtinus Martyr b: Dæ„ mones, *inquit*, ſcientes balneum a Pro„ pheta prædicatum, ſuis Sacerdotibus in„ ſpirarunt aſpergere ſe ad ſacra ſua acce„ dentes, & immittere eis conſtituerunt liba„ mina, & nidores talia perficientes. Perficiebant vero, ut accedentes ſe lavarent priuſquam aſcenderent ad ſacra, inde purgati ſacra faciebant. Quamobrem Timarchidas c *c in libro de Coronis.* fingit, aut vere narrat de Aſterio, quod fulmine fuerit percuſſus, quia impuris manibus aram Jovis attigiſſet: canit enim,

Χερσὶν ἀνιπτοισιν ῥίζαν Διὸς ἥψατ βωμῶ,
Τὼνεκά μὶν πυρὶ παπτὴρ κατὶ φλιξὶ κιρανῶ.
Ἔξοχα γὴρ καθαρὸν χρὴ θνητὸν θῆα σίσεδζ.
Illotis manibus libans Jovi attigit aram
Propterea hunc flagranti pater uſſit fulmine,
Oportet enim mortalem purum ſacra contingere.

Pervenit etiam ad Græcos Lex Moſis de victimis integris & omni labe ac vitio carentibus Deo offerendis: ut refert Plutarchus. d *d In Solon.* Similiter menſæ aureæ præſcriptæ a Moſe, cui imponebantur panes propoſitionis, inſtar fuerunt menſæ illæ ſacræ, Diis olim apponi ſolitæ, cibis inſtructæ, non apud Græcos ſolum, ſed apud Romanos etiam, & Babylonios, & Perſas, & Æthiopes. Manavit quoque a Judæis ad Ethnicos ſacerdotalium veſtimentorum uſus & ritus; etenim lineas Sacerdotum Hebræorum tunicas imitati ſunt Linigeri Iſidis Sacerdotes. Ammonis templo præfectus erat Pontifex, cujus veſtimenta deſcribit Athe- e *in Eroticis lib.* 5. nagoras e, quæ ſacris veſtibus Judæorum ſummi Sacerdotis ita ſimilia ſunt, ut ad eorum exemplum fuiſſe elaborata, nemo dubitare poſſit; reliqui vero Sacerdotes Ammonis, Hebræorum Sacerdotum ritu, lineis veſtibus utebantur. Scribit etiam Ariſtophanis Scholiaſtes f, pecudum armos Mer- f *lib.* 14. *Variar. Hiſt. cap.* 24. curio conſecratos Athenis fuiſſe, quia nimirum armum cum pectuſculo de hoſtiis pacificorum per Molem cedere juſſerat Deus g Sacerdoti, Aaroni videlicet; qui g *Levit.* 7. 32. etiam, ſicut & Moſes frater, Mercurio fuit adumbratus. Docet præterea, ut erudite obſervat Huetius h, ſacrificiorum h *propoſ.* 4. *pag.* 129. reliquias Sacerdotum fuiſſe; quod & ex Levitici ſanctionibus manaſſe perſpicuum eſt. Docet idem, atque alii etiam, moris id fuiſſe Athenienſibus, ut poſtquam extuliſſent mortuum, purgandi cauſa lavarent ſeſe: quod ante præſcripſerat Moſes in libro Numerorum i, *Cum quiſquis humanum* i *Num.* 19. *tetigißet cadaver, aquæ aſperſione mundari* 11. *juſſit*. Sicut Judæis immundæ habebantur puerperæ, & per quadraginta dies templo arcebantur, juxta Moſis legem: ita moribus Athenienſium, ad eas accedere nefas erat, ut tradunt Teophraſtus k & S. Chry- k *Caraff. Singularia-ſoſtomus l: qui ſecus feciſſet, altaribus pro- rium.* hibebatur, teſte Euripide. m l *Homil.* 13. *in Epiſt. ad Epheſ.*

Neque certe ad Græcos & excultas duntaxat Nationes, ſed etiam agreſtes & barbaras, permeavit a Moſe tradita hæc divina ſanctio: nam quod ille Levit. XII. 4. mulierem menſtrua patientem immundam ſcripſit, & polluta eſſe omnia quæ ipſa tangeret, *Zabii in partibus Orientis finitimi* (inquit R. Moſes Maiemonid. n) *etiam* n *in More Nevoch. par.* 3. *cap.* 46. *religioſe obſervant; nam apud eos mulier menſtruo laborans, ſeparatim in domo conſtituitur, & loca in quibus ambulavit, comburuntur, & quiſquis cum ea locutus fuerit, pro polluto habetur: quinimo, ſi ventus idem tranſeat ſuper menſtruatam & ſuper mundum aliquem, pro pollutis ambo reputantur.*

Adiicit alibi o eos plurima de Adamo, & o *parte* 3. Patriarchis ante-diluvianis fabulari, præci- *cap.* 29. pue quod *Ex terra Indiæ vicina egreſſus, & terram Babel ingreſſus, multa mirabilia ſecum aſportaverit, & inter illa arborem, flores, folia, & ramos auri habentem; Arborem item talem lapideam: folia item cujuſdam arboris ita vireſcentis, ut folia ejus ab igne non conſumantur, & quæ ſub ſe comprehendere vel tegere poſſit decem millia virorum ſtaturæ Adami: & quod duo ſecum folia geſtaverit, e quorum unoquoque duo homines contegere vel veſtire ſe potuerint*. Sed iſta inania ſunt & paganica commenta; conficta tamen ex interpolata Moſis hiſtoria de Adamo ſibi veſtimenta ex foliis ficus poſt peccatum, ut nuditatem ſuam tegeret, conficiente. Appoſite igitur ſcribit Joſephus p: p *lib.* 2. *Et vero jam pridem, noſtrorum Dei colendi* *contra Apion. pag.* *rituum imitandorum, multis deſiderium in-* 1081. *ceſſit; neque ulla Græcorum urbs eſt, vel Barbarorum, neque ulla Gens, ad quam non pervenerit ſeptimi diei, quem otioſi traducimus, celebrandi conſuetudo; & apud quam jejunia, & lucernarum incenſiones, multaque Legibus noſtris circa cibos ſancita non obſerventur. Conantur autem mutuam noſtram imitari concordiam, & bonorum largitionem, & in artibus exercendis ſedulitatem, & tolerantiam in tormentis, quæ pro Legibus noſtris ſuſtinemus*. Tandem ne in plura ſeſe effundat oratio: ſacer mos erat Hebræis, Authore Moſe, ut cum Deum orantes ſibi propitium reddere percuperent, precibus ſuis imo etiam Exorciſmis ad abigendos Dæmones, ex adjectis & interpoſitis q *lib.* 7. *contra Celſum pag.* 419. *ex Editione per Genebrardum adornata.* venerandis nominibus Abrahæ, Iſaaci & Jacobi virtutem & meritum conciliarent. Quem ritum etiam ab Ægyptiis uſurpari ſolitum teſtatur Origenes q: *Abrahami ve-*

ro

ro nomen, inquit, *non in ſolius Moſis Scriptura legitur, ut Deo familiaris, verum etiam multi ex iis qui excantant Dæmonia verbis ſuis inſerunt illud*, DEUS ABRAHAMI, *judicantes hoc nomine familiaritatem ejus cum Deo: quapropter aſſumunt verbum hoc*, DEUS ABRAHAMI, *etiamſi neſciant quiſnam fuerit ille Abraham: idem dicendum de Iſaac & Jacob & Iſrael, quæ cum ex confeſſo Hebræa ſunt vocabula, frequenter ſint interſperſa Ægyptiorum diſciplinis efficacioribus.*

Neque vero ſuos duntaxat ſacros Ritus, a Moſis ſcriptis mutuati ſunt Ethnici. Sed pleraſque etiam ſuas Leges, ex eo fonte hauſerunt, ut diſerte probat Euſebius [a], lucu-

a *præpara. Evang. lib.* 12. *cap.* 25. 36. 39. 58. 59. 40. 41. & 42.

lenter oſtendens, a Platone exſcriptas fuiſſe has Moſaicas leges: *Dixit quoque Dominus ad Aaron, vinum & omne quod inebriare poteſt, non bibetis tu & filii tui, quando intratis in tabernaculum teſtimonii, &c..... Vir ſive mulier, cum magnum illud votum fecerint ſe ſe domino conſecrandi, a vino & omni quod inebriare poteſt, ſe abſtinebunt... Honora Patrem tuum, & Matrem tuam, ut bene ſit tibi... Si emeris ſervum Hebræum, ſex annos ſerviet tibi, ſeptimo autem anno dimittes eum liberum... Terminos æternos ne tranſferas quos poſuerunt patres tui... Si quis furatus fuerit vitulum aut ovem, ſi jugulaverit aut vendiderit, quinque vitulos reddet pro vitulo, & quatuor oves pro ove. Quod ſi deprehenſum fuerit & repertum in manu ejus furtum, a vitulo & aſino, uſque ad ovem, viventia dupla reſtituet... Si fur parietem effodiens deprehenſus & plagis acceptis mortuus fuerit, cædes alteri non imputabitur... Si Taurus virum aut mulierem cornu percuſſerit, ſi percuſſus, mortuus fuerit, lapidabitur Taurus, nec comedentur carnes ejus: dominus vero Tauri innocens erit.* Has omnes Leges iiſdem pene verbis expreſſit Plato, ut videre eſt apud Euſebium locis citatis. Inde mirum non eſt, quod in Legibus Romanis, quas legati ex Græcia reportarunt, & non ſolum decem viri, ſed etiam populus univerſus Romanus ratas eſſe voluerunt, Moſem in pleriſque capitibus agnoſcere liceat; ut videre eſt in ejuſmodi Legum reliquiis, quas Plutarchus & alii collegerunt. Inter quas prætermittenda non eſt ea quam allegat Sopater τῷ ἐπιλήψιμον ἐπιδικαζόσθαι ὁ ἄγγιστος, quam Terentius explicat his verbis:

> *Lex eſt ut orbæ qui ſint in genere proximi*
> *Iis nubant, & eos ducere eadem hæc lex*
> *jubet.*

Et in quam Donatus pronuntiat: *Orba proximo nubat; orbam proximus ducat, Lex Attica eſt:* Quæ haud dubie expreſſa eſt ex his *ult. Num.* verbis, *Omnes viri ducent uxores de Tribu & cognatione ſua, & cunctæ fœminæ de eadem Tribu maritos accipient, ut hæreditas permaneat in familiis, nec ſibi miſceantur Tribus, ſed ita maneant, ut a Domino ſeparatæ ſunt.*

Major autem fuit Imperatoriarum ſanctionum, quæ his ſucceſſerunt, cum Moſaicis affinitas; ut videre eſt in libello, cui titulus eſt *Collatio Legum Judaicarum & Romanarum*, quem a Licinio Rufino olim ſcriptum, e tenebris eruit Petrus Pithoeus & typis ſubjecit.

Ex his omnibus manifeſtum fit, vere ſcripſiſſe Joſephum in Diſſertationibus ſuis adverſus Apionem: omnes Sapientes & Legiſlatores Ethnicos, præ Moſe novellos eſſe ac recentes, & ex ejus ſcriptis, potiſſima ſuæ doctrinæ ac Legum capita fuiſſe ſuffuratos.

III. Ut hanc Moſis ſcriptis jure debitam prærogativam elevet Marshamus [b] & in Ægyptios transfundat nonnulla objicit. I. Ante Captivitatem Babylonicam, ſive ſeptem Sapientum ætatem, Græciæ non ſolum Philoſophiæ; ſed & rerum ſuarum magis exterarum, incurioſos fuiſſe. Addit inſuper, poſt reditum etiam e Babylone Judæorum Rempublicam ſub Perſis adeo obſcuram fuiſſe, ut vel nomen eorum, ætate Herodoti, Græcis inauditum fuerit. Scribit etiam Tacitus [c], dum Aſſyrios penes, Medoſque, & Perſas Oriens fuit, Judæa viliſſima pars ſervientium erat. Inde concludit ab expeditione Alexandri, Græcis primum innotuiſſe Judæos, ſub Seleucidis demum inclaruiſſe; poſt Alexandri victorias, obviam fuiſſe eorum memoriam. Non potuerunt ergo, inquit, Priſci Sapientes & Legislatores, ſuæ doctrinæ ſuarumque Legum præcipua capita, ex Gente cunctis ignota, & viliſſima mutuari.

b *in Chroni. pag.* 146. *& ſeq.*

c *Hiſt. lib.* 5.

Deinde, id ipſum confirmat, ex eo quod nulla Judæorum cum Exteris fuerit conſuetudo: *Nos*, inquit Joſephus [d], *neque regionem maritimam habitamus, neque mercimoniis gaudemus, neque per hoc alterutris peregrinationibus fatigamur: ſed noſtræ civitates procul a mari ſitæ ſunt.* Unde concludit: *Quomodo ergo mirari decet, ſi neque noſtra Gens plurimis erat nota, neque ad ſcribendum de ſe aliquam dedit occaſionem.* Et lib. II. [e] non negat quod obiicit Apollonius Molonus, Judæos neminem ex aliis Gentibus, recipere diverſa de Numine ſentientem, neque communicare cum iis, qui aliam ſequuntur vitæ rationem. Hinc eſt, quod ut refert S. Joannes [f], tempore Paſſionis Chriſti, Judæi non introierunt in Prætorium (Pilati) *ut non contaminarentur, ſed ut manducarent Paſcha*: & S. Petrus [g] conferens cum Cornelio Centurione ad adſtantes Judæos dixit: *Vos ſcitis quomodo abominatum ſit viro Judæo, conjungi aut accedere ad alienigenam.* Non potuerunt ergo doctrinam & Leges ſuas ad Exteros derivare.

d *lib.* 1. *cont. Apion. pag.* 1038.

e *pag.* 1079.

f 18. v. 18.

g *Act.* 10. 28.

Denique gloriabantur Judæi [h] Legem fuiſſe hæreditatem, ac peculium filiorum Jacob, adeoque nullis Gentibus per verſionem aliquam cenſebant eſſe communicandam: Unde miranti Ptolemæo Philadelpho, cur Legis Moſaicæ nec Hiſtoricorum, nec Poetarum, quiſquam meminiſſet, reſpondit Demetrius, (qui Moſis librorum in ſermonem Græcum verſionem ſollicitabat) idcirco a nemine Exterorum illud fuiſſe tentatum, quod qui iſtud aggredi fuiſſent auſi, divinitus pœnas dediſſent. Nam Theopompus mente, Theodectes viſu eam ob rem orba-

h *Deut.* 33. 4.

ti fuere. Ex his omnibus infert Marshamus, quod cum veroſimile non ſit, Græcos, vetuſtioribus Perſarum temporibus, a Judæis edoctos fuiſſe; nihilominus tanta ſit Philoſophiæ Græcæ Judaicæque congruentia, ut Joſephus, Clemens, & alii, illam ex hac prognatam eſſe fuerint arbitrati; probabilius eſſe utramque Hebræorum & Græcorum diſciplinam, in tertia aliqua conveniſſe, nempe in doctrina Ægyptiorum, quorum mores Hebræi diutini Ægypti incolæ, cum non penitus exuerint, etiam probabile eſt manſiſſe apud eos aliquas diſciplinæ Ægyptiacæ reliquias: multæ enim, inquit, Moſis Leges ex antiquis moribus, in quibus quidquid verum Numinis cultum impediret, ſtricte interdicitur: itaque Moſes pleroſque Ægyptiorum ritus approbavit, quoſdam pro indifferentibus habuit, quoſdam permiſit, imo & juſſit. Ita pene ad verbum Marshamus.

Verum, quam gravis ſit hæc hominis Ethnicis potius quam Chriſtianis documentis innutriti a veritate deviatio, difficile non erit demonſtrare. Nam quod in primis obiicit, Græcos ante ſeptem Sapientes, omnis doctrinæ rerumque ſuarum, multo magis exterarum fuiſſe incurioſos, ab ea quæ movetur controverſia prorſus eſt alienum; quippe cum perinde nobis ſit, quis fuerit priſcis temporibus Græcorum ſtatus, dummodo concedatur, eos nullos habuiſſe Sapientes Moſe antiquiores, aut æquales, ſed ipſo longe inferiores. Quod ultro fatetur Marshamus, affirmans Græcos rerum prorſus fuiſſe inſcios & omnino rudes ante ſeptem Sapientes, qui diutiſſime, ut dictum eſt ſupra, poſt Moſem floruerunt. Hinc etiam ſarta tecta & omnino ſtabunt inconcuſſa omnia momenta, quibus probatum eſt, præcipua doctrinæ capita, ex Moſis fontibus, ad Gentes exteras manaſſe.

Quod autem ſecundo loco obtrudit, Judæorum Rempublicam ſub Perſarum Imperio adeo vilem & obſcuram fuiſſe, ut ne cognitum quidem Herodoto Hiſtoriæ parenti fuerit eorum nomen: quot verba, tot fœdiſſimi ſunt lapſus, hallucinationeſque craſſiſſimæ. Enimvero ſi Judæorum Gens unquam florentiſſima fuerit, maxime temporibus Davidis & Salomonis. Siquidem [a] Davidi poſt multas victorias celebreſque triumphos, *Dominus dedit requiem undique ab univerſis inimicis ſuis, fecitque nomen ei grande, juxta nomen Magnorum, qui ſunt in terra....* [b] *Divulgatumque eſt nomen David in univerſis regionibus & Dominus dedit pavorem ejus ſuper omnes Gentes.* Salomon vero, tum propter regni amplitudinem, tranquillitatem & ingentes divitias, quum propter divinitus inditam rerum omnium notitiam, ſapientiamque omnia pervadentem, celebrabatur apud omnes nationes, ut ipſa teſtis eſt Regina Saba [c], quæ audita fama Salomonis, venit tentare eum in ænigmatibus. Itaque tunc temporis viliſſima non erat, & omnibus ignota Judæorum Reſpublica: at Aſſyrii Orientis imperium eo tempore adhuc occupabant, ut ex Scriptura colligere licet, & aperte teſtatur Euſebius, qui regnante Davide, Pirithiadem 33. Regem Aſſyriorum, ætate vero Salomonis Ophractæum 34. Aſſyriorum Principem aſſignat.

Idem adiici poteſt de tempore quo Medi Orientis imperium obtinuerunt. Nam pene ad finem iſtius Monarchiæ, Judæi ex ſua natione Reges habebant. Non erant itaque eo tempore viliſſima & abjectiſſima mancipia, quorum ne levis quidem apud exteros commendatio & fama volitabat.

At (inquit Marshamus) reclamat Tacitus, aſſerens, *Dum Aſſyrios penes Medoſque, & Perſas Oriens fuit, Judæam Gentem viliſſimam partem fuiſſe ſervientium.* Quid tum? num Tacito major fides, quam Scripturæ ſacræ, & plurimis aliis graviſſimis Auctoribus a Joſepho [d] laudatis? Neque verius affirmat Herodoto ignotam fuiſſe Judaicam gentem; id enim falſitatis arguit Joſephus [e]: *Verum*, inquit, *neque Herodotus Halicarnaßeus, noſtram ignoravit Gentem, ſed quodammodo ejus meminiße cognoſcitur. De Colchis enim referens, in lib.* II. *ſic dicit: Soli autem inter omnes Colchi, & Ægyptii, & Æthiopes, verenda ab initio circumcidunt. Phœnices vero & Syri in Palæſtina, confitentur hoc ab Ægyptiis didiciße.... Hi namque ſunt inter homines ſoli, qui circumciduntur: & iſti ſicut Ægyptii facere dicuntur: de Ægyptiis autem & Æthiopibus dicere non poßum, utri ab alteris didicere. Dicit ergo Syros qui in Palæſtina ſunt, circumcidi. Omnium autem qui habitant Palæſtinam, ſoli Iudæi circumciduntur. Hoc igitur ſciens, de ipſis dixit.*

Ad tertium Marshami objectionum caput quod attinet, nempe Judaicam Gentem, ex inſtituto ſuo, ita fuiſſe a reliquis Gentibus diſcretam, ut nullo ſe commercio, nulla affinitate conſociari pateretur cum iis qui viverent alieno more, & diverſis ritibus, ac religione uterentur: Dico ea non ita eſſe accipienda, quaſi nullum Judæorum cum vicinis regionibus conſortium eſſet; id enim falſitatis, nedum a Joſepho, ſed & ex plurimis Scripturæ ſacræ textibus apertiſſime convincitur. Nam primum ex Ethnicis pleroſque Judæi ſervaverunt incolumes, cum Palæſtinam armis ſubegerunt, velut Gabaonitas, Jebuſeos alioſque complures, qua, prævaricante clementia, divinam adverſus ſe iram ſæpe concitaverunt. *Præterea* Judæis, vel propter vicinitatem, frequens interceſſit cum Phœnicibus commercium, ut conſtat exemplo Davidis & Salomonis, qui cum Hiramo eorum Rege fœdus & amicitias inierant, & mutua invicem obſequia impendebant, ut videre eſt nedum Regum III. 9. & Paralip. II. 2. ſed & apud Euſebium [f] referentem Salomonis & Hirami mutuo datas Epiſtolas. Salomoni præterea cum Regina Saba, & cum Ægyptiorum Rege nomine Vaphra, quem paternum amicum appellat in Epiſtola ad eum data, quam ibidem habet Euſebius, affinitas fuit, utpote, cum ejus filiam in uxorem duxerit. Quin & Sidonias ſumpſit uxores, & Tyrias, & Am-

d *lib.* I. *cont. Apion.*

e *lib.* I. *con. Apion. pag.* 1047.

f *lib.* 9. *præp. pag.* 448.

a 2. *Reg.* 7. 1. 9.

b 1. *Paral.* 14. 17.

c *Reg.* 3. *cap.* 10.

Aminonitidas, & Idumæas; quarum impiis & profanis cæremoniis, ac idolorum cultu, patrios ritus & avitam religionem inquinavit.

Quod autem ait Joſephus, Judæos ſua patria ſuiſque terminis ita contentos, ut nulla iis cum exteris eſſet conſuetudo: Non ita ad literam intelligenda ſunt, quaſi patrium ſolum nuſquam verterent, nec exteros adventantes admitterent; contrarium enim aperte tradit Scriptura ſacra, ut conſtat ex jam dictis: & inſuper Regum III. [a] legimus: *Claſſis Regis Salomonis per mare, cum claſſe Hiram ſemel per tres annos ibat in Tharſis, deferens inde aurum & argentum, & dentes Elephantorum, &c.* Et infra: *Educebantur equi Salomonis de Ægypto & de Coa. Negotiatores enim Regis emebant de Coa, ſtatuto pretio perducebant....: Atque in hunc modum cuncti Reges Hethæorum & Syriæ, equos venundabant.* Habebant igitur Judæi commercium cum Exteris, & cum eis negotiabantur. Unde Joſephi narratio, non ita ad ſtrictos apices accipienda eſt quaſi omnem Judaicæ Genti, cum Ethnicis ſocietatem interdictam eſſe cenſuerit: ſed ſolum quod non ita frequens, ac fieri ſolebat inter exteros. Nullum ergo inde Marshami hariolationi patrocinium accedit.

[a] *cap. 10. 22.*

Sed neque ex poſtremo capite, tametſi enim Moſaica Lex Judæis tantum fuiſſet conſignata, adeo ut non niſi ægre ipſam Exteris communicarent. Inde argumentum non eſt, illius arcana Ethnicos omnino latuiſſe, etiam longe ante ſeptem Græciæ Sapientes. Primo namque valde probabile fit, Cadmum patria Phœnicem, cum aliis pleriſque Phœnicibus a Joſue patria pulſum, & in Græciam adventantem, Moſem ex rebus præclare geſtis celebrem, prædicaſſe apud Græcos, quos ad meliorem cultum traduxit, literis & doctrina imbuit, & in urbes coegit. Inde factum eſt, ut qui apud eos Sapientiæ ſtudio ſtimularentur, in Moſaicæ doctrinæ fontibus, ſciendi ſitim ac deſiderium reſtinguere percuperent. *Deinde* cum Judæos inter & Phœnices frequens eſſet commercium, potuerunt Phœnices accepta a Judæis Moſaica documenta, in varias Gentes per Orbem diſſeminare. Inde haud dubie Sanchuniatho Phœnix, libros ſuos ex Moſaicis documentis concinnavit: Inde etiam celebres illæ in Syriadibus Mercurii columnæ, Moſis Legibus & hiſtoria videntur notatæ. *Præterea* cum in conſervandis Legum ſacrarum voluminibus, tantam curam adhiberent Judæi, ut tenerentur ſinguli Legis exemplar, vel per ſe, vel ſi literas neſcirent, per alium deſcriptum habere; qui tandem fieri potuiſſet, ut non eos quibuſcum aſſidue converſabantur, ſtudium aliquod legendarum harum ſcriptionum tangeret. Ita quidem eveniſſe ſcribit Philo [b], (ait Huetius [c]) & generi humano perutile opus diu deliteſcere in tenebris, & intra Gentis unius, ejuſque exiguæ anguſtias, contineri non potuiſſe agnovit. Igitur Perſis & Ægyptiis, cognitos eos Moſis libros, & quo ad verborum ſaltem ſenſum, intellectos fuiſſe dicendum eſt, ab eo maxime tempore, quo in ipſo Perſicæ regionis meditullio, hærerent Hebræi decem Tribuum quas tranſtulerat Salmanaſar: & per annos ſeptuaginta in media Babylonia, reliquæ Tribus captivæ fuiſſent, cum apud Græcos Sapientia & eruditio ſoboleſcere inciperet.

[b] *de vita Moſis l. 2. c. proœm. 4. pag. 132.*

At, inquit Marshamus, qui fieri potuit, ut Moſaici libri Hebræo ſermone editi, & nondum in aliam linguam converſi, Ethnicis, Hebraicæ linguæ ignaris, innoteſcerent? Futilis certe & evanida prorſus eluſio; quaſi vero Sapientes Ethnici, Hebraicæ linguæ a Phœnicibus per Orbem negotiationis cauſa excurrentibus, imo & a Judæis non potuiſſent aliquid delibare: Legimus enim Pythagoram & Platonem non aliter Ægyptias diſciplinas ſe poſſe capeſcere exiſtimaſſe, quam ſi hujus regionis loquelam pernoſcerent; Quidni idem ferendum judicium de ſtudio linguæ Hebraicæ? *Deinde* quid obſtitit quominus aliquo Judæo interprete uti non potuiſſent; quemadmodum Ariſtoteles, de quo Clearchus ejus diſcipulus memoriæ prodidit, ipſum cum Judæo quodam in Aſia fuiſſe converſatum, & ab eo plurima doctrinæ capita hauſiſſe, verba Clearchi habet Euſebius [d].

[d] *lib. 9. cap. 5. & 6.*

His accedit quod probabiliſſimum ſit, idque auctoritate Ariſtobuli Philoſophi Peripatetici diſerte pronuntiant Clemens Alexandrinus [e] & Euſebius [f]. Ante expeditionem Alexandri, aliquam Moſaicorum librorum interpretationem Græcam extitiſſe, quod etiam ſequente libro confirmabimus. Idque colligitur ex eventu Theopompi & Theodectis, qui certe ſacros libros temerare non potuiſſent, niſi jam eorum fuiſſet aliqua verſio: quod apertius conſtabit ex Joſepho [g], eventum illum referente, ſcribit „ enim, Demetrium reſpondiſſe Regi Ptolemæo, neminem auſum Scripturæ interpretationem attingere, quam conſtaret „ divinam eſſe, & omni veneratione dignißimam; atque punitos eſſe quoſdam „ a cæleſti Numine, qui illam temere attrectare non ſint veriti. Theopompum enim volentem inde quædam ſuis ſcriptis „ inſerere, mente motum fuiſſe diebus triginta; & per intervalla inſaniæ, precibus Deum placaſſe, facile coniicientem, „ quæ morbi cauſa fuerit: atque etiam in „ ſomnis admonitum, hæc ideo pati, quod „ fuiſſet circa res divinas curioſior, eaſque „ voluiſſet proferre profanis hominibus. „ Quare cum a cœpto deſtitiſſet, ſanam „ mentem ei fuiſſe redditam. Theodecti etiam Poetæ, cum in quadam tragædia „ vellet aliquid e ſacris Libris admiſcere, „ oculos glaucomate ſuffuſos caligaſſe: & „ cum erratum agnoviſſet, exorato Deo, „ redditam aciem. *Ita Joſephus.* Unde apparet Theopompum mente, & Theodectem viſu orbatos, quod ſacram hiſtoriam temerare attentaſſent; qui vero fieri potuit, ut tantum piaculum auderent homines Græci & linguæ Hebraicæ inſcii, ſi nulla tunc ex-

[e] *lib. 5. Strom.*

[f] *lib. 8. de præp.*

[g] *lib. 12. Antiq. cap. 2. pag. 397.*

extaret ſacrorum voluminum ex Hebræo in aliud idioma verſio; videt itaque Marshamus ſe proprio configi gladio, & exempla duo a ſe prolata, in ſuam ſententiam aperte militare.

Tandem, etiamſi omnia iſta momenta, non evincerent Legem Moſaicam, in Ethnicorum notitiam perveniſſe, iſtud colligere liceret ex numeroſo Proſelytorum cœtu, qui ex omnibus Mundi partibus, ad Judæos confluebant, ut eorum ritibus & myſteriis initiarentur; illi enim cum ante ſuam initiationem, omnibus Moſaicæ legis, quam profiteri geſtiebant, documentis & myſteriis inſtrui debuerint, potuerunt facili negotio, ea ad ſuam patriam reduces, popularibus ſuis propalare. Quod autem ejuſmodi Proſelytorum undique confluentium ingens fuerit numerus, aperte conſtat, tum ex his verbis [a]: *Numeravit igitur Salomon omnes viros Proſelytos, qui erant in terra Iſrael, poſt dinumerationem quam dinumeravit David pater ejus, & inventi ſunt centum quinquaginta millia, & tria millia ſexcenti.* Tum ex II. [b] Actuum Apoſtolicorum, ubi inter eos qui convenerant Hieroſolymam, ad diem feſtum Pentecoſtes, ex omni natione quæ ſub cœlo eſt, quique ſtupebant, & mirabantur, quod Apoſtoli poſt effuſum in eos Spiritum Sanctum, loquebantur variis linguis; numerantur Judæi & Proſelyti. Potuit itaque Moſaica lex, etiam ante Davidis & Salomonis tempora, & longe priuſquam apud Græcos ullum appareret ſapientiæ veſtigium, omnibus Mundi nationibus per Proſelytos innoteſcere; quanquam ejus nulla adhuc illius in externum idioma edita fuiſſet verſio. Igitur undique ſua cauſa cadit Marshamus. Cæteras ejus ea de re hallucinationes non inſequor, tum quod ſint levioris, ne dicam nullius, momenti, & proprio pondere diſſolvantur: tum quod eas omnes jam a Clariſſimo Ludovico Ferrando [c] erudite confutatas agnoſcam. (31)

[a] 1. *Paralip. cap. 2. 17.*

[b] *v. 11.*

[c] *in libro Reflex. Chri. part. 1.*

DISQUI-

(31) Peculiari Diſſertatione Calmetus vir præclariſſimus demonſtrandum ſibi propoſuit Ethnicorum Sapientes revinci non poſſe, quod revera Judæorum plagiarii extiterint. Principaliora ejus argumenta jam fuerunt in Marshamo ab Auctore noſtro prorſus convulſa. Nonnulla, quæ ſupereſſe queunt, refutanda ſuſcipimus. I. eſt a nemine Sapientum ipſorum, vel Auctorum eis συγχρονῶν ſcriptum eſſe Sapientes illos aut voce fuiſſe ab Hebræis inſtructos, vel eorum libros aliquando legiſſe: Quinimmo Auctores in Hebraicis rebus narrandis accuratiſſimi aperte negant Gentilium Sapientes aliquid de Libris Moſaicis cognoviſſe; Hoc Philo Judæus in vita Moſis Lib. 1. diſerte pronunciat, cum ante verſionem ſub Ptolomæo Philadelpho factam veteribus Græcis nil prorſus de Libris Moſaicis innotuiſſe defendat. In ſuo pariter Libro *quod Mundus ſit incorruptus*, quamvis Philo ante Platonem, & Eſiodum Moſem extitiſſe tueatur, non tamen adieruit a Moſe ſuam furatum eſſe doctrinam Platonem ipſum, quod quidem non omiſiſſet Judæus referre, ſi hæc, inoffenſa veritate, adfirmare potuiſſet. 2°. Quamquam Joſephus aliquibus in locis ſuæ Gentis dignitatem, & gloriam nitatur extollere, tamen Lib. 1. contra Appionem fatetur ingenue Græcorum Hiſtoricos altum de Moſis hiſtoria cuſtodiſſe ſilentium, eoquod eam omnes Philadelphi progenitores ignoraverint; quænam iſta opportunior poterat eſſe occaſio ſuam gentem celebrandi? Aſt non ſolum Judæorum ſcriptores rem totam in ancipiti ponunt, ſed magis Catholici ipſi etiam, qui pro opinione adfirmativa aliquando ſteterunt, in dubium adſertionem convertunt; omnium primum conſulamus Origenem; in Libris contra Celſum fatetur quidem Moſem anteceſſiſſe ætate Platonem, non tamen a Moſe ſua dogmata Platonem excerpſiſſe tradit Origenes, quinimmo in Commentariis ad Cant. Cant. in Latinum ab Hieronymo verſis ita ſcribit = Nunc Moyſi nomen auditur, „ quod prius Judeæ tantum claudebatur anguſtiis; „ neque enim Græcorum quiſpiam meminit ejus; „ neque in ulla Gentilium Literarum hiſtoria de „ illo, ſeu cæteris ſcriptum aliquid invenimus =. 3°. tandem eſt, quod licet in Gentilium ſcriptis nonnulla legantur Moſaicæ doctrinæ ſimilia; hæc vel a majorum traditione potuere dignoſcere, vel ut inquit Tertullianus Lib. *de Anima* eas veritates proſpero errore pronunciare potuerunt, cum a natura pleraque ſuggerantur, quaſi de publico ſenſu. Legere Libros Moſaicos Ethnici, Sapientes igitur potuere fortaſſis; ſed quod reipſa legerint, & ab eis ſuas hauſerint, quas ſcripſere veritates, demonſtrari non poteſt; & ſane cur Joſephus Lib. contra Manethonem, & Græcos dum eoſdem exprobrat quod Ægyptiorum, & Chaldæorum diſcipuli fuerint, nec unum habet verbum, quod ab Judæis etiam ſapientiam hauſerint? Denique certum eſt Moſem, neque omnes ſapientes, neque omnes legum latores præceſſiſſe, cum omni Sapientia Ægyptiorum inſtructus dicatur Actorum 7. v. 27. Niobe pariter, Inachi filia cum Jove nupta Phoronæum peperit, qui leges, & judiciorum inſtituta in hominum conſortium invexit. Moſes autem diu poſt vixit, ut temporum ordo demonſtrat.

Reſponderi tamen ad I. poteſt. Non quidem explicite narratum eſſe ab vetuſtis Græcorum ſcriptoribus quod ſui ſapientes fuerint ab Judæis edocti; ſatis tamen ſe explicuerunt dum varia eorum itinera, variaſque Nationes, quas addiſcendi gratia inviſerunt, nobis retulerunt; jam adverſus negativum argumentum iſtud ſatis a Fraſſenio, Huetio, aliiſque decertatum putamus tot poſitivis rationibus, quas in medium pro ſua ſententia protulerunt. Quanquam autem Philo negare videatur in Libro 1. de vita Moſis Judæorum Scripturas innotuiſſe Gentilibus ante Philadelphi ætatem, cauſam noſtram nequaquam evertit, cum in Libro 2. ejuſdem vitæ teſte Huetio in Demonſtrat. Evang. Prop. 4. Cap. 12. num. 1. tradat libros Moſaicos humano generi tam perutiles diu intra unius gentis anguſtias latere non potuiſſe; & revera ſi commercium attendamus, quod cum exteris gentibus Hebræi detinebant, ſi innumeros Proſelytos, quos ad ſuas cæremonias, & ritus admittebant, conſideremus, impoſſibile eſt prorſus quod eorum legem, curioſitatem ſaltem permoti ſcire non exoptaverint, eorumque geſta, & Scripturas non perſcrutati ſint. Verum quid dixerint oppoſitæ ſententiæ Defenſores, ſi ſemel concedamus ante verſionem Septuaginta Interpretum Moſaicos Libros in Græcum fuiſſe ſaltem ex parte converſos, quamquam minus accurate, & inconcinne, nonne ruit prorſus argumentum ex Philonis auctoritate petitum? opinionem hanc viri tuentur doctiſſimi (quamquam ex adverſo alii conſiſtant) & non immerito, cum Ariſtobuli verba apud Euſebium Lib. 9. *Præparat. Evang.* Cap. 6., & Lib. 13. Cap. 12. id evidenter convincant. = Ante Demetrium priuſquam Perſas „ domuiſſet Alexander, alii interpretati ſunt ea, „ quæ pertinent ad Hebræorum popularium no„ ſtrorum exitum ex Ægypto, & ad rerum, quæ „ ipſis contigerunt, celebritatem, & regionis ex„ pugnationem, & totius legislationis enarratio„ nem = ſdipſum convincitur ex alio quod profert Joſephus Lib. 12. Antiquitatum Cap. 2. ex Epiſtola Demetrii ad Ptolomæum Philadelphum, teſtimonio = Significo tibi Librum legislationis Ju„ dæorum deeſſe nobis cum aliis. Cum enim He„ braico Characterе, & patria eorum lingua ſcri„ ptus ſit, intelligi a nobis non poteſt. Contigit „ autem

„ autem & ipſum negligentius quam poſtulat ex-
„ poſitum eſſe, quod nondum regia cura ei con-
„ fuluerit = Quamvis autem Ariſteæ, & Ariſto-
buli hiſtoria ab aliquibus conficta ſupponatur, ſal-
tem negari non poteſt Joſepho fuiſſe perſuaſum
quod Græci Scriptores etiam ante Philadelphum
de Moſaicis Libris notitiam habuerint; idque revin-
cetur magis, ſi Sancti Cyrilli Alexandrini addatur
auctoritas ſuperius in nota (29) propoſita, necnon al-
terum Joſephi teſtimonium a Fraſſenio ſub initio
Capitis decimi prolatum; hæc omnia minime latere
potuerunt Philonem rerum Hebraicarum ſtudioſiſ-
ſimum; ejus ergo ſilentium, quemadmodum & il-
lud Joſephi aliquibus ſervatum in locis cauſam no-
ſtram nequaquam offendit. Multo minus de Græ-
corum Sapientum taciturnitate circa Moſaicos li-
bros oportet eſſe ſolicitos; illi enim ita erant a na-
tura inſtituti ut propriam quæritare gloriam fata-
gerent, & quidquid furabantur ab aliis, veluti pro-
prium inventum prædicabant; hoc Græcis expro-
brant crimen Porphyrius, & Clemens Alexandri-
nus, plurimiſque eoſdem exemplis convincunt, ut
tradit Fraſſenius ad finem Capitis XI. hujus libri.
Ad auctoritatem Origenis in ſecundo propoſitam ar-
gumento facili reſpondetur negotio, ſi dicatur ibi-
dem fuiſſe locutum in ſenſu Myſtico, quatenus vi-
delicet Moſis nomen ut Prophetæ Sancti non au-
diebatur ante Chriſti adventum, niſi in ſola Ju-
dæorum gente; minime tamen negavit Moſem
fuiſſe notum apud Gentes ſaltem ut legislatorem
inſignem, Virumque celeberrimum etiam ante Chri-
ſti Adventum, cum diu antea Græcis fuerit notiſ-
ſimus a temporibus præſertim Philadelphi, ſub
quo libri Moſaici in Græcum verſi ſunt.

Ad tertium denique argumentum: fateri qui-
dem poſſumus nonnulla, quæ a Sapientibus Gen-
tium ſcripta fuere, ex majorum traditione, vel ex
naturæ lumine hauriri potuiſſe; aſt ſi collationes
inſpiciantur ab Auctoribus Catholicis, quos refert
Fraſſenius Cap. 11. hujus libri, inter libros Gen-
tilium, & libros Moſis inſtitutæ circa Deum præ-
ſertim, primos homines, Mundi creationem, alia-
que plurima, incredibile prorſus eſt ut tam miram
inter ſe conſonantiam ſervare potuerint ſolo Duce
lumine naturæ, ac fallaciſſima populorum tradi-
tione; hoc peroptime noverat & Tertullianus,
qui propterea Cap. 47. Apologetici, ubi non per-
functorie ſicut in libro *de Anima*, ſed ex inten-
tione rem noſtram pertractat hoc modo ſcripſit.
„ Quis Poetarum, quis Sophiſtarum, qui non de
„ Prophetarum fonte potaverit? inde igitur &
„ Philoſophi ſitim ingenii ſui rigaverunt.... Sed
„ homines gloriæ, & eloquentiæ ſolius libidinoſi
„ ſi quid in Sanctis offenderunt digeſtis, exinde
„ regeſtum pro inſtituto curioſitatis ad propria ver-
„ terunt; neque ſatis credentes divina eſſe, quo-
„ minus interpolarent, neque ſatis intelligentes,
„ ut adhuc tunc ſubnubila, etiam ipſis Judæis
„ obumbrata, quorum propria videbantur. Nam
„ & ſi qua ſimplicitas erat veritatis, eo magis
„ ſcrupuloſitas humana fidem aſpernata nutabat,
„ per quod in incertum miſcuerunt etiam quod
„ invenerant certum = Plura deinde ab Ethnicis
ſcripta commemorat, quæ nonniſi a divinis literis
excerpi potuiſſe demonſtrat. Ex hucuſque dictis
maxime credibilis redditur eorum opinio qui con-
tendunt ſapientes Gentilium plurima ex Moſaicis
libris deſumpſiſſe. Nec ulterius opponatur ſumma
Judæorum diligentia in libris Sanctis a Gentilium
oculis abdendis adhibita; cum enim anno Periodi
Græco-Romanæ 4773. expugnata fuerit Samariæ
Civitas a Salmanaſare, ejuſque Regni habitatores
in Aſſyriam translati fuerint, in eorumque locum
innumeri Gentiles ex Babylone, Cutha, Avah,
Emath, & Sepharvaim collecti, tranſmiſſi ſint,
qui cum ſuis Idolis Deum etiam colebant, ejuſque
legem, & ritus ab Iſraelita docti erant Sacerdote,
ut patet ex Regum Lib. 4. Cap. 17. v. 28; diu-
que in hac ſuperſtitione populi iſti perſiterint, ut
in nota præcedenti (22) dictum eſt incredibile quam
valde videtur, quod Gentes iſtæ voluerint occu-
lere quidquid de Deo, ejuſque prodigiis prænove-
rant. Græcorum ſapientes cum ſua itinera ſumpſe-
rint per Ægyptum, Chaldæam, aliaſque Provin-
cias eo ipſo tempore, quo in Regno Samariæ gen-
tes iſtæ commorabantur, nonne facillime addiſcere
ab eis poterant, quidquid in ſuis ſcriptis Moſaicæ
Doctrinæ conſonum reliquerunt? Ante Moſem
tamdem aliquam extitiſſe rerum naturalium præ-
ſertim in Arithmeticis, & Aſtronomicis ſcientiam
minime inficiamur, eamque potuit in Ægypto
ipſe Moyſes edoceri, ut Actorum 7. ſcriptum eſt;
verum neque hæc comparanda ſunt cum ſublimi-
bus Theologiæ veritatibus, neque cum de Mundi,
& Hominum principio, doctrinis, quas Ethnici
ſcriptis mandarunt, quaſve a ſolis Moſaicis libris
divina revelatione conſcriptis hauriri poterant.
Quid tandem ad rem noſtram facit, ſi Phoronæus
leges quaſdam ante Moſis ætatem hominibus tra-
didit? oſtendat qui poteſt eas ante Moſis æta-
tem literis mandatas fuiſſe, ne oblivione delerен-
tur, & ab eiſdem Græciæ Sapientes ſuis in legi-
bus inſtituendis normam deſumpſiſſe. Non eſt ergo
cur cavillis tam evidentiſſima veritas obnubiletur.
Ex dictis facillime concutimus Lactantii auctori-
tatem. (*W*)

Finis Libri primi Diſquiſitionum.

DISQUISITIONUM BIBLICARUM

LIBER SECUNDUS.

IN QUO

De variis Scripturæ ſacræ Editionibus, & Verſionibus Orientalibus ejuſque Paraphraſibus, & Commentariis præſertim editionis Hebraicæ.

EGregium ac ſingulare Judaicæ Gentis a Deo conceſſum privilegium cenſet Apoſtolus. a Quod *credita ſint eis eloquia Dei*. Et merito quidem, nam, ait vates Regius, b *Non fecit taliter omni nationi, & judicia ſua non manifeſtavit eis*. Gloriabantur equidem Ethnici, & ludebant in variis Philoſophorum dogmatibus, quibus exiſtimabant ſe ad virtutis & veritatis ſummum apicem poſſe promoveri. Verum ejuſmodi placita tot ac tantis inſperſa erant erroribus, tot pravis documentis fœdata, ut nihil niſi pietatis ac veritatis umbram oſtentarent. Quocirca merito ejuſmodi ſapientiam damnat S. Jacobus; c *Non eſt*, inquit, *iſta ſapientia deſcendens, ſed terrena, animalis, diabolica*. Terrena, inquam, nihil niſi inanis ac terrenæ gloriolæ fumum conſectans: *animalis*, ſolis corporis & animi affectionibus, ac voluptatibus accommodata: *Diabolica* tandem; ut pote quæ debitum ſoli Deo ſupremum cultum & honorem Dæmonibus impendat: *Omnes enim Dii Gentium Dæmonia*. Quamobrem præclare ſcripſit S. Epiphanius, d *Græcorum Scriptores, Poetæ & Oratores, ubi fabuloſum aliquod ſcriptum aggrediuntur, muſam aliquam invocant, non Deum; Diabolica enim eſt ipſorum ſapientia, nec non terrena*. Nec minus appoſite S. Auguſtinus: e *Ipſa*, inquit, (Gentilium) *memorabilis doctrina, quæ appellata eſt ſapientia: quid erat niſi maxime Aſtronomia, & ſi quid aliud talium diſciplinarum magis ad exercenda ingenia, quam ad illuminandas vera ſapientia mentes, valere ſolet*. Unde David de Gentilibus iniquorum nomine deſignatis, ajebat, *Narraverunt mihi iniqui fabulationes, ſed non ut Lex tua: Etenim*, ait alibi; *Lex Domini immaculata convertens animas; teſtimonium Domini fidele, ſapientiam præſtans parvulis*. Hæc enim divina Lex, non ſolum cæleſtis veritatis ac ſapientiæ ſplendore animum colluſtrat, ſed & commonſtrat viam ad virtutem & æternam felicitatem certo conſequendam. Unde præclare David: f *Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen ſemitis meis*. Quanto igitur major erat Judæorum felicitas & gloria, divino hoc Scripturarum ſplendore colluſtrari, tanto magis lugenda Gentilium ſors, qui hoc orbati cæleſti lumine, in atris erroris & ignorantiæ tenebris verſabantur.

Verum, hanc eorum iniquam ſortem tandem aliquando miſeratus Deus, & *tempora quidem hujus ignorantiæ deſpiciens*; g ut magnum & ineffabile fuerat divinæ ſuæ bonitatis argumentum erga Judæos, ſuæ voluntatis arcana per homines divinitus afflatos, ſcripto eis conſignare, quatenus haberent ſolatio ſacros libros. Sic divini hujuſce theſauri Gentiles voluit eſſe participes, per varias ſacrorum Bibliorum ex Hebræo fonte verſiones & derivationes. Noluit enim doctrinam ſuam ſacris libris conſignatam in ſolo Judaici regni angulo deliteſcere, ſed judicavit ſuæ bonitati ac ſapientiæ eſſe congruum, ut omnes propriis linguis eam exciperent & audirent. Unde effecit ut in varia idiomata verterentur, quatenus ille divinæ Scripturæ ad univerſas mundi nationes propagatæ, ad unius veri Dei cultum, fugatis Idololatriæ tenebris, facem præberent, & impleretur illud Iſaiæ: h *Omne genu mihi flectetur, & omnis lingua confitebitur Deo*.

Quanquam autem, ut linguarum, ſic & Verſionum magna ſit varietas, quibus Deus omnibus totius terrarum Orbis incolis pretioſa divini hujus Scripturarum theſauri monilia communicare voluit; nobis tamen hoc in libris mens ea non eſt, ſingulas hujuſmodi verſiones expendere; ſed duntaxat earum capitales ac principes, a quibus cæteræ, velut a fonte fluvii, & a ſole radii, emanarunt: At operæ pretium eſt prius paucula de ipſamet editione Hebraica delibare.

a *ad Rom.* 3. 2.

b *Pſal.* 147. 10.

c 3. 15.

d *initio operis ſui contra hæreſes.*

e *lib.* 18. *de civit. cap.* 39.

f *Pſal.* 118. 115.

g *Act.* 17. 30.

h *Iſaia* 45.

CAPUT PRIMUM.

De Editione Hebraica hodierna.

I. *Plurimam operam adhibuit Esdras in restituendis Codicibus sacris.*
II. *Quos omnes in captivitate Babylonica ex integro periisse plurimi affirmant.*
III. *At vero-similior est opposita sententia.*
IV. *Autographus ille Biblicus Codex, ab Esdra restitutus, jam non extat.*
V. *Ludicrum ea de re Judæorum, præsertim Maimonidis, commentum.*

I. CONveniunt omnes tam Judæi quam Christiani sacrorum Bibliorum Interpretes, Esdram una cum viris Synagogæ magnæ, post solutam captivitatem Babylonicam, circa sacrorum voluminum restitutionem, tria præstitisse. *Primo*, cum toto captivitatis tempore, Judæis per universum Babylonicum imperium dispersis, etiam distracta ac parum diligenter servata fuissent sacra volumina, quia nec templum nec tabernaculum erat, ubi prius authentica Bibliorum exemplaria servari solebant; post restitutam libertatem, omne studium omnemque operam adhibuit Esdras (quem *alterum Mosem* vocant Judæi) ut restaurato templo & divino cultu, etiam sacræ Scripturæ ex integro restituerentur. Unde collectis ex variis locis Codicibus, omnes sacros libros in unum corpus redegit, quæ vitiata erant & interpolata, repurgavit; peregrina a nativis, spuria a legitimis secrevit: & ex sacris libris sic expurgatis, Scripturæ sanctæ Canonem & Codicem constituit, approbante Synedrio magno, seu viris Synagogæ magnæ; inter quos floruisse putantur Daniel, Nehemias, Zorobabel, & aliqui ex posterioribus Prophetis, maxime Aggæus, Zacharias & Malachias, qui sua sacra vaticinia prius scripserant. *Secundo*, Esdras sacra volumina restituit eadem lingua Hebraica, in qua prius confecta fuere; at non eodem charactere; quippe, ut supra probatum est, vetere Hebraico charactere Samaritanis relicto, Chaldaicum, qui Judæis, tempore captivitatis, familiaris erat, usurpavit Esdras, quo facilius divinæ Scripturæ ab Hebræis legi possent & frequentari. *Tertio tandem*, consentiunt omnes, divinarum Scripturarum Autographa, quæ in templo Hierosolymitano, juxta arcam fœderis, religiose servabantur, tempore captivitatis omnino periisse. Enimvero si illa in Esdræ manus veniissent, nullo opus fuisset labore & studio ad recudenda sacra volumina, & quæ in apographis vitiata erant, repurganda.

His itaque satis superque ex jam dictis constantibus, duo hic supersunt eliquanda. *Primum*, utrum omnia exemplaria in templi Hierosolymitani conflagratione, vel captivitate Babylonica ita perierint, ut necessum fuerit, suggerente Spiritu Sancto, ea ab Esdra ex integro reparari. *Secundum*, an ab Esdra & sociis conscriptum αὐτόγραφον, adhuc integrum alicubi extet, ad cujus sinceritatem & integritatem liceat recurrere, quoties aliqua circa genuinum Scripturæ textum & sensum, dubia occurrunt.

§. I.

Utrum omnia Bibliorum exemplaria tempore captivitatis Babylonicæ perierint.

II. EA fuit quorundam Veterum opinio, omnia prorsus Bibliorum exemplaria, vel incendio templi Hierosolymitani conflagrasse, vel tempore captivitatis Babylonicæ ita fuisse dissipata, ut necessum fuerit ea de novo ab Esdra & sociis ex integro reparari. Ita præ cæteris censuit Tertullianus, [a] de Noe scribens: *Potuit abolefactam eam* (Scripturam Enoch) *violentia Cataclysmi in Spiritu rursus reformare; quemadmodum & Hierosolymis Babylonica expugnatione deletis, omne instrumentum Judaicæ litteraturæ per Esdram constat restauratum.* Idem habet S. Irenæus [b]; *In ea*, inquit, *captivitate populi, quæ facta est a Nabuchodonosor, corruptis Scripturis, & post septuaginta annos, Judæis descendentibus in regionem suam, & post deinde temporibus Artaxerxis Persarum Regis, inspiravit Esdræ Sacerdoti Tribus Levi, præteritorum Prophetarum omnes rememorare sermones, & restituere eam Legem, quæ data esset per Moysem.* Subscribit etiam Clemens Alex. [c] *In captivitate Regis Nabuchodonosor*, inquit, *cum interiissent Scripturæ tempore Artaxerxis Persarum Regis inspiratus Esdras Levita, qui factus fuerat Sacerdos, prophetavit; omnes rursus Scripturas renovans.* Consentit etiam Eusebius [d] scribens: *In captivitate quæ populo acciderat sub Nubuchodonosor Rege, cum Scripturæ penitus interiissent, & Judæi post annos 70. in patriam rediissent. Deinceps temporibus Artaxerxis Esdram Sacerdotem ex Tribu Levi divino Spiritus sui afflatu incitavit Deus, ut cum libros omnium Prophetarum qui antegressi fuissent, de integro conscriberet, tum Legem a Mose promulgatam, populo de integro restitueret.* Hinc etiam B. Hieronymus, [e] Esdram restauratorem Pentateuchi nuncupat: & alibi

[a] *lib. de habitu Mulibri cap. 3.*
[b] *lib. 3. adverf. hæref. cap. 25.*
[c] *lib. 1. Strom.*
[d] *lib. 5. hist. cap. 8.*
[e] *lib. adverf. Helvidium.*

bi ſcribit, quod Scripturas ſacras jam diſperſas, eodem ſpiritu, quo ante ſcriptæ erant, reſtituerit. Idem pariter ſentiunt plurimi quos omnes laudare longum eſſet & ſuperfluum.

III. Enimvero hæc ſententia jam ab omnibus in Scriptura ſacra tantillum verſatis reſpuitur. *Primo* quia nititur fundamento prorſus incerto, videlicet teſtimonio Libri IV. Eſdræ, [a] ubi refertur Eſdram totis quadraginta diebus divino Spiritu afflatum, quinque viris dictitaſſe, qui ſumma celeritate, quæ ab eo proferebantur, excipientes totam Scripturam reparârunt, ut ipſe Eſdras precibus Deum exoraverat his verbis: [b] *Quoniam (o Domine) Lex tua incenſa eſt, propter quod nemo ſcit, quæ à te facta ſunt, vel quæ incipient opera. Si autem inveni in te gratiam, immitte in me Spiritum Sanctum, & ſcribam omne quod factum eſt in ſæculo ab initio, quæ erant in Lege tua ſcripta, ut poſſint homines invenire ſemitam, & qui voluerint vivere in noviſſimis, vivant.* Hoc autem, ut mox dixi, fundamentum nullius eſt roboris, cum hic liber non ſit Canonicus.

a *Eſdræ 4. cap. 14.*

b *Ibid. v. 21.*

Deinde vero-ſimile non ſit omnia prorſus ſacrorum librorum exemplaria, una cum templo Hieroſolymitano conflagraſſe, ita ut nullum tempore captivitatis ſuperfuerit; non enim unicum duntaxat erat eorum exemplar; ſed multiplex, quippe tum Rex, tum populus, Legis exemplaria apud ſe deſcripta ſervare tenebantur, ut diebus ſingulis in Lege Domini meditarentur: imo primo capite præcedentis libri obſervabamus ex Rabbinis, unumquemque Hebræorum teneri librum Legis, vel per ſe, vel per alium deſcriptum habere. Sed quidquid ſit de aliis; credibile ſit Prophetas Aggæum, Zachariam, Malachiam, alioſque viros erga Legis obſervantiam zelantiſſimos, habuiſſe aliqua ipſius exemplaria, maxime cum in Daniele legamus: [c] *Ego Daniel intellexi in libris numerum annorum de quo factus eſt ſermo Domini ad Hieremiam Prophetam, ut complerentur deſolationis 70. anni.* Habebat ergo librum Prophetiarum Hieremiæ. Et Nehemiæ VIII. cap. Iſraelitæ dixerunt Eſdræ ſcribæ, *ut afferret librum Legis Moyſi, &c.* Tunc ergo liber ille in Sacerdotum manibus erat; non enim petunt, ut librum Legis de novo conſcribat, ſed ut illum afferret, ac ſubinde ſciebant adhuc extare. Nec certe vero-ſimile ſit, nullum e Sacerdotibus, quorum in populo Judaico multa erant millia, penes ſe repoſitos habuiſſe ſacros Codices, his namque tum ad Sacerdotalis munera rite obeunda, tum ad docendum populum, ejuſque controverſias & lites juxta divinæ Legis præſcripta dijudicandas ac dirimendas, aſſidua ſacrorum voluminum, maxime vero Moſis, Lectio perneceſſaria erat.

c *Daniel 9. v. 2.*

Porro quod permulta fuerint apud Judæos & varia Scripturarum exemplaria, aperte colligitur ex priore Libro Machab. I. ubi ſcriptum legimus, ex mandato Regis Antiochi ſacros omnes Libros apud quoſcunque Hebræorum reperiebantur, diſciſſos eſſe, atque combuſtos: erant igitur multi & varie diſperſi: neque tamen tanta impii Regis diligentia factum eſt, ut omnes libri perirent. Nam poſt id temporis, in eodem libro [d] legimus veniſſe Judæos in Maſpha, ibique jejunaviſſe, & ſciſſis veſtibus induiſſe cilicia, & expandiſſe libros Legis. Quin aliquot annis poſt, Jonathas in Epiſtola quam ſcripſit ad Spartiatas: *Nos*, inquit, [e] *cum nullo horum indigeremus, habentes ſolatio ſanctos libros, qui ſunt in manibus noſtris, &c.* Igitur ſi tempore Machabæorum, tametſi juſſu Regis Antiochi, qui duriſſimo dominatu omnem Judæam oppreſſam tenebat, ſacri Libri ſumma cum diligentia ad ignem poſtulati, plurimi tamen incendium fugerint, multo magis credibile eſt non eos omnes in Babyloniorum vaſtatione periiſſe, cum neque Chaldæos combuſſiſſe aliquos libros, neque comburere voluiſſe, uſquam Scriptura teſtetur. Quinimo cum omnia quæ Chaldæi, captis Hieroſolymis aut incenderunt, aut deſtruxerunt, aut Babylonem aſportarunt, ea diſtincte ac minutatim in quarto Libro Regum cap. XXV. in ſecundo Paralipomenon XXXVI. & apud Hieremiam III. commemorantur; de ſacris tamen Libris, tunc combuſtis, nulla prorſus uſpiam in ſacris literis fit mentio; indicium eſt eos non periiſſe.

d *cap. 3.*

e 2. *Machab. 12.*

Adiice quod non ſit vero-ſimile Hieremiam, [f] qui permiſſu Regis Babylonis, ex Chaldaico illo urbis, & templi excidio, incendioque arcam, altare incenſi, & tabernaculum eripuit, atque ſervavit, non majori cum ſtudio & cura, certe minori labore, & difficultate divinos libros, ne prorſus omnes interirent, fuiſſe conſervaturum. His accedit luculentum Joſephi teſtimonium, [g] referentis Cyrum Regem, ad donandam Judæis libertatem poteſtatemque reficiendi templi ideo motum, quod ex Iſaiæ libro a Judæis, vel, ut tradit Theodoretus, [h] ab ipſo Daniele ei oſtenſum fuerit, Deum per Prophetam ipſi ampliſſimum, etiam pridem ante illius nativitatem repromiſiſſe imperium. Extabat igitur temporibus Cyri tot annis poſt incendium templi Hieroſolymitani, & vaſtatam a Chaldæis Judaicam Gentem, atque diu ante Eſdræ reſtaurationem integer Iſaiæ vaticiniorum Liber.

f *lib. 2. Machab. cap.*

g *lib. 11. antiq. cap. 1.*

h *lib. 1. de fide.*

Denique hanc noſtram ſententiam aperte tuetur S. Chryſoſtomus, [i] ubi dicit, ex reliquiis Scripturæ Eſdram eam iterum compoſuiſſe. Similiter S. Hilarius [k] dicit Eſdram omnes Pſalmos collegiſſe, & ex his unum confeciſſe librum. Theodoretus quoque [l] ſcribit: *Mirabilis ille Eſdras edidit libros cæleſtis gratiæ plenos, qui quidem propter Judæorum injuriam; tum vero ob impietatem Babyloniorum, diutius depravati permanſere.* Ubi vides diſperſas & depravatas quidem fuiſſe Scripturas, non vero combuſtas & prorſus deperditas. His adſtipulatur S. Hieronymus, qui idcirco Eſdram Legis inſtauratorem vocat, quod Codices ſacros repurgaverit, in ordinem redegerit, & adhibitis

i *homil. 8. ad Hebr.*

k *Præfat. in Pſal.*

l *præf. in Pſal.*

novis characteribus, veteribus Samaritanis relictis, Codices quasi novos confecerit, prioribus abrogatis.

Nec aliud certe si penitus inspiciantur, prætendunt cæteri Patres pro adversaria sententia laudati; nam S. Irenæus dicit, tempore captivitatis corruptas quidem fuisse Scripturas, non vero omnino deperditas. Nec etiam aliud censuit Clemens Alexand. Enimvero ea duntaxat ratione dixit durante captivitate Babylonica Scripturas interiisse, quod hujus calamitosi temporis diuturnitate, & ob acerbitatem Tyrannidis, cum Judæi linguæ patriæ fuissent obliti, nec proinde characteres ac linguam, qua sacra volumina conscripta erant, commode perciperent; inde fiebat, ut qui nova Legis exemplaria transcribebant, id omnino corrupte præstarent. Quapropter cum ea, quæ ex Judæa deportata fuerant, jam usu & tempore detrita fuissent, aut dispersa, aut partim consumpta; opus fuit nova rescribere, & in puritatem pristinam restituere, atque in unum corpus ordinare; quod cum perfectissime præstitisset Esdras, ideo non absurde dici potest Scripturas restituisse, scilicet pristinæ puritati & integritati. (1)

§. 11.

Authographus codex Biblicus ab Esdra editus, jam non extat.

a *cap. 2. lib. 9. flagelli Jud.*

Finus Adrianus Ferrariensis a scribit; *Ipsamet Biblia ab Esdra restaurata, custodiri in civitate Bononiæ, in Ecclesia S. Dominici; tamen in multis locis ab Hebræis vitiata fuisse, quoniam per communitatem Bononiæ, loco pignoris data sunt Hebræis mutuantibus pecuniam ipsi communitati.* Idem habet Angelus Rocha, b Confirmat etiam Franciscus Tissardus Ambacæus, c qui cum dixisset Judæos calamo puncta subscribere interdum; in impressione autem raro: „ At vero in Biblia, *inquit*, „ semper suæ quidem Legis reverentia, aut „ ut ab eis videatur perfectior haberi, aut ne „ aliquid forte vitii aut maculæ eorum negligentia eveniat, Id quod in impressionibus passim videmus observatum, & in „ Esdra præsertim, calamo ejusdem Prophetæ, pulcherrimo quidem ac optimo charactere conscripta. Ea enim in Bononiæ „ sacrario ædis D. Dominici, tam honorifice, ferme ac pretiosum ejusdem Dominici caput, reconditur; quod quidem „ opus, sæpe numero vidi, nam mihi non „ nunquam committebatur, neque id tamen „ cum parva solemnitate. Quoque sæpius „ videbam, eo magis admirabar. Enimvero viri sanctitatem, religionem, excellentiam contemplabar; ejus Prophetæ ceu „ Vatis venerabar Scripturam tam elegantem, tam insignem ac immaculatam nulla „ nec tinea, nec labe vitiatam. Quid mundius „ dicam? quid incorruptius? quid denique „ perfectius? Incudem profecto novissime „ diceres exire, quam ex tot annis, ab eo, „ veluti futura, intuente, eaque singula depingente, adjectis punctis fuerit conscripta. Quod longe profecto a D. Thomæ „ scriptis alienum est censendum. Cujus „ quanquam is fidei sit columna, libelli tamen aliqui proprio calamo scripti (quos „ in æde Divi Francisci Bergomi magnifice repositos auctoritate Antistitum vidi, „ sunt vetustate pene, aut papyri fragilitate „ corrosi, & difficultate Scripturæ haud lectu faciles, cum teredinosam ob antiquitatem, tum quod neque literas, veluti „ obletas, munde ducebat, neque debito „ eas modo, debitave ratione effigiabat. „ Sed quod fidem hominum, atque memoriam superabat, ea Esdra non vitulinis in „ pellibus, sed corio (cujusmodi Cothurnos „ hac tempestate rosaceos Cerdones efficiunt) in voluminis modo obtorto involutoque seu depicta infra cernitur, servaturque sicut thesaurus divarum reliquiarum sacratissimus religiose: atque observant ad refellendos Hebræorum errores, „ si quando aut impressione sua, aut Scriptura labefactare, corrumpereve contenderint. Quando quidem si nisi fuerint „ vitiare, errores ab eorumdem Auctore „ perfacile venient reprimendi. *Hæc ille.*

b *in Biblioth. Vatican. p. 394.*

c *In Gramm. sua Hebræa impressa Paris. ann. 1508.*

Verum ficta hæc omnia esse, nec ipsum Esdræ Codicem hodie uspiam apparere, neque a devastatione Templi secundi, alicubi fuisse visum, constantissimum esse debet. *Primo*, quia loca sacra & publica, in quibus ejusmodi authentica servari solebant, ali-

(1) Sacros divinarum literarum libros opere, & studio Esdræ post captivitatem a mendis, variisque depravationibus expurgatos, eorumve pristinæ fuisse restitutos integritati, & puritati non solum viri in lege Dei peritissimi, morumque Sanctitate clarissimi; sed plures ex modernioribus etiam scriptoribus tradidere. Verum eisdem momentis, quibus adversus Tertullianum, Clementem Alexandrinum, & Sanctum Irenæum totalem Sacrorum voluminum in Hierosolymitana conflagratione jacturam non contigisse tuentur, etiam in exemplaribus omnibus depravationem tempore Captivitatis non accidisse defendi potest; cum semper legis Zelatores præclarissimi ea tempestate inter Judæos extiterint, qui siquidem illibatos Codices Sacros custodire fategerint, Esdras ipse sanctum volumen in Captivitate habuisse, illudque incorruptum servasse, non obscure ex libro 1. ejusdem Esdræ Cap... v. 10; & sequent.; nec non ex Lib. 2. ejus Cap. 8. v. 1. convincitur. Nehemias etiam ex variis regionibus collegit libros Prophetarum, & David & Epistolas Regum &c. ut legimus 2. Macchab. Cap. 2. v. 13. Ex quibus authenticis exemplaribus Esdras fortassis Sacra Biblia in unum digessit corpus, mutatis quibusdam locorum nominibus, & rerum, ut suæ gentis usui, & intelligentiæ faveret; aliisque paucis adjectis ad majorem eorum, quæ scribebantur intelligentiam. Videantur Bellarminus Lib. 1. de Verbo Dei Cap. 1; Calmetus Dissertat. de Restauratione Sacrorum Librorum, Pererius Præfatione suis Commentariorum in Genesim libris præmissa, Baronius ad annum Christi 180. num 1. & sequentibus, & tandem Prideauxius part. 1. Historiæ Judæorum Lib. 5. ad annum 446. ante Christum. (*W*)

aliquoties diruta, ſolo æquata, & incendio devaſtata ſunt, cum ea omni pretioſa & ſacra ſuppellectile, quæ in iis religioſe ſervabatur. *Secundo*, quia nullus ex antiquis Judæis hujus Autographi in ſcriptis ſuis meminit, ſicut nec ulli ex Patribus Syris, Ægyptis & Palæſtinis: quantus autem quæſo Chriſtianorum & Judæorum ad hujuſmodi Autographum factus fuiſſet concurſus, ſi vel probabilis hac de re rumor finitimas regiones occupaſſet, ut nempe ad ipſum tanquam ad lapidem lydium variantes in ſuis apographis, ſeu exſcriptis exemplaribus lectiones & loca dubia emendarent? *Tertio* quia Codicem iſtum vidit Arias Montanus, ut refert; [a] at eum tantum ut antiquum & elegantem laudat, quem haud dubie popularis aura, ut in vetuſtis quibuſque rebus errari ſolet, Eſdræ vendicavit. (2)

[a] *Præfat. de varia in libris Heb. lect.*

Denique ipſimet Judæi non conſentiunt de loco ubi Autographum ipſum reconditum ſit. Nam R. Azarias [b] affirmat ipſos Eſdræ Codices non eſſe Bononiæ, quanquam Azarias Ferrarienſis eſſet, ſed Cabilloni ad Ararim (gallice *Chaalon Sur-Saone*) conſervatos fuiſſe: refertque Moſem Maimonidem ex Ægypto Cabillonem veniſſe, ut librum Legis, quem ad normam Ægyptiaci cujuſdam libri deſcripſerat, cum Autographo Eſdræ Cabillonenſi conferret. Maimonidis hæc ſunt „ verba; Ego Moſes filius Maimon, æmu„ lando æmulatus ſum pro Domino Iſrae„ lis, cum viderem libros Legis in Ægypto, „ quod Paraſchæ eorum Petuchæ (apertæ) „ & Sethumæ (clauſæ) & Sidræ (ordines) „ eorum, non ſecundum Legem ſcriptæ eſ„ ſent; proinde ſollicite quæſivi tempus „ operandi Deo, abſtinui etiam a ſtudiis „ meis, ut ſcriberem librum Legis Domini „ noſtri, Pentateuchum nempe, una cum „ certis foliis colligatum, ut inde corrigi, „ & tranſcribi poſſent libri cæteri.

[b] *cap. 9. part. 3. lib. Meor. Hen.*

„ V. Liber autem ille, ex quo meum tran„ ſcripſi, celebris cum primis eſt in Ægy„ pto continens omnes XXIV. libros, fuitque „ Hieroſolymis a diebus Tanæorum & Amu„ ræorum. Sed cum capta eſt Hieruſalem a „ Rege Carolo, translatus eſt inde, venit„ que captivus in Ægyptum, ipſi autem „ nos innitimur. Poſtquam autem abſolvi „ librum meum, manu Dei favente mihi, „ in animum meum induxi proficiſci ex Ægy„ pto in regnum Burgundiæ, quod eſt in „ Gallia, ad civitatem Cabillonum ad flu„ vium Ararim ſitam: ſtudioſe vero inqui„ ſivi & petii, ubi inveniretur liber Legis „ Dei noſtri ſcriptus ſancta manu Eſdræ Sa„ cerdotis magni, ſcribæ expediti, Tuleram „ autem mecum correctiones Scribarum Pe„ tuchas, Sethumas, & Sidras, quas tran„ ſcripſeram e libro XXIV. (ſic vocat Biblia „ integra) qui allatus fuerat e Hieruſalem, „ & inveni omnes Petuchas Setumas, in „ membrana exacte correſpondentes cum li„ bro quem mecum adduxeram, unde gau„ dio plurimum affectus ſum, &c. *Hæc* „ *ille*.

At, ut perite obſervat Morinus, [c] omnia hæc fictitia ſunt, falſis, ineptis & inſulſis fabulis reſperſa; nullus enim Carolus Francorum Rex (niſi in commentitiis Libris) Hieroſolymam cepiſſe, legitur. Præterea quod refertur de libro iſto Hieroſolyma in Ægyptum deportato, teſte ipſo Maimonide, falſum eſt; ſiquidem ipſemet refert, [d] librum illum, cujus meminit, fuiſſe conſcriptum a R. Aſer, omnibuſque Hieroſolymitanis expoſitum, ut ex eo cæteri Libri poſſent emendari; atque ex Ægypto Hieroſolymam ſe iviſſe, ut ad illud exemplar ſuum Codicem emendaret.

[c] *lib. 1. de Hebr. Graeciq. textus ſincerit. exerc. 1. cap. 2.*

[d] *in tract. lib. Legis cap. 8.*

(2) Quæ a Franciſco Tiſſardo de Codice in Bononiæ Sacrario Ædis S. Dominici aſſervato referuntur, ejus videntur conditionis, ut ſuadeant volumen illud adeo revera non eſſe longævum quod ad Eſdræ ætatem pertineat. Puncta vocalia in eo exarata; ſcriptura recens nulla temporis vel tantillum labefactata injuria, Prideauxio fuerunt argumento excludendi ab eo Codice vetuſtatem illam inſignem, quam ei Tiſſardus ipſe, Hottingerus, Finus Ferrarienſis, aliique Scriptores conceſſerunt. Sunt qui animadvertunt a P. Monte Faucono Ordinis S. Benedicti Profeſſore, viroque doctrina celeberrimo in ſuo Diario Italico Pag. 399. negari quidem ab Eſdra volumen illud, in quo ſoli quinque Moſis libri continentur, fuiſſe conſcriptum, ſed tamen inſignis exiſtimari vetuſtatis, cum a quadringentis annis & amplius Sancti Dominici Monachis a quibuſdam Judæis traditum fuiſſe aſſeveret. (W)

CAPUT SECUNDUM.

De variis Interpretationibus, & Commentariis Hebraicæ Editionis, maxime vero Mosaicæ legis.

I. *Duplex est apud Judæos Scripturæ Sucræ interpretatio.*
II. *Oralis interpretationis propagatio.*
III. *Quænam illius interpretationis auctoritas.*
IV. *A Senatu probari debebat.*
V. *Quotuplex apud Judæos Senatus.*
VI. *Princeps ejus Senatus erat Pontifex.*
VII. *Duo alia erant apud Hebræos consistoria.*
VIII. *Solum Supremum Consistorium leges sanciebat & explicabat.*
IX. *Aliæ leges, & traditiones invectæ sunt.*
X. *De Mischna, seu traditionibus scriptis.*
XI. *Quo tempore Liber traditionum editus.*
XII. *Nondum erat ætate SS. Hieronymi, & Epiphanii.*
XIII. *Libri Mischnæ Synopsis, & delineatio.*
XIV. *De præcipuis interpretationibus Mischnæ.*
XV. *De Talmud Hierosolymitano.*
XVI. *De Gemara, & quid sit.*
XVII. *De Libro Zohar.*
XVIII. *De Massora, & Massoretis.*
XIX. *Quinam fuerint Massoræ Auctores.*
XX. *Massoræ fructus, & utilitas.*
XXI. *De Keri, & Ketib earumque significatione.*
XXII. *Quis earum Auctor.*
XXIII. *De Kabbala ejusque origine.*
XXIV. *Joannis Pici de Kabbala judicium.*
XXV. *Triplex Kabbala distinguitur a Catholicis.*
XXVI. *Kabbalæ praxis ab hominibus probis repudiatur.*

I. DUplicis generis sacrorum Bibliorum Commentaria & Interpretationes agnoscunt Hebræi, nempe *Orales* & *Scriptas*; seu viva voce, aut scriptis a Majoribus traditas, & ad posteros propagatas. Oralis traditionis & explicationis Auctorem existimant Mosem, quem aiunt una cum Lege in duabus talibus lapideis digito Dei exarata, plurima a Deo excepisse mandata, quæ essent divinæ istius Legis, velut Interpretationes & Commentaria: seu potius ejusdem ampliationes, quas ipse Moses libris non commisit, sed per continuam Patrum, Doctorumque successionem, ad posteros propagandas tradidit. Qua de re audiendus est R. Moses Maimonides; [a] *Præcepta*, inquit, *quæ Mosi tradita sunt in Sinai, ea omnia data sunt cum expositione sua, juxta illud Exodi*: ET DABO TIBI TABULAS LAPIDEAS ET LEGEM ET MANDATUM, *&c. Legem, scilicet Legem scriptam, & Mandatum, id est, expositionem ejus. Injunxit autem nobis Deus* LEGEM *observandam secundum* MANDATUM: *Mandatum est Lex, quæ dicitur Oralis. Totam vero Legem manu sua descripsit Moses magister noster, priusquam moreretur: & singulis Tribubus librum commisit: unum reposuit in Arca pro testimonio, juxta illud Deuteronomii* [b] SUMITE LIBRUM LEGIS ISTIUS, ET PONITE EUM A LATERE ARCÆ FOEDERIS DOMINI DEI VESTRI; ET SIT IBI CONTRA TE IN TESTEM. MANDATUM *autem, sive expositionem Legis non scripsit Moses; sed imperavit eam Senioribus, & Josue, aliisque omnibus Israelitis, juxta illud Deuter.* [c] OMNE VERBUM QUOD EGO PRÆCIPIO VOBIS, ILLUD CUSTODIETIS, UT FACIATIS. *Ideo vocatur* LEX ORALIS. *Eamque Legem Oralem (quamvis non fuerit scripta) totam in Consistorio suo docuit Moses magister noster septuaginta Seniores. Eleazar, Phinees & Josue, tres illi acceperunt illam a Mose. Josue itaque discipulo suo tradidit, mandavitque Legem oralem Moses magister noster. Sic Josue quandiu vixit, ore docuit; multique Seniores acceperunt a Josue, &c.* Deinde subjungit nomina eorum omnium Patrum & Doctorum, quorum beneficio illa Lex oralis demum propagata fuit, usque ad Simeonem justum, quem omnium postremum fuisse narrat Maimonides. (3)

[a] *In præf. sua summæ Talmud. quam* Jadchasakah, *i. e. manus fortis inscripsit. Exod.* 24. v. 12.

[b] *Deut.* 31. v. 26.

[c] *Deut.* 12. v. 32.

At

(3) Hebræorum legisperiti, illius magnæ Synagogæ ex centum viginti prudentioribus viris compositæ, cujus Caput, & Præsidem Esdram fuisse tuentur, ultimum membrum Simonem justum constituunt. Perfecte autem, & integre ab Esdra simul cum ea Synagoga restitutam divinam Scripturam, & legem oralem adfirmant, quæ non parum captivitatis, perseverante per septuaginta annos infortunio, a pristina puritate desciverant; κύριον igitur Esdræ Simonem justum opinantur fuisse, quod tamen temporum rationes concedere nequaquam permittunt, cum Simon iste pontificiis insignibus nonnisi post Alexandri Macedonis obitum anno 23, vel 25 fuerit exornatus; proindeque ejus vita cum Esdræ temporibus conciliari non potest, ut ex Nota (22) ad librum primum Disquisitionum evidenter colligitur. Non perperam ergo opinari ii videntur eruditi Scriptores, qui Synagogam centum viginti hominum inter Hebræos perstitisse ab eorum e captivitate reditu usque ad Simonis cognomento *Justi* mortem rentur, quæ in componendis Judæorum moribus, lege orali expurganda ab erroribus, verisque Majorum traditionibus restituendis labores insumpserit; Non tamen quod iidem semper in ea homines tam diu perseveraverint, sed quod nonnullis eorum passim occumbentibus, alii in eorum locum usque ad Simonem justum sufficerentur. Talmudistæ itaque legem oralem in integrum restitutam hoc pacto a Simone justo usque ad Judam Sanctum successive ex ore ad os per varias generationes

At in illa recenſione plurimum peccat, puta cum ait Achiam Silonitam, qui florebat temporibus Davidis, Legem oralem audiviſſe a Moſe. *Similiter* cum aſſerit Heli a Phinæa, nepote Aaronis, ipſam Legem ore tenus accepiſſe. *Inſuper* cum affirmat Eliam ab Achia Silonita ipſam Legem acceptam, ad poſteros propagaſſe; quæ certe ſi de immediata acceptione intelligenda ſint, falſiſſima ſunt; quippe cum tanta non fuerit eorum longævitas, ut Achias a Moſe, ad Davidis tempora, ſupervixiſſe ſit credendus. Idem eſto judicium de cæteris, ut diſerte probat Auctor *Tſemach David*, [a] Unde in ea Patrum traditionis ſeu propagationis Legis oralis recenſione, non conſentiunt Hebræi; alii namque alios Patres adiiciunt, alii vero detrahunt, & eorum quilibet, *Patrem traditionis* appellat aliquem e præſtantioribus viris, qui a Moſe ad ſua tempora floruerint, ſicut ipſemet Auctor admonet, [b] Ut autem harum explicationum tam Oralium quam Scriptarum, apertior notitia affulgeat, de utriſque paucula in ſequentibus paragraphis delibanda ſunt.

[a] *in 1. parte Chronol. ſive ad ann. 892. millenarii tertii,*

[b] *ad ann. 829. millenarii quarti.*

§. I.

De Interpretationibus & Traditionibus Oralibus.

III. HAs Interpretationes & Traditiones Orales tanti fecere Hebræorum magiſtri, ut eas paris eſſe auctoritatis cum Lege ſcripta affirmaverint; ut videre eſt apud Buxtorfium, [c] ubi ex R. Abraham Ben-Ezra refert: *Nos*, inquit, *explicationem, quæ naturæ proprietatique mandatorum Legis ſcriptæ conveniat, perfectam habere non poſſumus, niſi nos ſuper illis, quæ Schachamim, Rabbinique noſtri, & locuti ſunt, & ſcripſere, fundemus. Sicut enim Lex Scripta nobis eſt per Majores noſtros data, ita Legem quoque Oralem accepimus ab iiſdem, & inter ambas has diſcrimen plane nullum invenire eſt.* Item ex libro parvo mandatorum, qui vulgo voce decurtata *Semak* appellatur: *Tu non cogitabis, quod Lex ſcripta fundamentum ſit: multo enim magis Lex Oralis fundamentum illud rectum eſt; atque ſuper Lege Orali fecit Deus ipſis fœdus cum Iſraele.* Ex libro Rabbi Bechai, quem *Cadum farinæ*, inſcripſit: *Fundamentum genuinum Legis ſcriptæ, Lex Oralis eſt: conſiderato, quod hæc ſine illa, neque recte exponi, neque utiliter intelligi poſſit.* De ſuis autem Doctoribus ita cenſent. [d] *Sermones eorum eſſe ſermones Dei viventis omnes, nec verbum ex illis unum, vane cecidiſſe in terram. Inde quoque obnoxios eſſe omnes, ut credant omnia, quæcunque de illis, & in illorum nomine ſcripta ſunt.* Quin etiam traditionem illam oralem; Legi ſcriptæ præferebant: unde Rabbinica eſt regula, *Memento potius ſermonis Scribarum, quam ſermonis Legis Moſis.*

[c] *lib. de Synagoga Jud. cap. 1.*

[d] *ex tract. de Sabbata cap. 2.*

IV. Ut autem illa Lex Oralis fieret authentica, probari debebat a Conſiſtorio, nam inquit Moſes Maimonides, [e] *Conſiſtorium magnum Hieroſolymitanum fundamentum eſt Legis oralis; unde prodeunt ſtatuta, & judicia in omnes Iſraelitas: quibus credendum eſſe & parendum Lex jubet.* Deuter. XVII. *ſecundum ſermonem Legis quem docebunt te, &c.* Quæ ut evidentiora fiant, ſciendum eſt duplicis generis fuiſſe Conſiſtoria, ſeu Senatus apud Iſraelitas: unum quem appellabant SANHEDRIN-GHEDOLA, id eſt, *ſupremum Senatum*; aliud vero SANHEDRIOTH, ſeu *Conſiſtorium parvum & inferius*. Supremus vero Senatus conſtabat ſeptuaginta & uno viris, ex doctiſſimis & æquiſſimis Hebræorum: cujus initium, & inſtitutionem Hebræi Doctores referunt ad illud Numer. XI. 16. *Dixit Dominus ad Moyſem: congrega mihi ſeptuaginta viros de ſenibus Iſrael, quos tu noſti, quod ſenes populi ſint ac magiſtri, & duces eos ad oſtium tabernaculi fœderis, faciesque ibi ſtare tecum, ut deſcendam & loquar tibi; & auferam de ſpiritu tuo, tradamque eis, ut ſuſtentent tecum onus populi, & non tu ſolus graveris, &c.*

[e] *in lad. Cazakab. tract. Marim, i. e. de rebellibus cap. 1.*

V. Aliorum vero inferiorum Conſiſtoriorum inſtitutionem repetunt ex illo Deut. XVI. 18. ubi Moſes mandat Iſraelitico populo; *Judices & magiſtros conſtitues in omnibus portis tuis, quas Dominus Deus tuus dederit tibi per ſingulas tribus tuas*, &c. Conſtabant autem hæc Conſiſtoria viginti tribus

nes comunicatam, atque tranſmiſſam fuiſſe fabulantur: Simeon juſtus Traditiones Antigono Sochæo conſignavit, a quo ad Joſen filium Jochananis, ab iſto autem ad alterum Joſen Joezeris filium tranſierunt, ab illo ad Natham Arbelitam, & ad Joſen Perachiæ filium, ab iſtis vero ad Judam Thabbai filium, & ad Simonem filium Sethæ tranſmiſſæ ſunt; ab iſtis ad Semajam, & Abthalionem, ab his vero Hilleli communicatæ ſunt. Hillel inſignem aperuit academiam, in qua legem oralem plures edocebantur diſcipuli; verum Hilleli doctrinæ alter inſignis ſe oppoſuit legis doctor Schammai nuncupatus, qui Sectam alteram condidit, multoſque diſcipulos inſtruxit. In ſchola tamen Hillelis veram legem oralem fuiſſe ſervatam Talmudiſtæ tuentur, quandoquidem Hillel eam Simeoni filio ſuo, qui exiſtimabatur Simeon ille juſtus, qui Chriſtum Dominum in ulnas accepit dum a Virgine Maria præſentabatur in Templo, conſignavit: ab hoc autem Simeone ad Gamalielem filium ſuum & Apoſtoli Pauli Præceptorem, a quo ad filium ſuum Simeonem alterum, a quo tandem ad Judam *Haccadoſh* ideſt Sanctum translata eſt lex oralis. Hic autem Judas ſui Populi diſſipationem per varias mundi partes cum intueretur, ne præcepta illa Seniorum diſperderentur in Sex Libros digeſſit diu jam poſt Chriſtum natum, in quibus ſiquidem libris ſexaginta tria Capita inſcripta ſunt, quæ id omne continent, quod Majorum traditio ad ea uſque tempora circa Religionem, & legem ad Hebraicam gentem tranſmiſerat: libri a Juda conſcripti *Miſchna* ab Judæis appellantur. Hillelis ſucceſſores uſque ad Judam Haccadosh; paulo aliter a Calmeto enarrantur in ſua diſſertatione de *Hebræorum ſcholiis:* verum cum hæc omnia Talmudiſtæ fabularum potius, quam Hiſtoriarum [illegible] ſuppeditent, eam fidem præbere poſſumus, quam merentur. (*W*)

bus Judicibus, ut volunt aliqui Rabbini, vel viginti & uno, ut alii. Tametsi referat Josephus in minoribus civitatibus præfuisse tantum septem Judices cum duobus Sacerdotibus: [a] *Oppidatim*, inquit, *præsint septem viri probatæ virtutis, & justitiæ cultores. Singulis Magistratibus attribuantur duo ministri de Tribu Levitica.* Hic enim non est audiendus Seldenus, [b] contendens ministros illos de Tribu Levitica, non fuisse revera Judices, *Neque enim*, inquit, ὑπηρέται *i. e. Ministri, ex numero Judicum unquam fuere; neque inter Judices seu Collegas ipsos, quantum ad potestatem judiciariam, dignitas ullatenus dispar. Nec sane videtur alios per Ministros illos binos innuisse Josephum, quam binos Scribas.* At ut apposite notat clarissimus Ferrandus, [c] in hoc lapsus est Seldenus, quod vim hujus vocis ὑπηρέται non attenderit. Quanquam enim vox ista apud Græcos, interdum inferiores, & ministros serviles significet; nihilominus plerumque æquales designat: unde Patres Græci, qui ante disseminatam Arrii impietatem & hæresim, de filio Dei scripserunt, eum dixerunt ὑπηρέτην, ut videre est apud Justinum martyrem, [d] Tatianum, [e] & Auctorem Constitutionum Apostolicarum. [f] Idem observabis apud Latinos, nam S. Irenæus [g] & Tertullianus [h] Verbum divinum & Spiritum Sanctum interdum Patris ministrum appellant. Tertullianus enim exponens hæc verba: *faciamus hominem, &c. Quia*, inquit, *jam adhærebat illi* (Deo Patri) *Filius secunda Persona sermo ipsius, & tertia, Spiritus in sermone; ideo pluraliter pronuntiavit*, FACIAMUS & NOSTRAM & NOBIS. *Cum quibus enim faciebat hominem, & quibus faciebat similem; Filio quidem, qui erat induiturus hominem, Spiritui vero, qui erat sanctificaturus hominem, quasi cum ministris & arbitris ex unitate Trinitatis loquebatur.* Ubi vides Filium & Spiritum Sanctum, tametsi ejusdem æqualitatis & essentiæ cum Patre; nihilominus appellari *Ministros*. Verum ubi serpere cæpit Arianum virus, hanc vocem rejecerunt SS. Patres, utpote Arianæ impietati favente.

VI. Notat insuper Maimonides, [i] Senatores supremi Consistorii, solitos sibi præficere sapientissimum omnium caput; *Ille*, inquit, *erat caput Synagogæ; illum Sapientes ubique Principem vocant; locum ille tenebat Mosis Doctoris nostri: maximum vero e Septuaginta secundum ab eo collocabant, sedebatque a dextra Principis, vocabaturque Pater Consistorii, & Caput Scholæ.* Porro inquit Auctor *Tzemach David*. i. e. seminis seu germinis David. [k] *Ejusmodi Princeps, erat Princeps Dei: non Princeps genere & prosapia; quales erant Principes Domus Davidis;* sed quia ea prærogativa ordinarie summo Judæorum Pontifici tribuebatur. Unde idem Auctor, [l] *Hebræis præfecti erant duo Principes, unus de stirpe David, alius ex familia Aaronica. Rex quippe*, inquit, [m] *belli gerendi Dominus erat, & Regni cura ad eum pertinebat; sed ea quæ ad Legem spectabant statuta atque judicia, ex præscripto summi Pontificis & Principis de stirpe David peragebantur.* Idem docet Rabbi Azarias ex Jedidæo Alexandrino: [n] *Tempore Salomonis*, inquit, *erant duo genera principatus super populum; Principum nempe e domo Davidis; & Sacerdotum e Tribu Levi: quilibet Principatus seorsim suam exercebat potestatem, usque ad tempora Assamonæorum.... Qui postmodum vendicaverunt sibi imperium domus Davidis cum Sacerdotio summo.*

Observat etiam idem Aben-Esra, [o] summi Pontificis personam tantæ fuisse dignitatis & auctoritatis; *ut æquipararetur universo Israeli.* Hinc addit, [p] ipsum cunctos judicaturum, a nemine debuisse judicari: *Decet*, inquit, *Summum Pontificem arguere populum, peccatorum quæ committit: at nemo est qui arguat ipsum Pontificem nisi ipsemet.* Unde tradit Maimonides, [q] summum Pontificem debuisse esse sapientissimum, doctissimum & ditissimum: *Constans esse*, inquit, *apud nos doctrina oportet, ut nullus Sacerdos ævo summi Pontificis, ipso summo Pontifice sit perfectior, sapientia, fide, decore, & divitiis, & fortitudine; ait Deus benedictus* Levit. XII. v. 10. *Et Sacerdos magnus præ fratribus suis, id est, secundum traditionem nostram, qui sit major decore, divitiis & sapientia. Quod si opibus careat, colligendæ sunt pecuniæ a Sacerdotibus, & illi conferendæ, ita ut ditissimus omnino fiat.*

Itaque summus Hebræorum Pontifex in supremo Consistorio, seu Senatu, plerumque gerebat personam Mosis & Aaronis, ex cujus præscripto approbantibus aliis Senatoribus, quæ ad Legem spectabant, statuta atque judicia, peragi ac definiri solebant. Hic autem supremus Senatus cum primo non esset certo loco addictus, in civitate Hierosolymitana, tanquam nobilissimo Hebraicæ Gentis emporio stabilis constitutus est, ut facilior ad eum pateret accessus & recursus, quoties aliquid in Lege dubium, aut in discernenda justitia difficile occurrebat, quemadmodum Moses [r] sanxerat his verbis. *Si difficile & ambiguum apud te judicium esse perspexeris, inter sanguinem & sanguinem, causam & causam, lepram & lepram, & judicum intra portas tuas videris verba variari: surge & ascende ad locum quem elegerit Dominus Deus tuus, veniesque ad Sacerdotes Levitici generis & ad judicem qui fuerit illo tempore; quæresque ab eis qui indicabunt tibi judicii veritatem.* Quibus Verbis tria designantur. *Primo* supremus Senatus, in aliquo determinato loco perseveranter statuendus: fuit autem prius in Silo, quandiu videlicet ibidem stetit Dei Arca & cultus publicus; deinde vero Hierosolymis constitit. *Secundo* quod in eo non solum Laici, sed & Sacerdotes revera judicis partes agebant. *Tertio* aperiuntur causæ ob quas licebat ad hunc supremum Senatum ab inferioribus Tribunalibus provocare.

VII. Hierosolymis autem non solum vigebat supremus Senatus, sed & duo alia inferiora erant Tribunalia viginti tribus judicibus constantia, ut docet Talmud, [s] Consistorii Septuaginta & unius, *inquit*, sedes

[a] *lib. 4. antiq. cap. 8. p. 122.*
[b] *lib. 2. de jur. hebr. p. 268.*
[c] *tom. 2. Reflect. p. 50.*
[d] *Dialogo adversus Triphon.*
[e] *Orat. contra Græc.*
[f] *lib. 5. cap. ult.*
[g] *lib. 4. adversus Hæres. cap. 17.*
[h] *adversus Praxeam, cap. 12.*
[i] *in Jad. Chasakad tract. Sanhedr. cap. 1.*
[k] *ad annum 500. millenarii quarti.*
[l] *ubi supra cap. 2. v. 2.*
[m] *ad ann. 728. millen. 4.*
[n] *in Meor. Enaiim. cap. 32.*
[o] *ad cap. Levit. v. 13.*
[p] *ad v. 14.*
[q] *ad cap. 1. Mischnæ tract. de die festo expiationis.*
[r] *Deuteron. 17.*
[s] *in lib. sanhedrim. cap. 10.*

„ erat in angusta Camera; e duobus vero „ Consistoriis viginti trium judicum, unius se- „ des erat ad portam montis templi; alterius „ vero sedes erat ad portam Atrii. Aliorum „ vero Consistoriorum, viginti trium vira- „ lium sedes erat in singulis Israelitici po- „ puli civitatibus. Si quis haberet aliquid, „ quod in quæstionem vocaretur, consu- „ lebat Consistorium suæ civitatis: quod si „ ea de re traditionem aliquam accepisset, „ edicebat quærentibus; sin secus, consule- „ batur Consistorium proximum; quod si „ traditionem aliquam ea de re accepisset, „ edicebat: sin secus, consulebatur Consisto- „ rium portæ montis templi; quod si ali- „ quid de ea re accepisset, edicebat quæ- „ rentibus; sin secus, adibant Consistorium „ portæ Atrii, dicentes; sic indagavi, & „ sic indagaverunt socii mei; sic didici, & „ sic didicerunt socii mei. Si traditionem „ hac de re accepissent, proferebant illis; „ sin secus, omnes illi consulebant Came- „ ram augustam, in qua sedebant judices a „ tempore sacrificii jugis matutini, usque „ ad tempus sacrificii jugis, quod fiebat in- „ ter duas vesperas. Diebus vero Sabbati „ & diebus festis sedebant in intermurali, „ sive in loco muro cincto inter montem „ templi & atrium mulierum; nimirum ob „ angustiam Cameræ augustæ quæ populi „ concursum capere non potuisset. Vel ad „ differentiam sessionis dierum festorum; & „ aliorum dierum, quibus jure licebat age- „ re. Ibi Consistorii magni judicibus propo- „ nebatur quæstio; de qua, si traditionem „ accepissent aliquam, pronuntiabant quæ- „ rentibus: sin secus, numerabant sententias: „ si plures essent, quibus res immunda vi- „ deretur, rem immundam esse pronuntia- „ bant; si plures essent quibus res munda „ videretur; rem mundam esse pronuntia- „ bant, &c. Hæc ex *Talmude*. (4)

VIII. Advertendum insuper Consistorium magnum non solum auctoritatem habuisse, acceptam a Patribus Legis oralis explicationem & sanctas traditiones inviolatas & incontaminatas conservandi; sed etiam novas constitutiones Ecclesiasticas sanciendi, quas omnes ex præcepto servare tenerentur, ut diserte explicat R. Moses, [a] scribens: *Sunt vero alia præcepta, quæ instituta sunt post traditam Legem; illa statuerunt Prophetæ & Sapientes, atque per universam Israel propagaverunt v. g. de lectione voluminis Esther, de lucerna Encæniorum, de Jejunio diei noni mensis Ab* (sive Julii,) *de commatione, & de manuum lotione, &c.*

[a] *in prolog. ad lad Chazakah.*

IX. Quanquam autem asserat Maimonides ista omnia esse a Prophetis & Consistorio sancita; certum est tamen nonnulla ex his a Scribis & Pharisæis contra Legis sinceritatem ac genuinum sensum esse invecta, ut apertissime constat de ipsa manuum lotione. Cum enim Scribæ & Pharisæi quererentur de Christi Domini Discipulis, quod contra traditiones Seniorum, [b] non lavabant manus cum panem manducarent, adorandus ille Salvator respondens, ait illis: *Quare & vos transgredimini mandatum Dei propter traditionem vestram: nam Deus dixit, Honora patrem & matrem; & qui maledixerit patri vel matri, morte moriatur: vos autem dicitis, munus quodcumque est ex me tibi proderit, & non honorificabit patrem suum, & matrem suam; & irritum feciſtis mandatum Dei propter traditionem vestram, &c.* De ejusmodi adulterinis traditionibus loquitur S. Augustinus, [c] ubi objurgat Legis adversarium, quod inanibus Judæorum fabulis crederet, & perversæ eorum explicationi Legis attenderet: *Nescit autem*, inquit, *habere præter Scripturas legitimas, & Propheticas, Judæos quasdam traditiones suas; quas non scriptas habent, sed memoriter tenent, & alter in alterum loquendo transfundit, quas* Deuterosim *vocant. Ubi etiam dicere audent credere, Deum primo homini duas creasse mulieres, ex quibus texunt genealogias, vere, sicut ait*

[b] *Matth. 15.*

[c] *lib. 2. cont. advers. legit. cap. 1.*

(4) Præter enarrata Judæorum Consistoria, alterum pariter tribus cumpositum Judicibus, quorum unus ab una, alter ab altera litigantium parte aliquando eligebatur, & a duobus istis assumebatur tertius, qui insimul congregati, partium auditis rationibus, & instantiis, circa negotia contractuum, venditionum, aliarumve hujus generis rerum, causa finiebatur, dempta qualibet appellandi fiducia. Simili modo parvum istud Synedrium Triumvirale lites finiebat de læsione, de damno, vel dimidio damni, idest an pro damni integritate rependendum sit, ut si homo, aut bos testato noxius damnum dent, an solum dimidium damni dati, ut si bos mansues damnum dederit. De restitutione etiam dupli, quadrupli, aut quintupli judicabat; de vi, & seductione, idest de Stupro per vim, & fraudem non desponsatæ illato; de diffamatione; de mensis, & anni intercalatione. Tandem etiam flagellationis decernendæ in reos Triumviris fuisse auctoritatem docet Hermannus Wistius Lib. 2. Miscellaneorum Sacrorum Dissert. III. ubi pariter monet Consistorium istud Triumvirale publica auctoritate fuisse institutum iis in Urbibus, quæ minus quam centum viginti habitatores, idest Capita familiarum continebant. Hoc autem Synedrium ad undenarium usque numerum augeri potuisse, si inter Triumviros dissensio opinionis nasceretur, & judicii animadvertit; ex Maimonide Sanhed. Cap. 11. his verbis nobis exhibet Wistius cujus indolis esse deberent Triumviri = „ In Judicibus Triumviralium Collegiorum quam- „ quam non usque adeo exacte omnia, quæ in su- „ periorum Consistorium Senioribus requiruntur, „ tamen ut septem illa in singulis adsint necesse „ est, nimirum I. Sapientia, II. Modestia, III. „ Timor. IV. Odium questus. V. Amor verita- „ tis. VI. ut ab omnibus amentur. VII. ut bene „ audiant = Idipsum ferme cum Wistio de Hebræorum Synedriis tradit Petrus Cunæus Lib. 1. de Republica Hebræorum Cap. 13. solum ex Maimonide adjungens aliquas inter Hebræos extitisse causas, quæ ad nullum ex istis Consistoriis, sed ad quemdam Senatorum numerum pertinebant. Eas autem causas a se prudente silentio præteriri scribit Cunæus ibidem. Parvum istud Triumvirale Synedrium inter Judæos, quod a Talmude in *Sanhedrin* indicatur, super extitisse postquam etiam duo alia Hebræorum Consistoria deleta a Gabinio Romano, & eorum vice quinque Tribunalia suprema instituta in Judæorum ditione, quorum unumquodque locum appellationis post suam sententiam nequaquam admittebat, eruditi Scriptores adfirmant. Ea vero Gabinii dispositio Judaici regiminis per Julium Cæsarem abrogata fuit, & pristina gubernii forma Hebræis juxta patrias leges restituta, ut Josephus Lib. 16. Antiquitatum Cap. 5. contestatur. De Hebræorum Synedrio agit uberius Frassen in altero Tomo Disquisitionum ubi de legibus cæremonialibus disserit. (*W*)

ait Apoſtolus, infinitas parientes infructuoſiſſimas quæſtiones &c. Hanc autem Judaicam fabulam ſcriptam habes in libro Ben-ſiræ, ubi duæ illæ Adami uxores recenſentur, prima quidem *Lilit*, ſecunda vero *Eva*. Priorem volunt e terra creatam, ex qua tradunt Adamum ad ſimilitudinem ſuam genuiſſe dæmones, totis illis centum & triginta annis, quibus eum a Deo excommunicatum fabulantur in Talmude Babylonico libro *Erubin* [a] id eſt de commixtionibus Similia his ludicra figmenta in Rabinorum Libris paſſim occurrunt,

[a] *cap.* 1.

§. II.

De Miſchna ſeu Traditionibus ſcriptis.

X. VAria iſta authenticæ Hebræorum traditionis depravatio in cauſa fuit, cur R. Jehuda (quem *Rabbinu Hakadoſch*, id eſt, *Magiſtrum noſtrum ſanctum* appellant) traditiones illas & Legis oralis expoſitiones a Doctoribus pietate ac ſapientia illuſtribus collegerit, & in unum volumen diſgeſſerit, quod inſcripſit *Miſchna*, id eſt, Legem ſecundam, ut notavimus in primo capite hujus operis. Quod utique præclarum opus auſpicatum tempore Antonini pii affirmat Auctor *Halicoth Olam*; Cæterum, „ *inquit*, a diebus Moſis, qui in pace quieſcit, qui Legem in monte Sinai, ore ad os, „ ab ipſo Deo accepit, uſque ad Doctorem „ noſtrum ſanctum (Jehudam) nullus liber „ de Lege Orali conſcriptus fuit. Hæc autem erat olim in Iſraele conſuetudo, & „ Lex: Sapientes alii ab aliis accipiebant, „ & viva voce diſcebant ſtatuta, quemadmodum tradita fuerant; verum licebat „ diſcipulis ſtatuta iſta ſignis quibuſdam notare; eaque ne oblivio in multis obreperet, conſcribere; quæ tamen occultabant, „ & librum occultorum vocabant. Hic mos „ obtinuit, donec Sacerdos cum Urim & „ Tummim adfuit, Deo ſuo miniſtrans, cum „ ſapientia & metu peccati. Is fuit doctor „ noſter ſanctus omnium integerrimus ...., „ cui Deus gratiam, & favorem Antonini „ conciliavit, &c.

„ Is cum Conſiſtorio ſuo, de conſenſu „ Sapientum, qui ejus tempore vivebant, „ librum Traditionum in Sinai acceptarum „ componere aggreſſus eſt, innixus illo Scri-

b *Pſal.* 119. v. 126. „ pturæ loco; [b] *Tempus eſt agendi Domino*. „ Itaque eos convocavit, ac congregavit, „ qui eo ſæculo traditionum erant peritiſſimi; „ adeo ut Sapientes omnes convenerint, „ ut Dei judicia edocerent. Unuſquiſque „ ergo in medium proferebat, quæ auditu „ acceperat ſerie traditionis ſucceſſivæ, ad „ Moſem uſque Doctorem noſtrum eximium, „ qui in pace quieſcit deducta. Sic Doctor „ noſter ſanctus traditiones omnes conſcripſit, eas maxime, in quibus Sapientes „ diſſentiebant, ſingulis Auctoribus ſuo loco nominatis. Ex his omnibus compoſuit „ librum Miſchnæ Legis ſermone conciſo, „ puroque idiomate. *Hæc ille*. Auctor vero *Tzemach David*, facit R. Jehudam æqualem trium Imperatorum, nempe Cæſaris „ Antonini, Marci Antonini, & Commodi.

„ XI. Variant ſimiliter Judæi in aſſignando determinato tempore, quo abſoluta & obſignata fuerit Miſchnæ conſcriptio. Sunt enim qui hunc librum antiquiſſimum & Chriſto D. anteriorem exiſtiment, ut videre eſt apud Auctorem *Tzemach David* [c] & *Coſri*, circa finem tractatus tertii. Alii vero eum referunt in annum Chriſti 219. Verum, ut apprime notat Morinus, [d] tribus ſæculis Miſchnæ compoſitionem, adhuc poſteriorem eſſe, probabiliſſimum fit, ex eo quod, nec Origenes, nec S. Epiphanius, nec S. Hieronymus hujus libri aut Auctoris mentionem faciant. Cum tamen hic liber celebratiſſimus eſſet apud Judæos; &, inquit Abrabanel, [e] *Omnis qui poſt gloriоſam iſtam compoſitionem venit, non alio animum & vires ſuas adhibuit, quam ut intelligeret verba Miſchnæ unuſquiſque juxta ſapientiam ſuam, &c.* Unde apud Judæos omnes, hoc opus ita publicum fuit, ut in omnibus eorum ſcholis publice doceretur, & libris undique ſcriptis explicaretur; ut refert R. Samuel, [f] ipſius Hakadoſch Auctoris Miſchnæ diſcipulus: *Samuel parvus (diſcipulus) dixit: Filius quinque annorum, ad Scripturam, filius decem annorum ad Miſchnam: filius tredecim ad præceptum: filius quindecim ad Talmud.*

c *ad ann.* 978. *milen.* 4.

d *lib.* 2. *Exercit.* 6. *cap.* 2.

e *in Pirke-Aboth.*

f *cap.* 5. *libri inſcripti* Capita Patrum.

XII. Quis autem credat Origenem, qui tot Judæos de rebus Judaicis conſuluit, & de eorum traditionibus toties verba fecit; nuſquam hujus libri, apud Judæos celebratiſſimi, in quo præcipuæ eorum traditiones exarantur, mentionem feciſſe; præcipue *lib.* IV. *Periarchon cap.* 2. ubi cum de traditionibus Judaicis plurimum diſſerat, opportunam nactus erat anſam Miſchnæ memoriam faciendi. Quis in animum inducet S. Epiphanium origine Judæum, & Judaica doctrina in primis imbutum, ſæpe de Judæorum traditionibus diſputantem, nullibi tamen, nequidem Miſchnæ nomen commemorare. Recenſet *Hæreſi* 42. tria Judaicarum traditionum genera. *Primum* a Davidis cognomine, quæ poſt ſolutam captivitatem Babylonicam cæpit, *Secundum* ab Akibæ, quæ ante Babylonicam captivitatem initium habuit, *Tertium* ab Haſſamonæis, quæ ante Chriſtum 190 annis cœpit. *Hæreſi* autem 33. quatuor illarum Judaicarum traditionum genera recenſet. *Primum* quod nomine Moſis circumfertur. *Secundum* quod Akibæ. *Tertium* Adæ ſeu Judæ. *Quartum* ad Aſſamonæi filios referetur. Nullibi tamen Miſchnæ meminit; quod certe fieri non potuit, ſi tum liber ille fuiſſet in rerum natura. Idem colligitur ex ſilentio S. Hieronymi

nymi, qui licet ſæpius de Auctoribus librorum Judaicorum mentionem faciat & toties ad Judæos celeberrimos confugerit, ut eas ediſceret, atque tot annis in Judæa, & Syria, ea potiſſimum de cauſa moram duxerit, perpetuo tamen hunc Auctorem & librum ſilentio involvit. Quis autem credat librum, Judæis omnibus, pueris & infantibus notiſſimum, S. Hieronymum rerum Judaicarum tam avidum indagatorem latuiſſe?

Neque obſtat quæ ſcribit ad Algaſiam: *Quantæ traditiones*, inquit, [a] *Phariſæorum ſint, quas hodie vocant* δευτερώσεις; *& quam aniles fabulæ, evoluere nequeo. Neque enim libri patitur magnitudo, & pleraque tam turpia ſunt, ut erubeſcam dicere, &c.* Hæc, inquam, non officiunt: ſiquidem nomine δευτερώσεις, non intelligit Miſchnam, quam Judæi ſecundam Legem appellant, ſed forte aliquam collectionem Traditionum, qualem fatentur Judæi, Doctorum ſuorum clariſſimorum unumquemque ante librum Miſchnæ penes ſe habuiſſe. Qui enim fieri potuit, ut ipſe Hieronymus, Auctoris & libri diſtinctiſſimi, & ordinatiſſimi, qualis eſt Miſchna, expreſſe non meminerit?

Ex his itaque probabiliſſimum fit, librum iſtum Miſchnæ, ante annum a Chriſto nato quadringenteſimum completum, Orbi non innotuiſſe. Idem diſerte confirmat S. Auguſtinus paulo ante laudatus: [b] *Neſcit*, inquit, *habere præter Scripturas legitimas & Prophéticas, Judæos quaſdam traditiones ſuas, quas non ſcriptas habent, ſed memoriter tenent, & alter in alterum loquendo tranſfundit, quam* δευτερώσιν *vocant. Ubi etiam dicere audent & credere Deum primo homini duas creaſſe mulieres, ex quibus texunt genealogias, vere, ſicut ait Apoſtolus, infinitas, &c.* ubi aperte negat Judæos traditiones ſuas ſcripſiſſe. Qui autem fieri poteſt ut hoc negaverit Auguſtinus, ſi ducentis ante ipſum annis, liber ille omnes traditiones complectens, verſabatur in omnium Judæorum, etiam puerorum manibus, nedum Doctorum? (5)

XIII. Obſervandum inſuper ex Maimonide, [c] univerſam Miſchnam quintuplici conſtare traditionum genere. *Primo* quidem referuntur explicationes divinæ Legis ab ipſo Moſe divinitus edocto acceptæ, quæ facile deduci & inferri poſſunt ex ipſamet Scriptura, & de quibus fieri non poteſt ulla diſceptatio. *In ſecundo ordine* continentur conſtitutiones, quæ vulgo appellantur conſtitutiones Moſis e Sinai; de quibus etiam moveri non poteſt controverſia. *In tertio genere* comprehenduntur conſtitutiones, quæ conjecturis & argumento a pari, ex Scriptura eliciuntur. De his autem fieri poteſt inter Sapientes diſceptatio; nihil enim circa eas expreſſe conſtituit Moſes, ſed præcepit conſulendos eſſe Judices, Sacerdotes, & Levitas illius temporis. *In quarto ordine* referuntur decreta, quæ Sapientes ſuo ſæculo ſtatuerunt, ut Legem explicarent, ne quiſque pro libito legitimum illius ſenſum in adverſariam ſententiam detorquere poſſit. *Quinto denique* continentur conſuetudines & conſtitutiones communi populi ac Sapientum conſenſu, longoque ac diuturno temporum uſu approbatæ. Cujus rei exemplum profert Jacobus de Voiſin, petitum ex anno Jubilæi, in cujus initio, Lex equidem jubet redire ad ſua bona immobilia, quod cum vix fieret, inſtante namque Jubilæo, divites recuſabant juvare pauperes ſuis pecuniis; idcirco ſtatuit Hillel, ut pauperes in manum magiſtratus bona ſua conſignarent, ut ita non amplius diviti cum paupere, ſed cum magiſtratu res eſſet, quod utique approbatum eſt communi conſenſu.

Ex hoc autem quintuplici conſtitutionum genere, Rabbinu Hakadoſch ſex in Miſchna partes confecit, ut notat Auctor Tzemach
„ David, [d] ſcribens; Rabbi Jehudah Prin- [d] *ad annum*
„ ceps, collegit & diſgeſſit omnia dicta Sa- 978 *mille-*
„ pientum, prout quiſque ſibi conſcripſe- *narii* 4.
„ rat, ex iis quæ didicerat a Conſiſtorio
„ ſuo unoquoque ſæculo a temporibus Se-
„ niorum, & Prophetarum, & virorum
„ Synagogæ magnæ, & Sapientum Mi-
„ ſchnæ, uſque ad ſuum tempus, atque
„ ex iis ſex partes compoſuit. 1. *Zeraim*, ſive de ſeminibus. 2. *Moed*, ſive de feſtis. 3. *Naſchim*, ſive de mulieribus. 4. *Nezichin*, ſive de damnis. 5. *Kodaſchim*, ſive de ſanctificationibus. 6. *Thaborot*, ſive de purificationibus. Unamquamque vero partem diviſit in *Meciltot*, id eſt tractatus, ſive libros; ſingulos vero tractatus, ſive libros in capita, ſive in diſtinctiones: in *Halicoth*, ſive in paragraphos, ut docet R. Moſes Maimonides in citata præfatione. Qui ſpecialem horum omnium tractatuum & capitum notitiam habere deſiderat, conſulat Galatinum noſtrum, [e] nec non & J. Voiſin [f] præcipue vero Buxtorfium. [g]

(5) Si vera eſſet, quam nobis Talmudiſtæ ſuppeditant legis oralis ſucceſſiva translatio, a Hillele uſque ad Judam *Haccadoſh*, quam & nos in Nota [3] præcedenti recenſuimus, nequaquam Miſchnæ opus ad finem quarti ſæculi poſt Chriſtum differri poſſe videretur, cum præſertim Hieronymus etiam, ad Aglaſiam Quæſt. 10. voluminis meminerit, & quidem ingentis, in quo δευτερώσεις, nempe ſecunda Lex, ſive traditiones inſcriptæ erant. Quamquam autem Sapientum Hebræorum diſcipuli aliqua ſtatuta, ne oblivioni traderentur, conſcriberent, hujuſcemodi ſcripta palam minime faciebant, ut auctor *Halicoth Olam* adfirmat, unde ad Hieronymi manus pervenire nequaquam poterant: primus autem omnium liber, in quo traditiones Hebraicæ continebantur, qui publici quodam modo juris ſit habitus Miſchna fuit, ut Rabbini aſſeverant; hoc autem circa ſecundi Sæculi dimidium poſt Chriſtum contigiſſe viſum eſt Prideauxio Lib. 5. hiſtoriæ Judæorum Part. 1. Cum vero innumeris ſtatim Commentariis liber ille ſit auctus, innumeriſque fabellis contaminatus, potuit Hieronymus volumen ingens hujus generis offendere, illudque ad Aglaſiam recenſere; quin librum Miſchnæ ſolius aut viderit, aut commemorare libuerit. (W)

[a] *quæſt. 10. Epiſt. ad Alg.*

[b] *lib. 1. cap. 1. cont. adverſ. Legis & Proph.*

[c] *Præf. in Miſchnaiot.*

[e] *lib. 1. cap. 5.*

[f] *lib. de Lege divi. cap. 5.*

[g] *in Bibliotheca Rabbin.*

§. III.

De præcipuis Commentariis & Interpretationibus Miſchnæ, ſeu Traditionum Scripturarum, Moſis Legem explicantium.

XIV. POſt abſolutum Miſchnæ opus, plurima in ejus elucidationem ſequentibus temporibus a diverſis Rabbinis conſcripta ſunt Commentaria, quorum aliqua dicta ſunt תוספתות *Toſiphtot*, ſive ſupplementa. Nam ut obſervat Maimonides: [a] *Viſum eſt*, inquit, *ex diſcipulis (Rabbi Hakadoſch) qui vocatur R. Chaiab, componere librum inſiſtendo veſtigiis magiſtri ſui, in quo exponeret quod perplexum eſt in verbis ejus, hoc eſt Toſiphta, id eſt ſupplementum continens expoſitionem Miſchnæ.*

[a] *in præf. ſua ad Miſchnaioth.*

Barietot. Alia Commentaria dicta ſunt ברייתות *Barjetot*, id eſt, conſtitutiones extra Miſchnam, quarum Auctores tres commemorantur, nempe R. Chaijam, R. Oſaias, & R. Simeon. Oſaias inſuper compoſuit *Bereſchit Rabab*; id eſt, *Commentarium in Geneſim*; hi tres Meciltot. inſuper compoſuerunt *Meciltot*, ſive *Pandectas*. R. Rab edidit librum, ſeu commentarium in Leviticum, quem appellavit *Siphra*, qui etiam vocari ſolet *Torat Cohanim*, id eſt, *Lex Sacerdotum*, quem cum imperfectum reliquiſſet, eum abſolvit R. Jehuda filius Eliæi. Similiter R. Simeon Siphra & Siphre. filius Jochai compoſuit *Siphre* ſeu *Commentarium in librum Numerorum*, & *Deuteronomii*, quem abſolvit R. Iſmael: quanquam libri *Siphra* & *Siphre*, ab aliquibus auctor exiſtimetur Rab, ut refert auctor Tzemach David, [b] ubi addit ſe vidiſſe etiam libros dictos *Mecilta*, editos a R. filio Oſei & a Rabbi Iſmaele, ſeu commentaria quædam in partem Pentateuchi, maxime ab Exodo, uſque ad finem Legis.

[b] *ann. 979. millen. 4.*

XV. Præ cæteris autem Commentariis & interpretationibus Miſchnæ, apud Judæos eminet Talmud Hieroſolymitanum, quod, inquit Galatinus, [c] doctrina eſt, ſive diſciplinatio, commentaria omnia ac ſtatuta Hebræorum complectens: dicitur enim Talmud a radice למד *Lamad*, i. e. *docere*, quia ſcilicet in eo libro continentur præcipua capita diſciplinæ & doctrinæ Judæorum, & quidquid apud ipſos eſt juris divini vel humani. Quo tempore compoſitum fuerit, non convenit inter Auctores Hebræos: nam Maimonides vult illud editum fuiſſe 300. circiter annis, poſt excidium templi, & Judæorum cladem; hoc eſt, circa annum Chriſti 372. Auctor vero Tzemach David, affirmat illud fuiſſe compoſitum ducentis novem annis poſt vaſtationem templi; refert enim R. Johannam, quem hujus Talmudis Auctorem faciunt, anno 210. e vivis exceſſiſſe.

[c] *lib. 1. cap. 5.*

Verum neutra ſententia probabilis videtur. Nam ſi liber Miſchnæ, cujus Talmud eſt explicatio, non-niſi poſt annum a Chriſto 400. extitit, multo minus ipſius Commentarium. *Accedit* quod de ipſo Talmude altum ſit ſilentium apud S. Epiphanium natione Judæum, & S. Hieronymum in Judæa commorantem, & in perquirendis Judæorum libris avidiſſimum; ſignum eſt ergo hunc librum eorum ætate nondum extitiſſe: maxime cum S. Hieronymus, ſumma diligentia, ſummoque pretio, plures ad ſe Rabbinos accerſeret, ut ab eis Hebraicam linguam, & Rabbinica arcana doceretur; ne verbulum autem fecit R. Johanna Talmudis Auctoris, quem ſcholarum principem terræ Iſraelis, annis 80. extitiſſe affirmat R. Ghedalias. [d] Oportet ergo Johannam ipſum, Talmudis Auctorem, S. Hieronymi ætate inferiorem eſſe. *Denique* in eo fit mentio Turcarum, & Muhammedanorum, quorum nomen Orbi innotuit tantum circa annum Chriſti 600. eo videlicet tempore, quo cum Imperatoribus Chriſtianis atrociſſima bella geſſerunt. (6)

[d] *in Tract. Khiduſchin. cap. 1.*

Eadem ferenda ſententia de Talmude Babylonico, cujus Auctorem faciunt R. Aſe; quanquam enim Maimonides [e] aſſerat illud editum fuiſſe, anno 400. poſt domus ſecundæ vaſtationem, hoc eſt, circa annum Chriſti 472. Nihilominus non videtur hoc opus abſolutum, niſi circa annum Chriſti 700. In eo namque narrantur plurium Rabbinorum in Arabiam peregrinationes ſtudiorum cauſa, quæ circa hæc tempora duntaxat fieri potuerunt, dum videlicet devictis Perſis, & occupata Palæſtina, Turcarum imperii florentiſſimi in Arabia ſedes erat. Prius enim Iſmaelitæ, ſeu Turcæ ibi degentes, barbari erant omnibus infeſti, ad quos migrandi nulla erat occaſio, ſed fugiendi multiplex. Hujus Talmudis Auctor dicitur R. Aſe, qui, ut refert Ghedalias, cum annos ſexaginta impendiſſet in explicanda Miſchna, tandem ſe totum dedit, in colligendis virorum Sapientum in Miſchnam interpretationibus, quas cum interveniente morte, abſolvere non potuiſſet, annis poſt ejus obitum 73.

[e] *Præfat. in lad. Kajacha.*

R. Jeſe

(6) Qui Librum Miſchnæ circa dimidium Sæculi ſecundi poſt Chriſtum exaratum tuentur, Talmud nonniſi ad annum tercenteſimum protrahunt. Talmud etenim nihil eſt aliud quam doctrinale corpus collectum ex variis Judaicæ Sapientiæ Magiſtrorum Sententiis, & a textu a quo deductæ ſunt: brevi calamo. Miſchna eſt textus, commentaria in textum dicuntur *Gemara*, ideſt *Supplementum*, textus autem ſimul cum Gemara *Talmud* conſtituunt. Hujus itaque voluminis editionem circa annum Chriſti tercenteſimum factam, & non ſerius arbitrantur eruditi quamplures ex Modernionibus etiam; quandoquidem in Miſchna, & Talmude Hieroſolymitano phraſes, Stylus, expreſſiones, & voces Judaicæ inveniuntur quammaxime affines phraſibus, & Stylo, qui Chriſti Domini ætate apud Hebræos in Palæſtina invaleſcebant. (W)

R. Jeſe opus iſtud abſolvit profereus explicationes in ſingulas Miſchnæ partes.

Unde hoc Talmud, ſicut & Miſchna, cujus eſt commentarius & explicatio, dividitur in ſex principales partes, quæ complectuntur libros ſeu tractatus 60. capita autem 532. in quibus, ait Galatinus [a] loco ſupra laudato, multæ ac pene infinitæ inveniuntur *Ghemaroth*, id eſt, concluſiones traditæ, innumerabilia fere de Meſſia, ac noſtræ fidei admodum conſentanea arcana continentes, per multa annorum curricula, longe antequam Talmud confectum eſſet, a priſcis Judæorum traditæ atque conſcriptæ, &c.

[a] *lib. 1. de Arcanis cap. 5*

Leviori tamen ductus fundamento mihi videtur Galatinus iſta ſcripſiſſe. Siquidem Talmud horrendis ubique ſcatet blaſphemiis adverſus Deum, maxime in adorandum Chriſtum Dominum Jeſum, nec non & impietatibus in SS. Patriarchas, imo & in ipſam Moſis Legem, quarum capita exſcripta habet Sixtus Senenſis, [b] puta quod adorandus Salvator, de adultera ac polluta natus fuerit, ac magus & Idololatra Legiſque ſubverſor extiterit, & tandem ſua ob ſcelera ſit merito ſuſpenſus, &c. Nec juvat reponere cum Galatino, ea non recitari de adorando Chriſto Domino, ſed de quodam Jeſu Nazaretho diſcipulo R. Jehoſuas, filii Perahiæ, qui a magiſtro propter impudentiam rejectus, in horrenda poſtmodum crimina lapſus eſt. Enimvero iſta quæ ex Seder-holam colligit Galatinus, non excuſant execrandas illas blaſphemias, quas revera non in alium, quam in adorandum Salvatorem congerunt impiiſſimi Talmudiſtæ.

[b] *lib. 2. Biblioth. titul. Talmud.*

Saltem excuſare non poteſt, quæ iſti nebulones in Deum blaſphemant, cum ajunt [c], Deum ante Mundi creationem, ne otio torpeſceret, ſe exercuiſſe in extruendis variis mundis, quos ſtatim deſtruebat, donec didiciſſet hunc mundum facere. *Similiter* [d] Deum tres horas primas diei inſumere in ornatu & Lectione Legis Judaicæ. *Item*, [e] quoties Deus reminiſcitur calamitates quas Judæis inflixit, ſummopere dolere, & large lacrymari. Horret animus, manuſque refugit ſcribere alias blaſphemias & impiiſſima figmenta, quæ in longum exſcripſit Sixtus Senenſis loco ſupra memorato. His tamen blaſphemiis caret Talmud typis Venetiis excuſum, utpote ex mandato ſummi Pontificis expurgatum; ſed iiſdem adhuc fœdatur, iſtud quod vulgo Cracovianum appellant. Talmudis enim Editiones extant tres: prima excuſa eſt Venetiis a Daniele Bombergo, charta elegantiſſima & characteribus nitidiſſimis. Secunda prodiit Baſileæ, ab Ambroſio Frobenio, anno MDXXXVIII. in hac Editione exſecta ſunt opera Marci Marini ea, quæ contrâ Chriſtum & Chriſtianos erant dicta, & hujus rei cauſa quoque integer omiſſus tractatus, qui *Avoda Zara* appellatur, hoc eſt, *de Idololatria*. E contra habet hæc Editio hoc præ Editione Veneta, quod libri & capita locorum Scripturæ, in Talmud allegatorum, in margine ſunt adſcripti; quod magnum præſtat in legendo Compendium. Quod ſi etiam

[c] *ordine 1. tract. 4. diſt. 3.*

[d] *ord. 2. tract. 1. diſt. 14.*

[e] *ord. 2. diſt. 15.*

locus idem vel materia eadem, in Talmud alioqui quoque extet, loca illa parallela iterum ad marginem ſunt appoſita. Tertia prodiit Cracoviæ, ante non ita multos annos. In hac Editione ſunt reſtituta ea, quæ in Baſileenſi exemplari expuncta.

XVI. Hoc etiam Talmudis nomine appellare ſolent גמרא *Gemaram*, id eſt, *complementum* (Miſchnæ nimirum:) nam, inquit R. Iſmael, *expoſitio Miſchnæ eſt Gemara*. Unde ſæpiſſime nomen *Talmud* uſurpatur pro ipſa *Gemara*. Hujus autem operis argumentum breviter, ſed egregie explicat „ R. Moſes [f]: Unus, *inquit*, extitit Rab „ Aſe qui componeret Gemaram; viditque „ eodem modo ſibi eſſe tractanda verba eo„ rum omnium, qui floruerunt poſt Rab„ binu Hakadoſch, quemadmodum ipſe Rab„ binu Hakadoſch tractat verba eorum o„ mnium, qui poſt Moyſem extitere. Com„ plexus eſt itaque omnia verba Oratorum; „ omnem intelligentiam intelligentium; ex„ poſitionem Interpretum, & ſubtilitates „ deciſionum: collegit ea, digeſſitque omnia „ ſecundum ſapientiam ſuam, & ſecundum „ facultatem ſinceræ animæ, & gloriæ ſa„ pientiæ, quam a Deo benedicto accepe„ rat: ſicque compoſuit Gemaram. Atque „ in hoc quatuor ſibi propoſuit. *Primum* ex„ ponere Miſchnam, & ea omnia quæ ad „ eam pertinent, &c. *Secundum* decidere „ quæſtiones juris, juxta ſententiam unius „ e duobus diſceptantibus, qui inter ſe diſ„ ſentiunt, circa verba Miſchnæ, aut ex„ poſitionis ejus, aut circa nova ejus ſuppleſ„ menta & appendices. *Tertium* proponere „ novas conſtitutiones, quas Sapientes uno „ quiſque ſæculo e Miſchna deſumpſerunt: „ tum aperire fundamentum, & argumenta, „ quibus doctrinam ſuam fulciunt Tanaim „ Doctores Miſchnæ; ita ut juxta verba eo„ rum ordinentur, quæcunque ordinantur, „ decreta & ſtatuta, edita poſt Rabbinu Ha„ kadoſch, ad hunc uſque Auctorem. *Quar„ tum* referre *Deraſchot*, i. e. allegorias, & „ interpretationes Scripturæ, prout unicui„ que capiti conveniunt.

[f] *in præf. ſua in Miſchnaiot.*

Sunt præterea plures aliæ Legis explicationes, vulgo dictæ *Rabboth*, id eſt *Commentarii myſtici*, quæ nomina ſortiuntur a nominibus, ſeu primis vocabulis uniuſcujuſque libri Legis: ſic quia liber Geneſis a Judæis dicitur *Bereſchit*, a prima illius dictione; ideo commentarius in hunc primum librum vocatur *Bereſchit Rabba*: Commentarius in Exodum, *Schemoth Rabba*; aut integre *Veelle-Schemoth Rabba*, & ſic de cæteris. Horum autem commentariorum Auctorem Abraham Levita facit Rabbi Bar-Nachman.

XVII. Eſt pariter apud eos celeberrimus commentarius vulgo זהר *Zohar* id eſt, *ſplendor* inſcriptus, qui cæteris Judaicis commentariis longe diſſimilis eſt. Alia namque omnia textum Scripturæ allegorice, anagogice & moraliter interpretantur: id eſt, ad Synagogam præſentem, vel antiquam, vel ſub Meſſia (ut putant) futuram Scripturæ verba detorquent, eaque paſſim variis fabularum, & miracu-

rum figmentis ac portentis exornant. At *liber Zohar* aliam prorſus init interpretandi rationem: non modo enim verba; ſed etiam textus literas varie copulat, finem principio, principium fine, utrumque medio permutat. Inſuper (inquit Morinus [a]) figuras & apices, non modo literarum, ſed & punctorum ſuperne & inferne penſitat. *Deinde* hæc omnia cum decem attributis Dei, quæ *Sephiroth* vocari ſolent (beneficio philoſophiæ Platonicæ, atque etiam Peripateticæ) varie comparat. *Denique* dictiones Ghematrias, ſeu arithmeticum numerum anxie ſcrutatur, ut inde myſteria (ut putat, ſed revera pueriles nugas, & Rabinica figmenta) eliciat.

[a] *cap. 4.*

Auctorem hujus libri, Judæi nonnulli faciunt Simeonem filium Jochaim Rabbi Achibæ diſcipulum, quem Talmudici in tractatu de Sabbato [b] fabulantur, Cæſaris minas timentem, circa annum Chriſti 135. in ſpeluncam fugiſſe; atque in ea duodecim annis habitaſſe; ibique divinitus ſuſtentatum, *librum Zohar* compoſuiſſe, & tandem ab Helia de morte Cæſaris admonitum, e ſpelunca egreſſum, varios diſcipulos habuiſſe & docuiſſe.

[b] *cap. 2.*

At hunc Librum non eſſe tantæ antiquitatis quantam ei affingunt Judæi, ſupra demonſtravimus *Cap. 8. Lib. 1.*; iſtudque diſerte teſtatur R. Ghedalias, [c] ſcribit enim anno „ veluti quinquies milleſimo quinquageſimo, „ (Chriſti 1290.) ſodalitates quædam homi- „ num extiterunt, dicentium Zoharis ver- „ ba, quæ dialecto Hieroſolymitana erant „ ſcripta, eſſe Simeonis Ben-Jochai, ſed non „ quæ ſcripta erant lingua ſancta. Non- „ nulli dicunt R. Moſen filium Nachmanis „ iſtum librum inveniſſe in terra Iſraelis, „ & eum miſiſſe in Cataloniam, & poſt- „ modum in Aragoniam, & incidiſſe in ma- „ nus R. Moſis de Leon. Nonnulli ulterius „ dicunt, quod dictus R. Moſes de Leon, „ ſapiens erat & doctus, quodque fecit iſtas „ interpretationes ex ingenio ſuo; atque ex „ eo, quod multam accipiebat ex illis mer- „ cedem a Sapientibus, vendebat illis, & „ ſubſcribebat nomen R. Simeonis Ben-Jo- „ chai, ſodalitiique ejus. Hoc autem quia pauper erat, & multis afflictionibus preſſus. Per ſodalitium iſtud intelligit Ghedalias Rabinos Simeoni coætaneos, qui inter ſe, & cum Simeone introducuntur in Zohar colloquentes.

[c] *fol. 31. & 32.*

Ex his Ghedaliæ verbis, duo occurrunt maxime notatu digna. *Primum* Judaicorum librorum poſt Eſdram, celebriores Auctores plerumque viles ac ſordidos homines fuiſſe, & maxima ex parte, Cerdones, Calcearios, Sartores, Veſpillones, Mercatores, & alios hujuſmodi infimarum artium opifices; quod inſuper declarat ipſemet Ghedalias, [d] ubi ſcribit; *R. Jochanam ſutor faciebat calceos, & erat magnus, ſapiens, &c.* & fol. 32. *Hoc ſæculo vixerunt Eſais & Bar-Caphro, qui compoſuerunt Barbajethoth ad explicandam Miſchnam. Legi autem in libro* JUCHASIN, *quod Eſaias & R. Chenana faciebant calceos pro meretricibus.* Porro hi Rabbini habentur ab eis, poſt Judam ſanctum, Rabbinorum omnium ſapientiſſimi. Ibidem obſervat Ghedalias R. Jochanam filium Jacchæi mercaturam exercuiſſe annis IV. & totidem annis Legem didiciſſe, ac Judæis præfuiſſe. Ut inde mirari deſinat Lector, quod libri Judaici, tot monſtruoſis hiſtoriarum portentis, deliriis, ac fabellis, undique referti videantur; quid enim aliud ſperandum eſſet ex mercenariis & viliſſimis opificibus, qui in artibus ſordidis verſantur? Aliud quod occurrit notandum, eſt, Judaicorum librorum Auctores, plerumque turpis lucri gratia, varios confeciſſe libros, quos ut Paganis aut Chriſtianis rerum antiquarum incautis indagatoribus majori pretio venderent, celebriorum e Majoribus ſuis hominum, nomina inſcripſerunt; ut hac ludificatione decepti, umbram pro corpore, & mendacium ſub veritatis larva complecterentur.

[d] *fol. 29.*

§. IV.

De Maſſora & Maſſorethis.

XVIII. QUandoquidem de Judaicis in Scripturam ſacram Obſervationibus & Commentariis, ſermonem inſtituimus, operæ pretium eſt, antequam ad Editiones exteras progrediamur, hic nonnulla de *Maſſora* & *Maſſorethis Hebræis* prælibare. Eſt autem *Maſſora* vox Hebræa, quæ diverſimode ſcribitur, nempe מסורת *Maſſoreth* vel etiam מסורה *Maſſora*, habet tamen eundem ſenſum, ſignificat quippe traditionem, vel manualem, vel oralem, derivaturque a radice מסר *Maßar*: id eſt, *tradidit*: unde Elias Levita [e] ſcribit: *In genere verbum* מסר, *dicitur de re quam homo tradit, ſive committit in manum alterius, ut eam pro libitu recipiat in poteſtatem ſuam.*

[e] *præfat. 1.*

Hic autem a nobis uſurpatur pro doctrina Hebræorum critica, qua Scripturæ ſacræ verſus, voces, litteræ ſingulæ numeratæ, omniſque earum varietas notata, ut conſtans & genuina ejus lectio conſervetur, & ab omni mutatione aut corruptione æternum præſervetur & præmuniatur. Hinc ex Hebræorum mente, definiri poteſt: *Maſſora eſt doctrina critica, circa rectam lectionem & ſcriptionem vocum quoad litteras, vocales & accentus.*

Unde Maſſora occupatur præſertim circa notationem I. Litterarum. II. Vocum. III. Punctorum vocalium & accentuum. IV. Verſuum, quot videlicet & quales, ac quo ordine diſpoſiti in univerſa Scriptura ſacra inveniantur.

Quantum ad litteras conſonantes attinet, in eis obſervarunt quæ ſit earum quantitas, quis ſitus, quis numerus, *Circa quanti-*

ta-

titatem notarunt quænam in textu reliquis majores sint, quæ minores, quæ suspensæ, aut inversæ aut extraordinarie punctatæ, aut mediæ in quolibet libro. Ex quibus omnibus singularia quædam mysteria Judæi depromunt, ut observat Claudius Buxtorfius; „ Non est dubium, *inquit*, quin pri„ scis illis Sapientibus causæ hujus diversi„ tatis dignæ & justæ fuerint, sed quas „ exilia varia, & calamitates gravissimæ „ posterorum, vel oblivione deleverunt, vel „ in commenta varia & inania mysteria „ fere converterunt. In genere tamen illa „ talia monuerunt, ad majorem & accu„ratiorem præsentis rei considerationem, „ & arcanum quemdam sensum, cujus no„ titia orali traditione propagata inter pri„ scos illos fuit, donec scholæ eversæ & „ Doctores fugati, districti & penitus tan„ dem sublati fuerunt, ut sic ista doctrina „ scripto non comprehensa tota fere inter„ ciderit. Figuræ tamen istæ diversæ con„ servatæ fuerunt, seu priscæ sapientiæ ex„ terna monumenta & testimonia, *Hæc ille*. Verum quidquid Antiquiores de his judicaverint, certe mysteria, quæ a posterioribus Massoretis inde eruuntur, mera somnia sunt, & vana commenta; nequaquam a Scriptoribus sacris intenta & excogitata.

Circa situm, observarunt litteras *Mem* & *Nun* in quibusdam locis irregulariter scribi: scilicet *Mem* clausum in medio dictionis Es. IX. v. 7. לרבה. & *Mem* apertum in fine Neh. II. 13. *Nun* etiam medium scribitur in fine vocis Job XXXVIII. v. 1, & in quibusdam libris *Keri* marginale monet legendum, cum *Nun* finali ן. Observarunt insuper litteram mediam cujusque libri: sic Levit. XI. v. 42. dicunt litteram ו *Vau*, in voce גחון esse mediam litteram Legis. *Numerant etiam* quoties singulæ alphabeti literæ in veteri Testamento reperiantur. Unde carum hanc supputationem ordinavit Saadias Gaon, qui Babylone floruit, post annum Christi 900. & vetus Testamentum ex Hebræo in Arabicum transtulit, cujus est hoc præsens schema:

א	Aleph	42377.	ב	Beth	38218.	ג	Gimel 29537.
ד	Daleth	32530.	ה	He	47557.	ו	Vau 76922.
ז	Zain	22867.	ח	Keth	23447.	ט	Teth 11052.
י	Jod	66420.	כ	Caph	48253.	ל	Lamed 41517.
מ	Mem	77778.	נ	Nun	41696.	ס	Samech 13580.
ע	Aghain	20175.	פ	Pe	22725.	צ	Tzade 21822.
ק	Coph	22972.	ר	Resch	22147.	ש	Schin 32148.
			ת	Tau	59343.		

Circa *Voces*, quinque annotarunt. *Primo* genuinam ipsarum scriptionem & lectionem, ubi diversitas aliqua occurrit, quam sub nominibus *Keri* & *Ketib* explicarunt. Cum scilicet vox, aliter in textu scribitur, aliter in margine legenda notatur: *Secundo* observarunt quasdam voces plene vel defective scriptas: *plenæ* dicuntur cum literæ *Vau* & *Iod* quiescentes exprimuntur, vel cum *He* paragogicum additur personæ secundæ præteriti & ejus affixo: *defectivæ* autem cum voces scribuntur, sine literis *Iod*, *Vau*, *Aleph* quiescentibus, vel *He* finali, licet communiter cum iis scribi soleant: *Tertio* situm & locum ipsarum notarunt in principio, medio & fine versus, & quam formam, vel per se, vel propter accentum aliquem habuerunt: *Quarto* notarunt structuram & conjunctionem ipsarum cum aliis vocibus, vel compositionem cum literis servilibus: *Quinto* significationem, ubi amphibologia & ambiguitas id requisivit: *Sexto* sæpe notarunt voces, vocalibus & accentibus differentes, ubi peculiaris quædam observatio aut differentia id postulare videbatur. Omnibus autem his & numerum, & locum, ubi singula extent, adjecerunt. De quibus prolixius differit Buxtor. in Comment. Massor. [a]

[a] cap. 13.

Ut literas, consonantes, & voces; ita & vocales, seu puncta vocalia, nec non & accentuum notas recensuerunt, in quo maxime laudandi veniunt priores Massorethæ; nempe ob punctorum inventionem, unde facilior lectio & textus ambiguitati ac corruptioni minus obnoxius efficitur. Posteriores autem Massorethæ, circa vocalium lectionem rectam, observarunt irregularem plurium vocabulorum punctationem contra regulas Grammaticæ, ne quis eas mendosas esse suspicans, mutare tentaret. *Similiter* cum vocales per accentus distinguentes interdum mutentur, id etiam aliquando notarunt, ne quis in eis cespitet.

Tandem circa *versus*, eorum opera potissimum bifariam versatur. *Primo* quidem Biblia Sacra in certa Themata, seu versiculos distinxerunt, (ut dicemus infra, cum sermo nobis erit de divisione Scripturæ sacræ.) *Secundo* numerarunt singulos versus uniuscujusque libri; deinde versum medium singulorum librorum. Sic in Genesi numerant versus 1532. & versum medium esse cap. XXIV. 40. *Et gladio tuo vives*. In Exodo, medium cap. XXII. 28. *Magistratui ne maledicito*. In Levit. 859. medium cap. XV. 7. *Qui tetigerit carnem fluidi*. In numer. 1288. medium cap. XVII. 5. *Et erit ut ejus, quem elegero, virga floreat*. In Deuter. 955. cap. XVII. 10. *Et facies juxta verbum, &c.* Hæc de Massoræ materia & objecto circa quod versatur: ex plu-

plurimis quæ habent Buxtorfius [a], Schickardus, Vvaltonus & alii, excerpta sufficere videntur. Qui autem plura desiderat eos consulat. Piget enim in his levioribus occupationibus tempus perdere.

[a] *lib. de origine punct. vocal.*

Quantum autem ad formam attinet, alia fuit olim, quam quæ hodie in quibusdam Bibliis Hebræis impressis invenitur. Priscæ enim Massoræ notæ, & observationes exaratæ erant in chartis & schedis separatis, quas publice Rabbini in scholis, discipulis suis explicabant: in tantam enim molem per continuam succedentium invicem Rabbinorum observationem, notæ illæ excreverant, ut textus Biblici amplitudinem superarent. Unde ad sacrorum Codicum marginem, ut nunc fit, non poterant adscribi. Quapropter, ut docet Elias Levita [b], *Quod reperitur scriptum in marginibus librorum* (BIBLICORUM) *non est nisi compendium ex Massora magna. Constat enim Auctores Maßoræ non scripsisse verba sua circa marginem, cum brevius ibi fuerit stratum, quam ut extendere se in eo possent; & cortina minor, quam ut continuisset omnia verba ipsorum: sed scripserunt ista in separatos quaterniones, sive separata folia, docueruntque ea publice, donec diffunderentur exemplaria ista ultro citroque inter plurimos.*

[b] *præfat. 3.*

XIX. Quod spectat ad Massoræ Auctores & artifices, non eadem est omnium Sapientum sententia; *quidam* enim Judæi illius originem arcessunt ab ipso Mose, quibus subscribit Elias Levita mox laudatus: *Alii* ejus primarium Auctorem faciunt Esdram & viros Synagogæ magnæ: Sunt qui ad Massorethas Tiberienses circa ann. Christi 500. volunt hujusmodi observationes esse referendas: *Nonnulli* vero existimant, Mosem fuisse Massoræ *Auctorem*, ad Legis nitorem perficiendum; *Propagatorem* Esdram, ad amissum restituendum; *Conservatores* Tiberienses, quorum opera, quæ ante traditioni orali committebantur, jam literis sint tradita. Verius dicendum arbitror, nec Mosem, nec Esdram fuisse ullatenus Auctores Massoræ; non quidem Mosem, quippe cum vix quarta pars veteris Testamenti per eum fuerit tradita, vel ejus tempore conscripta. Massora vero continet observationes, in omnes libros veteris Testamenti. *Accedit quod* indignum prorsus videatur viro assiduæ Dei consuetudini dedito, & tot hominum millibus regendis ac moderandis occupatissimo, in ejusmodi numerandis literis, vocibus, versiculis, *&c.* tempus terere.

Nec ea pariter occupatio videtur Esdræ, ac viris magnæ Synagogæ tribuenda. Nam punctorum vocalium & accentuum inventio, & ad sacrum textum adscriptio (circa quæ maxima pars Massoræ occupatur) longe post Esdram, imo & post Christi Domini ætatem est assignanda, ut jam probatum est: cap. 8. lib. 1. *Insuper*, si tales Massora habuisset Auctores videretur esse divinæ auctoritatis, sicut est sacer Scripturæ textus, & quasi pari gradu cum eo incederet. Quapropter nulla ratione posteriores Massorethæ ausi fuissent notas suas adjungere iis, quas viri divinitus inspirati collegissent.

Ideo existimo veriorem esse eorum sententiam, qui putant Massorethas Tiberienses primarios esse Massoræ Inventores, & Conscriptores Massorethicarum observationum, quas alii per varia sæcula, novis semper additis notis & observationibus auxerunt. Unde Massora nec simul, nec ab uno auctore collecta fuit, sed diverso tempore, a diversis auctoribus compilata. Imo neque in hunc diem, finem perfectum assecuta est. Nam ut notat Elias Levita [c], *Notæ illæ ejusmodi sunt, ut semper iis aliquid novi adiici possit, & novæ in dies excogitari.* (7)

[c] *præfat. 2. in Massor. Hammass.*

Hæc ut clarius innotescant, tres cum doctissimo Morino [d] distinguendæ sunt hominum societates qui in hoc opere suum laborem & studium posuerunt. *Prima* illorum est, qui puncta textui sacro affixerunt. Isti vero erant numero quindecim, qui, teste Aben Esra, [e] punctatione facta, ter unamquamque dictionem, & uniuscujusque dictionis literas, diligentissime recensuerunt. *Secunda societas* eorum est, qui punctatione facta & recensita, animadversiones suas in libros & varios titulos redegerunt. *Po-*

[d] *lib. 2. exercit. 19. cap. 1.*

[e] *in cap. 25. Exod. vers. 31.*

stre-

(7) Superius jam Libro 1. Cap. 8. & in Nota [28] ad illud apposita rejecta satis eorum fuerunt argumenta, qui Frassenii refragantur sententiæ, decernenti Massoretarum ætatem post annum Christi 500. Verum ne quid Adversariis integrum relinquatur in hujus generis controversia audire non pigeat alterum eorum argumentum, quod sibi etiam Prideauxius opponit. Incredibile prorsus est, inquiunt, Massoram a Rabbinis Tiberiensibus potuisse componi; cum, referente Josepho de Bello Jud. Libro 3. & seq. Urbes omnes Galilææ, ac potissimum Japhan, Sephorim, & Tiberiadem Romanorum armis eversas jacuisse compertum sit non in prima tantum regionis sub Vespasiano, & Tito desolatione, sed & in altera sub Adriano, adeout Accademiæ Rabbinorum in Palæstina, ne Judæis quidem refragantibus, medium tertii Ecclesiæ sæculi non excesserint. Quilibet insuper Hebræorum Doctores e Palæstina Babylonem perrexerant ea tempestate variasque in ea regione Universitates erexerant, nec quisquam in Judæa superstes fuit, qui Massoretico operi vel excogitando, vel perficiendo esset idoneus. His omnibus si altum adiungamus Scriptorum Hebraicorum silentium erga inventum hujus momenti, & utilitatis, quod quidem nequaquam de Tiberiensibus tacuissent, si ab iis novum hoc inventum foret excogitatum, argumentum conficitur ad ostendendum sufficiens nequaquam Massoreticum opus Tiberiensibus Rabbinis esse adscribendum.

Huic argumento jam Ludovicus Capellus occurrerat negando quod ad annum 500. post Christum Rabbini & quidem in Hebræorum scientiis versatissimi non extiterint in Palæstina, & præsertim in Tiberiade, quandoquidem testem habeamus S. Hieronymum, qui familiarissime viris illis utebatur ad Hebraicam Linguam, Hebræorumque gesta addiscenda; si ergo Hieronymus ad annum Christi 420; ut plurimi opinantur, pervenit; facillime post octoginta circiter annos Massoretæ in Tiberiade poterant reperiri ad opus illud concinnandum aptissimi. Neque magni faciendum scriptorum Hebraicorum silentium; cum in re historica nullius inveniantur Nationis Scriptores, qui vel negligentiores Hebræis, vel infideliores etiam extiterint. Non igitur ejus ponderis argumentum istud se exhibet, ut maxima cum facilitate non eludatur. (IK)

ſtrema ſocietas eſt eorum, qui ex Anteceſſorum laboribus ſummas & breviaria collegerunt, & ad marginem per literarum compendia aſcripſerunt. Qui *ſecundæ & tertiæ ſocietatis* opera æquo animo conſiderabit, rem ita ſe habere, ut explicavimus, evidenter ſentiet. Nam paſſim leget magnæ & parvæ Maſſoræ auctores ita de punctis loqui, ut de re jam ſtabilita, & quæ mutationem aliquam paſſa erat: parvam vero Maſſoram Magnæ mentionem facere; & nonnunquam evidenter apparere ex ipſis verbis eam Magna eſſe poſteriorem.

XX. Utrum vero ingens hic Maſſorethарum labor aliquid utilitatis & fructus Scripturæ ſacræ ſtudioſis attulerit, variant auctores. *Aliqui* enim opus vanum, inutile, nulli prorſus uſui inſerviens, & otioſorum hominum futilem ac ludicram occupationem eſſe affirmant. Ita præ cæteris, auctor libri Coſri [a], ubi proſelytum ſuum alloquens ait: *Vides eorum* (Maſſoretharum) *opus vanum fuiſſe & ſupervacaneum, & occupationem diligenter in re inutili.* Eandem fuiſſe ſententiam plurium Rabbinorum affirmat: *Multi*, inquit, *Sapientes, quos vidi & audivi, traducunt, deſpiciunt, & vituperant hoc ſtudium* (Maſſorethicum) *Sapiens quoque Aben-Eſra, comparat eos numeranti folia & paginas librorum Medicorum, quibus omnibus non ſanatur ullum vulnus.* Idem ſentiunt e Chriſtianis plurimi, qui Maſſoram, quam nunc habemus, in multis confuſam, corruptam, incertam, & falſam affirmant. Ita Morinus in Pentateucho Samaritano [b] & Buxtorfius [c], &c.

Alii vero contendunt hoc opus eſſe ſummæ utilitatis, & ad Scripturæ integritatem, puritatem & genuinam lectionem ac intelligentiam plurimum conferre. Sic præ cæteris Elias Levita [d] qui cum dixiſſet ſe viginti annos in Maſſoræ ſtudio inſumpſiſſe, ſubdit: *Quod poſt Maſſoram fieri non poteſt, ut incidat mutatio aut depravatio, quovis modo in aliquibus libris Scripturæ. Unde non ſine cauſa dixerunt Magiſtri Maſſora eſt Sepimentum Legis: atque ſic allegorice explicarunt locum illum Cantic. III. v. 9.* Cujuſque gladius ſuper femur ejus, propter pavorem nocturnum; *Intelligunt Maſſoram & ſigna, ut ne oblivioni traderetur Lex in captivitate.* Similia habet Aben-Eſra [e]; *Certe*, inquit, *merces magna debetur Auctoribus Maſſoreth, qui ſunt quaſi Cuſtodes murorum civitatis; propter ipſos enim perſtat Lex Domini & libri ſancti, in forma ſua, abſque ulla additione atque abſtractione.* Quibus ſubſcribunt ex Chriſtianis Arias Montanus [f]: *In illo*, inquit, *theſauro quem Maſſoreth appellant, tanquam in ſacra & fideli quadam cuſtodia ſumma diligentia & magno ſtudio conſtituta, antiquæ lectionis reliquiæ, monumenta, indicia, veſtigia, exemplaque omnia continentur; & ratio conferendæ veteris & novæ lectionis oſtenditur, ex quibus ſimul collatis, certa quædam via extat, atque ad ejus præſcriptam normam ſacra myſteria indicari poſſunt.* Addit Bonfrerius [g], Maſſorethas omni diligentia morali effeciſſe, *Ut deinceps nihil in textu Hebræo immutari poſſit.* Et Simeon de Muis cenſura in Exercitationes Samaritanas Morini, ſcribit, quod *Maſſora nobis Biblica volumina ſarta tecta ſervavit æternumque ſervatura ſit.* Ejuſdem ſententiæ ſunt Schickardus [h] Buxtorfius, & plures alii.

Ut autem hæ diverſæ ſententiæ invicem concilientur, cenſerem aſſertionem ea ratione eſſe intelligendam, ut videlicet magna Maſſoræ pars, videatur parum utilis & nullius fructus; in iis præſertim quæ ſpectant ad numerationem vocum, & literarum per ſingulos libros, & per tota Biblia. Item ad conſiderationem literarum finalium majuſcularum, minuſcularum, inverſarum, ſuſpenſarum, &c. quæ nihil prorſus ad textus Hebræi conſervationem, integritatem & ſinceritatem conferunt. Quædam tamen ex ea emergit utilitas, maxime in iis quæ ſpectant ad punctationem, quam multum conferre ad veram & facilem lectionem textus Hebraici, nemo cordatus eſt qui negare poſſit. Inſerviunt pariter variæ lectiones in margine Bibliorum notatæ, & quæ habent de inſolita vocum quarumdam cum aliis ſtructura; maximæ vero utilitatis ſunt interdum *Keri & Ketib*, quæ inter præcipuas Maſſoræ partes numerantur, de quibus idcirco pauca ſunt delibanda.

[a] *ſerm. 3. cap. 31.*

[b] *Exercit. 4. cap. 7.*

[c] *cap. 9. comment. in Maſſoram.*

[d] *præfat. 3.*

[e] *e initio libri Ieſob more.*

[f] *præfat. in Pentat. Biblior. regior.*

[g] *in præleq. Biblico cap. 13. lect. 3.*

[h] *app. diſput. 3.*

§. V.

De KERI & KETIB.

XXI. CUM plurima in Hebraico textu ſacro vocabula interpolata occurrant, quæ aliter legenda ſunt quam ſcribuntur; idcirco Maſſoretæ ſuam impenderunt diligentiam in notandis & deſignandis eis vocibus, quæ aliter debeant legi, quam ſcribantur; quæve in margine ſcriptæ, in locum earum quæ in textu inſeruntur, debeant ſubſtitui. Quod utique deſignant per *Keri & Ketib*. Voce קרי KERI, ſignificatur *lectum*; nomine vero כתיב KETIB *ſcriptum* deſignari omnes norunt. In margine vero Bibliorum, inquit Vvaltonus, pro *Keri*, occurrit ejus prima litera, brevitatis cauſa, ſic notata ק quæ Lectorem monet, vocem ſub ק in margine adſcriptam, legendam eſſe; ac cum punctis, quibus afficitur vox in textu: Vox vero in textu ſcripta, quæ vocatur *Ketib*, circellum ſupra ſe appoſitum habet, quæ Lectorem ad vocem marginalem ſub ק remittit.

Addit vero ex Elia Levita, qui plurimum de hac ſpecie Maſſoræ ſcripſit, quinque circa hujuſmodi Maſſorethicas notas eſſe obſervanda. *Primo* vocem quæ in margine ſcribitur, legendam eſſe, non vero quæ in textu.

tu. II. Vocem textui insertam, non habere sibi propria vocalia affixa vel accentus; sed quæ ad vocem margini adscriptam pertinent. III. Dum puncta vocis marginalis plura sunt quam literæ vocis textualis ferre possunt; tum literam unam textualem pluribus punctis affici. *Similiter* cum vox textualis plures habet literas quam marginalis, earum aliqua punctis destituitur. IV. Cum duæ voces in margine, unica vero supplenda in textu occurrunt, puncta quæ ad duas voces marginales adscribi debent, uni voci textuali apponuntur. V. Dum e contra duæ sunt voces in textu, & unica in margine, litera finalis prioris dictionis textualis non est omnino legenda.

XXII. Quis vero harum notarum fuerit auctor, invicem non consentiunt Judæi; sunt enim inter illos qui ad traditionem Mosis in Monte Sinai referant. *Alii*, quibus non pauci Christiani consentiunt earum originem adscribunt Esdræ, & viris magnæ Synagogæ, quos volunt post reditum a Babylone, libros sacros contulisse, & ubi discrepantiam invenerunt, lectionem unam in textu reliquisse, aliam adscripsisse margini, quasi ambigui hærerent, utra lectio esset præferenda. Verum utramque sententiam rejicit Elias Levita [a] hac invicta ratione, nempe quod ridiculum esset Mosem traditionem dedisse de variis lectionibus in libris a se editis, quasi nescius esset, qualiter esset legendum. *Similiter* cum in libris qui in captivitate Babylonica, vel paulo post eam, editi sunt a Daniele, Esdra, Nehemia, Zacharia, & aliis magnæ Synagogæ illustrioribus viris, reperiantur etiam diversæ illæ ac multiplices lectiones; absurdum omnino videtur eos nescisse qualiter legenda essent quæ scripserant.

[a] *præfat. 3. in Massor.*

His accedit, quod hujusmodi notarum *Keri & Ketib*, neque Josephus aut Philo meminerunt, cum de sacris libris verba faciunt: quod utique non siluissent, si varia illa lectio eorum tempore fuisset notata: haudd-ubie enim a Judæorum & Judaicæ Legis hostibus objecta illis fuisset ista diversitas, & aliquid in ejus defensionem vel excusationem extaret in eorum scriptis. *Denique* altum de iis silentium est apud Origenem, qui cum esset Allegoriarum sectator & mysteriorum indagator avidissimus, dubio procul latentia in varia illa lectione ex Judæorum sententia, mysteria scrutatus esset, si quid de varia illa lectione tantillum fuisset subodoratus. *Similiter* S. Hieronymus rerum Hebraicarum licet studiosissimus indagator, hujus rei omnino non meminit, nullaque etiam vola, aut vestigium in ejus scriptis, atque commentariis ea de re extat. Signum est igitur varias in sacris Bibliis hujusmodi lectionis annotationes esse S. Hieronymo recentiores, maxime cum neque in *Mischna*, sed in sola *Gemara*, quæ nonnisi annis post Christum 500. absoluta est, ulla fiat mentio τῶν *Keri & Ketib*.

Unde liquet ann. a Christo nato 500. cœpisse fieri Massorethicas illas de variis lectionibus observationes, primumque initium factum fuisse a vocibus, quæ scribuntur & non leguntur, hoc est, quæ in textu videntur superfluæ. *Deinde* progressum esse ad voces quæ leguntur, tametsi non scriptæ sint in textu, hoc est, quæ ad sententiæ integritatem videbantur desiderari: & primum quidem a primis Massorethis, paucas hujusmodi voces esse observatas; Demum a sequentibus plures: tum eos esse progressos ad voces quæ aliter scribuntur, aliter leguntur. Quorum numerus pari ratione, temporis progressu in tantum excrevit, ut Elias Levita præfatione prima affirmet, se notationes τῶν *Keri* numerasse & invenisse summam totalem esse 848. Cappellus vero qui editiones quasdam celebriores recensuit puta Venetam secundam, Regiam, & Plantinianam in quarto, asserit longe multo plures hujusmodi notationes reperiri, de quibus qui plura desiderat, librum tertium illius Criticæ sacræ consulat, ubi abundantissime de *Keri & Ketib* æque ac doctissime scribit.

§. VI.

De Kabbala.

XXIII. EXplicationi Massoræ, Kabbalæ delineationem ordine recto subjungimus; sunt enim invicem correlata: *Kabbala* namque, vox est Hebraica קבלה id est *receptio*, a rad. קבל, *recepit*; ut Massora *traditio*, a מסר *tradidit*. Unde unius & ejusdem rei diverso respectu est traditio & receptio; eademque scientia apud Judæos, tam *Kabbala*, quam *Maßora* dicitur. Nihilominus usus jam obtinuit, ut *Kabbala* significet Legis explicationem Oralem, non quidem communem, ut Mischna, & aliæ Talmudis partes, sed arcaniam, & mystice ac ænigmatice quodammodo propositam, de rebus divinis, angelicis & cælestibus.

Hinc Capnio [b] ait: *Kabbala nihil aliud est, nisi symbolica Theologia, in qua non modo literæ ac nomina sunt rerum signa, verum res etiam rerum*. Unde Joannes Picus Mirandulanus Princeps, in apologia sua pro conclusionibus & libris Kabbalisticis a se evulgatis, ait, Kabbalam esse ipsum „ sensum Anagogicum: Est autem, *inquit*, „ ulterius sciendum, quod ista expositio Bi„ bliæ proportionatur modo exponendi Bi„ bliam, quæ apud nos dicitur *Anagogicus*: „ sicut enim apud nos est quadruplex mo„ dus exponendi Bibliam, *Litteralis Mystícus* sive *Allegoricus*, *Tropologicus* & „ *Anagogicus*; ita est apud Hæbræos. *Lit*„ *teralis* apud eos dicitur *Pesat*, quemad„ modum tenent apud eos Rabbi Salomon „ Kimchi & similes: *Allegoricus* appellatur „ *Midras*; unde sæpe apud eos audies, *Mi*„ *dras*

[b] *lib. 3. de arte Kabbalist.*

„ *drás Ruth*, *Midras Thillim*; *Midras Coe-*
„ *leth* id eſt, expoſitio *per Midras*, ſeu,
„ Myſtica ſuper Ruth, ſuper Pſalmos, ſu-
„ per Eccleſiaſten: & ſic de aliis: & iſtum
„ modum ſequuntur maxime Doctores Tal-
„ mudici. *Tropologicus* dicitur *Sechel*, quem
„ ſequuntur Abraham Abnazará (*Aben*
„ *Eſra*) ubi literaliter non exponit, & Le-
„ vi & multi alii; & ante omnes Rabbi
„ Moſes Ægyptius. *Anagogicus* dicitur *Kab-*
„ *bala*, & hoc quia illa expoſitio, quæ di-
„ citur ore Dei tradita Moſi, & accepta
„ per ſucceſſionem, modo prædicto, quaſi
„ ſemper ſenſum ſequitur Anagogicum. *Hæc*
„ *Picus*.

a *lib. 1. de arte Kabbaliſt. mihi pag. 620. Edit. Baſilea.*

„ Ei ſubſcribit Reuclinus a dicens; *Kabba-*
la eſt divinæ revelationis ad ſalutiferam Dei,
& formarum ſeparatarum contemplationem
traditæ ſymbolica receptio; quam qui cæleſti
ſortiuntur afflatu, recto nomine KABBALICI
dicuntur: eorum vero diſcipulos cognomento
KABBALÆOS *appellabimus, & qui alioquin*
eos imitari conantur, KABBALISTÆ *nominan-*
di ſunt. Perinde atque circa editos illorum
ſermones quotidiano labore deſudantes.

Originem Kabbalæ ab Adamo repetit ibi-
b *pag. 263.* dem Reuclinus, paulo poſt b ſcribens, quod Deus Adami lapſum & ruinam miſeratus, ad eum delegavit Angelum, qui futurum Redemptorem & humani generis Reſtauratorem denuntiaret, & eum Kabbalæ myſteria edoceret. Miſſus eſt, *inquit*, Angelus
„ Raziel ad Adam collapſum, & mœrore
„ plenum, ut conſolaretur eum, cui ſic
„ dixit: Ne ſupra modum conficiaris ge-
„ mitu & moleſtia, quod te duce genus
„ humanum in ſummam corruit perditio-
„ nem. Quoniam originale peccatum hoc
„ expiabitur: nam ex tua propagatione na-
„ ſcetur homo juſtus & pacificus, vir he-
„ ros, qui nomen continebit in miſeratio-
„ nibus etiam has quatuor litteras י. ה. ו. ה.
„ Et ille per rectam fidem & placidam
„ oblationem mittet manum ſuam, & ſu-
„ met de ligno vitæ, & ejus ligni fructus
„ erit omnium ſperantium ſalus. Quo ſer-
„ mone finito, ille damnatus & ærumno-
„ ſus Adam inter miſerias omnes in quas
„ incidit, inter dolorem, inter luctum, quo
„ in tanta calamitate fuerat affectus, con-
„ fidens in Deum mutandi delicti ſpem con-
„ cepit, & idcirco incredibili erga Factó-
„ rem ſuum amore tactus divinæ clementiæ
„ gratiam habuit. Hæc fuit omnium pri-
„ ma Kabbala, primordialis ſalutis nuntia.
„ O rem gratam, o cauſam admirabilem!
„ Quid commodius? Quid acceptius? Quid
„ potuit magis oportunum perditæ condi-
„ tioni mortalium a ſuperis afferri? Quid
„ opis præſtari convenientius, quam ut ſa-
„ lutem publicam captivis nunciarent? Hæc
„ eſt illa revelatio ſanctiſſima & ſumma,
„ in quam omnes divinæ revelationes re-
„ ducuntur, hæc optatiſſima traditio, hæc
„ ſaluberrima receptio, in qua omnes Kab-
„ baliſticæ receptiones recapitulantur, omnes
„ divinorum traditiones, omnes cæleſtium
„ eruditiones, & Vatum viſiones & Bea-
„ torum meditationes uniuntur & commu-
„ nicantur. *Hæc Reuchlinus*. (8)

Qui poſtmodum addit, hanc Kabbaliſti-
cam ſcientiam ab Adamo filio Seth tradi-
tam per omnes Patriarchas ad Moſem uſque
propagatam, & ab eo Sapientibus Collegii
Sinhedrin derivatam fuiſſe ad Eſdram, qui
„ (ut docet Picus Mirandulanus, c Tunc c *in Apolo-*
„ Eccleſiæ præfectus, poſt emendatum Mo- *gia p. 82.*
„ ſeos librum, cum plane cognoſceret, per
„ exilia, cædes, fugas, captivitatem Gen-
„ tis Iſraeliticæ, inſtitutum a Majoribus
„ morem tradendæ per manus doctrinæ ſer-
„ vari non poſſe, futurumque, ut ſibi di-
„ vinitus indulta cæleſtis doctrinæ arcana
„ perirent, quorum commentariis non in-
„ tercedentibus, durare diu memoria non
„ poterat; conſtituit ut convocatis, qui
„ tunc ſupererant, Sapientibus, afferret
„ unuſquiſque in medium, quæ de my-
„ ſteriis Legis memoriter tenebat, adhibi-
„ tiſque notariis, in ſeptuaginta volumina,
„ tot enim fere in ſynedrio Sapientes, re-
„ digerentur. Qua de re qui mihi non cre-
„ dunt, audiant Eſdram ipſum, ſic loquen-
„ tem: d *Exactis quadraginta diebus, loquu-* d *Eſdræ 4.*
„ *tus eſt Altiſſimus dicens: Priora quæ ſcri-* *cap. 46.*
„ *pſiſti, in palam pone, legant digni & in-*
„ *digni: noviſſimos autem ſeptuaginta libros*
„ *conſervabis, ut tradas eos Sapientibus de*
„ *populo tuo: in his enim eſt vena intelle-*
„ *ctus, & ſapientiæ fons, & ſcientiæ flumen:*
„ *atque ita feci.*

„ XXIV. Hi ſunt libri ſcientiæ Kabbalæ,
„ in quibus merito Eſdras venam intelle-
„ ctus, id eſt, ineffabilem de ſuperſubſtan-
„ tiali Deitate Theologiam; ſapientiæ fon-
„ tem, id eſt, de intelligibilibus, Angeli-
„ ciſque formis, exactam Metaphyſicam; &
„ ſcientiæ flumen, id eſt, de rebus naturali-
„ bus firmiſſimam Philoſophiam eſſe, clara
„ imprimis voce pronuntiavit. Hi Libri
„ ſunt, quos Sixtus IV. Pontifex Max. qui
„ hunc ſub quo vivimus feliciter, Innocen-
„ tium VIII. proxime anteceſſit, maxima
„ cura, ſtudioque curavit, ut in publicam
„ fidei noſtræ utilitatem Latinis literis man-
„ darentur; jamque cum ille deceſſit, tres
„ illis pervenerant ad Latinos. Hi libri apud
„ Hebræos, hac tempeſtate, tanta religio-
„ ne coluntur, ut neminem liceat, niſi an-
„ nos quadraginta natum, illos attingere.
„ Hos ergo libros, non mediocri impenſa,
„ mihi cum comparaſſem, ſumma diligen-
„ tia,

(8) Suam Reuclinus pergrandem de Kabbaliſtica arte opinionem, nimium deferens Rabbinorum mendaciis, ex eorum hauſit deliramentis. Similia utique ſcripſit R. Abrahamus Ben-Dior in Præfatione ſuo præfixa Commentario *in Librum creationis*, in qua non ſolum tradit ab Adamo ſuis fuiſſe comunicatam filiis artem illam, ſed unumquemque ex antiquioribus Patriarchis Angelum habuiſſe magiſtrum, a quo eam doceretur; itaque Adam a Raziele, Sem ab Jophiele, Abraham a Iſathiele, Iſaac a Raphiele, Jacob a Peliele, Moſes a Miſtratone, David a Michaele inſtructus fuit; ſicque in Dei Populo ſemper ſervatam tradit mirabilem hanc doctrinam. Quis autem hæc deliramenta ſubſtineat? Videatur Nota (24) ad Librum primum Diſquiſitionum. (*W*)

„ tia, indefeſſis laboribus cum perlegiſſem, „ vidi in illis, (teſtis eſt Deus) Religionem „ non tam Moſaicam, quam Chriſtianam: „ ibi Trinitatis Myſterium, ibi Verbi In„ carnatio, ibi Meſſiæ divinitas, ibi de pec„ cato originali, de illius per Chriſtum ex„ piatione, de cæleſti Hieruſalem, de caſu „ Dæmonum, de ordinibus Angelorum, de „ Purgatoris, de inferorum pœnis: eadem „ legi quæ apud Paulum & Dionyſium, „ apud Hieronymum & Auguſtinum quo„ tidie legimus. In his vero quæ ſpectant „ ad Philoſophiam, Pythagoram prorſus au„ dias & Platonem, quorum decreta ita „ ſunt fidei Chriſtianæ affinia, ut Auguſti„ nus noſter immenſas Deo gratias agat, „ quod ad ejus manus pervenerint libri Pla„ tonicorum in plenum. Nulla eſt ferme „ de re nobis cum Hebræis controverſia, „ de qua ex libris Kabbaliſtarum ita redar„ gui convinciique non poſſint, ut ne an„ gulus quidem reliquus ſit, in quem ſe „ condant. Cujus rei teſtem graviſſimum „ habeo Antonium Cronicum, virum eru„ ditiſſimum, qui ſuis auribus, cum apud „ eum eſſem in convivio, audivit, Datti„ lum Hebræum, peritum hujus ſcientiæ, „ in Chriſtianorum prorſus de Trinitate ſen„ tentiam, pedibus manibuſque deſcendere, „ *Hucuſque Picus*. Quæ ſi vera eſſent, ut exiſtimavit, magnum inde, non ſolum Kabbaliſticæ ſcientiæ, & Chriſtianæ Religioni, ex hoc venerandæ antiquitatis teſtimonio, accederet decus & ornamentum.

a *lib.* 2. *Exercit.* 6. *cap.* 1.

Verum, ut erudite Morinus obſervat, [a] doctiſſimus ille Mirandulanus Princeps, Judaicam fraudem & perfidiam non præſentiens, paſſus eſt ſe ludificari a Judæo quodam, qui ut ab eo (quem noverat antiquitatis ſtudioſiſſimum & avidiſſimum ſecretioris ſcientiæ,) grandem pecuniam emungeret, membranas permultas ad eum detulerat, quibus magnificum Eſdræ ſcribæ & magnæ Synagogæ Principis, titulum marte ſuo adſcripſerat. Princeps vero fallaci & avaro homini nimium credulus, membranas iſtas, forſan ab ipſo vendente confictas, amplexus & deoſculatus, magnum credidit ſibi contigiſſe theſaurum, ſeque fortunatum qui antiquos Eſdræ libros de Kabbala myſtica recuperaverat. Pico illuſerunt Judæi, ut poſtea Reuclino, velut ipſe teſtatur: [b] *Suſpendunt*, inquit, *furciferi præ foribus voluminum ſplendidos titulos, & modo hunc eſſe librum Enoch, quem diviniorem ante cæteros omnes fuiſſe vetuſtas aſſeruit: modo illum Salomonis mentiuntur, facile indoctis auribus irrepentes hac inſigni conjectura, quam ex libris Joſephi augurari licet. Ait enim ille* [c] *Salomonem contra Dæmones artem ad utilitatem hominum, & eorum curas inveniſſe, &c.* Olim ipſis fidem habuerat idem Reuchlinus: *Fuit mihi*, inquit paulo antea, *aliquando par ſtudium in quibuſdam Nugatoribus de arte Magica ſcribentibus: cogitavi librorum indice notus, mira quædam artificia me iſthic repertum ire.... Sed audite dum lego, quid ſit. Ædepol aliud nihil quam Horatianum illud:* PARTURIUNTUR MONTES, NASCETUR RIDICULUS MUS.

b *lib.* 1. *cap.* 18. *de verbo Mirifico.*

c *lib. Antiq.* 8.

Mirum itaque videri non debet, quod juvenis Princeps, a Judæo vaferrimo, ſub ementito Eſdræ titulo, has membranas tanto pretio redemerit, cum enim hæc ſcriberet, nondum exegerat annum 24. Decipiuntur enim ab iſtis nugi-vendulis interdum viri docti quibuſdam inſignibus conjecturis, cum videlicet ſplendida vident antiquorum nomina, ex parte detritis veteribus membranulis inſcripta, aliquem antiquiſſimum Auctorem præferentia. Sic Genebrardus Hebraice doctiſſimus, licet Myſticam illam Kabbalæ doctrinam flocci faciat: tamen ementitis his titulis a Judæis confictis nimium tribuens, Librum *Zohar* attribuit Simeoni Ben Jochai, quem putat ante Chriſtum LXXXVII. annis vixiſſe. Ita in chronico ad hunc annum. Cum tamen Judæi omnes annis prope cc. auctorem hujus libri Juniorem faciant.

XXV. Porro hæc Kabbaliſtica doctrina triplex diſtingui ſolet a Doctoribus Catholicis, ut videre eſt apud Galatinum [d], Sixtum Senenſem [e], Bonfrerium [f], &c. *Licita* una & *bona*: altera ex ſe *indifferens*: tertia vero *mala*, quæ ad præcedentes Kabbalæ ſpecies vanas quaſdam & magicas obſervationes adjecit. *Prima* eſt eorum Judæorum qui Chriſti Domini nativitatem præceſſerunt: continet vero myſticam & ſecretam Scripturæ expoſitionem, non ſcriptam, ſed ore traditam; idque non omnibus, ſed Senioribus ac ſapientioribus: nec multum differt a myſtica Scripturæ expoſitione, quæ a nonnullis Eccleſiæ Patribus frequentatur. Sic, ut antea diximus, ex quatuor literis nominis אברם Abram, Kabbaliſtæ Chriſtiani, duo præcipua noſtræ Religionis & fidei myſteria colligunt, nempe nomina Patris, Filii & Spiritus ſancti atque etiam Meſſiæ. Nam prima litera א *Ab*, patrem æternum: ſecunda ב *ben* Filium: tertia ר *Ruah*, Spiritum: & quarta ם *Meßchiah*, Chriſtum non obſcure denotant. Adiiciunt inſuper idcirco ejuſdem Patriarchæ nomini priſtino, Deum inſeruiſſe literam ה *he*, ut melius ac perfectius divinas Perſonas adumbraret: ſi enim ſingulæ literæ vocis אברם *Abraham* fiant capita dictionum, habebis אב ברוך רוח הקדוש משיח Ab, Ben, Ruah, Hakadoſch, Meſſchiah, *Pater, Filius, Spiritus ſanctus, Meſſis, ſeu Chriſtus*.

d *lib.* 1. *cap.* 6.

e *lib.* 2. *Bibl.*

f *in prolog. c.* 21. *ſect.* 1.

Hujus Kabbalæ ſpeciei meminiſſe videtur S. Hilarius, [g] cum ſcribit: *Erat jam a Moſe ante inſtitutum, in omni Synagoga ſeptuaginta eße Doctores; quam idem Moſes, quamvis veteris Teſtamenti verba, in literis condidißet, tamen ſeparatim quædam ex occultis Legis ſecretiora myſteria ſeptuaginta Senioribus, qui Doctores deinceps manerent, intimaverat; cujus doctrinæ etiam Dominus in Evangeliis meminit dicens:* SUPER CATHEDRAM MOYSI SEDERUNT SCRIBÆ ET PHARISÆI; OMNIA ERGO QUÆCUNQUE DIXERINT VOBIS, SERVATE ET FACITE; SECUNDUM VERO FACTA EORUM NOLITE FACERE. *Doctrina ergo horum in poſterum, quæ ab ipſo Scriptore Legis accepta, in hoc Seniorum*

g *in expoſ. Pſalm.* 2.

rum & numero & officio conſervata eſt. Quibus verbis S. Hilarius ſignificat Moſem ſecretiora myſteria ſcriptis non mandaſſe, ſed vivæ vocis oraculo intimaſſe ſeptuaginta Senioribus, qui Concilium magnum Judaicum, dictum *Sanhedrim* conſtituebant, ut ea ad poſteros traducerent; hæc autem Traditio non omnino aliena videtur ab ea Kabbala de qua loquimur.

Hanc autem Kabbalæ ſpeciem nuſquam improbavit Eccleſia, ut obſervat Sixtus Senenſis mox laudatus. *Cæterum*, inquit, *quia ex Decreto ſanctæ Romanæ inquiſitionis, omnes libri ad Kabbalam pertinentes nuper damnati ſunt; ſciendum eſt duplicem eſſe Kabbalam: alteram veram, alteram falſam. Vera & pia eſt, quæ, ut jam diximus, arcana ſacræ Legis myſteria juxta Anagogen elucidat, quam tertio hujus operis volumine oſtendemus neceſſariam ad divinæ Scripturæ interpretationem producentes aliquos ex illuſtribus, tam Græcis quam Latinis Expoſitoribus, qui ea in explanationibus ſuis utuntur. Hanc ergo nunquam damnavit Eccleſia.* Hæc ille.

Nihilominus tamen obſervat Bonfrerius plurimum differre modum tradendi myſticos ſenſus in Kabbala, ab eo quem ſervant Catholici Doctores; Hi enim res quaſcumque de ſe ſublimes, & intellectu difficiles omni qua poſſunt verborum claritate elucidant: Kabbaliſtæ vero myſteria ſua, non niſi per quædam ſymbola & Ænigmata, modo quo poſſunt obſcuriſſimo enuntiant, non ſecus ac Chimici, qui arcana ſua ſymbolicis & Ænigmaticis verborum involucris, ita obnulibant, ut a pauciſſimis detegi poſſint & comprehendi. Kabbaliſtæ etiam pro arbitrio Myſticos ſenſus ex Scriptura ſacra proliciunt, & ſomnia ſua ac figmenta pro Verbi Divini ſenſu Myſtico venditant. Senſus autem Myſtici a Doctoribus Catholicis illi probantur & eruuntur, qui, vel ex aliis Scripturæ textibus comperti fiunt; vel quos Eccleſiæ Catholicæ traditio, Sanctorum Patrum doctrina confirmata nobis commendat.

Secunda Kabbalæ ſpecies, eſt recentium Judæorum, qui primitivam illam Kabbalam negligentes, vel ignorantes, potiſſimum in literis, punctis, & accentibus annotandis omnem ſuam ponunt operam, ut inde myſticos Scripturæ ſenſus eliciant, & ex variis permutationibus, combinationibus, compendio & valore Arithmetico ac figura literarum, myſteria (ſi Deo placet) eruant. Quam utique doctrinam & artem qui profitentur, ſtudioſe occultant; nec in vulgus quidquam ex ea diſſeminant: quinimo ſapientiam iſtam adeo ſublimem & reconditam putant, ut etiam ii qui inter eos doctiores habentur, interdum ex ea vix quidquam ſubodorari valeant. Nam Elias Levita licet inter ſuos doctiſſimus haberetur, ingenue profitetur in Theſbite, ſe non poſſe hanc ſapientiam ſufficienter exponere, & ob pravitatem ſuam non potuiſſe penetrare hujus Sanctorum ſcientiæ arcana & myſteria.

Tres autem partes complectitur hæc Kabbala, nempe *Gematriam*, *Notaricon*, & *permutationem*, de quibus jam ſufficienter a nobis actum eſt in *cap.* VII. præcedentis libri. Quanquam autem Rabbini recentiores, omni quo poſſunt ſtudio, huic arti perdiſcendæ incumbant; plurimi tamen cordatiores has Scripturæ ſacræ interpretationes non multum curant. Nam Aben Ezra [a] tales Interpretes noctuis aſſimilat, qui in literali ſenſu ſplendore cæci ſunt; in myſteriorum vero tenebris perſpicaces & accuratiſſimi videri volunt; unde vulgare eſt hoc Rabbinicum axioma: TEXTUS SACER NON EGREDITUR DE MANIBUS SIMPLICIS ET LITERALIS SENSUS. *Etſi ergo*, inquit Vvaltonus [b], *hæc Kabbalæ ſpecies quædam habeat, quæ ingenioſa videntur, quæque in aliis ſcriptis tolerari poſſent, utpote in ſe indifferentia: tamen cum in rebus ſacris ludere nefas ſit, & myſteria ſua Judæi illi, huic doctrinæ addicti, pro vero ſenſu Scripturæ venditent, quæ potius ad Scripturam ſacram invertendam & corrumpendam viam ſternat. Iſtius-modi ſtudia, ut inutilia, imo & plerumque noxia, omnino rejicienda eſſe, jam a nobis demonſtratum eſt.*

[a] *præf. in Legem.*

[b] *prolog. 9. n. 31.*

XXVI. Tertia Kabbalæ ſpecies, quam Elias in Theſb. & Reuchlinus de arte Kabbaliſtica *practicam* appellant, ab omnibus viris cordatis, imo & ab Eccleſia, tanquam magica & illicita, damnatur. Hæc autem potiſſimum occupatur in literis vel verbis Scripturæ detortis & promiſcue compoſitis, ex quibus Judæi quidam ſe Angelis familiares reddere opinantur, miracula poſſe patrare, morbos quoslibet depellere, Dæmones fugare, & plura alia miranda conficere, quaſi virtute divini Verbi, cum tamen illius ſit horrenda, & diabolica profanatio: unde merito nonnulli ajunt, hanc artem Kabbaliſticam originem eſſe omnis Dæmonolatriæ ac Idololatriæ fontem.

Hanc autem Kabbalam a longo jam tempore inter Judæos receptiſſimam fuiſſe, probant varii libelli de hac nefaria arte compoſiti. Extat enim apud eos libellus quidam שמוש תלים, *Schimmuſch Tillim*, hoc eſt, *Uſus hymnorum*, dictus, in quo e ſingulis fere Pſalmis, Kabbaliſtica quædam ſymbola pro certis morbis curandis, collecta reperiuntur ſic ex I. Pſal. Characteres. אל תד (nempe Aleph ex אש רי, Lamed ex לא גו, Cheth ex יגלת, Daleth ex ודך רשעים) certo artificio eliciti, & membranulæ caprinæ inſcripti, peculiari die & hora, neſcio quibus malis mederi mentiuntur. Huc ſpectant exorciſmi, amuleta, & ſymbola Kabbaliſtica pro certis morbis curandis, nec non & prodigiis quibuſdam patrandis a Magis excogitata: cujus exemplum refert Ramban, ſeu R. Moſes Bar Nachman de quodam medico, qui a Judæis in lupanari deprehenſus, cum ab eis comburendus eſſet, beneficio hujus magicæ Kabbalæ ita formam ſuam mutavit, ut ejus loco projicerent Aſinum. Ipſe vero abiit in ædes Ramban poſt veſpertinam oblationem, & invenit ipſum ſanctificantem vinum, Reſponditque *Amen.* Ad cujus conſpectum & vocem cum Ramban obſtupuiſſet, ut pote quem mortuum & combuſtum exiſtimaret, ab eo percunctatus, qua ratione mortem & uſtulatio-

[c] *c in ſchaltſch. Hakkab.*

„ nem evasisset, respondit id fuisse factum „ virtute Kabbalæ: atque ex eo tempore ad „ eam perdiscendam Rambam ita fuisse sti- „ mulatum, ut mane & vespere ei navans „ operam, in hac arte evaserit peritissimus. „ Nam de eo ibidem scribitur, quod in præ- „ sentia Regis Aragoniæ, virtute nominis „ Tetragrammaton, quod in schedula habe- „ bat scriptum, navem a terra in mare Bar- „ cinone deduxerit, quam plurimi Naupe- „ gi ne quidem loco movere poterant. *Hæc ille*. At oportet levis sit corde, qui Rabbinicis illis commentis atque puerilibus nugis fidem facit.

CAPUT TERTIUM.

De Paraphrasibus Chaldaicis.

I. *Peculiari Dei providentia editæ sunt Chaldaicæ Paraphrases.*
II. *Eadem serie qua libri sacri distribuuntur:*
III. *Onkelos unius Auctor, alius fuit ab Aquila.*
IV. *Illius Paraphrasis summæ fuit auctoritatis apud Judæos.*
V. *Eam tamen interdum respuunt.*
VI. *Quis fuerit Jonathas auctor alterius Paraphrasis.*
VII. *Quantæ sit auctoritatis.*
VIII. *In quibusnam a Paraphrasi Onkeli discrepant.*
IX. *An ipse etiam fecerit Targum in Pentateuchum, incertum.*
X. *Quam absurdis næniis hoc scateat.*
XI. *Qualis fuerit Paraphrasis R. Jose seu Cæci.*
XII. *Quale sit Targum Jerosolymitanum.*
XIII. *Et Babylonicum.*
XIV. *Omnes illæ Paraphrases recentiores videntur quam Judæi putent.*
XV. *Plurimum nihilominus inserviunt ad persuadenda Judæis Christianæ Religionis mysteria, præcipue mysterium SS. Trinitatis & Incarnationis Verbi Divini.*

I. CUM Deo propositum fuisset tempore præscripto, Ecclesiam suam ex omnibus mundi nationibus Evangelicæ veritatis & fidei lumine irradiatis instituere, ut ex Gentibus & Judæis fieret unum ovile & unus pastor; ideo permisit Judæos per varias Orbis regiones dispergi, ut divina sibi concredita eloquia ubique disseminarent, quatenus ex propalato Dei verbo, facilior ad conversionis Gentium via sterneretur. Capitales autem Judæorum, ab instituta illorum Republica, dispersiones duæ præsertim fuerunt: una quidem apud Chaldæos, altera vero apud Ægyptios & Græcos. Hinc factum est, ut eorum populorum apud quos degebant, linguis assuescerent, & Hebraicæ Nationi suæ vernaculæ rudiores atque plebeii penitus obliviscerentur. Quamobrem, ne Scripturæ sacræ studium & intelligentia absoleseeret apud vulgus, nullaque esset audientium ædificatio, cum sacra Biblia in Synagogis publice legerentur; visum fuit ea in linguam Chaldaicam vertere, cui Judaica plebs post reditum e captivitate Babylonica assueverat.

II. Hanc autem Chaldaicam Scripturarum versionem Judæi תרגום *Targum* in singulari, & in plurali תרגומים *Targumim* appellant, i. e. *Interpretationes* & *Expositiones*, seu *Paraphrases* quæ plerumque non tam verba quam sensus, addita etiam interdum sacri textus explicatione, referunt. Quoniam autem Hebræi ex antiqua traditione veteris Testamenti libros in tres ordines partiuntur, quorum *Primus* continet *Legem* seu Mosis Pentateuchum: *Secundus*, *Prophetas*; tum priores, quos vocant, nimirum Josue, Judicum, Samuelis & Regum: tum posteriores, inter quos comprehendunt Isaiam, Jeremiam, Ezechielem & duodecim minores Prophetas, quos pro unico libro computant. *Tertius denique* complectitur *Hagiographa*, sic dicta, quod, inquiunt, scripta sint instinctu quidem & ex dictamine Spiritus sancti, sed non per Prophetiam, seu quorum Auctores ea scripserunt quæ ipsis notificata fuerant, non per visionem, non per somnium vel per auditum vocis eis loquentis, quemadmodum scribere solebant Prophetæ, sed per interiorem Spiritus Sancti instinctum & illustrationem, cujusmodi dicunt esse Psalmos, Proverbia, Canticum, Ecclesiasten, Job, Ruth, Threnos; ad quem ordinem nescio quo consilio referunt etiam Esther, Esdram & Danielem. Pro hac, inquam, triplici horum librorum veteris Testamenti differentia, tres etiam diversæ principes Chaldaicæ Paraphrases memorantur; *una* in Pentateuchum, cujus Auctor perhibetur *Onkelos*, seu *Ankelos*, ut aliis placet; *altera* in Prophetas, Auctore Jonathano Uzielis filio; *Tertia* in Hagiographa, cujus Auctor esse fertur R. Joseph dictus Cœcus. Hæc tamen non omnes libros Hagiographos expositit. Nullum enim unquam (inquit Christophorus Heluicus [a]) Targum visum est in Paralippomena, nec in Danielem, nec in Esdram, forte quia Paralippomena pleraque jam in libris Regum fuerant exposita; Daniel vero & Esdras, cum maxima ex parte Chaldaice fuerint conscripti, nova expositione & versione Chaldaica non egebant. (9)

[a] *tract. de Chaldaic. paraphr. cap. 2.*

III.

[9] Quanam de causa varios Libros ex numero propheticorum exceperint Judæi, traditur inferius Lib. 5. Disquisitionum suis in locis, ubi de singulis instituitur sermo. Targum in Paralipomenon Libros edidit Bekius Augustæ annis æræ Christianæ 1680, & 1683. Hinc nonnulli conjiciunt alia

III. Prima itaque Paraphrasis inscribitur nomine *Onkelosi*, qui Pentateuchum integrum Chaldaice vertisse dicitur. Quis vero fuerit ille, & quando floruerit, non invicem consentiunt Judæi; sunt enim qui eundem illum faciant cum Akila, seu Aquila Pontico, qui primo Christianus, deinde Apostata Judæus, sacra Biblia veteris Testamenti *in linguam Græcam contentiose transtulit*, inquit S. Hieronymus, hoc est, ad invidiam & in contemptum Versionis LXX. Interpretum, quam a Christianis in summa veneratione haberi noverat. Verum ut perite observat Rabbi David Gans, [a] hæc sententia stare nequit, siquidem Onkelos & Akila, seu Aquila, diversis temporibus floruerunt. Hic enim, quem Judæi faciunt Titi Imperatoris ex sorore nepotem, factus est Proselytus sub Adriano Imperatore, ut legimus in Bereschith Rabba fol. 78. & Schemoth Rabba fol. 146. Onkelos vero factus est Proselytus temporibus Hillelis senioris, qui floruit quadraginta annis circiter ante nativitatem Christi, temporibus Hircani. *Deinde* Onkelos florebat ætate Christi Domini. Nam Auctor libri Tosiphta Sabbath, nec non & Auctor tractatus Abozadara, id est, de Idololatria, æqualem illum faciunt Gamelielis Christi Domini discipuli, cujus exequias ille tanta munificentia celebravit, ut ad illius sepulchrum pretiosissimam suppellectilem ad summum septem millium denariorum combusserit: sic enim: ait Schikardus, [b] intelligendæ sunt *Septuaginta minæ Tyriorum*, quas referente Talmud, Onkelos combussit ad honorem Gamalielis. *Denique* utriusque diversitas apparet ex eorum nominibus, quæ diversimode scribuntur Hebraice, nam Aquila vel Akila sic effertur עקילס *Akila* vel *Aquila*, Onkelos vero אונקלוס. (10)

IV. Hæc autem Onkelosi Paraphrasis inter alias apud Judæos primas obtinet; tum quod textum Hebræum ad verbum magis exprimat, ita ut sub iisdem accentibus Hebræorum (ut notat Schickardus) instar textus ipsius authentici decantari possit; tum quod maxime sit literalis, cum verbum fere de verbo reddat, nisi quando Judaismi superstitiosus fautor, tenebras clarioribus de Messia vaticiniis offundere satagit, ut Genes. III. 15. & alibi; tum etiam quia, ut testatur Maimonides [c]: *Onkelos suas expositiones accepit a Rabbi Eleazare, & R. Jehosua qui fuerunt sapientissimi inter Israelitas*. Accedit quod hic Interpres cautus sit in locis illis & textibus vertendis & explicandis, qui humana membra, humanosque motus & affectus Deo tribuentes imperitis occasionem & ansam præberent de Deo sentire, quod esset corporeus; qua ratione potissimum commendatur ab eodem Maimonide [d].

V. Hinc Onkelosi Thargum tantam auctoritatem obtinuit apud Judæos, ut hanc Paraphrasim una cum textu publice legerent, teste Elia Levita [e] *Antequam*, inquit, *inveniretur ars typographica, non extabat Thargum Prophetarum, & Hagiographorum, nisi vel unum in Provincia, vel ad summum, duo in universo climate. Propterea nec quisquam erat qui ea curaret. At Thargum Onkelosi semper repertum est affatim. Et hoc ideo, quia nos obligati sumus, ut legamus quavis septimana Paraschah bis semel in textu, & semel in Thargum*. Recessisse tamen nonnunquam doctos a translatione Onkelosi, exemplo est Maimonides [f], non quod Onkelosus Maimonidi non satisfecerit; sed quia mendi suspicionem plerumque subesse prætendit in exemplari quo utebantur: Unde alibi scribit [g]: *Verum corrupta & depravata in exemplaribus nostris hæc expositio, sine controversia elegantissima & optima in tribus locis, in quibus invenio* ותם VACHASAH, *cum secundum hanc sententiam debuissent reddi*, ואגלי UGELE, *& revelatum est coram Domino. Loca sunt ista* 1. [h] ET VIDIT DOMINUS, QUOD MAGNA ESSET MALITIA HOMINUM. 2. [k] ET VIDIT DOMINUS TERRAM. 3. [i] ET VIDIT DOMINUS, QUOD EXOSA ESSET. *Mihi enim probabile videtur, errorem aliquem Librariorum hic irrepsisse: quia tamen non est penes nos ipsius Onkelosi αὐτόγραφον, nihil certi affirmare possumus, sed credendum nobis est, Onkelosi istam expositionem esse.*

VI. *Secunda Paraphrasis* appellatur Thargum Jonathan Ben Uziel, discipuli etiam Hillelis, senis illius celeberrimi, qui post reditum a Babylone præfuit Academiæ Hierosolymitanæ annis XL. si vera sunt, quæ de eo narrant Judæi: Hic autem Prophetas omnes Chaldaice transtulit, ut habetur in Talmud, [l] his verbis: *Thargum Legis Onkelos prozelytus composuit illud ex ore Aggæi Zachariæ, & Malachiæ*. Nec quidem sine miraculo, si Judaicis fabulis sit fides: nam ibidem R. Jeremias sive R. Ita Abbæ filius, qui mox allata verba ibidem protulisse fertur: statim *subdit*, quod cum Jonathas Prophetas Chaldaice converteret movit terra Israelitarum per quadringentas parasangas, auditaque est vox dicentis: *Quis ille est qui arcana mea enuntiare ausus est hominibus?* Jonathan autem insistens pedibus suis respondit: *Ego is sum, qui tua arcana patefeci hominibus:*

„ Tu

[a] *in libro Tzemach. David. fol. 41.*

[b] *lib. de jure Regio. pag. 167.*

[c] *in More Nevochim parte 3. cap. 33.*

[d] *part. 1. cap. 48.*

[e] *præfat. in Methurg.*

[f] *in More Nevochin.*

[g] *cap. 48. part. 1. p. 72.*

[h] *Genes. 6. 5.*

[k] *ibid. v. 12.*

[i] *Genes. 29. 31.*

[l] *Tract. Megilla cap. 1.*

alia extitisse Thargumim, præsertim in Nehemiam, quinimmo, & in Esdram, & Danielem; cum Danielis Liber hebraice fuerit exaratus; Chaldaico autem sermone a versiculo quarto Capitis secundi, usque ad finem Capitis septimi solummodo scriptus fuerit, ut eruditi animadvertunt. Liber autem Esdræ a versiculo octavo Capitis quarti, usque ad *v.* 27. Capitis septimi chaldaice, reliquus vero hebraice scriptus est. In Hieremia versiculus tantummodo undecimus Capitis X. in chaldæo est, & quidquid superest in Hebræo; Non igitur a vero distare videntur qui in hujusmodi Libros Thargumim chaldaice exarata opinantur. [W]

[10] Quidquid de Onkelosi, & Jonathanis ætate fabulentur Rabbini, verosimiliorem eorum arbitramur sententiam, qui Jonathanem Onkelo juniorem existimant, quandoquidem, ajunt, Stylus Onkeli præ aliis omnibus chaldaicam redolet phrasim, ut ex illius comparatione cum Chaldaico Danielis, & Esdræ fit manifestum. Intelligi nequit deinde cur suum inceperit Thargum Jonathan a Libro Josue, Librosque Mosis prætermiserit, si eos in chaldaicum versos non ad manus habuisset. [W]

„ *Tu vero non nescis, id me, neque meæ, neque parentis mei, sed tuæ gloriæ causa fecisse: ne dissentiones multiplicarentur in Israele.* Cum porro ille etiam libros qui „ vocantur כתובים, id autem est Hagiographa, vellet interpretari, edita rursus vox „ est, monentis ut se abstineret, satis enim „ esse. *Quamobrem?* inquit, *Quia in Hagiographis expressus est terminus venturo Messiæ præstiturus.* Sed quæ causa est, cur „ cum Lex interpretaretur, non moverit „ terra; cum autem Prophetæ, moverit? „ Quia Legis verba aperta atque explicata „ sunt: at Prophetarum, partim quidem „ explicata, alia vero signis consignata. Hæc illic pene ad verbum Talmud. Et *in tract. Bavabathra* legimus, quod cum huic interpretationi conscribendæ vacabat Jonathan, si forte musca aut aliud volatile ipsi, vel chartæ ejus insedisset; illico absque ulla vel ipsius, vel chartæ læsione, cœlitus exusta fuerit: imo quod Angeli e cœlis advolarent auscultandi causa, quando studiis vacabat. Verum ista & his similia portenta, Rabbinicis fabulis deputanda censeo.

VII. Observat insuper ibidem Galatinus, hanc Paraphrasin tantæ apud Judæos esse auctoritatis, ut non solum ei contradicere nemo audeat: sed non minus quoque fidei, quam ipsi textui omnes adhibeant: tum ob viri sanctitatem ac peritiam, tum maxime ob ipsius interpretationis, expositionisque veritatem; ideo quotiescunque aliquid ambiguum aut difficile intellectu, in textu Prophetarum inveniunt, semper ad eandem translationem atque enucleationem recurrunt.

Porro hæc Jonathanis Paraphrasis differt ab Onkeli expositione, quod, ut diximus, hæc literalis prorsus sit, & pene æquali verborum numero Hebræum textum interpretetur. Unde (*ait Helvicus* [a]) iisdem plane accentibus describi potest, cum tamen Hebræa prosodia vel in unius vocabuli mutatione aut transpositione vitiari possit, ut Hebræis notum est.

[a] *cap.* 3.

VIII. Quod si Interpres nonnunquam liberalis fuit, & dictionem unam aut alteram admensus est, illas solent Rabbini connectere per lineolam Maccaph, ut *Genes.* I. 2. *&c.* ut hoc modo accentuum series inviolata maneat. Thargum Jonathan vero est liberius, velut & alterum Hierosolymitanum: quod utrumque simillimo & verborum ac Phrasium & sensus tenore decurrit, ut videatur mihi alter alterum præ manibus in interpretando habuisse, utercumque etiam posterius scripserit. Interdum adeo prolixi sunt, ut Commentatores potius quam Interpretes agant: aliquando etiam multis circunstantiis textum illustrant, & historias in textu concise indicatas plenius describunt, ut videre est *Genes.* I. 27. & III. 9. 15. 18. 22. 24. & IV. 8. &c. Quas verisimile est ex antiquorum traditione acceptas. *Ita Helvicus.*

IX. Sunt præterea qui existiment præter Thargum in Prophetas, etiam in Legem, imo & in Hagiographa, maxime vero in Psalmos Thargumim eum edidisse. At certum est eum immerito censeri Auctorem illius Paraphasis in Legem, quam ei affingunt R. Azarias, [b] Helvicus, & nonnulli alii apud eundem. *Primo* quia Jonathan filius Uzielis (si modo talis unquam fuerit) multis annis hujus Paraphrasis Auctorem præcessit, puta quinque aut sex sæculis: siquidem in Exodo [c] meminit partium Talmudicarum, dicit enim decem aulæa seorsim facta, juxta sex ordines Mischnaioth, sive Talmudicos: Constat autem ex dictis, Talmud utrumque plurimis post Christum annis fuisse compositum. *Deinde* constat hujus Paraphrasis stylum longe diversum esse a stylo illius, quæ est in Prophetas, utpote qui multo impurior sit, & mixtus ex variis non affinibus tantum, sed plane diversis linguis: imo voces Hebræas, quasi Græcæ essent, sæpe explicat, ut quando Genes. XXXV. 8. pro, *Vocatum est nomen loci illius quercus flentium.* Vertit: *Et vocavit nomen ejus alium fletum*; quasi vox Hebræa אלון *quercum* significans, eadem esset quæ Græcorum δάκρυ. (11)

[b] *in Meor. Enaim i. e. de lumine oculorum cap.* 9.

[c] *cap.* 26. *v.* 9.

X. *Denique* hæc paraphrasis tot fabularum figmentis referta est, ut omnino virum sapientia ac pietate eximium, qualem tradunt Judæi, fuisse Jonathanem illum filium Ben Uzielis, dedeceat: nam exponens hæc verba [d]: *Percusserunt igitur & hunc* (Og Regem Basan) *cum filiis suis, &c.* scribit: *Factum est autem cum vidit Og impius castra Israelis, qui sex milliaria complectebantur, ut diceret: Instruam ego exercitum omnem adversus hunc populum, ne forte faciat mihi, sicut fecit Sehon, ivit & avulsit montem sex milliarium, imposuitque illum super caput suum, ut super Israelitas illum deturbaret. Statim præparavit Verbum Domini reptile quoddam, quod concidit & perforavit montem, itaut caput Og absconderetur & immergeretur in medium ejus. Voluit montem e capite detrahere: sed non potuit, eo quod molares ejus, & dentes ejus utrimque protensi essent. Ivit igitur Moses & accepit securim decem cubitorum, & saliit decem cubitos, & percussit eum in talo ejus, mortuusque cecidit trans Israelis castra: ideo scriptum est:* ET PERCUSSERUNT EUM, FILIOSQUE EJUS, *&c.* Similia his Judaica figmen-

[d] *Num. cap.* 21. *v.* 35.

[11] Alia sunt momenta quæ Auctorem illius Thargum in Legem, diu post Jonathanis Ben-Uziel ætatem floruisse demonstrant. Numerorum Cap. 24. Constantinopolis, & Gallia cis-alpina nominantur, quæ siquidem nomina longe Jonathanæ sunt recentiora, si ille Hillelis revera discipulus fuit. Nec quidquam eorum facit argumentatio, qui, Paulum Apostolum nomina Magorum *Jannes*, & *Mambres* qui contra Mosen in Ægypto decertarunt, ex paraphrasi Jonathanis Exodi I. versic. 75., & Exodi VII. 2. desumpsisse, & in Cap. 3. suæ Epistolæ secundæ ad Timotheum inseruisse, opinantur; quandoquidem ea nomina Paulus vel ex traditione Majorum, vel ex revelatione potuit addiscere; & ab Apostoli deinceps Epistola in illam Paraphrasim transferri ab Impostore potuerunt; non tantum igitur venerandæ antiquitatis huic Thargum concedendum videtur. [*W*]

menta referuntur in Talmud [a] ubi dicitur Mosis altitudo fuisse decem ulnarum, & securim habuisse longam decem quoque ulnas; oportuisse tamen eum decem ulnarum altitudinem saltare, ut ad claviculam pedis Regis Og attingere posset. Eadem habet R. Jacob Auctor *Hatturim* ad versum 8. cap. III. Deuter. *Moses*, inquit, *qui erat duodecim cubitos altos, saliit decem cubitos habens arma bellica decem cubitorum, & percussit eum in talo suo, qui decem quoque erat cubitorum*. Addam etiam de Og Rege Basan, aliam fabulam Judaicam, ex ultimo capite libri Sophrim, ubi legimus: *Og ille est Eliezer & plantas pedum ejus tegebat Abraham pater noster vola manus suæ. Semel autem contigit ut ipsum increparet, & præ timore cecidit ab eo dens ejus, eumque sustulit Abraham pater noster, & ex eo dente lectos fecit in quibus dormiebat... Quis autem pastus ejus? mille boves, & ita de cæteris animantibus; potus autem ejus, mille mensuræ; &c.* Quis ad hujusmodi portentosis Rabbinorum fabulis, bilem aut risum contineat?

[a] *tract. Beracheik. cap. 9.*

XI. *Tertia Paraphrasis* seu Thargum, adscribitur R. Jose, sive Josepho, quem Cœcum sive Luscum esse tradunt, qui reliqua Hagiographa Psalterii, Jobi & Proverbiorum transtulisse dicitur; non quidem scripto, sed traditione orali, quam alii excipientes, literis consignarunt. Hæc autem Paraphrasis stylo est prorsus inæquabili, imo mixto ex Syriasmo, Græcismo, & Latinismo conscripta; quapropter circa genuinam illius vocum quarumdam significationem, doctissimi Judæorum hærent, nisi alias linguas noverint. Syriasmis potissimum scatet Paraphrasis in Proverbia Salomonis, in quorum explicatione Rabbini linguæ Syriacæ ignari, vel nulli, vel ridiculi sunt, ut observat Buxtorfius in Lexico Talmudico, maxime *pag.* 37. &c. Sunt tamen qui hujus translationis Auctorem omnino incertum existiment; ita R. Asarias in *Meor. Enaiim*: Elias [b] autem dubitat an sit Josephus hic, an alius dictus Aquila: habet nihilominus hæc Paraphrasis pleraque apposite dicta, & quæ maximam textui aliunde obscuro lucem proferant.

[b] *præf. 3. in Hammasoreth.*

XII. *Quarta Paraphrasis* dicitur Hierosolymitana, vel ab urbe unde prodiit, vel a stylo quo confecta est: ea quam hodie habemus, solum extat in Pentateuchum, estque non integra, sed interrupta & mutila, cum non continua serie totus sacer textus, sed hic illic versus quidam transferantur; imo interdum contingit, ut versus medio deficiat & posteriorem tantum illius partem interpretetur. *Insuper* textui vertendo non ita astringitur, ut Thargum Onkelosi, sed sæpe discurrit, & potius Commentatorem quam Paraphrastem in multis agit.

Quis autem sit illius Auctor, & quo tempore fuerit edita, prorsus incertum asserit Elias Levita [c], scribens: *Interpres Hierosolymitanus, qui Legem interpretatus est, incognitus est nobis, quisnam fuerit, an ille qui interpretatus est Hagiographa, an vero diversi sint homines diversis temporibus. Quidam dicunt quod Aquila Proselytus interpretatus est utrumque. Alii dicunt quod R. Joseph utrumque interpretatus est.* Et paulo antea sic ait: *Tempus compositionis Thargum Hierosolymitani super Legem & Hagiographa, notum nobis non est. An scilicet fuerit compositum ante Talmud Hierosolymitanum, aut postea. Sententia autem mea propendet, ut credam Thargum Hierosolymitanum non esse nisi super Job, Proverbia & Psalmos, non autem super quinque Megilloth: quia tenor & stylus sermonis eorum non est simul, & ab uno & eodem dispositus, &c.* Nonnulli putant illius Auctorem esse eundem qui & Hagiographa interpretatus est. Unde Galatinus [d], ait Hagiographorum Paraphrasin Hierosolymitanam vocari. Mihi vero videtur fragmentum esse, cujuspiam integræ versionis, quippe cum, ut jam dicebam, sæpe in versiculi medio deficiat; aut postremam tantum particulam versus interpretetur: non sit autem verisimile Auctorem mutilate versum interpretari voluisse. *Accedit* quod sæpe ipsissima Jonathanis Paraphrastæ verba referat: unde non leve indicium est illam ex hujus Paraphrasi fuisse expressam. Ut ut sit, certum est illius Auctorem vixisse post ultimo vastatam urbem. Nam Levit. XXVI. 29. mentionem facit horrendæ & miserabilis illius famis, quam in Hierosolymorum obsidione postrema passi sunt Judæi: igitur hoc Thargum post illa tempora scriptum esse argumentum est.

[c] *præf. in Methurgemam.*

[d] *lib. II. cap. I.*

XIII. *Quinta denique Paraphrasis* dicitur Thargum quinque libellorum, nempe Cantici Canticorum, Ruth, Threnorum, Eccles. & Esther, quæ ut omnium est postrema; sic fabulis Talmudicis præ reliquis Paraphrasibus farta est. Appellatur etiam a nonnullis Thargum Babylonicum, quia ea dialecto fuit editum, qua usi fuerunt Judæi in Hierosolymis & in terra Judæa, postquam e Babylonia in patriam sunt reversi. Conveniunt Judæi, hoc Thargum a Hierosolymitano prorsus discrepare, quorum differentiam hanc assignat Elias Levita [e] ubi scribit: *Magnum est discrimen inter Thargum Hierosolymitanum & Babylonicum, eo quod illud compositum est ex multis linguis, Babylonica, Græca, Romana, & Persica; & ideo deprehenduntur multæ dictiones ex istius linguis. Et videtur mihi initium istius confusionis cœpisse ab eo tempore, quo ista regna Hierosolymis imperarunt, & propterea ista lingua vocata est, Thargum Hierosolymitanum. R. Jochanan ea dialecto composuit Talmud Hierosolymitanum, circiter annis trecentis post templi excidium*; hoc est, anno Christi CCCLXX.

[e] *præf. in Methurg.*

XIV. Quin etiam non solum hujus, sed & aliarum Paraphrasium æram prorsus commentitiam esse, & eas omnes longe recentiores quam jactitent Judæi, argumento esse debet, altum de illis apud literatissimos Origenem, Epiphanium & Hieronymum silentium. Enim vero, si ante vel paulo post Christi Domini ætatem, hujusmodi

Pa-

Paraphrases Orbi innotuissent, & apud Judæos fuissent vulgatæ: Qui fieri potuit, inquit Morinus [a], ut istarum tam cupidus & diligens indagator Origenes, aut quivis alius Christianus nullam subodoratus fuerit? „ Multi Judæi tum ad Christianismum convertebantur, nunquid eorum aliquis Origenem diversarum translationum studiosissimum monuit apud Judæos haberi, maximoque esse in pretio Translationes Chaldaicas, multaque ex iis argumenta in confirmationem fidei Christianæ desumi posse? Quid? S. Epiphanius qui natione Judæus erat, & emensa adolescentia factus est Christianus, Paraphrases istas ignorare potuit? de ea re, dum erat Judæus, & Synagogas frequentabat, a parentibus aut Synagogæ primoribus nunquam est monitus?

[a] *lib. 2. exerc. 8. cap. 2.*

„ Ista argumentatio de S. Hieronymo, „ est multo illustrior: nam sacras Scripturas ipse ex Hebræo est interpretatus, „ cujuslibet translationes in sui auxilium collegit & inspexit. Ideo in Orientem profectus est, a Christianis Judæis primo „ Hebraicas literas didicit, deinde celeberrimos quosque Rabbinos non modo semel „ & iterum consuluit, sed magna mercede, ut illum docerent, conduxit. Chaldaicam dialectum maximo labore ab iis didicit, & libros sacros Chaldaice scriptos „ Latine transtulit. Hæc omnia notissima sunt, & infra multis S. Hieronymi testimoniis illustrabuntur. Nusquam tamen, „ licet tot volumina scripserit, & singulis fere paginis Hebraica aut Chaldaica tractet, & translationes omnimodas, modo hanc, modo illam in dictorum suorum confirmationem referat, istarum Paraphrasium mentionem facit. Itaque altum ipsius de Paraphrasibus illis silentium, argumentum esse debet eam nondum illius ætate extitisse.

Nec aliquid valet reponere cum Waltono, causas hujus alti apud Patres silentii, de hisce Judaicis libris inter alias fuisse, quod inter Judæos & Christianos, illorum temporum magnæ simultates vigebant, Judæis ubique in persecutionem Christianorum Ethnicos stimulantibus, donec ex Imperatorum ad Christum conversione, Christiani superiores evasere; tantæ tamen etiam eo tempore ac sequentibus Judæos inter & Christianos erant animorum acerbitates, ut Patres Christiani Judæorum libros abominarentur, nec linguam Hebræam vel Chaldaicam multum curarent, cum vetus Testamentum antea a LXX. Græce ex Hebræo conversum haberent. Hæc, inquam, responsio, quanquam respective ad SS. Patres primi aut secundi sæculi, aliquid verisimilitudinis habeat; omnino tamen cadit, si S. Hieronymum spectes, quippe qui eo tempore vivebat, quo Judæis omnino subditis & attritis Christianos infestandi nulla erat potestas. Et insuper cum ipse Hebraice simul ac Chaldaice peritissimus esset, & doctissimos quosque ex Hebræis sui temporis summo pretio, vel amicitia conductos, haberet; apud eum tamen cum de his Chaldaicis Paraphrasibus altum sit silentium, argumentum est eas ipsius ætate nondum extitisse, sed a posterioribus quibusdam Rabbinis confictas, & quod iis familiare est, inscriptas, pretioso nomine Jonathani & Onkelos, ut sibi facilius fidem facerent, & incautos luderent. (12)

XV. Quanta vero sit Chaldaicarum Paraphraseon in controversiis fidei Christianæ contra Judæos utilitas, apparet ex eo quod ejusmodi Paraphrases plurima nobis subiiciant momenta ex veteri Testamento, quibus mysterium Trinitatis & Incarnationis Verbi divini evincamus. Primo namque ex ea haud obscure colligitur Personarum Trinitas in unitate divinitatis subsistentium, ut plurimis textibus probat Helvicus [b], præsertim vero Genes. I. 27. Hæc verba, *Creavit Deus hominem, &c.* Targum Hierosolymitanum reddit; *Creavit Verbum Jehovæ hominem*, Et Genes. III. 22. *Ecce Adam quasi unus ex nobis factus est.* Sic effert: *Et dixit Verbum Jehovæ, Ecce Adam quem creavi unigenitus est in mundo, sicut Ego unigenitus sum in Excelsis.* Sic etiam sæpius *Verbi Jehovæ* mentionem fieri ab Onkelo & Jonatha in Pentateucho reperies: sic Onkelos Genes. XXVIII. 20: hæc verba Jacobi, in Mesopotamiam properantis: *Si fuerit Deus mecum, &c.* hoc modo explicat: *Si fuerit Verbum Domini in adjutorium meum, & deduxerit me in via quam ambulo, erit mihi Verbum Domini in Deum.* Idem ferme habet Jonathan. Quæ certe non aliter quam de Verbo hypostatico intelligi possunt? Verbum enim prolativum absur-

[b] *cap. 5.*

[12] Sententiam Waltoni defendentes nequaquam silentio etiam Hieronymi acquiescunt, ut aliquid de vetustate Thargumim, quæ sub nomine Jonathanis, & Onkeli vere circumferuntur, removeant; ajunt enim Doctorem hunc Maximum jam valde provecta ætate fuisse, dum Chaldaicæ Linguæ operam dabat, ut S. ipse Doctor conqueritur in Præfat. ad Danielem; credibile ulterius est hujusce modi Libros abditos semper apud Rabbinos permansisse ex Judæorum industria, ne per eos Christianis arma ad Hebræorum pervicaciam confundendam præberentur; in eis quippe Libris palam, & expresse leguntur principaliora Christianæ Religionis Mysteria, ut etiam Frassenius demonstrat. Quamvis autem cum pluribus e Rabbinorum cætu familiarissime uteretur Hieronymus, summamque in mercedem pecuniæ quantitatem largiretur eisdem; clam nihilominus, & nocte silenti ad eum accedebant ii Hebraicæ Linguæ instructores, ut Hieronymus ipse testatur, ne aliorum Hebræorum ἐπιλήσεσι se se committerent. Hujus indolis homines si plurima eorum, quæ sciebant, Sancto Hieronymo palam non fecisse dicantur, quid improbabile proferetur fortassis? Minime profecto: Sanctum Hieronymum ergo facillime potuerunt effugere Paraphrases Chaldaicæ, quemadmodum postea per mille circiter annos sapientes quoscunque Catholicos ob Judæorum livorem in eos, & invidiam effugerunt. Quamquam nihilominus ex Patrum silentio non satis Thargumim antiquitas concutiatur, maximam nihilominus novitatis suspicionem præseferunt ob expressionem trium Personarum in divinis, quæ in eis Paraphrasibus legitur, cum nullibi tam clare in Scripturis veteris Testamenti habeatur, ex quibus Thargumim illa confecta supponuntur. [*w*]

absurde Deus dicitur, in quem omnis fiducia collocetur. Distinctius tres adorandas Personas expressas habes in Paraphrasi horum Genes. VI. 3. *Non permanebit Spiritus meus in homine, &c.* Quæ sic Jonathan Chaldaice reddit: *Et dixit Jehova per Verbum suum, non judicabuntur generationes malæ ullæ, quæ futuræ sunt post hæc, secundum ordinem generationis hujus ante diluvium, ut perdantur & extirpentur de mundo. Annon dedi Spiritum Sanctum meum inter illos eo fine, ut bene agerent? &c.* Hierosolymitanus ita; *Et dixit Verbum Jehovæ, &c.* En! habes hic *Jehovam:* habes *Verbum Jehovæ*, distinctam Personam: Personæ enim est *Loqui*, velut antea dictum: habes *Spiritum Sanctum Jehovæ.* Testatur etiam Galatinus [a], vetusta exemplaria Thargum Jonathæ in Isa. VI. habuisse ita: *Sanctus Pater, Sanctus Filius, Sanctus Spiritus Sanctus*; & tale exemplar se vidisse testatur Licii.

[a] lib. 2. cap. 1.

Similiter Messiæ adventum & officia evidentissime exprimunt Chaldaicæ Paraphrases in hæc Geneseos verba; *Non auferetur sceptrum de Juda, &c.* Sic Onkelos: *Non deficiet habens Dominium de Domo Juda & Legislator de filiis filiorum ejus in sæculum, usque dum veniat Messias, cujus est regnum, & ei obedient populi.* Sic Jonathas; *Non deficient Reges & duces de domo Juda, & Legislatores docentes Legem de semine ejus, usque ad tempus quo veniet Rex Messias parvus filiorum ejus, & propter eum liquefient* (expavescent) *populi.* Sic Hierosolymitanus; *Non deficient Reges de domo Juda neque Doctores docentes Legem de filiis filiorum ejus, usque ad tempus quo veniet Rex Messias, cujus est regnum, & ei futurum est, ut se humilient omnia regna terræ.*

Psalmus quoque XLV. qui totus, quantus est, de Messia ejusque regno, persona & officio vaticinatur; Rabbini quidem ad Salomonem detorquent, eosque secuti alii nonnulli. Sed adverte, quanto lumine præ illis Chaldæus Paraphrastes, quantumvis Cœcus dictus, radiet: Sic inquit, vers. 3. editionis Complutensis: *Decor tuus, o Rex Messia, exuberat præ filiis hominum; datus est Spiritus Prophetiæ in labia tua, propterea quod benedixit tibi Jehova in æternum.* vers. 8. *Et tu Rex Messia, quia dilexisti justitiam, & odio habuisti iniquitatem, propterea unxit te Deus, Deus tuus, oleo lætitiæ plus quam socios tuos.*

His adde Paraphrasim in hæc verba Deuter. XXXII. 39. *Videte quod Ego sim solus, & non sit alius Deus præter me, ego occidam & vivere faciam, &c.* Atque Targum Jonathan: *quando manifestabitur verbum Jehovæ, ut redimat populum suum, dicet* (illud Verbum) *ad omnes populos, Videte nunc, quia Ego is sum qui fui & qui futurus sum, & non est Deus alius præter me. Ego in vindicta mea occido, & vivificando vivifico populum domus Israel. Ego medeor illis in extremitate dierum.* Hæc verba non possunt aliter ac de Messia intelligi. Confirmat id Targum Jonathan in Genes. XLIX. 18. SALUTARE *tuum expectabo Domine.* Chaldaice sic: *Dixit pater noster Jacob, non expecto salutare Gedeonis filii Jonis, quæ est salus temporalis, neque salutare Simeonis filii Manuah, quæ est salus transitoria; sed expecto redemptionem Messiæ filii David, qui venturus est ut aggreget sibi filios Israel: hujus redemptionem expectat anima mea.* Sic est in editione Complutensi sub nomine Onkeli. (13)

[13] Maximæ profecto utilitatis hæc Thargumim facienda ad Judæorum revincendam duritiem, eisdemque *ad hominem*, ut ajunt, veritatem, & Divinitatem Christianæ Religionis demonstrandam; cum, Rabbinis ipsis fatentibus, ejusdem ferme auctoritatis existiment Paraphrases Chaldaicas ac textum ipsum Sacrarum Scripturarum Hebræorum Magistri; hinc in Synagogis non minus textus, quam Paraphrases legebantur: quinimmo variæ fuerunt a Buxtorfio, & Waltono Biblia conspecta, in quibus alternatim versiculi hebraice, & Chaldaice scripti erant. In hujusmodi igitur Thargumim, quæ tanti faciunt Judæi, passim tam clara leguntur verba de Messia, ut nonnisi per obstinatam cæcitatem negari queant in Christo Nazareno fuisse completa. In Libro numerorum Cap. 24. ℣. 17. ita legimus juxta Paraphrasim Chaldaicam, quæ in Biblia Regia adinvenitur. „ Video „ eum & non modo, intueor eum sed non est prope: cum consurget Rex de domo Jacob, & ungetur Christus de domo Israel, & occidet Principes Moab, & dominabitur omnium filiorum „ hominum „. Isaiæ pariter Cap. 9. ℣℣. 5. & 6. ita legimus in Paraphrasi Chaldaica „ Dicit Pro„ pheta domui David: quoniam parvulus natus est „ nobis, filius datus est nobis: & suscepit legem „ super se, ut servaret eam, & vocabitur nomen „ ejus a facie Admirabilis consilii Deus, vir per„ manens in æternum; Christus cujus pax mul„ tiplicabitur super nos in diebus ejus. Multipli„ cabitur magnitudo operantibus legem, & custo„ dientibus pacem non erit finis super Solium Da„ vid, & super regnum ejus, ut stabiliat, & æ„ dificet illud in judicio, & justitia a modo & „ usque in Sæculum. Verbo Domini exercitium „ fiet hoc „. Quidquid tandem legitur in Isaiæ Capp. 52., & 53. clarissime in Targum Chaldaico Messiæ applicata intuemur, quæ siquidem loca dignissima sunt ut legantur. Videatur S. Chrysostomi demonstratio: *quod Christus sit Deus:* Tom. 5. editionis antiquæ. [IV.]

CAPUT QUARTUM.

De editione Syriaca.

I. *Quid sit Syria, & quas regiones complectatur.*
II. *Quænam sit linguæ Syriacæ origo, & quanta illius cum Hebræa conformitas.*
III. *Duplex est veteris Testamenti editio Syriaca, una ex textu Hebræo, altera ex Græco, quarum unam temporibus Salomonis factam esse, inane est commentum.*
IV. *Illius etiam Auctor non est S. Marcus Evangelista, nec S. Thadæus.*
V. *Eam tamen venerandæ esse antiquitatis probabile est.*
VI. *Plurimi populi ea editione utuntur.*
VII. *Illius quippe varia est utilitas & dignitas.*
VIII. *Maxime quod Christus & Apostoli videantur linguam illam habuisse vernaculam.*
IX. *At jam variis exoticis verbis interpolatam.*
X. *In qua est verisimile tunc temporis factam fuisse editionem veteris Testamenti.*

I. SYriæ titulo, eas omnes regiones nominibus Phœniciæ, Palæstinæ, Mesopotamiæ, Babyloniæ, Cœlesyriæ, Adiabenæ, Assyriæ, aliarumque eis vicinarum comprehensas fuisse testantur Pomponius Mela [a], Hesychius & alii, cum veteres tum recentiores Geographi. Unde Syria & Assyria licet diversam sortiantur vocis originem; attamen apud Auctores, pro una eademque interdum habentur apud Justinum [b] & Ciceronem [c], qui Sardanapalum opulentissimum Syriæ Regem appellat; Sardanapalus autem Assyriæ Rex erat; ita etiam alibi ab ipso Cicerone [d] appellatus: in primo autem libro de divinatione Chaldæos in Assyriorum natione locat, quos paulo inferius etiam Syriæ tribuit; *In Syria*, inquit, *Chaldæi in hac cognitione astrorum, solertiaque ingeniorum antecellunt*. Neque aliud sonat Assyria, quam Syriam apud Tragœdum [e]:

a lib. 1.
b lib. 1.
c Quæst. 5. Tuscul.
d lib. 2. de finib.
e in Hypolyto.

O Magna vasti Creta dominatrix freti
Cujus per omne littus innumeræ rates
Tenuere pontum, quicquid ASSYRIA *tenus*
Tellure Nereus pervium rostris secat.

Mare Mediterraneum intelligit, quod Syria tenus intersecat. Plura ad hanc rem adstruendam congeri possent, sed unus pro omnibus nobis erit Ammianus [f]; *Citra amnes*, inquit, *Provincia est nobis Assyria, celebritate & magnitudine, tum & multiformi feracitate ditissima, quæ per populos pagosque amplos diffusa, quondam & copiosa ad unum concessit vocabulum, & nunc omnis appellatur Syria*. Concinit S. Hieronymus in cap. IX. Isaiæ: *Doctus Lector*, inquit, *veteres revolvat Historias, & ab Euphrate ad Tigrim, omnem in medio regionem Assyriorum fuisse cognoscet. Ergo quos veteres Assyrios, nunc nos vocamus* SYRIOS, *a parte totum appellantes*.

f lib. 23.

At usus tandem invaluit, ut in Syros & Assyrios imperium divisum esset: *Assyriorum* nomine iis, qui trans Euphratem erant appropriato; *Syrorum* vero reliquis a Phœnice ad Euphratem, unde Hesychius *Syriam* vocat, *terram quæ est a Phœnice, Babylonem usque*. Ante divisionem Imperii in Assyrios & Syros, ab Aram Semi filio, dicti erant Syri *Aramæi*. Sic enim Josephus Ἀσσυρίους ἔχειν δὲ ἅπαντας Σύρους προσαγορεύειν. Et Strabo [g]: Ἅπαντας Ἀσσυρίους ἐκάλουν ἔθνος ἕν: *Græci vocabant Syros Aramæos*. Hoc autem nomen apud eos idcirco desiisse quidam coniiciunt, quod Aramæi nomen pro gentili idololatra usurpatum fuerit: sic in Gemara Talmud Babylonici, ubi de Idololatria agitur; Cuthæus, sive Samaritanus, medius ponitur inter Judæum & Aramæum, vel idololatram Gentilem. Quod inde factum existimo, quia primi Idololatræ, quorum Scriptura meminit, nempe Nachor & Laban, erant patria Aramæi. (14)

g lib. 16.

II. At quidquid sit de regionum nominibus, certum est linguam Syriacam (quæ ante captivitatem Babylonicam eadem erat cum Chaldaica, aut saltem paululum ab ea diversa, ut coniicit Georgius Amira [h]) post solutam eandem captivitatem, plurimum ab ea deflexisse, apud Judæos in patriam e captivitate reduces; quorum plurimi cum Chaldaicæ linguæ tempore servitutis

h *præludio in Gramm. Syriac.*

(14) Postquam Syria sejunctim ab Assyria a Geographis cæpit describi, ejus limites hoc ferme pacto statuuntur, ut ad Boream, finitimam habeat minorem Armeniam, a qua per montem Amanem sejungitur; ad Meridiem vero per Arabiam Petream; ad Occidentem per Tirrenum mare, ad Orientem denique fluvio Euphrate limitatur. Tres in partes Syriam partiuntur Geographi, in Syriam propriam videlicet seu superiorem, quam a Monte Amane usque ad Libanum extendunt, & in hac Comagenes, Cirrestica, Seleucides, aliæque includebantur regiones: in Cœlesyriam, quæ a Libano usque ad Antilibanum extendebatur, atque Damasci territorium continebat; in Cœlesyria, quæ Syriam Cavam significat, eo quod inter duas montium catenas Libani videlicet, & Antilibani includebatur, Damascus, Cæsarea Philippi, & Heliopolis existebant. A fine Cœlesyriæ usque ad Arabiam, & ad Ægypti frontem Syria Palæstina claudebatur, in qua duodecim Israelis Tribus morabantur. Decem Syriæ denique in scriptura recensitæ inveniuntur, quæ tamen omnes in Syria magna continebantur. Videatur hac de re Tostatus quæst. 59. in caput 15. Matthæi. Nec non Alfonsus Salmero Prolegom. 41. (*W*)

tutis assuevissent; nonnulli tamen, puta Seniores & Sacerdotes, linguam Hebraicam asservassent illibatam, inde nata est tertia ex utrisque mixta, quæ *Syriaca* specialiter dicta est. Tametsi vero a Chaldaica non longe abluderet, nihilominus tamen Hebraicæ similior erat quam pura Chaldaica Babylonica; unde plerumque in novo Testamento Hebraica vocatur; licet majori ex parte Chaldaica esset, & postea vocabulis plurimis Arabicis, Græcis aliisque exoticis, propter Judæorum cum exteris nationibus frequentius quam antea commercium, mixta & contaminata. Cum autem arctissima necessitudo intercedat idiomatis Syriaci cum Hebræa lingua, hæc summa utriusque vicinitas (quam nulla omnium usquam Gentium linguarum alia assequi potuit) effecit ut lingua sancta seu Hebræa, Syriacæ quasi mater, filiæ sibi simillimæ, maximeque germanæ, nomen suum accommodarit; quare linguæ Syriacæ peritia ob suam cum Hebræa vicinitatem plurimum confert ad perfectam sacrorum Bibliorum intelligentiam. Hinc omni studio consulenda est editio Syriaca præ cæteris Hebraicæ conformis.

III. Porro versionem Syriacam veteris & novi Testamenti geminam esse; alteram ex Græco LXX. Interpretum, alteram ex Hebræo, testantur plures non incelebres Syri Scriptores. De veteri quidem Testamento Syriace translato; hæc habet Moses Barcepha Syrus [a]: *Sciendum est*, inquit, *vetus Testamentum pluribus translationibus ex Hebræa lingua in Græcam esse transpositum; Syriace vero redditum esse, una quidem interpretatione ex ipso Hebræo; altera vero ex* „ *Græco*. Ei concinit Gabriel Sionita [b] ita „ scribens: Versionis autem antiquitas ea „ est, ut secundum receptissimam Chaldæorum & Syrorum traditionem, coæva sit „ Salomoni; sic enim legimus in libro antiquissimo Soadedi Episcopi Hadethensis, „ veteri charactere in membranis exarato, „ qui inscribitur: *Locorum difficilium & vocum obscuriorum in sacris literis occurrentium elucidatio*: hoc est, sacrorum voluminum translatio, hunc ordinem est „ adepta,

„ Pentateuchus, Josue, Judices, Ruth „ & Samuel, David, Proverbia, Ecclesiastes, Canticum Canticorum & Job, translati fuerant tempore Salomonis, orante „ exoranteque Hiram Rege Tyri ejus amico. Reliqui vero libri veteris pariter ac „ novi Testamenti, tempore Abagari Regis „ Syriæ, cura & solicitudine Thadæi aliorumque Apostolorum. Quanquam vero „ non me lateat sententia quorumdam Syrorum, existimantium integram veteris „ ac novi Testamenti versionem Syriacam „ factam esse temporibus Thadæi & Regis „ Abagari: prior tamen opinio inde probabilior videtur, quod D. Paulus ad „ Ephes. cap. IV. usus est versione Syriaca. „ Ubi docere volens unicuique nostrum datam esse gratiam, secundum mensuram „ donationis Christi, usus est Syriace auctoritate Davidis Psal. LXVIII. *Ascendens* „ *in altum captivam duxit captivitatem, dedit dona hominibus*. Cum enim Psalterium „ Hebræum, Græcum ac Latinum utantur „ verbo accipiendi, *Accepisti dona in hominibus*, solum autem Syriacum D. Pauli „ verbis & consilio respondeat, cujus verba sunt: *Ascendisti in altum & captivam „ duxisti captivitatem, & dedisti dona hominibus*; fateri proculdubio debemus D. „ Paulum versione Syriaca usum, sicque „ eam Apostolis antiquiorem esse. *Hæc ille*.

Verum adduci non possum ut consentiam vetus Testamentum Syriacum tam venerandæ esse antiquitatis, quantam ei affingunt Syri; nulla enim illius versionis apud rerum Judaicarum Scriptores veteres extat memoria, cujus tamen, si res ita esset, haudubie meminissent, maxime Josephus; qui cum qualibet data occasione, nihil non fingit, quod ad Gentis suæ gloriam faciat; habuisset autem unde mirum in modum gloriaretur de hac per Salomonem facta Syriaca versione; si vera fuisset hæc recensio, non siluisset. Deinde Tyri & Phœnices, quibus imperabat Hiramus, communem habebant cum Judæis linguam ante captivitatem Babylonicam; enimvero Tyriorum & Judæorum linguam sola dialecto discrepabant. Quorsum itaque versionem desideraset Hiramus, sacrorum librorum in linguam sibi vernaculam, cum jam in eadem extarent exarati. *Insuper* quærerem apud quos servata fuisset hæc antiqua Salomonis versio, ut tandem ad Syrorum Christianorum manus integra perveniret? Non certe apud Tyrios, qui cum essent Idololatriæ & inanium Deorum cultui dediti, nulla potuit in eis inesse de conservandis Judaicis libris diligentia & sollicitudo. Non etiam apud Judæos, apud quos de ea altum est silentium. Non tandem apud Christianos, quorum nomen & Religio nonnisi plurimis postmodum sæculis Orbi innotuerunt. *Denique* Dialectus qua extant Biblia Syriaca aperte clamat, inquit Vvaltonus, multis sæculis post Salomonis tempora, hanc versionem fuisse editam: Siquidem versio hæc constat lingua ex Hebræa & Chaldæa mixta, quæ Syriaca communiter dicta est, & nonnisi post captivitatem Babylonicam cœperat esse vernacula. Igitur vanissimum est commentum de antiquitate tanta hujus versionis. Nec ei suffragatur oraculum Apostoli ad Ephes. IV. ex Psal. LX. secundum Syriacum exemplar depromptum. Probabilius enim est ex Apostolo hæc verba ita transtulisse Syrum Interpretem, quam ex Syro Apostolum: siquidem Apostolus magis sensum quam Hebraicum vocabulum attendens, significare voluit Christum a patre dona accepisse, quæ hominibus largitus fuerat.

IV. Nec certe probabilior apparet aliorum Syrorum assertio, qui S. Marcum Evangelistam aut S. Thadæum, quem *Addæum* vocant, hujus Syriacæ Bibliorum versionis Auctores faciunt. Nam S. Marcus non potuit novum Testamentum Syriace vertere, utpote cum celebres illius partes, nempe Evangelium & Apocalypsis S. Joan-

[a] *lib. de paradiso terrestri part. I.*

[b] *præf. in Psal. Syri.*

nis post ipsius mortem scriptæ sint. Obiit enim, teste S. Hieronymo, anno VIII. Neronis. Nisi forte quis dixerit cum Pocockio in historia Arab. Latine reddita [a], hos libros ab aliis postmodum Syris fuisse Syriace redditos; unde in priori editione Syriaca, non extant Epistolæ secunda Petri, secunda & tertia Joannis, nec Judæ, nec Apocalypsis, ut constat ex exemplari a Vvidmastadio Ferdinandi Imperatoris Cancellario typis Viennæ mandato anno Domini MDLV. rogatu & ope Mosis Meredinæi, seu Mardeni Mesopotamiis, quem ideo miserat in Europam nostram Ignatius Antiochenus Patriarcha. Nihilominus non abnuerem ab Apostolicis viris, seu Apostolorum discipulis, hanc Syriacam versionem fuisse editam; quippe cum id pro certo ferat traditio generalis Ecclesiarum Orientalium, cui in hoc multum tribuendum est, cum nulla evidens ratio contrarium suadeat. (15)

a *Gregorii Abul Faraijus.*

V. *Oppones forsan* nullam hujus versionis mentionem fieri apud veteres Ecclesiæ Patres, maxime Origenem, Clementem Alexandrinum, Eusebium, Epiphanium, Hieronymum & alios, qui cum vel in Ægypto vel in Palæstina fuerint versati, & scripturæ versiones & traditiones commemoraverint, hauddubie hujus aliquam mentionem fecissent, si eorum tempore extitisset.

Verum quanquam aliqui e SS. Patribus editionis aperte Syriacæ non meminerint; sunt tamen qui illius mentionem fecerunt. Nam S. Ambrosius [b] expendens primum caput Geneseos scribit: *Denique Syrus qui vicinus Hebræo est, & sermone consonat, & in plerisque congruit; sic habet:* ET SPIRITUS DEI FOVEBAT AQUAS. Similiter Procopius, [c] Theodoretus, [d] S. Chrysostomus, [e] Syros Codices laudant: imo & S. Augustinus [f] qui sic scribit: *In quibusdam Codicibus Græcis tribus, & uno Latino, & uno etiam Syro inter se consentientibus inventus est Mathusalem sex annis ante diluvium fuisse defunctum.* His adjungere licet veteres Syros Scriptores; in primis Jacobum Syrum, qui Concilio Nicæno interfuit, & in textum Syrum varia edidit Commentaria. *Similiter* magnum Ephremum, qui universam

b *lib. 1. Hexameron.*

c *in cap. 22. Exod.*
d *in cap. 3. Jona.*
e *in Psal. 94.*
f *lib. 15. de Civit. cap. 13.*

sacram Scripturam Syriace illustravit & versionis simplicis ex Hebræo meminit, quorum præclara opera apud Syros notissima & frequentissima esse affirmat Amira [g].

g *prælud. ult.*

Sed quidquid sit de veteri illa editione Syriaca ex fontibus Hebræis, certum est eam, quam ex textu Græco LXX. Seniorum confectam habent, antiquissimam esse: nam doctissimus Masius [h], testatur se vetustissimum habuisse Codicem Scripturæ sacræ Syriaca lingua supra millenos abhinc „ annos conscriptum; Habeo, *inquit*, ali„ quot sacræ historiæ libros, (LXX. Se„ niorum) qui & conversi in linguam Sy„ ricam, & scripti sunt Alexandriæ anno „ ab Alexandro Magno novies centesimo „ vigesimo septimo, hoc est, ante hos non„ gentos & quinquaginta annos: sunt, in„ quam, conversi ad verbum de Græco „ exemplari, quod manu Eusebii, ad Ori„ genis libros qui in Cæsarienfis Ecclesiæ „ Bibliotheca asservabatur, fuerat emenda„ tum; cum huic ad eam rem adjutor fuis„ set suus Pamphilus. Similer Langius in Catalogo librorum manuscriptorum Orientalium Bibliothecæ Ducis Florentiæ, scribit: I. Scamno 1. Cod. num. 40. Evan„ gelia IV. Syriace sine punctis vocalibus „ ante annos DCCCCXXV. scripta, nempe „ anno Alexandri MXXXVIII. 1. juxta Epo„ cham vulgarem Syrorum & Orientalium „ ad nostrum computum deductam anno „ Christi DCCXXVII. Initio habetur Harmo„ nia Evangelica Eusebii Pamphili: liber „ est in folio Pergamenus. Eodem Scamno „ Cod. num. 56. Evangelia IV. Syriace li„ teris capitalibus & sine punctis vocali„ bus scripta ante annos MLXVI. anno nem„ pe Alexandri DCCCVII. hoc est, anno „ Christi DLXXXVI. habetur, & in hoc Co„ dice Harmonia Evangelica Eusebii & Am„ monis cum miniaturis (quæ etiam in „ Codice superiore sunt) picturisque histo„ riarum vet. & nov. Testam. Hic Codex „ vere inæstimabilis est, scriptus nitidissime „ & optime conservatus; unum tantum „ in principio folium deest. Eodem Scamno „ Cod. num. 38. Evangelia IV. Syriace „ maximæ antiquitatis, quippe iisdem lite„ ris quibus prima scripta, sed quia in fine „ de-

h *præf. in Josue. circa finem.*

(15) Cum Frassenii opinione Waltoni quadrat sententia, existimantis Syriacam versionem ad Apostolicam ætatem esse protrahendam, cum in Syrorum primis Codicibus nonnulla desint novi testamenti scripta, eo quod in Canone scripturarum nondum recepta forent dum versio illa Syriaca adornabatur inquit ille. Vossius autem contendit Syriacas versiones, quæ nostris hisce temporibus editæ sunt, quinque, aut sex non excedere sæculorum ætatem, cui tamen P. Le-Long in *Addendis ad Bibliothecam* sacram refragatur, judicans magni non esse faciendam Vossii auctoritatem hisce in rebus, cum nec Syriacas noverit literas, nec quid commercii cum scriptoribus ejus gentis habuerit. An autem in lingua Syriaca quis ex Divinis Auctoribus aliquid exaraverit saltem novi Testamenti, incertum prorsus est, cum Recentiores Critici neque Matthæi Evangelium, neque Epistolam ad Hebræos Apostoli Pauli eo idiomate scriptam velint. Videatur Guilielmus Estius in Prolegomenis in Epistolam ad Hebræos, Calmetus ibidem, aliique ab eodem nominati. Quamquam autem Widmanstadius, & Guido Fabricius Originale Sancti Matthæi apud Syros mansisse opinentur, nihilominus oppositæ sententiæ adsertores Syriacam sancti Matthæi versionem ex Græca fuisse concinnatam facile quemlibet suaderi posse tuentur, si ad stylum, ad errata, quæ ibidem inveniuntur, ad vocum connexionem, & denique ad Græcum quoddam exemplar mentem suam convertere velit; neque magni facienda opinantur Alphonsi Salmeroni argumenta in suo Prolegomeno 35. proposita, quibus evincere nititur Evangelium Matthæi, & Apostoli Epistolam ad Hebræos Syriaco fuisse sermone conscripta, quamquam postea in Hebraicum ex Latinorum, & Græcorum codicum imitatione a posterioribus ætate Judæis, aut Christianis peritioribus fuisse conversa fateatur. Hujus quidem Auctoris opinio adhuc magis ruit in eorum sententia, qui ajunt vernaculam linguam in Judæa ætate Christi fuisse Hellenisticam. (W)

„ desunt quædam, de ætate MS. nihil cer-
„ to affirmare possum. *Hæc Langius.*

VI. De hac autem versione Syriaca testatur Gabriel Sionita, quod cum semper in summa veneratione & auctoritate habita fuerit apud omnes populos, qui Syriaca utuntur lingua; sic in ea vernacula lingua Scripturas legunt, liturgias & officia divina celebrant. I. Quidem *Maronitæ* montis Libani incolæ, a Marone Abbate viro sanctissimo nomen sortiti, Qui Scripturas & cultum publicum, etiam postquam Ecclesiæ Romanæ reconciliati sunt, lingua Syriaca sive Maronitica adhunc in vicis quibusdam & pagis per montem Libanum vernacula celebrant. II. *Nestoriani*, a Nestorio hæresiarcha olim dicti, cujus tamen hæresim ejurarunt illi, qui magnam partem Orientis Muhammedanis & Paganis mixti hodie occupant; diffunduntur enim non solum per regiones Babyloniæ, Assyriæ, Mesopotamiæ, Parthiæ & Mediæ, in quibus frequenter degunt; sed etiam ex parte Septentrionali ad Cathaiam, & ex Australi, Indos versus, longe lateque propagantur, Hi, inquam, etiam in Syriaca lingua liturgias & officia divina frequentant.

III. *Jacobitæ* dicti a Jacobo Syro Eutychianorum hæresis circa annum Christi DXXX. propugnatore acerrimo, cujus Sectatores hodie multi sunt per Syriam, Cyprum, Mesopotamiam, Babyloniam, Palæstinam dispersi. Patriarcham habent, cujus sedes est in urbe *Caramit* antiqua Mesopotamiæ Metropoli, qui se Patriarcham Antiochenum mentitur. Hodie vero Eutychis Hæresim de una in Christo natura eos abjecisse apparet ex confessionibus ipsorum, quæ in Bibliotheca Patrum inseruntur. IV. *Copti* vel *Coptitæ*, per Ægyptum dispersi, etiam in sacris linguam Syriacam usurpant. Subiiciuntur Patriarchæ Alexandrino, cujus sedes est *Cayri*, post lectum vero Evangelium lingua Syriaca, ipsum etiam legunt Arabica, quæ ipsis est hodie vernacula. V. *Indi* sive S. Thomæ Christiani, cujus prædicatione dicuntur ad fidem conversi, licet jam Ecclesiæ Romanæ sese subjecerint, ejusque ritus fuerint amplexi, nihilominus liturgiam a Nestorianismo repurgatam in lingua Syriaca retinent, ut testatur Possevinus. VI. Tandem idipsum faciunt Christiani *insulæ Zocotoræ* extra sinum Arabicum, qui cultum publicum lingua Chaldaica vel Syriaca celebrant: famulantur Patriarchæ Mosal. Unde magna accedit Syriacæ versionis dignitas, non solum ob venerandam suam antiquitatem, sed insuper quod per præcipuas in Oriente Christianorum Ecclesias in sacris & divinis officiis, etiam permittente Ecclesia Romana, usurpetur & frequentetur. (16)

VII. Ejus autem utilitas est multiplex: eas explicat & enumerat Bonfrerius post Bellarminum [a]; *Primo* quod Latinam editionem multis in locis firmet ac stabiliat. *Secundo*, Quod multorum locorum difficiliorum & obscuriorum explicationi usui esse possit. *Tertio*, Quod inscriptiones & varii tituli, quibus significantur hæc vel ista, certis in anno diebus fieri solita, plane ostendant Ecclesiarum Orientalium cum Romana Ecclesia consensionem in cæremoniis & fidei dogmatibus; planeque novellos hæreticos impietatis revincant. Habet enim hæc editio, inquit Serarius [b], inscriptiones ac titulos varios, qui significant hoc aut illud e novo Testamento legi, in festo talium & talium Sanctorum, in veneratione sanctæ Crucis, in Quadragesima & jejuniis aliis, in commemoratione fidelium defunctorum & similium, quorum extat catalogus in ipsomet Syriaco Viennæ impresso exemplari, & in regio Bibliorum apparatu.

a *in prolog. cap. 19. sect. 2.*

b *in Proleg. cap. 15. quæst. 4.*

At, inquies, hujusmodi titulorum inscriptio & distributio non comparent in ea editione Syriaca quam Genevæ characteribus Hebraicis Tremellius publicavit. *Verum* quid mirum si hujusmodi titulos Epistolarum & Evangeliorum per totum contextum insperses, nec non & tabulam Evangelicarum & Apostolicarum lectionum in Dominicos & festos dies anniversarios Ecclesiæ Syriacæ distributos suppresserit; homo præ cæteris impius, primo Judæus, deinde Christianus, dehinc Monachus, postmodum e Monacho hæreticus Calvinianus, tandem e Calviniano rursum Judæus; ut scribunt Gretserus [c] Florimundus & alii bene multi. [d] Quid mirum, inquam, quod ab ea versione ea omnia expunxerit, quibus apparebat admirabilis omnium Ecclesiarum Orientis cum Romana consensio, maxime in iis quæ spectant ad sacrificium altaris sive Missam, cultum Sanctorum, eorumdem festa, frequentationem jejuniorum, Quadragesimam, & plura alia quæ tum Judæis, tum Calvinianis, quorum erroribus imbutus erat Tremellius, directe adversabantur. *His accedit* quod, ut observat Genebrardus [e], Tre-

c *cap. 4. de novis versionibus.*

d *lib. de Antichristo cap. 8.*

e *lib. 4. Chronol.*

[16] Si quod olim in Syrorum gente idioma viguit *Syriacum* nuncupatum, maximam cum pervetusto Hebraico proximitatem præseferens, quo Syram Bibliorum versionem inscriptam intuemur, familiare profecto esse desiit inter populos illos vel postquam innumeras rerum vicissitudines Hebræorum gens sub imperio Græcorum, vel etiam Romanorum ante Christi nativitatem est passa; vel saltem post initium septimi sæculi, dum Chosroes II. Armeniæ, Syriæ atque Judææ regiones armis invasit totamque Palæstinam, & S. Civitatem Hierusalem devastavit; Arabes denique Terram sanctam subjugarunt, & Alwalidebn Abdolmelec Arabum Calipha XIII. scriptores in Syria libros post hac exarare jussit Arabice. Quibus factum esse tradit vir clarissimus Dominicus Diodati in Excellenti sua Exercitatione de *Christo Hellenista* publici facta juris anno 1767. ut in Syria tertia quædam lingua ex Persicæ, Arabicæ, & Græcæ commixtione nasceretur, quæ Syriaca moderna, hoc est *Aramæa* postea fuit nuncupata; in Ægypto vero ex Græca, & Araba Coptica dialectus emergeret; & tandem in Judæa, Chaldaico-Syra haberetur lingua, *rabbinica* postea dicta, ex pluribus Græcorum, Latinorum, Persarum, atque Arabum vocibus interspersa; qua siquidem dialecto Gemara Hierosolymitana scripta fuisse a prælaudato Auctore existimatur, quemadmodum & innumeri alii Rabbinorum Libri. [*W*]

Tremellius ipſe magna laborabat inſcitia & ignorantia, maxime in iis quæ ſpectant ad linguam Syriacam: multas enim literas, inquit Genebrardus, quas putabat ſuperfluas, præ imperitia ſubduxit, immutatis pro libidine punctis contra analogiam, uſum & phraſim Syrorum. Quam infantiam ut clarius oſtenderet, breviſſimum Alphabetum editioni ſubjunxit inſcitiæ pleniſſimum. Unde ſi ejus editionem Syri legerent, ſe Syriace illic nihil, aut parum legere faterentur. Non modo literas protractionis ſuſtulit, quod Marrani impudentiam, ſimul & inſcitiam elevare utcunque potuiſſet; ſed & conſonantes, præſertim literam ן *Nun*, cujus loco ſolet ſubſtituere י *Jod*, quod neſciret apud Syros literam Nun, eſſe ſymbolum tertiarum perſonarum futuri, æque ac primarium pluralium. Quod diſcere potuit non modo e lingua hodierna Syrorum, cujus ſe illic inexpertem prodidit, verum etiam e ſuis Talmudicis & Baal Haruch, qui etiam ſic loqui ſolent.

Petes an revera lingua Syriaca, quæ nunc circumfertur, Chriſto Domino ejuſque Apoſtolis fuerit vernacula.

VIII. Affirmant plurimi, apud Waltonum, maxime Widmanſtadius, qui prior, ut diximus, novum Teſtamentum Syriacum typis mandari curavit: ſcribit enim in præfat. hanc linguam Salvatoris noſtri ortu, educatione, doctrina, miraculis, corporis & ſanguinis ſui confectione Euchariſtica, ac Patris etiam æterni voce bis e cœlo ad eum emiſſa conſecratam: & hac lingua ſcriptam eſſe antiquam verſionem, quam ipſe edidit, ut dicere poſſimus,

Lingua hominum eſt lingua nobilitata Dei.

Et, ut quidam cecinit de Syro Lexicographo,

Nos docet hic unus Numinis ore loqui.

Ejus ſententiæ plerique ſuffragantur non ſolum e Catholicis, ut Maſius, Boderianus, &c. Sed etiam ex Heterodoxis plurimi, Buxtorfius, Vvaltonus, & alii hoc maxime argumento nixi, quod multa ſint verba pure Syriaca in novo Teſtamento Græco & Latino; quæ ſine Syriacæ linguæ cognitione explicari non poſſunt, ut Matth. v. RAKA, quod apud Syros idem eſt, quod *homo vilis*, *contemptus*, *abjectus* Matth. VI. MAMONA, quod *divitias* ſignificat; & XVI. BARJONA, quod *filium columbæ*: Marci III. BOANERGES, *filium tonitrui*, & V. TALITHA, *puella ſurge*, & Act. I. HACELDAMA, *agrum ſanguinis* denotat, Imo nomen MESSIAS, quod Græci & Latini retinent, Syriacum eſt, ſignificans *unctum*.

Negativam tamen ſententiam propugnant aliqui viri doctiſſimi, præſertim Majerus [a] & Breervuodus [b] ac Grotius [c] ab Vvaltono prolatus, qui expendens hæc verba Chriſti Domini in cruce morientis: ELI ELI LAMMA SABACTHANI ſcribit: Hinc, *inquit*, & aliunde colligitur Chriſtum neque veteri

a *Philoſ. ſacra lib* 1. *cap.* 2. & *lib.* 2. *cap.* 2.
b *de linguis & relig. cap.* 10.
c *in Matth. cap.* 27. & 46. & *Marci* 15. *v.* 34.

„ uſum Hebræorum ſermone, neque Syria-
„ co, ſed mixta dialecto, quæ tum in Ju-
„ dæa vigebat. Ea lingua quædam retinebat
„ avitæ pronuntiationis ut אלי *Eli* pro
„ quo Syri dicere ſolent אלהי *Elohi*. Quæ-
„ dam cum Syris habebat communia ut עבד
„ pro עב. *Eli* a Chriſto pronuntiatum ipſe
„ ſonus ad Eliam proxime accedens evincit.
„ Quare mihi perſuadeo in Syriaca verſio-
„ ne tum hic, tum apud Marcum tranſpo-
„ ſitas litteras, & quod אלי ſcriptum fue-
„ rat, mutatum in איל inde nato errore quod
„ vox אלי Syris eſſet incognita; quidam
„ autem Syrorum Deum איל appellarent;
„ ἰαὼ ſcribebat Philo-Biblius ex Sanchunia-
„ thone. Sic apud Ezechielem, qui interdum
„ κεφαλίζει XXXI. 11. ubi nunc אל legimus, li-
„ bri Orientales Judæorum habebant איל,
„ & ubi nunc eſt, אלי, Exech. XXXII. 21. iidem
„ Codices habebant אילי. Enimvero, ut dixi,
„ a Syro non איל ſcriptum, ſed aut אלי, aut
„ certe אילי, indicio eſt ipſius interpretatio
„ quæ ſubjungitur apud Marcum, quæ eſt
„ אלהי *Elohi* cum affixo primæ perſonæ. Mar-
„ cum autem non ἰαὼ ſcripſiſſe liquet, ſed ἰαὶ
„ quod idem cum ἰαὶ, prout citat Euſebius,
„ ita ut omnia exemplaria non habuerint
„ ἰαὼ. Et licet apud Syrum Marc. XV. 34.
„ ſit איל איל haud dubium litteræ tranſpoſitæ
„ ſunt, cum ſcribendum fuerit אלי אלי. Quod
„ autem in tam multa exemplaria ἰαὼ hoc
„ loco penetraverit, inde profectum arbi-
„ tror quod ſicut Lucæ Evangelium initio
„ maxime celebratum eſt per Eccleſias a
„ Paulo fundatas; ita Marci per omnem
„ Babylonicam διασπορὰν cui Petrus præfue-
„ rat ac proinde deſcriptum ab hominibus Sy-
„ rum ſermonem callentibus, quibus no-
„ tius erat אלהי quam ﷺ, Quod au-
„ tem Latina quædam exemplaria hoc loco
„ pro LAMMA SABACTANI habuerunt verba
„ Hebraica LAMMA AZABTANI, ſi quid re-
„ cte judico, ab Hieronymi eſt manu, qui
„ ipſa Pſalmi verba hic ponenda exiſtimavit.
Hactenus Grotius.

IX. Has pugnantes ſententias ad unitatem forte revocabimus dicendo Chriſtum Dominum non uſum eſſe idiomate Antiocheno, quod ſtricte *Syriacum* vocatur; nec Hebræo puro, quod multis antea ſæculis vernaculum eſſe deſierat, ſed lingua vulgari, quæ Chaldaica & Hebraica quædam verba mixta habuit, quod & olim ſentiebat S. Epiphanius [d] dum ſcribit, *Chriſtum partim Hebraice*, *partim Syriace iſta verba protuliſſe*. Ubi vocabulum *Syriace* ſpecifice non accipit S. Epiphanius pro dialecto Antiochena, quæ Syriace nomen jam obtinet, & in qua ſcripta eſt verſio Syriaca; ſed tantum generice, quatenus videlicet comprehendit omnes omnino dialectos linguæ ex Hebraica & Babylonica coaleſcentis. Lingua enim Syriaca, inquit Scaliger. [e] tam pro genere uſurpatur, quam pro ſpecie, nam Chaldaica & Syriaca, unius Syriacæ linguæ nomine comprehenduntur: ut apud Juriſconſultos, *adoptio* comprehendit ſpecies, *arrogationem* & *abrogationem*; Sicut co-

d *Hæreſ.* 96.
e *lib.* 4. *epiſt.* 449.

„ *gnatio agnationem & cognationem*; igitur „ lingua Syriaca, non ſolum dicitur ea qua „ Syri, ſed etiam qua Chaldæi uſi ſunt, & „ in genere Judæis lingua dicitur *Aramæa* „ .... Syriaſmi autem multæ fuerunt propa„ gines, ſed illa omnium nobiliſſima Syria„ ca dialectus, qua vetus & novum Teſta„ mentum conſcriptum eſt, quæ elegantiſ„ ſima & puriſſima tempore Chriſti, ea in „ tractibus Antiochiæ, Cœloſyriæ & Me„ ſopotamiæ in uſu erat. In Galilæa alia „ Dialectus, & in aliis partibus aliæ; quæ „ omnes uno nomine *Aram*, comprehendun„ tur. Qui Apoſtolos ea uſos dicunt, fallun„ tur. Apoſtoli ad Judæos verba cum fa„ ciunt, Judaico Syriaſmo, ad alias Gen„ tes, alia dialecto utebantur; nam lingua „ Chriſti Galilæa, non eadem, cum ea qua „ Maronitarum, & Neſtorianorum libri hac„ tenus conſcripti ſunt. *Hæc ille*.

X. Ex his omnibus veriſimile fit temporibus Chriſti D. vetus Teſtamentum verſum fuiſſe hoc idiomate Syriaco mixto, ex quo cum Judaicam plebem alloquerentur, Oracula & textus vulgari lingua proferebant. Cujus utique non levis conjectura deducitur, tum ex Joſepho, qui licet exteros Auctores, quoties commemorat, eorum auctoritates fideliſſime referat, ut videre eſt in eorum ſcriptis, quæ ad nos uſque propagata ſunt: nihilominus cum Scripturæ textum aliquem laudat, aliter eum exprimit quam habeat contextus Hebræus aut Syrus purus. Indicium igitur eſt, ipſius tempore Biblia alio quam Hebraico aut Syriaco puro idiomate fuiſſe translata, unde ille ſententias depromeret. *Inſuper* plures ſunt voces in novo Teſtamento quæ nec proprie Syriacæ ſunt nec Hebraicæ; quippe cum vel conſonis quibuſdam, vel vocalibus, vel utriſque additis aut detractis a Lingua Hebraica & Syriaca differant, ut ex ſequentibus liquet: μαμμωνᾶ Marc. VII. 24. Syr. *Mamouna*. γαββαθᾶ Jo. XIX. 13. *Gephiptho*. γολγοθᾶ Matth. XXVII. 23. *Gogaltho* Ακελδαμᾶ. Act. I. 19. *Chakaldemo*. μαραναθᾶ I. Cor. XVI. 22. *Maraneto*. Mayerus etiam eodem argumento utitur ex vocibus iſtis deducto, ut & ex nominibus propriis Ιωσαφάτ Matth. I. 8. Ιωσὴφ, Ιωσῆς, V. 10. Ιωσὲμ V. 8. pro quibus Syrus habet *Jauſeph*, *Jauſaphat*, *Juſia*, *Juram*. Syri enim vocali (o) carent, & pro eo utuntur (v) vel (au); Chaldæi vero non aliter ac Hebræi יוסף *Joſeph* dicunt, & ſic de cæteris, ut ex Targumin apparet. Ex quibus infert dialectum illam Comagenam quæ κατ' ἐξοχὴν Syriaca dicitur, tempore Chriſti non fuiſſe vernaculam.

Neque his obſtat quod aliqua ex his verbis dicantur Hebraica. Sic Joan. XIX. legimus Chriſtum eſſe adductum in locum qui dicitur *Lithoſtrotos*, Hebraice autem *Gabbata*, & ibidem titulus Crucis dicitur ſcriptus *Hebraice Græce & Latine*; & Act. XX. Paulus plebem allocutus eſt Lingua Hebræa, & XXII. *Cum audiſſent autem quia Hebræa lingua loqueretur ad illos, magis præſtiterunt ſilentium*. Et S. Matthæus refertur ſcripſiſſe Evangelium ſuum Hebraice, de eo enim ſcribit S. Hieronymus [a] Matthæi Evangelium Chriſti propter eos qui ex Circumciſione in Chriſtum crediderant, Hebraicis litteris verbiſque compoſuiſſe, quod in Euſebii Pamphili Martyris Bibliotheca Cæſarienſi erat repoſitum, & quod ipſe a Nazaræis qui Beroeæ civitatis Syriæ eo utebantur, deſcribendi facultatem obtinuiſſe. Hæc, inquam, noſtræ conjecturæ non officiunt, imo potius eam confirmant. Idcirco enim hæc referuntur eſſe ſcripta & dicta Hebraice; quia videlicet efferebantur lingua Judæis ſeu Hebræis peculiari; qualis non erat Syriaca pura quæ plurimis Palæſtinis a Judæis gente & religione diſſitis familiaris erat & vernacula. Neque etiam erat pura puta Hebraica, utpote quæ poſt captivitatem Babylonicam Judæorum plebi non fuerit amplius in uſu, ſed ſolis Sacerdotibus, Scribis & Sapientibus, quorum erat populo Legem Hebraice ſcriptam interpretari & explicare. Oportuit ergo tunc temporis Judæis aliquam dialectum peculiarem & vernaculam, quæ cæteris Palæſtinis ita communis non eſſet; in qua haud dubie translati erant ſacri libri, ut eos pro ſolatio & inſtitutiones plebs Judaica haberet, maxime cum, ut diximus in primo capite prioris libri, quiſque Judæorum & traditione & Synagogæ præcepto teneretur ſibi ſcribere vel curare ab aliis deſcribi librum Legis, ut in eo, Davidis inſtar, *meditaretur die ac nocte*. Hinc eſt quod tanto ſilentio Judæi Hieroſolymitani Paulum audierunt, quia Hebraice loqueretur. Hoc eſt lingua ſibi vernacula, quam eum, ut pote Tharſenſem, non callere nec familiarem habere exiſtimabant. Hæc tamen omnia dicta ſint ſine cujuſvis præjudicio, ſed tantum, ut aliis hanc difficultatem plenius ac profundius diſcutiendi animus adiiciatur. (17)

[a] *in Catalog. Scriptor. Eccleſiaſt.*

CA-

(17) Ad perdifficile reſolvendum problemma de vernacula Chriſti Domini lingua animum inſignes applicuere ſcriptores; quorum nonnulli pro Hebræo antiquo, ut Otho Sperlingius de Numm. non cuſis cap. 18., alii apud Fraſſenium noſtrum pro Syriaco, quod nunc circumfertur, alii pro Syriaco intermixto; alii denique ut Joannes Harduinus pro latino, & tandem vir inſignis Dominicus Diodati Neapolitanus J. C. peculiari exercitatione patriis Typis anno proxime elapſo publicata pro Helleniſtico ſtetit idiomate. Hanc ſuam opinionem validiſſimis argumentis, & conjecturis adeo fulcivit, ut cuicumque viro ingenuo negotium facceſſere queat ſi diverſam velit opinionem tutari. Optima ſiquidem methodo Helleniſmi primordia in Palæſtina Alexandri Macedonis ætate fuiſſe invecta demonſtrat, tum quod Samariæ Civitas Macedonica gente, expulſis habitatoribus, fuerit repleta, cum quibus Judæi familiariter utentes eorum linguam paulatim callere cæperunt; ſub Alexandro eodem plura Judæorum millia Græcorum militiæ dedere nomina, & per octo circiter annos in Græcis phalangibus permanſerunt, quapropter idem idioma appercipere cum illis neceſſe fuit, quod quidem in Patriam ab Alexandro dimiſſi tranſtulerunt. Poſt Alexandri Macedonis obitum Ptolomeus Soter irruit in Judæam, atque Hieruſalem diripuit, ac centum Judæorum millia in captivitatem

CAPUT QUINTUM.

De versionibus Arabica Æthiopica, & Persica.

I. *Arabia unde dicta.*
II. *Quis Auctor Arabicæ versionis.*
III. *Versionis Arabicæ utilitas.*
IV. *De versione Æthiopica.*
V. *Quis Æthiopes initiaverit in fide Christi.*
VI. *Æthiopica versio an sit recens.*
VII. *De versione Persica.*
VIII. *Eius antiquitas.*
IX. *Quis Persicæ versionis Auctor.*

§. I.

I. ARabia dicta est ab Arabo Appolidis, ut quidam volunt, ex Babylone filio. Nobilis est Asiæ pars, sinu Persico, mari rubro & Indico fere circumsepta, solum enim ex ea parte quæ Syriæ contigua est, Asiæ connectitur. Temporibus Patriarchæ Jobi dicebatur Sabæa a Sabi Chusi filio, Chami nepote, ut quibusdam placet. Vel quod probabilius judicant alii, a Seba, vel Saba, filio Jectanis filii Heber, Semi pronepotis. Arabicæ linguæ antiquitas ex eo patet quod Ara-

tatem perduxit, eosque inter Græcos divisit; ex qua captivitate nonnisi a Ptolomeo Philadelpho septuaginta & amplius annis postea cum liberati non fuerint, eorumve patriæ restituti, Græcam linguam in Judæam secum deferre necesse fuit, cum quotquot ferme Philadelphus reduces fecit inter Græcos nati essent, & educati. Auctus est deinde in Judæa Hellenismus sub Antiocho Magno non parum; iste quippe quammaximam Judæorum multitudinem in Palæstinam dimisit, ex civitatibus Syriæ, ad quas incolendas nonaginta quatuor annis antea a Seleuco Nicatore perducti fuerant, unde reduces isti cum filii & nepotes extiterint eorum qui sub Nicatore e patria transmigrarunt, cumque inter Græcos nati fuerint eorum pariter linguam sibi vernaculam quod fecerint oportuit. Fatis functo Antiocho Magno ejus successor Epiphanes Syriæ regnum adeptus, minis, flagellis, carcere, morte compellebat Judæos ad Græcorum instituta, linguam, mores, ritus, & religionem suscipiendos; cui statim Samaritani Sichimorum habitatores optemperarunt; major pariter Judæorum pars ob suorum Pontificum, & sacerdotum præsertim apostasiam, ad Græcismum omnino defecit. Alcimum suam insumpsisse operam, & studium, ne quid Macchabæi adversus Hellenismum susceptum intentarent, satis compertum est; hinc totius regionis administrationem Judæis græcizzantibus committi sategit, a quibus postea quicumque Græcorum moribus essent adversi Bacchidi perimendi tradebantur. Sub isto Græcorum jugo cum Judæi annis ferme centum nonaginta oppressi fuerint, cumque scolæ, ritus, mores, studia, aliæve græcorum consuetudines invectæ inter Hebræos videantur, incredibile prorsus est quod græca lingua inter Judæos familiaris, & vernacula non evaserit. Et sane quotquot a Macchabæorum ætate usque ad Christum floruere scriptores tam Sacri quam prophani Hellenistica lingua sua opera exararunt. Nummi etiam qui sub Herode Magno, Herode Antipa, & Herode Agrippa in Palæstinæ urbibus insculpti sunt græcis characteribus inscripti visuntur; quinimmo nummi etiam Judæ proditori pro Christi Sanguine soluti græcis literis infigniti ab Antonio Augustino, & Villalpando referuntur. Græcis nominibus loca, urbes, festa, magistratus, ordines, mensuræ, ædificia, aliæque res Hebræorum appellabantur; hinc Hellenistica lingua Archangelum Gabrielem dum Virgini incarnationem Divini Verbi annunciavit, Judæos omnes, Apostolos, & Evangelistas, & ipsum Servatorem nostrum fuisse locutos concludit. Dissertatio hujus præclari Scriptoris est, ut legatur, dignissima. Jacobus Capellus in suis observationibus in Epistolam ad Hebræos num. 11. quam maxime Dominico Diodati faviſſe videtur, cum tempore Apostoli Pauli duas fuisse Judæorum classes præmonuerit; alii quippe Helleniſtæ dicebantur, alii autem Hebræi. Qui eis Hierosolymorum aut Tyri meridianum incolebant, Helleniſtas dici potuisse duplici de causa opinatur: prima quod omnes, aut plerique græce loquebantur; secunda quod in eorum Synagogis Bibliis græcis uterentur, qui autem vel Hierosolymis, vel ultra versus orientem habitabant, Hebræi vel Hebraizzantes dicebantur, & in eorum Synagogis Biblia Hebraica adhuc utebantur. Ad hujus auctoris sententiam roborandam hæc adferri posse videntur, 1. quod Macchabæorum ætate in patria lingua Hebræorum filii adhuc instituerentur, ut patet ex 2. Macchabæorum Cap. 7. quod quidem idioma inter Macchabæos præsertim fuisse servatum, quæmadmodum & inter alios patriæ legis zelatores Judæos non est incredibile, 2. Plures civitates, & vicos in Palæstina cum suis habitatoribus reliquerunt Græcorum Reges, vel quod expugnare minime sategerint, vel quod ex Græcorum manibus easdem eripuerint Macchabæi, præsertim sub Simone Jonatæ fratre, e quibus pulsis Græcis easdem Judæis iterum repleverit, quas siquidem urbes sequentibus etiam temporibus sibi vindicarunt Judæi. 3. Maxima hujus gentis cum suis ritibus, cum moribus patriis annexio, cum ipsa veteri scripturæ lectione sub Esdra jam publica auctoritate statuta, causa esse poterat patriam etiam linguam servandi prout ipsis ex temporum circumstantiis licitum esse poterat, quemadmodum ab eis præstitum intuemur etiam post totalem per Romanorum arma dispersionem, statim ac eorum nonnulli insimul vivere, ac Synagogas erigere permissi sunt. Ingentem Judæorum numerum Christi Domini ætate in Judæa extitisse loquentium hebraice, vel Syriace satis indicare videtur causa mortis Christi super caput ejus in Cruce positi constituta, quæ testante Joanne Evangelista Cap. 19. ℣. 20. scripta erat Hebraice, Græce, & Latine: hanc multi legerunt, cum prope Civitatem locus esset, ubi Christus crucifixus fuit. Quis modo credat a Latino Præside causam mortis publice expositam hebraico idiomate fuisse conscriptam nisi certo sciret a multitudine concurrentium legi potuisse, quam siquidem multitudinem ex vicinis circa regionibus confluxisse non est incredibile. Paulus etiam Apostolus Hebraica lingua coram populo loquebatur, & Josephus Hystoricus in Proœmio Antiq. & in fine Antiq. innuere videtur quod Græca lingua sibi erat extranea, cum Syriacam, quæ tunc temporis existimatur fere communis in Judæa saltem ultra Hierusalem, sibi vernaculam adferre videatur. Hæc tamen in sua exercitatione *de Christo Helleniſta* diluere sategit vir clarissimus Dominicus Diodati nunquam satis laudatus. (*W*)

Arabiſmis referti, ſunt Scripturæ libri Poetici, Jobi maxime, ut pridem obſervavit S. Hieronymus; [a] *Hæc translatio*, inquit, *nullum de veteribus ſequitur Interpretem, ſed ex ipſo Hebraico, Arabicoque ſermone & interdum Syro nunc verba, nunc ſenſus, nunc ſimul utrumque reſonabit*. Unde eſt quod idem alibi [b] aſſerit, *Job cum Arabica lingua plurimam habere ſocietatem*. Hæc olim valde fuit obſcura, & per annos fere ter mille a diviſione linguarum ad annum Chriſti DC. intra Arabiæ limites delituit, donec creſcente imperio Sarracenorum, ſeu Muhammedanorum una cum eorum peſſimo dogmate univerſam fere Aſiam, magnamque Africæ & Europæ partem occupavit; ubicunque enim Muhammedana ſuperſtitio pervenit, ibi lingua Arabica, vel paulatim vernacula facta eſt, vel ſaltem ibi invaluit: etenim Muhammedani preces & officia publica Arabice legunt, atque eadem lingua jura dicunt Provinciarum Rectores. Hæc plurimum confert ad Scripturæ ſacræ perfectam intelligentiam, ut norunt omnes Interpretes, qui, quoties hæret aqua, ad hanc linguam confugiunt, tanquam ad ſacram ancoram. Quamvis, ait Bochartus, [c] longe plura obſervaſſent ex Arabiſmo ad ſacri textus illuſtrationem, ſi illius linguæ fuiſſent peritiores. Ex eadem lingua ſcientiis omnibus, Medicinæ præſertim & Geographiæ & Matheſi multum lucis accederet, ſi ederentur libri Arabici, qui paſſim in toto Oriente habentur manuſcripti. Notum enim eſt, apud Arabes, artes & ſcientias floruiſſe per annos fere ſexcentos; cum regnaret apud nos fœda barbaries & literatura omnis eſſet prorſus extincta.

II. Nulla apud veteres Scripturæ ſacræ verſionis Arabicæ extat mentio: veriſimile tamen eſt, non Chriſtianos tantum in Arabia degentes, ſed etiam Judæos pro translatione Scripturæ ſacræ in linguam ſibi vernaculam fuiſſe admodum ſollicitos: hac autem noſtra ætate plura vulgantur Arabicæ verſionis exemplaria, quorum præcipuum videtur editum a R. Saadia, quem *Gaon*, per excellentiam appellant, quod unus eſſet apud ſuos celeberrimus. *Gaones* enim, id eſt, *excellentes* dicti erant Scholarum Babyloniæ Rectores: quibus deletis circa ann. Chriſti MXL. evanuit hæc dignitas, & poſteri ſimpliciter *Rabbini* dicti ſunt. Hic itaque Saadias circa ann. Chriſti DCCCC. vetus Teſtamentum ex Hebræo in Arabicum; literis vero Hebraicis tranſtulit: de quo ſic ſcribit Gedalias. [d] *Rafi Saadia, excellens, qui fuit de ſemine R. Chanina, filii Duſæ, e filiis Sebilo, filii Judæ; cum expulſus eßet a Davide, filio Zachæi, Æchmalotarcha, ſeptem delituit annos, ibique commentaria ſcripſit ſuper immundo & mundo, ſuper inceſtis concubitibus, aliiſque thematibus Gemaræ, & librum articulorum fidei. Tranſtulit etiam Legem in linguam Arabicam quam adducit Aben Eſra*. [e] Ubi dicit Saadiam explicaſſe Scripturam lingua Arabica: de cæteris vero Scripturæ libris, an eos tranſtulerit ſilet, ut

[a] *Præf. in Job.*

[b] *Præf. in Daniel.*

[c] *Lib. 1. Geogr. cap. 15.*

[d] *In Schalſchahalab.*

[e] *In Parascha Bereſc. biſt.*

& Gedalias, qui etiam Legis tantum meminit. Nihilominus Erpennius, [f] Boderianus, [g] & Pocockius [h] affirmant ipſum totum vetus Teſtamentum in ſermonem Arabicum transfudiſſe. Notat autem Vvaltonus [i] Saadiam ſæpe Paraphraſtem potius quam Interpretem nudum agere, & a verbis & phraſibus Hebræis interdum longius recedere, maxime in Pentateucho, ubi modo Onkeloſum, modo LXX. Seniores, modo ingenium ſuum ſequitur. Quocirca ab Abrahamo Ben Eſra reprehenditur in Geneſ. 11.

Eſt & alia Judæis celebris verſio Pentateuchi, charactere Hebraico in Mauritania olim edita; cujus Auctor, ut obſervat Hottingerus, exemplari Hebræo a communibus diverſo uſus eſt, ut liquet ex quibuſdam locis, puta Geneſeos LX. v. 19. ubi Hebræa editio habet: *An loco Dei ego ſum*; Arabica habet: *Ego timeo Dominum*. Similiter ſingulari induſtria & judicio affectus humanos qui Dei majeſtatem dedecere videntur Onkeloſi exemplo verbis commodioribus exprimit. Sic Exodi XXIX. hæc verba: *Habitavi in medio filiorum Iſrael*; ita reddit: *Habitare faciam lumen ſeu ſplendorem meum in medio filiorum Iſrael*. Imo etiam verborum emphaſim eleganter exprimit, ut cum nomen Dei Exod. III. *Ero qui ero*: ſic interpretatur: *Æternus nunquam tranſibit vel mutabitur*. Alia ſunt his ſimilia, quæ in hac verſione obſervat Hottingerus in ſuo theſauro Philologico. [k]

Plures ſunt etiam Arabicæ lectiones a Chriſtianis editæ, aliæ quorumdam duntaxat librorum ſcilicet Pſal. Prophetarum & Evangeliorum, &c. Aliæ vero totius Scripturæ, exceptis quibuſdam libris; videlicet Eſther, Judith, Tobiæ, ac Macchabæorum I. ac II. quam in ſuis Bibliis Pariſianis Regio certe & nuſquam ſatis laudando opere excudi curavit Dominus *le Jay*, de qua utique verſione antequam typis mandaretur, ſic ſcribit Erpennius: [l] *Alia repetitur eorumdem librorum translatio Arabica elegans quidem & antiqua, apud Arabes Chriſtianos nata, quam omnino operæ pretium eſſet typis quoque excudi, Hujus exemplar extat in inſtructiſſima libris Orientalibus Bibliotheca viri nobiliſſimi* D. FRANC. SAVARI DE BREVES *Regis Chriſtianiſſimi apud Turcarum imperatorem Legati, inque ea vertenda in Latinum ſermonem occupari nunc intelligo, viros clariſſimos & Arabiſmi promotores, non minus vigilantes quam doctos DD. Gabrielem Sionitam, & Joannem Heſronitam Linguæ Arabicæ in Academia Pariſienſi Profeßores & Interpretes Regios, qui utinam eam quoque nobis dent Arabice: ſic enim habere poſſemus quatuor elegantes & utiles vet. Teſt. verſiones Orientales Chaldaicas, inquam duas, Judaicam unam, alteram Chriſtianam, & totidem ac ſimiles Arabicas*. Voti ſui compos fuiſſet Erpennius, ſi in hodiernum diem vixiſſet; jam enim Arabicam illam verſionem Arabicis Characteribus expreſſam habemus Typis mandatam Pariſiis, Opera Domini de

[f] *Præf. ſua ad Arab. Pentat.*

[g] *Præf. in N.T. Syriac.*

[h] *Spec. Arab.*

[i] *in Prolog. 14. n. 15.*

[k] *Lib. 1. cap. 1. ſect. 2.*

[l] *Præf. ad ſuum Pentateuch. Arabic.*

Jay, & Londini cura ac ſtudio Vvaltoni. (18)

III. Hujus autem verſionis ſicut & Arabicæ Linguæ utilitatem ex multis commendat ipſemet Erpennius, [a] nec non & Hottingerus [b] & Pocockius; [c] *Primo* quod multum conferat ad Hebrææ linguæ perfectionem aſſequendam; multæ enim voces in Scriptura veteris Teſtamenti reperiuntur, quæ ab Arabicis lucem accipiunt; plurimæ enim radices Hebraicæ communes ſunt cum Arabicis. Unde Abraham Ben Ezra, [d] quædam vocabula Hebraica, quæ raro occurrunt in veteri Teſtamento, exponenda eſſe ſtatuit ex conſuetudine ſermonis Arabici.

Secundo Plurimum etiam confert ad explicandos varios ritus, quorum interdum mentio occurrit in veteri Teſtamento. Sic illud Ezech. XXI. v. 21. ubi de Rege Babyloniæ dicitur: *Stetit Rex Babyloniſ in bivio, in capite duarum viarum, divinationem quærens, commiſcens ſagittas, &c.* Pocockius mox laudatus explicat ex uſu Arabum, qui ſuperſtitioſe divinabant per ſagittarum ejaculationem, quod etiam hodie frequentant Muhammedani. Eodem modo Hottingerus [e] repetit explicationem plurium rituum, qui prohibentur in vet. Teſt. quod frequentes eſſent apud Sabæos & Arabes Idololatras, puta Levit. XXI. Ne calvitium in capite ſuo decalvarent, & barbæ extremitatem raderent; & inciſuram in carne ſua facerent, *Cap.* XI. *v.* 7. De non edenda carne ſuilla, *Cap.* II. *v.* 13: De ſacrificiis ſale condiendis, & ſic de cæteris; quæ quoniam frequentari ſolebant ab Arabibus & Sabæis, idcirco prohibuit Deus ne iſta a Judæis fierent, quatenus nullum cum ipſis Idololatris commercium eſſet.

Tertio maxima utilitas ex verſionibus Arabicis exurgit, quod illæ ad ſenſum genuinum eruendum multum conferant, & ad pugnantes in ſpecie textus conciliandos, dubios explicandos, & obſcuros elucidandos plurimum conducant, ut conſtabit in ejuſmodi textuum conciliatione a nobis inferius delineanda. *His accedit* quod lingua Arabica maxime conferat ad ſcientias omnes peritiſſime comparandas; Arabes enim præ cæteris mundi nationibus, ſcientiarum cultores fuere vigilantiſſimi: unde ſplendorem ſuum Philoſophia Medicina Geographia, Matheſis, & aliæ ejuſmodi humanæ mentis dotes ac divitiæ Arabicis acceptum totum referre debent, inquit Scaliger. [l]

[a] *Orat.* 1. & 2. *de lingua Arab.*
[b] *Diſſert.* 6. *de uſu linguæ Arab.*
[c] *In ſpecim. hiſt. Arab.*
[d] *Comment. in Cant. Cant.*
[e] *Hiſt. Orient. lib.* 1. *cap.* 8.
[l] *Epiſt.* 361.

§. II.

De verſione Æthiopica.

IV. QUo nomine Hebræo ÆTHIOPES in Scriptura ſacra ſignificentur, in dubium vocant Bochartus, [f] & Vvaltonus, [g] tametſi veriſimilius exiſtiment, Æthiopiam deſignari per terram ל֗וד *Lud*, cujus meminit Iſaias cap. LXIV. 19. *Primo*, inquiunt quia id ſuadet nominis etymologia; vox enim ל֗וד *Lud* Arabice *tortuoſum* ſignificat, inde terra illa dicta eſt *Lud*, propter Mæandrum & *Æthiopia*, quia Nilus ibi maxime amfractuoſus eſt, teſte Herodoto, [h] de Nilo ſupra Elephantinem, unde incipit Æthiopia, ſcribente: *Tortuoſus eſt ibi Nilus ſicut Meander.* Hinc Nilum Æthiopicum ab Ægyptio Strabo diſtinguit his verbis: [i] *Æthiopiam neque totam permeat Nilus, neque ſolus, nec in rectum; Ægyptum vero & ſolus & totam & in rectum.* Quos varios Nili flexus præclare deſcribit Eratoſthenes, & ex eo Diodorus Siculus: [k] *Flexus*, inquit, *facit magnos, quandoque ad ortum, & Arabiam obverſus; quandoque rurſus in Occaſum & Lybiam inclinans ..., nonnunquam ad meridiem fluxu in contrarium verſo.* Quibus concinit Lucanus.

Rurſus in Occaſum flexus torquetur & ortus.
Nunc Arabum populis Lybicis nunc æquus arenis.

Ab Iſaia commendantur *Judæi*, quod arcubus & ſagittandi arte eſſent inſignes, quo titulo etiam illos celebrat Jeremias cap. XLVI. 9. Hæc autem fuit Æthiopum præ cæteris Gentibus inſignis peritia: nam eorum arma, ſagittas & arcus fuiſſe teſtantur Strabo, [m] Heliodorus [n] & Agatarchides. Perſarum quidem arma, arcus & ſagittæ prægrandes erant, at Æthiopum arcus majores, ſagittæ vero breviſſimæ; unde Herodotus [o] refert de Rege Æthiopum Macrobiorum, quod Cambyſis Perſarum Imperatoris Legatis arcum ſuum oſtentans, ipſique Cambyſi dono mittens, ait: *Arcum hunc*

[f] *lib.* 4. *Geograp. cap.* 26.
[g] *Prolegom.* 15.
[h] *Lib.* 2. *cap.* 29.
[i] *Lib.* 17.
[k] *Lib.* 1.
[m] *Lib.* 17.
[n] *Lib.* 9.
[o] *Lib.* 1. *cap.* 7.

(18) Cum a variis variæ fuerint Divinarum literarum verſiones concinnatæ, non pauca in eas irrepſerunt menda; hinc Anno 1625 Pontificatum regente Urbano VIII. Sergius Riſius Maronita & Damaſcenus Archiepiſcopus novam Arabico-Latinam ſacrorum Bibliorum editionem mendis omnino expurgatam fieri efflagitavit. Hujus rei curam viris longe doctiſſimis, & orientalium linguarum peritiſſimis demandatam ſumma cum diligentia perfectam intuemur, tribus voluminibus integrum opus perſtringentibus, in quibus libri canonici a Synodo Tridentina recepti continentur. Ad Hebraicos, Græcos, Latinoſque vulgatos codices editionem iſtam correxiſſe, atque in integrum reſtituiſſe, fatentur in Præfatione huic negotio incumbentes, quamquam non ſemper Græcæ, & Hebraicæ origini verbo tenus adhæſiſſe, ſed verborum rigore poſthabito genuinam retinuiſſe ſententiam conteſtentur; ſi quid autem diſcriminis inter Arabicum, & Latinum compertum eſt quod veritati nequaquam noceret nullam a ſe mutationem factam, ſed antiquam interpretationem eſſe retentam ajunt. Hæc itaque editio aliis fortaſſe correctior, & emendatior evaſit. (IV)

bunc illi offerentes hæc dicite: Rex Æthiopum Regi Persarum auctor est, ut tum demum in Macrobios bellum moveat, cum Perſæ tam facile trahent arcus tantæ magnitudinis. III. Isaias Phul & Lud jungit tanquam vicina loca: Phul, id est Philæ urbs & insula non magna in Nilo ambigui juris fuit inter Ægyptios & Æthiopes centum stadiis supra Sienem, teste Heliodoro [a] & Aristide. [b]

a *lib.* 8.
b *in orat. Ægyptiaca.*

Verum rationes istæ leviores mihi videntur, ut a communi sententia me dimoveant: *Primo* namque infirma est omnino a nominis etymologia deducta probatio; quis enim nescit varios & plerumque vanos esse hominum lusus, in eliciendis illis nominum etymologiis. Neque validior etiam *Secunda* probatio; non enim soli Æthiopes sagittandi arte potentes erant; sed Persæ & Carduchi, aliæque nationes hoc bellandi genere eis non erant inferiores. Quamobrem inde non est cur potius Æthiopes, quam Gentem aliam ab Isaia commemoratam contendat Bochartus. Neque tandem firmior est *tertia* illius conjectura; quod enim voce *Phul* intelligenda sit insula *Philæ*, aut *Philas* dicta, reclamat ipsa nominis formatio: *Phul* enim scribitur per ו *Vau*, *Phil* autem per י *Jod*: At, inquit Bochartus, plerumque ו & י in Scriptura permutantur: Consentio. Sed quo argumento probabit eas literas hic esse permutatas? Cæteras ab eo productas rationes, utpote minus validas, non expendo; consultiusque censeo subscribendum communiori sententiæ, Æthiopiam in Scriptura significari per terram *Chus*; unde quoties Hebræa illa vox in Scripturis occurrit vulgatus Interpres vertit *Æthiopiam*: sic IV. Reg. cap. XIX. 9. & Habacuc III, 7. At quicquid sit de Æthiopum nominis origine, certum est eorum linguam affinitatem habere maximam cum Chaldaica, imo suam linguam vocare Chaldæam, ut quæ a Chaldæa Babylonica exorta sit, testatur Marianus Victorinus Episcopus Reatinus, qui primus Æthiopicam linguam in regulas grammaticæ redegit anno MDL.

V. Porro Æthiopes inter cæteras Gentiles Orbis nationes, a Palæstina remotas Christiana fide in-primis illustratos fuisse affirmant plurimi Scriptores Ecclesiastici, quorum conversionis occasionem legimus Act. XVIII. v. 27. ubi constat Eunuchum Candaces Reginæ Æthiopiæ per sanctum Philippum ad fidem conversum & unda baptismatis renatum, ac Evangelica doctrina illustratum, in patriam reducem, Christianam fidem, qua imbutus erat, primum disseminasse. De eo namque scribit S. Irenæus [c]: *Missus est in Regiones Æthiopiæ prædicaturus hoc quod ipse crediderat, Deum quidem unum per Prophetas prædicatum, hujus vero Filium fecisse secundum hominem adventum, & ut ovem ad victimam ductum, & reliqua quæcunque Prophetæ dicunt de eo.* Idem habet Eusebius [d]: *Cum salutaris Evangelii prædicatio novis quotidie incrementis augesceret, divina providentia quemdam ex proceribus Æthiopum Reginæ in Judæam ad-*

c *cap.* 12. *lib.* 3. *adverſ. hæreſ.*
d *lib.* 2. *hiſt. cap.* 1.

duxit: quippe moris est etiamnum illis Gentibus muliebri imperio gubernari. Qui cum a Philippo cælesti visione admonito primus ex Gentibus divini Verbi mysteria percepisset, totius Orbis Fidelium primitiæ factus; inde in patriam reversus, Dei notitiam & Salvatoris nostri salutarem in terras adventum primus prædicasse fertur. Suffragatur etiam S. Cyrillus Jerosolymitanus [e] & Hieronymus, [f] qui ait *ipsum ex discipulo magistrum evasisse.*

e *Catechesi* 17.
f *Epist.* 10.

Addit Abdias S. Matthæum Apostolum in Æthiopiam profectum, ibidem illum invenisse: Sophronius autem tanto eum ardore promulgandæ religionis Christianæ exarsisse testatur, ut in Arabia fœlici & Taprobana insula evangelizaverit, ac glorioso certamine, Martyr obierit. Subscribit pariter Dorotheus [g] adiiciens eum in universa Erythræa Evangelium prædicasse. Unde de eo nonnulli explicant illud Vaticinium Isaiæ LXVI. v. 19. ubi Deus prænuntiat se missurum prædicatores ad Gentes, præcipue ad Æthiopes, in Africam & Lydiam, tendentes sagittam, ut Evangelium eis annuntiarent, & gloriam suam inter Gentes celebrarent. Hinc minus caute scripsit Jos. Scaliger [h]; *Jactant vetustatem Christianismi, a Candace Regina, & Philippo Apostolo, sed id manifeste falsum convincit hist. Eccles. Anno enim* XV. *Justiniani, Adad Rex Axumitarum vovit, se vinceret Omeritarum vicinorum Regem, se Christianum factum iri. Victo Rege Omeritarum, missis ad Justinianum legatis, impetravit ab eo Episcopos, qui primi omnium tunc Christianismum in Æthiopia publicarunt..... Adad igitur Axumitarum Rex Primus in Æthiopia Christianismum prædicari curavit.* Hactenus ille. Unde infert ipsorum versionem Bibliorum recentem esse. Verum longe a veritate eum aberrare plurima suadent momenta. *Primo* namque contrarium evincitur ex mox laudatis Patribus & Historicis Ecclesiasticis, qui omnes uno ore testantur, Æthiopes Christi fidem suscepisse ad prædicationem Eunuchi Reginæ Candaces Æthiopiæ; Quod utique Reginæ nomen Gentilitium erat, non proprium. Nam quæ in Æthiopia interdum dominari solebant mulieres, *Candaces* appellabantur: quemadmodum ante Alexandrum, Ægypti Reges dicebantur Pharaones; & post eum *Ptolemæi*: sicut & Imperatores Romani dicti sunt *Cæsares*, ut constat ex Plinio, [i] Strabone [k] & Dione. [l]

g *in Synopsi.*
h *lib.* 7. *de emendat. tempor. & in notis ad Comput. Æthiop. pag.* 681.
i *lib.* 6.
k *lib.* 17.
l *in Augusto.*

Deinde Æthiopes Patriarchæ Alexandrino, ubi primus sedit S. Marcus, subditi sunt; & Alexandrinam Ecclesiam in ritibus & Religione plerumque sequuntur: licet enim sibi *Abunam*, seu Primatem seligant e Monachis Abyssinis, qui Hierosolymis degunt, ex ordine S. Antonii: confirmationem tamen illius electionis petunt ab Alexandrino Patriarcha Cairi commorante, qui ipsum ad Abyssinos delegat. Ex quibus evidens fit ante Axumitarum conversionem, & Justiniani Imperium, fidem Christianam inter Æthiopes floruisse. Si

enim

enim Epiſcopi a Juſtiniano Imperatore delegati, fidem Chriſtianam apud Æthiopes primi promulgaſſent; hauddubie Conſtantinopolitano vel Antiocheno Patriarchæ, tanquam Eccleſiarum ſuarum capiti, non vero Alexandrino ſubditi fuiſſent. *Inſuper* etiamſi concedamus Axumitas tempore Juſtiniani ad fidem converſos, quid hoc ad univerſos Æthiopes, quorum pars minima Axumitæ, qui tum non multo antea trajeciſſent ex Arabia, ubi erant Idololatræ, ut etiam obſervat ipſemet Scaliger ex Procopio, [a] nihil mirum eos non antea fidem recepiſſe, cum Idololatras multos fuiſſe apud Æthiopes, imo & adhuc ſupereſſe in vaſtiſſima illa regione, quæ ſeptuaginta regna continet, qui eas Provincias luſtraverunt, aperte teſtentur.

[a] *in* 1. *Reg.*

Præterea, inquit Vvaltonus, [b] Idem ex antiquis ritibus inter Æthiopes, quos ipſe Scaliger loco citato adducit, probari poteſt, ut qui in uſu erant diu ante Juſtinianum, & ipſius tempore exoleverant, qualis fuit Sabbathi obſervatio una cum die Dominico, ceſſando ab operibus; quod non Judaiſmi, ſed veteris Chriſtianiſmi argumentum eſſe, ipſe ibidem fatetur; nam antiquiſſimi Canones vetant Sabbato opus facere. Idem obſervare licet dum panem vino tinctum in S. Euchariſtia porrigunt, quod poſteriores Canones prohibuere. Hæc & alia ante Juſtiniani tempora exoleta fuerunt, licet prope Apoſtolorum temporibus & ſequentibus ſæculis, ob certas cauſas in uſu eſſent. *Denique* ex Conſtantii Epiſtola ad Clerum Alexandrinum [c] contra S. Athanaſium, conſtat Athanaſium ordinaſſe Frumentium Epiſcopum Axumitarum, quod clare probat multo ante Juſtiniani tempora fidem Chriſti apud Æthiopes viguiſſe. *Huc uſque Vvaltonus*; quibuſdam prætermiſſis, ut minus veriſimilibus.

[b] *proleg.* 15. *n.* 3.

[c] *extat, in S. Athanaſ. Apolog.*

VI. Univerſam Scripturam ſacram lingua ſua translatam habuerunt Æthiopes, non ſolum poſterioribus ſæculis, ut leviori fundamento exiſtimat Scaliger; ſed paulo poſt diſſeminatam apud eos fidem & Religionem Chriſtianam. Probabiliſſimum enim fit, Æthiopicas Eccleſias, ab Apoſtolis aut eorum diſcipulis fundatas, ab incunabulis habuiſſe ſacra hæc Chriſtianæ Religionis monimenta, lingua ſibi vernacula expreſſa, quibus Fideles omnes, tanquam cœleſti viatico reficerentur, & ad fidem Religionemque tuendam ac propagandam provocarentur. *His accedit*, quod qui hodie feruntur libri ſacri lingua Æthiopum exarati cum antiquis Græcis exemplaribus in plurimis concordent: quod utique argumentum eſt, vetus Teſtamentum apud eos, ex Græca LXX. Interpretum verſione fuiſſe traductum, juxta exemplar ab Apoſtolis, aut viris Apoſtolicis eis ſubminiſtratum.

Quantum autem ad novum Teſtamentum attinet, videtur etiam ex antiquiſſimo Græco Codice expreſſum: ſiquidem in plurimis cum Syro convenit, ut obſervat Vvaltonus ſupra laudatus, [f] Maxime vero in Doxologia ad finem Orat. Dom. Matth. VII. quæ in Syro & Æthiopico habetur; at in vulgata Latina, Arabica, ut & in omnibus fere Græcis Codicibus antiquioribus deeſt. Matth. XXII. 27. hæc verba, *Et in omni virtute tua*, adduntur a Syro & Æthiopico. Cap. XXIII. 8. non legunt (ὁ χριστός). Æthiopicus cum Syro & Vulgata, Matth. XXII. 23. verba reddit plane, ut Syrus. Sic Act. III. 37. verſiculus integer, ut in Syro, ſic in Æthiopico deeſt. Et 1. Joan. v. verſ. 7. qui plurimis in Codicibus Græcis non extat, nec in Syro, nec in Æthiopico exemplari apparet. Quod proinde probabile reddit, non Æthiopicum ex Syro expreſſum, ſed utrumque ex antiquo aliquo Codice, qui in hiſce ab aliis diverſus erat, factum fuiſſe, quod utriuſque antiquitatem probat. (19)

[f] *Num.* 3.

§. III.

De Verſione Perſica.

VII. PERSAS olim *Cuthæos* & *Elamitas* dictos eſſe, atque his nominibus in Scriptura, deſignatos, teſtis eſt Joſephus: [d] unde Samaritanos appellatos eſſe *Cuthæos* cenſet, quia, inquit, [e] *Ex Cuthæa regione translati ſunt: hæc vero eſt in Perſide; aut ex fluvio qui idem nomen habet.* At mutatum eſt eorum nomen occaſionem dante Cyro Perſarum Monarcha primo: cum enim ante initum ab eo imperium, rarum eſſet in Perſide equum videre, eo quod regio eſſet montana ad equos alendos, ut ad equitatum minus apta, ait Xenophon; [g] provvidente Cyro factum eſt, ut nemo Perſarum vir bonus & ingenuus videretur ultro pedes incedens, ſive multum aut parum itineris eſſet conficiendum. Unde apud eundem Xenophontem [h] legimus, Perſas omnes ex peditibus ſtatim equites factos, & ab equitatu quo maxime valebant, nomen obtinuiſſe: פרס *Pharas* enim Arabice eſt equus, ut & Hebraice פרש *Paras*, & פרסאי *Perſæ* equi-

[d] *lib.* 1. *Antiq. cap.* 7.

[e] *lib.* 9. *cap.* 14.

[g] *lib.* 1. *Cyropædiæ.*

[h] *lib.* 4.

[19] Renaudotius apud P. Le Long. in Adden. ad Biblioth. Sacra, pag. 666., atque Simonius in Hiſt. Crit. Vete. Teſt. Ethiopicam noſtræ ætatis verſionem ex Cophtica derivatam exiſtimarunt: hæc autem ex LXX. Interpretum verſione deſumpta cum fuerit, cui mirum eſſe queat ſi Ethiopica græcæ reſpondeat? Ethiopicæ Eccleſiæ vetuſtatem ſatis Auctor noſter demonſtrat, undecumque ejus exordia deſumantur. Poſt ſubjugatam autem a Mahummedanis Ægyptum Ethiopica Eccleſia in jus Cophtorum devenit, & quamquam ſibi ſuperiorem e Monachis eligant, tamen a Patriarcha Alexandrino ejus confirmationem cum petant, incredibile non eſt, quod a Cophtis ſcripturam pariter, ritus, & Liturgias omnes deſumpſerint. (*W*)

equites. Inde est, inquit Bochartus, [a] quod apud sacros Scriptores, qui ante Cyri tempora libros ediderunt, nulla sit Persarum mentio: at in libris Danielis, Ezechielis, Esdræ, Nehemiæ & Esther, quorum scriptores Cyri æquales erant aut eo posteriores, frequenter *Persarum* nomen occurrit.

a *lib. 4. Geogr. cap. 10.*

Inter cæteras sacrorum Bibliorum Orientales versiones, quæ in Editione Parisiensi & Londina locum ac sedem habuerunt, etiam commendatur editio Persica, tum ratione antiquitatis, tum maxime ob varias utilitates, quas ex ea Scripturæ sacræ studiosi, ad genuinum ejus sensum eliciendum, & obscuriores ac pugnantes interdum textus elucidandos & conciliandos depromere possunt.

VIII. Ad antiquitatem quod attinet; nemini dubium videri debet, Persas olim habuisse totam Scripturam in suam linguam translatam. Licet enim de universali totius Gentis conversione nullus, quem noverim, historicus meminerit; fidem tamen Christianam plurimum ibi propagatam & publice toleratam fuisse, multasque Ecclesias ibi fundatas, quæ Antiochenæ subditæ erant, ex Historia Ecclesiast. certum est: nam Episcopum quemdam Persam Concilio Nicæno interfuisse narrat Eusebius. [b] *Similiter* persecutionem Saporis Regis Persarum in Christianos dire sævientis, referunt Sozomenus, [c] Hieronymus [d] & Theodoretus [e], necnon & Cedrenus. [f] Ex quibus discimus quod Ecclesiis dirutis, centum Episcopi cum primariæ civitatis Archiepiscopo & plurimis Sacerdotibus, ac diversorum ordinum Clericis, martyrio coronati fuerint anno Christi CCCXLIII.

b *in vita Constantini.*
c *lib. 2. cap. 8.*
d *in Chronic.*
e *lib. 1. cap. 24.*
f *in Compend. an. 21. Constantini.*

Cum itaque inter Persas plurimæ essent Ecclesiæ, & ingens Christianorum numerus, nemo sanæ mentis diffitebitur, Scripturas sacras illos in propria lingua habuisse; præsertim cum in omnibus fere Gentibus, quæ Christo nomen dederant, id in usu fuerit: & insuper idem de Persia nominatim testentur a nobis supra laudati hist. Eccles. Scriptores. Cum tamen Persarum peccatis ad summum perductis, imperium eorum dissipaverit Deus, tradideritque Arabibus, Sarracenis, Muhammedis superstitione inescatis, ut Christianam Religionem eis in Provinciis pene funditus extinxerunt. Quapropter utrum veteris Persicæ versionis adhuc aliquæ reliquiæ supersint, plurimum dubitant viri eruditi: quas enim habemus versionis, Pentateuchi Psalmorum & Evangeliorum, recentiores esse non diffitentur.

IX. Pentateuchum Persice dedit Jacobus *Tavvosius*, vel, ut aliis placet, *Tusius* ab urbe, *Tus*, denominatus, ex textu Hebræo in usu Judæorum in Persia degentium, quem typis Hebræo charactere Constantinopoli anno Christi MDLI. una cum textu Hebræo, & Onkelosi ac Saadiæ versionibus sibi invicem in eadem pagina correspondentibus, ediderunt Judæi, quem Vvaltonus [g] cum versione Latina, quæ antea non extabat, characteribus Persicis exhibuit; ex qua utique editione multum utilitatis percipiet Lector Christianus, utpote cum textum Hebræum plerumque feliciter exprimat, veramque lectionem ac sensum indigitet. Et quod maximi momenti esse debet, vaticinium Jacob de venturo Christo cum sceptrum de Juda auferretur, non ad morem Rabbinorum quorumdam, in alienos sensus detorquet, sed de repromisso & prænuntiato Messia plane explicat his verbis: *Non recedet principatus a Jehuda, neque Scriba e medio filiorum ejus, donec veniat Christus ejus, & ad eum congregabuntur Gentes.* Unde non leve argumentum contra Judæos, ad demonstrandum jam Messiam venisse, depromitur.

g *Tom. 4. Polygnot.*

Quantum autem ad alios libros tam veteris quam novi Testamenti, plurimæ circumferuntur Persicæ Interpretationes, quæ quoniam recentiores sunt, idcirco in minori pretio & veneratione habentur ab eruditis: omnium enim Evangeliorum versionum antiquissima (quæ reperiri potuit ab Vvaltono, qui [h] eam inseruit una cum versione Latina) descripta fuerat ccc. abhinc annis, ut ipse colligit ex verbis ad Codicis finem appositis, quæ Latine translata, ita se habent: *Absoluta sunt quatuor Evangelia gloriosa Matthæi, Marci, Lucæ, Joannis, in urbe Christianis habitata Caffa, die tertio septimanæ, precibus secundis peractis, nono mensis Tamuzi, qui Latine dicitur Julius, an.* MCCCXLI. *Christi Messiæ per manum imbecillimi populi Dei Simon Ibn Joseph, Ibn Abraham Altabrizi, Deus timentium sui* (id est, Christianorum) *misericordia & providentia sua misereatur: ut cum hoc Evangelium legerint vel audierint, Pater noster, & Ave Maria pro Scriptore paupere legant, ut ipsi etiam per misericordiam divinam condonetur, Amen. Et scriptum fuit per mandatum & consilium Domini & Regis sui, (qui gloria magnatum, & mercatorum, decus populi Christi,) amici & fratris Ecclesiæ puræ, Domini & Principis Ibn Sahm Addaula Ibn Scirana, cognominati Teflizi, propitius sit ei Deus & parentibus ejus. Amen.*

h *Tom. 5. Polyglot.*

Observat ibidem Vvaltonus hanc versionem Persicam non esse immediate expressam ex Græco textu; sed ex Syriaco: unde in ea plurimæ occurrunt Syriacæ voces, quarum explicationem ibidem subjungit Interpres. *Insuper* sui ipsius Interpretem agit; non enim tantum peregrina, sed etiam Persica verba minus usitata, per alia etiam Persica notiora explicat; sicut & quasdam voces Arabicas, quæ apud Persas familiares sunt, verbis Persicis interdum interpretatur. *Denique* sæpe Paraphrastem potius, quam Interpretem agit. Unde plerumque verba ingeminat, quorum unum tantum in Græcis & Syris exemplaribus legitur, ut Matth. VI. v. 13. *Serva & libera* cap. X. v. 11. *Pacem & tranquillitatem, &c.* conjungit. Ex quibus apparet hanc Interpretationem Commentarii interdum vicem agere. Longe Graviores alios hujus Persicæ Evangeliorum Editionis errores & lapsus erudite observaverunt Linguæ Persicæ callentissimi: imprimis vero R. P. Angelus a S. Josepho Carmelita disc. Tholosanus in linguis Orientalibus maxime Persica

fica eruditissimus, utpote qui in Persida Missionarii Apostolici per quindecim circiter annos præclare munus obierit. Advertit autem inter cætera, hujus versionis auctorem in quatuor gravissimos errores lapsum esse, primo cum Spiritum Sanctum *Gi-oun Pak i. e. animam puram*, semel saltem absolute vocat, ubi hunc effingit sensum Matth. XXVIII. ac si dictum esset, *Baptizantes in nomine Patris & Filii & animæ puræ*; quod manifestum errorem inducit, utpote cum Spiritum S. diversæ a duabus aliis divinis Personis naturæ & substantiæ designent; vox enim *Gio-un* Persice nil aliud quam *animam humanam*, Turcice vero *animam sensitivam* designat, teste Golio in suo Lexico Persico. Unde etiam Christiani Orientales nusquam divinam Spiritus S. personam efferre solent per vocem *Gi-oun Pak* Persice aut Turcice, sed Arabice per voces *Roub-el-quodous*. Quas idem Interpres ut errorem suum excuset cum voce *Gi-oun Pak* interdum conjungit, sed omnino insulse.

Secundo graviter peccat dum Baptismum, quem dicere debuerat *Mamoudich*, vocat *Schiust-gab*, erronee prorsus; neque enim *Schiust-gah* Baptismum, sed Baptisterium significat, uti norunt etiam linguæ Persicæ candidati; nam *Gah* Persice locum designat, *Schust* autem lavatio: unde *Schust Gah* proprie significat lavationis locum, seu Baptisterium; quemadmodum *Ateschgah*, ignis locum seu Piræum, *Genah-gah*, refugii locum seu azilum designat.

Tertio non minus absurde vocem *Serescht* ad significandam divinam naturam usurpat; *Serescht* enim verbale, idem est ac commixtio ac farinæ subactio, a verbo Persico *Serischten* farinam subigere commiscere. Unde verba ista Joann. V. *Sicut Pater habet vitam in semetipso, &c.* Apud hunc Interpretem hunc sensum reddunt, *Sicut Pater habet vitam in persona frumenti sui*: erronee prorsus.

Quarto tandem hariolatur, dum vocem *Tersa* (quæ proprie infidelem ac idololatram significat) substituit ad significandum in Christum credentem seu Christianum; unde hæc verba Joann. XVI. *Qui crediderit & baptizatus fuerit salvus erit* apud eum hunc sensum videntur efficere, *quicumque ex aqua fiet Gentilis aut adorator ignis salvus erit*. At, inquies, hoc nomine *Tersa* appellari solent Christiani ab Orientalibus Muhammedanis sive Persis sive Turcis. Ita est fateor. Verum ideone dicterium istud & probrum usurpare debuit sacer Interpres, ut infidelibus istis consentiret in fidelium injuriam & Evangelii contaminationem? ergo ne Christiani dicendi sunt idololatræ ac adoratores ignis, quia sic a Muhammedanis, sub quorum dira Tyrannide lugent vocitantur? Ergone perniciosæ Muhammedanæ Legis æmulatores dicendi sunt *veri credentes*, quia se se tales appellant? Fateor tamen in plurimis Dictionariis Persicis voce *Tersa*, Christianum designari, sed an recte? Ex his apparet quam merito jure Biblia Polyglotta reprobarint librorum Censores auctoritate Summi Pontificis, utpote quæ tot erroribus & nævis sint conspurcata. Prudentiori sane consilio hanc librorum editionem Persicam, quam noverat fœdis erroribus scatentem, prætermisit D. le Jay in Editione Bibliorum quam ex linguis Orientalibus adornavit.

CAPUT SEXTUM.

De versione græca LXX. Interpretum.

I. *Editio Græca fuit Evangelii prodromus, & præparatio.*
II. *Confecta est procurante Ptolomæo Philadelpho.*
III. *Beneficia plurima contulit Judæis juxta Aristæam.*
IV. *Prima adversus hanc historiam objectio refertur, & refellitur.*
V. *Aliæ proponuntur objectiones.*
VI. *Responsiones adferuntur.*
VII. *Ultima adversantium argumenta.*
VIII. *Responsio ad prima objectionis capita.*
IX. *Ad postrema capita respondetur.*
X. *Quot revera fuerint hujus versionis Auctores, & quandonam fuerit concinnata.*

I. SEptuaginta Interpretum Græca versio, ait S. Chrysostomus [a], *rarum & singulare miraculum est, quod a Rege barbaro, alieno, & populi Dei inimico, veritas divina inter Gentes dispergeretur*. Unde alibi eam vocat, *Ostium ad Christum*. Cui subscribens S. Augustinus; [b] *Credendum esse*, inquit, *arbitror divinæ dispensationi quæ per eos* (Interpretes) *facta est: ut libri quos gens Judæa cæteris populis vel religione vel invidia prodere nolebat, credituris per Dominum Gentibus ministra Regis Ptolomæi potestate, tanto ante proderetur*. Eis præiverat S. Hilarius qui Psalmum secundum exponens; *Perfecta*, inquit, *horum LXX. Interpretum auctoritas manet*. Primum, *quod ante adventum corporalem Domini transtulerunt, nec adulatio interpretandi adhibita tempore arguitur, tanto anteriore interpretationis ætate*: dehinc, *quod illi ipsi Principes, Doctoresque Synagogæ & præter scientiam Legis, per Mosem quoque doctrina secretiori perfecti, non potuerunt non probabiles esse arbitri interpretandi, qui certissimi & gravissimi erant Auctores docendi*.

Eo autem majoris dignitatis & auctoritatis hæc versio censenda est, quod deservierit Apostolis ad fidem disseminandam & stabiliendam, ut præclare significat S. Iræneus. [c] Firma est autem, *inquit*, & non „ ficta & sola vera, quæ secundum nos est „ fides, manifestam habens ostensionem in „ his

[a] Homil. 4. in Genesim.

[b] Hom. 68. in Ioann. lib. 2. de doctrin. Christ. cap. 15.

[c] lib. 3. adverf. hæres. cap. 25.

„ his Scripturis, quæ interpretatæ ſunt „ illo modo, quo prædiximus, & Eccleſiæ „ annuntiatio ſine interpolatione. Etenim „ Apoſtoli cum ſint his omnibus vetuſtiores, conſonant prædictæ interpretationi, „ & interpretatio conſonat Apoſtolorum „ traditioni. Nam Petrus & Joannes & „ Matthæus & Paulus, & reliqui deinceps, „ & horum ſectatores Prophetica omnia „ ita annuntiaverunt, quemadmodum Seniorum interpretatio continet. Unus enim „ & idem Spiritus Dei, qui in Prophetis „ quidem præconavit, quis & qualis eſſet „ Adventus Domini, in Senioribus autem „ interpretatus eſt bene, quæ bene prophetata fuerant: ipſe & in Apoſtolis annuntiavit plenitudinem temporum adoptionis „ veniſſe, & proximaſſe regnum cælorum, „ & inhabitare intra homines credentes in „ eum, qui ex Vigine natus eſt Emmanuel.

Hæc omnia præclare complectitur Euſebius: [a] Cum, *inquit*, fœlix illud tempus inſtaret, quo ſalutaris hujus Servatoris noſtri doctrinæ lux, ſub Romanis Imperatoribus in cunctos ſeſe homines longe lateque diffunderet; adeoque præcipua tum quædam ratio poſtularet, ut quæ de ipſo extarent oracula, nec non Hebræorum illorum vita, ac religioſæ diſciplinæ Leges, quos longe Deus ipſe cariſſimos habuiſſet, cum tot eæ ſæculorum intervallo patrii ſermonis integumentis clauſæ latuiſſent, cæteris tandem aliquando nationibus, quæ poſtmodum in cognitionis divinæ communionem vocandæ erant; omnibus paterent: Deus „ ille tantorum bonorum Auctor, divinæ „ ſcientiæ vi futurum intuitus, ſingulari „ egit providentia, ut quæ de venturo paulo poſt generis humani Servatore, eodemque ſanctioris erga unum præpotentem Deum Religionis omnibus ſub Sole „ Gentibus Doctore futuro, prædicta jam „ olim eſſent, ea demum accurata explicatione patefacta, & publicis in Bibliothecis collocata, cunctorum in lucem venirent, immiſſa hac Ptolemæo Regi mente divinitus: nimirum ut quædam quaſi „ penus eſſet, unde illa poſtmodum in populorum omnium uſum fructumque promerentur. Enimvero quorum aliter nulla „ nobis unquam a Judæis ſuorum nobis oraculorum cognitionem invidentibus copia „ fieret, eorum divino conſilio proviſam „ interpretationem accepimus: atque ab „ illis ipſis, qui plurimum apud eos cum „ prudentia, tum Gentilitiarum quoque literarum ſcientia præſtabant, elaboratam. „ Atque hæc teſtatur Ariſtæus, vir cum „ eruditus inprimis, tum etiam is, qui rebus Ptolemæi ſecundi, cognomento Philadelphi, tempore geſtis interfuit. Eo „ enim regnante, imo id agente præterea „ ſtudioſe, ſacra Judæorum monimenta Græce translata ſunt, & Alexandrinis in Bibliothecis repoſita. De hac ergo miranda Scripturarum verſione plurima hic occurrunt diſcutienda, quæ ut clariori ac diſtinctiori methodo & ordine librentur, ſingula capita ſub diſtinctis paragraphis proponemus explicanda.

[a] *lib. 8. præp. Evang. cap. 1. pag. 349.*

§. I.

Cujus auſpiciis, quave occaſione, hæc veteris Teſtamenti verſio Græca ſit adornata.

II. COmmunis eſt tam Judæorum, quam Chriſtianorum (ſi paucos excipias) ſententia, Ptolemæum Philadelphum Ægypti Monarchani, ſecundum poſt Alexandrum magnum, hujus præclariſſimi operis promotorem extitiſſe. Hic enim cum honeſtarum artium, maxime litterarum amore ſtudioque flagraret, egregiam Alexandriæ Bibliothecam inſtituit in ea urbis regione quam Bruſchium vocabant. Idemque a Chaldæis, Ægyptiis, Romanis etiam libros petivit, & pariter in linguam Græcam transfundi curavit: de quibus Georgius Cedrenus [b]: Philadelphus libros ſacros, Chaldaicos, Ægyptios, & Romanos alioſque diverſæ linguæ in Græcam omnes converti curavit, in univerſum ad centum millia voluminum: quæ omnia in Bibliothecis ſuis Alexandriæ repoſuit. Itaque is Ptolemæus Alexandriæ ingentem Bibliothecam compoſuit: inſtructione & exemplo Ariſtotelis adjutus, imo & ipſis ejus libris; Nam Ariſtoteles, ex delectu, inſignem Bibliothecam adornaverat; de qua Strabo [c]: *Ariſtoteles, primus, quos novimus, collector librorum fuit, & Reges in Ægypto docuit Bibliothecæ ſtructuram*: quæ tamen caute & cum ſua interpretatione legenda: nec enim vel primus omnino fuit: & certe ævo anterior, docere Philadelphum hunc non potuit; niſi ut dixi, exemplo: hoc fortaſſe verum, quod ab Athenæo ſcriptum ſit, [d] Ariſtotelem Theophraſto libros reliquiſſe, hunc Neleo, a quo eos mercatus Ptolemæus, cum iis quos Athenis & Rhodi coemerat, omnes in Bibliothecam Alexandrinam transferri curavit. Bibliothecam igitur ille undique & omne genus libris inſtruxit. Cumque librorum ex omnibus terrarum partibus conquirendorum curam commiſiſſet Demetrio Phalereo Athenienſi viro nobiliſſimo, ſummiſque functo magiſtratibus, Civium vero invidia, patria expulſo & in Ægyptum fugitivo ac commoranti: illius hortatu libros ſacros ex Hebraica lingua in Græcam vertendos curavit, Regni ſui anno VII. ut habet S. Epiphanius. [e] Interrogatus enim a Rege Demetrius, quot librorum myriadas jam comparaſſet; circiter XX. adfuiſſe reſpondit, ſed ſperare ſe brevi ad L. numerum

[b] *lib. 2.*

[c] *lib. 1.*

[d] *lib. 1.*

[e] *in libro de menſurie &c.*

rum eſſe perventurum. Hunc numerum valde adauget Seneca [a] *Quadringenta*, inquit, *millia librorum Alexandriæ arſerunt, pulcherrimum Regiæ opulentiæ monumentum.* Verum hac in re major Joſepho fides [b] dicenti, Demetrium aliquando interrogatum a Philadelpho, quot millia librorum jam haberet? Reſpondiſſe, ducenta millia, ſed ſperare brevi ad quingenta: ſi tamen Rex a Judæis divinas eorum Leges Græce vertendas peteret.

Hæc avida mente concipiens Ptolemæus, (inquit Joſephus) [c] rogavit, qui factum ſit, ut jam admirandarum Legum nec Hiſtoricus ullus, nec Poeta mentionem fecerit. Tunc Demetrius reſpondit, neminem auſum eam attingere, quam conſtaret divinam eſſe & omni veneratione digniſſimam; & punitos eſſe quoſdam a cæleſti Numine, qui illam temere attrectare non ſint veriti, Theopompum enim volentem inde quædam ſuis ſcriptis inſerere, mente motum fuiſſe diebus triginta & per intervalla inſaniæ Deum placaſſe; facile conjicientem, quæ morbi cauſa fuerit; atque etiam in ſomnis admonitum, hæc ideo pati, quod fuiſſet circa res divinas curioſior, eaque voluiſſet proferre humanis auribus: quare cum a cœpto deſtitiſſet, ſanam mentem ei fuiſſe redditam. Theodecti etiam Poetæ, cum in quadam tragœdia vellet aliquid e ſacris libris admiſcere, oculos glaucomate ſuffuſos caligaſſe: & cum erratum agnoviſſet, exorato Deo redditam ſibi aciem. Hoc monitum cum gratiſſimum Rex habuiſſet, legationem honorificam miſit cum literis & magnificis in uſum templi donariis, ad Eleazarum Judæorum Summum Pontificem, Oniæ primi filium. Simeonis juſti fratrem, quem Joſephus *Ben-Gorion* cap. 24. ſui libri cenſet, eundem eſſe Eleazarum, qui ſub Antiocho glorioſum Martyrium conſummavit. Ad eum, inquam, ſcripſit Ptolemæus, poſtulans ut libros ſacros ad ipſum mitteret, una cum viris, tam doctrina, quam ætate & moribus conſpicuis, qui ad tantum opus conficiendum eſſent idonei.

III. Donaria vero Regia ad templi Hieroſolymitani uſum deſtinata per legatos, continebant inter cætera menſam auream longitudinis duorum cubitorum & ſemiſſis (ut in Joſepho additum reperitur) altitudinis ſeſqui cubitalis, & craſſitudinis non minoris ſemicubito, undique ex auro probato ſolidam & non aureis laminis extrinſecus obductam. Crateres argenteos duos, capientes pluſquam duas metretas; cum ſimilibus argenteis tribus. Phialas aureas XX. & argenteas XXX. ad quorum omnium confectionem exhibuerat ille auri L. pondo talentorum, argentei LXX. & lapides pretioſos non pauciores quinque millibus; adeo ut quintuplo pretium auri ſuperarent lapides collati, & artificium induſtria navata. Miſit præterea & Rex ad ſacrificia, alioſque templi uſus, argenti talenta centum; *Inſuper* libertate donavit viginti ſupra centum millia Judæorum, qui in Ægypto captivi remanſerant, ſolutis pro eorum quolibet redemptione & manumiſſione ab heris Ægyptiis viginti dragmis, nec non & litro pro lactentibus pueris qui una cum matribus redempti ſunt erogato; unde expenſæ ultra CCCCLX. talenta protractæ ſunt, teſte Joſepho: in vulgatis autem Ariſtæi exemplaribus DCLX. leguntur. (20)

Eleazarus Pontifex omni cum honore ac veneratione exceptis Legatis, una cum Regiis literis & muneribus, convocato Seniorum Concilio, viros LX. II. ex qualibet Iſrae-

[a] *lib. de tranquil. cap. 9.*

[b] *lib. 2. Antiq. Jud. cap. 12.*

[c] *lib. 12. Antiq. cap. 2.*

(20) Varios ex tranſcribentium fortaſſis incuria errores in ſumptuum pro captivorum Iſraelitarum redemptione erogatorum computo tam in Joſephi, quam Ariſtæi exemplaria irrepſiſſe compertum eſt; cum in aliquibus Ariſtæi editionibus ſexcenta, & ſexaginta legantur talenta erogata a Philadelpho in Judæorum liberatione, viginti dracmis pro ſingulis manumiſſis perſolutis. In editione Ariſtæi quæ Patrum Bibliotheca conſpicitur, ſcripta ſunt ſexcenta & ſexaginta talentorum millia erogatorum, cum tamen & ibi pro ſingulis captivis 20. dracmæ dicantur perſolutæ. Majus adhuc irrepſit in libros Joſephi erratum, cum expenſa ibidem ſexaginta ſupra quadringenta legamus talenta, & tamen centum & viginti dracmæ pro ſingulis Judæis dicantur ſolutæ, liberatorumque numerus ad centum viginti-millia perveniſſe narretur, pro quibus utique duo millia & quadringenta talentorum fuiſſent neceſſaria, ſi Joſephi ſummam dracmarum, quas perſolutas dicit, teneamus. Si modo tot infantium eorumque matrum numerum, qui libertate donati ſunt, eo protrahamus ut expenſis, pro ſingulis eorum etiam dracmis viginti, numerus talentorum fuerit ſexcentorum, & ſexaginta, ut in correctioribus Ariſtæi exemplaribus legimus, jam certum numerum manumiſſorum Hebræorum aſcendere ad centum nonaginta, & octo millia, quorum redemptio trecentis nonaginta ſex millibus ſcutis Romanis ſtetit, ſi talentum ad valorem atticum, illudque ex ſexaginta minis, minam autem ex centum dracmis componi ſupponamus, dracmamque parem cum Julio Romano in valore faciamus. Duplo tamen majores erunt hujuſcemodi expenſæ ſi talentum juxta Hebræorum, vel Alexandrinorum morem exiſtimemus. Ad miraculum uſque protractæ leguntur expenſæ apud Joſephum, & Ariſtæum, quas Philadelphus pro verſione Bibliorum feciſſe narratur. Si etenim pecuniæ pro captivorum liberatione adjungamus donaria aurea, & argentea, quæ templo fecit, Eleazaro Judæorum Pontifici, atque Interpretibus erunt talenta argenti 1046., auri vero talenta 444. & ſuperſunt ulterius ſeptuaginta duo crateres Interpretibus dati, quorum valor erat pro ſingulis unius talenti, nec non calix triginta talentorum Eleazaro tranſmiſſus. Si itaque vaſa iſta ad argentei talenti exiſtimationem conſideremus, erunt 1148. talenta argenti expenſa, quorum valor ad ſcuta Romana, ſi more Attico computentur, 688800 deveniet; quibus ſi ſummam adjungamus ſcutorum Romanorum 2664000, quæ ſunt valor 444. talentorum aureorum, more Attico computatorum, fiet numerus ſcutorum Romanorum 3352800. Si vero crateres, & calicem ad pretium talenti aurei computemus; tunc erunt talenta argenti 1046, auri vero 546. eorumque omnium valor erit 3903600. ſcutorum Romanorum, Præter hujuſcemodi donaria ſingulis Interpretibus puerum conceſſit in famulum, atque tres ſtolas. Eleazaro autem decem lectos argenteis pedibus cum reliquis muneribus a Fraſſenio laudatis. Computum juxta Atticorum conſuetudinem fecimus circa talenta, quæ ſi ad Hebraicum vel Alexandrinum morem exiſtimentur, ſtatim numerus ſcutorum eſt duplicandus. Ex iſta impenſarum immenſitate pro unius libri verſione Critici recentiores non leve argumentum ſibi comparant ad falſitatem in Hiſtoria Ariſtæi detegendam, eamque [illegible] inſimulandam. (*W*)

Iſraelitica Tribu ſex ſeniores, & genere, & doctrina, & rerum uſu præſtantes elegit, qui Legem divinam, uti Rex poſtulaverat, ex Hebraica lingua in Græcam traducerent; quos omnes Eleazarus Pontifex ad Regem delegavit, cum exemplari librorum ſacrorum, conſtante variis membranis, in quibus Lex literis aureis lingua Judæorum præſcripta erat, quæ membranulæ mira arte erant elaboratæ, & ita compoſitæ, ut earum commiſſuræ oculis diſcerni vix poſſent. Lætatus eſt ſummopere Ptolemæus eorum adventu & præ nimia lætitia, inquit Joſephus, [a] lacrymas non cohibuit, quæ quidem mœroris inſignia, etiam magnum gaudium conſequi natura voluit. *Deinde* illos convivio per ſeptem, aut, ut Joſephus habet, duodecim dies excepit, illorum curam gerente Dorotheo, & cibaria pro eorum victu miniſtrante. Rex per intervalla quæſtiones Politicas & Ethicas eorum ſapientiam exploraturus proponebat, quibus illi ex tempore prudenter admodum reſpondentes ſummam in ſe Regis benevolentiam & venerationem concillarunt. Hinc mandavit ſingulis talenta tria donari, & puerum qui ea offerebat. Deinde vero Demetrius eos duxit in inſulam Pharon ſeptem ſtadiis ab Alexandria diſtantem, & in domo Regia juxta Septentrionale littus ſplendide extructa, atque ab omni tumultu & ſtrepitu remota, eos collocavit. Ibi interpretationem illam aggreſſi diebus ſeptuaginta duobus abſolverunt; qua peracta, Demetrius convocatis Judæorum Sacerdotibus & Principibus, ac univerſo populo, qui voluntarie in Ægypto poſt ſibi donatam libertatem remanſerant, præſentibus etiam ipſis Interpretibus, illam novam editionem publice legi curavit. Aſtantes autem illis Interpretibus, nec non & Regi ac Demetrio bene apprecantes dixerunt; *Quoniam recte, ſancte, & per omnia accurate perfecta eſt iſta interpretatio: par eſt, ut omnia ſicut ſunt permaneant, nec ulla fiat immutatio.* Omnibus ad hæc etiam approbatione acclamantibus; rogavit Demetrius, ut ſicut in more illis erat, dira imprecarentur, ſi quis in ea aliquid immutaret, vel adjiciendo, vel auferendo vel tranſponendo. Cum Regi quoque omnia eſſent perlecta, Legislatoris ſapientiam admiratus, libros religioſe aſſervari juſſit permiſſis Principibus Synagogæ Judæorum, ut exemplaria deſcriberent in uſum ſuum; ipſoſque Interpretes donariis magnis ditatos in patriam remiſit.

[a] *lib. 12. antiq. pag. 405.*

Præterea Eleazaro Pontifici miſit per eoſdem decem lectos, argenteis pedibus ſuffultos, cum eis competenti apparatu; calicem triginta talentorum, ſtolas decem, purpuram, coronam auream gemmis ornatam, & byſſina linteola circiter centum: ad hæc phialas & trullas & duos aureos crateres ad libationes ſacras: quæ ſingula exſcripſit & refert Ariſtæus *aut, ut aliis placet, Ariſtæas*, ex diariis Regiis, nec non & Joſephus. [b]

[b] *lib. 12. antiq. cap. 2.*

IV. At tametſi de hac hiſtoria, nulla fuerit unquam inter Judæos & veteres Eccleſiæ Patres dubitatio & contentio; nihilominus tamen Joſephus Scaliger [c] & nonnulli alii Neoterici, adverſus eam reclamantes, plurima objiciunt, ut illius auctoritatem & fidem elevent. *Primo inquiunt*, non convenit inter Auctores de promotore iſtius verſionis: ſunt enim qui ad Judæos Alexandrinos opus hoc referunt; alii Ptolemæo filio Lagi, qui dolo occupata Hieroſolyma, ait Joſephus, [d] plurima Judæorum millia in Ægyptum tranſtulerat. Ita S. Irenæus, [e] Clemens Alexandrinus, [f] Anatolius, [g] & Theodoretus. [h] Alii vero Ptolemæo Philadelpho theaſurum hunc acceptum ferunt.

[c] *in animadv. Euſeb. ad an. MCCXXIV. pag. 122.*

[d] *lib. 12. antiq cap. 1.*

[e] *lib. 3. adverſ. Hæreſ. cap. 25.*

[f] *lib. 1. Strom.*

[g] *in computo Paſch.*

[h] *Præf. in Pſalm.*

Verum nodum iſtum ſolvere non eſt difficile; ſiquidem reponerem ego interpretationem illam tam ſub Ptolemæo Lagi filio, quam ſub Philadelpho ejus ſucceſſore fuiſſe conſummatam, ut docet Anatolius. Quod utique ex eo maxime ſuadetur, quia Ariſtobulus, Joſephus, Tertullianus & laudati SS. Patres diſerte ſcribunt, Demetrium Phalereum Auctorem fuiſſe hujus verſionis Ptolemæo. Conſtat autem eundem Demetrium in ſumma gratia & auctoritate fuiſſe apud Ptolemæum Lagi filium, & paulo poſt ejus interitum e vita migraſſe: quæ ſi vera ſint, neceſſum erit interpretationem illam ſub Ptolemæo Lagi filio inchoatam fuiſſe; abſolutam vero ſub Philadelpho, qui communi jam Ægypti Regibus nomine etiam Ptolemæus appellatur. Nam, ut obſervat Ludovicus Vives, [i] Reges Ægypti uſque ad Cambyſem Cyri filium, qui eam Regionem Imperio Perſarum bello adjunxit, *Pharaones* communi dicebantur cognomine. Poſt Alexandrum vero, a Ptolemæo Lagi filio dicti ſunt *Ptolemæi*, uſque ad Cæſarem Auguſtum, qui Ægyptum in Provinciæ formam redegit.

[i] *in lib. 18 de Civit. Dei cap. 42.*

Communiori tamen calculo hæc ſacrorum Bibliorum Græca verſio Ptolæmeo Philadelpho, tanquam illius Promotori tribuitur, vel quod a Patre in conſortium regni aſſumptus, hanc verſionem procuraverit. Vel quod ipſius prudentiæ ac vigilantiæ totius operis cura fuerit a patre commiſſa: Vel quod poſt patris mortem, eo ſolo regnante, ad optatum finem deducta fuerit.

V. *Opponunt inſuper*, totam illam hiſtoriam fundari maxime libello Ariſtæi, ad quem Joſephus Lectorem, tamquam ad hujus hiſtoriæ fontem remittit: At libellum iſtum omnino dubiæ eſſe fidei, poſt Ludovicum Vivem & Scaligerum mox citatos, probat Valeſius [k] triplici ratione; *Primo* quia epiſtola Demetrii Phalerei ad Ptolemæum Philadelphum, quæ in eo libro recitatur, falſitatem ſuam ſatis prodit. In ea quippe, *inquit Valeſius*, laudatur Hecatæus Abderites, ejuſque teſtimonium tanquam vetuſti Scriptoris adducitur: cum tamen conſtet eum Demetrio Phalereo antiquiorem non eſſe. Vixit enim Hecatæus ille ſub Alexandri magni ſucceſſoribus, ut Suidas, aliique teſtantur. Et Joſephus ait, [l] Hecatæum Abderitem cum Ptolemæo Lagi filio familiariter eſſe verſatum: ex quo ſequitur Hecatæum & Demetrium Phalereum æquales fuiſſe. *Secunda ratio falſitatis eſt*, quod epiſtola illa Demetrii Phalerei plane inſulſa ſit, & barba-

[k] *in notis ad cap. 8. lib. 5 hiſt. Eccleſ. Euſeb.*

[l] *lib. 2. cont. Apion.*

ris vocibus ſcatens: cum tamen conſtet Demetrium, utpote Athenienſem, eloquentiſſimum fuiſſe, *Tertia denique ratio falſitatis eſt*, quod Ariſtæus Heptaſtadii meminerit, quod tamen poſt Philadelphi tempora a Regibus Ægypti ædificatum eſt.

His quarta ratio poteſt adiici, nempe, qui Demetrii Phalerei vitam conſcripſerunt, aut alioquin mentionem ejus, ſcriptis ſuis inſeruerunt, ne verbo quidem hanc narrationem attingunt. Scribunt equidem eum decem annorum ſpatio Athenienſi Reipublicæ præfuiſſe tanta cum laude & bono civium, ut CCCLX. ſtatuæ illi collocatæ ſint. Converſis deinde rebus, dejectis ab irata plebe ſtatuis, capitis damnatum eſſe; quod periculum ut declinaret, confugit ad Ptolemæum Lagidem, quem noverat literarum & bonarum artium ſtudioſiſſimum, a quo benigniſſime exceptus eſt, & inter ejus amicos principem locum obtinuit. Secus autem fuit de Ptolemæo Philadelpho, qui eum inexpiabili odio ſemper proſecutus eſt, eo quod noverat eum hortari Ptolemæum Lagidem, ut filios quos ſuſtulerat ex Eurydice Regni ſucceſſores deſignaret, non autem quem habuerat ex Berenice, qui Philadelphus dictus eſt. Cum autem hoc Demetrii conſilium ad Philadelphum emanaſſet, tantam ejus offenſionem incurrit Demetrius, ut teſte Hermippo, [a] poſt Lagidis mortem, a Philadelpho pulſus fuerit in exilium, ubi cum ex tædio ſolitudinis animum deſpondere inciperet, & in ſomnum ex languore degravatus eſſet, morſu aſpidis periit, & ſomnum cum morte continuavit. Cicero [b] autem dicit eum aſpide ad corpus admota interiiſſe. Igitur cum initio Regni Philadelphi Demetrius extinctus ſit, *inquit Scaliger*, & in odio Regi fuerit ſemper, qui fieri poteſt, ut & aliquid negotii regii ſub ipſo Rege geſſerit, & præfectus ſit Bibliothecæ regiæ? Imo vero ſi ſtatim ab exceſſu Ptolemæi Lagidis, pulſus fuerit in exilium, quomodo iſtam verſionem & interpretationem curare potuit?

[a] *apud Laertium.*

[b] *orat. pro Rabirio.*

VI. *Verum* hæc omnia momenta quamvis tanti ponderis viſa ſint plurimis, ut eos oppoſitam in ſententiam pertraxerint; nihilominus tamen mihi leviora videntur, quæ hiſtoriam tot illuſtrium Judæorum ac SS. Patrum teſtimoniis, & conſtanti traditione probatam ac firmatam elevent. Quanquam enim Demetrii epiſtola, qua unice nituntur tres Valeſii rationes, forte a Judæis conficta fuerit & Ariſtæi libello ac narrationi inſerta; inde nihil detrahitur cæteris hiſtoriæ partibus. Non enim inſolitum eſt antiquis hiſtoricis nonnulla affingi a ſucceſſoribus, quo in rebus maximi momenti ab iis recenſitis, facilior adhibeatur fides. *His adde* quod rem ipſam teſtatiſſimam habeat Ariſtobulus Judæus Philoſophus Peripateticus, cujus hæc verba inter alia ex ejus libro ad Ptolemæum Philometorem refert Euſebius [c]; *Tota*, inquit, *Legis interpretatio ſub Rege, Philadelpho cognominato, abavo tuo peracta eſt, Demetrio Phalereo magnum ſtudium adhibente, & totum negotium promovente*. Qua autem fronte ad Ægyptium Imperatorem ſcribere hæc auſus fuiſſet Ariſtobulus, ſi neque Imperante Philadelpho, nec ullatenus negotium promovente Demetrio, hæc Verſio fuiſſet edita?

[c] *lib. 13. prap. Evan.*

Ad poſtrema objectionis capita reponi poteſt; iſta omnia quæ de Demetrio referuntur, præfatæ narrationis veritati non adverſari: ſiquidem illud Philadelphi in Demetrium odium, contingere potuit poſtquam ejus opera fuiſſet uſus Ptolemæus Lagides in inſtauratione Bibliothecæ Alexandrinæ, cujus primarius videtur Auctor, & inde cognomen SAPIENTIS adeptus; necnon & poſt incœptam librorum Hebraicorum verſionem. Unde cum ipſi Ptolemæo Lagidæ Philadelphi patri, Demetrius eſſet acceptiſſimus, conceptum in ipſum odium diſſimulare potuit Philadelphus, vivente patre, imo etiam aliquandiu poſt ejus mortem, vel ne crudelis & auſterus cenſeretur; vel quia res exploratas ſatis nondum habebat, nec ſufficientem nactus erat occaſionem, ut in ipſum ſpecie juſtitiæ poſſet animadvertere. *His accedit* quod ea omnia quæ de Demetrio narrantur, nitantur præſertim teſtimonio Hermippi; Quis autem fuerit ille Hermippus, non indicant. Duos enim Hermippos numerat Suidas, unum Athenienſem luſcum & Poetam comicum; alterum Berotium hiſtoricum, qui Adriani tempore multa ſcripſerit. Quis autem eorum hanc de Demetrio narrationem inſtituat, aperit nemo. Si prior, an plus fidei meretur Poeta & quidem comicus, quam tot tamque graves Auctores Chriſtiani, & Judæi? Si poſterior, ut ex ejus patria & ſcriptis conjicitur, Floruit is tempore Adriani Imperatoris: at rebus, cum gererentur, interfuit Ariſtæas, ex cujus narratione iſta referunt a nobis prius laudati Veteres.

Deinde ne iſte quidem Hermippus aperte negat, Demetrium curandæ Bibliothecæ præpoſitum fuiſſe, ſed tantum refert eum incurriſſe quidem Regis offenſionem, dignum tamen ab eo habitum (ut obſervat Serrarius [d]) qui in regione aſſervaretur, donec quid de illo ſtatueret, videretur. Quid autem Rex de illo ſtatuerit, non narrat ille. Potuit autem fieri, ut rebus melius conſideratis, innocentem pronuntiaverit, vel nocentem venia donarit; ejus nimirum doctrina, induſtria, dotibuſque aliis delectatus. Quam enim iſtiuſmodi multa, in aulis & apud Reges fiunt quotidie? Non eſt ergo cur Scaliger [e] & cum eo plures Heterodoxi, præſertim Rivetus, [f] his levioribus momentis hiſtoriam tot tantiſque teſtibus probatam, arietare ſe glorientur.

[d] *cap. 17. quæſt. 5.*

[e] *in animadv. Euſeb. ad an. 1234.*

[f] *in Iſagoge ad Script. ſacr. cap. 10*

VII. *Pergunt Adverſarii & urgent adhuc inſtantius*, Quiſquis eſt ille ſuppoſititius Ariſtæus, fingit ſenos Interpretes ex omnibus duodecim Iſraeliticis Tribubus, ab Eleazaro Summo Pontifice ſelectos fuiſſe, & ad Ptolemæum Regem delegatos. Quod certe, *inquit*, falſiſſimum apparet, cum eo tempore aliæ non eſſent in Judæa Tribus præter Judam & Benjamin, cæteris decem a Salmanazaro temporibus Ezechiæ in Me-

diam

diam deportatis. *Deinde* idem Pſeudo-Ariſtæus, ut ex eo refert Joſephus, [a] ſcribit Legem Dei fuiſſe miſſam ab Eleazaro ad Ptolemæum aureis literis ſcriptam. Idem legitur apud Epiphanium [b], non ſolum de Lege, ſed & de viginti duobus libris veteris Teſtamenti; at teſtantur Hebræorum Doctores, non licuiſſe libros ſacros deſcribere, ne Regi quidem, niſi atramento, ſpeciali modo ad id apparato; videlicet ex fumo olei cum exiguo mellis, quæ cum in maſſam ſiccam coaluerint, ea poſtea tempore ſcriptionis, diſſolvunt in aquis gallarum aut ſimilium. Dicunt autem injunctum eſſe Moſi in monte Sinai, ut libri ſacri perſcriberentur hoc atramento, excluſis cæteris omnibus colorum ſpeciebus, velut rubro, viridi & conſimilibus; imo ne nobiliſſimam quidem auri tincturam, hoc in opere uſurpare licere ſcribit Auctor Anonymus Maſſichtæ Sopherim, [c] ut videre eſt apud Guillelmum Schickardum [d]. Quæ ſi vera ſunt, non potuit Pontifex mittere libros ſacros, aureis literis deſcriptos.

Denique ſi Eleazar Summus Judæorum Pontifex, eorumque Seniores, libenter conſenſiſſent in hanc Verſionem, non ita Judæis Hieroſolymitanis execranda fuiſſet viſa illa Verſio, ut propterea ſolemne jejunium & angariam inſtituerint octava die menſis Thebeth, qui noſtro Decembri reſpondet. Omnia enim, *inquit Scaliger*, Judæorum jejunia inſtituta ſunt, aut propter divinam iram ſedandam, aut incendia & caſus adverſos, aut cædes piorum hominum. Itaque cum jejunium iſtius octavi diei Thebeth ordinatum fuerit propter illam verſionem Græcam, indicium eſt illam ipſis ſummopere diſplicuiſſe; ac proinde falſiſſimum, quod eorum juſſu & conſenſu fuerit edita. Unde colligit Scaliger, eam fuiſſe factam aut ſaltem procuratam a Judæis Alexandrinis, qui cum parum Hebraice ſcirent, & Græce tantum loqui ac ſcribere, ab ipſis Regibus Ægyptiis cogerentur, ne lectione ſacrorum Bibliorum omnino fraudarentur, curarunt ea Græce verti. Hinc exiſtimat nunquam propterea inter Hebræos & Helleniſtas, Judæos bene conveniſſe; imo perpetua viguiſſe diſſidia ac frequentes ſimultates, etiam inter eos qui Chriſto nomen dederant, ut videre eſt, *inquit*, Actorum VI. 1.

VIII. At; hac in re, uti in cæteris plerumque judicium in Scaligero ejuſque ſequacibus & prudentiam requiro. Quis enim neſcit non ſolum Tribum Juda & Benjamin, ſed etiam Leviticam ex parte, poſt expugnatos Iſraelitas a Salmanazaro in Judæa perſtitiſſe; neque tantum has tres Tribus, partim fuiſſe ſuperſtites, ſed inſuper ex ſingulis Iſraeliticis Tribubus, reliquias quaſdam a Salmanazaro in patrio ſolo relictas. Quis enim exiſtimabit univerſum Iſraeliticum vulgus ita in captivitatem traductum, ut ne unus quidem victoris manum evaſerit, aut ſaltem e captivitate redierit: maxime cum legamus, [e] *Univerſum Iſrael habitaſſe in civitatibus ſuis.* Et infra [f]: *Oblatos duodecim hircos caprarum pro peccato totius Iſrael, juxta numerum Tribuum Iſrael.*

Nec etiam diſſimulare potuit Scaliger, tempore Chriſti D. aliquos ex ſingulis Tribubus ad propria fuiſſe reduces: quippe *Lucæ I. Anna Prophetiſſa* dicitur fuiſſe de tribu Azer. Et *Matth. IV.* 15. Chriſtus Dominus audita incarceratione Joannis Baptiſtæ, perrexit Capharnaum ut impleretur hoc Iſaiæ vaticinium: *Terra Zabulon & terra Nephthalim... Vidit lucem magnam, &c.* Videlicet ad Chriſti Domini prædicationem, qui cum dicat ſe *miſſum ad oves quæ perierant de domo Iſrael*, oportet aliquos Iſraelitas ex Tribu Zabulon & Nephtalim fuiſſe ſuperſtites in Palæſtina, ut Evangelica luce colluſtrarentur: Quidni ergo tempore Ptolemæi ex ſingulis Tribubus Iſraeliticis, plurimi fuiſſent ad propria reduces, ex quibus ſenes e ſingulis Tribubus peritiores ſeligere potuerit Eleazarus, eoſque ad Ptolemæum delegare? Unde tametſi forte in libello Ariſtæi, quem jam habemus, nonnulla ſint ſuppoſititia, & a Judæis Helleniſtis conficta; eam tamen Interpretum ex ſingulis Tribubus electionem, non video cur quis revocare poſſit in dubium, cum eam expreſſe habeat Joſephus, qui, quæ de ea Verſione narrat, dubio procul hauſit ex Auctoribus fide dignis. (21)

IX. *Hinc facilis eſt reſponſio ad cætera Scaligeri capita.* Quis enim Judæorum arcanos ritus, mores ac conſilia melius novit aut noſſe potuit, quam Joſephus, Hebraiſmi utique non imperitus, quod in Philone arguit Scaliger? Hic autem diſerte ſcribit, Philadelphi poſtulationem & Bibliorum verſionem, fuiſſe Eleazaro cæteriſque Judæorum Magnatibus gratiſſimam & jucundiſſimam, neque de Judæorum offenſione mentionem facit ullam.

Quis igitur non videt, inquit Petavius [g], hanc ipſam Græcæ translationis invidiam Joſephi ſæculo recentiorem extitiſſe. Cum enim Judæi Chriſtianum nomen paulatim excitari cernerent, ſeque ab Chriſtianis, ſuis ipſis literis, quas Græce legerent omnes, convinci ac redargui; ægre primum communionem illam ferre cœperunt, tum eaſdem literas, ac LXX. Seniorum editionem corrumpere ac mutilare conati ſunt; quod Juſtinus Martyr [h] aliique Patres illis exprobrant. Ex illo tempore natæ ſunt angariæ illæ, & jejunia, quæ Kalendariis ſuis intexuerunt. Tantum vero abeſt, ut lugubres dies Judæi ducere ſuerint ſoliti, propter illam translationem temporibus prioribus: quinimo teſtatur Philo-Judæus [i]: Suo tempore *Singulis annis renovari ſolemnem celebritatem in Pharo inſula, ad quam non tantum Judæi, ſed & alii plurimi traiiciunt, locum veneraturi, in quo primum viſa eſt*

a *lib. 2 Antiq.*

b *lib. de ponderibus & menſur.*

c *quæ extat tom. 3. operis Talmud. cap. 1. §. 9. & cap. 2. lib. de jure regio Hebr.*

d *in notis ad lib. S. Epiph. de ponder. & menſur. pag. 381.*

e 1. *Eſdræ cap. 2. in fin.*

f *cap. 5. v. 17.*

g *in notis ad lib. S. Epiph. de ponder. & menſur. pag. 381.*

h *Dialog. cum Triph.*

i *lib. 2. de vita Moſis pag. 510.*

(21) Traditam hanc a Fraſſenio reſponſionem fulciri non leviter poſſe cognoſcimus ex iis, quæ a Calmeto in ſua *de rediitu decem* Tribuum Diſſertatione proponuntur, quibus Sancti, Grotii, Cornelii, Cyrilli Alexandrini, aliorumque auctoritatem adjungit. (*W*)

hæc Interpretatio, & pro tanto beneficio, quaſi recente, acturi Deo gratias. Poſt vota autem, & gratiarum actiones, alii tentoriis fixis in littore; alii diſcumbentes in ipſa arena, ſub dio epulantur cum amicis & domeſticis, præferendo tunc littus palatiis regiis. Vanum ergo & ludicrum iſtud jejunii indicti apud Hieroſolymitas commentum; tum quia ab eis Judæi Alexandrini in Religione & ſacris inſtitutis non diſſentiebant: tum quia Maimonides jejunia Gentis ſuæ ac omnibus Judæis communia enarrans, iſtud, totamque illius cauſam præterit. Non diſſimile eſt iſtud quod adiiciunt Rabbini, nempe propter hanc Legis translationem, tenebras triduo Orbem impleſſe, cujus fabuloſæ narrationis ne leve quidem apud Veteres veſtigium extat,

Idem eſto judicium de Rabbinica illa ſuperſtitione in conſcribendis ſacris libris, cujus ritus ne verbulum quidem extat apud Joſephum, Philonem, aut alios veteres Judæorum Scriptores; qui tamen a Moſe traditos & propagatos ſacros ritus a Judæis ſervandos, exactiſſime referunt. Tota itaque hæc ceremonia ſuperſtitioni recentium Judæorum tribuenda eſt, qui velamen habentes in corde, umbram pro corpore veritatis ac pietatis ſectantur. Vides itaque plumbea eſſe iſta Scaligeri & ſequacium tela, ex fœce Rabbinica deprompta. Quod vero adiicit Scaliger, continuas propter illam verſionem Græcam rixas, inter Judæos Hieroſolymitanos & Helleniſtas viguiſſe; etiam inter eos qui Chriſto nomen dederant; mera eſt hariolatio, ne levi quidem fundamento nixa. Nam quod profert ex VI. cap. Actuum Apoſtolicorum, ipſum configit; murmur enim, quod ibi refertur, Græcorum adverſus Hebræos, non fuit ob iſtam Verſionem & diverſum uſum ſeu lectionem Scripturarum, Græce videlicet aut Hebraice, ſed eo quod deſpicerentur in miniſterio quotidiano viduæ eorum. (22)

X. Sunt

(22) Variantia non pauca, quæ in exemplaribus Ariſtæi vulgatis, quæque in illis, quibus utebatur Epiphanius, inſpiciuntur, nedum Criticis magno fuerunt argumento ut inter fabellas totam Ariſtæi narrationem ablegarent, ſed ulterius ut, exemplar Epiphanii ab aliquo Chriſtiano ſub Ariſtæi perſona præ oculis textum Philonis Judæi dum fabulam confingebat habente opinarentur, quo pacto ſe geſſit D. Vandale *Diſſert. de Ariſtæa*; hinc non ſolum Ariſtæus Proconneſius patria, qui hiſtoriam, ſeu potius fabulam de Arimaſpis conſcripſit, de quibus Plinius Lib. 7. Cap. 2. atque Ariſtæus Ptoſemæi Philadelphi ὑπομνηστὴς, ſed alter inſuper confictus Ariſtæus, in iſtorum ſententia admittatur oportet, quamquam veterum ſcriptorum nemo de tertio illo Ariſtæo vel levem ſuſpicionem habuiſſe legatur. Verum quidquid de hujuſmodi argumento ſcripſerint aliqui; id unum potiſſimum opinioni eorum, qui legitimam putant Ariſtæi narrationem, ſaltem quoad illius ſubſtantiam, quidquid interim de circumſtantiarum adulteratione dici queat, negotium certe taceſſere poteſt, altum nempe, quod ejus ætatis ſcriptores celeberrimi, de verſione Bibliorum tanto apparatu, magnificentia, ſolemnitate, impenſis tantis a Philadelpho procurata, retinuere ſilentium, quamquam non ſemel de eadem loquendi præſto eſſet occaſio; Theocritus Syracuſanus non ſemel Ptolemæum hunc laudibus extollit; Manethos Sebenniſta hiſtoricus, & Zoilus Amphipolitanus, qui ambo opera ſua dicarunt Regi; Callimacus Cyrenæus qui non ſemel Philadelpho blanditus fuit, nec tamen de tam magnifico opere illius Regis verbum unum protulerunt. Alii autem ſequioris ævi ſcriptores, quorum nonnulli de Philadelphi doctrina, magnificentia, edificiis, Bibliotheca Alexandrina, aviditate comparandi ſibi libros ſcripta ediderunt, nec verbum de hiſtoria illa verſionis ſeptuaginta Interpretum poſuerunt. Auctores etiam librorum Macchabæorum, quemadmodum, & Auctor Eccleſiaſtici, qui excelſis laudibus meminit Simonis juſti in Cap. 50. ſui libri, nec verbum habent de Eleazaro, ſub quo tanta Judæorum gloria Lxx. Interpretum verſio facta narratur ab Ariſtæo, quinimmo in ſecundo libro Macchabæorum Epiſtolæ leguntur ad Judæos datæ in Ægypto commorantes, quibus ſignificatur eiſdem ab Juda Macchabæo collectos eſſe ſacros Codices ſub Antiocho diſſipatos, quorum exemplaria ſi velint, ſpondent ſe miſſuros; hæc autem cum centum circiter quinquaginta annis acciderint poſtquam ſub Philadelpho Biblia verſa in Græcum ſupponuntur, incredibile eſt quod Judæi per Ægyptum exiſtentes ſacris codicibus indigere potuerint, cum permiſſi fuerint a Philadelpho exemplaria tranſcribere quot volverant. Argumentum iſtud erudite ſolideque proſequitur Dominicus Diodati in celebri ſua Diſſert. *de Chriſto Helleniſta* jam non ſemel laudata. Huic argumento ſi adiiciamus varios eſſe ſtylos in libris veteris teſtamenti, qui in Lxx. Interpretum verſione leguntur, diverſamque phraſim, modumque dicendi, adeo ut non eumdem Auctorem habuiſſe ſatis ſit in compertо; ſi ad Ariſtæanæ narrationis a cæteris hiſtoricis diſcrepantiam tantiſper animum convertamus vix anilia ejus commenta deglutire poterimus; quis enim neſciat Philadelphum viri corruptiſſimi inſtar, incæſtuoſi, & Fratricidæ nobis depingi ab Athenæo Lib. 12. Dipnoſoph. a Pauſania in Atticis, a Plinio Lib. 34 cap. 14., cum tamen Religioſiſſimum, pium & humaniſſimum Ariſtæus aſſeveret? Et tandem Demetrius plura codicum millia collegiſſe, atque in Bibliotheca repoſuiſſe dicitur ab Ariſtæo, cum Joſephus Gorionides ſolummodo nongentos nonagintaquinque codices a Demetrio collectos aſſeveret, quos ut ad mille perduceret Philadelphus quinque libros Moſaicæ legis, ſuggerentibus conſiliariis, vertendos curavit, ſuæque Bibliothecæ adjungendos; Hæc ſiquidem omnia non parum veritati videntur detrahere Ariſtæanæ narrationis. Qui tamen pro veritate illius hiſtoriæ decertant ajunt in primis argumentum negativum ex ſilentio ſcriptorum deductum magni non eſſe faciendum, quoties poſitiva argumenta in promptu ſint. Plurimas in primis illius narrationis circumſtantias ajunt a falſariis Judæis in ſuæ gentis, & legis gloriam fuiſſe Ariſtæi exemplaribus inſertas, proindeque non valde de ſingulis iis ſolicitos eſſe velle fatentur; cæterum quod ad facti ſubſtantiam teſtem luculentiſſimum habere gloriantur Ariſtobulum Philoſophum, qui in Libro ad Regem Philometorem inſcripto palam adfirmat ſcripturam Hebræorum Demetrii Phalerei opera, & Philadelphi Regis juſſu in Græcum ex Hebræo aptiſſime fuiſſe translatam. Quis autem opinetur Philoſophum iſtum adeo turpiter non ſolum, ſed publice voluiſſe mentiri? Silentium autem ab Auctore Eccleſiaſtici ſervatum circa Eleazarum Pontificem, ajunt eſſe fortaſſis inde derivandum quod Jeſus Eccleſiaſtici ſcriptor ſub Eleazaro Ariſtæi floruit, nec e vivis forſan exceſſerat ſummus ille Pontifex dum Sacer Scriptor eum librum concinnabat. Hanc opinionem ex eo defendunt quod elogia Simonis Pontificis in Eccleſiaſtici 50. exarata Simoni primo, non ſecundo quadrare videantur. Primus quidem magna cum fama dies clauſit, proindeque *Juſtus* fuit cognominatus; cum ergo demonſtrari non poſſit de Simone II. fuiſſe loquutum Eccleſiaſticum; quamquam id pluribus & quidem præclaris viris arrideat ejus ſilentium de Eleazaro Pontifice Ariſtobuli adſertum infirmare non poteſt. Auctores Librorum Machabaicorum id præſertim enarrare ſtatuerant, quod in Hebræorum gente ſub Machabæorum regimine evenerat, non quæ diu antea geſta fu-

X. Sunt etiam qui ſcrupulum moveant circa numerum & dignitatem illorum Interpretum. Volunt enim aliqui eos non fuiſſe numero LXXII. ſed tantum LXX. ita Heinſius [a] & alii: totidem videlicet Interpretes, quot ſunt inquiunt nationes diverſæ & linguæ principes in univerſo Mundo, quas LXX. numerum non excedere fabulantur. Baronius autem [b] exiſtimat, ipſos Seniores non alios fuiſſe, quam Synedrii Hieroſolymitani Senatores, qui vulgo Seniores appellabantur. Sed unanimi omnium Veterum conſenſu teſtatum habemus, Legatos ipſos fuiſſe numero LXXII. Id enim non ſolum Ariſtæus, Joſephus & Philo, ſed & doctiſſimi quique Rabbini, & quotquot inter Chriſtianos de hac hiſtoria ſcripſerunt, commemorant; nec unus a nato Chriſto D. per quindecim ſæcula repertus eſt, qui de hoc dubitaverit. Unde omnia quæ proferunt, leviſſimæ conjecturæ ſunt, Judaica figmenta omnino redolentes. Nec obſtat quod vulgo duntaxat LXX. nuncupentur; id enim fit, inquit Vives, *Ut brevius atque expeditius loquamur: quemadmodum Judices illi Romani, qui ad haſtam de rebus minoribus judicabant*, CENTUM-VIRI *appellabantur: cum tamen eſſent centum & quinque, terni nempe ex ſingulis Tribubus*.

Nec majoris auctoritatis eſt Baronii ſententia; quanquam enim conveniat LXXII. fuiſſe delegatos, nihilominus in eo fallitur, quod exiſtimaverit eos fuiſſe omnes Synedrii Hieroſolymitani Senatores; cum enim Synedrium inſtitutum eſſet ad judicandum de cauſis difficilibus in populo obortis ſedemque haberet Hieroſolymis fixam, abſurdum omnino eſt, exiſtimare illos, qui Synedrium illud conſtituebant, deſerto Reipublicæ clavo, in alienam regionem tranſmigraſſe,

Quando autem & quo anno abſoluta fuerit & perfecta hæc LXX. Seniorum verſio, non convenit inter Auctores. Nam S. Epiphanius dicit eam fuiſſe confectam anno XVII. regni Ptolemæi Philadelphi; vel ut Serrarius & Scaliger legunt in Epiphanio, anno ejus regni VII. Juxta Euſebium autem in Chronico anno III. Regni ejuſdem Ptolemæi. Quoto autem anno ante Chriſtum; diverſi diverſa ſentiunt. Nam juxta S. Chryſoſtomum [c] ante C. & amplius annos Incarnationis Chriſti Domini, Juxta autem Athanaſium [d] CCXXX. annis ante Chriſti Nativitatem, Juxta Epiphanium [e] vero colliguntur fuiſſe anni CCLXXVI. Nam ab anno XVII. Ptolem. Lagidis vel juxta alios, Ptolemæi Philadelphi uſque ad finem regni Cleopatræ, ponit annos CCXLIX. additiſque annis XVII. qui inde ſunt ad Chriſtum, fiunt anni CCLXXVI. Præfatio Romana in Græcam editionem, annos ponit CCCI. Galatinus [f] annos CCL. cum quo ſentit Torniellus. Sixtus Senenſis [g] putat factam Olympiade CXXIV. anno autem ante Chriſtum CCCL. Quæ tamen duo ſtare non poſſunt. At juxta Euſebium in Chronico, numerantur anni CCLXXII. quæ utique ſententia videtur probabilior. (23)

[a] *in Ariſtarco ſacro.*

[b] *ad ann. Chriſt.* 231.

[c] *ad cap.* 1. *Matth. hom.* 5.

[d] *in Synopſi.*

[e] *lib. de ponder. & menſ.*

[f] *lib.* 1. *de Arcanis cap.* 3.

[g] *lib.* 4. *Biblioth.*

CA-

fuerant. Quod autem Judæi exiſtentes Hieroſolymis Sacros Codices ſuis Fratribus per Ægyptum commorantibus obtulerint mirum eſſe non poteſt, cum diu poſt Philadelphi ætatem a Ptolemæo Philopatore acerbe divexati fuerint Hebræi in Ægypto; atque ab eorum Religione flagellis, & morte eos removere conatus fuerit dirus ille Tirannus, e cujus rabie cæleſti miraculo incolumes tandem facti ſunt, ut apud Uſſerium ad annum Mundi 3788. narratur. Hæc omnia Judæi Hieroſolymitæ neſcire non poterant, unde in Ægypto etiam ſacrorum librorum exterminium contigiſſe opinabantur fortaſſis, ſicut in Palæſtina ſub Antiocho factum eſt; quapropter oblationem librorum eis comiter detulerunt. Niſi reſpondere velimus idcirco exhibitos fuiſſe Sacros Codices ab Judæis Palæſtinis ſuis Fratribus, per Ægyptum diſperſis, quia novum librorum canonem cum inſtituiſſet Judas, & Synagoga in Hieruſalem, novos in eodem libros recenſuerunt, qui poſt ſeptuaginta Interpretum verſionem fuere conſcripti, ut tradit Fraſſenius Libro 4. diſquiſit. Cap. 1. proindeque cenſum hunc novum librorum in Ægyptum tranſmittere cupiebant. Ad alterum de ſtyli, & phraſis diverſitate ajunt incertum eſſe num illa in Authographo LXX. Interpretum extiterit, cum ex diverſis Codicibus, quæ modo circumfertur, græca verſio fuerit collecta; quamquam non deſint, qui ſolos Moſis libros a LXX. verſos tuentur, alios autem ab Hebræis Helleniſtis poſtea translatos, & editioni LXX. adjunctos, eorumque nomine decoratos velint. Si quæ tandem in Libro Ariſtæi leguntur, quæ diu poſt ipſum facta ſunt, hæc in Authographo Auctoris non extitiſſe, ſed a poſterioribus fuiſſe adjecta impoſtoribus dici queunt. Quod opponitur ex Ammiano, Heptaſtadium ab Ariſtæo memoratum fuiſſe opus Cleopatræ longe poſt Philadelphi ætatem: reſolvitur ex auctoritate Julii Cæſaris ſcribentis in fine libri tertii *de bello civili* Heptaſtadium illud non a Cleopatra, ſed a Superioribus Regibus congeſtum fuiſſe. Quod autem modo legitur in citato loco *a ſuperioribus regionibus* mendum apertum eſt: Cleopatræ autem tribuitur opus illud, eo quod ipſum forſan inſtauraverit. Philadelphus tandem non in omnibus ſed in ſua erga Judæos & Hebraicos libros propenſione commendatur. Hæc, quæ adverſus objecta in librum Ariſtæi reponuntur cujus ſint ponderis, quiſque proprio judicio decernat. (W)

(23) Plurimæ quidem inveniuntur Scriptorum hypoteſes ad tempus, quo LXX. Interpretum verſio facta eſt, decernendum. Petavius Lib. 13 *de Doctrina temporum*, & cum eo Natalis Alexander Diſſert. 8. *in Hiſtoriam veteris teſtamenti* ad ſextam Mundi ætatem Propoſ. 2. eo credit Sacra Biblia verſa eſſe biennio, quo Philadelphus una cum Patre ſuo potiebatur imperio; ſicque eorum invicem conciliantur ſententiæ, qui putant, ſub Philadelpho, vel ſub ejus Patre græcam verſionem editam fuiſſe. Toſtatus in ſua enarratione in Præfationem S. Hieronymi ad libros Paralipomenon anno circiter trigeſimo Regni Philadelphi verſos eſſe ſacros libros exiſtimat, cum citius tot in ejus Bibliotheca Codices congregari nequiverint, quot Phalereus extitiſſe reſpondit dum a Philadelpho de eorum numero fuit interrogatus. Verum quamquam ſub incertitudine Epocha hujus verſionis deliteſcat adhuc, ſi narrationi Ariſtæanæ velimus inſiſtere, nec ab eadem deflectere quam proxime eam decernere datum erit. In epiſtola enim ad Philadelphum ab Eleazaro Judæorum Pontifice data, ita legimus apud Euſebium: *Εἰ ἔτις τε ἴδιοντας καὶ ἡ βασίλισσα Ἀρσινόη ἡ ἀδελφή καὶ τὰ τέκνα ὑγιαῖ ἂν ἔχοι καὶ ὡς βουλόμεθα Si tu & Regina Arſinoe Soror tua, & liberi valeant bene ſe res habet, & ut cupimus*: Hæc igitur Eleazari Epiſtola data eſt poſtquam Arſinoe ſuo primo Conjuge Lyſimaco, nec non ſecundo etiam Ptolemæo Cerauno a Gallis trucidato viduata, Ptolemæo Philadelpho matrimonio conjuncta fuit, in eodemque vivebat; Hinc Uſſerius verſionem illam revocat ad annum octavum currentem Regni Philadel-

CAPUT SEPTIMUM.

De variis quæ ad versionem istam LXX. Interpretum concurrisse dicuntur, circumstantiis.

I. *In diversis ædiculis ab unoquoque Interpretum factam fuisse versionem plurimi affirmant.*
II. *Contrarium tenuit S. Hieronymus.*
III. *Spiritus Sancti instinctu versionem istam fuisse peractam plurimi testantur Ecclesiæ Patres.*
IV. *Hieronymum opponunt Hæretici.*
V. *Ad Hæreticorum oppositionem responsio.*
VI. *Christus in versione LXX Nazaræus fuit prænunciatus.*
VII. *Alia Scripturæ oracula proferuntur, quæ in versione LXX deesse opinabatur Hieronymus.*

§. I.

An in cellulis diversis septuaginta Interpretes suam editionem confecerint.

I. AFfirmant Talmudistæ in libro quem *Transactionem Scribarum* vocant, eaque communis est Judæorum, maxime Alexandrinorum persuasio, qui ut eam Versionem, tanquam divinam commendarent, sibi persuaserunt Ptolemæum LXX. Interpretes diversis in cellulis recludi jussisse, ut exploratum haberet utrum invicem consentirent; divinitus autem factum, ut cum separatim singuli meditarentur, consentientes undequaque omnes scriberent.

Idem sentiunt plurimi e SS. Patribus, quibus præivit Justinus Martyr [a] scribens: Illis (Interpretibus) extra turbam constitutis, non in ipsa urbe Alexandrina, sed in insula Pharos, pari cum Interpretibus numero domunculas extrui jussit, ut sigillatim quisque pro se interpretationem perficeret: ea quoque cura iis qui operam eis dare jussi fuerant, mandata, ut omnibus quidem modis ipsis inservirent; a congressu autem mutuo illos prohiberent, quo exquisita interpretationis veritas, ex ipsorum etiam sensu cognosci posset. Et cognito LXX. istos viros, non solum eadem sententia, verum etiam iisdem verbis in translatione usos ac ne una quidem dictione alium ab alio dissensisse, admiratione attonitum (Ptolemæum) cum interpretationem absolutam esse divina virtute credentem; tum quovis honore dignos illos, ut Dei amantes, & Deo charos vicissim judicantem, cum muneribus multis in patriam suam redire jussisse; ac libros, ut par erat, exoscultatum fuisse, & Deo consecratos, in Bibliotheca sua reposuisse. *Et mox subdit*: Hæc vobis Græci viri, non ut fabulam, neque ut confictam historiam renuntiamus: sed qui ipsi Alexandriæ fuerimus, & vestigia domuncularum apud Pharon adhuc reliqua viderimus; & ab incolis, qui res patrias a Majoribus per manus sibi traditas acceperunt, audierimus, commemoramus: Quæ ex aliis quoque intelligere potestis, & potissimum ex iis qui ista scriptis suis inseruerunt, sapientibus & spectatis viris, Philone, Josepho, & aliis pluribus.

Consentit etiam S. Irenæus [b] scribens; Priusquam Romani possiderent Regnum suum, adhuc Macedonibus Asiam possidentibus, Ptolemæus Lagi filius, cupiens eam Bibliothecam quæ a se fabricata esset, omnium hominum dignis conscriptionibus ornare; petiit ab Hierosolymitis in Græcum sermonem interpretatas habere Scripturas eorum; illi vero (obediebant enim tunc adhuc Macedonibus) eos quos habebant perfectiores Scripturarum intellectores, & utriusque loquelæ LXX. Seniores miserunt ad Ptolemæum, facturos hoc quod ipse voluisset. Ille autem ex-

[a] *orat. ad Græcos p. 21.*

[b] *lib. 3. adverf. hæres. cap. 25.*

p-

Jadelphi scilicet anno mundi currente 3727. Periodi Julianæ 4437. & ante Christianam æram 277. Periodi autem Græco-Romanæ 5217. nec prius hoc tempore nec posterius versionem illam statui posse defendit Prideauxius *Part. 2. Historiæ Judæorum Lib. 9.* cum anno sequenti occubuisse Eleazarum defendat, & ante hunc annum Arsinoem Philadelpho desponsatam inficiatur. Verum hæc juxta Usserii supputationem haud quaquam subsistunt, etenim Ptolemæus Ceraunus cum a Gallis occisus anno mundi 3725. tradatur ab Usserio, cumque Eleazarum vitam protraxisse legamus usque ad annum mundi 3747. juxta rationes temporum cronologicas Usserii Arsinoe vero in Eleazari epistola commemorata occubuisse referatur quidem a Pausania in Atticis antequam filios pareret Philadelpho, sed tamen cum hinc minime inferri posse videatur vitam absolvisse nondum completo sui connubii cum Philadelpho mense 10. ideo vel ante vel post annum a Prideauxio designatum versio illa peroptime fieri potuit, quamvis Aristæi historiam omnino retineamus. Ad illum nihilominus Usserii annum versionem LXX. Interpretum referendam opinamur, si aliquando contigit, quia Menedemum illis Actis interfuisse nonnulli colligunt Scriptores ex fragmento Epistolæ ad Antigonum Gonatam apud Laertium; Menedemus autem in Patria versabatur, ut ipsi opinantur, cum idem Antigonus in Macedonia regnare cæpit, quod quidem contigisse refert Usserius ad annum Mundi 3728. (W)

„ perimentum eorum ſumere volens, & me-
„ tuens ne forte conſentientes, eam veri-
„ tatem quæ eſſet in Scripturis abſconde-
„ rent per interpretationem, ſeparans eos
„ ab invicem juſſit omnes eandem interpre-
„ tari Scripturam; & hoc in omnibus
„ libris fecit. Convenientibus autem ipſis
„ apud Ptolemæum, & comparantibus ſuas
„ interpretationes, Deus glorificatus eſt, &
„ Scripturæ vere divinæ creditæ ſunt, omni-
„ bus eandem & iiſdem verbis, & eiſdem
„ nominibus recitantibus, ab initio uſque
„ ad finem, uti & præſentes Gentes co-
„ gnoſcerent, quoniam per aſpirationem
„ Dei interpretatæ ſunt Scripturæ, & non
„ eſſe mirabile Deum in eis operatum, quan-
„ do in ea captivitate populi quæ facta eſt
„ per Nabuchodonoſor, corruptis Scriptu-
„ ris; & poſt 70. annos, Judæis deſcenden-
„ tibus in regionem ſuam, & poſt deinde
„ temporibus Artaxerxis Perſarum Regis,
„ inſpiravit Eſdræ Sacerdoti Tribus Levi,
„ præteritorum Prophetarum omnes reme-
„ morare ſermones, & reſtituere populo eam
„ Legem quæ data eſſet per Moyſem. *Hæc*
ille. Idem habet Euſebius [a].

a *lib. 5. hiſt. cap. 8. & lib. 8. prapar. Evang. cap. 1.*

Eadem pariter fuit S. Clementis Alexand. ſententia [b]. Cum enim memoraſſet delegationem Ptolemæi ad Hieroſolymitanos, ſubdit. *Illi autem, ut qui adhuc obedirent Macedonibus, ex iis qui apud ſe erant probatiſſimi & maximæ exiſtimationis Scripturarum peritos, & Græcæ linguæ ſcientes, LXX. Seniores delectos ad eum miſerunt cum libris divinis. Cum autem unuſquiſque ſigillatim ex ſua propria interpretatus eſſet prophetia, conſpirarunt omnes ſimul collectæ interpretationes & ſententiis & diſtinctionibus. Dei enim erat voluntas, quæ ad id Græcorum aures conſulto comparaverat. Neque vero ab inſpiratione Dei erat alienum, qui prophetiam dederat, ut interpretationem quoque tanquam Græcam efficeret prophetiam.* Concinit etiam S. Cyrillus Hieroſolym. [c] nec non & S. Epiphanius, [d] qui tamen ab aliis in hoc diſcrepat, quod binos in ſingulis cellulis Interpretes incluſos fuiſſe tradit.

b *lib. 1. Strom.*

c *Catechef. 3.*

d *lib. de ponder. & menſ.*

Horum omnium SS. Patrum agmen claudet S. Auguſtinus, qui licet libro 11. *de Doctrina Chriſtiana*, hanc traditionem de illis cellulis, ſingulis Interpretibus aſſignatis, tantum probabilem judicet: attamen *Lib.* XVIII. *de Civit. Dei cap.* 42. velut rem certiſſimam a Majoribus traditam conſtanter affirmat: *Traditur ſane*, inquit, *tam mirabilem ac ſtupendum, planeque divinum in eorum verbis fuiſſe conſenſum, ut cum ad hoc opus ſeparatim ſinguli ſederint (ita enim eorum fidem Ptolemæo Regi placuit explorare) in nullo verbo quod idem ſignificaret, & tantumdem valeret, vel in verborum ordine alter ab altero diſcreparet: ſed tanquam ſi unus eſſet Interpres, ita quod omnes interpretati ſunt, unum erat: quoniam revera Spiritus erat unus in omnibus. Et ideo tam mirabile Dei munus acceperunt, ut illarum Scripturarum, non tanquam humanarum, ſed ſicut erant, tanquam divinarum, etiam iſto modo commendaretur auctoritas, crediturîs quandoque Gentibus profutura, quod jam videmus effectum.*

II. Adverſus hanc tot SS. Patrum teſtimoniis firmatam ſententiam reclamat S. Hieronym. [e] aſſerens eam opinionem eſſe nullo certo Auctore ſubnixam, & ex incerto vulgi rumore collectam. Unde Prologo in Pentateuchum diſerte pronuntiat. *Neſcio quis primus Auctor ſeptuaginta cellulas Alexandriæ mendacio ſuo extruxit, quibus diviſi* (Interpretes) *eadem ſcriptitarent, cum Ariſtæus ejuſdem Ptolemæi [illegible], & multa poſt tempora Joſephus, nihil tale retulit, ſed in una baſilica congregatos contuliſſe ſcribant; non prophetaſſe.* Ad hæc quidem ſcribit Reuclinus [f]: Non putaſſet Hieronymus cellulas illas fabuloſas, ſi parœneticum Juſtini accuratius legiſſet: qui ſe veſtigia cellularum adhuc ſtantia eſſe aſſerit. Verum quamvis credibile non ſit ignoraſſe Hieronymum id ſcriptum fuiſſe a Juſtino, nihilominus tamen quia videbat eum, nihil aliud habere de ea re quam incolarum inſulæ traditionem; non ſine fundamento videtur iſta protuliſſe: maxime cum Ariſtæus & ex eo Joſephus, qui omnes ad minimam hujus hiſtoriæ circumſtantiam referunt, de iſtis ædiculis omnino ſileant, haud dubie non ſilentio prætermiſſuri ſi vera fuiſſet iſta narratio, quippe cum ex ea maxime conſtaret, Verſionem iſtam divino ſuggerente Spiritu confectam fuiſſe; neque enim aliter fieri potuiſſet, ut tot homines ſeorſim recluſi, in eandem ſententiam eademque verba concordarent. At tantum abeſt, ut id re-
„ ferant, imo ſcribit Ariſtæus; Illi autem
„ (LXX. Interpretes) rem aggreſſi, ſingula ex
„ collationibus ad conſonantiam elaborant:
„ & quod ita conſonum & elaboratum erat,
„ ut dignum eſſet deſcriptione, a Demetrio
„ ſcripto excipiebatur. Ac quidem quoque
„ ad nonam uſque horam in tali ſtudio con-
„ vocati erant. Deinde diſcedebant ad cu-
„ randum corpus: quibus omnia longe ſup-
„ peditabantur quæ cupiebant, & præter-
„ ea hoc quotidie de illis, quæ Regi appa-
„ rabantur, & his Dorotheus ex mandato
„ regio ſubminiſtrabat. Atque etiam quoti-
„ die bene mane veniebant in aulam, &
„ ſalutato Rege redibant ad ſuum locum,
„ lotiſque manibus pro communi Judæorum
„ more, ex mari; & votis ad Deum per-
„ actis, pergebant legere & ſingula inter-
„ pretari. *Hæc ille*. Quibus aperte conſtat, non in ſingulis cellulis incluſos Interpretes, privatim Verſionem edidiſſe, ſed ex mutua inter ſe collatione.

e *lib. 2. contra Auſin.*

f *lib. 3. de arte Cabbaliſt.*

„ Concludam ergo verbis doctiſſimi Maſii;
„ g ſi Ariſtæus qui rem totam literis confi-
„ gnavit; diverſarum ædicularum non me-
„ minit, rei cumprimis mirabilis, & quæ
„ admirationem erat habitura apud omnem
„ poſteritatem merito maximam; imo vero
„ ſimiliter atque eum ſecutus Joſephus, in
„ communi conceſſu, una omnes operam
„ dediſſe interpretationi ſcripſit, ut ſane
„ ſcripſiſſe proditum, abſque omni dubita-
„ tione ab Hieronymo eſt; non poſſum, in-
„ quam, non fateri inclinare me, ut exiſti-
„ mem rem iſtam ab Judæis eſſe confictam,
„ ut ſunt illi jam olim in hujuſmodi com-
„ mentis toti: dum ſe putant talibus

g *præfat. in Grac. edition. Joſue.*

„ nu-

„ nugis ſacræ doctrinæ gloriam multum il-
„ luſtrare, quæ alioqui per ſe clariſſima luce
„ ſatis ipſa ſplenderet, ſi ejus divina ſenſa
„ ad veritatem explicarent; id quod mini-
„ me profecto faciunt. Nam Juſtinum, com-
„ monſtratis neſcio quibus veterum ædificio-
„ rum obſcuris veſtigiis, non mirum eſt, ſi
„ inducere potuerunt Judæi, qui tum Ale-
„ xandriæ habitabant, ut id crederet, quod
„ a ſuis Majoribus acceptum, ipſi non ſo-
„ lum credebant, verum etiam ejus memo-
„ riam gentili quadam ſuperſtitione, cole-
„ bant anniverſario feſto, ut ait Alexandri-
„ nus Philo; cum hoc ille, vel opinione
„ ſaltem, non ſibi modo, ſed omnibus ho-
„ minibus perſuaſiſſimum eſſe cuperet; quip-
„ pe cui adverſus Judæos & Gentes cæte-
„ ras, auctoritate illius Græcæ interpreta-
„ tionis, aſſiduo eſſet pugnandum. Porro
„ Juſtini tanti viri teſtimonium, deinde no-
„ ſtri ſive Græci, ſive Latini, libentiſſime
„ ſecuti ſunt. *Ita Maſius* cui concinit Bel-
„ larminus [c]: *Quod*, inquit, *Juſtino Judæi fabulam a ſe confictam perſuaſerint, & quaſdam ruinas oſtendentes, cellulas eſſe dixerint LXX. Interpretum, facile fieri potuit: nec minus facile, ut Juſtino viro ſancto, fidem habuerint aliqui poſteriores.* (24)

c *lib. 2. de Verbo Dei. cap. 6.*

§. II.

Utrum LXX. Interpretes peculiari S. Spiritus afflatu ſuam Verſionem ediderint,

III. AFfirmant celebriores Eccleſiæ Doctores, & Patres tam Græci, quam Latini, in-primis vero S. Juſtinus Martyr [a] ait, *Per propheticum Spiritum Scripturas ab illis Interpretibus fuiſſe ex Hebræo in Græcum verſas.* Subſcribit S. Irenæus a nobis ſupra laudatus; ubi cum narraſſet Regem Ptolemæum, & alios ſibi aſſidentes, obſtupuiſſe quod omnium Interpretum eadem fuiſſet ſententia, & eiſdem conſcripta verbis, ſubdit: *Uti & præſentes Gentes cognoſcerent, quoniam per aſpirationem Dei interpretatæ ſunt Scripturæ; & non eſſe mirabile, Deum hoc in eis operatum, quando in ea captivitate populi, quæ facta eſt a Nabuchodonoſor, corruptis Scripturis, & poſt ſeptuaginta annos Judæis deſcendentibus in regionem ſuam; & poſt deinde temporibus Artaxerxis Perſarum Regis, inſpiravit Eſdræ Sacerdoti Tribus Levi, Prophetarum omnes memorare ſermones, & reſtituere populo eam Legem, quæ data eſſet per Moſem.* Ubi vides S. Irenæum aſſerere Scripturas Spiritu prophetico converſas fuiſſe, & LXX. Interpretes comparare cum Eſdra, divino afflatu Scripturas reſtaurante. Eadem habet S. Clemens Alex. [b] *Neque vero*, inquit, *ab inſpiratione Dei erat alienum, qui prophetiam dederat, ut interpretationem quoque, tanquam Græcam, efficeret prophetiam: nam etiam in captivitate Regis Nabuchodonoſor, cum interiiſſent Scripturæ, tempore Artaxerxis Perſarum Regis: inſpiratus Eſdras Levites, qui factus fuerat Sacerdos, prophetavit; omnes veteres rurſus Scripturas renovans.*

a *in ſerm. exhort. ad Gentes & Dialog. cum Triph. necnon & Apolog. 2.*

b *lib. 1. Strom. pag. 342.*

Conſentit etiam Cyrillus Hieroſolym. [d] ubi docet non caſu factum, ut omnes Interpretes in eandem & eiſdem verbis explicatam ſententiam venirent, ſed ex Spiritu S. divinarum Scripturarum interpretationem profectam. Similiter Theodoretus [e], cum ſermonem feciſſet de Eſdra, ſubjungit: *Si igitur divino Numine afflatus, horum voluminum memoriam illis hominibus renovavit; etiam hi LXX. viri non ſine Sancto Spiritu hæc opera in Græcum ſermonem converterunt.* Idipſum confirmat S. Chryſoſtomus, [f] ubi de hac verſione loquens ait: *Factum eſt hoc divinæ diſpenſationis opus, ut non ſolum Hebraicæ linguæ periti, ſed & omnes qui totum Orbem inhabitarent, ex eo utilitatem perciperent.* Et alibi, [g] cum dixiſſet magnum eſſe divinæ benignitatis indicium, quod per impium & idololatram Regem, ad Gentes pariter impias, divinæ Scripturæ in Græcum verſæ derivarentur, ſubdit: *Quia igitur & tunc ipſa adhuc erant Evangelicæ prædicationis exordia, multaque oportebat divinæ potentiæ clarere documenta, plurimi quoque indignorum accipiebant dona gratiæ.*

d *Catechesi 4.*

e *præf. in Pſal.*

f *homil. 4. in 1. cap. Gen.*

g *homil. 5. in 1. cap. Matth.*

Patribus Græcis conſentiunt Latini Patres, maxime S. Auguſtinus, qui pluribus, præſertim lib. II. de Doctrina Chriſtiana [h], totus eſt in demoſtranda hujus Verſionis auctoritate; ibi enim loquens de editionibus Græcis, cum dixiſſet, *In his LXX. Interpretum, quod ad vetus Teſtamentum attinet, excellit auctoritas; qui jam per omnes peritiores Eccleſias, tanta præſentia Spiritus S. Interpretati eſſe dicuntur, ut os unum tot hp-*

h *cap. 15.*

(24) Cum Auctoris noſtri ſententia congruit Roberti Bellarmini opinio; Libro quippe ſecundo de Verbo Dei Cap. 6. cellularum non meminiſſe, ait Euſebium, non Philonem, non Chryſoſtomum, non Tertullianum, quamquam prodigia, quæ in hac verſione contigiſſe crediderunt enarrare haud omiſerint. Natalis Alexander tamen *Quæſt. 2. Diſſertationis XI. in Eccleſiaſticam hiſtoriam ſecundi Sæculi*, pluribus Sanctorum innixus auctoritatibus, quibus magis quam prophano, vel Ethnico Scriptori deferendum ait, in contrariam abivit ſententiam: S. Hieronymi vero auctoritatem ſumma quidem excipit cum reverentia ſed eidem aliorum Patrum opponit teſtimonia, ejuſque animi aliquando fuiſſe Hieronymum tuetur, ne Spiritus Sancti ſpeciali aſſiſtentia LXX. ſenum verſionem fuiſſe concinnatam compelleretur fateri, dum illius auctoritatem reprimere ſatagebat, ut ſuæ ex Hebraico textu elaboratæ verſioni exiſtimationem, bonamque famam aucuparetur; hinc ſeptuaginta illos Senes nullo modo Vates fuiſſe vult confiteri; ſed tantummodo ut Interpretes agnoſcit. (*k*)

hominum fuerit: Paulo post subdit: *Quamobrem etiamsi aliquid aliter in Hebræis exemplaribus invenitur, quam isti posuerint, cedendum esse arbitror divinæ dispensationi, quæ per eos facta est, ut libri quos gens Judæa, cæteris populis, vel religione vel invidia prodere nolebat, credituris per Dominum Gentibus, ministra Regis Ptolemæi potestate, tanto ante proderentur. Itaque fieri potest, ut sic illi interpretati sint, quemadmodum congruere Gentibus ille qui eos regebat, & qui os unum omnibus fecerat, Spiritus S. judicavit*. Similiter a cum quæsiisset utrum ea quæ LXX. aliter interpretati sunt, quam ferat textus Hebræus, illis dictata sint a Spiritu S. respondet; *Hujus distantiæ si causa quæratur, cur tanta auctoritas interpretationis LXX. multis in locis distet ab ea veritate, quæ in Hebraïs Codicibus invenitur, nihil occurrere probabilius existimo, quam illos LXX. eo Spiritu interpretatos, quo & illa qua interpretabantur, dicta fuerant, quod ex ipsa eorum mirabili, quæ prædicantur, consensione firmatum est. Ergo & ipsi nonnulla in eloquio variando, & ab eadem voluntate Dei, cujus dicta illa erant, & cui verba servire debebant, non recedendo, nihil aliud demonstrare voluerunt, quam hoc ipsum, quod nunc in Evangelistarum concordi quadam diversitate miramur: qua nobis ostenditur non esse mendacium, si quispiam ita diverso modo aliquid narret, ut ab ejus voluntate, cui consonandum, & consentiendum est, non recedat.*

a lib 2. de consensu Evang. cap. 66.

Neque a cæteris Patribus tandem aliquando dissensit S. Hieronymus Hebraicæ linguæ peritissimus, qui licet *præf. in Pentateuchum* asserat LXX. viros illos, *non Vates, sed Interpretes fuisse*; nihilominus tamen *præf. 1. in Paralip.* scribit: *Si LXX. Interpretum pura & ab eis in Græcum versa est editio, permaneret; superflue me Chromati, Episcoporum sanctissime atque doctissime, impelleres, ut Hebræa tibi volumina Latino sermone transferrem*. Censet ergo illos LXX. Interpretes sincere Scripturam vertisse, & in eandem sententiam convenisse; quod utique fieri non potuit sine peculiari Spiritus S. afflatu. *Præfat. autem secunda* hoc diserte explicat; proferens enim rationem, cur in lib. Paralip. non tam Hebræa quam barbara quædam nomina conjecta sint, scribit: *Nec hoc LXX. Interpretibus, qui Spiritu S. pleni, ea quæ vera fuerunt, transtulerant, sed Scriptorum culpæ adscribendum, dum de emendatis inemendata scriptitant*. Cum itaque versionem LXX. reprehendit, non ipsam versionem reprobare censendus est, sed vitia quæ in eam Amanuensium negligentia vel ignorantia, vel malitia irrepserant. Dum vero ait, eos non Vates sed Interpretes fuisse; vult illos non fuisse proprie Prophetas, sed tantum Spiritu S. peculiariter ad id opus illustratos.

IV. Accedit ad hujus versionis auctoritatem quod Apostoli & Evangelistæ ea usi sint, etiam in iis quæ in Hebræo non inveniuntur, ut plurimis demonstrat Origenes, maxime *cap. XV. Epist. ad Romanos*, ubi expendens illa verba Isaiæ XI. *Erit Radix Iesse*, &c. scribit: *Sciendum est quod in omnibus pene, Apostolus Editionem LXX. Interpretum tenet*. Et in ejusdem Epist. cap. X. *Domine quis credidit auditui nostro*; monet vocem illam *Domine* a LXX. Interpretibus desumptam. Et infra explicans hæc verba: *Isaias autem dixit*, &c. subdit: *Sed nec hoc quidem nobis convenit ignorari, quod in exemplaribus Hebræorum non habetur*, ET CONTRADICENTEM; *Apostolus autem sequutus est LXX. Interpretum veritatem in suis scriptis; & sicut illi interpretati sunt, exponit*. Pari ratione observat cæteros Apostolos, etiam Evangelistas, plures veteris Scripturæ textus, laudasse ex versione LXX. qui in Hebræis fontibus non habentur. Sic in hæc verba Joan. XIII. *Qui manducat meum panem levabit contra me calcaneum suum*: inquirens unde id sit depromptum, cum Hebraicæ lectioni non concordet, *Causa est*, inquit, *cur non respondeat ad verbum Hebrææ lectioni, quod hic locus, quem citat Evangelista, metaphrasi quadam a LXX. est explanatus*. Similiter S. Lucas Act. VIII. inducit Philippum concionantem Eunucho & explicantem hoc Isaiæ vaticinium, *Tanquam ovis ad occisionem ductus est*, &c. juxta LXX. Interpretum versionem.

Origeni consentiunt cæteri Ecclesiæ Doctores, præcipue S. Irenæus b, cujus verba dedimus supra. Subscribit S. Cyrillus Hierosolymitanus c, qui sermonem faciens de versione LXX. Interpretum, ait: *Has tantum studiose meditare Scripturas, quas in Ecclesiis confidenter leginus. Multo prudentiores te & religiosores fuerunt Apostoli & primi Episcopi veritatis duces, qui nobis eas tradiderunt. Tu itaque cum sis filius Ecclesiæ, non transgrediaris ejus terminos*. Neque etiam dissentiebat ipse S. Hieronymus antequam Rabbinis præceptoribus usus foisset. Nam d discutiens illam difficultatem, ortam ex varietate Hebraici textus & versione LXX. Interpretum, quod nimirum textus Hebraicus septuaginta animas ex familia Jacob, Ægyptum intrasse affirmet; Græca vero LXX. Interpretum editio, septuaginta quinque proferat, quem etiam numerum assignat S. Stephanus Act. VII. sic scribit: *Non debuit S. Lucas qui ipsius historiæ Scriptor est, in Gentes Actum Apostolorum volumen emittens, contrarium aliquid scribere adversus Scripturam, quæ jam fuerat Gentibus divulgata. Et utique majoris opinionis, illo duntaxat tempore LXX. Interpretum habebatur auctoritas, quam Lucæ, qui ignotus & vilis & non magnæ fidei in nationibus ducebatur.... Hoc autem generaliter observandum, quod ubicumque S. Apostolici viri loquuntur ad populos, iis plerumque testimoniis abutuntur, quæ etiam fuerant in Gentibus divulgata*. Similiter præfat. in quatuor evangelia diserte pronuntiat: *Neque vero ego de veteri disputo Instrumento, quod a LXX. Senioribus in Græcam linguam versum, tertio gradu ad nos usque pervenit. Non quæro quid Aquila, quid Symmachus*

b lib. 3. adv. Hæres. cap. 25.

c Catechesi 4.

d Quæstionibus in Genesim.

machus ſapiant: quare Theodotion inter novios & veteres medius incedat. Sit illa vera interpretatio quam Apoſtoli probaverunt. De novo nunc loquor, &c. Tertio gradu ait, eo quod vetus Inſtrumentum primo Hebraice ſcriptum eſt, deinde Græce translatum, denique e Græco Latine redditum, ut recte explicat Marianus Victorius. Affirmat igitur Sanctus Hieronymus LXX. translationem, ab Apoſtolis eſſe approbatam, omnibus translationibus præferendam, Luciano & Heſychio emendare illam non licuiſſe, quæ adduntur ei falſa eſſe, æqualis denique cum Novo Teſtamento Græco eſſe auctoritatis.

§. III.

Proponuntur quæ ex Hieronymo obiiciunt Hetherodoxi, & expenduntur.

V. His opponunt Heterodoxi ipſum S. Hieronymum Præf. in Pentateuchum, qui ut fidem ſuæ verſioni ex fonte Hebraico conciliet, diſerte pronuntiat plurima ab Evangeliſtis & Apoſtolis fuiſſe laudata veteris Teſtamenti oracula, quæ nec in LXX. Interpretum Codicibus, nec in noſtris ex earum verſione editis, habentur, ut eſt illud. I. *Ex Ægypto vocavi filium meum.* II. [a] *Quoniam Nazaræus vocabitur.* III. [b] *Videbunt in quem compunxerunt.* IV. [c] *Flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ.* V. [d] *Quæ nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcenderunt, quæ præparavit Deus diligentibus illum, &c.* [e] Quæ cum in editione LXX. deſint, in Hebræorum libris inveniri ibidem S. Hieronymus affirmat, *Ad Hebræos igitur*, inquit, *revertendum eſt, unde & Dominus loquitur & diſcipuli exempla præſumunt?* Eadem habet præfat. in Eſdram, & in procœmio quæſtionum in Geneſim, & in caput 6. Iſaiæ. Unde in Apolog. 2. adverſus Rufinum, fatetur quidem Apoſtolos interdum laudare aliquos textus veteris Teſtamenti ex LXX. Interpretum verſione, ſed duntaxat ubicunque ab Hebraico illi non diſcrepant, *Sicut ergo*, inquit, *ego oſtendam multa in novo Teſtamento poſita, de veteribus libris qui LXX. non habentur, & hæc ſcripta in Hebraico doceo, ut*, EX ÆGYPTO VOCAVI FILIUM MEUM.... *Sic accuſator oſtendat aliquid ſcriptum eſſe in novo Teſtamento de LXX. Interpretibus, quod in Hebraico non habeatur, & finita contentio eſt.* Et in Prologo. 15. libri ſuper Iſaiam, ſcribens ad Euſtochium: *Crebro Euſtochium dixiſſe, me novi*, inquit, *Apoſtolos & Evangeliſtas, ubicunque de veteri Inſtrumento ponunt teſtimonia, ſi inter Hebraicum & LXX. nulla diverſitas ſit, vel ſuis, vel LXX. Interpretum verbis uti ſolitos. Sin autem aliter in Hebraico, aliter in veteri editione, ſenſus eſt Hebraicum magis, quam LXX. Interpretes ſequi. Denique ut nos multa oſtendimus poſuiſſe in Hebræo, quæ in LXX. non habentur: ſic æmuli noſtri doceant aſſumpta aliqua de LXX. teſtimonia, quæ non ſunt in Hebræorum literis, & finita contentio eſt.* Igitur cenſuit S. Hieronymus SS. Apoſtolos, e veteri Teſtamento plurimos laudaſſe textus, qui apud LXX. non reperiuntur, ac ſubinde non uſos fuiſſe illa LXX. Interpretum verſione, niſi forte in eis duntaxat locis, ubi hæc Hebræo textui concordat.

VI. Ad hujus argumenti vim elevandam, poſſem Hieronymum opponere Hieronymo: pluribi namque fatetur, Apoſtolos interdum quædam veteris Teſtamenti proferre oracula, quæ in Hebraico textu non leguntur, ſed apud LXX. Interpretes. Sic in Commentario ad *cap. III. ad Galatas* expendens hæc verba quæ citat Apoſtolus ex Deut. cap. XXVII. *Maledictus omnis qui non permanſerit in omnibus quæ ſcripta ſunt in libro Legis, ut faciat ea*; admonet id eſſe deſumptum ex verſione LXX. Interpretum: & in Hebræo non haberi ea vocabula, *omnis* & *in omnibus*. Similiter commentario in caput VI. Iſaiæ dicit, Pauli idcirco ad Hebræos Epiſtolas ab aliquibus contradici, quod ad Hebræos ſcribens, utatur teſtimoniis quæ in Hebræis voluminibus non habentur, quanquam ipſemet Epiſtola 121. allegatis ex illa Epiſtola ad Hebræos nonnullis teſtimoniis, adiiciat, *Hanc Epiſtolam quæ ſcribitur ad Hebræos, non ſolum ab Eccleſiis Orientis, ſed ab omnibus retro Eccleſiis & Græci ſermonis ſcriptoribus, quaſi Pauli Apoſtoli ſuſcipi*. Iſta, inquam, poſſem regerere.

At ſincerius hac in re agendum arbitror: qua propter juvat a S. Hieronymo prolatos textus expendere. Fateor quidem primum, nempe *Ex Ægypto vocavi filium meum*, eadem verborum ſerie & ſenſu apud LXX. Interpretes non haberi, ſicut habetur apud Oſeam in Hebraicis Codicibus: cujus diſcriminis duplex ratio profertur. Sunt enim qui id referunt in divinum & cœleſte Interpretum conſilium, qui ne darent occaſionem Gentibus exiſtimandi Judæos, duplicem colere divinitatem, ſi Deum habere filium, ut ille textus Oſeæ declarabat, ſcripſiſſent, paulo aliter verterunt quam textus habebat: hancque communem fuiſſe Judæorum ſolutionem & reſponſionem fatetur ipſemet S. Hieronymus. [f] Aliam hujus diſcriminis, inter duas Editiones cauſam repetit Morinus [g] ex varia lectione; nam LXX. in Codice quem præ manibus habebant, legerunt בנו *Benau*, id eſt; *filios ejus*: Sanctus Evangeliſta vero legit בני *Beni* id eſt *filium meum*: illi literam י, *Vau*, adjiciendam judicaverunt, hic rejiciendum, eo quod Judæi ſuo tempore ſic legendum eſſe cenſebant.

[a] *Matt. 2. ver. 16.*
[b] *ver. 23.*
[c] *Ioan. 19. ver. 37.*
[d] *Ioan. 7.*
[e] *2. ad Cor. 2.*
[f] *Præfat. in Pentateuch.*
[g] *lib. 1. Exerc. cap. 3. n. 5.*

VII.

VII. Secundus locus eſt, *Quoniam Nazaræus vocabitur*, quem S. Hieronymus dicit haberi Iſaiæ XI. in Hebræis Codicibus, non vero in Græcis LXX. Verum qui toties hunc locum inculcaverat, ad infirmandam LXX. Interpretum verſionem & auctoritatem Hebræis Codicibus comparandam, re maturius conſiderata fatetur nec apud Hebræos hunc locum deprehendi. Unde Iſaiæ XI. ilſdem, quibus LXX. verbis dixit eſſe vertendum: *Et egredietur virga de radice Jeſſe, & flos* (non autem Nazaræus) *de radice ejus aſcendet*; imo aliter verti non debere, confirmat commentario in hunc locum, ubi ſcribit: *Illud quod in Evangelio Matthæi omnes quærunt Eccleſiaſtici, & non inveniunt ubi ſcriptum ſit:* QUONIAM NAZARÆUS VOCABITUR *eruditi Hebræorum de hoc loco* (Iſaiæ XI.) *aſſumptum putant. Sed ſciendum quod hic* נצר (netſer) *per ſ literam ſcribatur, cujus proprietatem, & ſenſum inter z & s, Latinus ſermo non exprimit . . . Porro Nazaræi quos LXX. ſanctificatos; Symmachus ſeparatos, tranſtulerunt per ζ, ſemper ſcribuntur elementum.* Ubi vides S. Hieronymum non omnino exploratum habuiſſe, textum illum a S. Matthæo laudatum, eundem eſſe, qui apud Iſaiam legitur: hinc enim Nazaræum per literam ſ, quæ non aliter quam per *ts* Latine reddi poteſt, ille vero Ναζωραῖος per ζ cui Hebræum נ correſpondet, expreſſit. Cum ergo vox *Nazaræus* non eodem modo in utroque textu ſcribatur, colligit S. Hieronymus, revera textum a S. Matthæo commemoratum, non eundem eſſe, ut putarat, qui apud Iſaiam legitur.

Accedit quod Evangeliſta dum Oraculum propheticum aliquod refert, ſolitus ſit citare nominatim Auctorem illius Prophetiæ; S. vero Matthæus in genere dixit, *Ut adimpleretur quod ſcriptum eſt per Prophetas; Quoniam* NAZARÆUS, *vocabitur.* Quæ verba expendens S. Hieronymus, ait: NAZARÆUS *ſanctus interpretatur: ſanctum autem Dominum omnis Scriptura commemorat;* quaſi diceret, non unus ſed omnes Prophetæ venturum Meſſiam prædixerunt futurum eſſe ſanctum.

Si vero meam hic liceat aperire ſententiam, dicerem Chriſtum Dominum dictum eſſe *Nazaræum* apud Matthæum, non appellativo ſed Gentilitio nomine, derivato ab *urbe Nazareth*, quam incoluit, quod manifeſte videtur innuiſſe Evangeliſta, cum ait habitaſſe Chriſtum, *In Civitate quæ vocatur* NAZARETH, *ut adimpleretur quod dictum eſt per Prophetas, Quoniam* NAZARÆUS *vocabitur.* Quanquam Spiritus Sanctus cum hæc hiſtorice ſcribenda S. Matthæo ſuggereret, alio reſpexerit intenderitque denotare qualis quantuſque futurus eſſet ille, qui ab incolatu dicebatur *Nazaræus*. Cum enim hæc vox ſive per ſ, ſive ζ, a Scriptoribus ſacris veteris Teſtamenti expreſſa, varias, nobiles & illuſtres ſignificationes obtineat; forte Spiritus Sanctus ſignificare voluit, eas omnes mirum in modum Chriſto convenire: ſive enim vox *Nazarenus* derivetur a voce נצר *Netſer*, quæ florem aut ſurculum ſignificat; ſive a נזר *Nazar*, quæ idem eſt ac *ſeparo, ſanctifico, conſecro.* Unde religioſi illi viri, ſupra communia Legis præſcripta, peculiari cuidam ſanctimoniæ Deo non res ſuas tantum, ſed ſemetipſos ex voto dedicabant, ſolito dicebantur *Nazaræi*, id eſt, *ſeparati, ſanctificati ac Deo conſecrati*: revera Chriſtus Dominus hoc utroque ſenſu dici potuit *Nazaræus*; ſiquidem, *Ille eſt flos campi & lilium convallium* [a]; atque *Virga & flos de radice Jeſſe*: [b] Eſt etiam, inquit S. Paulus, [c] ſanctus, innocens, impollutus, ſegregatus a peccatoribus, & per unionem hypoſtaticam intime Deo conſecratus. Dicit igitur S. Matthæus, S. Joſephum & B. Mariam Virginem ex Ægypto revertentes, habitaſſe in civitate *Nazareth*, ut ex ea habitatione Chriſto nomen illud adhæreſceret; quo ſanctimonia illius perfectiſſima & votum pro noſtra ſalute Deo patri nuncupatum deſignaretur. Neque ſane fortuitum fuit, quod populari ſermone adorandus ille Salvator, quaſi perpetuo cognomento dictus ſit *Nazaræus*, ut ex variis Scripturæ textibus compertum eſt, [d] ſed ex ſingulari Dei providentia, quoniam *Nazaræi*, ſignificationes omnes perfectiſſime impleverat. Hinc etiam qui ipſius ſanctiſſimæ diſciplinæ nomen dederunt, *Nazaræi* ſunt appellati. [e] Unde Tertullianus: [f] *Nazaræus vocari habebat ſecundum prophetiam Chriſtus Creatoris; unde & ipſo nomine nos Judæi* NAZARÆOS *appellant per eum; Nam & ſumus de quibus ſcriptum eſt:* NAZARÆI DEALBATI SUNT SUPER NIVEM.

Neque his quicquam officit, quod S. Matthæus, *Nazaræi* vocem Græce reddiderit Ναζωραῖος; (ut erudite obſervat Grotius [g]) quod apud LXX. & Helleniſtas, alios Ναζωραῖος, vel Ναζαραῖος; apud Joſephum & Scriptores Chriſtianos Græcos Ναζιραῖος, in novo autem Fœdere modo Ναζωραῖος, modo Ναζαραῖος ſcribitur pronuntiationis eſt, non vocis diverſitas.

VIII. Tertius locus a S. Hieronymo prolatus, eſt hic apud S. Joannem cap. VII. 38. *Qui credit in me ſicut dicit Scriptura, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ.* Quem locum S. Hieronymus [h] exiſtimat non eſſe in libris a LXX. verſis, ſed ex Hebræorum fontibus petendum, idque ex libro Proverbiorum: at quo ex loco, ipſe non indicat. Putant autem nonnulli ex cap. V. v. 16. deſumptum eſſe, ubi legimus: *Deriventur fontes tui foras, & in plateis aquas tuas divide.* Verum hanc conjecturam ipſa refellit res; cum enim interpretatio LXX. nihil hic diſſentiat a Vulgata, quam ad Hebræi textus veritatem concinnavit S. Hieronymus; ſic enim habent Græci Codices: [i] Τπιξιαχιοῦται σοι τὰ ὕδατα ἐκ τῆς σῆς πηγῆς, ἢ ἐκ πλατείας διαχωρισθήτω τὰ σὰ ὕδατα. *Effundantur tibi aquæ e tuo fonte, & in plateas tuas deriventur tuæ aquæ.* Conſequitur, ut aut hic non ſit locus, quem ſignificare voluit S. Hieronymus; aut quod illius translatio Latina Hebraicæ veritati non hic reſpondeat. Neque facilius ominatur Marianus Victorius, dum S. Joannem Evangeliſtam alluſiſſe

a *Cantic.* 2. 1.
b *Iſaiæ* 11.
c *ad Hebr.* 7. 26.
d *Matth.* 26. 71. *Marc.* 1. 24. & 16. 47. & 14. 67. & 16. 6. *Luc.* 4. 34. & 18. 37. & 24. 19. *Ioan.* 18. 5. 7. & 19. 19. *Act.* 2. 22. & 3. 6. *&c.*
e *Aſter.* 24. 5.
f *lib.* 4. *adverſ. Marcion.*
g *ad cap.* 2. *Matth.*
h *in Prolog. ſuper Pentateuch. & in Paralip.*
i *in Scholiis ad præfat. S. Hieronym. in Pent.*

luſiſſe putat ad hæc verba Proverbiorum XVIII. 4. *Aqua profunda, verba ex ore viri; & torrens redundans fons ſapientiæ.* Quæ enim conformitas hujus textus cum illis Chriſti Domini verbis; *Flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ?* Deinde cum LXX. Interpretes eum locum ſic reddant: *Aqua profunda ſermo in corde viri, flumen autem ſcaturit, & fons vitæ?* certe propius accedunt ad Chriſti Oraculum, quam Hebræus textus; ſubindeque ſi S. Joannes ad hunc Proverbiorum locum, ea ſcribendo reſpexiſſe dicitur, cenſendus eſt potius attendiſſe ad editionem LXX. quam ad textum Hebraicum.

Exiſtimarem ego hic Evangeliſtam non ſpecialem aliquem veteris Teſtamenti contextum indigitaſſe, ſed plurium ſenſum atque conſenſum; eorum videlicet, quibus promittitur divini Spiritus in homines effuſio, quæ tacitam habet cum aquis comparationem. Sed præcipue deſignari puto, locum Iſaiæ LVIII. 11. *Requiem tibi dabit Dominus ſemper, & implebit ſplendoribus animum tuum, & oſſa tua liberabit, & eris quaſi hortus irriguus, & ſicut fons aquarum, cujus non deficient aquæ.* In quam certe expoſitionem collimant S. Joannis verba, ſubdit enim Chriſtum hæc dixiſſe: *De ſpiritu quem accepturi erant Credentes in eum:* cujus divini beneficii initium factum eſt in Penteceſte; non enim tantum Apoſtoli, ſed etiam credentium ingens multitudo repleta eſt Spiritu Sancto; & exundantes illius gratiæ, cum intra ipſos contineri non poſſent, undique magnis fluentis per univerſum Orbem exſilierunt.

Quartus textus eſt; *Videbunt in quem transfixerunt;* qui a S. Joanne refertur cap. XIX. eumque S. Hieronymus excerptum putat ex Zachariæ cap. XII. juxta textum Hebraicum, non vero Græcum. Verum hoc diſcrimen videtur levioris eſſe momenti ac fundamenti; nam conveniunt viri eruditi in plurimis Codicibus verſionis LXX. eo modo lectum fuiſſe Zachariæ XII. quo ſcripſit S. Joannes; ut Nobilius aliique viri doctiſſimi adnotarunt ad hunc Zachariæ locum, in Romana verſione LXX. Interpretum, auctoritate Sixti V. ſummi Pontificis edita; cujus utique argumentum eſt quod S. Cyprianus [a] legat, *In quem transfixerunt.* Tertullianus ſimiliter adverſus Judæos: [b] *Quem pupugerunt.* Sic plurimi alii Patres Latini, qui ſola translatione LXX. Latine reddita utebantur. Cum igitur varia eſſet lectio apud LXX. Interpretes, & quidam Codices haberent juxta Hebræum textum; *Et aſpicient ad me, quem confixerunt.* Alii vero; *Aſpicient ad me, pro eo quod inſultaverunt,* Quæ utique lectionis varietas accidit ex levi literarum commutatione & ſimilitudine; ut ipſemet annotat S. Hieronymus; [c] *Sive,* inquit, *legatur* דקרו, COMPUNXERUNT; *ſive* CONFIXERUNT *accipitur. Sin autem contrario ordine literis commutatis* רקדו, SALTAVERUNT *intelligitur; &c.* (25) Hic autem ut verſionem LXX. deprimeret, ſuamque magis commendaret, poſteriorem lectionem ſolum commemoravit, ut inde anſam haberet improbandi textum Græcum LXX. Interpretum. Non eſt tamen improbanda poſterior hæc lectio Græci textus, nam quod in cruce factum eſt, non obſcure ſignificat, ut ipſemet conſentit S. Hieronymus ibidem ſcribens: *Verbum* κατώρχησαντο *apud Græcos non ab illuſione, ſed a ſaltatu compoſitum eſt: quod ſcilicet contra Dominum quaſi ludendo ſaltaverint, quando dicebant illadentes atque ridentes:* VAH QUI DESTRUIS TEMPLUM DEI, ET IN TRIBUS DIEBUS ÆDIFICAS ILLUD, SALVUM FAC TEMETIPSUM DESCENDENS DE CRUCE. *Hæc & alia illudentes, & quodam amentiæ tripudio ſaltantes loquebantur.* In tractatu vero de optimo genere interpretandi, enarrato hoc loco colligit; *Diſcrepat Evangeliſtæ, LXX. Interpretum, noſtraque translatio; & tamen ſermonum varietas Spiritus unitate concordat.*

Ultimus locus eſt ille quem habet Apoſtolus 1. Cor. cap. II. *Quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparavit Deus iis qui diligunt illum.* Quod oraculum S. Hieronymus vult eſſe depromptum ex cap. LXIV. Iſaiæ ſecundum textum Hebraicum; non vero Græcum. *Verum* qui rem acute perſpexerit, judicabit eum textum, non magis in Hebraico, quam in LXX. Interpretum Codicibus legi. Nam S. Hieronymus ex Hebræo ita vertit: *A ſæculo non audierunt, neque auribus perſpexerunt, oculus non vidit, Deus abſque te, quæ præparaſti expectantibus te:* LXX. autem ſic, *A ſæculo non audivimus, neque oculi viderunt Deum abſque te, & opera tua quæ facies expectantibus miſericordiam;* ubi vides, non majorem eſſe textus Hebraici quam Græci, cum verbis Apoſtoli convenientiam; & conſequenter inde prorſum invalidum argumentum

c *Comment. in præf. tum Zachariæ locum.*

a 2. *adverſ. Judæos.*
b *cap.* 14.

(25) Sæpe contigiſſe ex levi mutatione hebraicarum literarum, quod variæ ſermonis translationes factæ ſint præclare monet S. Hieronymus in loco a Praſenio citato, ex quo integram huc transferre Sancti Doctoris auctoritatem non tædet = Hebraicæ literæ ר, & ד, ideſt *d*, & *r* ſimiles ſunt, & parvo tantum apice diſtinguuntur, ex quo evenit ut idem verbum diverſe legentes aliter atque aliter transferant. Intelligentiæ gratia unum demus exemplum & veſtibus, inquit, erat Samuel אפוד בד *ephod badh*, ideſt indumento lineo בד *badh* enim linum appellatur, unde & בדים *baddis* lineæ dicuntur: pro quo hebraico, græco, latinoque ſermone male quidam legunt *Ephod bar*; ſiquidem בר *bar* aut *filius* appellatur, aut *frumenti Manipulus*, aut *electus*; aut Ιωλαε ideſt *Criſpus*. Quod ibi errore interpretationis accidit, etiam hic factum deprehendimus; ſi enim legatur דקרו *dakaru* ἐξεκέντησαν, ideſt *compunxerunt*, ſive *confixerunt* accipitur. Sin autem contrario ordine literis commutatis רקדו *rakadu* ἐχόρευσαν ideſt *ſaltaverunt* intelligitur, & ob ſimilitudinem literarum error eſt natus = Huc uſque Hieronymus; errorem iſtum ab Hieronymo indicatum in genuino LXX. Interpretum Authographo non extitiſſe, ſed ibi revera ἐξεκέντησαν ſcriptum fuiſſe opinamur, quamquam in exemplaribus poſterioribus ab Amanuenſibus collectione fortaſſis facta cum Hebraico non recte ab iis intellecto ἐχόρευσαν, pro ἐξεκέντησαν ſcriptum fuerit. (W)

tum conſici pro adſtruenda auctoritate textus Hebraici in præjudicium textus Græci.

Adiicient forſan aliqui, illa verſio non eſt cenſenda divini Spiritus afflatu edita, quæ ipſi originali ac primordiali Scripturæ ſacræ textui plerumque adverſatur, & multis in locis ab eo declinat: ſed verſio LXX. Interpretum plurimis in locis aberrat a primigenio Scripturæ ſacræ textu, nempe Hebræo, ut plurimis exemplis demonſtrat Ludovicus Capellus [a], nec non Morinus [b]. (26) igitur illa verſio non eſt cenſenda divinitus edita.

Diſtinguo majorem, Si ita adverſetur & ab eo deficiat, ut illa varietas obeſſe poſſit hiſtoriæ veritati, aut puritati fidei, aut morum probe inſtituendorum doctrinæ ac diſciplinæ, factaque fuerit ab Interprete, animo errorem aut perverſum aliquod dogma inducendi, *concedo*. Secus, *nego*. Porro hæc inter Græcum & Hebraicum textum varietas, nec hiſtoriæ veritati, nec puritati fidei, nec morum integritati tantillum adverſatur: neque ab Interpretibus Græcis ea mente facta eſt, ut a veritate Scripturæ deflecterent; ſed variis de cauſis ea diverſitas emergit, quas in ſequenti capite ex variis Auctoribus ſelectas recenſere juvat & expendere.

a *lib. 4. Criticæ ſacræ.*
b *lib. 1. exercit. cap. 1.*

CAPUT OCTAVUM.

De cauſis diſcrepantiæ Græcæ verſionis a textu Hebraico, de Libris in Græcum converſis, & horum Autographorum caſibus.

I. *SS. Auguſtini, & Hieronymi refertur opinio.*
II. *Quid ſenſerit S. Epiphanius.*
III. *S. Hieronymi opinio iterum proponitur.*
IV. *Rabbi Azarias quid hac in re ſenſerit, & ad eum reſponſiones.*
V. *Ultima cauſa diſſentionis inter Græcam & Hebraicam recenſetur.*
VI. *Eorum opinio, qui ſolum Pentateuchum fuiſſe in Græcum converſum refertur, & refellitur.*
VII. *Plures Rabbini omnes libros veteris teſtamenti tunc exiſtentes fuiſſe converſos arbitrantur.*
VIII. *Incertum an altera verſio Græca ante verſionem LXX. extiterit.*
IX. *Quandonam Autographa LXX. Interpretum exciderint.*

§. I.

I. PLurimæ quidem proferuntur tam a SS. Patribus quam ab illuſtrioribus Judæis & Chriſtianis, cum Catholicis tum Heterodoxis Auctoribus, quarum præcipuas ſigillatim recenſebimus. *Primam* S. Auguſtinus deducit ex ſpeciali Spiritus Sancti afflatu, qui, ut varia myſteria eiſdem Scripturis comprehenſa aperte manifeſtaret; aliam expreſſionem indidit LXX. interpretibus, ab ea quam præ „ ſe fert Hebraicus textus. Cum vero (*inquit* [c]) tantum in eis (Scripturis) ſignum „ Divinitatis apparuit; profecto quiſquis „ alius illarum Scripturarum ex Hebræa in quam-

c *lib. 18. de Civit. cap. 43.*

(26) Poſt Capellum, atque Morinum locis ab Auctore noſtro laudatis, plurima a Natali Alexandro in *ſua Diſſertatione XI. in eccleſiaſticam hiſtoriam ſæculi ſecundi* proferuntur loca divinæ Scripturæ, quæ in LXX. Interpretum verſione ab Hebræo diſcrepare videntur; optime tamen a Clariſſimo illo Scriptore conciliantur; & ſi quæ inde objectio deſumatur contra legitimam Græcorum Codicum translationem a Senibus illis adornatam, ab eodem reſolvitur; inconcuſſum propterea firmumque videtur quod in illa verſione Authographa elaboranda ſpeciali Sancti Spiritus aſſiſtentia Sacri illi Interpretes donati fuerint. Nec magni facienda, quæ ſolent opponi de ſeptem ultimis Libri Eſther Capitibus, vel de poſtremis duobus Danielis, quæ in textu Hebraico cum non legantur, ex ſuppoſititiis, & apocryphis libris LXX. Interpretes excerpſiſſe videntur, quemadmodum etiam, quæ in ſerie Patriarcharum Cajnanis ſecundi apud eos refertur hiſtoria; hæc ſiquidem in LXX. Seniorum verſionem objecta exſuſſantur facillime quoties eorum amplectamur opinionem, qui tuentur defuiſſe ſiquidem ea Eſtheris, & Danielis capita, in Hebræo Codice, quem terebat S. Hieronymus, minime autem in aliis vetuſtioribus, & in eo, quod LXX. Interpretes utebantur; Joſephus ſiquidem ſuam hiſtoriam ex canonicis Judæorum libris compoſuiſſe credendus eſt, & tamen duas Aſſueri epiſtolas, & orationem Mardochæi non prætermiſit, ut patet ex Lib. 11. Antiquit. Cap. 6. Poſtrema etiam Danielis capita in Hebræorum codice extitiſſe tradit Origenes in ſua ad Julium Africanum Epiſtola. De Cajnanis 11. hiſtoria, quanta ad dies noſtros viri omni eruditione clariſſimi hinc tradiderint, & utrinque clarius eſt, quam dicere valeamus. Probabiliorem tamen ſententiam remur quæ Amanuenſium, aut Interpretantium incuria in aliquem Græcum codicem, deinde in S. Lucæ Evangelium irrepſiſſe defendunt, hac opinionem validiſſime propugnat Uſſerius in ſua de Cajnane diſſertatione apud Criticos Sacros Tom. 7. ubi ſcribit Julium Africanum ſiluiſſe de Cajnane iſto, quemadmodum, & Theophilum Antiochenum, quamquam LXX. verſionem ſequeretur, in ſuo Lib. 3. ad Autholicum. Quintum pariter Julium Hilarionem, qui anno 397. ſcripſit, de Cajnane nec verbum habuiſſe tradit. Lucam autem Evangeliſtam ex aliorum ſententia fuiſſe loquutum defendit, eo ipſo modo, quo Paulus Hebræorum Cap. 7. ex aliorum opinione ſcribit Melchiſedech non habuiſſe genealogiam; atque SS. Virgo Joſephum Patrem Jeſu nominabat. Verum eorum ſententia veroſimilior videtur, qui textui Lucæ aſſutum fuiſſe Cajnanem illum exiſtimant; in variis enim codicibus deeſſe tradunt; in codice quidem antiquiſſimo Divi Lucæ ita legebatur, ut tradit Uſſerius τε φαλεκ, τε Εβερ, τε Σαλα, τε Αρφαξαδ, τε Σημ ☰. Quibus apparet in Authographis LXX. & Sancti Lucæ defuiſſe Cajnanem illum ſecundum. (*W*)

„ quamlibet aliam linguam Interpres eſt „ verax, aut congruit illis LXX. Interpretibus; aut ſi congruere non videtur, „ altitudo ibi prophetica eſſe credenda eſt. „ Spiritus enim qui in Prophetis erat, quando illa dixerunt, idem ipſe erat etiam „ in LXX. viris, quando illa interpretati „ ſunt. Qui profecto auctoritate divina & „ aliud dicere potuit, tanquam Propheta „ ille utrumque dixiſſet, quia utrumque „ idem Spiritus diceret, & hoc ipſum aliter, ut ſi non eadem verba, idem tamen „ ſenſus bene intelligentibus diluceſceret, „ & aliquid prætermittere, & aliquid addere: etiam ut hinc oſtenderetur non humanam fuiſſe in illo opere ſervitutem, „ quam verbis debebat Interpres, ſed divinam potius poteſtatem, quæ mentem replebat & regebat Interpretis.

„ Nonnulli autem Codices Græcos interpretationis LXX. ex Hebræis Codicibus „ emendatos putarunt: nec tamen auſi ſunt „ detrahere, quod Hebræi non habebant „ LXX. poſuerunt; ſed tantummodo addiderunt, quæ in Hebræis inventa, apud „ LXX. non erant, eaque ſignis quibuſdam „ in ſtellarum modum factis, ad capita eorundem verſuum notarunt, quæ ſigna „ *Aſteriſcos* vocant: illa vero quæ non habent Hebræi, habent autem LXX. ſimiliter ad capita verſuum jacentibus virgulis, ſicut ſcribuntur unciæ, ſignaverunt. Et multi Codices has notas habentes uſquequaque diffuſi ſunt Græci & „ Latini. Quæ autem non prætermiſſa vel addita, ſed aliter dicta ſunt, ſive alium „ ſenſum faciant, etiam ipſum non abhorrentem, ſive alio modo eundem ſenſum „ explicare monſtrentur niſi utriſque Codicibus inſpectis nequeunt reperiri. Si igitur, ut oportet, nihil aliud intueamur in „ Scripturis illis, niſi quid per homines dixerit Dei Spiritus; quicquid eſt in Hebræis „ Codicibus, & non eſt apud Interpretes „ LXX. noluit hoc per iſtos, ſed per illos „ Prophetas Dei Spiritus dicere. Quicquid „ vero eſt apud LXX. in Hebræis autem „ Codicibus non eſt, per iſtos maluit, quam „ per illos idem Spiritus dicere, ſic oſtendens utroſque fuiſſe Prophetas.

Eidem ſententiæ ſubſcripſit aliquando S. Hieronymus [a], ſcribens: *Ubi vero Obelus, tranſverſa ſcilicet virga præpoſita eſt, illic ſignatur quid LXX. Interpretes addiderint, vel ob decoris gratiam, vel ob Spiritus ſancti auctoritatem, licet in Hebraïs voluminibus non legatur.* Cenſent ergo illi SS. Patres, diverſitatem illam inter textum Hebraicum & Græcum repetendam eſſe ex peculiari afflatu Spiritus S. quo irradiati LXX. Interpretes, nonnulla addiderunt, quæ in Codicibus Hebraicis deſiderabantur: quæ vero aliter verterunt, id non ſine myſterio feciſſe credendum putant.

[a] *præf. in Paralip.*

Verum hæc diſparitatis ratio, quantumcunque pia & ſolida cenſeatur, non videtur tamen omnem prorſus ſcrupulum removere. Plurimæ namque ſunt inter utrumque textum diſcrepantiæ in rebus levioris momenti, puta cum aliquæ particulæ in uno textu inveniuntur quæ deſiderantur in altero. Sic S. Hieronymus [b] obſervat LXX. in Pſal. XLI. v. ultimo: *Salutare vultus mei & Deus meus*; particulam (&) textui Hebraico adjeciſſe; & verſu 6. *Spera in Deo quoniam adhuc confitebor illi*; notat particulam (*adhuc*) eſſe additam. Quis autem in hac diverſitate myſterium requirat? *Similiter* interdum ſunt quædam tranſpoſitiones, puta cum hiſtoria uno in loco apud Hebræos habetur, alio vero apud Græcos: ex quibus documenta quædam colligere non adeo facile cenſetur. Cum itaque illa S. Auguſtini ratio, non omnes nodos diſſolvat, alia perquirenda eſt.

[b] *Epiſt. ad Suniam & Fretellam.*

II. Secundam varietatis cauſam profert S. Epiphanius, [c] quam utique bifariam diſtribuit. Prior pars *Aſteriſcos* ſpectat, hoc eſt, ea quæ textus Hebræus Græco ſuperaddit: poſterior reſpicit *Obelos*, hoc eſt, quæ Græcus Hebræo adjicit. Hanc idcirco a LXX. Interpretibus factam exiſtimat, ne oratio & ſententia manca & obſcura videretur. Cujus exempla profert ex Pſal. CXL. ubi Hebraice ita habetur: *Domine clamavi ad te, exaudi me, intende voci*; quæ utique ſententia claudicans & manca apparet: ideo LXX. addiderunt *orationis meæ*, ne ſcilicet ſenſus eſſet obſcurus, & incompleta oratio. Unde infert *LXX. voces iſtas addiderunt ex ſeſe, non fruſtra tamen, ſed utiliter, hoc cum fructu: Etenim ſicuti manca ac deficiens erat oratio, nonnullis adjectis plurimum ei lucis attulerunt, ut non ſine Spiritus S. afflatu, ad ſcribendum acceſſiſſe credibile ſit... qua in re admiratione digni ſunt: nec audeat quis eos reprehendere, ſed potius laudet; cum illud omne divino quodam conſilio ab illis eſſe factum, tradens quiſque non dubitet... Cæterum quicquid ab eis adeptum eſt, id inutile eſt; quidquid vero relictum, neceſſarium eſt.* Prioris vero diverſitatis rationem colligit ex linguæ Græcæ genio ab Hebræo omnino diverſo; unde factum eſt, ut LXX. perſpicuitati ac nitori ſtudentes phraſin Græcam æmulati fuerint, & ſic non omnes Hebræas dictiones verbatim expreſſerint, quanquam ſenſum integrum reddiderint. Cenſet itaque Interpretes non verba verbis, ſed ſententia ſententiis reddidiſſe. Cui conſentit S. Auguſtinus [d]: *Manifeſtum eſt*, inquit, *illam interpretationem in nonnullis aliter ſe habere, quam invenimus in Hebræo, quod de verbis, non de ſenſu* aſſerendum eſt. Similiter S. Hieronymus [e] ait: *In iis quæ addita ſunt, non verba conſideranda, ſed ſenſus, ad quem LXX. de ſuo nihil addiderunt; licet verba quædam quæ in Hebræo non ſunt, adjunxerint.* Nam ut idem obſervat [f]: *Difficile eſt alienas linguas inſequentem non alicubi excidere, & ut quæ in aliena lingua benedicta ſint, eundem decorem in tranſlatione conſervent.* Adde quod inquit Baronius, *Ex lingua Hebraica, ſingula Græca reddere ſi voluiſſent, facere non potuiſſent; cum nonnulla ſint in Hebraicis verba, quæ vix una periodo orationis, æque recte poſſint Græce interpretari.* Et hunc fuiſſe modum

[c] *lib. de ponder. & menſuris.*

[d] *de conſenſu Evang. cap. 60.*

[e] *de optimo genere interpretandi.*

[f] *præf. in Eſebii Chronic.*

ver-

vertendi veterum observat Genebrardus [a], *Ut paucula obiter intercalarent, quæ inservirent perspicuitati mysterii*. Hæc equidem ratio propius quam præcedens in propositum scopum collineat. Nihilominus adversus eam quis posset reponere minus verisimile videri, LXX. Interpretes divino Spiritu afflatos, qui interno lumine divinæ sapientiæ animum eorum, & externa assistentia linguam regebat & calamum, ut suggesta verba proferrent & scriptis mandarent non habuisse proprias dictiones & genuinas sententias, quibus appositè Hebraicum sermonem Græce redderent.

[a] *in Psal. 95. v. 10.*

III. Tertiam inter utrumque textum discriminis causam profert S. Hieronymus pluribi, [b] dicens varietatem illam oriri, ex eo quod LXX. Interpretes, non incuria vel malitia, sed pio prudentique consilio, plurima, quæ mysterium Trinitatis adstruebant, & Incarnationem divini Verbi prænuntiabant, vel omiserint, vel aliter fuerint interpretati, ne scilicet Sanctum canibus, & margaritas porcis obtruderent, eaque divina mysteria Gentibus, tanquam portentosa figmenta, deridenda traducerent. Cujus insigne exemplum producit ex capite IX. Isaiæ, ubi de Christo in Codice Hebraico dicitur: *Vocabitur nomen ejus admirabilis, consiliarius, Deus, fortis, Pater futuri sæculi, Princeps pacis*. Quibus omnibus nominibus suppressis, LXX. substituerunt *Magni consilii Angelum*. Illi, inquit S. Augustinus, [c] *Ptolemæo Regi Alexandriæ mystica quæque in Scripturis sacris prodere noluerunt, & maxime ea quæ Christi adventum pollicebantur, ne viderentur Judæi alterum Deum colere: hoc utique consilio, sex Christi divina nomina prætermiserunt, ipsorumque loco reposuerunt,* MAGNI CONSILII ANGELUM: *ipsi nominum majestate perterriti, non ausi sunt de puero, quod aperte Deus appellandus sit & cætera; sed pro iis sex nominibus, posuerunt quod in Hebræo non habetur,* MAGNI CONSILII ANGELUM.

[b] *Maxime præfat. in Pentateuch. in Isa. & in quæst. super Genes.*

[c] *præamb. in Genes.*

Verum, quanquam hæc ratio interdum proferatur etiam ab aliis SS. Patribus, maxime S. Augustino, [d] nihilominus ab ea, tametsi pia sententia, animum veritas revocat; utpote cum ea sit minus probabilis, neque cum Dei intentione; neque tandem cum fine intento a Promotore ipsius interpretationis consentanea. Adversatur, inquam, scopo a Ptolemæo intento; si enim LXX. Interpretes, mysteria de Deo, Trinitate, & Incarnatione Verbi, quæ non modicam Scripturæ partem efficiunt, omisissent; Scripturam sacram quam integram & sinceram Græce redditam peroptabat Ptolemæus, mancam, interpolatam, & nobiliori sua parte mutilam ac destitutam habuisset. Id *pariter* repugnat intentioni Dei, qui, ut fatentur ipsi SS. Patres, divino consilio hanc versionem fieri procuraverat, ut Gentium animos ad excipienda Evangelicæ prædicationis mysteria præpararet, & ad ea credenda eo fierent promptiores, quod in Prophetarum oraculis' novissent illa ante prænuntiata. *Denique*, hæc Scriptura-

[d] *lib. 18. de Civit. cap. 44.*

rum interpolatio adversaretur fini, a quolibet Scripturæ sacræ Interprete, imo & ab Ecclesiæ, interpretationem probante, proposito; idcirco enim vertuntur Scripturæ in linguam vernaculam, ut quod per ignorantiam linguarum Orientalium fidelibus negatur; idipsum per accuratas translationes compensetur: quomodo autem id fiet, si ea LXX. Interpretum versio (ex qua potissimum originem ducit editio vulgata Latina) mala fide fuisset edita.

His adde quod exemplum & argumentum a S. Hieronymo propositum, minus videatur efficax; nam licet hunc locum, ut nunc habent LXX. referant SS. Basilius, Ambrosius & Cyprianus; tamen SS. Ignatius [e] & Irenæus [f], qui editione LXX. utebantur, sex ista Christi nomina in Codicibus suis legerunt; quibus fit admodum probabile, hæc verba textui LXX. Interpretum, primitus fuisse adscripta, sed Judæorum aut hæreticorum malitia atque invidia, ab eodem textu postea erasa fuisse. Unde etiam, ut observat Morinus, [g] Oraculum istud nunc Judæi ita legunt, ut unius vocalæ prava punctuatione, hoc divinitatis Christi testimonium omnino depravent: legunt enim יקרא *Ichra, vocabit*, quo quinque epitheta priora, ad Deum patrem referuntur, postremum ad Messiam: Antiquissimi tamen Interpretes Aquila, Theodotion & Symmachus, יקרא passive legerunt יקרא *Ichare, vocabitur*.

[e] *epist. ad Antiochenses.*

[f] *lib. 4. cap. 66.*

[g] *Exercit. 6. cap. 1.*

Quartam rationem discrepantiæ utriusque textus subministrat ipsemet S. Hieronymus, [h] ubi requirens cur hæc verba, *Peccatum Judæ scriptum est stylo ferreo, &c.* Non inveniantur apud LXX. scribit: *Cur a LXX. prætermissum sit, nescio, nisi forsitan pepercerunt populo suo; sicut & in Esaiæ eos feciße manifestum est.* QUIESCITE ERGO AB HOMINE, CUJUS SPIRITUS IN NARIBUS EJUS QUI EXCESSUS REPUTATUS EST IPSE; *multaque ejusmodi, quæ si voluero cuncta digerere, non dicam libro, sed libris opus erit.* Censet ergo S. Hieronymus omnia Scripturarum oracula, aut saltem plurima, quæ in Judaicæ Gentis probrum & dedecus ingeminata erant, a LXX. fuisse prætermissa, ut popularium suorum turpitudini & ignominiæ parcerent. At verius conjicere videntur Justinus, Origenes, & alii Ecclesiæ Patres, qui verba ista, & plura alia his similia, Judæorum malignitate dispuncta fuisse existimant. Idem esto judicium de plurimis aliis Oraculis, quæ ab ipso textu Hebræo expunxerunt Judæi, in odium Christi & Christianæ Religionis, cui textus illos aperte patrocinari animadvertebant, ut fuse probabimus cap. 10. sequenti.

[h] *in cap. 17. Isaiæ.*

IV. Quintam Rationem exhibet R. Azarias, [i] Nempe quod LXX. Interpretes suam versionem non ediderint, ex purissimis Codicum Hebraicorum fontibus, sed ex Codice Chaldaico plebeio & vulgari. Cum enim dixisset, [k] a captivitate Babylonica Judæis duos Legis libros in usu fuisse, unum quidem Hebræum, sincerum & integrum, exaratum lingua sancta, & literis Assyrüs

[i] *in 1. part. lib. Imre. Binah. cap. 8. & 9.*

[k] *init. cap. 5.*

ab

ab Eſdra, quem dedit Sacerdotibus & Sanhedrin, qui Legem tractant, ut populum edoceant. Alterum paululo mutatum, & communicatum multitudini, literis ſcilicet transfluvialibus, ſed lingua Chaldaica, quæ tunc erat Judæis vernacula, qui non fuit translatus de verbo ad verbum, ſed paraphraſtice, ut vulgus Legem facilius intelligeret; colligit [a] Codicem iſtum, quoniam deſtitutus erat Maſſora, ſucceſſu temporis in plurimis fuiſſe depravatum, & a primigenio exemplari omnino diverſum, *Donec*, inquit, *venit Onkelos proſelytus, qui reperiens depravationes multas, interpretatus eſt Legem de novo.* Ex quibus infert LXX. Interpretes translationem ſuam ex illis vulgatis & popularibus libris corruptis expreſſiſſe, non autem ex puro & integro Codice Hebræo, cujus cuſtodia penes Sacerdotes erat. Hanc autem ſuam ſententiam confirmare nititur Azarias triplici argumento, quorum *primum* deducit ex auctoritate Philonis, qui translationem factam dicit e lingua Chaldaica, ſubindeque ex Codice populari Judæorum, non autem ex eo qui tantum Sacerdotum manibus terebatur, quique ſcriptus erat quidem ſcriptura Aſſyriaca, ſed lingua ſancta & Hebraica. *Secundum* colligit ex eo quod hujus verſionis Hiſtoria ferat, Judæorum multitudinem approbaſſe verſionem iſtam, & acclamaſſe Græca Chaldaicis exactiſſime reſpondere. Signum eſt ergo, inquit, verſionem illam fuiſſe in omnibus conſentaneam exemplaribus, quæ penes Judæos Alexandrinos erant; quæ certe non potuerunt eſſe ſimilia iis; quæ Sacerdotum vigilantiæ Eſdras commiſerat. *Tertium* colligit ex auctoritate S. Hieronymi, qui pluribi affirmat, verſionem LXX. magis Codici Samaritano, quam Hebræo correſpondere: putat autem Codicem illum Samaritanum ex Hebraico populari fuiſſe translatum, ac ſubinde ex eo pariter edita videtur LXX. Interpretum verſio.

Verum hæc Azariæ ſententia directe militat in hiſtoriam hujus editionis: ſiquidem quotquot illius meminerunt, affirmant exemplar ab Eleazaro miſſum ad Ptolemæum, non fuiſſe aliquid populare, ſed magnificum, aureis litteris eleganter deſcriptum, membranis cum commiſſuris adeo ſubtilibus, (inquit Joſephus) ut oculorum aciem effugerent, quod Rex non ſine admiratione conſpexit. Quis vero credat Pontificem tanto apparatu deſcriptum Codicem per tot viros ſcientia & probitate claros, corruptum, vulgarem, mille mendis ſcatentem tranſmiſiſſe; & tot precibus Ptolemæum exoraſſe, ut ſecure ad ſe Codicem peracto negotio, cum ipſis Interpretibus remitteret? *His adde* quod rationes quibus Azarias ſuum figmentum firmare nititur, facili negotio poſſint diſſolvi. *Prima* quidem, nam ut obſervat Morinus, [b] Philo linguæ Hebraicæ & Chaldaicæ adeo rudis erat & imperitus, ut de nominibus Hebraicis, quæ explicanda ſuſcipit, ridicule differat. Quapropter non mirum, ſi linguam Hebraicam cum Chaldaica, quæ ejus dialectus eſt facile confundat, cum utramque prorſus ignoraverit.

Accedit quod Hebræa lingua interdum Chaldaica dicatur, quemadmodum Judæorum Patriarchæ, maxime Abraham, Chaldæos a Philone appellatur, propter diuturnum ejus in Chaldæa incolatum. *Denique*, idem Philo [c] ſcribit: *Sive Chaldæus Græcam linguam, ſive Græcus Chaldæam didicerit, in utraque ſcriptura, tum Chaldaica, tum ejus interpretatione miratur germanitatem; imo rerum verborumque conſonantiam adorat: non Interpretes illos, ſed initiatores & Prophetas appellans, quibus datum eſt ſinceriſſimas Moſis cogitationes aſſequi ſpiritu puriſſimo:* Quomodo autem illi Interpretes Prophetas egiſſent, & ſinceriſſimas Moſis cogitationes fuiſſent aſſecuti, ſi ex libris tot mendis & adulterinis ſententiis refertis, ſuam editionem feciſſent?

Non firmiori fundamento nititur *ſecunda Azariæ ratio*, nam ex hiſtoria hujus verſionis manifeſtum habemus, non ſolum plebem, ſed etiam Judæorum proceres, Sacerdotes & Legis peritos conſonantiam verſionis cum textu primigenio acclamaſſe: neque enim veriſimile eſt Regem, ut tam celebri operi coronidem imponeret, ſartores, veſpillones, vilioreſque alios artifices, de translatione iſta judicaturos, duntaxat convocaſſe. *Tertium* denique ipſius argumentum omnino vitreum eſt: *Tum quia*, ut mox probabitur; LXX. Interpretes univerſum vetus Teſtamentum verterunt, Codex autem Samaritanus, ut diximus, duntaxat continebat Pentateuchum: *Tum quia* falſum eſt Codicem illum editum fuiſſe ex exemplari Hebraico populari: imo videtur confectus longe ante captivitatem, & ab eo tempore quo Samaritani a Judæis deficientes, Religionem & regnum immutaverunt. *Tum denique quia* ſi Azariæ credimus, libri illi plebeii Judæorum, iidem erant lingua & Charactere cum Samaritanorum libris. Itaque translatio illa Samaritanorum librorum fuiſſet, non Judaicorum; quod quam alienum ſit a veritate hiſtoriæ, nemo eſt qui facile non judicet, cum Samaritani nulla ratione coüterentur Judæis, nec eadem eſſet utriſque Religionis, & Legis obſervantia.

Unum eſt quod favere ſibi inſuper exiſtimet Azarias, nempe quod ille Codex ab Eleazaro ad Ptolemæum tranſmiſſus, exaratus eſſet literis aureis. Porro, *inquit*, vetitum erat Scripturam alio colore quam atramento ſacro delineare: igitur Codex ille revera non erat ſacer, ſed popularis & plebejus. At momentum hoc facile eliditur. Nam, ut jam diximus, ſacros Codices, qui Sacerdotibus duntaxat eſſent uſui, atramento eum in finem confecto, tantum delineare, nupera eſt Hebræorum traditio in *tract. Sophrin* tantum commendata; quæ proinde antiquis monumentis legem præſcribere non poteſt, nec ab anteceſſoribus geſta irritare.

Tandem urgeret Azarias, Chriſtus ejuſque Apoſtoli Judæi erant, qui familiari conſortio cum Judæorum plebe converſantes, Scripturæ teſtimonia eo idiomate proferebant,

[a] cap. 9.

[b] Exercit. 8. cap. 4.

[c] lib. 2. de vita Moſis.

bant, quod eſſet apud plebem vernaculum: ſed omnia ab eis prolata Oracula, omnino conſentanea ſunt verſioni LXX. Interpretum. Igitur libri Chaldaici e quibus illa mutuabantur ſimiles erant Græcæ verſioni.

At argumentum retorquere licet in illius Auctorem; Chriſtus Dominus ejuſque Apoſtoli adverſus Judæos proferebant Scripturæ textus, quibus nulla ratione præſcribi poterat, non ſolum coram plebe; ſed etiam coram Legis-peritis, Sacerdotibus, Scribis & Phariſæis, e quorum ore Legis interpretatio erat requirenda, ut ipſemet Chriſtus Dominus ſignificat Matth. XXIII. dicens: *Super Cathedram Moyſi ſederunt Scribæ & Phariſæi, facite quæ dicunt, &c.* Sed ſi ex plebeiis & corruptis Codicibus, Chriſtus Dominus ejuſque Apoſtoli teſtimonia Scripturæ eſſent mutuati: hauddubie Phariſæi & Scribæ ſtatim repoſuiſſent, ab eis mala fide Scripturam allegari. Cum igitur conſtet Chriſti & Apoſtolorum teſtimonia fere omnia, Interpretum editioni concordare, manifeſtum eſt Hebræum textum illo tempore iſti verſioni omnino fuiſſe conformem, aut ſaltem in paucis diverſum.

V. Sextam hujus notoriæ inter utrumque textum Hebraicum & Græcum diſſonantiæ cauſam, repetunt aliqui ex diverſitate punctorum vocalium, quibus poſt Chriſtum Dominum Judæi Maſſorethæ textum Hebræum notarunt: inde namque factum putant ut Hebrææ voces, quæ vocalibus deſtitutæ, diverſam dictionem & ſententiam præ ſe ferre poterant, ad unicam duntaxat ſignificationem eſſent coarctatæ & determinatæ; ſicque LXX. alium ſenſum ex iiſdem vocabulis eruerunt, & interdum omnino diverſum ab eo, quem nunc Hebrææ dictiones accentibus vocalibus notatæ obtinent. Diverſitas autem hæc Codicum conſiſtit, vel in ſolis vocalibus, vel in ſolis conſonantibus, vel in vocalibus & conſonantibus ſimul, quorum plurima exempla profert Morinus in præclara ſua præfatione, ad ſuam editionem Græco-Latinam LXX. Interpretum [a], nec non Hottingerus [b]. Ex hac enim diverſa Hebraici textus punctuatione, forte emerſit illa maxima varietas hodierni textus Hebraici, ab eo quo pridem ante excogitatas illas punctuales vocales uſi ſunt LXX. Interpretes. Hæc tamen illius varietatis cauſa omnem prorſus ſcrupulum nondum elevat; quippe in Hebræo hodierno, vocalibus punctualibus deſtituto, etiam apparent a textu Græco ingentes diſſonantiæ.

Quapropter ingenue fateor, vix certam & determinatum hujus varietatis cauſam poſſe proferri. Emergere namque potuit, non ſolum ex jam aſſignatis cauſis & occaſionibus, ſed etiam ex pluribus aliunde ſuggerendis. Nimirum ex Amanuenſium & Scribarum vel incuria, vel ignorantia, vel etiam temeritate, qui, quæ in margine ad textus elucidationem appoſita fuerant, in ſacrorum verborum contextum auſi ſunt inſerere; imo & nonnumquam ſuas Paraphraſes admiſcuerunt. Exinde tot ubique occurrunt vocum, phraſium & ſententiarum repetitiones inutiles & ſuperfluæ: quod in Pentateucho Samaritano & Græco ſic eſt uſitatum, ut ubicunque eadem occurrit hiſtoria, eadem vel repetantur verba; vel etiam ubi temporis ratio & ſeriei reſpectus exigere videtur ex poſterioribus capitibus ad priora rejiciantur: exemplum ſit locus *Exodi* II. *v.* 22. Qui translatus eſt ex capite XVIII. 4. Poteſt etiam hæc diverſitas refundi in Hexapla Origenis: unde factum eſt, ut quod vel Theodotionis fuit, Symmachi, vel alterius Græci Interpretis adſcriberetur LXX. Interpretibus; eorum enim Hexaplorum exſcriptores facili negotio potuerunt omittere, vel perturbato ordine referre Aſteriſcos, Lemniſcos & Obeliſcos, quibus Origenes notaverat ea, quæ ex Theodotione, Symmacho & aliis deprompſerat, ut LXX. editionem adornaret. (27)

[a] *Num.* 16. *& ſeq.*
[b] *lib.* 1. *cap.* 3. *q.* 19.

[27] Fraſſenii conjecturam circa variantia LXX. Interpretum ab Hebraico textu non leviter ſuffulcit Nicolaus Fullerius Lib. 3. Miſcellaneorum Sacrorum Cap. 13. ubi ſcribit „ Promiſcue quorumlibet „ maxime librariorum audaciæ, atque inſcitiæ nimis permiſſum eſt. Occaſio autem, qua laxatas „ eis vult habenas corrumpendi auguror, multiplex erat apud Græcos verſionum copia, & „ varietas. Nam eas multis illi miriſque modis, „ & mutilarunt, & permutarunt, & confuderunt, & perverterunt; Oblata eſt & altera vitiandi velut anſa, nimirum lectoris ſubinde in „ alto exemplaris ſui pro arbitrio, ut fit, adiecta „ annotatio; ab hac item manus continere nequibant Scriptores librarii, quinimmo inconſiderata „ prorſus, & ſingulari certe temeritate deſumpta „ ex margine in ſacrum verborum Scripturæ contextum inſerere non metuerunt; atque hæ duæ „ vaſtæ ſunt mendorum tanquam lacunæ ex limpidiſſimis Hebraicæ veritatis fontibus potiſſimum „ detergendæ, & expurgandæ „. Eandem variationis cauſam in ſua Præfatione parænetica, quam Joannes Grabe ſuæ veteris teſtamenti LXX. ex Codice Alexandrino editioni Oxonii 1707. publicatæ præmiſit, nobis ſuppeditat Pearſonius, & Sanctum Hieronymum non brevem huic variationi manum dediſſe fidentius, ne magis quid dicam adfirmat ibidem, ſcribens „ Hæc græca verſio prioribus Ec„ cleſiæ Sæculis cum fuerit ſæpe translata, idque „ ab iis factum ſit, qui linguæ hebraicæ ignari „ eam cum textu authentico conferre non potue„ runt, fieri non potuit quin multa aliter latine „ exprimerentur, quam græca verba, quæ He„ bræis ſemper reſpondebant, ſonarent. Male igi„ tur aliquando LXX. in latinum ſermonem ſunt „ translati, & S. Hieronymus malam translatio„ nem ſequutus, non latino interpreti, ſed ſenio„ ribus ipſis imputat, ut Geneſis 34. 25. Et introgreſſi ſunt Civitatem diligenter, & interfecerunt „ omnem maſculum: ad quæ verba doctiſſimus „ Pater pro eo quod in Græcis legitur ἀσφαλῶς „ ideſt *diligenter* in Hebræo ſcriptum eſt בטח, id„ eſt *audacter* & *confidenter*. At ἀσφαλῶς non recte „ vertitur *diligenter*; multoque minus eo ſenſu „ hic capiendi ſunt ſeniores ſeptuaginta, qui He„ braicum בטח optime exprimunt, ſive ad Sichemitas cum Paraphraſte Caldaico, ſive ad Ja„ cobi filios referatur; eſt enim בטח proprie ἀσφά„ λεια, ideſt non *diligentia*, ſed *ſecuritas*. & לבטח, „ ſive per ellipſim בטח ἀσφαλῶς *ſecure*, ut Levitici „ 26. 5. וישבתם לבטח בארצכם, καὶ κατοικήσετε μετὰ „ ἀσφαλείας ἐπὶ τῆς γῆς. Habitabant Sichimitæ ſe„ cure nihil mali metuentes, & ingreſſi ſunt filii „ Jacob בטח ſecure ideſt ſine periculo „. Plurima alia hujus generis exempla profert Pearſonius, quibus oſtendere nititur non in LXX. Authographo, ſed in tranſcriptis ex eo ſine intelligentia textibus varietatem lectionum extitiſſe. Quam quidem opi-

§. II.

Utrum LXX. Interpretes, non ſolum Pentateuchum, ſed etiam omnes alios veteris Teſtamenti libros verterint.

VI. COntendunt aliqui Judæi ſolam Legem, ſeu Pentateuchum, Interpretes vertiſſe. Ita Talmudici [a], qui referunt Ptolemæum LXXII. Senibus diverſis in cellulis incluſis dixiſſe: *Scribit mihi Legem Moſis Magiſtri veſtri, &c.* Cum autem ſolius Legis fiat mentio, exiſtimant ſolum Pentateuchum Legis nomine ſignificari ſolitum, fuiſſe ab eis interpretatum. Huic ſententiæ adſtipulari videtur S. Hieronymus, [b] ſcribens; *Accedit ad hoc quoque quod Joſephus qui LXX. ponit hiſtoriam, quinque tantum libros Moſis ab eis translatos refert, quos nos quoque profitemur pluſquam cæteros cum Hebraicis conſonare.* Similiter alibi [c] dicit: *Quanquam & Ariſtæus & Joſephus & tota ſchola Judæorum, quinque tantum libros Moſis a LXX. translatos aſſerat.* Ex Recentioribus id aperte fatentur Claudius Salmaſius, Schikardus & alii. Nihilominus oppoſita ſententia longe videtur probabilior; quam in-primis tradit S. Juſtinus Martyr [d], qui cum dixiſſet: *Fuere homines quidam apud Judæos Prophetæ Dei, per quos Spiritus Propheticus, quæ futura erant, antequam fierent, prænuntiavit: atque horum vaticinia, qui temporibus ſuis in Judæa fuere Reges, ita ut cum ederentur promulgata & vernacula Hebræorum voce in libris per ipſos Prophetas compoſitis, perſcripta ſunt, conſervarunt.* Subjicit, Ptolemæum Ægyptiorum Regem miſiſſe legatos ad Herodem, ut ad ſe tranſmitteret viros, qui libros illos Propheticos Hebraice ſcriptos Græce redderent: ubi tametſi lapſus fuerit S. Juſtinus, quod Herodem Regem nondum in vivis, pro Eleazaro Pontifice ſcripſerit; nihilominus cenſet LXX. Interpretes, non ſolum libros Moſis ſed etiam Prophetarum vertiſſe; eorumque editionem adhuc ſuo tempore extare ibidem profitetur. Ei præivit Ariſtobulus ab Euſebio prolatus, [e] qui ubi dixit Platonem præcipua ſuorum dogmatum capita e Prophetarum fontibus hauſiſſe, ſubdit: *Nam ante Demetrium illum Phalereum, adeoque ante Alexandri ac Perſarum imperium, ea jam omnia Græce ab illis converſa fuerant, quibus illa Hebræorum popularium noſtrorum ex Ægypto migratio, tum eorum ſeries, quæ cœlitus ipſis evenere promiſſæ regionis occupatio, & univerſæ Legis expoſitio continetur: nemini ut dubium eſſe poſſit, quin ſuos in libros, laudatus inde philoſophus pleraque derivarit. Fuit enim is lectionis plurimæ: quemadmodum & Pythagoras, qui e noſtris ſelecta quoque permulta ſuis illis decretis inſeruit. Poſt, Regis Ptolemæi cognomento Philadelphi, avi tui tempore, qui omnes hoc in genere ſtudio & magnificentia ſuperavit, integram eorum qui noſtras ad Leges pertinebant, omnium interpretationem, præcipua Demetrii Phalerei totum negotium moderantis, opera laborarunt.* His conſentiunt S. Irenæus Tertullianus & Origenes, qui fatentur omnes veteris Teſtamenti libros Canonicos a LXX. Interpretibus Græce fuiſſe redditos. (28)

Suadent etiam ſequentes conjecturæ: *Prima*, quod veriſimile non ſit Ptolemæum ſtudio incredibili affectum, omnia antiquitatis monumenta comparandi quæ literis conſignata eſſent, ut copioſiſſimam ſuam Bibliothecam inſtauraret, ſolum Moſis Pentateuchum Græce reddi voluiſſe, cum aliunde Demetrius Phalereus, hujus negotii auctor & promotor, ſignificaſſet Regi apud Judæos eſſe, non ſolum ſacros Moſaicæ Legis & hiſtoriæ Codices, ſed etiam plurium Prophetarum Oracula, atque Judaicæ Gentis; & illius Regum ac Principum hiſtorias, quæ certe Ptolemæi regium animum vehementius ſtimulare debebant, & ad eorum

[a] *in Maſſ. Soph. cap. 1.*

[b] *præf. ad quæſt. in Geneſ.*

[c] *in cap. 5. Ezechiæ.*

[d] *Apolog. 2. pag. 72.*

[e] *lib. 13. præp. Evangel. cap. 12. pag. 664.*

nionem amplecti coguntur quicumque Spiritus Sancti ductu verſionem illam fuiſſe concinnatam tuentur, niſi varietatem in textu hebraico potius factam fuiſſe, cum multis Eccleſiæ Patribus propugnemus, quæ tamen opinio non ſatis firma videtur, quamquam eandem ex plurium etiam Rabbinorum teſtimonio firmare nitatur Alphonſus Salmero in Prolegom. 4. Tom. 1. ſuorum operum. Legatur hac de re S. Hilarius Tract. in Pſal. 2. Tom. 1. ſuorum operum. (*W*)

[28] Plures alii Eccleſiæ Patres, ultra a Fraſſenio laudatos, in ea fuere ſententia, quod LXX. Interpretes nedum Moſaicos libros, ſed alios quoslibet in Eſdræ canone contentos in græcam dialectum tranſtulerint, ita Clemens Alexandrinus in Libro Stromatum primo ſe expreſſit ἑρμηνευθῆναι τὰς γραφὰς τὰς ἐν τῷ νόμῳ καὶ τὰς προφητικὰς ἐπὶ τῶν Ἑβραίων διαλέκτου εἰς τὴν Ἑλλάδα γλῶτταν εἶναι ἐπὶ βασιλέως Πτολεμαίου τοῦ Λάγου: *verſas autem eſſe Scripturas & legis, & Prophetarum ex hebræo ſermone in linguam græcam aiunt tempore Ptolemæi Lagi filii*: S. Cyrillus Hieroſolymitanus Cathecheſi 4. Titulo de *Sacra Scriptura* viginti duos libros veteris teſtamenti tranſlatos fuiſſe a LXX. eoſdemque ab Apoſtolis, eorumque ſucceſſoribus Eccleſiæ concreditos adfirmat. S. pariter Hilarius Tract. in Pſal. 2. ejus fuiſſe ſententiæ ſe prodit, quod omnes veteris teſtamenti libros in Canone Eſdræ recenſitos LXX. in græcum converterint, quam quidem ſententiam Epiphanius Lib. *de menſuris & ponderibus* num. 5. confirmat, nec non S. Chryſoſtomus homil. 4. in Geneſ. ita ſcribens „ Omnes divini „ libri veteris teſtamenti Hebræorum lingua ab „ initio ſunt compoſiti..... & non ante multos „ annos adventus Chriſti Rex quidam Ptolemæus „ in conquirendis libris admodum ſtudioſus operæ „ pretium putavit ut & eos colligeret; eaque de „ cauſa quoſdam Judæorum Hieroſolymitanorum „ vocavit, qui eos in græcam linguam verterent. „ Et perfectum eſt hoc ejus opus „ Idipſum non obſcure S. Auguſtinus Lib. 18. de Civ. Dei Cap. 43. ſignificavit. Probabilior propterea videtur opinio, quæ omnium veteris teſtamenti Sacrorum Codicum translationem fert eſſe factam ſub Philadelpho, ſi aliquam ſub Philadelpho verſionem admittamus. (*W*)

rum comparationem provocare, quam ſolius Moſaicæ Legis conſecutio. Ea enim eſt omnium fere hominum animis inſita curioſitas, ut ſi quæ ſorte fama, de Vatum & rerum futurarum prædictionibus, ad ipſos pervenerit; earum illico cognoſcendarum deſiderio magno inflammentur. *Deinde*, cum Chriſtus Dominus & Apoſtoli Græca verſione in Prophetarum allegandis teſtimoniis ex hiſtoria ſacra uſi ſint, manifeſtum fit, omnium Bibliorum volumen ab iiſdem Interpretibus translatum eſſe. *Denique* cum plurimi Fideles, Eccleſiæ naſcentis filii, non alio ſacrorum Bibliorum Codice, quam Græco, uterentur; & ex eo editio Latina fuerit expreſſa, forte etiam ante tempora Aquilæ, aliorumque Græcorum Interpretum; neceſſum fuit illo tempore omnia ſacra volumina jam Græce eſſent edita: At non alia ante Aquilam apparet Græca verſio, ſaltem integra & accurata omnium librorum, quam quæ tribuitur LXX. igitur veriſimilius eſt illos Interpretes non ſolum Legem Moſaicam, ſed alios quoque veteris Teſtamenti libros Græce dediſſe.

VII. In hanc etiam ſententiam eunt plurimi Rabbini, maxime Rabbi Gedalias, [a] & Rabbi Azarias, & alii omnes, qui conveniunt illos Interpretes Legem ex Hebræo in Græcum vertiſſe; ac *Legis* nomine, univerſum vetus Teſtamentum deſignari. Quod etiam manifeſtum fit ex novo Teſtamento: nam Joannis xv. Chriſtus ait: *Ut impleretur ſermo qui in eorum Lege ſcriptus eſt, quia odio habuerunt me gratis*: quod non in Pentateucho, ſed in Pſal. xxxiv. 19. habetur. Item Joan. x. 34. *Nonne ſcriptum eſt in Lege veſtra: Ego dixi Dii eſtis*; quæ verba ſunt Pſal. lxxxii. 6. *Similiter* Apoſtolus Cor. xiv. 21, dicit in Lege ſcriptum eſſe; *Quoniam in aliis linguis & labiis loquar populo huic*; quod apud Iſaiam xxviii. 11. invenitur.

[a] *In Catena Kabbalæ cap. 1. Lib. inire hinah id eſt* ſermonum intelligentiæ.

His equidem adverſatur Joſephus, [f] qui cum dixiſſet Ptolemæum ejus nominis ſecundum Regem, magnopere contendiſſe Judaicam Legem ejuſque inſtituta & vivendi formam præſcriptam, in Græcum eloquium transferri: ſubjicit illum non totam Scripturam, ſacram accepiſſe, ſed Legem ſolam ei dediſſe LXX. Interpretes, qui ob hoc Alexandriam miſſi fuerant.

[f] *lib. 1. hiſt. pag. 2.*

At Joſepho opponimus ſupra laudatum Ariſtobulum, qui cum paulo poſt excuſſam editionem Græcam, & pridem ante Joſephum floruerit, melius noſſe potuit, qualiter, & de quibus facta fuerit illa verſio.

His etiam non contradicit S. Hieronymus, tametſi enim aliquibus in locis hac in re dubius videatur; alibi tamen totius veteris Teſtamenti verſionem Græcam LXX. Interpretibus adſcribit. Nam in Commentariis ſuis ad Prophetas, ex ipſa LXX. verſione Græca Latinam expreſſam, præter propriam ex Hebræo, per columnas ſibi reſpondentes oppoſuit, & illam pro genuina ipſorum verſione agnoſcit. Unde libro 2. contra Rufinum, ait: *Univerſi tractatus mei horum* (Interpretum) *teſtimoniis texti ſunt; commentarii in duodecim Prophetas, & meam & LXX. editionem ediderunt*. Et Epiſt. ad Suniam & Fretellam, dicit, editionem Pſalmorum communem, ipſam eſſe quæ & LXX. Non itaque conſtantiſſima fuit S. Hieronymi ſententia LXX. Interpretes ſolum Pentateuchum ex Hebræo Græcum feciſſe.

§. III.

Utrum ante Verſionem LXX. alia vetuſtior fuerit ſacrorum Bibliorum Græca interpretatio.

VIII. NEgat aperte S. Auguſtinus [b], ſcribens Platonem in Ægypto videre non potuiſſe Jeremiam Prophetam tanto ante defunctum, nec Scripturas legere, quæ nondum fuerant in Græcam Linguam translatæ. Idem ſentit Baronius [c] & alii recentiores.

[b] *lib. 8. de civit. Dei cap. 11.*

[c] *ad ann. CCXXXI. n. 11.*

Nihilominus tamen Veteres plurimi oppoſitam ſententiam propugnant, nixi potiſſimum auctoritate Ariſtobuli, cujus verba ex Euſebio protulimus ſupra, quæ etiam habet Clemens Alex. [d] Confirmant iſtud omnes illi tum SS. Patres, tum Auctores antiquiſſimi, qui veteres Philoſophos, præcipua ſua de Deo & de Rerum exordio dogmata, ex Moſis aliorumque Prophetarum libris, hauſiſſe profitentur. Sic præter plurimos in priore libro a nobis laudatos, luculentiſſime docet S. Ambroſius, [e] qui expendens hæc Pſalmiſtæ verba; *In quo corrigit adoleſcentior viam ſuam, &c.* ait: *Puto Pythagoram illum Philoſophum imitatorem juvenis hujus Prophetici, inſtituiſſe ſectam, ut diſcipulis ſuis quinquennio non loquentes, tanto ſilentio loqui diſcerent: cum præſertim & David ſuperioris ætatis, quam Pythagoram fuiſſe non dubium ſit, qui ait: Dixi cuſtodiam vias meas, at non delinquam in lingua mea; poſui ori meo cuſtodiam, &c.* Vides ergo temporibus Pythagoræ, aliorumque Philoſophiæ principum, non ſolum Pentateuchi partes aliquas Græcis innotuiſſe, ſed etiam alios ſacrorum veteris Teſtamenti Scriptorum Codices: oportuit ergo eos tunc temporis Græce fuiſſe redditos, ut hominibus Græcis innoteſcerent. Tametſi enim pleraque hujus divinæ doctrinæ capita ex Judæis ubique terrarum diſperſis excipere potuerint, ſicut Ariſtotelem multa e ſacris libris docuiſſe Clearchum Judæum teſtantur Joſephus [g] & Euſebius [h]; nihilominus illos Græcos Sapientes etiam ſacros Codices legiſſe, communis eſt Veterum ſententia; proindeque veriſimile eſt eos fuiſſe Græce expoſitos ante editionem LXX.

[d] *lib. 1. Stromat. p. 342.*

[e] *in Pſalm. CXVIII. Octonario 2.*

[g] *lib. 1. contr. Apion.*

[h] *lib. 9. præp. Evang. ca. 5.*

At, inquies, ſi quis jam hoc labore fuiſſet defunctus, quorſum Ptolemæus novam in-

interpretationem tot ſumptibus, tantoque apparatu procuraſſet? *Reſpondeo*, id ita factum, *vel quia* ſacrorum Codicum quædam duntaxat partes antea Græce fuerant expoſitæ; Ptolemæum autem ideo ad lucubrandam novam verſionem animum adjeciſſe, ut plenam ac integram haberet ſacrorum voluminum editionem, quæ mutila antea & dimidiata circumferebatur; *vel quia* prior iſta interpretatio jam in plurimis eſſet interpolata, & forte plures illius partes exciderant; *vel denique quia* negligentius illi ſacri libri Græce fuerant expoſiti, quod non obſcure ſignificat Demetrius Phalereus in Epiſtola ſua ad Ptolemæum (ſi tamen hæc ſit genuina) ubi inter cætera ſcribit: *Significo tibi librum Legislationis Judæorum deeſſe nobis cum aliis; cum enim Hebraico characlere & vernacula ipſorum lingua ſcriptus ſit, intelligi a nobis non poteſt. Contigit autem id ipſum negligentius, quam poſtulat, expoſitum eſſe, quod nondum regia ei cura conſuluerit: neceſſe eſt autem, ut hos quoque habeas accurate elaboratos, &c.*

Qui ergo fieri potuit, *inquies*, ut quærenti Ptolemæo, qua de cauſa divini illi libri jam antea non fuiſſent Græce redditi? Reſpondit Demetrius, nullum Græcorum auſum eſſe libros ſacros attingere, nempe terrebantur pœna Theopompi & Theodectis, qui cum temere id attentaſſent, ille mente emotus per dies plus triginta fuit; hic vero oculis & viſu orbatus. Ex quo reſponſo colligere licet ante Ptolemæum Scripturam ſacram non fuiſſe Græce editam.

Verum retorqueri poteſt hoc argumentum in Auctores oppoſitæ ſententiæ; Nam ſi libros ſacros impune non contrectarunt; Theopompus & Theodectes homines Græci, & ut probabiliſſimum eſt Hebraicæ linguæ rudes, indicium eſt non leve, eos libros jam tum Græce fuiſſe expoſitos: qua enim ratione aliqua potuiſſent ex eis decerpere, ut ſacrilege ad theatrum & profanos uſus iſta ludicre traducerent, ſi tantum Hebraice extitiſſent?

Si hæc ita ſint, *inquies rurſus*, quomodo Ariſtæus, Philo & alii, tam aſſeveranter negant, ullam Moſaicæ Legis ante Ptolemæum interpretationem extitiſſe? *Reſpondeo*, hanc eis fuiſſe ſententiam; *vel quod* nulla antea extabat perfecta, ſincera & accurata ſacrorum Bibliorum Græca verſio, quæ cum editione LXX. poſſet comparari; tametſi aliqua ſaltem imperfecta, & aliquorum duntaxat librorum interpretatio jam eſſet in uſu: *vel quia* prioris illius interpretationis nulla jam extabant exemplaria.

Adiicies iterum, ſi quæ ante editionem LXX. extitiſſet verſio, dubio procul illius meminiſſent veteres illi Sapientes, qui ante aut paulo poſt Ptolemæum floruerunt. At cum altum apud omnes ſit de ea ſilentium, argumentum eſt illam prorſus eſſe confictam. *Accedit*, quod aliqua ſaltem illius particula ad nos uſque permeaſſet. *Reſpondeo*, illam Veteres non latuiſſe, de ea namque veluti ſua ætate adhuc notiſſima diſerte ſcribit Ariſtobulus; idque probabile efficiunt omnes ſuperius a nobis prolatæ conjecturæ. Neque mirum videri debet, quod nullum ipſius veſtigium jam extet, nullamque ipſius particulam tulerit poſterior ætas; ut enim ignes nocturni per aerem volitantes, & errabunda ſydera viſui per tenebras illudentia Solis exortu extinguuntur; ita prior illa ante Alexandrum minus exacte & accurate concinnata ſacrorum voluminum interpretatio, accedente editione LXX. Interpretum tanto confecta apparatu, tantiſque elogiis ac encomiis celebrata *primum* negligi, *deinde* haberi deſpectui, *tandem* prorſus reiici cœpit; ſicut contigit editioni veteri vulgatæ, ut dicemus infra.

§. IV.

An & quando perierint LXX. Interpretum Autographa.

IX. S. Anctus Epiphanius lib. de menſuris & ponderibus [a] poſtquam recenſuiſſet hiſtoriam verſionis LXX. Interpretum, ſcribit libros Græce expoſitos, mandante Philadelpho, reconditos fuiſſe in duplici Bibliotheca Alexandrina, una quidem vetuſtiore, quæ in ea civitatis parte, quam *Bruchium* appellabant, ædificata erat: recentiore altera, quæ in *Serapia*, ſeu Serapidis templo, aut ſaltem in ejus porticu, erat conſtituta. Quæ tamen non ita ſunt accipienda, quaſi uno eodemque tempore peracta ſint: nam Ptolemæi ætate, ſolum extabat prior illa Bibliotheca ab ipſo condita: poſterior vero, quæ vetuſtioris filia appellabatur, refertur inſtituta a Cleopatra, quæ circiter CCXLIX. annis editione LXX. Interpretum, ut ibidem demonſtrat S. Epiphanius, poſterior eſt; idque compertum fit ex ipſa Ptolemæorum Regum ſucceſſione: editio namque illa LXX. Interpretum confecta fuit anno Philadelphi XVII. regnavit autem Philadelphus XXXVIII. Ptolemæus Evergetes XXVI. Ptolemæus Philopator XVII. Ptolemæus Epiphanes XXIV. Ptolemæus Philometor XXXV. Ptolemæus Evergetes XXIX. Ptolemæus Phyſcon XVII. Ptolemæus Alexander X. Ptolemæus Cleopatræ Prioris filius VIII. Ptolemæus Dionyſius XXX. Cleopatra XXII. Hæc autem cum præclaris animi dotibus ſicut & corporis refertiſſima eſſet, conquiſitis undique libris, novam Bibliothecam Alexandriæ inſtruxit. Unde apud Plutarchum [b] legitur, hoc contra Antonium fuiſſe objectum, quod Cleopatræ ditaſſet Bibliothecas ex iis, quæ erant Pergami, in quibus eſſent ducenta millia librorum ſimplicium, quos veriſimile eſt eam in ſua Bibliotheca eam collocaſſe, in qua pariter recondita fuiſſe Scripturæ

[a] *pag.* 168.

[b] *in vita Antonii.*

ſacræ

ſacræ volumina, facile eſt judicare; quippe cum ipſa Græce reddita & antiquitate & auctoritate divina, cæteris libris longe antecellerent. (29)

At quidquid ſit de poſteriori iſta Bibliotheca, certum eſt Autographum LXX. Seniorum, in Philadelphi Bibliotheca fuiſſe repoſitum. Id enim aperte teſtatur Ariſtæus, ibique perſeveraſſe ſupra annos cc. videlicet uſque ad Julii Cæſaris tempora, quando annis ante natum Chriſtum circiter XLVIII. bello priori Alexandrino a Cæſare geſto, ex militum ſeditione, Bibliotheca illa conflagratione periit; libris tamen quibuſdam e flammis ſubductis, inter quos fortaſſe fuit illud LXX. Autographum. Quippe cum Tertullianus [a] affirmet, ſuo tempore librum iſtum LXX. Interpretum, apud Serapæum in Ptolemæi Bibliotheca adhuc viderі. Idem docet S. Chryſoſtomus [c]. Verum neuter eorum affirmat revera Autographum in Serapidis templo, ſua adhuc ætate perſeveraſſe, ſed tantum quod in eo Scripturæ ſacræ a LXX. interpretatæ, volumen adhuc extaret, quod utique tam de Apographo, quam de Autographo dici potuit.

Cenſerem itaque Autographum illud periiſſe, ſive tempore Julii Cæſaris, quando Ptolemæi Bibliotheca conflagravit, ut exiſtimat Lipſius [d]: ſive anno 11. Commodi Imperatoris, quando Serapidis templum ex parte incendio periit: ſive tandem tempore Theodoſii Senioris, anno Chriſti CCCLXXXIX. quando Serapæum templum, quod ſuo adhuc tempore extitiſſe narrat Ammianus Marcellinus [e], cum reliquis Ægypti templis Idolorum cultui prius dicatis exciſum eſt.

[a] *in apolog. cap.* 18.

[c] *orat.* 1. *cont. Iudaizantes.*

[d] *lib. de Bibliot. cap.* 2.

[e] *lib.* 22.

CAPUT NONUM.

De numero verſionum a LXX. Interpretibus editarum, earumve in poſterum emendationibus.

I. *Duas verſiones ſub nomine LXX. Interpretum vulgatas tradit Uſſerius.*
II. *Uſſerii opinionem exagitat Valeſius.*
III. *Uſſerio minime ſuffragatur Ariſtæus.*
IV. *Oppoſitiones ex Hieronymo referuntur, & refelluntur.*
V. *Aſteriſci, & Obeli ſignificationes.*
VI. *Sixtus V. verſioni LXX. Interpretum corrigendæ operam dedit.*
VII. *Plures Catholici Sixtinam editionem puram, & integram affirmant.*
VIII. *Probabilior videtur oppoſita ſententia.*

§. I.

I. JAcobus Uſſerius Armachanus in ſuo ſyntagmate de LXX. Interpretum verſione, aſſerit duas eorum nomine vulgatas fuiſſe ſacrorum librorum Græcas translationes: alteram veram ac germanam, quæ regnante Ptolemæo Philadelpho facta eſt, & in ejus Bibliotheca Alexandriæ repoſita: alteram ſpuriam ac ſubditiam, quam paulopoſt annum quartum Ptolemæi Phyſconis, Alexandriæ elaboratam eſſe contendit, eamque poſtea paſſim ab omnibus receptam, & in Cleopatræ Bibliotheca repoſitam, pro vera ac germana illa LXX. Seniorum interpretatione habitam eſſe affirmat. Addit [b] hujus poſterioris Græcæ interpretationis, quæ LXX. Seniorum titulo tandem nobilitata eſt, duas apud veteres extitiſſe editiones, alteram pro ſincera LXX. Seniorum verſione habitam, quæ in Bibliotheca Alexandrina repoſita & in Origenis Hexaplis collocata eſt: alteram maxima quidem ex parte illi reſpondentem, ſed multis tamen in locis ab ea diſcedentem, quæ quoniam communiori erat in uſu, κοινὴ, ſive *Vulgata* eſt appellata. Adiicit [f] Origenis Hexapla, ſic fuiſſe ordinata, ut columnæ conſpicerentur ſex, ſed editiones numerarentur quinque tantum, cum in duabus primis columnis, unica continerentur Hebraica, diverſo characterum expreſſa genere. Ut ſexta igitur in iſtis Hexaplis extaret editio, cum ea, quæ incorrupta LXX. Interpretum translatio deſcripta fuerat, conjuncta fuit etiam altera, quæ vulgatam LXX. editionem exhiberet. Duas igitur LXX. Seniorum editiones in Hexaplis Origenis fuiſſe cenſet: alteram puram, quam ex authentico exemplari, quod in Bibliotheca Alexandrina ſervabatur, deſcripſit Origenes: alteram vulgatam, eamque Aſteriſcis Obeliſque diſtinctam.

[b] *cap.* 4.

[f] *cap.* 9.

II. At utramque hanc aſſertionem improbant docti quique, quibus præivit eruditiſſimus Henricus Valeſius, Epiſtola ad ipſum Jacobum Uſſerium, quam ad calcem ſuæ editionis Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Euſebianæ appoſuit, ubi plurimis momentis utramque hanc Uſſerii conjecturam impugnat.

[29] Ut Fraſſenii computus de quadraginta novem circiter annis ſupra ducentos, quibus Cleopatræ tempus verſione LXX. facit recentius, conſiſtere queat, non anno Philadelphi 17. ſed ſeptimo Regni ejus translationem in Græcum fuiſſe factam fateamur oportet, alioquin ex ipſa annorum ſerie ab Epiphanio recenſita 239. annis tantummodo erit Cleopatra verſione illa poſterior, eſto ultimum ejus mulieris annum aceipiamus, eidemque viginti duos annos imperii concedamus. Ad annum ſeptimum Regni Philadelphi nos Sacrorum Bibliorum verſionem juxta magis accuratam lectionem Epiphanii ſuperius in nota [23] hujus libri revocavimus. (*W*)

gnat: Et quidem primam, quia nemo ex antiquis Patribus has duas verſiones commemoravit: de eis enim altum eſt ſilentium non ſolum apud Juſtinum, Irenæum & Clementem Alexandrinum, ſed & apud Origenem & Hieronymum, qui cum omne ſtudium poſuerint, aut ſaltem maximum in emendanda illa LXX. Seniorum verſione; certe non potuerunt de utraque hac translatione verbum aliquod non facere, ſi revera, præter Uſſerii figmentum, extitiſſet. Nec Uſſerio ſuffragatur S. Hieronymus [a] cum ita ſcribit: *Interpretatio LXX. ſi tamen LXX. eſt, (Joſephus enim ſcribit, & Hebræi tradunt quinque tantum libros Legis Moſis ab eis translatos, & Ptolemæo Regi traditos) tantum diſcordat in præſenti loco, &c.* Neque enim S. Hieronymus his verbis ſubodoratus eſt duplicem illam verſionem, ut prætendit Uſſerius, ſed ſolum ſignificat a ſe, ſicut & a Judæis dubitatum de interpretatione Prophetarum & reliquorum librorum veteris Teſtamenti, propterea quod Joſephus & Philo & Hebræi aliqui, quinque duntaxat Moſis libros a LXX. Senioribus converſos eſſe (ut conjiciebat S. Hieronymus) aſſerebant.

[a] *lib. 1. Comment. in Michæam cap. 2.*

Deinde Philo unicam duntaxat agnoſcit ſacrorum librorum Interpretationem: Nam [b] poſtquam multa dixit in laudem Legis Moſaicæ, hoc inſuper addit: Congruum fuiſſe ut tantum bonum, aliis Gentibus communicaretur; id vero præſtitum fuiſſe Ptolemæi Philadelphi temporibus, tunc enim ſacri libri tanta fide in Græcum ſermonem translati ſunt, ut ſi quis utriuſque linguæ peritus, ſatis mirari non poſſit Græcæ verſionis cum Hebraico exemplari concordiam. *Hæc ille.* Quibus manifeſte teſtatur Philo, ſuis adhuc temporibus perſeveraſſe primitivam illam LXX. Seniorum interpretationem, eamque in Synagogis vulgo lectitatam, & omnium manibus verſatam fuiſſe. Cum autem Philo Alexandriæ verſaretur ſi alia verſio quam LXX. Interpretum ibidem fuiſſet edita, dubio procul aliquid ejus inaudiviſſet & ſuis in ſcriptis ea de re monuiſſet Lectorem.

[b] *lib. 2. de vita Moyſis.*

Denique ſi alia præter LXX. Interpretum verſionem a tempore Ptolemæi Philadelphi & ſub Ptolemæo Phyſcone facta fuiſſet Scripturæ ſacræ editio Græca, maxime vel quia prior editio omnino periiſſet, vel quia non erat exacta & accurata. Primum dici non poteſt, nam a Philadelphi temporibus Judæi Alexandrini non aliter quam Græce libros ſacros in Synagogis ſuis legiſſe teſtatur non ſolum Philo, ſed etiam Jeſus filius Sirach [c]: Eccleſiaſtici enim librum ab avo ſuo Hebraice conſcriptum, cum ipſe Græce ederet, veniam petit a Lectoribus, quod vim ac majeſtatem ſententiarum non ſatis accurate expreſſiſſet: *Nam*, inquit, *deficiunt verba Hebraica quando fuerint translata ad alteram linguam, nec ſolum hæc, ſed & ipſa Lex & Prophetæ, cæteraque aliorum librorum, non parvam habent differentiam, quando inter ſe dicuntur: hoc eſt, cum ſua primitiva lingua leguntur.* Ex quibus verbis apparet, jam tum Siracidis ætate, id eſt, Ptolemæi Phyſconis temporibus, non ſolum Pentateuchum, ſed & Propheticos libros Græce lectos fuiſſe; neque enim rem iſtam ut novam, ſed ut pridem frequentatam recenſet. Poſterius etiam non poteſt affirmari; nam ex hiſtoria hujus verſionis conſtat, illam in omnibus Hebraico textui apprime concordare; eamque tanta fide ac ſinceritate confectam eſſe affirmat Philo, ut quiſquis eam legerit, modo utramque linguam calleat, miraturus ſit Græcorum verborum cum Hebraicis conſonantiam. Itaque cum hæc LXX. Seniorum verſio apud Judæos Alexandrinos ſervata fuerit, & omnino fidelis extiterit & accurata, ſine manifeſto veritatis præjudicio affirmari non poteſt, aliam denuo ſacrorum librorum verſionem ab Alexandrinis fuiſſe editam: neque enim ſolent novæ interpretationes elaborari, niſi vel cum prior omnino periit, vel adeo vitioſa eſt ac parum fida, ut primitivo textui nullatenus conſentiat. Igitur veriſimile non ſit Judæos Alexandrinos, qui jam inde a Philadelphi temporibus primæ illi LXX. Seniorum verſioni aſſueverant, eam facile abjeciſſe, quæ fideliſſima erat & optima, ut aliam depravatiſſimam aſſumerent; repudiaſſe eam quæ Regis juſſu & Summi Pontificis auctoritate a LXX. Senioribus fuerat elaborata, ab omnibus Judæis maxime Sacerdotibus & Principibus populi Judaici approbata, & in regia Bibliotheca recondita, facultate Judæis facta eam exſcribendi, ut alteram ab homine privato in plurimis interpolatam confectam admitterent.

[c] *in proleg. lib. Sapi.*

III. Neque Uſſerianæ ſententiæ ſuffragatur Ariſtæus; imo illam de duplici Alexandrina verſione ſententiam prorſus refellit; ſcribit enim quod poſtquam perlecta eſſent volumina Legis, ſtantes Sacerdotes & Seniores Interpretes ac Principes civium & populi Judæorum ita dixerunt: Quandoquidem recte, ſancte, & per omnia accurate perfecta eſt iſta interpretatio, par eſt ut omnia ita permaneant, nec ulla fiat immutatio. Omnibus ad hæc cum approbatione acclamantibus, juſſit Demetrius ut more Majorum, diris devoverent quicunque his, vel addere, vel auferre, vel imminutare quidquam auderet. Quod cuncti præſtiterunt, ut ſalva atque integra & inviolata interpretatio illa perpetuo ſervaretur. Poſt hanc igitur cautionem Judæorum, poſt hujuſmodi imprecationes, quis credat, inquit Valeſius, repertum eſſe Judæum ullum Alexandriæ, qui interpretationem illam LXX. Seniorum interpolare auſus fuerit? quis putet paſſuros fuiſſe Judæos Alexandrinos, ut quiſquam inter ipſos interpretationem illam violaret, mutaret, perverteret; quam ipſi ſacroſanctam atque inviolatam perpetuo eſſe juſſerant? Neque enim ſolus is qui novam interpretationem confeciſſet, verum etiam illi qui repudiata prima illa LXX. Seniorum verſione, novam admiſiſſent, obnoxii fuiſſent diris illis Majorum ſuorum imprecationibus.

Nec

Nec majoris probabilitatis apparet ſecunda Uſſerii aſſertio, duas videlicet fuiſſe Seniorum editiones in Hexaplis Origenis alteram puram, quam ex authentico exemplari, quod in Bibliotheca Alexandrina ſervabatur, deſcripſerat: alteram vulgatam & in pluribus interpolatam, quam Aſteriſcis Obeliſque diſtinctam notaverat. Enimvero, inquit Valeſius, quotquot ex antiquis Scriptoribus Hexaplorum mentionem fecerunt, unam duntaxat LXX. Interpretum editionem in iis agnoſcunt. Sic Rufinus, [a] Origenes, *inquit*, illos famoſiſſimos codices primus compoſuit, in quibus per ſingulas columnulas e regione ſeparatim opus Interpretis uniuſcujuſque deſcripſit: ita ut primo omnium ipſa Hebræa verba Hebraicis literis poneret: ſecundo in loco per ordinem Græcis literis e regione Hebræa verba deſcriberet, tertiam Aquilæ editionem ſubjungeret; quartam Symmachi; quintam LXX. Interpretum quæ noſtra eſt; ſextam Theodotionis collocaret. Ita etiam Epiphanius [b] qui ſcribit, cum Tetrapla ex quatuor Græcis editionibus conſtent, additis deinceps duabus paginis Hebraici textus duplici modo perſcripti, Hexapla componi. Cum ergo in Tetraplis unicam fuiſſe conſtet LXX. Interpretum editionem ſequitur etiam ut in Hexaplis unica fuerit. Sed & Hieronymus [c] diſerte affirmat unicam LXX. Seniorum editionem in Hexaplis fuiſſe; eam vero quæ κοινὴ ſeu vulgata dicebatur, in iis locum non habuiſſe. Illud breviter admoneo, *inquit*, ut ſciatis aliam eſſe editionem quam Origenes, & Cæſarienſis Euſebius, omneſque Græciæ tractatores κοινὴν, id eſt: communem appellant, atque vulgatam, & a pleriſque nunc κοινοτέρα dicitur: aliam LXX. Interpretum, quæ & in ἑξαπλοῖς Codicibus reperitur, & a nobis in Latinum ſermonem feliciter verſa eſt, & Hieroſolymæ, atque in Orientis Eccleſiis decantatur. *Hæc S. Hier.* Ex quibus verbis manifeſte colligitur κοινὴν illam ſeu vulgatam verſionem non fuiſſe in Origenis Hexaplis; etenim Hieronymus verſionem κοινὴν diſtinguit ab ea quæ erat in Hexaplis, κοινὴ ergo non erat in Hexaplis. Ita Valeſius.

IV. Opponet quis forte eundem S. Hieronymum [d] ita ſcribentem Origenes de Theodotionis opere in editione vulgata Aſteriſcos poſuit, docens deſuiſſe quæ addita ſunt; & rurſus quoſdam verſus Obelis prænotavit, ſuperflua quæque deſignans. Igitur Origenes vulgatam editionem in Hexaplis repoſuit.

Negarem iſtam conſequentiam; neque enim id dicit S. Hieronymus, ſed tantum ſignificat Origenem in editione vulgata Aſteriſcos Obeloſque poſuiſſe; quod certe veriſſimum eſt: Origenes enim editionem antiquam ſeu vulgatam LXX. Interpretum primo quidem emandavit, collatis inter ſe plurimis exemplaribus, quæ tum per omnes Chriſti Eccleſias legebantur. *Deinde* Obelis & Aſteriſcis diſtinxit, eam lectionem retinens, quæ cum cæteris editionibus, Aquilæ videlicet, & Symmachi, ac Theodotionis, & cum Hebraico textu magis conveniebat: ita enim ipſemet ſcribit: [e] *In exemplaribus veteris Teſtamenti, quæcunque fuerunt inconſonantia, Deo præſtante, coaptare potuimus; ea enim qua videbantur apud LXX, dubia eſſe propter diſſonantiam exemplarium, facientes judicium ex editionibus reliquis convenientia ſervavimus, &c.* Quamobrem editio illa LXX. Interpretum, quæ in Hexaplis legebatur, partim erat κοινὴ, partim non erat. Erat quidem κοινὴ, quia deſumpta erat ex editione κοινὴ, ſeu vulgata; non erat autem proprie κοινὴ, propterea quod multis in locis emendata fuerat ab Origene & ex Theodotione, aliiſque Interpretibus paſſim ſuppleta, quod Aſteriſci appoſiti deſignabant. Igitur locus ille Hieronymi ex præfatione Commentariorum in Danielem nihil pro confirmanda Uſſerii ſententia conducit; ſolum enim indicat Origenem LXX. Interpretum editionem, quæ ad ſua uſque tempora in Eccleſia permanſerat, mendis quæ in eam irrepſerant, partim ex Scriptorum imperitia, partim ex varietate exemplarium, purgaſſe, & cum tribus aliis interpretationibus nempe Aquilæ, Symmachi & Theodotionis collatam, Aſteriſcis Obeliſque diſtinxiſſe, atque ita diſtinctam in Tetraplis, atque Hexaplis collocaſſe.

Unde ab eo tempore, duplex fuit LXX. Interpretum editio, una quidem incorrupta & immaculata, quæ proprie LXX. Seniorum editio vocabatur, ea ſcilicet quæ juxta emendationem Origenis legebatur in Hexaplis: altera autem κοινὴ, ſeu vulgaris, quæ pro diverſitate Auctorum, qui eam emendaverant, etiam diverſis nominibus appellabatur, & in diſtinctis Eccleſiis, ut plurimum, erat diſtincta; quod utique ſignificat S. Hieronymus, [f] ubi ſcribit: *Alexandria & Ægyptus in LXX. ſuis Heſychium laudat Auctorem: Conſtantinopolis uſque Antiochiam Luciani Martyris exemplaria approbat: Mediæ inter has Provinciæ Palæſtinos Codices legunt, quos ab Origene elaboratos Euſebius & Pamphylus evulgaverunt, totaſque Orbis hac inter ſe trifaria varietate compugnat.* Hæc autem vulgata editio locum non habuit in Hexaplis, ut ipſemet S. Hieronymus ſignificat [g] his verbis: κοινὴ *autem iſta, hoc eſt, communis editio ipſa eſt, quæ & LXX. ſed hoc intereſt inter utramque, quod* κοινὴ *pro locis & temporibus & pro voluntate Scriptorum veterum corrupta editio eſt: Ea autem quæ habetur in* ἑξαπλοῖς *& quam nos vertimus, ipſa eſt quæ in eruditorum libris incorrupta & immaculata LXX. Interpretum translatio reſervatur: quidquid ergo ab hac diſcrepat, nulli dubium eſt quin ita, & ab eorum Auctoribus diſcordet.* Ex quibus verbis manifeſte colligit κοινὴν illam, ſeu vulgatam verſionem, ab Origene in Hexaplis non fuiſſe repoſitam.

Inſtabis denuo; idem S. Hieronymus [h] ſcribit: *Miror quomodo LXX. Interpretum libros legas non puros, ut ab eis editi ſunt, ſed ab Origene emendatos, ſive corruptos per Obelos & Aſteriſcos, & Chriſtiani hominis interpretatiunculam non ſequaris: præſertim cum ea quæ addita ſunt, ex hominis Judæi atque*

[a] *in lib. 6. Hiſt. Eccleſ.*

[b] *in lib. de ponder. & menſ. cap. 19.*

[c] *in Epiſt. 135. ad Sunniam & Fretel.*

[d] *in præfat. ſuper Daniel.*

[e] *tract. 8. in Matth.*

[f] *in præf. in libr. Paralip.*

[g] *Epiſt. ad Sun. & Fret.*

[h] *in Epiſt. ad S. Auguſt.*

atque blaſphemi, poſt paſſionem Chriſti editione tranſtulerit. Vis amator eſſe verus LXX. Interpretum? non legas ea quę ſub Aſteriſcis ſunt; imo rade de voluminibus, ut verum te fautorem probes. Quod ſi feceris, omnes Eccleſiarum Bibliothecas condemnare cogeris, vix enim unus aut alter invenietur liber, qui iſta non habeat. Quibus verbis S. Hieronymus ſignificare videtur editionem LXX. Seniorum, quam in Hexaplis repoſuerat Origenes, fuiſſe corruptam. Unde præfat. in libros Paralip. Origenem audaciæ inſimulat: „ Sed quod majoris audaciæ eſt, *inquit*, in „ editione LXX. Theodotionis editionem „ miſcuit Aſteriſcis deſignans, quæ minus „ fuerant; & virgulis quæ ex ſuperfluo vi„ debantur appoſita.

Reſpondeo his & ſimilibus verbis; S. Hieronymum duo ſignificare: *Primum quidem*, totius Orbis Eccleſias Aſteriſcos & Obelos ex Origenis Hexaplis in vulgatam ſuam editionem tranſtuliſſe. *Secundum*, ſe improbare Origenem quod LXX. Seniorum verſioni plura adjeciſſet ex Theodotione & aliis interpretibus; In quo certe, inquit Valeſius, iniquior videtur S. Hieronymus adverſus Origenem, qui quod bono ac pio conſilio hic fecerat, ille tam acerbe reprehendit. Quid enim utilius excogitari potuit, quam illæ Obelorum & Aſteriſcorum notæ, quæ Lectoribus indicabant, quid ex LXX. Interpretibus depromptum, quid vero ab iiſdem omiſſum fuiſſet. Habuiſſet certe unde Origenem argueret S. Hieronymus, ſi ea quæ a LXX. Senioribus omiſſa fuerant, ex Theodotione aliiſque ſupplens, nullam appoſuiſſet notam, qua hujuſmodi ſupplementa a puro ac germano LXX. Interpretum textu diſcernerentur. Cum vero Aſteriſcos ſingulis locis addiderit Origenes, ad deſignanda ea quæ a LXX. Interpretibus prætermiſſa, ipſe ex Theodotione aliiſque ſuppleverat, non ſolum vacuus ab omni culpa, ſed immortali laude dignus videtur. In eodem enim opere LXX. Interpretum libri puri & prout ab ipſis editi fuerant Lectoribus exhibebantur: & lacunæ quæ in eorum editione extabant, ex Theodotionis aliorumque Interpretum editionibus, cernebantur expletæ. Unde nullo negotio pura LXX. Interpretum editio in Hexaplis legi poterat; prætermiſſis enim iis quæ ſub Aſteriſcis erant poſita; illa translatio, prout a LXX. Senioribus fuerat condita, remanebat.

Verum enim vero, illæ notæ etſi veriſſimæ eſſent, tum ad germanam, neque alienæ interpretationis verbis contaminatam, primitivam LXX. editionem agnoſcendam; tum ad ipſum Hebræum textum plane repreſentandum: attamen librariorum & amanuenſium pigritia, &, ut conjicio, minorum etiam ſumptuum gratia, non ita diu poſt apponi prorſus ita deſierunt, ut earum memoria prope jam obſoleverit.

V. Quæ autem & quales fuerint ejuſmodi notæ, declarat ipſemet Origenes [a]; *Sed nec ea*, inquit, *inveniri poſſunt in Geneſi quibus ſigna adjecimus, quæ apud Græcos vocantur Obeli ſeu Obeliſci, ut id ſit nobis notum: ſicut rurſus Aſteriſco * iis quæ ſunt quidem in Hebræo; apud nos autem non inveniuntur.* At S. Hieronymus alicubi [b] rem paulo apertius & fuſius declarat, ſcribens: Ubi quid minus habetur in Græco ab He„ braica, veritate, Origenes de translatio„ ne Theodotionis addidit, & ſignum po„ ſuit Aſteriſcum, id eſt, ſtellam, quæ quod „ prius abſconditum videbatur, illuminet „ & in medium proferat. Ubi autem quod „ in Hebræo non eſt in Græcis Codicibus „ invenitur ※, id eſt, jacentem præpo„ ſuit virgulam, quam nos Latine *veru* „ poſſumus dicere, quo oſtenditur, jugu„ landum eſſe & confodiendum, quod „ in Authenticis libris non invenitur. Et „ alibi: [c] *Omnia*, inquit, *veteris Inſtrumenti volumina, Origenes Obelis Aſteriſciſque diſtinxit, quos vel additos, vel de Theodotione ſumptos translationi antiquæ aſſeruit, probans defuiſſe quod additum eſt. Diſcant igitur obtrectatores mei recipere in toto, quod in partibus ſuſceperant; aut interpretationem meam cum Aſteriſcis ſuis radere. Neque enim fieri poteſt, ut quos plura intermiſiſſe ſuſceperint, non eoſdem etiam in quibuſdam errare fateantur, præcipue in Job; cui, ſi ea quæ ſub Aſteriſcis addita ſunt, ſubtraxeris: pars maxima detruncabitur. Et hoc duntaxat apud Græcos. Cæterum apud Latinos ante eam translationem, quam ſub Aſteriſcis, & Obelis nuper edidimus, ſeptingenti ferme aut octingenti* (verius *ſeptuaginta & octoginta*) *verſus deſunt, ut decurtatus & laceratus, corroſuſque liber fœditatem ſui publice Gentibus præbeat.*

His duabus notis duas alias adjungit S. Epiphanius, ut refert Maſius, [d] nempe Lemniſcum & Hypolemniſcum; *Lemniſcus*, ut ab Epiphanio ſcribitur, erat qualem Obeliſcum fuiſſe mox dicebamus, ſed ejus medium puncta duo, alterum ſupra, ſubter alterum veluti includebant ÷ *Hypolemniſcus vero*, inquit S. Epiphanius [e], *eſt figura illius ejuſmodi, ⸗ linea videlicet veluti in modum producta, ſubjecto puncto. Hanc ubicunque repereris, ſcito Hypolemniſcum vocari. Cujus ea vis eſt: quemcunque ad locum appictus eſt, ſignificat ab uno Interpretum pari ſic editum, ac conceptum fuiſſe, id quod ſimplici puncto declaratur, & cum ſuperioribus quibus adtexitur geminum ac germanum videri.*

[a] *in Epiſt. ad Julium Africanum.*

[b] *Epiſt. 135. ad Sunniam & Freſtellum.*

[c] *præfat. in Job.*

[d] *præf. in Græc. edit. Joſuę.*

[e] *lib. de ponderibus pag. 165.*

§. II.

§. II.

An editio LXX. Interpretum ſub Sixto V. facta, ſit omni prorſus menda expurgata.

VI. UT facilior atque luculentior ſit præſentis quæſtionis reſolutio, obſervandum eſt ex *præfat. ad Lectorem, Sixtinæ Græcæ editioni præfixa*, quod cum ſucceſſu temporis LXX. Interpretum verſio ab Origene purgata, omiſſis Obelis & Aſteriſcis; quibus ex aliis Interpretibus addita notaverat, ab infidelibus aut pigris Amanuenſibus fuiſſet exſcripta; inde factum eſt, ut inſincera nimis & valde ſui diſſimilis ad nos pervenerit; quippe quæ incertis ubique aliorum interpretationibus, aliquibus autem locis duplici, atque etiam triplici ejuſdem ſententiæ verſione intruſa, ſuum ob id nitorem & integritatem amiſiſſet. Quod malum primo a multis ignoratum, ab aliis poſtea neglectum, quotidie longius ſerpens cum animadverteſſet Sixtus V. ad optima & maxima quæque a Deo factus, pro ſingulari ſua ſapientia atque aſſidua & accurata ſacrorum librorum tractatione, vidit primus qua ratione huic malo medendum eſſet; nec vidit ſolum; ſed etiam cum Cardinalatum gereret, quanti hæc res ponderis eſſet probe intelligens, Gregorio XIII. Pontifici Religionis & publicæ utilitatis ſtudioſiſſimo auctor fuit, ut Græca LXX. Interpretum Biblia, adhibita diligenti caſtigatione, tanquam præclarum Eccleſiæ ornamentum in priſtinum ſplendorem, & quantum fieri poſſet, integritatem reſtituenda curaret. Quam rem exequendam cum Pontifex demandaſſet Antonio Caraffæ Cardinali, viro eximiæ ſanctitatis & omnium honeſtarum artium ſtudioſiſſimo cultori, ipſo autem Gregorio viam univerſæ carnis ingreſſo, Sixtus V. ſummo Eccleſiæ bono Pontifex factus eſſet, quod opus Cardinali ſuaſerat, Pontifex eidem Cardinali Caraffæ jam auſpicatum laborem, quanta fieri poſſet diligentia, abſolvendum mandavit.

Hoc ut impenſius exequeretur, Eminentiſſimus Caraffa, delectum habuit doctiſſimorum hominum, qui domi ſuæ ſtatis diebus exemplaria manuſcripta, quæ permulta undique conquiſierat, conferrent; & ex iis optimas quaſque lectiones elicerent: quibus deinde cum Codice Vaticanæ Bibliothecæ ſæpe ac diligenter comparatis, intellectum eſt eum Codicem omnium qui extant, longe optimum eſſe; ac operæ pretium fore, ſi ad ejus fidem nova hæc editio pararetur.

Sed emendationis conſilio jam explicato, ipſa quoque ratio, quæ in emendando adhibita eſt, nunc erit aperienda: in primiſque Vaticanus liber deſcribendus, ad cujus præſcriptum hæc editio expolita eſt. Codex is (quantum ex forma characterum conjici poteſt) cum ſit majoribus literis, quas vere antiquas vocant, exaratus, ante milleſimum ducenteſimum annum, hoc eſt, ante tempora B. Hieronymi, & non infra, ſcriptus videtur. Ex omnibus autem libris, qui in manibus fuerunt, unus hic præ aliis, quia ex editione LXX. ſi non toto libro, certe majorem partem conſtare viſus eſt, mirum in modum inſtitutam emendationem adjuvit. Poſt eum vero alii duo, qui ad ejus vetuſtatem proximi quidem, ſed longo intervallo accedunt: unus Venetus, ex Bibliotheca Beſſarionis Cardinalis, & his quoque grandioribus literis ſcriptus; alter qui ex magna Græcia advectus, cum Vaticano Codice, ita in omnibus conſentit, ut credi poſſit ex eodem Archetypo deſcriptus. Sed libri Vaticani bonitas non tam ex horum Codicum miro conſenſu perſpecta eſt, quam ex iis locis, qui partim adducuntur, partim explicantur ab antiquis ſacris Scriptoribus; qui fere nuſquam hujus exemplaris lectiones non exhibent: niſi ubi aliorum Interpretum locum aliquem afferunt, non LXX. Machabæorum libri abſunt ab hoc exemplari, atque item liber Geneſis fere totus, nam longo ævo conſumptis membranis, mutilatus eſt ab initio libri uſque ad caput XLVII. & liber item Pſalmorum qui a Pſalmo CV. uſque ad CXXXVIII. nimia vetuſtate mancus eſt. Sed hæc ex aliorum Codicum collatione emendata ſunt: unde prodiit integrum vetus Teſtamentum Græce redditum, ad eam quam LXX. Interpretes Sancti Spiritus afflatu verſionem ediderunt, quantum per veteres libros fieri potuit & intelligi, ut conjicere licet, quam proxime accedens. Quæritur autem de hac editione cujus auctoritatis in Eccleſia eſſe debeat, & utrum ab omni prorſus menda ſit immunis.

VII. Plurimi ſunt Catholici Scriptores, qui hanc editionem puram, integram & incorruptam affirmant. Galeſinius in-primis illam exiſtimat haud mixtam, ſed puram & ſimplicem; Albertus Vvidmenſtadius [a]: *Græca interpretatio*, inquit, *ſi uſquam, certe in Vaticana Bibliotheca aureis majoribuſque literis ſcripta, Baſilii Zanchi doctiſſimi viri judicio; cui ego certis de cauſis facile aſſentior; adhuc extat.* Præ cæteris autem Morinus [b]: ſic eam commendat: *En Chriſtiane lector, poſt tot ſæcula intermortuam, redivivam tibi ſiſtit Summus ille Pontifex* (Sixtus V.) *ſanctam illam editionem, quam ſolam Apoſtoli, ſuffragiis ſuis comprobraverunt, & Eccleſiis commendaverunt, cuique expoliendæ & ornandæ, tot eruditiſſimi Patres inſudarunt.* Deinde cum declaraſſet eam incorruptam demonſtrari poſſe ex vetuſtiſſimo Codice Vaticano ante mille & ducentos annos exarato, qui cum variis Codicibus aliis vetuſtiſſimis collatus, eis conſentiens repertus fuerit, concludit: *Quis igitur*

[a] *præf. in N. T. Syr.*

[b] *præf. in hanc edit.*

tur tam evidenti argumento convictus, hanc veram eſſe & Germanam LXX. Interpretationem inficias ibit? Nemo cum optimæ notæ antiquum Codicem nactus eſt, ut adulterinum repudiat, ſed Auctori quem præfert ſtatim illum vendicat. Cur id quod prophanis pariter & Eccleſiaſticis Auctoribus concedimus, divino huic operi a tam multis tamque vetuſtis Codicibus approbato denegabimus? Ita Morinus. Eis præiviſſe videtur Sixtus V. nam in diplomate Romæ edito die VIII. Octobris Pontificatus ſui anno II. & Chriſti MDLXXXVI. hujus Græcæ LXX. Seniorum editionis confirmativo, hæc habet; *Volumus & ſancimus ad Dei gloriam & Eccleſiæ utilitatem, ut vetus Græcum Teſtamentum, juxta LXX. jam recognitum & expolitum, ab omnibus recipiatur ac retineatur; quo potiſſimum ad Latinæ vulgatæ editionis & veterum SS. Patrum intelligentiam utantur: prohibentes ne quis de hac nova Græca editione audeat impoſterum vel addendo, vel demendo quicquam immutare.*

VIII. Nihilominus probabilior apparet ſententia; quæ hanc editionem non omnino puram & incorruptam eſſe contendit; ita docet in primis Serarius [a] ubi cum faſſus eſſet hanc editionem valde quidem egregiam, multoque correctiorem ac puriorem iis Græcis Bibliorum exemplaribus, quæ hiſce aliquot ſæculis extiterunt: nondum tamen eſſe omnino puram, ſinceram & incorruptam probat. *Primo*, quia ex LXX. citantur a Patribus interdum nonnulla, quæ in iſta verſione aliter ſunt, ut vel ex nonnullis in ea ipſa notationibus perſpicuum fit. *Secundo* quia Vaticanus liber, antiquiſſimus, dicitur quidem rectiſſime ad literam expreſſus, ſed additur: *quo ad fieri potuit*, per antiquorum autographiam aut Librarii lapſus. *Tertio*, quia in hoc ipſo Vaticano exemplari, dicuntur ibidem quædam; ſi minus menda, certe ſuſpicione mendi non carere. *Quarto*, dicitur ibidem ſic: *Antiqui ſacri Scriptores fere nuſquam hujus exemplaris lectiones non exhibent ac reponunt*. Ubi notat non dicere ſemper & ubique, ſed *fere* & nuſquam non. *Quinto*, ſoli Prophetarum libri dicuntur in eo maxime recipere LXX. editionem. *Sexto*, ex hiſce tamen Prophetis excipitur Daniel. *Septimo*, Dicuntur adhuc nonnulli uniuſcujuſque arbitratu adjuvantibus libris reſtitui poſſe. *Octavo*; quædam quæ in LXX. non habentur, dicuntur expleri poſſe, & quidem e communibus libris. *Nono*, In eodem illo exemplari Vaticano conſumptæ dicuntur fuiſſe membranæ, a Geneſis initio, uſque ad caput XLVII. & a Pſal. CV. uſque ad CXXXVIII. *Decimo*, fatetur eadem præfatio, hanc editionem ex permixtis aliorum Interpretum Aquilæ, Symmachi, Theodotionis interpretationibus concinnatam. *Undecimo*, In eadem elaboratum, ut ad eam, quam LXX. Spiritus Sancti auctoritatem ſecuti ediderunt, quantum per veteres libros fieri poteſt, accedant. *Duodecimo*, Similia quædam in hujus verſionem Latinam habet præfatio. *Ita Serrarius*.

Similia habet Bonfrerius [b] ubi cum duas commendaſſet LXX. Seniorum editiones typis excuſas, nempe Complutenſem & Baſileenſem; tertiam ſubiicit auctoritate Sixti V. Pontificis confectam; Hæc, *inquit*, omnium optima, quæ hactenus in Romana Eccleſia prodierunt, etſi & hæc ſubinde a veterum Patrum fragmentis diverſa eſſe reperiatur; imo in nonnullis Scripturæ partibus tanta eſt etiam hujus Codicis a lectione ea, quæ apud SS. Patres eſt, diſcrepantia, ut plane diverſa verſio videri poſſit. Exemplo eſſe poteſt Canticum Deboræ, nam ubique fere ab Origenis, Auguſtini, Theodoreti, Procopii Lectionibus, hic codex in eo Cantico diſſidet, cum Regius & Baſileenſis Codex longe propius ad iſtorum Patrum lectiones accedant. Ex quibus elicitur hanc verſionem non cenſeri genuinam, Quod inſuper innumeris exemplis confirmare licet, in quibus Romana hæc LXX. Seniorum editio non ſolum a vulgata Latina, ſed etiam ab Hebræis fontibus & textibus, quos laudaverunt SS. Patres, omnino diſcordat, ut videre eſt in notis, quos ad ſingula hujuſce editionis Sixtinæ capitula Nobilius vir eruditiſſimus appoſuit.

Neque his obſtat præfata Sixti V. ſanctio; non enim ſummus ille Pontifex pronuntiat hanc editionem eſſe puram prorſus ac ſinceram verſionem LXX. Interpretum; ſed ſolum prohibet ne quis proprio genio ac temerario auſu aliquid in ea mutare attentet, quatenus ſcilicet aliarum Græcarum Interpretationum adjectitia, & ſupplementa (quæ a Neotericis Antiquorum ſcriptis elucidationis prætextu interſeri ſolent) ab ea procul removeat & eliminet. Quanquam revera hæc Romana editio plurimis adhuc ex alienis interpretationibus ſupplementis ſcatere videatur: ut etiam concedit Morinus [c] ſcribens: *Negare nolim*, inquit, *Catholice Lector, additamentorum Origenianorum ex textu pauca quædam in editione Romana ſupereſſe, quæ forte fortuna in antiquum & venerandum illud exemplar ex quo potiſſimum expreſſa eſt, irrepſerant, exemp. cauſa Iſaiæ cap.* XXXIV. *v.* 4. Et tabescent omnes virtutes coelorum: *extat in editionibus Romana, Aldina & Argentoratenſi, Aliiſque in Hebræo textu*: S. tamen Cyrillus hæc verba non legit, notatque Euſebius ex alia interpretatione cum Aſteriſco illuc translata fuiſſe, idem facit Procopius; ideo hanc pericopen in textu Iſaiæ præterit &c.

[a] *proleg. cap. 17. qu. 21.*

[b] *præloq. in Script. cap. 2. ſect. 8.*

[c] *Exercit. 9. cap. 3. circa fin.*

(30)

CA-

(30) Notiſſimam opinamur editionem anno 1705. Oxonii ab Joanne Erneſto Grabe factam antiquiſſimi codicis Alexandrini, quo LXX. verſio continebatur. Hujuſmodi Codex a Grabe quocunque alio etiam vetuſtiſſimo Romano correctior prædicatur, & emendatior in prolegomenis ad ſacrum textum præmiſſis, idque variis argumentis oſtendere nititur; 1. quod in pluribus, ac majoris momenti locis cum Philonis Judæi, ac antiquiſſimorum Græcorum Patrum allegationibus, nec non

cum

CAPUT DECIMUM.

De reliquis Editionibus Græcis.

I. *Quis fuerit* AQUILA, *& quanti sit facienda illius Editio.*
II. *Quis sit* SYMMACHUS *alterius editionis Auctor.*
III. *Quis* THEODOTION, *& quo animo novam Bibliorum editionem fuerit auspicatus.*
IV. *Quid sentiendum sit de* QUINTA *&* SEXTA *Editione Græca.*
V. *Quomodo ex his omnibus Editionibus Origenes sua hexapla confecerit.*
VI. *De Editione* S. LUCIANI,
VII. *&* HESYCHII.

I. POst editam a LXX. Senioribus S. Bibliorum Græcam versionem, qua potissimum, non omnes modo Apostoli & Evangelistæ; sed & nascentis Ecclesiæ Patres utebantur ad confirmanda Christianæ Religionis mysteria adversus Gentilium & Judæorum pervicaciam; nonnulli Judæi patria vel secta veritati pertinaciter contradicentes, nefaria quadam superstitione, & maligno omnia confundendi studio, Græcas alias versiones edendas curaverunt, ut quæ de Christo apud Prophetas relucebant testimonia novarum versionum involucris adulterata, ad alios sensus detorquerentur, ne ea tandem ulterius obiicere possent Christiani, habentes præ manibus LXX. editionem unde Judæorum contumacia revinci posset.

Primum in illis locum tenuit Aquila Patria Sinopensis ex Ponto oriundus, de quo sic scribit Jehudad Episcopus Hattensis Mesopotamæus, in vetustissimo libro Syriaco manuscripto a DC. plusquam annis edito ex quo hæc exscripsit dominus le Jay [a]: „ Secunda editio, inquit, ab Aquila fratre uxoris Ælii Adriani Cæsaris: cum „ enim Adrianus ille extrueret Jerusalem, „ eamque Ælian suo nomine vocaret, præ„ fecit ædificio Aquilam: qui dum illic ver„ satus esset, vidisset que miracula, quæ ab „ Apostolis passim fiebant, credidit & ba„ ptizatus est. Quoniam vero Gentilium „ superstitionibus adhuc inhæreret, Astro„ nomiæ scilicet, Astrologiæ & sortibus „ deditus, plurimi eum ex Apostolis mo„ nuerunt; qui cum non resipuisset, excom„ municatus est. Ille autem ira percitus „ abnegavit Christianam fidem, & abalie„ natus omnino, Judæorum more circum„ cisus est. Sed quo posset dicere, *hominem* „ *abnegavi non Deum*, Hebraicæ linguæ „ adipiscendæ sedulam navavit operam, quo „ facto sacros Libros subdole interpretatus „ est, corrumpendo verba, ut LXX. men„ daces viderentur, & quæ illi de Christo „ testantur, ea aliter versa aliud signifi„ carent.

Hunc tamen Judæum vocat S. Hieronymus [b], de eo etiam scribit: *Biblia in Græcam linguam contentiose transtulit, qui non solum verba, sed etymologias verborum transferre conatus est: unde jure proiicitur a nobis; quis enim pro frumento & vino & oleo posset legere vel intelligere* σιτομετρίαν, ὑπερεφὴ, εὐλάβειαν, *quod nos possumus dicere fusionem, pomationem, & splendorem? Alibi inepte vertit pro Sole calorem; pro Luna albam*, &c. Nihilominus idem S. Hieronymus [c] eum elaudat: *ut verborum Hebræorum Interpretem diligentissimum;* & in Oseæ cap. 11. vocat, *curiosum & diligentem Interpretem*. Et Epist. 125. ad Damasum quæst. 2. scribit Aquilam, *non contentiosius, ut quidem putant, sed studiosius interpretari verbum ad verbum:* unde eum præfert Symmacho, & Theodotioni [d], *Rem*, inquit, *incredibilem dicturus sum, isti Semichristiani judaice transtulerunt, & Judæus Aquila interpretatus est, ut Christianus*. Hinc est quod Imperator Justinianus [e], post commendatam Hebræis potissimum LXX. editionem, quam in Synagogis legerent, subjungit: *Ne tamen in eam opinionem veniant, quasi cæteras interpretationes excluserimus damus illis licentiam,*

[a] *In præf. ad sua Biblia cui titulus est*, dilucidatio dictionum & verborum difficilium Scripturæ sacræ.

[b] *in cap. 3. Habacuc. & comment. in Isai. cap. 8.*

[c] *epist. ad Marcellam.*

[d] *in cap. 3. Hab.*

[e] *Const. 146. de Hebr. cap. 1.*

cum versionis Italæ fragmentis apud Tertullianum, & Cyprianum existentibus præ aliis codicibus apprime consonet. 2. Quod propius accedat ad Hexaplarem Origenis editionem; ipso autem S. Hieronymo judice in Epistola ad Fretellam, & Suniam, quæ in Hexaplis & eruditorum libris servatur, ipsa est immaculata, & incorrupta LXX. Interpretum translatio. 3. Quod Alexandrinus ille Codex magis hebraicæ lectioni respondeat, quam Romanus. Si autem in duobus LXX. codicibus duo occurrant verba græca, quæ una solum litera, aut syllaba inter se differunt, ac quorum alterum hebrææ significationi respondeat, alterum autem longe discrepet, non dubitandum quin ille genuinus, alter corruptus existat, inquit ibidem; ast Alexandrinum Codicem magis respondere hebraicæ lectioni quam Romanum exemplis demonstrat, præsertim ex verbis illis ἐπικρατεῖν *dominari*, & ἐπικροτεῖν *applaudere* Amos VI. 5. Romana editio habet: οἱ ἐπικρατοῦντες πρὸς τὰν φωνὰν τῶν ὀρχήσεων.

Manuscriptum autem Alexandrinum cum reliquis exemplaribus, ac Patribus in hunc locum commentantibus habent οἱ ἐπικροτοῦντες = Quæ lectio ex hebraica etiam eruitur. Jeremiæ pariter exemplaria Cap. 5. ℣. ultimo ex hebraica voce legenda monet ut Codex Alexandrinus exhibet. Alia multa profert ibi & in Epistola, ad Joannem Millium, ut ostendat codicem Alexandrinum longe esse Romano præstantiorem. Monet deinde a Waltono in Poliglotris adnotatas esse diversas lectiones Alexandrini Codicis a Romano; verum subjungit Cap. 2. Prolegom. Alexandrinas lectiones minus recte in Poliglottis exhiberi, vel nullatenus; hinc innumeros ibi textus recenset ex variis libris Scripturæ, qui juxta Codicem Alexandrinum suum non vero juxta existentem in Poliglottis legendi sint. His Frassenii fulciri videtur sententia, quod non sit omni prorsus menda expurgata editio LXX. sub Sixto V. elaborata. (*W*)

ut etiam interpretatione Aquilæ utantur; tametsi ille diversæ nationis fuerit, & in nonnullis dictionibus non mediocrem cum LXX. habeat differentiam.

a *ad Isaiæ cap.* 8. Adiicit S. Hieronymus a, Aquilam habuisse præceptorem R. Akibam qui Barcozbæ Chozibæ armiger fuisse dicitur, & ab Adriano Imperatore interfectus est. At id non satis consentire videtur cum eo quod scribunt, Aquilam, cum Gentilis adhuc esset, ab Hadriano præfectum fuisse operis in extructione Æliæ, sive novæ Hierosolymæ ab eo conditæ; Adrianus enim Æliam non condidit, nisi post interfectum Chozibam, ejusque armigerum Akibam. Ipsum duas edidisse versiones Græcas, auctor est idem

b *ad Ezech. cap.* 8. *v.* 15. S. Hieronymus b unam quidem minus exactam; aliam vero magis accuratam; dicitque Judæos secundam ejus editionem κατ' ἀκρίβειαν, hoc est, *accuratissimam* cognominasse. Et epist. 74. multa esse in ejus editione testatur, quæ faciunt ad fidem nostram corroborandam. Quod exemplo illustri probari potest, quia Psalm. XXII. ubi recentiores Judæi כארי *Cari*; *sicut Leo* ponunt, ostendit ille manifestissime se legisse כארו *Caaru*, ut nos legimus, etsi in significatione *fœdandi*, potius quam *fodiendi*, acceperit, de quibus amplior nobis sermo infra, agendo de editione vulgata Latina. Sunt qui affirment Aquilam floruisse anno XII. Adriani, Christi CXXIX. ab editione autem LXX. Interpretum anno CCCCXXX. uti putat Theodoretus, quæ si vera sunt, verisimilia non apparent quæ scribit Jehudad supra laudatus, nempe Aquilam fuisse Apostolis coætaneum, nisi forte Apostolorum nomine, eorum discipulos & viros Apostolicos intelligat. (31)

II. Symmachus natione Samaritanus, postea Judæus & circumcisus, deinde Christianus, postremo Ebionita Hæreticus, aliam Scripturæ sacræ ex fontibus Hebræis Græcam translationem adornavit, anno circiter 56. post editionem Aquilæ, & circa ann. Christi 200. florebat enim sub Severo Imperatore, non autem sub Lucio vero; forte loco Severi per errorem scribæ in Epiphanio posito. Ferunt autem Epiphanius, Theodoretus & Euthymius illum suscepisse hanc Scripturæ versionem, ut Samaritanorum a quibus defecerat, Religionem insectaretur: cum enim apud suos non tantum honoris assequeretur quantum optabat, descivit ad Nazaræos, hoc est Judæos, qui Christianismum cum Judaismo admiscebant, quibuscum sentiebant Ebionitæ Hærætici, unde a S. Hieronymo, modo *Semichristianus*, modo *Ebionita*, vocatur. Hic, ut testatur idem S. Hieronymus c, non solet verba verbis reddere, sed intelligentiæ ordinem sequitur, & sensum Scripturæ Hebraicæ sensu Græce exprimit. Affirmat insuper d illum ut Aquilam duas pariter translationes edidisse. Cum enim priorem interpretationem confeciisset, juxta extorsiones expositionum Samaritanarum (ait Jehudad Episcopus) alteram planiorem auspicatus est.

c *ad cap.* 3. *Amos.*

d *ad Jerem. c.* 82.

Hunc etiam Symmachum libros conscripsisse ad propugnandam Ebionæorum hæresim, testatur Eusebius; e *Extant certe*, inquit, *etiamnum Commentarii Symmachi, in quibus adversus Evangelium Matthæi acriter disputans supra dictam hæresim Ebionæorum adstruere videtur.* Ad quæ verba annotat Valesius, Ebionæos quidem, solum Matthæi Evangelium admisisse. Verum illud Ebionæorum Evangelium, non ipsum Matthæi erat, cujusmodi nos habemus, sed prorsus adulteratum, & capite ipso, id est, Christi genealogia mutilatum, ut docet Epiphanius in eorum hæresi. Quippe Evangelium secundum Hebræos, quo ipsi utebantur, ut docet Eusebius in libro tertio, authenticum Matthæi Evangelium esse dicebant, teste Hieronymo in commentariis in Matthæum. Ab hoc autem Symmacho Ebionæi postea dicti sunt Symmachiani; eo quod Symmachus dogma illorum validissime asseruisset. Unde S. Ambrosius, seu quis alius in prologo commentariorum in Epistolam ad Galatas ait. *Sicut & Symmachiani, qui ex Pharisæis originem trahunt, qui servata omni Lege Christianos se dicunt, more Photini Christum non Deum & hominem sed hominem tantummodo definientes.* De iisdem agit etiam S. Augustinus f. (32)

e *lib.* 6. *Hist. cap.* 17.

f *lib.* 1. *contr. Cresc. cap.* 31

III. Theodotion Ephesius Tatiani auditor fuit, ut tradidit Euthymius in Panoplia, ejusque dogmata est sectatus, moxque se Marcionitis adjunxit: neque tamen apud eos diu consistere potuit, sed ad Judæos transiit, a quibus in proselytorum numerum exceptus, eam subiit provinciam, ut ex Hebræo in Græcam linguam sacra volumina transferret: unde a S. Hieronymo g vocatur

g *præf. in Dan.*

(31) Si ea recipiatur sententia, quam putat probabiliorem Frassenius ad calcem capitis sexti hujus libri, quæque defendit versionem LXX. ante Christum anno 272. fuisse elaboratam, annorum summam quadrigentorum, & triginta, ab ætate septuaginta. Seniorum, qua scripserunt, usque ad Aquilæ factam versionem consistere non posse certum est, quandoquidem si 272. anni, qui ab interpretatione Seniorum usque ad Christum intercessere, cum alii 129. annis a Christo usque ad Aquilam intercurrentibus uniantur, eorum summa erit annorum 401. Si vero Petavii Magni supputationem teneamus, a versione LXX. usque ad illam Aquilæ anni intercurrisse invenientur 412. cum LXX. interpretatione usque ad Christum annos 284. a Christo autem ad Aquilam scribentem 128. annos intercessisse tradat Libro 13. de *temporum doctrina*. Nos autem si supponamus Æliam ab Adriano Imperatore fuisse ad initium sui imperii ædificatam anno videlicet Christi 119. ut tradit Pagius in Critica ad eundem annum; ejusve ædificio præpositum fuisse Aquilam, ut scribit S. Epiphanius Lib. *de mensuris* num. 14. & 15. Cum versionem LXX. ad annum ante Christum 277. superius retulerimus, Aquilæ versionem circa annum Christi 124. factam fuisse dicere tenebimur, cum, scribente Epiphanio loco laudato, linguam hebraicam appercipere fategerit Aquila, priusquam versionem suam concinnaverit, illius autem studio non dederit operam ante Æliæ ædificationem, unde annis circiter 401. post versionem LXX. in hac hypothesi Aquila scripsit. (*IV*)

(32) Suspicatur Petavius in suis ad Librum *de mensuris* Epiphanii notis Pag. 400. Symmachianos Hæreticos ab altero Symmacho, quam ab Interprete isto esse derivandos. (*IV*)

vocatur *Incredulus* & *Ebionita*, Epist. autem 89. ad Augustinum, *homo Judæus & blasphemus*.

Quanquam autem ejus editio post Symmachi versionem soleat referri; nihilominus tamen ea prior extitit: siquidem Theodotio vixit sub Commodo Imperatore. Sed posterior recensetur ab Epiphanio & Athanasio, quod illi numerarint editiones in eo ordine, sicut in Hexaplis Origenis erant insertæ, in quibus tertio loco Symmachi; quarto Theodotionis editio collocata fuit. (33) Alia etiam proferri potest ratio, quod nempe hic medium inter Aquilam & Symmachum, & temperatum scribendi genus ex utroque mixtum expresserit. Ita quod non solum sensum sensu, sed etiam verba verbis, quantum fieri potuit, reddiderit. Quapropter cæteris prælatus est, *Tum* ab Origene in Hexaplis qui, quæ in LXX. Seniorum editione deerant ex Hebræo, supplevit ex Theodotione. Propterea quod, inquit Epiphanius, plerumque cum LXX. consentiebat: *Tum* a S. Hieronymo, qui in Psalm. libro a se emendato Obelis & Asteriscis appositis, Theodotionem in emendatione LXX. sequutus est: *Tum* pariter ab Ecclesia, quæ Danielem ab eo translatum, in frequentiorem usum olim recipiebat, ut testis est S. Hieronymus præfat. in Danielem.

De trium istorum Interpretum editionibus Græcis, Aquilæ nimirum, Theodotionis & Symmachi, hoc habet judicium idem S. Hieronymus [a]: *Quod si*, inquit, *apud Græcos, post LXX. editionem, jam Christi evangelio coruscante, Judæus Aquila, & Symmachus ac Theodotion Judaizantes Hæretici, sunt recepti, qui multa mysteria Salvatoris subdola interpretatione celarunt, & tamen in Hexaplis habentur apud Ecclesias, & explanantur ab Ecclesiasticis viris: quanto magis ego Christianus, cujus studium fuit omissa repetere, depravata corrigere, & sacramenta Ecclesiæ puro & fideli aperire sermone, vel a fastidiosis, vel a maliguis Lectoribus non debeo reprobari?*

a *in Præf. in Job.*

IV. Accessit *quinta editio* inventa sub Antonio Caracalla Severi filio circa ann. Christi CCXIX. in dolio cum aliis Hebraicis & Græcis libris in urbe Jericho, ideoque *Jerichuntinæ* editionis nomen accepit, de qua sic scribit S. Epiphanius [b]: *Septimo*, inquit, *anno Caracalli inventi sunt libri quintæ editionis in doliis in Jericho absconditi, cum aliis libris Hebraicis & Græcis*.

b *lib. de ponder. & Mens.*

Sexta postmodum editio sine ullius etiam Auctoris nomine, iisdem testibus reperta est Nicopoli apud Actium sub Alexandro Mammææ filio Imperatore circa ann. Christi CCXXVIII. in locis etiam subterraneis ac in doliis occultata, quæ cum ab incerto Auctore prodiisset, dicta est *Nicopolitana*. Septimæ cujusdam editionis etiam incerti Auctoris meminit S. Hieronymus lib. de viris illustribus in Origene, ubi sic scribit, *Præterea, quintam, sextam & septimam editionem, quam etiam nos de ejus* (Origenis) *bibliotheca habuimus; miro labore reperit, & cum cæteris comparavit*.

S. Luciano tribuit septimam hanc editionem Euthymius Zigabenus: [c] scribit enim, *Septima prodiit a Luciano magno Eremita & Martyre, qui omnibus his editionibus visis, & cum Hebraica veritate diligentissime & magno cum labore collatis, propriam editionem, nihil mancum & nihil habentem superfluum, Christianis tradidit: quæ apud Nicomediam manu ejus exarata reperta est in turre quadam apud Judæos, calce illita, post ipsius Luciani certamen, & post persecutionem quæ a Diocletiano & Maximino facta est, sub magno Imperatore Constantino hæc cum LXX. Interpretum editione consentit, & quæ ab aliis depravata fuerant, reprobavit*. At Euthymius hic videtur hallucinatus, confundendo editionem illam, quæ ab Origene concinnata & elaborata fuerat, cum Lucianæa, quas S. Hieronymus accurate distinguit, ut mox dicemus: quo pariter errore laborat Vvaltonus [d] hanc editionem cum Lucianæa confundens. Unde hujus editionis sicut & quintæ ac sextæ Auctores latent. Quidam tamen Judæis illas tribuunt, ut Hieronymus [e]: alii Christianis illas adjudicant. Quintam enim commendat Athanasius [f], ut a quodam qui Hierosolymis orationibus vacaverat, compositam. In sexta etiam Jesus Christus nominatur ut Salvator mundi quod certe Judæus non fecisset.

c *Præfat. in Psalm.*

d *de versionibus Græc. numer.* 20.

e *lib. 2. contra Rufinum.*

f *in Synops.*

V. Ex his versionibus Origenes magno labore & summa adhibita diligentia, Tetraplorum suorum, Hexaplorum & Octaplorum successivis temporibus componendorum occasionem nactus est; cujus utique operis adornandi ea fuit ratio. Cum nondum repertæ essent duæ illæ incertorum Auctorum editiones, Quinta videlicet & Sexta, Origenes quatuor priores ita contulit & exscripsit, ut unicuique solam columnam in singulis libri paginis assignaret, hoc ordine, ut *prima* editio esset Aquilæ, secunda Symmachi, tertia LXX. Seniorum, quarta Theodotionis, quod opus idcirco *Tetrapla* appellari voluit, quod quatuor Scripturæ versiones uno intuitu conspiciendas exhiberet. *Postmodum* elaboravit volumen aliud *Hexapla*, quod præter quatuor Tetraplorum seriem Jerichuntinam & Nicopolitanam sub Quintæ & Sextæ editionis nomine complectebantur.

De Tetraplis & Hexaplis Origenis.

(33) Non levem pro Frassenii opinione quod Theodotion fuerit Symmacho antiquior, conjecturam suppeditat Magnus Petavius loco in nota præcedenti laudato, ex Sancto Irenæo Lib. 3. adversus Hæreses Cap. 21. novæ editionis, in quo S. Pater Aquilæ meminit, atque Theodotionis, non tamen Symmachi, quamquam de eodem non minus quam de illis sermonem habere debuerit, cum istius interpretatio verborum Isaiæ: *Ecce Virgo concipiet* non minus quam prædictorum refelli oportuerit, eo quod eundem contineret errorem; eademque non minus quam aliis uti poterant Ebionæi in suæ hæreseos patrocinium; redderat enim & Symmacus *νεᾶνις adolescentula* pro *παρθένος Virgo*. Nondum hunc resolvendum eruditis Petavius desint, amplectens interim opinionem oppositam, quod Symmachus fuerit Theodotione vetustior. (*W*)

ctebantur. *Tandem* aliam sacrorum voluminum editionem auspicatus est duabus præcedentibus ampliorem, quam appellavit *Octapla*, quod octo scilicet columnis constaret: nam iex jam assignatis, duas alias adscripsit, quarum una textum Hebraicum Hebraicis characteribus scriptum continebat, altera vero eundem referebat textum Hebraicum, sed charactere Græco exaratum; quibus simul compaginatis, octo veluti textus apparebant.

a *lib. 6. hist. Eccl. cap. 16.*

Existimat tamen Eusebius [a]; Tetrapla post Hexapla fuisse condita; scribit enim: *Has igitur omnes interpretationes cum* (Origenes) *in unum corpus collegisset, & per certa cola ac membra distinxisset, & sibi invicem e regione opposuisset, una cum ipso Hebraico textu: Hexaplorum nobis exemplaria reliquit: postea vero editionem Aquilæ & Symmachi ac Theodotionis cum Septuaginta Interpretum versione seorsim in Tetraplis digessit.* Nam cum Origenes animadvertisset Hexaplorum Codices nimio sumptu ac labore indigere, Tetrapla quorum usus erat facilior, elucubravit; demptis duabus Hebraici textus editionibus, & Quinta Sextaque ac Septima interpretatione. Hactenus quidem hæc doctorum omnium fuit opinio, Tetraplorum Codices ante Hexapla ab Origene elaboratos fuisse. Ita diserte scribunt Usserius [b] Salmasius [c]. Verum hic Eusebii locus ex manuscriptorum Codicum fide emendatus; ut putat Valesius, sententiam illorum prorsus evertit.

b *Syntag. de LXX. Interpret. versione cap. 5.*

c *libro de lingua Hellenist.*

Hexaplorum autem texendorum hanc rationem reddit Origenes: *Excussi*, inquit, *omnes omnium editiones, & varietates, ut collata varietate translationum melius intelligerem LXX. interpretationem, & illius sensus sacros eruerem. Non enim fuit consilium cudere quidquam, quod discreparet a Scriptura in Ecclesia Catholica recepta, neque volui dare ansam iis, qui quærunt occasiones, ut res receptissimas cavillentur & communem sententiam Ecclesiæ damnent.* Quod utique oraculum, utinam intelligerent Novatores, qui, ex cœnosis jam & plurimum corruptis ac interpolatis Hebræis fontibus, novas in dies cudunt sacrorum Bibliorum editiones, ut inde ansam arripiant adversus Ecclesiæ Catholicæ dogmata pueriliter & grammatice debacchandi. Ex ea Origenis mente apertissime constat, eum non alio motivo in conficiendis Hexaplis tantopere desudasse, quam ut communi Ecclesiæ bono; & universæ Christianorum Reipublicæ, adversus Judæorum insultus consuleret: nam, ut ait S. Hieronymus. [d] *Hoc immortale illud ingenium suo nobis labore donavit, ut non magnopere pertimescamus supercilium Judæorum solutis labiis & obtorta lingua, & stridente saliva, & rasa facie gaudentium.*

d *in cap. 3. Epist. ad Titum.*

Inde factum est, ut cum tales libri temporibus illis, quibus omnia manu exaranda erant, summo cum labore, & maximis impensis essent componendi & comparandi, adeo tamen judicatus fuit utilis labor ille, ut Ecclesiæ nullis sumptibus parcendum putaverint, ad ea exemplaria sibi procuranda; quatenus ex variis interpretationibus inter se collatis, genuinus Scripturæ sensus, luculentius ac certius appareret; *Nam* (ut observat S. Augustinus [e]) *Nonnullas obscuriores sententias plurium Codicum sæpe manifestavit inspectio: sicut illud Isaiæ Prophetæ unus Interpres ait*; ET CARNEM TUAM NE DESPEXERIS; *Alius*. ET DOMESTICOS SEMINIS TUI NE DESPEXERRIS; *uterque sibimet invicem attestantur; namque alter ex altero exponitur, quia & caro posset accipi proprie, ut corpus suum quisque ne despiceret, se putaret admonitum: & domestici seminis translate, Christiani possent intelligi, ex eodem verbi semine nobiscum spiritualiter nati*, Paulopost subdit: *Quis horum vera secutus sit, nisi exemplaria linguæ præcedentis legantur, incertum est: sed tamen ex utroque magnum aliquid insinuatur scienter legentibus; difficile est enim ita diversos a se Interpretes fieri, ut non se aliqua vicinitate contingant.* Deinde ea est vis & proprietas utriusque linguæ, ut persæpe unum verbum, alterius linguæ æquet aut impleat quod conatur exprimere; diversæ autem interpretationes, quamvis conceptus sæpe videantur habere diversos, efficiunt tamen unum quemdam perfectum, & ad primariæ linguæ vim proxime accedentem.

e *lib. 2. de doctr. Christ. cap. 12.*

His adjicit, quod Scripturæ tanta est altitudo, ut non possit una interpretatione exhauriri. Sed, ut scite non nemo ait, quod quemadmodum oleo viduæ illius contigit, ut dum a pueris vasa offerrentur, semper flueret; ita videtur Spiritus sancti fermo, tam late copioseque fluere, ut quamvis humani sui ingenii vasa complures impleverint, superfit semper aliis, neque unquam penitus exhauriri queat. Itaque cum singula delibare; sit operæ pretium cupido divinæ doctrinæ; magni sunt faciendi illorum labores qui uno intuitu, variorum interpretationes ob oculos ponunt. Inde quis facile potest intelligere quantus tum fuerit, esseque etiamnum hodie posset illorum Hexaplorum, si jam extarent, usus; quantaque cum Ecclesiæ Christianæ jactura, tam utilia & accurata volumina perierint; siquidem ex iis illustrari mirum in modum jam posset sacer veteris Testamenti textus Hebræus, ejusdemque veritas & incorruptio defendi, ut dolendum plane sit tam eximium thesaurum Orbi Christiano periisse.

Cujus jacturæ præter varias, quæ in Orientem maxime Ecclesiam, grassatæ sunt infidelium Imperatorum persecutiones & Sarracenorum irruptiones ac infestationes, quibus sacra quæque ac venerandæ antiquitatis literarum, tam profanarum quam Ecclesiasticarum monimenta dispersa sunt ac dissipata; præter etiam Græcorum supinam negligentiam & gravem socordiam ac somnolentiam, in tam pretiosa sacra supellectile custodienda, arbitror hanc causam assignari posse. Quod cum hæc Octapla, propter ingentem suam molem plurimum constarent, & eorum transcriptio, nonnisi ingenti pretio redimi posset; ut facilius textus ab Origene ex Hebræo Græce redditi ad omnium ma-

manus venirent, Eusebius Cæsariensis & Pamphilus eos seorsim ab aliis in Octaplis editionibus insertis recensuerunt, & expunctis omnibus mendis quæ amanuensium inscitia aut incuria irrepserant, publici juris fecerunt. Hi vero Origenis contextus (quos S. Hieronymus [a] *Origenis & Eusebii editionem* vocat,) una erat LXX. Interpretum editio, quam ex Theodotionis versione Origenes emendaverat, appositis variis notis, quibus genuinus LXX. Interpretum textus, ab adjectitiis, necnon & adjectitia illa ab invicem distinguebantur. Nam adjecta appositis *Obeliscis* confodit; detracta, aut si quæ Theodotionis irrepserant, *Asteriscis* notavit; discrepantes lectiones variorum librorum consensu firmitas *Lemnisci* signo; paucorum testimonio approbatas, *Hypolemniscis* indicavit. (34)

[a] *Epist. ad Sunniam &c.*

Harum notarum specimen expressit Andreas Masius [b], additis illis notis ab Adamantio excogitatis, ex vetustissimo Codice Syro ad Græcam illam editionem mixtam expresso, & ad verbum converso ex illo exemplari, quod manu Eusebii scriptum servabatur in Bibliotheca Cæsariensi. Hæ „ vero notæ, *inquit*, fuere hujusmodi: *Obe-* „ *liscus* aut veru linea erat, sive virgula „ longiuscula, tanquam telum. Aut, ut ait „ S. Augustinus [c], qualis nota unciæ, du- „ cta supra dictionis, vel orationis, quæ „ veluti jugulanda fuit, initium. Sed in „ meis libris Syriacis, sub ea linea media „ punctum ubique subscriptum est. Cujus „ tamen puncti non meminit, quod equi- „ dem sciam, Hieronymus, aut Epiphanius, „ vel Augustinus. *Asteriscus* vero, radian- „ tis stellæ formam imitabatur. Denique „ *Lemniscus*, ut certe ab Epiphanio describi- „ tur; virgula erat, qualem Obeliscum fuisse „ dicebamus: sed ejus medium puncta duo, „ alterum supra, subter alterum, veluti in- „ cludebant.... Terminabat autem istarum „ notarum vim atque efficacitatem nota „ alia cuneoli effigie ad finem verbi, aut „ verborum complexionis appositа. Sed ve- „ ro Epiphanius insuper *Hypolemniscum* pro- „ didit; & quidem plane qua forma Obe- „ liscum esse formatum a Syro dixi. Lineam „ enim istam Obelisci punctum in medio „ ubique subscriptum occupat. *Hæc ille.* At ea jam a nobis fuerant ex parte declarata. (35)

[b] *in Præf. ad Græc. editionem Josuæ.*

[c] *lib. 8. de Civit. Dei.*

VI. Sanctus Lucianus Antiochenus, qui circa annum Christi CCCXI. hoc est I. circiter annis post Origenis obitum, qui contigit sub Imperatoribus Gallo & Volusiano anno Domini CCLVI, Martyrii palmam obtinuit, Diocletiano & Maximino Imperatoribus, ut notat Doctissimus Cardinalis Caraffa [d], quandam Editionem scripsit, de quo hæc habet Suidas. *Lucianus*, inquit, *cum animadvertisset sacros libros plurimum esse vitiatos; quippe ipsum tempus, multa in eis corruperat, & perpetua aliorum in alia commutatio, quin etiam homines quidam pessimi Græcarum superstitionum patroni, cum vellent ea quæ in illis sunt, sensa pervertere; plurima in ipsis falsa, atque adulterina supposuerant. Lucianus igitur libros illos ex Hebraico sermone ingenti labore restituit; hanc enim etiam linguam maxima ex parte callebat.* Quod etiam legitur in Actis Martyrii ejus apud Metaphrastem die 7. Januarii, ubi, *Is cum vidisset sacros libros esse valde adulteratos; cum & tempus multa in eis corrupisset, continuaque ab iis in alia translatio; & quidem homines sceleratissimi, qui Gentilitati præerant, conati essent eorum pervertere intelligentiam: ipse omnes rursus sumpsit, & ex lingua revocavit Hebraica, quam ipse quoque sciebat accuratissime, in eis corrigendis plurimum laboris referens.* De ipso etiam S. Hieronymus [e] sic scribit: *Lucianus vir disertissimus Antiochenæ Ecclesiæ Presbyter, tantum in studio Scripturarum laboravit, ut usque nunc, quædam exemplaria Scripturarum* LUCIANÆA *nuncupentur.*

[d] *ad edit. Bibliorum LXX. Interp. in verbo Lucianus Martyr.*

[e] *in Catalog. Script. Eccles.*

Non tamen existimandum est, ut quidam putant, S. Lucianum eam LXX. Interpretum editionem emendasse, quam Origenes Hexaplis inseruerat: hæc enim adhuc integra erat & immaculata: sed popularem ac vulgarem, quæ mendis quamplurimis scatebat, ut significat S. Hieronymus in laudata sæpius Epistola ad Sunniam & Fretellam, ubi scribit: *Breviter illud admoneo, ut sciatis aliam esse editionem, quam Origenes & Cæsariensis Eusebius, omnesque Græciæ tractatores* κοινὴν, *hoc est, communem appellant atque vulgatam, & a plerisque nunc* Λουκιανὴ *dicitur; aliam LXX. Interpretum, quæ & in* ἑξαπλοῖς *Codicibus reperitur & a nobis in Latinum sermonem fideliter versa est, & Hierosolymæ atque in Orientis Ecclesiis decantatur.* Et mox ibidem: κοινὴ *autem ista, hoc est, communis editio, ipsa est quæ & LXX. Sed hoc interest inter utramque, quod* κοινὴ *pro locis & temporibus, &*

pro

(34) Morinus in exercitationibus Biblicis teste Bernardo Lamy in apparatu Biblico Lib. 2. Cap. 13. præter enarratas Scripturæ editiones, alteram ab Origene, factam esse tradit duplici textu exornatam, Hebraico scilicet, & Græco LXX. Interpretum, ita elaboratam, ut textui LXX. sub asterisco inseruit, quæ textus Hebræus addebat; & obelo notaverit quæ in LXX. versione addita Hebraico textui inveniebantur; idque perfecit opus ad retundendas Judæorum exprobrationes, quibus illudere solebant Christianis tam in publicis, quam privatis concertationibus de Religione excitatis; contendentes testimonia ex græca versione desumpta, vel in Hebræo deesse vel alium sensum præseferre, eas itaque textibus notas præfixit ut nosceret Christiani quibus textibus uti possent ad revincendos Judæos, neque ab ipsis exceptione aliqua notari possent, non vero quod Origenes textus illos nota aliqua signatos, aut deesse existimaret aut supersse. (*W.*)

(35) Apud S. Epiphanium Lib. *de Mensuris* hoc pacto obeli, sive obeliscí figura exprimitur ⸸ apud alios autem Auctores hoc modo signatur — Asteriscus autem signum omnibus potissimum est * cum pluries in nostris etiam libris adhibeatur. Lemniscus hoc modo pingitur ÷ Hypolemniscus autem tali modo — signatur. Apud alios Scriptores aliquatenus diversimode pinguntur, sed ex punctorum appositione facile dignosci queunt. Harum figurarum significatio satis ab Auctore nostro exposita est, & superius adnotatæ etiam figuræ sunt. (*W.*)

pro voluntate Scriptorum veterum corrupta editio est: ea autem quæ habatur in ἑξαπλοῖς, & quam nos vertimus, ipsa est quæ in eruditorum libris incorrupta & immaculata LXX. Interpretum translatio reservatur. Quidquid ergo adhuc discrepat, nulli dubium est quin & ab Hebraica auctoritate discordet. Hujus Luciani editio manu-scripta, post ipsius celebratum Martyrium sub Maximiano Nicomediæ inventa est, ut testatur S. Epiphanius in Synopsi & Euthymius Zigabenus supra a nobis laudatus.

VII. Ultima quæ inter celebres editiones Græcas numeratur, habuit auctorem Hesychium Alexandrinum Episcopum; vel alterius Ægyptiacæ civitatis, qui in eadem persecutione decima, Martyrio coronatus est, ut testatur Eusebius. [a] Hic veterem LXX. Seniorum translationem pari cum Luciano studio ac diligentia recensuit; unde ejus versio, teste S. Hieronymo jam a nobis prolato, per Ægyptum & Alexandriam celebris erat: scribit enim in præfat. ad libros Paralip. *Alexandria & Ægyptus in LXX. suis Hesychium laudat Auctorem. Constantinopolis usque Antiochiam Luciani Martyris exemplaria probat. Mediæ inter has Provinciæ Palæstinos legunt Codices; quos ab Origene elaboratos Eusebius & Pamphilus vulgaverunt: totusque Orbis has inter trifaria varietate compugnat.* Ex quibus apparet tempore S. Hieronymi nullam fuisse Versionem Græcam per universam Ecclesiam in usu acceptam: sed inter tot editiones quæ circumferebantur, maxime celebres erant, & a diversis Ecclesiis probatæ, Origeniana, Lucianæa, & Hesychiana.

[a] *lib. 8. hist. cap. 14.*

Luciani tamen & Hesychii in veteris Testamenti versione studium non adeo diligens & fortunatum fuisse; in emendandis vero ac recensendis novi Testamenti Codicibus, prorsus infaustum, testatur S. Hieronymus [b] *Prætermitto*, inquit, *eos Codices, quos a Luciano & Hesychio nuncupatos, paucorum hominum asserit perversa contentio, quibus utique nec in toto veteri Instrumento post LXX. Interpretes emendare quid licuit, nec in Novo profuit emendasse, cum multarum gentium linguis Scriptura ante translata, doceat falsa esse quæ addita sunt.* Ea autem fuit omnium istarum Græcarum editionum lugenda sors, ut universæ perierint, si Origenianam excipias, quæ maxima ex parte conservata videtur in antiquissimis illis Codicibus, unde Complutensis, Basileensis, & potissimum Romana editio Græca prodiit; aliarum tamen quædam vestigia apparent in Commentariis Theodoreti & S. Hieronymi, aliorumque veterum Patrum, qui suas in Scripturam sacram lucubrationes scriptis mandarunt.

[b] *præf. in Evangelistas ad Damasum.*

Antequam autem manum hinc removeamus; operæ pretium est hic annotare varias fuisse Sacrorum Bibliorum in linguis Orientalibus cum versione Latina Editiones: inter quas præsertim eminent 1. Complutensis. 2. Antuerpiensis. 3. Nupera Parisiensis. 4. Vvaltoniana, Complutensem adornare curavit noster Eminentissimus Cardinalis Ximenius anno 1515. opera Doctorum Complutensium, unde *Biblia Complutensia* dicta sunt. Quam quidem Editionem hoc ordine accurare voluit, ut Latina vulgata medium teneret locum inter Hebræum textum & Græcum LXX. quo significabat præ cæteris attendendam esse Vulgatam Latinam, utpote quæ genuinum Scripturæ sensum accuratius referret. Ejus institutum tametsi omni ex parte laudandum, infensum habuerunt nonnulli Theologi, imprimis vero Nicolaus Ramus Episcopus Cubensis, qui hæc Biblia triplici columna distincta conferens cum Christo inter duos latrones crucifixo; prætendebat Hebræum textum veluti locum & sortem latronis reprobi; Græcum vero pœnitentis & prædestinati referre. Complectitur etiam hæc Editio Chaldaicum Pentateuchum Onkelosi, cum translatione Latina, necnon & Testamentum Novum Græcolatinum, cum apparatu, in quo sunt Grammaticæ Lexica, indices, &c.

Antuerpiensis priori multo perfectior tum Versionum quarundam accessione; tum Typorum & Chartæ elegantia ac splendore quinque voluminibus comprehensa, quam sumptibus Philippi Regis Hispaniarum (unde *Biblia Regia* vocantur) summa fidelitate & cura edidit Arias Montanus anno 1572. qui Complutensibus addidit I. Chaldaicam Paraphrasim in reliquum vetus Testamentum cum versione Latina. II. Interlinearem versionem tam veteris quam novi Testamenti. III. Syriacos novi Testamenti libros, tam Syriacis, quam Hebraicis characteribus descriptos, opera Guidonis Fabritii Boderiani, cum apparatu magno, in quo varia Lexica, Grammaticæ, cum tractatibus quibusdam ad meliorem textus intelligentiam, variæ quædam lectiones, indices, &c.

Parisiensis in 10. magnis Tomis prodiit, anno 1645, impensis viri Clarissimi D. Michaelis *le Jay*; qui licet vir privatus, animo tamen excelso, & plane Regio, propriis sumptibus opus edidit, quo a primis literarum incunabulis non vidit orbis Ecclesiæ, omnibusque Theologiæ & literarum studiosis, utilius, ut quod Biblia Regia, quæ *orbis miraculum* a quibusdam dicebantur, multis parasangis superet, idque non tantum Typorum & Chartæ præstantia & magnificentia, sed adjectis aliis quibusdam antiquis monumentis nunquam antehac evulgatis; Samaritano scilicet Pentateucho, cum versione Samaritana, toto etiam veteri Testamento Syriaco, & tam veteri quam novo Arabico.

Vvaltoniana seu *Poliglotta Anglicana* in qua sex Tomis comprehenduntur omnes veteres Scripturæ sacræ editiones & versiones.

LIBER

LIBER TERTIUS DISQUISITIONUM

IN QUO

De editionibus occidentalibus Sacrorum Bibliorum.

CAPUT PRIMUM.

I. *Ab Ecclesiæ primordio plurimæ fuerunt Editiones Latinæ.*

II. *Cæteris tamen, ea quæ* VULGATA *dicitur, semper fuit præposita.*

III. *Illius Auctor, etsi non omnino exploratus, tamen est antiquus.*

IV. *Hæc diu viguit in Ecclesia cum Editione nova S. Hieronymi.*

V. *Illius nihil jam integrum præter Psalterium extat; quod tamen semel & iterum est a S. Hieronymo emendatum.*

VI. *Prior emendatio levior fuit, & in Romana Ecclesia diutissime viguit.*

VII. *Posteriori usæ sunt primum Ecclesiæ Gallicanæ, deinde cæteræ omnes.*

VIII. *Quare novam ex Hebræis fontibus versionem adornarit S. Hieronymus.*

IX. *Quam insignis fuerit illius eruditio in Scripturis sacris, & in literis, præsertim Hebraicis.*

X. *Quænam causæ eum ad novam sacræ Scripturæ versionem adornandam impulerint.*

XI. *Varios passus est suæ Editionis impugnatores & reprehensores, maxime S. Augustinum.*

XII. *Non omnes veteris Testamenti libros Latine dedit, neque etiam novi Testamenti, sed emendavit.*

XIII. *Vulgata hodierna, partim ex Editione S. Hieronymi, partim ex Veteri coaluit.*

XIV. *Plures enim sunt in ea textus ab Editione S. Hieronymi alieni.*

XV. *Ingratum id quidem habent plurimi Novatores; at eorum criminationes & argutiæ abeunt in fumos.*

§. I.

I. UM Romanum Imperium per varias Orbis regiones longe lateque propagatum, Latinam linguam Romanis vernaculam, ubique Gentium disseminasset, nullaque adeo agrestis & barbara videretur natio, quæ Latini sermonis esset omnino rudis & inscia; divinæ misericordiæ singulis hominibus de mediis ad salutem necessariis providentis ordinationi congruebat, ut qui ex Romanis Christianæ Religioni nomen dederant, Scripturis sacris lingua sibi familiari fruerentur; quatenus exoriens eorum fides, divinis illis Oraculis irradiata, splendidius corrusçaret. Inde est quod ab ipsis Ecclesiæ primordiis, tot extiterint sacrorum Bibliorum Editiones Latinæ, ut S. Augustinus asserere non dubitaverit, [a] *Latinorum Interpretum infinitam esse varietatem... Ut enim cuique primis fidei temporibus, in manus venit Codex Græcus, & aliquantulam facultatis sibi utriusque linguæ haberi videbatur, ausus est interpretari.* Inde factum est, ait S. Hieronymus, [b] ut *Apud Latinos tot fuerint exemplaria, quot Codices; & unusquisque pro arbitrio suo, vel addiderit, vel substraxerit quod ei visum est.* Illæ vero quot-quot erant Editiones Latinæ, non ex Hebræis fontibus immediate erant expressæ, sed ex Græco textu & Editione LXX. *Quam*, ait S. Augustinus, [c] *tanquam sola esset, sic recepit Ecclesia; eaque utuntur Græci populi Christiani, quorum plerique utrum alia sit aliqua ignorant. Ex hac LXX. Interpretatione, etiam in Latinam linguam interpretatum est, quod Ecclesiæ Latinæ tenent.* (1)

[a] *lib. 2. de Doctrin. Christi cap. 11.*

[b] *præf. in Josue.*

[c] *lib. 18. de Civit. Dei cap. 43.*

(1) Quamquam adeo clare Augustinus, & Hieronymus de multiplici scripturarum divinarum interpretatione locuti sint, ut de earum existentia dubitare ferme non sinant, Petrus Sabatienus attamen in sua Præfatione ad Italicam veterem præmissa editionem Part. 1. §. 2. non admodum urgenda Sanctorum Augustini, & Hieronymi testimonia opinatur, quibus tot illæ interpretationes astrui viden-

II. Una tamen inter tot illas Editiones Latinas erat præstantissima, ac in omnibus Ecclesiis Latinis recepta, quam S. Augustinus [a] *Italam*, S. Hieronymus [b] *Communem*, S. Gregorius [c] *Veterem*, Orosius [d] *Vulgatam* appellat. Quo utique postremo nomine jam apud omnes Christi Fideles innotescit, ut etiam apud Majores nostros censebatur; tum quod universalior & frequentior esset illius usus; tum quod ex LXX. Seniorum interpretatione Græca, quæ apud Catholicos communior erat, fuisset expressa: unde sicut illa Editio Græca κοινὴ, hoc est, *Communis*, & *Vulgata* dicta est, quod præ cæteris a Fidelibus usurparetur; ita hæc apud Latinos *Vulgatæ* nomen obtinuit, quod vulgaris esset illius usus, & in Ecclesia frequentissimus. Nec immerito quidem, nam, ait mox laudatus S. Augustinus, *Ipsa est verborum tenacior cum perspicuitate sententiæ.* (2)

[a] *Ibid. cap. 15.*
[b] *Epist. ad Pamach.*
[c] *Præf. in lib. moral.*
[d] *Apolog. de lib. arbitr. cap. 5.*

Quo-

dentur. Si etenim varii supponantur Codices inter se quodammodo dissidentes, sed ab una fortassis expressi interpretatione, in quibus vel ex audacia, vel oscitantia transcribentium plurima mutata reperiantur, plures, & varias interpretationes non cogemur admittere. „ Quis enim nesciat, inquit „ ille, variantes dari lectiones in ipso textu Hebraico veteris, & in Græco novi Testamenti, „ cum hoc testentur, ut verbis Waltoni utar, tot „ varietates ex codicibus manuscriptis, & impressis a viris doctissimis adnotatæ? „ quod quidem non solum confiteri, sed & pluribus confirmare Bellarminum pronuncjat. Si ergo textus primigenius unus idemque supponitur, quamquam discrepantes inter se non solum verbis, sed etiam sententiis in eo habeantur lectiones; „ quidni igitur „ unam pariter eamdemque primum fuisse Scripturarum interpretationem dixerimus, quamvis „ variæ in codicibus occurrant discrepantiæ, quæ „ varias interpretationes a variis elaboratas interpretibus significare videntur? Certe si varietas „ inter exscribendum primigenium scripturæ textum, cujus vel litterulam permutare, nefas esse „ debuerat, contingit: quanto magis contingere „ potuit in exscribenda interpretatione, cujus cum „ non tanta esset auctoritas, quanta textus primigenii, minori adhuc cura, minorique religione „ est descripta a Librariis, & eruditulis, qui mutare, addere, detrahere, glossulas inserere religioni non habuerunt „. Subjungit deinde alteram variarum lectionum originem, eamque appellat utiliorem, & puriorem. Istam ergo ex vera hominum doctissimorum eruditione auspicatur; cum etenim isti primum Interpretem in aliquibus hallucinatum, ac quodammodo dormitantem fuisse, quod quidem humanæ conditionis est errare, & falli, animadverterint, quæ minus recte versa erant, castigarunt, & verbis, sententiisque obscuris lucem adferre satagerunt, hinc factum, ut varia ejusdem interpretationis exempla variæ scripturarum interpretationes sint existimata, adeo ut S. Hieronymus *tot exemplaria, quot codices* extitisse adfirmaverit, quæ tamen S. Doctoris verba paulo inflatius pro more ipsius Beati scribentis, pronunciata fuisse tuetur ex ipsomet Hieronymo, qui cum novam adornasset novi testamenti interpretationem, idque a pluribus Catholicæ Comunionis viris insignibus ægro ferretur animo, iis respondit verbis S. Doctor, quibus non tam a se novam scripturæ interpretationem elaboratam, quam veterem emendatam, & a maculis, vitiisque, quibus laborabat expurgatam fuisse significavit.

Quæ autem a Clarissimo Doctissimoque viro Josepho Blanchino parata sunt argumenta ex auctoritatibus sanctorum ad multiplicis adstruendam Interpretationis temporibus Sanctorum Augustini, & Hieronymi existentiam, quæque in sua Præfatione generali ad vetera Sacrorum Bibliorum fragmenta præmissa exaravit pagina 27. refellere nititur Sabatierus iisdem Blanchini verbis, quibus fatetur Sanctos Augustinum, & Ambrosium, dubio procul, Italam fuisse secutos, & tamen aliquam varietatem in Augustino, & Ambrosio reperiri, cum certum sit, concludit ex varietate lectionis, varietatem interpretationum argui non posse, alioquin varias interpretationes sequuti Augustinus, & Ambrosius convincerentur. Sabatieri argumenta utique videntur falsitatis revinci non posse. Verum si eadem teneamus, improprie fuisse locutos Augustinum, Hilarium, & Hieronymum dicere cogemur cum pluries variarum interpretationum meminerunt, variantes codices pro variis interpretationibus accipientes, simplicesque librarios, & transcriptores cum interpretibus confundentes. S. quidem Hieronymus Præf. in quatuor Evangelia ad Damasum scribit: *Quæ a vitiosis Interpretibus male edita sunt*: S. Augustinus Epist. 82., alias 19. ad Hieronymum inquit: *Ideo autem desidero interpretationem tuam de LXX. ut & tanta Latinorum Interpretum, qui qualescumque hoc ausi sunt, quantum possumus imperitia careamus*: Denique S. Hilarius tractatu in Psalm. 54. num. 1. jam scripserat: *Hymnos aliqui Translatores nostri carmina nuncupaverunt, plerique autem Hymnos ex ipsa græcitatis usurpatione posuerunt*. Tractatu autem in Psal. 131. num. 24. Subjungit, exponens illa verba: *viduam ejus benedicens benedicam*; *Quidam translatorum interpretatus esse ita repertus est*: Captionem ejus, benedicens, benedicam: *Sed nobis sequenda est prima illa, & sub Judæorum temporibus ante Domini adventum ad Ecclesiæ doctrinam consignata translationis auctoritas*: Hæc videntur clara illius ætatis testimonia ad adstruendam multiplicis interpretationis existentiam. (W)

(2) Plures sunt extra Catholico-Romanam comunionem inventi scriptores, qui vel existentiam, vel antiquitatem illius antiquissimæ versionis, quæ *Itala*, seu *vulgata* appellari consuevit, expungere satagerunt, variis perducti levibus tamen conjecturis. Extitisse aliquando Italam eam versionem singulari obsequio receptam, præ cæteris aliis editionibus præcellentem inficiati sunt Blenteyus, & post ipsum Casleyus varias quidem extitisse versiones S. Augustini ætate concedens, sed nullam, quæ præ aliis esset Authentica; hinc vitiata fuisse ea S. Augustini verba; *in interpretationibus autem latinis Itala cæteris præferatur; nam est tenacior verborum cum perspicuitate sententiæ*: proindeque esse restituenda hoc modo: *In interpretationibus autem latinis, illa cæteris præferatur, quæ est tenacior verborum cum perspicuitate sententiæ*: contendit. Recitat ulterius auctoritatem Blenteyi pro sua opinione Casleyus; & sane si quædam singularis versio Itala præ aliis habeatur in Ecclesia, ajunt, cur Damasus Hieronymo suasit, ut divinas literas pristinæ integritati restitueret, atque puritati? Cur hærebat Pontifex summus, quibus esset fides habenda Codicibus prorsus nesciens? Si denique una erat præ aliis recepta ab omnibus interpretatio qui fieri potuit, ut tam variis uterentur sententiis in suis operibus Ecclesiæ Patres? Hæ sunt præcipue adversus singularis versionis Italicæ existentiam. De ejus vero antiquitate non parum detrahere visus est Millius in Præfatione ad novum Testamentum, dum scripsit „ Ipsam hanc „ *Italam* cum apud Latinos, & auspiciis, ut „ omnino credibile est Ecclesiæ Romanæ prodierit, vix certe est, ut editam censeamus ante „ tempora Pii Papæ. Erat quidem is cum Italus „ gente, tum & Latinorum primus (ipsi enim „ Pontifices huc usque fere Græci fuerunt), qui „ diutius paulo, per annos dico quindecim Ecclesiæ res administraret, neque absimile veri est „ ab ipso demum procuratam fuisse hanc versionem, aut saltem aliquam ejus partem „ Hæc argumenta, & conjecturæ a Clarissimo viro Petro Sabatiero in Præfatione ad editionem vulgatæ antiquæ versionis librorum novi testamenti referuntur, atque refelluntur. Casleyo quippe in primis opponit S. Hieronymi testimonium ex Libro ejus

29. Com-

Quoniam autem hæc Editio (inter cæteras quæ jam extant, non ſolum Latinas, ſed etiam Hebraicas & Græcas) primigeniam ſacrorum Bibliorum veritatem & puritatem ſervavit fidelius, ac felicius repreſentat, idcirco in ejus conſideratione & diſcuſſione ingratum, arbitror, non erit paulo impenſius hærere, & inquirere. Quis fuerit illius Auctor. Quanta fuerit S. Hieronymi in Scripturis ſacris eruditio, & quam aſſiduus in eis vertendis & adornandis ipſius labor. Utrum & quas partes in vulgata quæ jam extat, ejus verſio obtineat. Qualis & quanta eſſe debeat Editionis vulgatæ auctoritas. Utrum fontibus Hebræis & Græcis jam extantibus, æquanda ſit aut præferenda, tandem, quid ſentiendum de notabilioribus ſphalmatis & mendis, quibus illius nitor adhuc infuſcari videtur.

2°. Comment. in Matthæum cap. 13. deſumptum, ubi exponens S. Doctor hæc verba: *ut impleretur quod dictum eſt per Prophetam dicentem, aperiam in parabolis os meum*, ait „ hoc teſtimonium „ de 70 Pſalmo ſumptum eſt..... & vulgata habet editio *ut impleretur quod dictum eſt per Prophetam dicentem* &c. ibi ſcriptum per Iſaiam „ Prophetam dicentem &c. Agnoſcebat igitur Hieronymus vulgatam editionem: eamdem agnovit Auguſtinus, de qua tam inſigne perhibuit teſtimonium libro 2. de Doctrina Chriſtiana Cap. 15. dum ſcripſit: *In ipſis autem interpretationibus Itala cæteris præferatur: nam eſt verborum tenacior cum perſpicuitate ſententiæ*: Quid autem eſt quod depravatum velit Casleyus hujuſcemodi teſtimonium, ſi in eum pugnant quotquot S. Auguſtini Codices manu exarati inviſi ſunt a Benedictinis Patribus dum novam adornare operum S. Auguſtini editionem moliebantur; in quibus ſiquidem omnibus, teſte Sabatiero, verba iſta *Itala*, & *nam* conſtantiſſime ſunt adinventa, nequaquam vero hæc altera a Casleyo ſubſtituta *illa*, & *quæ*; fruſtra ergo antiquiſſimæ Italæ verſionis exiſtentiam oppugnare ex hoc capite conatur Casleyus. Nec majoris ſunt ponderis alia, quæ proponuntur argumenta, inquit Sabatierus in ſua laudata Præfatione; ſi enim vim aliquam præſeferrent, in noſtram etiam vulgatam ſcripturæ interpretationem non parum faceſſere viderentur; cum Tridentinæ Synodi tempore innumeræ, ut ita loquar, diſcrepantium Codicum circumferrentur editiones, ex quarum varietate magna in Dei Eccleſia confuſio oriri poterat, ut Editores Romani teſtantur in Præfatione Sixtinæ præmiſſa editioni, nec temen iſtæ omnes præpedire potuerunt Tridentinos Patres quin authenticam declaraverint vulgatam noſtram, quæ longo tot ſæculorum uſu in Eccleſia probata fuerat uſque ad Tridentinum Concilium. Pari modo de antiqua verſione Itala tempore Damaſi Papæ dicendum; varietatem ſcilicet codicum confuſionem quidem gignere potuiſſe, atque oſcitantiam etiam in Romano Præſule circa veram, & canonicam verſionem, non tamen quod vetus illa vulgata inter omnes non ſemper tamquam præcipua, & ſingularis eminuerit, ſicut Tridentini Concilii ætate contigit reſpectu vulgatæ noſtræ, quam Synodus comprobavit. Nec ultra debitum urgenda S. Hieronymi ea auctoritas, *tot exemplaria* nempe *ſua ætate extitiſſe, quot codices*, ut jam in nota præcedenti animadvertimus, quandoquidem, ut obſervat Philippus Garbellus in epiſtola ad Blanchinum S. Doctor loquebatur ibidem de codicibus novi Teſtamenti; qui ſiquidem in paucis, & quidem verbo tenus diſſerebant, ut ex vetuſtioribus codicibus Garbellus ipſe confirmat; unde verba illa Hieronymi benigne ſunt intelligenda, minime vero, quod codicum illorum tanta eſſet diſcrepantia ut verſio Itala ab Auguſtino, Hieronymo, & etiam a Gregorio Magno tam clare, diſtincteque nominata, non potuerit ab aliis ſecerni verſionibus. Si quam autem Patrum diſcrepantiam intuemur in recitandis divinæ ſcripturæ ſententiis, non id ex confuſione verſionum, quaſi neſcii eſſent omnes num aliqua præ cæteris haberetur inſignior interpretatio, ſed ex variantibus codicum lectionibus eſt repetendum, inquit Sabatierus; quæ ſiquidem variantes facillime intruduntur in codices, ut evidenter oſtenditur ex ipſomet S. Hieronymo, qui Pſalterium correxit dum Romæ exiſtebat, & tamen tranſcriptorum incuria tot paulatim fuit refertum erroribus, ut iterum idem ſanctus ad preces Euſtochii, & Paulæ illud corrigere fuerit compulſus, ita fortaſſis tempore S. Damaſi Italicæ verſionis codices variantibus lectionibus erant deturpati, ex quibus poſtea fontibus variantes divinarum ſcripturarum ſententiæ in Sanctorum Patrum opera derivarunt. Quot variantium lectionum ipſa etiam Græca verſio LXX. fuerit in variis codicibus referta, omnibus ex Hieronymo in Epiſtola ad Chromatium notum eſt; & tamen verſionem illam ſemper permanſiſſe Italicæ verſionis inimici concedunt.

Quantum ad Millii conjecturam de tempore, quo verſionem Italam ſuſpicatur elaboratam, contendit Sabatierus non ſatis firmam eſſe habendam, nimiſque fidenter a Millio pronunciatum, quod *Pius e Latinis primus extiterit, qui S. Petri Sedem occupaverit, & paulo diutius Eccleſiæ res adminiſtraverit*; & ſane poſt Divum Petrum Linus Etruſcus ſucceſſit in Pontificatu, illumque per annos duos retinuit, quamvis ante ab aliquot annis S. Petri Vicarius extiterit ſi Pagio in Critica fidem habeamus. Linum Clemens excepit Sanctamque Petri ſedem, per annos circiter decem occupavit, cui poſtea Cletus patria Romanus, ſicut erat Clemens, ſucceſſit, & per annos ſex Pontificio munere functus. Anacletus Græcus deinde, & Evariſtus Syrus in Petri Cathedra ſucceſſerunt; quibus poſtea ſuffectus eſt Alexander Romanus, & annis octo rexit Eccleſiam, quem poſtea ſubſecutus eſt Sixtus Romanus, qui annis decem Eccleſiam adminiſtravit. Teleſphorus deinde, & Hyginus ambo Græci ad Pontificatum aſſumpti fuere, quorum primus annis undecim, alter vero quatuor rexit Eccleſiam. Poſt ipſos Pius electus eſt, anniſque decem regnavit, juxta Pagium. Ex iſta Pontificum ſerie ſatis fit manifeſtum Pium Papam nec primum ex Latinis Petri Cathedram aſcendiſſe, neque diutius, quam alios præcedentes Latinæ gentis Pontifices eam occupaſſe. Quis modo ſibi ſuadeat abſque divinarum ſcripturarum verſione Latinam Eccleſiam tam diu perſiſtere voluiſſe, ut Millius opinatur? accuratiorem propterea Waltoni conjecturam, atque longe firmiorem exiſtimamus, ita in Prolegom. 5. num. 5. ſcribentis = „ Quod ad verſiones Latinas attinet multæ olim „ erant ex Græco factæ ita ut vix numerari poſ„ ſent teſte Auguſtino .... inter reliquas tamen „ unam præ reliquis commendat, quæ *vulgata*, „ & *Itala* dicta eſt, quæ in verbis erat cæteris „ magis perſpicua. Hanc vero cum vulgatæ, & „ veteris nomen his temporibus nacta ſit reli„ quis Latinis antiquiorem eſſe neceſſe eſt. Cum„ que Latina Eccleſia ſine verſione Latina nun„ quam fuerit, veriſimile eſt hanc primam fuiſſe „ Latinam verſionem ex Græco factam Apoſto„ lorum temporibus vel non multo poſt, ne di„ cam cum Baronio, Bonfrerio, Serario, & aliis „ ab aliquo Apoſtolorum diſcipulo factam, & ab „ ipſis primis Eccleſiæ fundatoribus viſam, & ap„ probatam =. Hinc Sabatierus ſolum concedit Millio, poſt plurimorum annorum intervallum factam fortaſſis fuiſſe deliberationem de unica verſione inter varias exiſtentes ſeligenda, quæque ab omnibus in uſum publicum admitteretur, quæ poſtea verſio *Itala*, ſeu vulgata dicta fuerit, eo quod ab Eccleſia Romana inter alias ſelecta fuiſſet editiones, eo ferme pacto, quo in Tridentina Synodo, eſto decretum fuerit, quod vulgata noſtra, præ cæteris admittatur, tamen ante Tridentini decretum extabat. Verum eſt iſta mera conjectura nullo ſtabili innixa fundamento, ut opinamur. Id unum ergo nobis quam maxime vero proximum ſupereſſe videtur, Italam nempe verſionem ad Apoſtolicos Eccleſiæ Paſtores, qui ſcilicet Apoſto-

los

§. II.

Quis fuerit Vulgatæ Editionis Auctor,

III. TAmetsi præstantissimi hujus operis Auctor a plurimis jam sæculis, & viris aliunde oculatissimis inquisitus fuerit, nondum vero ex digito monstratus; nihilominus extra controversiam esse debet, veterem illam Editionem Latinam, si non aliquem ex SS. Apostolis auctorem habuit, saltem ex eorum Discipulis prodiisse. Cum enim Apostoli eorumque Discipuli per universum nundum Evangelium prædicaturi essent, a Christo Domino delegati, verisimile est divinas Scripturas, veluti cœleste pabulum Ecclesiis quas instituebant & formabant, in lingua cuique nationi vernacula tradidisse, ut assidua eorum lectione, veluti divino irriguo nascens eorum pietas aleretur, vegetaretur adolescens, & continuis incrementis magis ac magis in dies splendesceret.

In hoc ergo potissimum divina Christi D. potentia commendatur, ut quos Deus insano Babelicæ turris & civitatis Artificum consilio ad iram provocatus, linguarum confusione per varias Orbis regiones dissipaverat; eosdem adorandus ille Salvator in Ecclesiæ suæ gremium & unitatem per variarum linguarum charismata colligeret, & illam suam Ecclesiam revera cœlorum fastigia superantem, ex lapidibus vivis ædificaret. Unde cum Apostolos misit in universum mundum, ut *Omnes Gentes docerent, & omni creaturæ Evangelium prædicarent;* variarum linguarum donum & usum cælitus eis contulit, non solum, ut quæcumque Gens, eos sua in Lingua audiret loquentes magnalia Dei; sed etiam in easdem linguas transfusa divina Oracula legere & meditari assidue posset. Unde diserte declarat Theodoretus [a], *Universam faciem terræ, quantacumque Soli subiicitur, ejusmodi verborum Apostolicæ & Propheticæ doctrinæ plenam jam esse; Hebraicos vero libros non in unicum idioma conversos esse, sed in Romanam, Ægyptiacam, Persicam, Indicam, Armenam, Scythicam, adeoque Sauromaticam, uno verbo in omnes linguas.* Quæ cum ita sint, quis ambigere poterit Ecclesiam Romanam, quæ principem inter Ecclesias locum semper tenuit, & antiquarum traditionum tenacissima fuit, divinas Scripturas, quibus maxime firmari debebat & formari, ab Apostolorum Principe suo fundatore & institutore non habuisse in vernacula sibi lingua transfusas; aut saltem ab aliquo ejusdem Apostolorum verticis Discipulo, qui vetus ac novum Testamentum Latine redditum Ecclesiæ Romanæ omnium Ecclesiarum capiti & matrici consignaverit ad posteros continua successione propagandum. (3)

IV. Ea fuit dubio procul quæ idcirco *vetus* dicta est, quod cæteris esset antiquior, majoremque inter alias auctoritatem obineret, eo quod illam non solum Ecclesia Romana, sed & reliquæ Occidentales Ecclesiæ in usu frequentiori habuerint usque ad tempora S. Gregorii Papæ: hujus enim ætate & exemplo versio Latina a S. Hieronymo ex fontibus Hebræis expressa, tametsi a ducentis & amplius annis ab omnibus pene Ecclesiis neglecta; imo & a plurimis repudiata, usurpari cœpit & in pretio haberi a Fidelibus, quod inquit S. Isiodorus [b], *Esset verborum tenacior, & perspicuitate sententiæ clarior*, & insuper Hebraicæ veritati magis consona æstimaretur: Quamobrem ipsemet S. Gregorius Magnus [c] in Commentariis ad librum Job, utramque editionem *Veterem*. scilicet & *Novam* S. Hieronymi usurpare se profitetur. *Novam translationem differo:* inquit, *sed ut comprobationis causa exigit, nunc* NOVAM, *nunc* VETEREM *pro testimonio assumo: ut quia Sedes Apostolica, cui auctore Deo præsideo, utraque utitur; mei quoque labor studii ex utraque fulciatur*, Quibus verbis distincte significat, utramque versionem Latinam, veterem scilicet vulgatam ex Editione Græca LXX. Interpretum expressam, & novam S. Hieronymi ex Hebræo

[a] *Lib. 5. de curandis Græcor. affect.*

[b] *Lib. 6. Origin. cap. 3.*

[c] *Epist. ad Leandrum libris in Iob. præfix.*

los audierunt esse referendam; nec styli inconcinnitatem ejus temporis Latino eloquio non respondentem quis nobis obiiciat, ut recentiorem ætatem hujus versionis convincat; quandoquidem huic objecto cum Augustino Calmeto in *sua Dissert.* in Vulgatam occurremus duplici modo: primo, quod sit impossibile Latinam persequi elegantiam in versione librorum diversi idiomatis, si ad literam translatio elaboretur. Secundo a sacris Interpretibus, non humanæ sapientiæ & eloquii pompam, sed veritatem sententiarum, atque verborum, ne suæ interpretationis fides in discrimen revocaretur, fuisse servatam. (*W*)

(3) Non parum hæc Auctoris nostri sententia ex superiori nota (2) fulciminis est consecuta, qua peculiaris Italæ versionis existentiam, & antiquitatem demonstravimus, neque elanguescere poterit eadem, & si cum Millio in studiis scripturarum viro prorsus attrito, non unum eumdemque habuisse Interpretem vulgatam veterem supponamus, sed diversos pro Librorum divinorum diversitate translatores e Græco extitisse credamus, cum isti ad initium Ecclesiæ Latinæ esse potuerint. Ex styli comparatione, varios vulgatæ, seu Italæ Interpretes fuisse ostendi posse desperavit Millius, cum illius pervetustæ translationis codices interierint, nec iterum redimendi, atque e tenebris in lucem eruendi spes aliqua refulgeret eidem scriptori. Oppositum fortassis effinxisset judicium si Benedictinorum labores maxima cum gloria laudandos, quibus antiquam vulgatam ex antiquissimis monimentis extrahere, & publicæ utilitati restituere conati sunt potuisset intueri. Quamquam nec ex isto Bibliorum corpore satis inconcussam de styli diversitate in Autographo veteris vulgatæ sententiam decerni posse suspicamur, cum maxima divinorum librorum pars ex sanctorum Patrum operibus sit excerpta, qui diversis codicibus, diversisque lectionibus sæpe sæpius cum uterentur, diversam auspicabimur forsan styli rationem, quamquam ista non in prima versione Itala, sed in transcribentium, atque interpretantium ex Græco codicibus verosimilius extiterit. (*W*)

bræo textu confectam ætate sua in Ecclesia Romana fuisse in usu: ita tamen, ut nova veterem nondum excluderet, tametsi recentior illa versio veteri jam a plurimis præferri cœpisset. Unde ipsemet S. Gregorius [a] novam veteri etiam antepositi, *Quia*, inquit, *hæc nova translatio ex Hebræo nobis eloquio cuncta verius transfudisse perhibetur, credendum est quicquid in ea dicitur; & oportet, ut verba illius, nostra expositio subtilius rimetur.*

[a] *Lib. 2. Moral. cap. 24.*

Cum igitur recens hæc S. Hieronymi versio cæpisset in Ecclesiis legi, in Commentariis exponi, proferri in Conciliis, & a sacris Verbi Dei Præconibus in Fidelium conventibus usurpari, vetus illa, quasi jam minime necessaria esset, paulatim cœpit negligi, donec tandem omnino interiit. At quo tempore id factum sit, facile non est definire. Hæc enim recens editio prævaluit tacito potius Ecclesiæ Latinæ consensu, quam ullius Concilii vel Summi Pontificis decreto. Nam licet Hugo Victorinus [b] de Editione Latina S. Hieronymi scripserit, *Quia Hebraicæ veritati concordari magis probata est, idcirco Ecclesia Christi per universam Latinitatem præ cæteris omnibus translationibus, quas vitiosa interpretatio, sive prima de Latino in Græcum, sive secunda de Græco in Latinum facta corruperat, hanc solam legendam & in auctoritate habendam constituit:* Nihilominus tamen nulla, quam noverim, extitit unquam specialis ea de re Ecclesiæ sanctio; neque etiam aliquam ipse constitutionem profert, nec a quo, vel ubi, vel quando facta sit indicat. Sola igitur Ecclesiæ consuetudine sensim & sine sensu hæc editio prævaluit.

[b] *Lib. de Script. s. cap. 9.*

Non eodem tamen successu apud omnes Ecclesias auctoritatem obtinuit; illam enim citius aliquæ, aliæ tardius in usu & approbatione habuerunt. Vigebat apud Hispaniarum Ecclesias jam ab anno circiter DCXXX. scribit enim Isidorus Junior Hispalensis Episcopus, [c] qui circa eadem tempora floruit, *De Hebraico in Latinum eloquium tantummodo Hieronymus Presbyter sacras Scripturas convertit; cujus Editione omnes Ecclesiæ usquequaque utuntur.* Ubi per omnes Ecclesias, haud-dubie solas Hispanicas intellexit; neque enim in cæteris Provinciis eadem erat de Hieronymiana versione sententia; nam aliquæ illam omnino repudiabant; aliæ una cum veteri indiscriminatim usurpabant, etiam ad duodecimum sæculum usque. Præclara enim veteris illius Editionis vestigia adhuc supersunt; apud SS. Anselmum, Bernardum & alios Auctores, qui eadem ætate floruerunt; tametsi recens Editio magis eis allubesceret & frequentior fuerit in usu. Itaque Hieronymica versio veterem illam initio extrudere omnino non potuit, sed utraque paris, saltem apud quasdam Ecclesias, videbatur auctoritatis; donec tandem una ex utrisque mixta, hæc quæ nunc Vulgata dicitur, coaluit; quanquam ea majori ex parte Hieronymi editionem præ se ferat.

[c] *Lib. 1. de Officiis.*

V. Nullum itaque Veteris Editionis alicubi jam corpus integrum extat, solumque ex ea supereſt Psalterium cum illis Canticis quæ in divinis Officiis ab Ecclesiæ primordio solebant recitari. Sunt etiam aliquot illius particulæ, tum in Missarum Introitibus & Gradualibus quibusdam, nec non & in Commentariis veterum Ecclesiæ Doctorum, qui suam in elucidandis divinis Scripturis operam posuerunt, antequam S. Hieronymi versio prævaleret. Illam etiam ex antiquis Patrum monumentis instaurare nisus est. Flaminius Nobilius Herculeo plane & laude digno labore. Idcirco autem ab eo lugendo naufragio, in quo vetus illa Editio Latina periit, Psalterium illæsum servatum est, quod Fideles, maxime Clerici; in decantandis divinis Officiis Psalmos omnes ex usu quotidiano memoriter tenerent: nec ab eis obtineri potuit, ut veteri, cui assueverant, Psalmodia dimissa, aliam recentem ediscerent. (4)

Neque tamen Psalterium istud Latinum permanens idem omnino est, quod ante S. Hieronymi ætatem Fidelium manibus terebatur. Illud enim semel & iterum S. Hieronymus adornavit. Primum quidem jussu Damasi Papæ errores quosdam magis conspicuos emendavit, tum plebejos aliquot & soli Italiæ familiares loquendi modos, usitatio-

(4) Frassenius cum satis sit functus priusquam clarissimi viri Monachi Benedictini labores, curas, vigiliasque impenderent, & diligentiam, ut antiquam illam versionem Italam Providentiæ beneficio, ut ajunt in Præfatione, in venerandis servatam monimentis, hinc inde dispersam, naufragio temporis ereptam, dissipatam tamen quærerent, extraherent, atque ex extractis, & collectis, quæ dissipatæ erant, partibus repararent, & corpus Biblicum, si non integra puritate, atque incolumitate, qua fuit ab initio donatum, saltem quoad fieri potuit, restituerent; mirum non est quod solum ex ea supereſſe Psalterium, pronunciaverit. Monachi itaque isti publicæ utilitati admodum studentes, nullis pepercere laboribus, ut thesauro isto, non solum literatorum Rempublicam, sed Ecclesiam ipsam ditarent Latinorum itaque Patrum, qui præsertim ante versionem S. Hieronymi floruerunt opera omnia, codices antiquissimos probatæ fidei, optimæque notæ requirere, eosdem percurrere Monachos illos non est pertæsum, unde si caracteres attendantur, quos in Præfatione exposuerunt, prudenter judicari posse videtur, eorum interpretationem in lucem emissam illam eandem esse, quæ priscis Ecclesiæ temporibus fuit in usu. Celeberrimam itaque eorum editionem, quæ corpus, quamquam non integrum, antiquæ vulgatæ editionis merito dici potest, simul cum vulgata nostra publicarunt in tres partes, quarum quælibet duobus comprehenditur Tomis, distributam Parisiis anno reparatæ salutis nostræ 1751. Diu siquidem antea vir præclarus Flaminius Nobilius Lucensis in restituenda latina interpretatione ex LXX græco expressa labores consecraverat; verum, ajunt Benedictini, nullum ex codicibus, in quibus exarata erat vetus illa interpretatio Nobilius adhibuit, idque tantummodo animo videtur intendisse vir ille Clarissimus, ut versionem Græcam LXX, qualem exhibet codex vaticanus de verbo ad verbum restitueret; hinc scripturæ testimonia a Patribus usurpata si cum Græco convenirent ea in sua concinnanda Latina editione adhibebat; sin minus, quæ aptiora sunt visa suo arbitratu supplevit, ut ipsemet in Præfatione testatur; unde vastam, uberemque messem Monachis S. Benedicti intactam reliquit pro hoc negotio Nobilius, ut ipsi protestantur. (*w*)

tationibus apud omnes qui Latine loquebantur, commutavit: reliquam autem versionem ob Latini sermonis perspicuitatem & concinnitatem intactam reliquit, ut significat ipse Epistola ad Damasum: *Legi*, inquit, *Literas Apostolatus tui, poscentes ut secundum simplicitatem LXX. Interpretum canens Psalmographum, interpretari festinem propter fastidium Romanorum; ut ubi obscuritas impedit, apertius & Latine trahatur sensus.* Cum vero successu temporis Amanuensium incuria, aut psallentium & legentium ignorantia, plures in idem Psalterium irrepsissent mendæ, iterum illud ad instantiam Paulæ & Eustochii recudendum & adornandum suscepit, ut significat, ipse *Psalterium Romæ*, inquit, [a] *dudum positus emendaram, & juxta LXX Interpretes licet cursim, magna tamen ex parte correxeram. Quod quia rursum videtis; o Paula & Eustochium Scriptorum vitio depravatum plusque antiquum errorem, quam novam emendationem valere: me cogitis, ut veluti quodam novali scissum jam arvum exerceam & obliquis sulcis renascentes spinas eradicem: æquum esse dicentes, ut quod crebro male pullulat; crebrius succidatur. Unde consueta præfatione commoneo, tam vos, quibus forte labor iste desudat, quam eos qui exemplaria istiusmodi habere voluerint: ut quæ diligenter emendavi, cum cura & diligentia transcribantur. Notet sibi unusquisque vel jacentem lineam, vel radiantia signa, id est, Obelos vel Asteriscos. Et ubicunque viderit virgulam præcedentem: ab ea usque ad duo puncta, quæ impressimus, sciat in LXX. Interpretibus plus haberi. Ubi autem stellæ similitudinem perspexerit: de Hebræis voluminibus additum noverit æque usque ad duo puncta, juxta Theodotionis duntaxat editionem. Quæ simplicitate sermonis a LXX. Interpretibus non discordat.*

[a] Præfat. in Psalter.

VI. Priori emendatione Psalterii utebantur olim omnes Ecclesiæ Occidenteles, Romanæ præsertim cum omnibus suburbicariis, in quibus vetus illud Psalterium leviter a S. Hieronymo adornatum in usu fuit, usque ad Pium V. qui ipsum sustulit & in sola Basilica Vaticana reliquit, in qua nunc etiam religiose recitatur; & novissime sublatis mendis quæ irrepserant, pristinæ integritati restitutum est. Eadem versione, inquit Doctissimus Cardinalis Bona [b], utuntur hodie vetusto more Ambrosiani, licet alicubi discrepet a Romana. In Breviario quoque veteri Hispanico secundum regulam S. Isidori, quod Mozarabicum dicitur, extat idem Psalterium, quo utuntur in laudibus Clerici ex institutione Francisci Ximenez Archiepiscopi Toletani hoc ritu psallentes. In Italia juxta diœcesim Romanam & Mediolanensem, suspicor ejus usum sublatum ante annos plus minus sexcentos; nam Bruno Astensis ex Abbate Cassinensi Episcopus Segniensis, qui obiit anno MCXXV. initio expositionis Psalterii ait, *Cum adhuc adolescentulus essem, exposui Psalterium secundum aliam translationem; quæ videlicet translatio pluribus in locis tantum differt ab hac, qua utitur Romana Ecclesia, ut nullo modo secundum illius expositionem hæc translatio intelligi possit. Et illa quidem multos habet expositores: hanc autem si aliquis exposuerit nescio.* Exponit autem Psalterium illud vetus, quo suo tempore utebatur Romana Ecclesia, & postmodum semper usa est usque ad Pium V. ut dixi. Ex quo fit ut Romæ dumtaxat recitaretur, in aliis vero Italiæ Provinciis, illud in usu erat quod adolescens exposuerat, quodque jam multos habebat expositores, utpote ubique receptum. *Hæc ille.* Qui non absre miratur infra, cur Bruno Astensis dixerit sibi non esse compertum an Romanum Breviarum aliquis exposuerit: Nam, inquit, exposuerat Cassiodorus, cujus elegantissima commentaria eo tempore non erant ignota: Augustinus quoque in sua expositione Psalmorum, hanc versionem secutus est, quam omnibus præferendam esse docuerat: magnus item Gregorius semper in scriptis suis testimonia ex Psalmis secundum hanc versionem profert, ut ex collatione S. Paterii constat. Annotat ibidem eruditus Cardinalis Alexandrum IV. [c] mandasse Priori Generali Eremitarum S. Augustini ut Religiosi recitent Officium juxta morem Romanæ Ecclesiæ excepto Psalterio, nimirum illo veteri, quod jam solius urbis Romæ proprium erat. In quem etiam scopum collimasse videtur Seraphicus P. N. Franciscus, dum in Regula nostra [d] præcipit: *Clerici faciant divinum officium secundum ordinem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, excepto Psalterio, &c.*

[b] lib. 2. Rerum Liturgic. cap. 3. n. 5.

[c] in Constitut. quæ est sexta in Bullario Augustinensium.

[d] cap. 3.

VII. Posteriori vero Psalterii emendatione usæ sunt plurimæ Ecclesiæ Gallicanæ, statim atque istud Psalterium sic adornatum Orbi Christiano innotuit: ut affirmat Jacobus Faber Stapulensis [e], hoc ductus argumento, quod in vetustis Ecclesiarum Galliæ codicibus, Psalterium, illud Obelis & Asteriscis repererit annotatum, quemadmodum ipse S. Hieronymus se annotasse ad Paulam & Eustochium scripserat. Unde Psalterium istud primo quidem Gallicanum nuncupatum est: deinde vero cum ab aliis Ecclesiis etiam fuisset probatum & in usu receptum, tandem apud omnes Ecclesias, exceptа Vaticana, jam invaluit; illud enim est quod in Breviariis Romanis jussu Summorum Pontificum insertum fuit, & in divinis officiis usurpatum. Neque tamen quis existimet posteriorem hanc Psalterii Hieronymianam adornationem plurimum a priori discrepare; solum enim illæ differunt penes quasdam voces eundem sensum referentes, quæ interdum ter quaterve tantum in quolibet Psalmo diversæ occurrunt, ut legenti Psalterium quintuplex manifeste constabit.

[e] præfat. in Psalter. quintuplex ab ipso concinnatum.

VIII. Quoniam autem illæ duæ Psalterii emendationes ad textum Græcum, una ad purum LXX. Interpretum; altera ad Lucianæam editionem erant adornatæ, nec Hebraicis fontibus in plurimis responderent; cumque vix ex Psalterio illo usuali depromptis oraculis revinci posset Judæorum per-

vi-

vicacia: opponebant namque non ita in Hebræo textu haberi quæ ex Editione LXX. & Lucianæa eis obiiciebantur; uti contigit Sophronio, S. Hieronymo amicitiarum fœdere conjunctissimo cum Judæo quodam disputanti: ideo hic apud Hieronymum tantum egit, ut novam Psalterii versionem Latinam Hebræo textui exacte respondentem ab eo suis precibus extorqueret. Quoniam autem illa omnino diversa erat a veteri Editione Latina Psalterii, apud omnes Fideles recepti; idcirco hæc in divinis officiis & Fidelium Psalmodiis nullam unquam partem obtinuit, sed recondita jacet inter S. Hieronymi opera.

§. III.

Quanta fuerit S. Hieronymi in Scripturis sacris eruditio, & quam assiduus in eis vertendis & adornandis ipsius labor.

IX. EXimiam revera ac propè divinam in omnibus S. Hieronymi eruditionem fuisse norunt omnes, qui extremis etiam tantum labiis ejus opera delibarunt. Is „ enim fuit omnium doctrinarum genere ab- a *lib. 4. Bi-*
„ solutissimus, ait Sixtus Senensis, a quippe *bliothe.*
„ qui splendore sermonis, & eloquentiæ vi-
„ribus, in quibus sub Donato Grammatico
„ & Victorino Rhetore, clarissimis viris
„ profecit, omnes Latinæ Ecclesiæ Scripto-
„ res multo post se intervallo reliquit. Lin-
„ guarum quoque tantam habuit peritiam,
„ ut Græcam, Hebræam, Syram, Chal-
„ dæam & Latinam, omnes æque ac Dal-
„ maticam sibi maternam linguam teneret.
„ Sed & in scholis philosophorum nihil de
„ Aristotelis, Platonis ac Zenonis, hoc est
„ de Peripateticis, Academicis, Stoicis, re-
„ liquit intactum. Quibus instructus appa-
„ ratibus, contulit se ad sacrarum literarum
„ studia; usus in his Appollinari Laodiceno,
„ Didymo Alexandrino, & Gregorio Na-
„ zianzeno præceptoribus; sub quibus tan-
„ tam sibi divinarum rerum eruditionem
„ & eruditionis nomen comparavit, ut in
„ obscuris sanctorum voluminum difficulta-
„ tibus Romanus Pontifex Damasus, do-
„ ctissimus Augustinus, Paulinus, Chroma-
„ tius, Heliodorus, multique alii passim per
„ Italiam, Galliam, Hispaniam, Africam,
„ Palæstinam & Græciam, eruditissimi Epi-
„ scopi ad hunc unum confugerent tanquam
„ ad eum, qui multiplici linguarum varie-
„ tate adjutus omnes legisset divinæ Scri-
„ pturæ Interpretes, Græcos, Hebræos &
„ Latinos. *Hæc ille.* Quæ omnia luculen- b *lib. 1. ad-*
tissime confirmat S. Augustinus b scribens: *versus Ju-*
lian.
Sanctus Presbyter Hieronymus, Græco, Latino & Hebræo eruditus eloquio, ex Occidentali ad Orientalem transiens Ecclesiam, in locis sanctis, atque in literis sacris usque ad decrepitam vixit ætatem. Hic omnes, vel pene omnes, qui ante illum ex utraque parte Orbis de doctrina Ecclesiastica scripserunt, legit. Summam vero illius peritiam in linguis Hebraica, Græca & Latina, præsertim vero Hebraica alibi comprobat, etiam Judæorum testimonio. c c *lib. 18. de*
Civit. Dei,
cap. 43.
Non defuit, inquit, *Hieronymus Presbyter homo doctissimus, & trium linguarum peritissimus, qui non ex Græco, sed ex Hebræo in Latinum divinas Scripturas convertit: cujus tantum literarium laborem etiam Hebræi fatentur esse veracem.* Quæ si vera sint de antiquis Judæorum Doctoribus, multo magis de Recentioribus, qui S. Hieronymi laboribus uti non dedignantur. Quamobrem Rabbi Joseph Albo d, eum appellat *Sapientem Translatorem*: Elias autem Levita, *doctum Hieronymum*; Aben Ezra e, *Interpretem Christianorum*; quasi solus ille inter Christianos esset audiendus. Hæc omnia unico disticho præclare explicat S. Prosper de S. Hieronymo scribens: d *lib. fundamentor.* e *ad Psal. 3.*

Hebræo simul & Graio Latioque venustus
Eloquio, morum exemplum, mundique Magister,

Quantum vero laboris & studii in Hebraica præsertim lingua comparanda exantlaverit quosque præceptores habuerit, ipsemet diserte explicat, scribit enim: f *Dum essem* f *Epist. 2. ad*
juvenis, & solitudinis me deserta vallarent, *Rusin.*
incentiva vitiorum, ardoremque naturæ ferre non poteram, quem cum crebris jejuniis frangerem, mens tamen cogitationibus æstuabat. Ad quam edomandam cuidam fratri, qui ex Hebræis crediderat, me in disciplinam dedi, ut post Quintiliani acumina, Ciceronis fluvios, gravitatemque Frontonis, & lenitatem Plinii, alphabetum discerem, & stridentia anhelantiaque verba meditarer. Quid ibi laboris insumpserim, quid sustinuerim difficultatis, quoties desperaverim, &c. Præfat. autem in Danielem: *Ego adolescentulus post Quintiliani & Tullii lectionem ac flores Rhetoricos, cum me in linguæ hujus pistrinum reclusissem, & multo sudore multoque tempore vix cœpissem, anhelantia stridentiaque verba resonare; & quasi per cryptam ambulans, rarum desuper lumen aspicere; impegi novissime in Danielem, & tanto tædio affectus sum, ut desperatione subita, omnem laborem veterem voluerim contemnere.* Viginti & aliquot annis postea sedulo rursus literis Hebraicis operam navavit, cum scilicet Ægypto Hierosolymam rediisset; præceptoremque Judæum, quem vocat *Barrabanum*, magna mercede conduxit, de quo sic loquitur Epist. 65. *Putabant me homines finem fecisse discendi: veni rursum Hierosolymam & Bethleem: quo labore, quo pretio Barrabanum nocturnum habui præceptorem? timebat enim Judæos, & mihi alterum exhibebat Nicodemum.* Paulo ante dixerat: *Jam canis spargebatur caput.* Istum Barrabanum aliquando κατ' ἐξοχὴν Hebræum vo-

vocat; qui illum instituit, ut in Isaiam, cap. XXII.

Post aliquod tempus libros Paralippomenon interpretaturus, alterum Judæum a Tiberiade accersivit, de quo sic loquitur [a]: *Cum a me nuper literis flagitassetis, ut vobis Paralippomenon Latino sermone transferrem, de Tiberiade quemdam Legis Doctorem, qui apud Hebræos admirationi habebatur, assumpsi, & contuli cum eo, a vertice, ut ajunt, usque ad extremum unguem, & sic confirmatus ausus sum facere quod jubebatis.* De quarto mentionem facit præfat. in Job, sed tunc ita profecerat vir sanctus in literis Hebraicis, ut a Judæorum Rabbinis doctissimis, vix aliquid novi edoceri posset; de isto sic loquitur: *Memini me ob intelligentiam hujus voluminis Lyddæum quendam præceptorem, qui apud Hebræos primus haberi putabatur, non parvis redemisse nummis, cujus doctrina an aliquid profecerim, nescio. Hoc unum scio, non potuisse me interpretari nisi quod ante intellexeram.*

[a] *præf. in Paral.*

His præceptoribus quintum adhibuit pro comparanda lingua Chaldaica, de quo verba præf. in Daniel. faciens, scribit: *Verum exhortante me quodam Hebræo, & illud mihi crebrius in sua lingua ingerente, labor omnia improbus vincit, & qui mihi videbar stiolus inter Hebræos, cœpi rursus esse discipulus Chaldaicus: & ut verum fatear, usque ad præsentem diem magis possum sermonem Chaldaicum legere & intelligere, quam sonare.* Ex iis apparet quam impense ac studiose elaboraverit S. Hieronymus, ut Hebraicæ simul ac Chaldaicæ linguæ peritiam assequeretur, ut merito de Hebraica ejus peritia asserere possimus, quod Erasmus [b] de ejusdem eruditione Latina. „ In optimo, *inquit*, Theologiæ genere primas tenet D. „ Hieronymus, ut omnes post se longo relinquat intervallo: & adeo neminem habemus, quem ullo pacto cum hoc conferre possimus, ut inter tam innumerabiles Theologos, vix quenquam habeat & ipsa docta Græcia, qui nostrum æquet Hieronymum: si modo non unam aliquam laudem, sed universas ejus dotes simul expendas. Tantam in uno homine reperias „ sæcularium, ut vocant, literarum cognitionem; tantam omnis antiquitatis peritiam; tot linguarum absolutam scientiam; tam admirabilem locorum, & historiarum omnium notitiam; tam non vulgarem Mysticorum voluminum eruditionem; tantum inimitabilis eloquentiæ, tam exactum ubique judicium, tam sacrum afflati pectoris ardorem; rerum adeo diversarum, tam digestam ac præsentem memoriam, tam felicem juxta ac divitem mixturam: denique tanto lepore conditam severitatem. Ut quemadmodum oratores facundi, si cum Cicerone conferantur, protinus videntur obmutescere; ita omnes Doctores, quos citra collationem suspicimus, cum Hieronymo compositi, vix sapere, vix loqui, vix vivere videantur. *Hæc ille.* (5)

[b] *in Proœmia tom. 4.*

X. His itaque præclaris animi dotibus illustratus S. Hieronymus, Deo incitante & amicis adhortantibus, ad duplicem novam versionem cudendam, unam ex Græco LXX. Seniorum textu, & alteram ex Hebræis fontibus se se accinxit. Causæ vero quæ ad arduum hoc opus auspicandum stimularunt, prout ipse variis in locis agnoscit, & expendunt Morinus, Vvaltonus, &c. fuerunt multiplices: Primo namque animadvertebat plerosque Latinos Codices esse vitiosissimos, & unumquemque emendationis aut correctionis prætextu, ex LXX. Interpretum versione translationi Latinæ pro arbitrio vel addere vel subtrahere: Scribarum præterea hallucinatione, & incuria, in eosdem Codices varietates & corruptelas immanes obrepsisse. *Observabat insuper* Latinas omnes versiones a fontali & primitivo Hebraico textu plurimum discrepare. Tum quod rarissima essent suo tempore LXX. Interpretum pura exemplaria; qui enim eorum versionem ex Origenis Octaplis exscripserant, propter male locatos, truncatos, aut ablatos Asteriscos & Obeliscos, omnia susdeque in plurimis perfundarant. *Tum etiam* quod reliquæ versiones Græcæ quas suis Octaplis inseruerat Origenes, cum ab hominibus semichristianis & Apostatis fuissent editæ in odium fidei Christianæ, plurima Scripturæ loca perversa expositione corruperant: *Tum de-*

(5) Peroptime Hebraicum calluisse sermonem Maximum Ecclesiæ Doctorem S. Hieronymum præter sufficientissima a Frassenio recitata testimonia, compertum faciunt aliæ ejusdem S Hieronymi auctoritates, quamvis Christianæ humilitatis haud immemor de se aliquando scripserit S. Doctor = *Hebræorum sermonem ex parte didicisse, in Latino autem ab incunabulis inter Grammaticos, & Rethores, & Philosophos fuisse detritum:* Cæterum suam in Hebraico peritiam non obscure significavit Hieronymus præfatione in Tobiæ librum scribens „ Et „ quia vicina est Chaldæorum lingua sermoni He„ braico, utriusque linguæ peritissimum loquacem „ reperiens unius diei laborem arripui, & quid„ quid ille mihi hebraicis verbis expressit, hoc „ ego accito notario sermonibus Latinis exposui„ Quomodo autem potuisset Hieronymus verba Hebraice prolata in latinum tam cito sermonem convertere; nisi egregie in Hebræo sermone peritus esset? In Epistola ad Marcellam 136 fatetur aliquid a se in Latino sermone esse elegantiæ deperditum propter usum Hebraici idiomatis sibi familiarem „ Nos, „ ut scis, inquit, Hebræorum lectione detenti in „ latina lingua rubiginem obduximus, in tantum, „ ut loquentibus quoque nobis stridor quidam non „ latinus interstrepat. Unde ignosce ariditati „ Et tandem in fine Comment. in Aggæum subjungit „ Obsecro te, Lector, ut ignoscas celeri ser„ mone dictanti, ne requiras eloqui venustatem, „ quam multo tempore Hebrææ linguæ studio „ perdidi „. Plurima alia, quæ possent adferri prætermittimus; verum legantur S. Prosper Lib. de Ingratis cap. 2. Idatius in Chronico, Marcellinus comes in Chronico, Gennadius in S. Hieronymi vita Tom 4. veterum Analectorum, Cassiodorus de Instit. divin. Lit. capp. 15. & 21. Gregorius Magnus Præfat. expolit. Moral. in Job, & Lib. 20. Moral. cap. 23. Isidorus lib. 6. orig. cap 3. aliique percelebres scriptores; hinc legitime concludi potest vertionem a Sancto Hieronymo ex hebræo factam divinarum scripturarum legitimam esse, atque sinceram quam maxime, nullive suspicionis umbræ subjectam, quidquid in oppositum olim, & modo etiam in sanctum doctorem obtrectatores calumnientur. (*W.*)

denique quod ejuſmodi verſiones Scripturæ ſacræ veritati ac ſanctitati parum conſentaneas animadvertebat. Nam *Aquila*, ut ſupra ſignificavimus, non tantum vocum ſenſum, ſed & vocum Etymologias ſuperſtitioſe ſæpe ſectatus, obſcuriorem fecerat Scripturæ ſenſum. *Symmachus* ſolum ſenſum attendens, nec ſe verbis obſtringens longe a vera Scripturæ ſententia aberraverat: *Theodotion* vero licet medius incederet, & ab eruditis, præ reliquis Interpretibus probaretur; cum tamen a fide defeciſſet, ſæpe Scripturæ verba ingenioſe torquebat; ut ſuis erroribus patrocinium accerſeret. Itaque S. Hieronymus has verſionum omnium corruptelas animo revolvens, rem utilem Eccleſiæ ſe facturum exiſtimavit, ſi novam verſionem ex Hebraico fonte in Latinam linguam directe ac diſerte exprimeret; Cenſuit enim non aliter tanto malo remedium poſſe afferri: ubi namque rivuli turbidi diffluunt, e fontibus aquas haurire ſecurius eſt, niſi fontes rivulis conſtaret eſſe lutulentiores. Herculeo igitur plane conatu duplicem verſionem aggreditur; priorem quidem Latinam, ex LXX. Interpretum Græcis Codicibus ab Origene caſtigatis, qui incorrupte in Hexaplis proſtabant, emendare ac priſtino nitori reſtituere, ut ipſe teſtatur [a]; poſteriorem vero longo poſt hæc tempore cudere ex ipſis fontibus Hebræis, quam ingenti animo & laboribus indefeſſis tandem perfecit. At cum illa Hebræo textui proximius conſentiret, & a vulgata per omnes Eccleſias probata & uſurpata in plurimis differret, maximam ipſi Adverſariorum invidiam & infeſtationem conciliavit. Ut ipſe plerumque teſtatur in Præfat. ad libros vet. Teſt. quos ex Hebræo Latinos fecit.

[a] *In epiſt. ad Sunniam & Fretell.*

Non aliud autem ipſi fuiſſe conſilium, ipſe pluribi teſtatur, præſertim *Præf. in Paralip.* ubi ſcribit: *Si ſeptuaginta Interpretum pura, & ut ab eis in Græcum verſa eſt, editio permaneret, ſuperflue me Chromati Epiſcoporum ſanctiſſime, atque doctiſſime, impelleres, ut Hebræa volumina Latino ſermone transferrem. Quod enim ſemel aures hominum occupaverat, & naſcentis Eccleſiæ roboraverat fidem, juſtum erat etiam noſtro ſilentio comprobari. Nunc vero cum pro varietate regionum diverſa ferantur exemplaria, & germana illa antiquaque translatio corrupta ſit, atque violata, noſtri arbitrii putas aut e pluribus judicare quid verum ſit, aut novum opus in veteri opere cudere: illudentibuſque Judæis cornicum, ut dicitur, oculos configere? &c.* De corruptione LXX. Interpretum ſimilia habet præf. in Eſdram. De Eſtheris libro ſic teſtatur in ejus præfatione: *Quem librum Editio vulgata lacinioris hinc inde verborum ſinibus trahit, addens ea quæ ex tempore dici poterant & audiri: ſicut ſolitum ſcholaribus diſcipulis ſumpto themate excogitare, quibus verbis uti potuit, qui injuriam paſſus eſt, vel qui injuriam fecit.* Portentoſa magis teſtatur de Libro Jobi juxta vulgatam Latinam. *Cæterum apud Latinos ante eam translationem, quam ſub Aſteriſcis, & Obelis nuper edidimus, ſeptingenti ferme, aut octinginti verius ſeptuaginta & octoginta verſus deſunt, ut decurtatus & laceratus, corroſuſque liber fœditatem ſui publice legentibus præbeat.* Præfat. autem in Joſue lectorem ſic monet: *Quod ſæpe teſtatus ſum, ſciat me non in reprehenſionem veterum nova cudere, ſicut amici mei crimimantur, ſed pro virili parte afferre linguæ meæ hominibus (quos tamen noſtra delectant) ut præ Græcorum ἐξαπλοῖς, quæ & ſumptu & labore maximo indigent, Editionem noſtram habeant; & ſicubi in antiquorum voluminum lectione dubitaverint, hæc illis conferentes inveniunt quod requirunt: maxime cum apud Latinos tot ſint exemplaria quot Codices, & unuſquiſque pro arbitrio ſuo, vel addiderit vel ſubtraxerit; quod ei viſum eſt: & utique non poſſit eſſe verum quod diſſonat. Unde ceſſet accurato vulnere contra nos inſurgere Scorpius, & ſanctum opus venenata carpere lingua, &c.* Item: [b] *Sicut autem in novo Teſtamento, ſi quando apud Latinos quæſtio exoritur, & eſt inter exemplaria varietas, recurrimus ad fontem Græci ſermonis, quo novum ſcriptum eſt inſtrumentum: ita in veteri Teſtamento, ſi quando inter Græcos Latinoſque diverſitas eſt, ad Hebraicam recurrimus veritatem, ut quidquid de fonte proficiſcitur, hoc quæramus in rivulis.*

[b] *Epiſt. 102. ad Marcellam, & epiſt. 135. ad Sun. & Fretel.*

Habuit præterea piiſſimum aliud hujus novæ verſionis cudendæ incentivum, quod explicat circa finem præfationis in Iſaiam; Ne, inquit, *Judæi de falſitate Scripturarum Eccleſiis ejus* (Chriſti) *diutius inſultarent.* Inſultabant enim Chriſtianis Judæi, dicentes, Apoſtolos & Evangeliſtas plurima ex ſacris Codicibus teſtimonia citaſſe, quæ a textu primitivo & Hebraica veritate diſſiderent, ut ſunt illa ex Iſaia VI. *Dedit illi Deus ſpiritum compunctionis, oculos ut non videant, & aures ut non audiant, uſque in hodiernum diem:* Quem textum laudat Apoſtolus Romanorum II. Similiter illud Iſaiæ XXIX. *Qui crediderit in eum non confundetur,* quod Apoſtolus profert Rom. IX. Item illud Iſaiæ XL. *Flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ,* quod habet S. Lucas cap. III. v. 4. & plura alia his ſimilia, quæ vel in Hebræo non haberi, vel aliter contineri objectabant Judæi. Ad id itaque contulit nova S. Hieronymi ex Hebræis fontibus verſio, ut unde hæc genuina teſtimonia deprompta eſſent, appareret.

Aliam ſuſceptæ a S. Hieronymo ex fontibus Hebræis Editionis cauſam profert Vvaltonus [c] & ejus Exſcriptor [d] *Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ Compilator hodiernus* quod cum verſio, LXX. in plurimis, potius eſſet paraphraſis & commentarius, quam verſio, obſcura elucidans vel explicans, & ſenſum potius quam verba redderet; congruum erat aliam ex Hebraico textu de verbo ad verbum editionem cudi, qua oſtenderetur illos LXX. Seniores nihil Hebraicis fontibus contrarium & alienum Græce reddidiſſe. At quam confictitia ſit hæc conjectura, & a veritate aliena, ſatis ſuperque conſtat ex iis quæ dicta ſunt: translationem videlicet LXX. Interpretum, omnes quot quot erant

[c] *Proleg. 10.*
[d] *Diſſertat. de vulgat. Editione.*

Alexandriæ, Judæorum Sacerdotes & Principes approbasse; atque illam Hebræo textui fideliter correspondere fuisse attestatos. Verisimilius augurari videntur tam Vvaltonus ipse quam ejus Exscriptor, dum asserunt non sine uberrimo fructu susceptum fuisse a S. Hieronymo novam sacrorum Bibliorum Editionem, quod ex ipso rerum eventu, Prophetiæ ad Christum spectantes, quæ antequam implerentur, obscuræ erant, & ab Interpretibus clarissime reddi non poterant; eis jam impletis luculentius poterant explicari; idipsum namque affirmat ipse S. Hieronymus [a] suam cum editione LXX. translationem conferens; *Illi* inquit, *interpretati sunt ante adventum Christi, & quod nescie-bant, dubiis protulere sententiis. Nos vero post passionem & Resurrectionem ejus, non tam Prophetiam, quam Historiam scribimus. Aliter enim audita, aliter visa narrantur; quod melius intelligimus, melius & proferimus.*

[a] *Præfat. in Pentatteuch.*

XI. Tametsi vero S. Hieronymus propter eximium hunc assumptum laborem, Ecclesiæ Christi D. (ut eventus ipse comprobavit,) tantopere proficuum, ab omnibus celebrari debuerit; plurimos e contra passus est obtrectatores, in-primis vero Rufinum, qui nullis criminationibus pepercit, ut recentis hujus Scripturarum editionis fidem omnem & auctoritatem elevaret. Quin etiam acerrime in eam depugnavit S. Augustinus, qui cum S. Hieronymum nomine totius Africanæ Ecclesiæ fuisset adhortatus, ut in interpretandis eorum qui Græce Scripturas tractaverant, libris omnem suam operam poneret, ab editione vero ex Hebraico textu manum & calamum removeret, subjicit: Satis „ enim nequeo mirari, si aliquid adhuc in „ Hebræis exemplaribus invenitur, quod „ tot Interpretes, illius linguæ peritissimos, „ fugerit. Omitto enim LXX. de quorum „ vel consilii, vel spiritus majore concordia, „ quam si unus homo esset; non audeo in „ aliquam partem certam ferre sententiam, „ nisi quod eis præminentem auctoritatem „ in hoc munere sine controversia tribuendam „ existimo. Illi me plus movent, qui cum „ posteriores interpretarentur, & verborum „ locutionumque Hebræarum viam atque „ regulas mordicus (ut fertur) tenerent, „ non solum inter se non consenserunt, sed „ etiam reliquerunt multa, quæ tanto post „ eruenda & prodenda remanerent. Et „ aut obscura sunt aut manifesta. Si enim „ obscura sunt, te quoque in eis falli po- „ tuisse creditur: si autem manifesta, il- „ los in eis falli potuisse non creditur.

Epist. 8. *cap.* 2.

Rursus eum sic pungit Epistola decima [b]: „ Ego sane te mallem Græcas potius Ca- „ nonicas nobis interpretari Scripturas, „ quæ LXX. Interpretum auctoritae per- „ hibentur. Perdurum erit enim, si tua in- „ terpretatio per multas Ecclesias frequentius „ cœperit lectitari, quod a Græcis Ecclesiis „ Latinæ Ecclesiæ dissonabunt, maxime „ quia facile contradictor convincitur Græco „ prolato libro, id est Linguæ notissimæ. „ Quisquis autem in eo, quod ex Hebræo „ translatum est, aliquo insolito permotus „ fuerit, & falsi crimen intenderit; vix aut „ nunquam ad Hebræa testimonia perve- „ nietur, quibus defendatur objectum. Quod „ si etiam perventum fuerit, tot Latinas „ & Græcas auctoritates damnari quis fe- „ rat? Huc accedit, quia etiam consulti „ Hebræi possunt aliud respondere: ut tu „ solus necessarius videaris, qui etiam ipsos „ possis convincere; sed tamen quo judice, „ mirum si potueris invenire. Nam quidam „ frater noster Episcopus cum lectitare in- „ stituisset in Ecclesia, cui præest, inter- „ pretationem tuam, novit quiddam lon- „ ge aliter abs te positum apud Jonam „ Prophetam, quam erat omnium sensibus „ memoriæque inveteratum, & tot ætatum „ successionibus decantatum. Factus est tan- „ tus tumultus in plebe maxime Græcis ar- „ guentibus & inflammantibus calumniam „ falsitatis, ut cogeretur Episcopus (ea quip- „ pe civitas erat) Judæorum testimonium „ flagitare. Utrum autem illi imperitia an „ malitia, hoc esse in Hebræis Codicibus „ responderunt; quod & Græci & Latini „ habebant atque dicebant. Quid plura? „ Coactus est homo velut mendositatem „ corrigere, volens post magnum periculum, „ non remanere sine plebe. Unde etiam „ nobis videtur, aliquando te quoque in „ nonnullis falli potuisse. Et vide hoc qua- „ le sit in eis literis, quæ non possunt col- „ latis usitatarum linguarum testimoniis „ emendari.

[b] *cap.* 2. & 3.

„ *Urget tandem eum epist.* 19. [c] De inter- „ pretatione tua jam mihi persuasisti, qua „ utilitate Scripturas volueris transferre de „ Hebræis, ut scilicet ea, quæ a Judæis „ prætermissa vel corrupta sunt, proferres „ in medium. Sed insinuare digneris, peto, „ a quibus Judæis? Utrum ab eis ipsis, qui „ ante adventum Domini interpretati sunt? „ Et, si ita est, quibus, vel quonam eo- „ rum; an ab ipsis posterius, qui propter- „ ea putari possunt, aliqua de Codicibus „ Græcis, vel subtraxisse, vel magis corru- „ pisse, ne illis testimoniis de Christiana „ fide convincerentur? Illi autem anterio- „ res cur hoc facere voluerint, non inve- „ nio .... Ideo autem desidero interpreta- „ tionem tuam de LXX. ut & tanta Lati- „ norum Interpretum, qui qualescumque „ hoc ausi sunt, quantum possumus imperitia „ careamus: & hi, qui me invidere putant „ utilibus laboribus tuis, tandem aliquando, „ si fieri potest, intelligant; propterea me „ nolle tuam ex Hebræo interpretationem „ in Ecclesiis legi, ne contra LXX. auctori- „ tatem tanquam novum aliquid proferen- „ tes, magno scandalo perturbemus plebes „ Christi, quarum aures & corda illam in- „ terpretationem audire consueverunt, quæ „ etiam ab Apostolis approbata est. *Hæc S. Augustinus*, cui S. Hieronymus non sine bilis effusione respondit, ut constat ex illius epistolis ea de re ad eundem S. Augustinum datis.

[c] *cap.* 5.

Cum autem recentem hanc S. Hieronymi versionem potissimum criminarentur illius

lius Adversarii quod non alium ob finem eam fuisset auspicatus ex Hebræis fontibus, quam ut LXX. Seniorum interpretationem, quæ apud omnes Christi Ecclesias in magna veneratione erat, hac sua recenti versione conaretur de solio dejicere. Hanc criminationem ut a se amoliretur, sæpius profitetur suum erga LXX. versionem studium & cultum. Quam etiam divinam & in Spiritu sancto factam agnoscit: sic præfat. in Job. *Cogor*, inquit, *per singulos divinæ Scripturæ libros Adversariorum respondere maledictis, qui interpretationem meam, reprehensionem LXX. Interpretum criminantur.* Et paulo-post, suos criminatores sic interpellat: *Audiant canes mei, idcirco me in hoc volumine laborasse, non ut interpretationem antiquam reprehenderem, sed ut ea quæ in illa, aut obscura sunt, aut omissa, aut certe Scriptorum vitio depravata, manifestiora nostra interpretatione fierent; ut qui Hebræorum sermonem ex parte didicimus, & in Latino pene ab ipsis cunabulis inter Grammaticos & Rethores & Philosophos detriti sumus. Quod si apud Græcos post LXX. Editionem jam Christi Evangelio corrustante, Judæus Aquila & Symmachus ac Thedotio Judaizantes hæretici, sunt recepti, qui multa mysteria Salvatoris, subdola interpretatione celarunt; & tamen in ἐκκλησίαις habentur apud Ecclesias, & explanantur ab Ecclesiasticis viris: quanto magis ego Christianus, & de parentibus Christianis natus, & vexillum Crucis in meo fronte portans, cujus studium fuit omissa repetere, depravata corrigere, & Sacramenta Ecclesiæ puro & fideli aperire sermone, vel a fastidiosis, vel a malignis Lectoribus non debeo reprobari... Periculosum opus certe & obtrectatorum meorum latratibus patens, qui me asserunt in LXX. Interpretum sugillationem nova pro veteribus cudere.... Quid igitur, damnamus veteres? minime: sed post priorum studia, quod possumus, in domo Domini laboramus.* Unde contra Rufinum qui hoc ipsi objecerat, scribit: *Ego-ne contra LXX. Interpretes aliquid sum locutus, quos ante annos plurimos diligentissime emendatos meæ linguæ studiosis dedi, quos continue in conventu fratrum edisscro, ad quorum Psalmos jugi meditatione decanto; stultus eram, ut quod in pueritia didici, senex oblivisci vellem.*

Tametsi vero S. Hieronymus Latine dederit eos omnes Testamenti vet. libros, quos in suo Canone Judæi Hebraicos habebant, nempe Pentateuchum, Josue, Judices, Ruth, libros Regum, Paralippomenon, Esdræ, Esther, Job, Proverbia, Ecclesiasten, Canticum Canticorum, majores & minores Prophetas; exceptis pauculis in Daniele, Baruch, & epistola Hieremiæ, quibus etiam addidit Judith & Tobiam, ut constat ex præfationibus, quas hisce libris præfixit: non tamen universum vetus Testamentum, & eos libros qui tantum Græce habebantur, hac sua nova Editione Latina complexus est. Unde in vulgata nostra ex S. Hieronymi versione, non sunt Sapientia, Ecclesiasticus, Machabæi, Baruch, cum Hieremiæ adjuncta epistola, Appendiculæ libri Esther, Danielis, duo ultima capita & e capite III. Canticum trium puerorum, cum iis quæ antecedunt. Quæ omnia non vertit S. Hieronymus; Sive quod ea Hebraice scripta non repererit, cum ejus consilium esset ex Hebræo textu Scripturam transferre, ut inde haberent Christiani, quod adversus Judæorum dicteria, & in Christum blasphemias regerent: Sive quod eos a Judæis, non ut Canonicos libros censeri animadvertebat: quas utique rationes passim in præfationibus ad sacros libros insinuat. Psalterii autem translationem ab eo editam idcirco non admisit Ecclesia in officio divino, nec inter sacros libros in vulgata receptos, eo quod, ut diximus, cum hi Psalmi ex veteri vulgata LXX. Interpretum versione, quotidie in templis & Fidelium cœtu canerentur, jamque isti Editioni Ecclesiæ omnes assuevissent, plerisque ex memoria Psalmos recitantibus ac concinnentibus, nimis onerosum ac difficile fuisset novam inducere translationem, & ut ipse S. Hieronymus loquitur [a] *Senis linguam mutare, & canescentem jam mundum ad initia retrahere parvulorum.* Accedit quod S. Hieronymi versio pedetentim usu ipso & tacita Ecclesiæ Pastorum approbatione cœpit esse in pretio apud Fideles, hac æstimatione sensim sine sensu crescente: at res non potuit eodem modo se habere in Psalmis, cum illi ex nova illa versione in templis non recitarentur nec proinde in aliis sacris muniis usurpari facile possent, nisi eos ad quotidianum eorum cantum & usum Ecclesia assumpsisset.

[a] *præfat. ad Damas.*

Ad novum Testamentum quod attinet, probabilius apparet illud ex integro, non a S. Hieronymo fuisse Latine de novo translatum, sed tantum ab eo emendatum: non quidem forte quantum ad omnes partes, sed quantum ad Evangelia. Sic enim ipse significat lib. de Hist. Eccles. *Vetus Testamentum juxta Hebraicum transtuli, novum Græcæ fidei reddidi;* Quasi diceret; quæ emendanda erant, collata Latina versione, cum textu Græco exacte correxi. Hoc autem præstitit jussu Damasi Summi Pontificis: sic enim [b] ad eum scribit; *Novum opus me cogis facere ex veteri, ut post exemplaria Scripturarum toto Orbe dispersa, quasi quidam Arbiter sedeam; & quia inter se variant, quæ sunt illa, quæ cum Græca consentiant, veritate decernam. Pius labor, sed periculosa præsumptio, judicare de cæteris ipsum ab omnibus judicandum.* Et paulo-post subdit: *Igitur hæc præsens præfatiuncula pollicetur tantum quatuor Evangelia quorum ordo est iste, Matthæus, Marcus, Lucas, Joannes, Codicum Græcorum emendata collatione, sed veterum, quæ ne multum a lectionis Latinæ consuetudine discreparent, ita calamum temperavimus; ut his tantum, quæ sensum videbantur mutare, correctis, reliqua manere pateremur ut fuerant.* Quibus verbis aperte significat, non versionem, sed solum emendationem sibi arrogare; & nominare tantum Evangelia, licet alibi de

[b] *præfat. in Evang.*

toto novo Teſt. loqui videatur, Unde cum
[a] *epiſt. 10. cap. 4.* S. Auguſtinus ei [a] ſignificaſſet hoc opus eſſe ſibi acceptum; *Non parvas Deo agimus gratias*, inquit, *de opere tuo; quod Evangelium ex Græco interpretatus ſis, quia in omnibus fere nulla eſt offenſio, cum Scripturam Græcam contulerimus.* Ipſe S. Hieronymus reſpondit: [b] *Si me ut dicis, in novi Teſt. emendatione ſuſcipis exponiſque cauſam cur ſuſcipias; quia plurimi linguæ Græcæ habentes ſcientiam, de meo opere poſſent judicare: eandem integritatem debueras etiam in veteri credere Teſtamento, quod non noſtra confinximus, ſed ut apud Hebræos invenimus, divina tranſtulimus.* Ubi quod Auguſtinus *Evangeliorum verſionem* vocat, ipſe tantum *emendationem* dicit, & de novo Teſt. in genere loquitur. His omnibus ita libratis & diſcuſſis, jam examinandum ſupereſt, utrum libri illi veteris Teſtamenti, quos ex Hebræis Latinos fecit S. Hieronymus, iidem ſint, qui in vulgata hodierna leguntur; hæcque, quod attinet ad eos libros, pura puta ſit S. Hieronymi verſio. (6)

[b] *cap. 16.*

§. IV.

Quas partes in Vulgata hodierna S. Hieronymi verſio obtineat.

XIII. TRiplix præcipue fertur hac in re Auctorum ſententia. *Prima*, noſtram vulgatam Editionem ex integro tribuit S. Hieronymo: ita Picus Mirandulanus, ac Eugubinus, in libellis de hac ipſa difficultate editis, necnon Salmeron [c] &c. *Secunda* e diametro oppoſita, contendit S. Hieronymum nullam in hac noſtra verſione partem habere: ſic Pagninus, [d] & Paulus Sempronianus Epiſcopus; quibus plurimi e Novatoribus ſubſcribunt. *Tertia*, affirmat vulgatam noſtram, partim ex verſione S. Hieronymi, partim ex illa veteri conſtare; quam veriorem eſſe facile deprehendet, quiſquis maxime Prophetarum verſionem Latinam ex Hebræis fontibus, quæ inter S. Hieronymi opera extat, cum hodierna vulgata contulerit. Vix enim per integrum aliquod caput, unius verbuli inter utramque diſcrepantia occurrit. *Secundo* longe major eſt ipſius vulgatæ noſtræ Editionis, cum Hebræo textu conſenſio, quam cum Græco LXX. Seniorum; Hebræum enim ad verbum magis exprimit, quam Græcum textum: nullus autem poſt S. Hieronymum ad Pagninum uſque, Biblia ex Hebræo in Latinum tranſtuliſſe legitur; neceſſum eſt ergo, quod vulgata, maxima ex parte, ex verſione S. Hieronymi conflata ſit. *Tertio*, quæcumque S. Hieronymus teſtatur in libro *de optimo genere interpretandi*, & *Præfat. in Paralip.* in antiqua Latina e Græcis verſione defuiſſe, quæ ex Hebræo reſtituit, ac ſupplevit

[c] *in præfat. ad ſuam verſionem.*
[d] *lib. de die Paſſ. Domin.*

(6) Quo ordine, quove tempore ſingulos divini codicis libros converterit, S. Hieronymus incertum eſt, cum in ſua translatione ordinem Hebraici canonis minime ſervaverit, ſed modo unum, modo alterum veteris Teſtamenti librum, quemadmodum vel ab Epiſcopis, vel ab amicis exorabatur, converterit. Hanc autem Hieronymiani laboris ſeriem nobis in Prolegomeno 2. Benedictini Patres ad Bibliothecam divinam S. Hieronymi præmiſſo exhibent. Anno Chriſti 382, vel 383 primam ab Hieronymo Pſalterii emendationem factam opinantur; circa vero annum 389, aut 390 pro ſecunda vice Pſalterium tradunt emendatum, cui quidem emendationi tempus præciſum affigere nolunt, contendentes ſolummodo ante annum 384 eam fieri non potuiſſe. Secunda tamen hæc emendatio, ſi Vallarſium audiamus in Præfatione ad Tomum X. Operum S. Hieronymi præfixa eadem omnino invenietur cum emendatiſſima illa verſione, quam ex LXX expreſſit S. Doctor ſigniſque Obelorum notavit, & aſteriſcorum, eamdemque in Epiſtola ad Suniam, & Fretelam indicavit; hinc deceptum eſſe Natalem Alexandrum in diſſert. 29. in Hiſtoriam Eccleſ. ſæculi quarti art. 3. ubi quater laboraſſe ait S. Hieronymum circa Pſalterium, audacter adſirmat. Totum deinde vetus Teſtamentum latine ex Græco fuiſſe ab Hieronymo converſum, eo temporis intervallo, quod ab anno 385 uſque ad 390 interceſſit Maurini Patres arbitrantur, quamquam celeberrimus iſte S. Doctoris labor non integer ad nos uſque pervenerit, eo quod vel temporis injuria, vel fraudatorum invidia maxima illius pars interierit, ut colligi poteſt ex Epiſt. S. Hieronymi 94 Sancto Auguſtino verſionem illam expoſcenti ita reſcribentis „ Grandem latini ſermonis in iſta Provincia Notariorum patimur penuriam & idcirco „ præceptis tuis parere non poſſumus, maxime „ in editione LXX, quæ aſteriſcis, verubuſque „ diſtincta eſt. Pleraque enim prioris laboris fraude cujuſdam omiſimus „ Omnium veteris teſtamenti librorum primos Hieronymus vertiſſe creditur hiſtoricos Regum ex Hebræo; Pſalterium deinde, poſtea libros Job, & ſexdecim prophetarum; libros deinde Salomonis, ſed præſertim Eccleſiaſten, qui verſus eſt ad finem quinquennii poſtquam Roma diſceſſerat, ut in ſua Epiſtola 116. adſeritur ab Hieronymo, proindeque ante annum 390; de horum librorum verſione verba facit in Epiſtola etiam ad Pammachium, quæ data creditur anno 393. Libri Eſdræ & Nehemiæ circa annum 394 verſi ex Hebræo exiſtimantur a Benedictinis Monachis, & Vallarſio, quemadmodum, & Geneſis liber hoc ferme tempore translatus ſupponitur. Paralipomena converſa ad annum circiter 396 judicantur, cum in eorum Præfatione meminerit S. Interpres Epiſtolæ 101 ad Pammachium, quæ ad annum 395 a Vallarſio ſcripta judicatur. Quatuor alii Pentateuchi libri, quemadmodum Joſue, Ruth, & Judicum poſt S. Paulæ obitum, poſt annum nempe 404 translati creduntur a Maurinis Monachis, Vallarſius vero circa octateuchum anno circiter 398 inſudaſſe Hieronymum opinatur. Judithæ, atque Tobiæ libros ad quæ poſſimus referre tempora circa eorum verſionem facile ex Præfationibus S. Hieronymi inferri poſſet, ſi clare ad quorum preces Judithæ hiſtoriam transtulerit nobis indicaſſet, ſicuti Tobiæ verſionem palam fecit. Si Tillemontium audiamus ad preces Paulæ, & Euſtochii filiæ ejus Judithæ hiſtoriam eſt interpretatus: Chromatio autem, & Heliodoro hunc S. Hieronymi laborem fuiſſe conſecratum defendit Vallarſius, qui ulterius Eitheris librum ultimo loco ex Hebræo in Latinum fuiſſe converſum opinatur. Neque a ſua ſe ſinit removeri ſententia, quamquam in ejus libri Præfatione Paula memorentur, & Euſtochium, quippe non Paulæ Euſtochii Matris, ſed Paulæ alterius junioris Euſtochii ipſius ex fratre neptis meminiſſe Hieronymum ibidem, contendit. Quæ divini fœderis volumina verterit Hieronymus, quæque ſolummodo emendaverit traditur ab Auctore noſtro ſub hoc num. XII. (*w*)

vit in nova ſua verſione, inveniuntur in editione noſtra vulgata, ut illud Oſeæ XI. v. 2, *Ex Ægypto vocavi filium meum*. Zachariæ XII. *Videbunt in quem transfixerunt*. Iſaiæ LXIV. *Oculus non vidit, &c.* Similiter plurima quæ in antiqua vulgata aliter legebantur ac in Hebræo, eadem jam in noſtra Editione, uti in Hebræo reperiuntur; idque eo modo quo legenda cenſuit S. Hieronymus: ſic Geneſ. II. v. 2. olim ex Græcis legebatur; *Complevit Deus die ſexto opus ſuum*; nunc juxta Hebræum legimus *die ſeptimo*, Ibidem v. II. olim, *Immiſit ergo Dominus Deus ecſtaſim in Adam*, nunc *ſoporem*. Ibidem v. 23. olim, *Hæc vocabitur mulier, quoniam de viro ſumpta eſt*. Nunc *Vocabitur virago*. Ibidem cap. XIII. 13. olim, *Viri Sodomorum erant mali & peccatores in conſpectu Dei*: nunc; *Homines autem Sodomitæ peſſimi erant, & peccatores coram Domino nimis*. Ibidem cap. XXXV. 16. olim; *Egreſſus inde venit in Hippodromum: nunc Egreſſus inde venit verno tempore*. Jonæ IV. 6. & ſequentibus, *Præparavit Dominus Deus cucurbitam*: nunc, *hederam*. Quæ utique ultima mutatio & diverſitas inter novam S. Hieronymi verſionem & veterem, cum graves in Africa tumultus plebis adverſum Epiſcopum ſuum excitaſſet, ut ad S. Hieronymum ſcripſit S. Auguſtinus [a] ſupra laudatus; ſe recte vertiſſe reſpondet S. Hieronymus: [b] *In eo*, inquit, *loco ubi Septuaginta Interpretes cucurbitam & Aquila cum cæteris hederam tranſtulerunt, id eſt, κίκιον, in Hebræo volumine* CICEION *ſcriptum habetur, quam vulgo Syri* CICEIAM *vocant. Eſt autem genus virgulti lata, habens folia in modum Pampini: cumque plantatum fuerit, conſurgit in arbuſculam abſque ullis calamorum, & haſtilium adminiculis, quibus & cucurbitæ & hederæ indigent, ſuo truncо ſe ſuſtinens. Hoc ergo verbum de verbo ediſſerens, ſi* CICEION *tranferre voluiſſem, nullus intelligeret: ſi* CUCURBITAM, *id dicerem, quod in Hebraico non habetur;* HEDERAM *poſui, ut cæteris Interpretibus conſentirem*. Quarto denique in eadem epiſtola S. Hieronymus teſtatur ſe in omnibus fere libris, quos ex Hebræo traduxit, præfationes præfixiſſe, quas in omnibus noſtris vulgatis Bibliis adhuc ſingulis præfixas videmus: at veriſimile non fit S. Hieronymum præfationes ſuas alienæ verſioni, ſua editione rejecta, affixiſſe: itaque probabiliſſimum fit vulgatam noſtram verſionem, conſtare maxima ex parte ex nova editione S. Hieronymi.

[a] *epiſt. 10.*

[b] *in epiſtola quæ eſt 11. inter epiſt. S. Auguſt. cap. 7.*

XIV. Nihilominus tamen veriſimilius eſt, eam, etiam quod ſpectat ad libros quos ex Hebræo fecit S. Hieronymus, non eſſe puram putam illius verſionem; ſed in plurimis immutatam & mixtam. *Primo* quia S. Hieronymus ſæpius profitetur ſe ſuam verſionem ſecundum Hebraicam veritatem edidiſſe; [c] unde ad Judæos provocat, annon fideliter ex Hebræo verterit: *Quid*, inquit, *Interpretem lanient? interrogent Hebræos, & ipſis Auctoribus translationi meæ vel arrogent vel derogent fidem*. Et præfat. in librum Eſther, ſic Paulam & Euſtochium Hebraicam linguam callentes alloquitur: *Tenentes adhuc Hebraicum librum, per ſingula verba novam translationem aſpicite, ut poſſitis agnoſcere me nihil etiam augmentando, addendo, ſed fideli teſtimonio ſimpliciter, ſicut in Hebræo habetur, hiſtoriam Hebraicam Latinæ linguæ tradidiſſe*. At vulgata noſtra Editio plerumque ab Hebræo diſcordat, & cum LXX. Editione convenit, ut innumeris exemplis liquet, quorum nonnulla profert Vvaltonus, quæ hic attexam. Geneſ. IV. 8. verba illa *Egrediamur foras*, non ſunt in Hebræo; habet tamen vulgata una cum LXX. Geneſ. VIII. 7. in Hebr. eſt, *Corvus exibat exeundo & redeundo*; at legit vulgata cum LXX. *Egrediebatur & non revertebatur*: Geneſ. IV. 15. לכן *Propterea quicunque occiderit Cainum*: At vulgata cum LXX. Sym. & Theodot. legerunt diviſim לא כן *Nequaquam id fiet*. Joſ. XXI. 37. pro nomine civitatis *Kedemoth*, legerunt LXX. κεδρών; quibus conſentit vulgata, quæ habet *Jethſom*. I. Sam. X. 19. in Hebræo eſt, *Et dixiſti* לו *ei*: ubi LXX. & vulgata legerunt לא *Nequaquam*. I. Sam. IX. 25. addit vulgat. ex LXX. verba hæc quæ non ſunt in Hebræo; *Stravitque Saul in ſolario & dormivit*. Job. I. 21. deſunt in Hebræo hæc quæ LXX. & vulgata habent: *Sicut Domino placuit, ita factum eſt*. Thren. III. verſ. ultimo in Heb. *Dabis ipſis obfirmationem cordis, maledictionem tuam eis*; Vulgat. & LXX. legunt *laborem tuum*. Oſeæ X. 14. pro בית ארבאל legerunt ירבעל, *Jerobaal a domo ejus qui judicavit Baal*. Multa alia proferri poſſunt, ubi relicto Hebraico, Vulgata ſequitur Septuaginta.

Inſuper verſio noſtra plurima retinet, quæ aliter vertenda ipſemet judicat S. Hieronymus: Ponam exempli cauſa ex utroque Teſtamento aliqua I. E VETERI Geneſ. I. 2. pro *Spiritus ferebatur ſuper aquas*, mallet *Spiritus incubabat*, aut *confovebat*. Ibidem cap. III. 8. pro *Paradiſum voluptatis*, vertit *Paradiſum in Hedenis*. Ibid. v. 15. magis probat, *Sumpſit Deus hominem*, quam *tulit*, Geneſ. III. 8. *In Paradiſo ad veſperam*, quam *Ad auram poſt meridiem*. Ibidem v. 14. *Pulverem comedes*, quam, *Terram comedes*. Ibid. cap. IV. 4. *Et inflammavit Dominus ſuper Abel*, quam, *Et reſpexit Dominus ad Abel*. Ibid. v. 8. ſuperfluere ait illud: *Egrediamur foras*. Iſaiæ cap. I. v. 2. *Audi cœlum*, quam *Audite cœli*. Et ibid. *Filios genui*, quam *enutrivi*. Ibid. v. II. *Plenus ſum holocauſto arietum*, quam, *Plenus ſum, holauſta arietum, &c.* Ibid. v. 12. *Calcare atrium meum non apponetis*, quam *ut ambularetis in atriis meis*. Ibid. v. 14. *Facta ſunt mihi in ſatietatem*, quam, *moleſta*. Ibid. v. 30. *Erunt enim quaſi terebinthus*, quam, *Cum fueritis velut quercus*. Ibid. cap. V. 2. *Vineam ſorec*, quam, *Vineam electam*. v. 20. *Qui dicunt malo bonus es, & bono malus es*, quam, *Væ qui dicitis malum bonum, & bonum malum* Ibid. cap. LIII. 8. in ſuo textu *Percuſſit eos*, quam *Percuſſit eum*. II. E NOVO *l.* Gal. XVII. *Non contuli cum*

[c] *Prolog. Galeat. & in præf. in Eſdram.*

car-

carne; quam, *Non acquievi carni* Ibid. c. III. v. 1. Omittit verbum, *Obedire* vel *Credere*: Epheſ. c. 1. 14. *Qui eſt arrha hereditatis noſtræ*, quam *Qui eſt pignus*. Ibid. cap. IV. 19. *Qui indolentes*, quam, *deſperantes*.

Ex his itaque & aliis innumeris, qui proferri poſſunt locis, concludere licet, vulgatam noſtram Editionem non eſſe puram Hieronymi verſionem, ſed ex Hieronymi aliiſque præſertim ex vulgata veteri mixtam eſſe, quod aperte teſtatum habemus in ipſa præfat. Bibliis noſtris vulgatis auctoritate Clementis VIII. repurgatis & publicatis præfixa: ubi hæc verba leguntur, *Latinam hanc Editionem ex S. Hieronymi translatione, vel emendatione ſuſceptam, partim retentam ex antiqua verſione Latina, quam S. Hieronymus* COMMUNEM *&* VULGATAM, *S. Auguſtinus* ITALAM, *S. Gregorius* VETEREM *translationem appellat*. Idem habet Fortunatus Fanenſis [a] ab Vvaltono laudatus, *Licet* (vulgata inquit) *aliquandiu S. Hieronymi eſſe credita fuerit; tamen ut Majoribus noſtris, quaſi per manum traditum eſt, partim ex antiquiſſima & vetuſſima Editione Latina, quam S. Hieronymus* COMMUNEM *&* VULGATAM, *Auguſtinus* ITALAM, *Gregorius* VETEREM *appellat, retentam eſſe; partim ex Hieronymi verſione, ex Hebræo nata eſt*. Suſcribit etiam Bellarminus [b] ubi ait: *Vulgatæ editio non eſt unius Auctoris ſed quædam habet ex S. Hieronymo, quædam ex Luciano, quædam ex Theodotione, quædam ex alio quodam Interprete innominato.*

[a] *præfat. de variis tranſlation.*

[b] *lib. 2. de verbo Dei cap. 11.*

Præ cæteris vero idipſum diſerte pronuntiat Baronius, [c] ubi originem & occaſionem hujus permixtionis aperiens ſcribit: Accidit autem Gregorii tempore (quoto vero potiſſimum anno, quove Auctore, incertum remanet) ut quoniam duæ ſimul Editiones vulgatæ, vetus & nova, diſſenſionum ac contentionum interdum miniſtrarent occaſionem; in diverſa ſtudia Fideles ea in re diſtraherentur ab invicem, dum alii veterem, novam alii ſequerentur, turbas cieret, alteramque defendens, in alteram minus digne inveheretur; eſſetque ea diverſitas veluti ſeminarium jurgiorum, ac turpem ederet Eccleſiæ faciem, dum in divinis laudibus, cæteriſque ſacris officiis, alii aliam pſallendo, legendo, concionando, tractando, conſectarentur: ut hac ex parte pene diviſa ſchiſmate Eccleſia videretur. Sed divino afflante Numine proviſum eſt, optimeque conſultum, ut ad Eccleſiaſticum communem uſum una ex duabus, quæ uſui omnibus eſſet Eccleſiis, conflaretur, quæ communis omnibus, atque *vulgata* uno nomine a cunctis diceretur, exploſa illa veteris & novæ nomenclatura; reſque evenit ex ſententia, ut, eam unam Occidentali Eccleſia uſu recipiente, omnis mox ea de re ceſſaverit controverſia, omneſque ſicut una fide compaginati, ita uno ſpiritu; unoque ore Chriſtum Dominum una cum Patre & Spiritu ſancto laudibus aſſidue celebrarent: licet alicui Eccleſiæ, venerandæ antiquitatis ergo, permiſſum fuerit veterrimâ illa LXX. in pſallendo uti Editione; cum alioqui eadem, ſed a S. Hieronymo emendata, reliquæ omnes utantur Eccleſiæ. *Addit num.* 50. Cum igitur ex veteri & nova, ut dictum eſt, collecta una fuerit communis Editio, illud accidit, ut cum totius Orbis Occidentalis magna conſentione iſta reciperetur, duæ illæ vetus & nova vulgatæ, quæ frequentiori uſu præ manibus omnium eſſent, quaſi minime jam neceſſariæ viderentur, paulatim negligi atque deperire propemodum ſinerentur. *Hæc Baronius*. Ex his facili negotio fieri poteſt ſatis eis omnibus momentis quæ proponi ſolent adverſus hanc noſtram aſſertionem, nempe quod vulgata noſtra majori ex parte conſtet verſione S. Hieronymi. (7)

[c] *ad ann. Chriſti 131. num. 48.*

XV. Opponunt enim 1. in hac nova noſtra Editione plurimi inveniuntur ſolœciſmi, barbariſmi, & multa hyperbata, ac nonnulla

(7) Si quis eo perducat diſputationis ſummam, ut abſolute velit vulgatam noſtram Divinæ Scripturæ lectionem a Sixto V. deinceps vero a Clemente VIII. Romanis Pontificibus emendatam, & approbatam partim ex S. Hieronymi verſione, partim vero ex vetuſta illa vulgata, cujus S. meminit Auguſtinus lib. 2. de Doctr. Chriſtiana cap. 15. tuiſſe conflatam; nullum ſe habiturum ἀνδιξῦν φρένιμον opinamur indubie cum ſatis ex Hieronymi geſtis ſit compertum nonnullos veteris Teſtamenti libros haud ex Hebræo fuiſſe ab eodem converſos latine; novum autem Teſtamentum emendatum quidem, atque Græcæ veritati reſtitutum juſſu Damaſi Papæ, ſed ut in Eccleſia legebatur, fuiſſe retentum. Dubium igitur eo tendere poteſt, ut ſolos veteris Teſtamenti libros, quos ex Hebraico vertit S. Hieronymus, reſpiciat; num videlicet iſti prout a S. Doctore translati fuerunt in codice vulgatæ hodiernæ divinarum ſcripturarum lectionis inſerti ſint, vel potius ab aliquo poſt S. Hieronymi ætatem Interprete, aut correctore caſtigati, correcti, & variati aliis divinæ Scripturæ libris ſint adjuncti, atque ita Codex, ſeu corpus vulgatæ hodiernæ lectionis ſit elaboratus? Plurium, & quidem perilluſtrium virorum tam ex Catholico-Romana Comunione, quam ex Proteſtantium ſectis ea fuiſſe videtur opinio, ut S. Hieronymi verſio nullam in vulgata noſtra partem ſit conſecuta, quod tamen ex dicendis vere falſitatis convincitur. Alii vero probabiliorem exiſtimavere ſententiam, quæ Hieronymianam verſionem non puram omnino, prout a S. Doctore fuerat concinnata, ſed mixtam, & in pluribus permutatam judicat Sacro Codici eſſe inſutam; idque variis demonſtrare nititur textibus, de quibus Auctor noſter ſub num. XIV. diſputat. Veruntamen ſi animo præjudiciorum experte vulgatæ noſtræ libros, cum antiquiſſimis S. Hieronymi codicibus, in quibus ejus verſio ex Hebræo continetur, comparemus, in paucis adeo diſcrepare invenientur ut in utriſque unus, idemque calamus ſcripſiſſe revincatur; hinc ob textus ab Auctore noſtro propoſitos non erit, cur vulgatam noſtram genuinam eſſe Hieronymi verſionem non poſſimus ſaltem exercitationis gratia defendere, iis tamen in libris, qui ab Hieronymo translati ſunt. Varii hoc aſſumptum noſtrum argumentis fulcire poterimus, in primis ex Auguſtini Steuchi Eugubienſium Epiſcopi peculiari libello hac de re edito deſumptis, deinde ex Alphonſi Salmeronis Prolegom. 3. ad commentaria divinæ ſcripturæ, aliorumque non paucorum inſignium doctorum. Nobis id unum eſt ante omnia animadvertendum in præſens S. Hieronymum ſcilicet non literam præciſe in ſua ex Hebraico adornanda verſione retinuiſſe, ſed potius ſenſuum veritatem, ut ipſe in Epiſtola ad S. Auguſtinum, quæ eſt inter Auguſtinia-

nulla parum accommodate versa, & minus latine expressa, obscure & ambigue interpretata: At ista omnia Hieronymi elegantiam ac puram putam latinitatem non redolent. Itaque immerito hæc versio aliqua ex parte Hieronymo tribuitur.

Verum his criminationibus occurrit ipsemet S. Hieronymus [a]; scribens nil mirum quod Latina Editio minus adornata sit; nec fontium elegantiæ respondeat; neque enim optimi Interpretis est in singulis verbum de verbo transferre, & eadem concinnitate in

[a] *in præf. ad Chronic. Eusebii.*

stinianas XI. confitetur „ ibi græca transtulimus, „ inquit, hic de ipso Hebraico quod intelligebamus expressimus sensuum potius veritatem, „ quam verborum interdum ordinem conservantes „. Id autem ab Hieronymo cur sit præstitum ab eodem S. Doctore audire poterimus ita in Præfat. ad Chronicon Eusebii scribente „ Difficile „ est alienas lineas insequentem non alicubi excidere: arduum, ut quæ in aliena lingua benedicta sunt, eumdem decorem in translatione conservent. Significatam est aliquid unius verbi proprietate, non habeo meum, quo id efferam, & dum quæro implere sententiam, longo ambitu vix brevia spatia consumo. Accedunt hyperbatorum anfractus; dissimilitudines casuum; varietates figurarum; ipsum postremo suum, &, ut ita dicam, vernaculum linguæ genus, ii ad verbum interpretor, absurde resonat; si ob necessitatem aliquid in ordine, vel sermone mutavero, ab interpretis videbor officio recessisse... Quod si cui non videtur linguæ gratiam in interpretatione mutari Homerum ad verbum exprimat in Latinum. Plus aliquid dicam, eumdem sua in lingua prosæ verbis interpretetur; videbis ordinem ridiculum, & poetam eloquentissimum vix loquentem „ In Epistola 101. ad Pammachium subjungit „ Verum ne meorum scriptorum parva sit auctoritas, quamquam hoc tantum probare voluerim, me semper ab adolescentia non verba, sed sententias transtulisse... Alii „ syllabas aucupentur, & Literas: tu quære sententias „ Hoc S. Hieronymi adsertum innumeris ejusdem S. Doctoris testimoniis ostendi posset, quæ in Prophetarum commentariis, & in Apologiis adversus Ruffinum perleguntur. Neque eo tantum processit in sua translatione S. Pater, ut sensum potius insectaretur, quam verba; sed insuper antiquiorum Interpretum Symmachi videlicet, Aquilæ & Theodotionis sensa deligeret, suo proprio relicto, cum Hebraicæ veritati consona reperiebantur; ita animadvertunt ad plura Hieronymianæ translationis loca recentes illius Codicis Editores. Hinc autem contigisse videtur mixtio quædam variarum interpretationum in vulgata S. Hieronymi versione ex Hebræo, proindeque & in vulgata hodierna eamdem permixtionem si adinveniamus, id argumento nobis esse non poterit ad statuendum vulgatam nostram integrum, atque legitimum fœtum S. Hieronymi non esse; quemadmodum etiam, quod aliquando in suis commentariis adverterit Hieronymus sententiam, seu verbum aliquod diversimode legendum, vel emendandum esse in sua ex Hebræo translatione, non propterea eamdem a S. Doctore ablegandam opinabimur. Alterum autem disputationis nostræ fundamentum ex comparatione ducimus repetendam lectionis nostræ hodiernæ Bibliorum cum lectione versionis Hieronymianæ, quæ ex vetustissimis codicibus a Maurinis Monachis primo edita, deinde ad alia antiquissima manuscripta exemplaria S. Doctoris a Vallarsio collata fuit, atque emendata. Versionem hanc, de qua loquimur, tanquam genuinam, aut saltem ad genuinam S. Interpretis versionem quam maxime accedere satis demonstrant in suis Præfationibus præclarissimi Editores. Si igitur res in vobis contingeret, nobis alteram ex nostra hac adsertione, seu disputatione utilitatem proventuram quodammodo intuemur, scilicet ad Hebræorum codices, atque fontes recurrendum

versione cuncta reddere qua in authographo exarantur, sed interdum paraphrastice vertendum est quod non nisi dure aliter interpretatur; idque se fecisse ait in orationibus Demosthenis & Æschinis: *Difficile est alienas lineas insequentem non alicubi excedere: arduum, ut, quæ in aliena lingua bene dicta sunt, eumdem decorem in translatione conservent. Significatum est aliquid unius verbi proprietate; non habeo meum, quo id efferam: & dum quæro implere sententiam, longo ambitus vix brevia spatia; consummo.*

Acce-

non fore, ut limpidam, atque puram divini verbi aquam hauriamus: Ingenuum quippe summopere, hebraicæ linguæ intelligentem quam maxime fuisse S. Hieronymum satis de seipso adversus obrectatores suos, dum adhuc in vivis ageret demonstravit. Si tamen quid ex Librariorum incuria additum est, aut variatum, id varietatem versionis non arguere quispiam concedet. Ad examen itaque variantes reducantur, de quibus disputat Frassenius sub num. XIV, cum aliis suæ sententiæ Patronis.

Ajunt itaque deesse in Hebraico Genes. 4. ỳ. 8. hæc verba *Egrediamur foras*. Eodem capite ỳ. 15. deest hæc negativa *Nequaquam id fiet*. Genes. 8. ỳ. 7. deest in Hebraico negatio ista *non revertebatur:* Lib. 1. Regum Cap. 10. ỳ. 19. deest in Hebræo *nequaquam*. Ad primum ergo, quod attinet dicimus quidem a Hieronymo in quæst. Hebraicis existimata fuisse superflua in sacro Codice ea verba *egrediamur foras*. Veruntamen in sua versione, ex Aquila fuisse retenta a S. Doctore animadvertunt Maurini Patres, qui opera S. Hieronymi ediderunt, unde in Hieronymiana lectione ea verba semper extitisse arbitrantur, uti revera in Codice leguntur, quem publici factum Juris intuemur a Doctissimis illis Monachis. In vetustis pariter Hebræorum exemplaribus ea extitisse verba merito possumus judicare, cum in Itala versione antiquissima, quæ ex Græco LXX, & istud ex Hebraico expressum erat exemplari consimilis legeretur sententia, nempe *eamus in campum*, ut legit Tertullianus Lib. adversus Judæos cap. 5. Ambrosius lib. 2. *de Cain, & Abel* cap. 3. & ipsemet S. Hieronymus in Epistola 125. ad Damasum quæst; 1. legebat *transeamus in campum*. Quis modo poterit absolute negare in S. Hieronymi Autographo extitisse particulas illas *egrediamur foras*, si ipse fatetur in lib. *de quæstionibus Hebraicis in Genesim* easdem in suo volumine, & in Samaritico exemplari extitisse, illas ergo a sua versione probabiliter non explosit S. Doctor. Ad alteram particulam negantem quod attinet fatemur defuisse in Hebraico juxta aliquorum Interpretum versionem, ast in sua Hieronymum retinuisse, ex ejusdem Codice in lucem edito fit palam, in quo, ut in nostra vulgata, legitur adamussim: *nequaquam ita fiet*. Hanc autem fuisse germanam Hieronymi lectionem non obscure convincitur ex ejus Epistola 125. ad Damasum Quæst. 1. ubi legimus. „ Antequam „ de quæstione aliquid dicamus, rectum videtur, „ ut editiones Interpretum singulorum cum ipso Hebraico conferentes sermone digeramus, „ quo facilius scripturæ sensus possit intelligi „ ויא בר לו יהוה לבן כל הורג קין שבעתים יקם *vajo mer lo Adonai lachen col horeg. Cain Siuhathaim iukam*. Aquila. Et dixit ei Dominus propterea „ omnis, qui occiderit Cain septempliciter ulciscetur. Symmachus: & dixit ei Dominus *non sic*; „ sed omnis, qui occiderit Cain hebdomos, sive „ septimus vindicabitur. Septuaginta, & Theodotio: & dixit ei Dominus *non sic*, sed omnis, „ qui occiderit Cain, septem vindictas exolvet „. Hanc lectionem *non sic* sequitur S. Hieronymus in resolvenda quæstione a Damaso proposita, eumque sensum comprobat, quia esse LXX. Interpretum adfirmat. Negare modo quis audeat in autographa S. Doctoris versione particulam illam *nequaquam*, vel *non sic* defuisse, quamquam in Aquilæ versione non extiterit? Auctor quæstionum veteris testamenti eamdem legebat. Advertit tamen

Fa-

Accedunt hyperbatorum anfractus, dissimilitudines casuum, varietates figurarum: ipsum postremo suum, & ut ita dicam, vernaculum linguæ genus. Si ad verbum interpretor absurde resonat. Si ob necessitatem aliquid in ordine, in sermone mutavero; ab Interpretis videbor officio recessisse.

Quod autem universim hic pronuntiat, alibi ad rem nostram proximius edisserit; nimirum, in sacrorum librorum versione invigilasse potius, ut sinceritatem servaret, quam ut elegantiam & verborum ornatum induceret, *Illud*, inquit, *sæpe monuisse sufficiat, non me* CUBITUM & CUBITA *neutrali appellare genere, sed pro simplicitate & facilitate intelligentiæ, vulgique consuetudine, ponere & genere masculino. Non enim curæ nobis est, vitare sermonum vitia, sed Scripturæ sanctæ obscuritatem, quibuscumque verbis differere.* Et in cap. XLVII. *Quod* CUBITOS *genere masculino & non neutrali* CUBITA *dicimus juxta regulam grammaticorum (ut in superioribus docuimus) non ignorantia id facere, sed consuetudine, propter simpli-*

Fagius particulam לֹא exponi posse negative *non sic*, & affirmative *propterea*, & *imo*: uterque autem sensus potest convenire scripturæ textui. Cap. 8. ℣. 7. legit Hebræa; *egrediebatur & revertebatur*, cui profecto Chaldæus Syriacus, & Josephus consonant; quinimmo & in variis operum S. Hieronymi exemplaribus, & *revertebatur* legimus quidem. Advertunt ad hunc scripturæ locum nihilominus editores operum S. Doctoris in manuscriptis ejusdem haberi *non revertebatur* quippe tali pacto legebant Augustinus, & Ambrosius: Manuscriptum pariter Alexandrinum habet hoc modo, ut ipsi laudati Editores testantur; καὶ διῆγεν τὸν χάραξ τῶ ἰδῖν τὸ ὕδωρ. καὶ ἐξελθὸν ἐκ διεστρέφη; Cum autem Hieronymus legitimum scripturæ sensum attendere mallet, quam verba, ut pluries testatus est, in suis autographis verosimile est quod particulam negantem habuerit, ut laudati editores tuentur, quamquam ab illis postea quispiam amanuensium, & transcriptores eamdem abraserit. Ad illud Geneseos cap. 49. ℣. 32; & Ruth 2. ℣. 12. in quorum primo deesse ajunt versiculum istum; *possessio agri, & spelunca quæ est in eo ex filiis Heth.* In secundo autem loco abesse a vulgata nostra sententiam istam: *ipse est vindex noster*, tuentur, dicimus in antiquissimis S. Hieronymi codicibus a Maurinis Patribus, & a Vallarsio editis legi adamussim, ut in vulgata nostra, proindeque in suspicionem inducimur, quod hujuscemodi variantes ab alio fonte, quam a legitima Hieronymi versione sint derivandæ. Ad particulam illam *Nequaquam*, quæ legitur ℣. 19. cap. 10. lib. 1. Regum quod pertinet, notat Vallarsius eamdem haberi in manuscripto Veronensi, quamquam juxta Græcum sit ibidem expressa scilicet *non regnabit*; in Græco ὁ βασιλεύσει: advertit insuper eam non legi in Hebraico hodierno; ast cum in antiquissimis exemplaribus Sancti Hieronymi habeatur, non est incredibile eamdem in codice Hebraico, quem S. Doctor terebat manibus dum suam ornabat versionem, extitisse, aut saltem fuisse ab eodem in sua versione retentam; quod nobis satis est. Hæc potest conjectura fulcin ex eo quod in capite illo decimo exprobret Samuel Israelitis id quod in efflagitando Regem locuti erant cap. 8. ejusdem libri ℣. 19. Eo autem in loco legimus dixisse populum ad Samuelem: *Nequaquam. Sed Rex erit super nos*, ut vertit Pagninus: Hebraicam lectionem in earumdem vocum repetitionibus abundare magis quam Græcam certum est; & tamen in Græco LXX particulam illam negantem legimus in cap. 10 lib. 1. Regum. ℣. 19. Credibile est ergo & eamdem in codicibus hebraicis extitisse.

Aliæ solent proferri ditiones in vulgata nostra existentes, quibus tamen Hebraici codices destituti reperiuntur; unde versionem S Hieronymi ex Hebræo non esse ipsam vulgatæ ipsius lectionem concludunt. Lib. 1. Regum cap. 9. ℣. 25. additum in vulgata legimus: *stravitque Saul in solario, & dormivit*, quæ quidem in Hebræo non habentur. Jobi 1. 21. legimus in nostra: *sicut Domino placuit, ita factum est*; quæ desunt in Hebræo. Isaiæ 40. ℣. 3. est in vulgata: *Rectas facite in solitudine semitas Dei nostri*; desunt autem in Hebræo verba illa *in solitudine*. Omittitur tandem in Hieronymi lectione hæc sententiæ pars: *non obedire vel credere veritati*, quæ habetur in ℣. 1. capitis 3. Epistolæ ad Galatas in vulgata nostra versione: unde vulgatam nostram non posse existimari Hieronymianam versionem compertum est.

Verum, ad primum quod attinet ex cap. 9. ℣. 24. Libri 1. Regum, fatemur ea verba in Hebraicis deesse codicibus, ast desunt etiam in Hieronymi versione, quam Maurini Monachi ex vetustissimis manuscriptis ediderunt; quinimmo codices etiam latini melioris notæ illarum dictionum reperiuntur expertes, unde ab aliquo privato scriptore ex LXX videntur adjectæ, quæ postea a vulgatæ nostræ editoribus, & correctoribus retentæ sunt. Quid tamen inde? nonne in codicibus nostris variantia erant prorsus innumera, dum Tridentina Synodus habebatur? nec tamen inde concludi potest, quod versio vulgata non fuerit eadem, quæ modo legitur in Ecclesia, quomodocumque aliquam subierit mutationem, & correctionem in iis, quæ ex transcribentium, & amanuensium incuria in Sacros Codices irrepserant, aut nimis audacter fuerant privata auctoritate adjuncta.

Ad alterum ex Jobi 1. ℣. 21. respondemus particulam illam desiderari profecto in editione etiam Hieronymiana Maurinorum, quamquam ex vetustis codicibus adornata; veruntamen in Autographis S. Hieronymi: ex quibus vulgata nostra excerpta est, aliquatenus possumus suspicari eam sententiolam extitisse, quandoquidem S. Doctor lib. 3. comment. in Epist. ad Ephesios hoc modo scripsit verba Jobi usurpans: Nudus exivi de utero matris meæ, nudus & redeam: sicut placuit Domino, ita factum est: Hoc in loco dici potest Hieronymus LXX versionem secutus, nec id abnuimus, quamvis hac sententia sit usus etiam in Epitaphio Paulæ, postquam nimirum ex Hebræo, Arabico, & Syro eam versionem ediderat, quam in vulgata nostra ad literam legimus. Verum hanc sententiolam fateamur adjectam: Nunquid propterea totus Jobi liber, prout in nostra legitur, aut saltem notabilis ejus pars non erit Hieronymi si totus apprime cum Hieronymiana versione a Maurinis edita correspondet? Idipsum ad illud Isaiæ 40. ℣. 3. respondemus, nempe vulgatam nostram cum S. Hieronymi laudatis codicibus respondere, quod satis nobis est. Verba pariter illa: *non obedire veritati* dubium est an Hieronymus in codice novi Testamenti a se emendato retinuerit; leguntur quippe in editione Bibliothecæ divinæ S. Doctoris a Vallarsio facta cum castigatione ad manuscriptos codices Vaticanum, Veronensem, & Mediolanensem. Adfirmat siquidem S. Pater in suis commentariis ad cap. 1. ℣. 1. Epistolæ ad Galatas se prætermisisse eam sententiolam, quia in exemplaribus Adamantii non legebatur, sed tamen in aliis codicibus esse exaratam confitetur, quibus fortasse Romæ utebatur dum novum testamentum emendavit, aliquibus annis priusquam commentarios in eam Epistolam composuerit. Erasmus ex illa S Hieronymi adfertione convinci posse arbitratur, vulgatam nostram non esse Sancti Doctoris, & in Erasmi opinione versatur Zegerus. Ast unius sententiolæ adjectio poterit ne ablegare S. Interpreti lectionem adeo cum suis codicibus congruentem? His itaque dictis circa textus, quibus vulgata super Hebræum redundare videtur, aut deficere ab illo ad alia, quæ diversimode aut leguntur, aut legenda supponuntur transeamus.

Proferunt in primis ex Geneseos 1. ℣. 2. *Spiritus ferebatur super aquas*; quæ legenda ex Hieronymo

ſimplices quoſque & indoctos, quorum in congregatione Eccleſiæ major eſt numerus. Ubi vides non eam eſſe requirendam in verſione S. Hieronymi ſermonis puritatem & elegantiam, quæ in aliis ejus operibus occurrit, ſed eum potius ſinceritati ſenſus & literæ quam concinnitati dictionis ſtuduiſſe; & cum liberum eſſet in proprietate ſermonis & candore orationis curam impendere, contempſit omnino, fidelitati textus tantum tribuens, ut vocum & ſententiarum elegantiam poſthabuerit.

„ Quod utique conſilium in Doctore & „ Interprete plurimum laudat & approbat „ S. Auguſtinus: Diligens appetitus, *in-* „ *quit*, aliquando negligit verba cultiora, „ nec curat quid bene ſonet, ſed quid bene „ indicet atque intimet quod oſtendere in- „ tendit. Unde ait quidam, cum de tali „ genere locutionis ageret, eſſe in ea quan- „ dam diligentem negligentiam. Hæc tamen „ ſic detrahit ornatum, ut ſordes non con- „ trahat. Quamvis in bonis Doctoribus „ tanta docendi cura ſit vel eſſe debeat,

mo exiſtimant: *Spiritus incubabat, aut confovebat.* Aſt quis neſciat S. Hieronymum in quæſtionibus Hebraicis confiteri habitum eſſe in codicibus verbum illud *ferebatur*, quamquam in Hebræo legeretur מרחפת merachepheth, quod verbum *volitare, ferri, agitari*, ſignificat, ut expoſitores tuentur: in ſua verſione autographa probabile eſt, quod veterum codicum lectionem S. Hieronymus retinuerit, cum vocem iſtam *ferebatur* præſeferant antiquiſſimi S. Doctoris codices in lucem a Maurinis emiſſi. Quod autem verterit S. Hieronymus *Paradiſum in Hedenis*, incertum eſt, cum in ejus codicibus receuter editis a laudatis Patribus legamus in cap. 2. Geneſis in Hieronymiano textu *Paradiſum voluptàtis*; cap. 3. legit Hieronymus *de Paradiſo voluptatis*; & cap. 2. ℣. 10. pariter legit: *fluvius egrediebatur de loco voluptatis*. Quod autem in quæſtionibus Hebraicis ſcripſerit S. Doctor *Paradiſum in Eden*, nil facit cum indigitet ſtatim per עדן *eden* ſignificari delicias. Niſi fortaſſe dicere cum nonnullis velimus a S. Hieronymo ſcriptum eſſe *in Eden*, quia dubius erat num vox illa locum quemdam, ubi conſitus erat Paradiſus, vel potius delicias ſignificaret. Ad alterum, quod S. Doctor *ſumpſit* ſcripſerit pro *tulit*, reponere ſtatim poſſumus in Codice Maurinorum ſcriptum eſſe *tulit*. In quæſtionibus autem Hebraicis verba Synonima ſæpiſſime adhibet cum iis, quæ ſunt in textu.

Ad alterum, in quo dicitur ſcripſiſſe Hieronymus *ad veſperam* pro *ad auram poſt meridiem*, id in quæſtionibus Hebraicis a S. Doctore præſtitum eſſe confitemur; veruntamen ſtatim ſubjungit ibidem: In pleriſque codicibus Latinorum pro eo quod hic poſuimus, *ad veſperam poſt meridiem* habet, quia τὸ δειλινὸ, græcum ſermonem ad verbum transferre non poſſumus: Quid autem in ſua verſione ex Hebraico poſuerit S. Pater incertum eſt nobis, id unum ſcientibus, quod in vetuſtis codicibus S. Doctoris legimus *ad auram poſt meridiem*.

Quamquam autem aliquando ſcripſerit S. Hieronymus: *pulverem comedes*, pro *terram comedes*; credibile eſt tamen, quod terram in ſua verſione ſcripſerit, cum tali pacto legamus in ejus quæſtionibus Hebraicis, nec non in ejus verſione ex veteribus codicibus edita. Codex pariter ille habet: *& reſpexit Dominus ad Abel, & ad munera ejus*; in quæſtionibus autem Hebraicis ſcriptum eſt: *& reſpexit Deus ſuper Abel, & ſuper munera ejus*. Hoc verbo *reſpexit* utuntur Tertullianus lib. adverſus Judæos, Ambroſius in Pſal. 45. & 118. Vigilius Iapſens. Lib. contra Varim, & Græca tandem legit: καὶ ἐπέβλεψεν ὁ Θεὸς ἐπὶ Ἄβελ, καὶ ἐπὶ τοῖς δώροις αὐτοῦ. Codex Alexandrinus pariter ita legit. Admodum ergo credibile, quod & ita in ſuo autographo verterit S. Hieronymus.

Aliquid nobis faceſſere negotii videtur poſſe, quod in Joſue 21. ℣. 37. pro *Kedemot* legitur in noſtra vulgata *Jethſom*; ſi attentius inſpiciantur quæ de verſiculo iſto a Sacris Criticis, atque expoſitoribus tradita ſunt, mirum profecto eſſe non poterit ſi aliquam varietatem in lectionibus inveniamus: ſunt itaque, qui rentur verſum iſtum defuiſſe in Codicibus Hebraicis, etiam S. Hieronymi ætate, proindeque ab ipſo prorſus in ſua verſione aut relictum eſſe, aut ex Græco LXX translatum fuiſſe. Aſt Vallarſio perſuaſum eſt non potuiſſe S. Doctorem illum a LXX deſumere, quin verſum hunc in Hebræo deeſſe antea animadvertiſſet: quod ſi obſervavit vix credi poteſt, quod de Hebraici archetypi lacuna lectorem monere prætermiſerit in Præfatione, aut alibi occaſione arrepta. Quod autem ſupplere maluerit locum ex LXX, cum præſtare id longe rectius poſſet ex Aquila, & Symmacho ne vix quidem credere poteſt Vallarſius. Grotius autem, & Maſius hunc Joſue locum ex ℣. 78. capitis 6. lib. 1. Paralipomenon ſuppletum eſſe opinantur. His adverſatur Abulenſis contendens quæſt. 12. in cap. 21. Joſue hunc verſiculum eſſe a principio debuiſſe in loco iſto, ut verificari poſſint, quæ in Hebræa leguntur, & Vulgata, ſcilicet Levitis quadraginta, & octo Civitates fuiſſe conceſſas, Meraritis duodecim, quod in verſiculis ſequentibus ejuſdem capitis 21 Joſue ſcriptum eſt: dempto autem verſu 37. Levitarum Civitates 44. erunt, octo autem Meraritarum; in codice itaque S. Hieronymi eſſe debebat verſus iſte, cum teſtetur R. David Kinchi deeſſe quidem in Hebraicis codicibus recentioribus, ſed inveniri in antiquiſſimis valde correctis. Quidquid ſit tamen de iſtis ſi S. Hieronymi mentem liceat perveſtigare legendum videtur in Joſue prout habet vulgata noſtra, cum ex Hieronymi libris id in Hebræis codicibus lectum fuiſſe Hieronymi ipſius ætate ſit probabilius. S. etenim Doctor in Libro de locis Hebraicis duas Civitates diſtinctas agnoſcit in tribu Ruben, quarum una *Cedſon* appellat, eamque Levitis ſeparatam adfirmat; alteram vero *Cademoth*, de qua nihil tradit, niſi quod ad tribum Ruben pertineret. Nonne contingere poſt S. Hieronymi ætatem potuit, ut quidam ex Librariis tranſcribentibus poſuerit *Kedemoth* pro *Cedſom* in libro Paralipomenon 1; ex quo poſtea exemplari innumera alia etiam Hebraico idiomate facta ſint; ac tandem & in Caput Joſue 21. ab aliquo Correctore lectio depravata translata fuerit, inde autem ad plures manuſcriptos codices devenerit, quamquam alii in capite 21 Joſue intemerati, permanſerint, ex quibus Vulgata noſtra adornata fuit? in hoc ſiquidem caſu lectio noſtra legitima eſſe videtur, & juxta S. Hieronymi ſenſum, & verſionem.

Minoris equidem facimus, quod ex eodem ℣. 37. cap. 21. Joſue ab aliquibus ſolet apponi, quinque nimirum Civitates legi in Vulgata noſtra a Rubenitis donatas filiis Levi, quatuor ſolummodo cum eſſe debuerint. Aſt quis non videt æquivocationem iſtam ex uniuſ virgulæ appoſitione inter voces iſtas *Solitudine, Miſor*, eſſe derivandam, cum correctiores editiones legant: in *Solitudine Miſor*, in quibus vocem illam *Miſor* non Civitatis alicujus, ſed ſolitudinis nomen indicare expoſitores tuentur.

Quod vero pertinet ad illud Iſaiæ *Audi cœlum* pro *audite cœli* apponemus ipſa S. Hieronymi verba, quæ in Commentariis ſcripſit ſuper illud Iſaiæ „ Pro *Cœlum*, ait S. Doctor, hebraicum שמים Sa- „ maim *Cœlos* ſonat plurali numero; maxime cum „ יהוה Semu audite dixerit, quod plurali effertur „ numero non ſingulari. Sed quidam volunt plu- „ raliter quidem dici *Cœlos*, ſed ſingulariter intel- „ ligi, juxta illud, quod ſingulas Civitates Thebas, & Athenas vocamus: eſtque Hebraici characteris idioma, ut omnia, quæ in ſyllabam finiuntur *im* maſculina ſint, & pluralia, ut *Cherubim*, & *Seraphim*„ Hiſce præmiſſis S. Hieronymi verbis, cum in codice a Maurinis edito legamus *audite cœli* videtur poſſe concludi hoc mo-

do

„ ut verbum quod niſi obſcurum ſit vel ambiguum, Latinum eſſe non poteſt, vulgi autem more, ſi dicitur ut ambiguitas obſcuritaſque vitetur, non ſic dicatur ut a doctis, ſed potius ut ab indoctis dici ſolet. Si enim non piguit dicere Interpretes noſtros, NON CONGREGABO CONVENTICULA EORUM DE SANGUINIBUS: quoniam ſenſerunt ad rem pertinere, ut eo loco pluraliter enunciaretur hoc nomen; quod in Latina lingua tantummodo dicitur; cur pietatis Doctorem pigeat, imperitis loquentem OSSUM potius quam os dicere, ne iſta ſyllaba non ab eo quod ſunt OSSA, ſed ab eo quod ſunt ORA intelligatur, ubi Aphræ aures de corruptione vocabulum vel productione non judicant. Quid enim prodeſt locutionis integritas, quam non ſequitur intellectus audientis, cum loquendi omnino nulla ſit cauſa, ſi quod loquimur non intelligunt, propter quos ut intelligant, loquimur? Qui ergo docet, vitabit omnia verba quæ non docent. *Et cap.* 11. *ſubdit*: „ Prorſus

do ſcriptum in ſua verſione fuiſſe a S. Doctore.

Ad alterum Iſaiæ, quod lectum volunt a S. Hieronymo *Filios genui*, reſpondemus in codice toties laudato haberi *Filios enutrivi*; quamquam autem ſcripſerit in Commentariis S. Pater *filios genui* notat ſtatim a Symmacho, & Theodotione verſum eſſe *Filios enutrivi*. Paulo autem poſt in eodem commentario ſubjungit Hieronymus „ Melius eſt „ autem juxta Hebraicum legere *filios enutrivi*, „ quam *genui* ne videatur illi dicto, quod in Joannis Epiſtola legimus eſſe contrarium: *omnis, qui „ ex Deo natus eſt, non peccat*; ergo ſi iſti nati „ ſunt ex Deo quomodo peccare potuerunt?„ Hoc Hieronymi teſtimonium ſatis indicare videtur quomodo in genuina S. Doctoris verſione ex Hebraico ſcriptum fuerit.

Aliud Iſaiæ, quod ab Hieronymo lectum contendunt: *plenus ſum holocauſto arietum*, dicimus ita eſſe in Codice Bibliothecæ divinæ S. Hieronymi expreſſum: *Quo mihi multitudinem victimarum veſtrarum dicit Dominus? plenus ſum: holocauſta arietum, & adipem pinguium, & ſanguinem vitulorum, & agnorum, & hircorum nolui. Holocauſta* vertit Santes Pagnini; Græca etiam, uno excepto, legunt ὁλοκαύτωμα; hoc modo pariter legebant Tertullianus, & Ambroſius, quamquam in aliquibus S. Hieronymi manuſcriptis *holocauſto* legi non inficiamur. Quod autem legimus apud S. Hieronymum: *Calcare atrium meum non apponetis*: ex LXX verſione fortaſſis in ejus ſcripta translatum eſt, cum in Codice Maurino Hieronymi legamus ut in Vulgata noſtra. Santes Pagnini vertit *ut conculcaretis atria mea*; Verum concedamus etiam hanc eſſe unam ex variantibus, quid obeſſe poterit noſtræ adſertioni, qua contendimus Vulgatam noſtram eſſe ipſam S Hieronymi verſionem? nihil certe quemadmodum, neque obeſſe cognoſcimus, quamvis S. Doctor legeret ℣. 14. ejuſdem Capitis 1. Iſaiæ: *Facti eſtis mihi in ſatietatem*: quæ ſiquidem verba etiam ſunt LXX Interpretum. In Codice tamen Hieronymi legimus, ut in vulgata, nempe: *facta ſunt mihi moleſta*, qui ſiquidem codex cum a Vallarſio fuerit ad alios codices collatus, incredibile non eſt, quod in verſione ex Hebræo ſcripſerit S. Doctor, ut fert vulgata noſtra; Pagninus autem vertit: *Calendas veſtras, & ſolemnitates veſtras odit anima mea: ſunt mihi oneri*: quæ verſio cum vulgata noſtra, magis quam LXX videtur congruere.

Quantum ad ℣. 30 capitis 1. Iſaiæ, ubi dicitur legiſſe Hieronymus: *erunt enim quaſi terebinthus* advertendum ducimus in Codice Hieronymiano ſcriptum eſſe: *cum fueritis velut quercus*. Quamquam autem alicubi ſcripſerit terebinthus S. Pater, præſertim in commentariis ſuper Iſaiam, ſubjungit ſtatim: uſque hodie Judæi legentes ſcripturas ſanctas terebinthus ſunt, ſive quercus, ut interpretatus eſt Symmachus. Auctor iſte pariter interpretatus eſt *vineam electam* pro *vineam ſorek* non vertens, ut inquit S Hieronymus ſuper hæc Iſaiæ verba ex verbo verbum, ſed ſenſum, qui tenetur in verbo. Juxta Hebræos ſiquidem שורק ſorek genus eſt vitis optimæ, quod uberes fructus facit, atque perpetuos. Denique ſorek a quibuſdam, teſte S. Hieronymo, interpretatur καλλικάρπος, quod nos in *pulcherrimos fructus* vertere poſſumus. Hæc tamen omnia, cum in unico vocabulo *vinea electa* ſeu *ſelecta* comprehendantur, atque verus ſenſus ſatis ſignificetur, cur non erit probabile ab Hieronymo in authographo ſuæ verſionis ex Hebræo, ſcriptum fuiſſe *vineam electam* ſi ita legimus in ejus vetuſtiſſimo Codice a Maurinis edito?

℣. 20. Capitis 5. Iſaiæ nedum in Vulgata noſtra diverſimode non legitur ab Hieronymi lectione, ſed maxime potius cum illa congruit, cum tam in Codice a Maurinis edito, quam in textu ſuper quem commentarios ſcripſit S. Doctor legamus: *Væ, qui dicitis malum bonum, & bonum malum*. Inferius tamen in ſuo commentario ſcribit Hieronymus: unde ſignificantius interpretatus eſt Aquila: *væ, qui dicit malo bonus es; & bono malus es*: inutile prorſus fuiſſet indicari ab Hieronymo ſignificantius legi ab Aquila ſententiam iſtam, ſi ipſemet, ut Aquila, non ut Vulgata noſtra legiſſet.

Ad alterum Iſaiæ teſtimonium Cap. 53. ℣. 8. non inficiamur fortaſſis in Vulgatam noſtram ex LXX verſione fuiſſe translatam lectionem illam: *percuſſi eum*; quam ſiquidem lectionem in ſuo commentario ad iſtud Iſaiæ approbat S. Hieronymus; quinimmo in Matth. 26. legit S. Doctor: *Ab iniquitatibus populi mei ductus eſt ad mortem*: quo ſiquidem pacto legit Auguſtinus *de conſenſu Evangeliſtarum*, & Tertullianus contra Judæos cap. 10. In Commentariis itaque ſuper Iſaiam, aliiſque manuſcriptis numerum multitudinis, nempe *eos* retinuiſſe Hieronymum Vallarſius obſervat, verum in Codice Bibliothecæ divinæ S. Doctoris legitur *eum*. Et ſane in Hebræo habetur utique למו *lamo* pro לו *lo*, ut notat Forerius; aſt particulam illam למו *lamo* uſurpari quandoque pro לו *lo* compertum eſt ex ℣. 8. Pſalmi 28; ubi legitur למו *lamo* pro לו *lo*, & Jobi 20. habetur מו *mo* pro ו *o*, quemadmodum etiam aliis in locis; ex qua Forerii animadverſione, non erit abs re prorſus ſi dixerimus in verſione S. Hieronymi habitam eſſe fortaſſis particulam *eum*. Quod autem opponitur ex Threnorum 3. ℣. 65. ubi legimus in vulgata: *laborem tuum* pro *maledictionem tuam* nullius ferme videtur momenti cum legamus tam in Codice Hieronymiano a Maurinis edito, quam in Codice ſuper quem commentarios ſcripſit S. Doctor *laborem tuum*, minime vero *maledictionem tuam*; hanc autem variationem ex unius Literulæ methateſi in Hebraica voce facta originem habuiſſe opinantur Expoſitores quam quidem ſecutum eſſe S. Hieronymum ex ejus contextibus exploratum videtur.

Opponunt etiam illud Ezechielis 34. ℣. 16. in quo habet vulgata noſtra: *robuſtum, & pingue cuſtodiam*: cum in Hebræa legamus *perdam*. Adeſt pariter alter Oſeæ textus cap 10. ℣. 14; nec non ejuſdem Oſeæ alterum teſtimonium ℣℣. 3. & 4. quod legitur juxta vulgatam noſtram: *in fortitudine ſua directus eſt cum Angelo, & invaluit ad Angelum, & confortatus eſt*: Quod tamen in Hebræo legebatur: *& in robore ſuo dominatus eſt Angelo, & prævaluit*.

Verum hæc majoris non videntur roboris, quam præcedentia objecta; in Codice etenim S. Doctoris a Maurinis edito, nec non in verſione ex Hebræo, quam inter illius Patris opera intuemur, quamque commentariis illuſtravit, eodem modo legimus, ac in vulgata noſtra; nec mirum, cum, docente in ſua expoſitione S. Hieronymo ארבאל *Arbel* idipſum ſignificet, quod ירבעל *Hierobaal*, quamquam breviori ſermone inſcribatur. Eodem modo reſpondemus ad alterum capitis 12. textum: in prælaudatis ſcilicet S. Doctoris codicibus legi adamuſ-

„ Prorſus eſt hæc in docendo eloquentia, „ qua fit diſcendo non ut libeat quod horre- „ bat; aut ut fiat quod pigebat, ſed ut ap- „ pareat quod latebat. Quod tamen ſi fiat „ inſuaviter ad paucos quidem ſtudioſiſſimos „ ſuus pervenit fructus, qui ea quæ diſcen- „ da ſunt, quamvis abjecte inculteque di- „ cantur ſcire deſiderant. Quod cum adepti „ fuerint ipſa delectabiliter veritate paſcun- „ tur, bonorumque ingeniorum inſignis eſt „ indoles, in verbis verum amare non ver- „ ba. Quid enim prodeſt clavis aurea, ſi ape- „ rire quod volumus non poteſt: aut quid „ obeſt lignea, ſi hoc poteſt, quando nihil „ quærimus niſi patere quod clauſum eſt? „ Sed quoniam inter ſe habent nonnullam „ ſimilitudinem veſcentes atque diſcentes, „ propter faſtidia plurimorum, etiam ipſa, „ ſine quibus vivi non poteſt, alimenta con- „ dienda ſunt.

Hæc paulo longius exſcribenda duxi, ut inde videant Novatores; qui cum Hunnio, [a] Beza, [b] Amama, &c. quam inique ne dicam impie, propter quaſdam minus proprias & vix Latinas voces in Editione Vulgata occurrentes, eam poſthabendam eſſe putant; perinde ac ſi in ſacris Scripturis diviniſque Myſteriis, res magis quam verba ſpectare non oporteret; magiſque probare orationis gravitatem perſpicuam, & quandam cum majeſtate antiquitatem incultam etiam & impolitam, quam comptam valde & calamiſtratam novitatem picturataque

a *lib. 2. contra Bellar. cap. 14.*
b *in comment. ſupra novum Teſt.*

adamuſſim verſus iſtos ſicut in vulgata noſtra hodierna, unde merito in ſuſpicionem protrahimur quod variantes illæ ex variatione textus Hebraici poſt S. Doctoris ætatem invecta ſint repetendæ.

Nonnulla denique ex novo Teſtamento proponuntur, quæ cum S. Hieronymi lectione non videntur congruere. Primum eſt capite 1. ad Galat. ℣. 17. in quo legit Vulgata: *non acquievi carni*, cum ex Hieronymo legendum ſit: *non contuli cum carne*. Ad Epheſ. 1. ℣. 14. legendum docet Hieronymus: *Qui eſt arrha*, cum in Vulgata: *Qui eſt pignus* habeatur, & cap. 4. ℣. 19. ejuſdem Epiſtolæ noſtra habet: *qui deſperantes*, cum S. Doctor legendum moneat: *qui indolentes*.

Animadvertimus in primis S. Hieronymum aliquando in ſuo textu aliquam retinuiſſe lectionem, quamquam in textus illius expoſitione diverſam lectionem, ut clariorem, magiſque exprimentem commendaret, ut jam ſuperius obſervavimus: ita ad Galath. cap. 1. legebat in textu, ut in vulgata noſtra, quamquam Græcam lectionem magis exprimentem exiſtimaverit; ſcribit enim S. Doctor ſuper illa Pauli verba: *continuo non acquievi carni, & ſanguini*, ſive, ut in Græco melius habet: *non contuli cum carne, & ſanguine:* Si igitur legiſſet in ſuo textu Hieronymus, ut nonnulli opinantur, hæc non foret animadverſio ab eodem propoſita. Nos autem ſolummodo dicimus Vulgatam noſtram eſſe lectionem Hieronymi, quamquam nonnullæ variantes inter utramque inveniantur. Lectionem vulgatæ noſtræ ab antiquiſſimis Patribus etiam fuiſſe retentam teſtis eſt Sabatierus in notis ad hunc Apoſtoli locum. Græca ſiquidem legit ἐν προσανεθέμην, quod ab aliquibus vertitur *non contuli*, ut notat Zegerus, verum ipſe interpretatur: *non acquievi*.

Ad Epheſios 1. ℣. 14. *Pignus* legimus in codice Hieronymiano per Vallarſium edito, & caſtigato; id pariter legebat Hieronymus ipſe, quamquam ſubjungat: *Pignus* latinus Interpres pro *arrhabone* poſuit. Pignus legebant pariter Irenæus lib. 5. cap. 8. Ambroſius lib. de ſpiritu ſancto. Auguſtinus tandem lib. de Prædeſtinat. Sanctorum. ac fucata Editionis lenocinia, a quibus in vertendis divinis Scripturis omnino alienus fuit S. Hieronymus: igitur leve omnino, ne dicam inane a vulgatæ Editionis inelegantia & inconcinnitate ducitur argumentum, ut hæc ex parte S. Hieronymo abjudicetur.

At, inquiunt, ſi quam in Editione noſtra S. Hieronymus partem haberet, ab Hebræo textu illa tantopere non diſſentiret; ait enim ſe verſionem ſuam ad Hebræi textus ſinceritatem adornaſſe: plurimis autem in locis ipſi Vulgatæ non conſentit; proindeque vigilando ſomniat, qui hanc interpretationem S. Hieronymo adſcribendam cenſet.

Huic argumento varii varia reſpondent: ſunt enim, quibus ſubſcribit Serarius, [c] qui cauſam hujus diſcriminis inter Editionem Latinam & textum Hebræum repetunt ex eo quod, *Primo* aliqui ſint Latini Codices & Hebræi nævis inſperſi. *Secundo*, quia Hebræorum verborum multiplex ſæpe ſignificatio eſt, & unam unuſquiſpiam ſignificationem præfert, alius aliam. *Tertio*, quia Hebræorum vocum vis minus pleriſque percepta eſt, ut pote qui eam a recentioribus Hebræolis accipiunt, quibus plurimarum Hebræarum vocum ignota eſt genuina ſignificatio: ipſo etiam fatente Luthero: [d] *Aliquoties dixi*, inquit, *plurima vocabula eſſe, quorum ſignificatio etiam ipſis Hebræis ignota eſt*. Nemini autem tantillum divinis in Scripturis perito dubium eſſe

c *in poleg. cap. 19. quæſt. 6.*
d *in Geneſ. cap. 34.*

Ad ultimum denique, quod opponitur ex cap. 4. ad Epheſios ℣. 19. ubi vulgata legit: *Qui deſperantes*, cum legerit Hieronymus: *qui indolentes*; dicimus in codice S. Doctoris, aliiſque manuſcriptis pervetuſtis ſcriptum eſſe *qui deſperantes*. Hieronymum autem in ſuo textu legiſſe *qui deſperantes*, ex his, quæ tradit in commentariis fit palam; ſcribit enim „ Quod autem ait: *qui deſperantes ſe-* „ *metipſos* &c. ideſt ἀπηλγηκότες ἑαυτοὺς, multo „ aliud in Græco ſignificat, quam in Latino: „ *Deſperantes* quippe ἀπηλπικότες nominantur: ἀπηλ- „ γηκότες autem hi ſunt, qui poſtquam peccave- „ rint non dolent: exprimamus ſi poſſimus ver- „ bum de verbo, & dicamus ἀπηλγηκότες indolen- „ tes, ſive indolorios „ Ex his compertum eſt quod S. Hieronymus in ſuo textu *qui deſperantes* legebat, quamquam in commentariis meliorem lectionem nanciſci ſatagerit. Eraſmus non inficiatur ſuper hunc Pauli locum, magis quadrare *deſperantes*, quam *indolentes* ad ſententiæ tenorem; quamquam duo iſta *deſperatio*, & *indolentia* maxime cohærere fateatur. Ex his, quæ diximus probabile factum opinamur ex variantibus, quæ, ad elevandam ex vulgata noſtra germanam S. Hieronymi verſionem, ab Auctore noſtro propoſitæ erant ſub num. XIV. inferri non poſſe hodiernæ vulgatæ lectionem eamdem non eſſe cum lectione S. Doctoris, quamvis ex Amanuenſium, aut tranſcribentium incuria, vel etiam ex correctorum judicio nonnulla verba aut adjuncta, aut permutata inveniantur. Quod autem in Præfatione Bibliorum auctoritate Clementis VIII. emandatorum, nec non apud Auctores habeatur nonnullos Vulgatam noſtram partim ex verſione Hieronymi, partim ex antiqua vulgata, aliiſque verſionibus eſſe compoſitam; explicari id facile poterit de iis libris, quos non eſt interpretatus Hieronymus, nec non de interpretationibus aliorum, quas in ſuam verſionem tranſtulit S. Doctor, de quibus jam ad initium diximus hujus animadverſionis. Alia, quæ poſſent in nos produci argumenta, ſatis a Fraſſenio ſub num. XV. hujus capitis reſolvuntur. (*W*)

potest, quin LXX. Interpretes ex quibus deprompta est vetus Latina versio, & S. Hieronymus qui novam condidit, perfectiorem habuerint Hebræarum vocum significationis peritiam, quam recentiores quidam Judæi aut Novatores, qui hanc cum textu Hebræo dissonantiam in Editione nostra Vulgata ex veteri & nova S. Hieronymi conflata criminantur, *Accedit* quod ea variatio refundi possit in diversam vocum Hebraicarum lectionem, quæ propter recens a Massorethis punctorum inventum, & eorum singulis vocibus affixiones, post editam utramque versionem Latinam veterem & novam, aliam significationem efficiant quam erat antiquitus, dum ejusmodi versiones Latinæ fuerunt conditæ. Ex his itaque appareret eam ob rem nostram versionem vulgatam perperam a Novatoribus impugnari & respui.

Denique ex his duntaxat concludere licet Vulgatam Latinam non esse puram S. Hieronymi versionem, sed eam partim ex Hieronymiana, partim ex Itala seu veteri Latina a Græco textu olim expressa coaluisse: quod utique lubens admitto. (8)

CAPUT SECUNDUM.

De Authenticitate Vulgatæ Latinæ Editionis.

I. *Quomodo Editio vulgata sit authentica.*
II. *Hæretici vulgatæ editionis authenticitatem inficiari non possunt.*
III. *Spiritus Sancti directione ab Ecclesia fuit approbata.*
IV. *Adversantium objecta resolvuntur.*
V. *Sixti V. & Clementis VIII. diligentia in Sacris Bibliis expurgandis.*
VI. *Si qui nævi supersunt Scripturæ authenticitati non obsunt.*
VII. *Quid ex Concilio Tridentino de Editione vulgata dici possit in comparatione ad Græcos, vel Hebraicos fontes.*

SCRIPTURÆ sacræ auctoritas a Græcis, ut a Synesio, dicitur [a] αὐθεντία Scriptura vero dicitur *Authentica, vel quia*, ut vult Suares, [b] infallibilem habet auctoritatem, estque certa regula in omnibus quæ continet: *Vel quia*, ut docet Bonfrerius [c], Mariana & alii, nihil complectitur fidei aut bonis moribus, aut rerum gestarum veræ recensioni repugnans: *Vel* denique quia textum primitivum ita fideliter exprimit, ut ab eo nihil discordet, quemadmodum censet Gregorius de Valentia, [e] cui subscribit Serarius, [f] hoc etiam sensu αὐθεντία sumitur apud Jurisconsultos. Unde instrumentum authenticum.

a *epist. 66.*
b *tract. de fide disp. 5. sect. 3.*
c *in prolog. Bibl.*
e *lib. 8. Analyseos cap. 5.*
f *in Prolegomen. c. 19. quæst. 11. 4.*

§. I.

Quibus modis sit authentica Vulgata versio.

I. QUæritur itaque utrum his omnibus modis Vulgata nostra Latina versio, revera sit authentica, ita ut non solum fidelius, verius, & majore verborum energia, sententiam Scripturæ, mentemque Spiritus S. exprimat, quam ulla quæ hactenus prodierit versio Latina, sed etiam simpliciter sit primitivo textui conformis, nihilque contineat quod fidei bonisque moribus, & historiæ veritati repugnet; neq in ea sit aliquid, quod falsitatem & contradictionem redoleat, in iis quæ ad fidem maxime & bonos mores pertinent, sicque possit esse certa fidei regula,

Affirmant omnes Catholici, una cum Concilio Tridentino [d] sic decernente: *Sacrosancta Synodus, considerans non parum utilitatis accedere posse Ecclesiæ Dei, si ex omnibus Latinis Editionibus, quæ circumferuntur, sacrorum Bibliorum, quænam pro authentica habenda sit, innotescat: statuit & declarat, ut hæc ipsa Vetus & Vulgata Editio, quæ longo tot sæculorum usu in ipsa Ecclesia probata est; in publicis lectionibus, disputationibus, prædicationibus, & expositionibus pro authentica habeatur: & ut nemo illam rejicere, quovis prætextu audeat vel præsumat.* In quibus verbis duo possunt distingui: Primum præfatiuncula, quæ ab utilitate deducitur: Secundum est ipsum decretum constans duplici parte: una affirmante, seu jubente; altera negante seu vetante. Jubet enim Editionem nostram vulgatam haberi pro authentica *in publicis lectionibus &c.* Vetat autem *quovis prætextu eam rejici.* Quod autem hanc auctoritatem Vulgatæ nostræ versioni a plurimis nævis, ut jusserat Concilium [g], expurgatæ, eam auctoritatem rectissime tribuerit, plurima momenta suadent.

d *sess. 4. cap. 2.*
g *ibid.*

Primo namque, maxime necessarium est aliquam esse in Ecclesia Latina, vernaculam Scripturarum Editionem, quæ ut omnium optima, ornata sit auctoritate publica, quod ultro etiam concedunt Heterodoxi; maxime Kemnitius [h], & Theodorus Beza [i] cujus verba (quoniam validum ab hoste testimonium) proferre non dedignabor, *Quam necesse sit*, inquit, *in Ecclesia Dei extare emendatam sacra-*

h *parte 1. exam. Conc. Trid. sect.*
i *præf. in nov. Test.*

(8) In ea versabatur Auctor noster sententia, quod vulgata nostra ex plurimorum Interpretum permixtis versionibus coalesceret; qua de re nota (7) præcedens, si jubet, attendatur. (*W*)

crarum noſtrarum tabularum Latinam interpretationem, non eſt quod pluribus conemur oſtendere, cum de eo nemo poſſit dubitare quin ſe pietati ac religioni Chriſtianæ inimicum eſſe profiteatur. Inſuper Hebræi ſtante Synagoga, habuerunt Scripturam authenticam Hebraice & Syriace: Eccleſia quoque Græca habuit vernaculam ſibi Scripturam, nempe vetus Teſtamentum ex verſione LXX. Interpretum, & novi Teſtamenti primarios fontes Græce editos. Igitur æquum fuit ut etiam Latina Eccleſia authenticam Scripturam haberet; alioqui male videretur ipſi Eccleſiarum omnium Matrici divinitus proviſum, ſi in rebus gravioris momenti, puta, dum congregatur in Conciliis generalibus aut particularibus fidere non poſſet Latinæ verſioni, ex qua potiſſimum haurire debet quæ ſtatuenda ſunt ad fidem aut mores ſpectantia, quippe cum interdum rari ſint Eccleſiæ Præſules qui Hebraice noverint; imo etiam qui Græce: nam ſi quæ ſit Rufino fides, [a] ex DC. Epiſcopis qui ad Concilium Ariminenſe convenerant, pauciſſimi erant qui ex ſe noſſent quid ſignificaret vox *ἐφέσιος*. Itaque convenientiſſimum eſt, imo ſumme neceſſarium, quod Eccleſia Latina vernaculam habeat Scripturam authenticam, & auctoritate publica probatam.

[a] *lib. 10. hiſt. cap. 21.*

II. Porro talem eſſe Vulgatam noſtram, neque etiam ipſi Heterodoxi quantumcumque in eam obloquantur, poſſunt inficiari: tametſi enim in ejus invidiam plurimas fabricati fuerint Latinas verſiones; attamen, ne unam quidem e ſuis proferre poſſunt, quam in omnibus approbent, *Inſuper*, ex iis plurimi Vulgatam noſtram, non ſolum omnibus a ſuarum partim hominibus confectis Latinis Editionibus anteponunt, ſed & eam impenſe laudant & commendant: nam mox citatus Beza in Editione novi Teſtamenti anni MDLIX omnibus Latinis verſionibus præferendam eſſe affirmat, Eraſmumque reprehendit, quod *veterem Interpretem* rejiciat. Et Paulus Fagius [b] ab Vvaltono prolatus, agens contra eos qui cum vulgata, non ad verbum Hebr. textui per omnia reſpondeat, eam exſibilant, damnant, aut rejiciunt, hæc habet: (pleniora ejus verba dabimus infra.) *Non attendunt quid vel quem ſecutus fuerit vulgatus Auctor; cum enim a veritate Hebraica diſſentire videtur eum vel LXX. vel Paraphraſten, Chaldæum, vel aliquem ex Rabbinis ſecutum fuiſſe fere ſemper deprehendo: non eſt ergo temere nata vulgata Editio, ut quidam ſcioli ſtulte & impudenter clamitant.* Ubi tametſi harioletur Fagius dum Interpretem Latinum a Rabinis aliquid mutuatum eſſe fingit, in cæteris appoſite ſatis loquitur. Lud. de Dieu, [c] vir linguarum cognitione inſignis, verſiones Syriacam, Arabicam, &c. cum vulgata & Eraſmi, maxime vero cum Bezæ verſionibus conferens, ſcribit; [d] *Si vulgatum Interpretem, quiſquis is tandem fuerit, doctum, imo doctiſſimum virum fuiſſe aſſeram, non me peccaſſe judicavero; ſuos habet nævos fateor; habet & ſuos Barbariſmos, ſed quin paſſim ejus fidem, judiciumque admirer, etiam ubi barbarus videtur, negare non poſſum.* Hinc ſæpe inter varias lectiones vulgatam reliquis præfert, & contra Bezam defendit; ſed unus pro omnibus ſit Grotius, [e] rationem reddens cur ad vulgatam Editionem notas ſuas referat, dicit, *ſe vulgatum Interpretem ſemper plurimi feciſſe, non modo quod nulla dogmata inſalubria continet, ſed etiam quod multum habet in ſe eruditionis.* Ex ipſa igitur Adverſariorum ſententia conſtat vulgatam noſtram, tametſi levioribus mendis inſperſam, non minus authenticam videri.

[b] *in cap. 4. verſion. Paraph. Chald.*

[c] *in notis ad Evangel.*

[d] *in notis ad Eugen. præf. de vulgat. author.*

[e] *præf. annotat. ſuarum in vetus Teſt.*

III. Idipſum etiam ſuadet hæc ratio. Ea Scripturæ verſio cenſeri debet authentica, quæ ex ſpeciali Spiritus S. inſtinctu & directione ab Eccleſia univerſali comprobata eſt; cum enim Divinus ille Spiritus ſit *Spiritus veritatis* qui nos *docet omnem veritatem*, movere non poteſt Eccleſiam *veritatis columnam & firmamentum* ad ſanciendum aliquid quod falſum ſapiat & a veritate ſit alienum. At vulgata noſtra Editio ab univerſa Eccleſia ex ſpeciali S. Spiritus motu approbata eſt tanquam authentica. Quod ut evidentius demonſtretur, tria ſunt præſupponenda. *Primo* conſtantiſſimum eſſe Spiritum S. peculiari aſſiſtentia adeſſe Eccleſiæ, eamque regere, maxime cum in Conciliis generalibus congregatur, ut conſtat non ſolum oraculis Chriſti D. qui cum dixiſſet [f], *Si quis Eccleſiam non audierit, ſit tibi tanquam Ethnicus & Publicanus*; ſubdit; *Ubi enim ſunt duo vel tres congregati in nomine meo, in medio eorum ſum.* Quibus cum ſignificet ſe una cum Divino Spiritu præſentem adeſſe cuilibet Fidelium, maxime vero Eccleſiæ Paſtorum cœtui ad Dei gloriam & animarum ſalutem legitime adunato, multo magis Conciliis generalibus, ubi ſingulæ particulares Eccleſiæ congregantur in majoribus ſuis Paſtoribus, ad ea ſtatuenda quæ ad fidei & morum puritatem & integritatem ſpectant. Unde Apoſtoli congregati in primo omnium Concilicrum, quod eſt & cæterorum norma & regula, confidenter dixerunt; [g] *Viſum eſt Spiritui S. & nobis.* Si autem illi Concilio adfuit Spiritus S. ita ut ejus decreta revera fuerint inſtinctu S. Spiritus edita; quidni idem aſſerere poſſunt cætera Concilia, quæ univerſæ Eccleſiæ regulas credendi & operandi præſcribunt, maxime cum Eccleſiam univerſam repræſentant.

[f] *Matth. 18.*

[g] *Actuum 15.*

Secundo, advertendum eſt, eorum quæ cenſentur & dicuntur Canonica & Authentica, duplicem eſſe claſſem; alia enim Canonica & Authentica ſunt per ſe; alia per accidens.

Canonica ſeu Authentica *per ſe*, ea ſunt quæ Prophetæ & Apoſtoli ſcripſerunt afflatu Spiritus S. *Per accidens* vero, ea quæ homines quidem humano Spiritu dixerunt aut ſcripſerunt; at cum Prophetæ & Apoſtoli eis ut veris & utilibus uſi ſint, iſta licet natura ſua ſint, humana & conſequenter errori obnoxia; nihilominus acceſſione auctoritatis Propheticæ & Apoſtolicæ, certiſſima ac divina & authentica cenſentur. Tales ſunt ſententiæ Arati Poetæ Ethnici quem laudat S. Paulus [h]; *Etenim ipſius genus ſumus*, & Epimenidis quem alle-

[h] *Actuum 17.*

allegat 1. cap. ad Titum: *Cretenſes ſemper mendaces, malæ beſtiæ, ventres pigri.* Quibus verbis addit Paulus: *teſtimonium hoc verum eſt.* Licet enim hæc & ſimilia Auctorum Gentilium dicta errori & falſitati poſſint cenſeri obnoxia; quia tamen Apoſtoli auctoritate vera comprobantur, nemo Chriſtianorum eſt, qui ad fidem eis adhibendam eſſe non cenſeat, non quod peculiari S. Spiritus afflatu primum ſcripta ſint, ſed maxime quia ejus inſtinctu ſunt probata.

Tertio tandem præſupponendum eſt Spiritum S. tribus modis ſe habere circa certitudinem & veritatem alicujus Scripturæ, nempe antecedenter, concomitanter & conſequenter; *Antecedenter* ſe habet dum inſpirat, revelat, demonſtrat quæ dicenda ſcribenda-ve ſunt, ita ut de ſuo proprio genio nihil addat Scriptor; ſed ea duntaxat ſcribat quæ a Spiritu S. inſpirata revelataque ſunt ad eum modum quo diſcipulus magiſtro dictante excipit quæ ab eo proferuntur, quod utique fieri poteſt tribus modis. *Primo* per ecſtaſin, ſive per revelationem internam, ut plerumque contigit Prophetis & S. Paulo in raptu. *Secundo* per allocutionem ſenſibilem, qualiter Angelus Dei vices agens, locutus eſt Abrahamo, Moyſi, Danieli, S. Joanni Evangeliſtæ, &c. *Tertio* per lumen aliquod internum divinæ vocis qua Scriptores ſacri intelligunt ſe a Deo illuſtrari & moveri.

Concomitanter ad Scriptorem ſacrum ſe habet Spiritus S. cum non agit vices inſpirantis & dictantis, ſed ſolum dirigentis, ut Scriptorem in nullo errare fallique permittat: qualiter videtur ſe habuiſſe in texendis eis libris ſacris, qui hiſtorias & ab aliis geſta referunt; quales ſunt libri Judicum, Regum, Macchabæorum, Evangeliorum, Actuum Apoſtolicorum, &c. Niſi cum res ob antiquitatem incognitæ ſunt & arcanæ, qualis eſt hiſtoria mundi a Moſe conſcripta ex ſpeciali S. Spiritus illuſtratione & revelatione; non enim aliter certo reſcire potuit Moſes, qualiter mundus fuerit conditus, & quæ abejus primordiis contigerint.

Conſequenter ſe habet Spiritus S. ad aliquam Scripturam, cum aliquid humano ſpiritu, & abſque divina ulla ſpeciali ope, directione & aſſiſtentia, a quopiam homine fuit conſcriptum, poſtea tamen Spritus S. inſtinctu verum ac certum eſſe declaratur. Licet enim hujuſmodi Scriptura ex parte ſui Auctoris, non niſi fidem humanam mereatur; quia tamen divino teſtimonio ejus veritas comprobatur, nullus eſt Chriſtianus qui ut illi fidem adhibeat, auctoritate divina ſe non exiſtimet adactum: tunc enim certum eſt, hæc verba eandem infallibilem veritatem habitura, quam habent cætera, quæ inſpiratione vel directione ejuſdem Spiritus S. conſcripta ſunt: quemadmodum edictum & mandatum Regium confectum ab aliquo Secretario & Scriba Regio, & poſtea ab ipſo lectum, probatum & ſigillo Regio impreſſo munitum paris eſſet auctoritatis ac foret illud quod Rex ipſe conciperet & ſcriberet.

Ex his omnibus elicitur facillime probatio præcedentis aſſertionis, nempe quod verſio noſtra vulgata probata ſit & confirmata auctoritate & inſtinctu Spiritus S. Ea enim verſio Scripturæ ſacræ cenſenda eſt Spiritus S. auctoritate comprobata, quam Eccleſia in generali Concilio cui Spiritus S. præerat ut Canonicam & authenticam eſſe decrevit, & ut talem ab omnibus Fidelibus haberi voluit: At Editio noſtra vulgata ſic ab Eccleſia probata eſt in Concilio generali Tridentino, ut coſtat ex dictis. Igitur fatendum eſt eam eſſe authenticam. Confirmabitur ex ſolutione eorum omnium quæ adverſus noſtram aſſertionem effutire ſolent Novatores.

IV. Opponunt itaque primo: ea Scriptura non cenſetur authentica, quæ primitivo & originali textui non eſt conformis: at vulgata noſtra, neç Hebræo nec Græco textui plerumque concordat. Igitur nemo cordatus eſt qui poſſit eam authenticam cenſere.

Hujus argumenti vis ac diſtinctione poteſt elidi; non concordat interdum cum primitivo textu Hebræo & Græco in multis vitiato, ut nunc extat, tranſeat: cum textu olim puriori, & ab innumeris nævis & maculis quibus uterque hodiernus ille textus conſperſus eſt, nego. Fateor igitur fontes Scripturarum Hebræum ſcilicet textum & Græcum LXX. anteponendos eſſe rivulis verſionum quando puritate ſua & integritate conſtant. Certum eſt autem, ut ſequenti capite multis probabimus, utrumque textum primitivum Hebræum & Græcum in plurimis eſſe mutilum; eoſque fontes multis in locis turbatos & fæculentos fluere. Unde cum Eccleſia Latina conſtantior fuerit in fide retinenda, quam Græca & Hebræorum Synagoga; ita etiam exiſtimanda eſt vigilantior fuiſſe in ſuis Codicibus ſacris, a corruptione & interpolatione ſervandis.

Inſtant, conſtantiſſima ſemper fuit SS. Patrum & Eccleſiæ Doctorum ſententia, toties recurrendum eſſe ad primitivum textum Hebræum vel Græcum, quoties in Latinis verſionibus aliquid mutilum aut obſcurum appareret. Sic præ cæteris S. Hieronymus: [a] *Sicut in novo Teſtamento*, inquit, *ſi quando apud Latinos quæſtio exoritur, recurrimus ad fontem Græci ſermonis, quo novum inſtrumentum ſcriptum eſt: ita in veteri Teſtamento, ſi quando inter Græcos Latinoſque diverſitas eſt, ad Hebraicam recurrimus veritatem.* Et rurſus [b]: *Cogimur*, inquit, *ad Hebræos recurrere, & ſcientiæ veritatem de fonte magis quam de rivulis quærere.* Et Epiſt. 28. ad Lucinium hanc habet ſententiam, quam inter decreta retulit Gratianus [c]: *Ut veterum librorum fides de Hebræis voluminibus examinanda eſt; ita novorum veritas Græci ſermonis normam deſiderat.* Ad quem locum Gloſſa: *Quantumcumque*, inquit, *authenticum ſit aliquid, ſi tamen de ipſo in dubium aliquid revocetur, ſemper exhibendum eſt illud a quo originem ducit.* S. Hieronymum excipit S. Auguſtinus. [d] *Latinæ linguæ homines*, inquit, *Hebrææ & Græcæ linguæ*

[a] *epiſt. ad Sunniam & Fretel.*

[b] *in cap. 8. Zachar.*

[c] *diſt. 9. cap. Ut veterum*

[d] *lib. 2. de doctr. Chriſti cap. 11.*

linguæ cognitione opus habent ut ad exemplaria præcedentia recurrant, ſi quam dubitationem intulerit Latinorum Interpretum varietas. Et alibi : [a] *Cum diverſum aliquid in utriſque Codicibus invenitur, quandoquidem ad fidem rerum geſtarum utrumque non poteſt eſſe verum, ei linguæ potius credatur, unde eſt in aliam per Interpretes facta tranſlatio.* Ad quæ verba Ludovicus Vives: *Hoc ipſum Hieronymus clamat : hoc ipſa docet ratio, & nullus eſt ſaniore judicio, qui repugnet.* Tandem Caſſiodorus [b] : *Quod ſi,* inquit, *alia verba reperiuntur abſurde poſita, aut ex his lectionibus, quas B. Hieronymus in Editione LXX. Interpretum emendavit ; vel quos ipſe ex Hebræo tranſtulit, intrepide corrigenda ſunt : aut, ſicut B. Auguſtinus ait, recurratur ad Græcum Pandecten, qui omnem Legem divinam dignoſcitur continere collectam ; vel quibus poſſibile fuerit, Hebræam Scripturam, vel ejus Doctores requirere non detrectent : decet enim ut unde ad nos venit ſalutaris translatio, inde iterum redeat decora correctio. Merito enim Patribus noſtris de hac re maxima cura fuit, ne tunica Domini, quam truculentis militibus ſcindere non licuit, lectoribus ſubjaceat imperitis.*

[a] *lib. 15. de Civit. Dei cap. 13.*

[b] *lib. 1. divinarum litt. cap. 15.*

At ſi primitivi textus, qui ſunt fontes aliarum verſionum quæ ex eis emanarunt, minus puriores eſſent ipſis rivulis ex eis emanantibus, perperam ad eos recurrendum admonerent SS. Patres, ut ad fontium illorum limpiditatem rivuli ex parte lutulenti & cænoſi illimes fierent.

Reſponſio communis eſt, prudenter & appoſite SS. Eccleſiæ Doctores illos, ita præcaviſſe ac monuiſſe: quoniam illorum ætate Hebraicus textus & Græcus nondum erat, vel Scribarum incuria, vel Judæorum pravitate, vel Maſſoretharum induſtria, vel denique vocalium punctualium affixione ita interpolatus, ut jam extat: (9) Neque enim ipſi diffitentur Heterodoxi, ut ex plurimis eorum dictis teſtatur Morinus [c], plures in Hebræum textum, vel Amanuenſium inſcitia, aut incuria vel Judæorum fraude corruptelas irrepſiſſe; ac ſubinde fontem illum jam non ita limpidum ac purum exiſtere, quemadmodum prioribus ſæculis fluebat: quamobrem non eadem jam occurrit ratio, tantillum cœnoſos rivulos ad fontium puritatem expurgandi quæ prioribus ſæculis vigebat, cum fontes illi limpidius ac purius fluerent.

[c] *exercit. 1. cap. 7.*

Adjicerem ego, Editionem Latinam & delectu & ſtudio Doctiſſimorum virorum, juxta decretum Concilii Tridentini, auctoritate Sixti V. & Clementis VIII. recenſitam fuiſſe, ut ipſe Sixtus V. aperte teſtatur in ſuo Diplomate de emendata ex ſuo decreto Latina Editione anno MDLXXXIX. ubi cum præmiſiſſet præfatas SS. Patrum Hieronymi & Auguſtini ſententias, ſubjicit: *Laudabilem itaque SS. Patrum conſuetudinem religioſe ſecuti ſumus, dum in iis qui apud Latinos nimis ambigue dicta ſeu variata habentur, Hebrææ Græcæque Linguæ fidem & Codices inſpeximus, ſed ne id licentius fieret, quam æquum erat ſolers cautio adhibita fuit.* Eadem luculentius habet præfatio, Editioni vulgatæ hodiernæ præmiſſa; ubi inter cætera admonet: *Quamvis in hac Bibliorum recognitione, in Codicibus manuſcriptis, Hebræis Græciſque fontibus, & ipſis veterum Patrum commentariis conferendis, non mediocre ſtudium adhibitum fuerit: in hac tamen pervulgata lectione ſicut nonnulla conſulto mutata, ita etiam alia, quæ mutanda videbantur, conſulto immutata relicta ſunt : tum quod ita faciendum eſſe, ad offenſionem populorum vitandam S. Hieronymus non ſemel admonuit* [d] *: tum quod facile fieri poſſe credendum eſt, ut Majores noſtri qui ex Hebræis & Græcis Latina fecerunt, copiam Codicum emendatiorum habuerint, quam ii qui poſt illorum ætatem ad nos pervenerunt ; qui fortaſſe tam longo tempore identidem deſcribendo minus puri atque integri evaſerunt.* Ubi vides ab illo Summo Pontifice hanc noſtram reſponſionem fuiſſe præoccupatam.

[d] *epiſt. ad Sunniam & Fretel. præfat. Evang. ad Damaſum.*

Accedit quod nonnullæ quidem dictiones, quaſi ſcatebræ in ipſo translationis alveo videntur enaſci; re tamen ipſa a primario fonte per occultos meatus, nec ita longe emanant, ut ſingula utriuſque Editionis capita invicem diſſidentia æqua lance trutinanti exploratum erit. *Inſuper* cum loca ſacræ Scripturæ ſint in duplici differentia, quædam clara & manifeſta, quales fere ſunt omnes hiſtoricæ recenſiones cum veteris tum novi Teſtamenti ; alia obſcura & difficiliora, cujuſmodi ſunt complures in Pſalmis & Prophetis : etſi Interpres in manifeſtis & apertis locis omnia exacte ad autographum referat ; in obſcuris autem aliquem ſenſum revera literæ congruentem exprimat, tametſi forte ille idem non ſit quem in animo verſabat iſtius libri Scriptor ; non propterea cenſendus eſt erraſſe, aut officium boni Interpretis non accurate impleſſe, quippe qui eum ſenſum expreſſerit, quem Spiritus S. ab eo declarandum eſſe judicabat. Nam, inquit Gordonus Huntlæus, [e] cum ſenſus literæ-

[e] *Controverſ. 1. de verb. Dei cap. 15. n. 5.*

(9) Communis reſponſio hic propoſita non ſatis conſiſtere poſſe videtur, ſi ſanctorum Juſtini, Athanaſii Chryſoſtomi, & Origenis, ac Tertulliani querimoniæ, & incuſationes adverſus Judæos tanquam ſcripturarum depravatores admittantur, quæ ab Auctore noſtro ſub num. 1. capitis ſequentis referuntur, atque reſpectu LXX. verſionis, juſtæ exiſtimantur. Iſtæ ſiquidem Auguſtinum, Hieronymum, & Caſſiodorum latuiſſe credendæ haud ſunt, cum prælaudatorum Patrum ſcripta diu antea vulgata forent, quam Caſſiodorus, aliique ab eo nominati ſuos libros exararent. Ut igitur utrumque ratum ſubſiſtere queat, dicendæ videntur Hebræorum διαστροφαὶ non univerſim in ſacros codices invectæ fuiſſe, ſed in quoſdam ſolummodo, plurimis interim Scripturæ divinæ exemplaribus, tum Græcis, tum Hebraicis in ſua integritate permanentibus, quæ poſtea ſcribarum incuria, & malitia eamdem ſubiere fortunam poſt S. Hieronymi ætatem, ut variis exemplis ſub numero V. capitis ſequentis Fraſſenius oſtendit. Ad intemeratos itaque Codices Auguſtinus, & Caſſiodorus; ad depravatos autem antiquiores Patres reſpexiſſe videntur; vel ut inquit Bellarminus lib. 2. de verbo Dei cap. 2. Patres iſti de codicibus Aquilæ, Theodotionis, & Symmachi, qui ſuis verſionibus ſcripturam contaminaverunt locuti ſunt. (W)

teralis sit ille, quem Auctor intendit; Auctor vero proprius & præcipuus sacræ Scripturæ sit ipse Deus, cujus intentio & mens non est alligata uni duntaxat veritati (ut est hominum intelligentia) sed omnia eodem prorsus momento comprehendat; dubium non est quin possit Deus iisdem verbis, eodemque tempore diversa nobis significare.

Quod appositè declarat S. Augustinus: „ Quando, *inquit*, ex iisdem Scripturæ verbis, non unum aliquid, sed duo vel plura „ sentiuntur, etiam si latet quid senserit ille „ qui scripserit, nihil periculi est, si quodlibet eorum congruere veritati ex aliis locis sanctarum Scripturarum doceri potest, „ id tamen eo conante qui divina scrutatur eloquia, ut ad voluntatem perveniatur Auctoris, per quem Scripturam illam „ sanctus operatus est Spiritus: sive hoc assequatur, sive aliam sententiam de illis „ verbis quæ fidei rectæ non refragatur, „ excsculpat, testimonium habens a quocunque alio loco divinorum eloquiorum. „ Ille quippe Auctor in eisdem verbis, quæ „ intelligere volumus & ipsam sententiam „ forsitan vidit, & certe Dei Spiritus, qui „ per eum hæc operatus est, etiam ipsam „ occursuram Lectori & Auditori sine dubitatione prævidit, imo ut occurreret, „ quia & ipsa est veritate subnixa providit. „ Nam quid in divinis eloquiis largius & „ uberius potuit divinitus provideri, quam „ ut eadem verba pluribus intelligantur modis: quos alia non minus divina contestantia faciant approbari? *Hæc S. August.* Qui ea de re etiam videndus est lib. 12. Confess. cap. 32.

Urgent insuper, Ea versio censeri non potest authentica, quæ tametsi pluries emendata innumeris adhuc scatet solœcismis, antilogiis & aliis mendis: At ita est de Editione Latina vulgata. Hæc enim inquiunt, Hunnius. Vvitacherus, & alii Heterodoxi, solœcismis & barbarismis plurimis abundat, præsertim in Psalterio. Sic Psalm. VII. *Sagittas suas ardentibus effecit*, cum scribere debuisset *ardentes* vel *ignitas*. Psal. 9. 10. *Cadet, cum dominatus fuerit pauperum*; Ubi contra Syntaxim verbum *dominor* hic, ut alibi sæpe, cum genitivo construitur. Psal. LIX. *Partibor Sichimam, & convallem Tabernaculorum metibor*; ubi voces *partibor* pro *partiar*, & *metibor* pro *metiar* absurde reddidit. Psal. LXXVII. *Attendite populo meus*; ut quot voces, tot, inquiunt, errores; nam verbum pluralis numeri, præter Grammaticæ regulas, construitur cum nominativo singulari. Insuper *populo* in vocativo, non reperitur apud classicos Scriptores, denique *meus* habet in vocativo *mi*: (10) Plurima his similia cum ex veteri tum ex novo Testamento congerunt, ut videbis apud Gretserum [a] & Leonardum Marium [b]. Ex quibus inferunt Adversarii Editionem vulgatam minus esse probandam, tametsi plurimum circa illius emendationem laboratum sit: Nam paulopost Concil. Tridentinum, Biblia Plantinianæ Editionis ad fidem vetustissimorum manuscriptorum tota Europa conquisitorum excusa, judicata sunt a Sapientibus præ cunctis aliis castigatissima; & tamen Sixti V. Summi Pontificis jussu, plurimis adhuc mendis ex eadem Editione expunctis, nova & castigatior Bibliorum Editio prodiit; de qua hæc ab eodem Pontifice constitutio edita est ann. MDLXXXIX. *De Apostolicæ auctoritatis plenitudine, statuimus ac declaramus, eam vulgatam sacram, tam veteris quam novi Testamenti Latinam Editionem quæ pro authentica a Concil. Trident. recepta est, sine ulla dubitatione ac controversia censendam esse hanc ipsam, quam nunc, prout optime fieri potuit, emendatam, & in Vaticana Typographia impressam, in universa Christiana Republica, atque in omnibus Christiani Orbis Ecclesiis legendam evulgamus. Eamque nunc demum Apostolica nobis a Domino tradita auctoritate comprobatam, pro vera, legitima, authentica & indubitata in omnibus publicis privatisque disputationibus, lectionibus, prædicationibus & explanationibus recipiendam & tenendam esse.* Sic quidem Sixtus V. Post cujus eximiam operam in adornanda illa sacrorum Bibliorum a se suscepta recensione, habebant unde existimarent Latini se jam habere Biblia castigatissima, & omnibus erroribus repurgata.

V. At ut habet præfatio Bibliis hodiernis præfixa, *Cum jam a Sixto V. susceptum opus esset excusum, & ut in lucem emitteretur, idem Pontifex operam daret, animadvertens non pauca in sacra Biblia præli vitio irrepsisse, quæ iterata diligentia indigere viderentur, totum opus sub incudem revocandum censuit atque decrevit, Id vero cum morte præventus præstare non potuisset, Gregorius XIII. qui post Urbani VII. duodecim dierum Pontificatum Sixto successerat, ejus animi intentionem executus, perficere aggressus est, amplissimis aliquot Cardinalibus aliisque doctis-*

[a] *in Epistme.*
[b] *in prolog. quæst. 6.*

(10) Quidquid de solœcismis in Vulgata nostra occurrentibus obiiciunt nobis hujus editionis inimici, resolvit egregie Auctor noster sub num XV. capitis præcedentis; de Antilogiis, autem, & mendis in capite 4. sequenti disputat. Hic autem monere tantum sufficiat Græcos & Latinos Interpretes sæpe sæpius in suis versionibus casum pro casu in nominibus, in verbis autem unum tempus pro altero usurpare fuisse compulsos, ob idiotismos, ut ajunt, sive peculiares proprietates, vel characteres Hebraicæ linguæ, in qua casus diversi non habentur, sed unicum nomen per omnes casus adhibetur: Verba pariter illius idiomatis cum indicativo careant præsenti, & imperfecto, pro illis præteritum, vel participium est usurpandum. Plurima alia de Hebraicæ linguæ proprietatibus disputat Bernardus Lamy sui Apparatus biblici lib. 2. cap. 8. ex quo facillime poterit quisquam intelligere, quam facile variantes ex eodem fonte habitæ sint Interpretationes. Si autem his adjungamus plurium Literarum Alphabeti Hebraici similitudinem, nullo negotio ejusdem loci diversa nomina haberi potuerint dignoscemus; ob similitudinem ר, & ד, daleth nempe & *Resch* factum est, ut eadem Civitas ab aliis *Reblata*, ab aliis autem *Deblata* dicta fuerit Ezechiel. 6. ℣. 14. Ob analogiam pariter inter י *iod*, & ו *vau* intercedentem alii Ezechielis ejusdem alterum textum legerunt עין *ain*, ideſt *oculus*; alii vero עון *avon*, ideſt iniquitas, ut advertit S. Hieronymus. De istis autem nonnulla tradidimus in nota (27) ad Librum 2. (*W*)

doctissimis viris ad hoc iterum deputatis. Sed eo quoque & qui illi successit Innocentio IX. brevissimo tempore de hac luce substractis, tandem sub initium Pontificatus sui Clemens VIII. opus in quod Sixtus V. intenderat, Deo bene juvante, perfectum est. Nam in hac nova Editione plurimi nævi, qui in Sixtina remanserant, expuncti sunt, & multa alia de industria mutata & correcta, quæ a Thoma Jamesio Bibliothecario Bodlejano in libro de Editionum Sixti & Clementis differentiis edito & inscripto, *Bellum Papale*, ad duo millia recensentur. Neque tamen hæc Clementina Editio purissima est & omnibus mendis expurgata; id etiam attestantibus viris doctissimis illius Editionis emendationi propositis, ut constat ex præfatione huic Editioni ab illis præfixa; ubi inter cætera habet: *Accipe igitur Christiane Lector, eodem Clemente Summo Pontifice annuente, ex Vaticana Typographia, veterem ac vulgatam sacræ Scripturæ Editionem quanta fieri potuit diligentia castigatam: quam quidem sicuti omnibus numeris absolutam pro humana imbecillitate affirmare difficile est, ita cæteris omnibus, quæ ad hanc usque diem prodierunt emendatiorem purioremque esse, minime dubitandum.*

Quin etiam Franciscus Lucas Theologus & Decanus Cathedralis Ecclesiæ Audomarensis libellum edidit in quo deprehendit quatuor mille & amplius loca, quæ in Bibliis jussu Clementis emendatis ulterius possent corrigi. Idemque in epistola hujusce prioris collectionis nuncupatoria, refert testimonia ex literis ad seipsum scriptis ab Eminent. Roberto Bellarmino Cardinali & Joanne Baptista Bandino, quorum opera Clemens usus fuerat, in Bibliorum a se edita correctione. Uterque Francisco Lucæ rescribit, sacra Biblia per illam Clementinam, quæ de Vaticana Typographia paulo ante prodierat, Editionem nec dum accuratissime correcta, & supereesse non pauca, quæ adhuc in melius mutari possent; verba Bellarmini sunt: *De libello ad me misso gratias ago. Sed scias velim, Biblia vulgata non esse a nobis accuratissime castigata. Multa enim de industria justis de causis pertransivimus, quæ correctione indigere videbantur.* Et idem Lucas ibi præcludens objectionem, nempe quod cum vetus Editio Latina a Trident. Concilio probata atque authentica pronuntiata sit, nulla amplius castigatione opus esse videatur: ridiculum id prorsus esse pronuntiat; Neque enim, *inquit*, Concilium Editionis hujus exemplaria erratorum expertia esse judicavit, neque etiam certum aliquod Editionis exemplar sequendum omnibus proposuit: sed editionem ipsam, cæteris quæcunque extant, Latinis Editionibus prætulit, & authenticam definivit. Hanc qui voluerit ex Hebræo aut Græco niutare, aut suo proprio judicio corrigere, correctamque pro ipsa veteri Editione emaculata proponere, is Synodi sententiæ proculdubio adversetur: non enim veterem servat, sed suam obtrudit Editionem. Cæterum qui ex variis ipsius veteris Editionis exemplaribus, illi emendandæ, & primævæ lectioni germanæque Interpretis Scripturæ restituendæ operam navaret; tantum abest, ut menti Synodi adversetur, ut ipse ad hoc, Synodo hortante, ex mente Synodi faciat. Statuit enim ut hæc ipsa vetus & vulgata Editio quam emendatissime imprimatur; emendate autem imprimi haud posse videtur, nisi collatis variis illius exemplaribus, menda deprehensa eliminentur, sincera lectio admittatur. *Hæc ille.* Ex quibus omnibus compertum sit, Editionem vulgatam plurimis adhuc nævis fœdari; nec subinde censeri posse authenticam.

VI. Verum, ait Sixtus V. in sua constitutione; non abnuimus quidem *pleraque Latinæ hujus Editionis voces ac locutiones proprie, aut eleganter aut perspicue, aut breviter, aut copiose magis, aut tanquam verbis ad verba demensis, a Latino Interprete verti potuisse. Verum de his minuta nimium & angusta concertatio videtur: neque enim tanti sunt, ut non iis & antiquioris Ecclesiæ Religio, & SS. Patrum jure anteponatur auctoritas; prorsusque indignum est, beato Gregorio teste* [a], *ut sub Donati regulis, verba cælestis oraculi restringantur.*

[a] epist. ad Leandrum.

Cum itaque omnes illi quot quot objici possent vulgatæ Editionis defectus, quicunque illi sint, nullum præjudicium faciant fidei dogmatibus, nec moribus probe instituendis adversentur, etiam non efficiunt quin hæc Editio censeatur authentica; alioqui nulla legitima esset Scriptura sacra; quippe cum, neque ipsi fontes Hebræi & Græci jam limpidissime fluant; imo plurimis nævis sint conspurcati: nec ipsa sancta Ecclesia in omni sæculorum decursu ab Authographorum sacrorum librorum deperditione, hactenus obtinere potuit, ut omni ex parte illibata, & his levioribus mendis expurgata Biblia possideret. Nullum enim, *inquit Vuoverius* [b], privilegium Judæis pro veteri, nec Christianis pro novo Testamento concessum novimus, vel providentiam divinam eorum Codicibus magis invigilasse quam Christianorum; ut cum multæ variantes lectiones in Græcis Codicibus etiam antiquissimis occurrant, Codices Hebræos ab eis immunes esse credendum sit. Quod enim quidam superstitiose verentur, ne hoc modo vacillet fides, & de salutis doctrina actum sit, nisi eandem Scribis διαμαρτυρίαν quam ipsis Scriptoribus sacris tribuamus, vanum & frivolum est: Cum enim de facto constet lectiones varias inveniri in antiquissimis & probatissimis Codicibus, quod negari a nemine possit, nisi oculos occludat, quam absurdum est ad consequentias fictitias, quas quidam sibi imaginantur, negare quod palam & omnibus notum est? Hoc enim est, ac si quis Solis Eclipsim oculis conspiciat, negaret tamen hoc fieri posse, quia tabulæ Prutenicæ nullam tali hora futuram prædixerant: licet vero tam ipsorum, qui tales consequentias metuunt, interfit quam nostra, ad eas respondere, quam di-

[b] *differt. de linguis Orientat. pag. 112. & sequentib.*

„ dilutum tamen fit argumentum, quivis „ facile perſpicere poteſt. Quis enim ita ar- „ gumentantem non rideret? In Livii ſcri- „ ptis errata quædam irrepſerunt Librario- „ rum incuria, ergo vacillat tota Romanæ „ hiſtoriæ fides, vel nihil certi habemus de „ Cæſare, Pompejo & aliis: vel in Ariſto- „ telis & Platonis libris, exemplaria in qui- „ buſdam variant minutis; ergo nihil cer- „ tum eſt in eorum Philoſophia, Hoc profe- „ cto eſſet omnem hiſtoriarum fidem de „ mundo tollere, & libros omnes antiquos, „ & corruptos, abjiciendos ſtatuere. *Hæc ille.* Quantum autem ad Sphalmata & antilogias quæ paſſim objiciuntur, in ſequenti capite quarto nobis erit ſermo.

§. II.

Utrum ex Decreto & mente Concilii Tridentini Editio vulgata fontibus Hebræis & Græcis æquanda ſit, aut etiam præferenda.

VII. CErtum eſt in-primis Tridentini Concilii decreto, vulgatam Editionem, non fuiſſe antepoſitam fontibus Hebræis & Græcis omnino puris & illibatis, *Nihil enim* (inquit Salmeron [a] qui Concilio interfuit) *de exemplaribus aut Græcis aut Hebræis agebatur; tantum inter tot Editiones Latinas, quot ſæcula noſtra parturierant, quænam ex illis præſtaret, ſermo erat: & rejectis reliquis Latinis, unam hanc vulgatam reliquis tanquam veriorem, puriorem, dilucidiorem, ac ſuis fontibus, unde eſt orta, magis conſentientem pronuntiavit, atque huic Soli, ut commentariis & Scholiis illuſtretur, contulit, ut illam ad conciones, lectiones, & publicas diſputationes adhibeamus: atque adeo ut nullus ſibi tantum arroget, aut tantum audeat, ut eam rejiciat, aut contemnat. Liberum autem reliquit omnibus qui Scripturas ſacras profundius meditantur, fontes Græcos aut Hebræos, quatenus opus ſit, conſulere; quo noſtram vitio Librariorum, aut temporum injuria corruptam, emendare valeant .... Licebit itaque nobis, ſalva Concilii Tridentini Generalis auctoritate, ſive Græci ſive Hebræi exemplaris lectionem variam producere, eamque ut verum Bibliorum textum expendere & enarrare: nec tantum bonos mores per eam ædificare: verum etiam fidei dogmata comprobare & ſtabilire; atque adeo ab illis ſumere efficax argumentum, tanquam ex textu Spiritus ſancti.* (11)

[a] *prolegomen.* 3.

In

(11) Poſt laudata Salmeronis verba ab Auctore noſtro poſſunt alia ſubjungi, quæ parum non faciunt ad clarius aperiendam ejus Scriptoris mentem: ait itaque laudatus Salmero citato loco. „ Quod „ ſi hæc tria exemplaria incorrupta extarent, & „ immaculata non eſt in dubium vocandum quin „ Hebræa, quæ fons eſt, & origo aliarum cæ- „ teris eſſet anteponenda, tum quia antiquior & „ prototypus aliarum, tum quia magis in pro- „ pria lingua phraſes ejus, hoc ſpiritus ſancti lo- „ quentis conſervarentur, quam in aliena, tum „ denique quoniam ex eodem loco multi ſenſus „ litterales erui poſſent propter fæcunditatem He- „ bræarum vocum, cum tamen Interpres nonniſi „ unum ſignificatum exprimere potuerit. Multæ „ etiam alluſiones vocabulorum melius in propria „ lingua diſcernerentur, ut Angelus de Nomine „ Jeſu dixit, & Abigail de Nabal ſtulto, & Da- „ niel de falſis Suſannæ teſtibus ſecandis, & ſcin- „ dendis „. Ex hiſce præmiſſis concludit poſtea doctus ille Auctor, quod ſi aliquid in Vulgata noſtra legamus a Græcis, vel Hebraicis lectionibus diſconveniens, dummodo invicem non contradicant vere, & proprie, utramque lectionem eſſe retinendam, & in catholico ſenſu explicandam. Si vero ad invicem (quod raro evenit) contradicant vere, & non ſpecie tenus, illi magis ſtandum lectioni animadvertit, quæ magis cum præcedentibus conſonat, & ſequentibus, aut quæ magis cum Evangelicis literis convenit, & Apoſtolicis; aut illi, quæ antiquiora, & probatiora habet pro ſe exemplaria, & a pluribus Patribus approbata eſt, & agnita, ſive Hebræa ſit, ſive Græca, ſive Latina. Si tamen ad originales codices ſit recurrendum ut legitimam aſſequamur lectionem, id intelligendum vult de codicibus integris, & intemeratis, alioquin, relictis fontibus, verſioni ſtandum omnino erit, ſi fidelior comprobetur, & incorruptior. Hac Salmeronis œconomia in tuto poſiti videntur omnes omnino Catholicæ comunionis. Theologi, quamvis ex eis plures, tam numero, quam doctrinæ præſtantia clariſſimi eo uſque vulgatam noſtram poſt Concilii Tridentini decretum ſeſſione 4. ſancitum extollant, ut textibus originariis tum Græcis, cum Hebræis præferendam defendant; inter quos Tirinus controverſia 2. num. 9. Gregorius de Valentia lib. 8. Analyſis Fidei cap. 5. punc. 4. Azzorius lib. 8. Inſtit. cap. 3., & cum iſtis pluſquam triginta alii, quorum nomina, & opera ab inſigni recenſentur Joſepho Blanchinio in ſua Præfatione ad Tomum 1. *Vindiciarum Canonic. Scripturarum* præmiſſa. Hujus ergo claſſis Theologi Vulgatam noſtram divinæ veracitatis ne dum in iis agnoſcunt, quæ fidei morumque doctrinam reſpiciunt, ſed quidquid inſuper in eadem de rebus geſtis, ſeu hiſtorice, ut ajunt, enarratur nulli ſubeſſe falſitati pro viribus propugnant; unde fatentur quidem aliquas adhuc ex Typographorum, aliorumque negligentia in eamdem mendas irrepſiſſe, alia etiam clarius, ſignificantius, proprius, & latinius reddi potuiſſe, non tamen verius, aut ſimpliciter certius. Si igitur Græci, & Hebraici textus cum Vulgatæ noſtræ textibus cohæreant ejuſdem cum illis auctoritatis exiſtimant; ſi ſecus, per noſtros eſſe caſtigandos opinantur; cum enim verbum Dei revelatum, integrum, inviolatumque in vera Dei Eccleſia, divina opitulante providentia, potius quam in Sathanæ Conventibus ſervatum fuiſſe debeamus ſupponere, ſaltem quoad Spiritus Sancti ſenſum, atque ſententias, quidquid ſit de nonnullis voculis particularibus adhuc correctioni ſubjiciendis, jam a pluribus ſæculis Eccleſia Chriſti in Vulgata Dei verbum ſcriptum cum agnoverit, quis ſine piaculo queat de Vulgatæ hodiernæ veracitate, atque divinitate ſubdubitare, quamquam in alienum ſermonem translatum habeamus Verbum Dei ab eo, in quo divini Scriptores illud exararunt? Synagogæ temporibus in Græcum ſacra Biblia translata ſunt, & nihilominus veluti divinam auctoritatem habentia admittebantur, poſtquam a Synagoga ipſa ea translatio confirmata eſt, minoris inerrantiæ in Sacris Codicibus recenſendis erit ne illa Chriſti Eccleſia, contra quam inferorum portæ nequaquam prævalituræ jam a Chriſto Domino prædictæ ſunt? minime quidem. Nihili propterea faciendam Vulgatæ noſtræ cenſuram inter Criticos ſacros a quodam Sixtino Amana editam arbitramur, cum

In eandem sententiam conspirat Andræas Vega, [a] qui & ipse Concilio Tridentino maxima cum laude interfuit, asseruitque Concilii Patres cum vulgatam authenticam pronuntiarent, nihil aliud significasse, quam, inquit, *Ut certum omnibus esset, nullo eam dedœdatam errore, ex quo perniciosum aliquod dogma in fide & moribus colligi posset:* testemque hujus veritatis profert Cardinalem a sancta Cruce Pauli III. Summi Pontificis Legatum, & ipsius Concilii Præsidem, postea vero Pontificem maximum, nomine Marcellum II. qui cum in vivis esset dum hæc Vega scriberet, possetque de re tota interrogari, nemini dubium est, inquit Serarius [b], quin verissima scripserit Vega. Idem docet Bellarminus [c], ubi refellens mendacium Calvini [d] dicentis Tridentinos Patres decrevisse minime esse audiendos eos qui ex fonte ipso purum liquorem proferunt, & ex certa veritate falsum coarguunt. *Hoc ideo mendacium voco*, inquit Bellarminus, *quod nihil ejusmodi in decreto Concilii legatur, nec enim Patres fontium ullam mentionem fecerunt sed solum ex tot versionibus Latinis, quæ nunc circumferuntur, unam, delegerunt, quam cæteris anteponerent, &c.* Similiter Bonfrerius [e] constanter pronuntiat, ea Concilii definitione non anteponi versionem nostram fontibus ipsis Hebræis nec Græcis, cum nulla horum fiat mentio, atque adeo & nulla cum his instituatur comparatio, maxime si de fontibus puris legatur: *Semper enim*, inquit, *fontes puri ipsis rivulis quantumvis puris præferuntur, vel ad minimum exequantur, cum tota rivulorum puritas ex fontium puritate emanet.* Missos facio cæteros, maxime Sixtum Senensem [f], Serarium, [g] Marianam [h], & alios plures in eandem sententiam conspirantes.

Idipsumque haud obscure significat Concilii sanctio, quæ Latinis aliis versionibus duntaxat vulgatam nostram anteponit, ut manifestum fit ex his illius verbis: *Sacrosancta Synodus considerans non parum utilitatis accedere posse Ecclesiæ Dei, si ex omnibus Latinis Editionibus, quæ circumferuntur, sacrorum librorum, quænam pro authentica habenda sit, innotescat; statuit & declarat &c.* Ubi vides vulgatam Editionem cæteris quidem Editionibus Latinis præferri, non autem fontibus Hebræis aut Græcis quorum ibi nulla fit mentio,

Quamobrem verisimilior mihi videtur hæc sententia, quam ea quæ hoc Concilii decreto vulgatam Editionem originariis textibus antepositam esse contendit; quam tuentur Canus [i] Gregorius de Valentia [k], Suares [l] & alii, his maxime inducti momentis: *Primo* quod ubi Concilium librorum Canonicorum seriem recensuit, statim addit: *Si quis autem libros ipsos integros cum omnibus suis partibus, prout in Ecclesia Catholica legi consueverunt, & in veteri vulgata Latina Editione habentur, pro sacris & Canonicis non susceperit . . . Anathema sit.* Ubi, inquiunt, Concilium libros eos pro sacris & Canonicis solum habere decernit, quatenus in veteri vulgata Editione Latina habentur: non judicat ergo parem ipsis tribuendam auctoritatem, quatenus habentur Græce aut Hebraice. *Deinde* Concilium in sequenti decreto de usu sacrorum librorum statuit & declarat, *Ut hæc ipsa vetus & vulgata Editio quæ longo tot sæculorum usu, in ipsa Ecclesia probata est in publicis lectionibus, disputationibus & expositionibus pro authentica habeatur*; nulla mentione facta textus Hebræi vel Græci. Censet ergo vulgatam Editionem Latinam esse revera certam fidei & Catholicæ doctrinæ, morumque probe instituendorum regulam. Quorsum enim textum Hebraicum aut Græcum siluisset, si revera parem cum vulgata Latina, aut ea majorem

[a] *lib. 15. cap. 9.*

[b] *cap. 19. quæst. 11.*
[c] *lib. 2. de verbo Dei cap. 10. & 11.*
[d] *in Antidoto sess. 4.*

[e] *Proleg. in Script. S. sect. 3.*

[f] *lib. 8. Bibliothec.*
[g] *quæstione 12.*
[h] *tract. de Edit. vulgat.*

[i] *lib. 2. cap. 13 & 15.*
[k] *lib. 8. Analis. cap. 5.*
[l] *in 3. part. quæst. 7.*

cum hominis turbulenti loquacitatem, facundiam existimantis vipereus sit partus; hominis inquam, cui non solum catholicis singillatim, sed universæ Christi Ecclesiæ per suos Pastores insimul congregatos repræsentatæ maledicere volupe est; „ hinc „ de repente se tamquam serpens e latibulis, ocu„ lis eminentibus, inflato collo, tumidis cervici„ bus in Cathedram pestilentiæ intulit, & quasi supremus Judex omnium intonat ab alto, cæco fu„ rore; bilique perculsus, quod Tridentini Patres in Sacrorum Librorum censum Apocrypha retulerint; quod sacros rejecerint Bibliorum fontes; quod Pseudo-traditiones Apostolicas sibi adoptaverint; quod divinum Verbum temeraverint; quod errores canonizzaverint, ut ille ait; multa denique alia canis, ille & furca obgannit, quæ, in tædium tandem itur, si numerentur. Veruntamen cesset, ajebat olim S. Hieronymus acuato vulnere contra nos insurgere Scorpius, & Sanctum opus, Sanctamque Ecclesiam, venenata carpere lingua. Versionem, quæ longo sæculorum usu primas in Ecclesia tenebat recepere Tridentini Patres ejus mendas, si quæ scriptorum ignavia, vel malitia irrepserant expungendas decreverunt, sicut & Damasus Papa olim expurgandi ab erroribus novi Testamenti libros S. Hieronymo provinciam commisit; ejus est enim rerum nostrarum conditio, ut semper labantur in pejus. Hæc est illa versio, quæ semper in Occidentis Ecclesia, tanquam Verbum Dei scriptum repræsentans habita fuit, quamvis in variis codicibus quamdam verborum varietatem subierit, quarum tamen maximam partem S. Hieronymus aliique deinde castigatores emendarunt. Ad Hebraicos fontes limpidos tamen omniumque depravationum expertes recurrere si mendam in verbis, si obscuritatem in sensibus, si quid minus significanter in nostra dictum habeamus, nunquam Ecclesia prohibuit. Ast Criticos inter quis nesciat maximam fuisse concertationem de legitima, vel depravata hebraici textus lectione? Simonium in critice facultate non modice, sed egregie peritum si audiverimus nulla, nisi corrupta quam valde Hebraici textus exempla extare adfirmat Lib. 3. Cap. 1. Historiæ Crit. vet Test.; quot propterea excogitavit principia ad integram Bibliorum lectionem restituendam! Si autem ita se habet negotium, ut re vera se habere demonstrat Auctor noster cap. 2. sequenti sub num. V. quis ad dijudicandum sedebit Judex num penes nos ipsos in Vulgata, vel num in depravatis, aut saltem depravationis suspectis Hebræorum Codicibus vera divinarum scripturarum lectio contineatur. In nostra calamum S. Hieronymi viri etiam Protestantium adsertione in lingua Hebraica peritissimi maximam habere partem, ex Maximi Doctoris Codicibus in lucem editis superius nota (7) verosimile fecimus. Quæ autem a Sixtino Amana proferuntur variantes, ut Vulgatam hodiernam, tamquam erroribus scatentem redarguat, atque refellat, nullius esse roboris, inferius ab Auctore nostro Cap. 4. hujus libri revincuntur. (*W*)

rem auctoritatem habere censuisset. *Denique* addit Concilium : *Nemo illam* (vulgatam) *rejicere quovis pretextu audeat vel præsumat*: At, inquiunt, si fontibus Hebræis aut Græcis illa non esset præferenda, liceret interdum hanc aliquo prætextu rejicere; siquidem eis in locis, in quibus cum textu Græco aut Hebræo non concordat, dicet aliquis illam aut eos fontes non assequi, aut certe minus bene: diceret pariter in ea aliquid vel additum vel detractum aut mutilatum; quippe cum ab ipsis fontibus deviaret. Quamobrem ex ea parte videretur rejicienda; quod cum Concilium sub anathemate prohibeat, censet proinde textum Hebraicum aut Græcum ipsi non esse præferendum.

Verum hanc utramque pugnantem sententiam ad unitatem forte revocabit, quisquis censuerit Concilii mentem non esse Latinam Editionem vulgatam textibus originariis, etiam jam extantibus, in omnibus esse præferendam; sed duntaxat eis in locis, in quibus hi, vel Amanuensium incuria aut ignorantia; vel Judæorum & hæreticorum pravitate & malitia fuerunt interpolati : dum interim Editio vulgata ex purioribus illis fontibus olim expressa, (Ecclesiæ Romanæ, in sibi commissis a Deo sacris depositis fideliter servandis vigilantissimo studio) puritatem suam & integritatem primigeniam illibate custodiret: nam textus originarios Judæorum vafritie plurimis in locis interpolatos ac depravatos fuisse compertum fiet ex sequenti Capite.

Ex his saltem exploratum esse debet, Tridentinum Concilium præfato decreto vulgatam Editionem Latinam authenticam pronunciasse: non quidem *indefinite* & absque ulla restrictione, quasi aut sola esset, aut præ cæteris in omnibus a Fidelibus audienda; sed *definite*, ac certis cum modificationibus, ut post Bellarminum Gretserum & alios non vulgaris nominis Auctores luculenter explicat Serarius, [a] qui cum dixisset : *Quæ a Concilio Tridentino vulgatæ Editionis tribuitur auctoritas, non est infinite accipienda, sed definite certis cum modificationibus.* Has restrictiones potissimum quatuor exhibet, quarum I. ad subjectum pertinet; nempe *ut versio emendata sit, vel potius emendatissima*: tres aliæ ad prædicatum. nempe II. *ut nihil quod veritati, ac fidei bonisque moribus repugnet, habeat*. III. ut *nihil contineat quod justam ulli opinioni cujuscunque noxiæ aut inutilis occasionem præbeat*. IV. ut *in ipso versionis genere bona sit; id est, bene primigenium textum vertat, ejusque sententiam reddat*. Quam postremam conditionem approbans Gregorius de Valentia [b], ait, *Versionem aliquam esse authenticam, nihil hoc loco aliud est, quam eam esse omnino in sententia conformem Scripturæ originali.* Hanc autem modificationem superioribus adjungendam existimat Serarius, quia vix alioqui aliquid amplius vulgatæ Editioni tribueret Synodus, quam solet bona & accurata tribuere censura libris Catholicorum ab iis qui illos censent facta.

Non is tamen arbitror Serario in his fuit animus, ut voluerit ea duntaxat ratione a Concilio vulgatam Editionem Latinam fuisse probatam, quatenus primigenium textum, sive Hebræum veteris Testamenti, sive Græcum Novi, ut Codices jam extant, exactissime referat; atque etiam illa ab omnibus omnino mendis sit expurgata. Enimvero certum est illam nec a levioribus mendis prorsus immunem esse; nec textibus originariis jam extantibus in omnibus concordare; maxime cum hi in pluribus locis sint interpolati, & per noltram Editionem Latinam, (ut paulopost declarabimus) emendandi. Sed duntaxat censuit Vulgatam eatenus a Concilio authenticam fuisse declaratam, in quantum hæc illis corresponderet fontibus Hebræis & Græcis, ex quibus primum profluxit, uti colligi potest ex veterum Ecclesiæ Doctorum monumentis, quos in-primis consuluerunt illius vulgatæ Editionis sub Sixto V. & Clemente VIII. emendatores. *Insuper* quod in ea nihil quicquam inveniendum sit. *Ex quo*, inquit Andræas Vega supra laudatus, *pernicioslum aliquod dogma in fide & moribus colligi posset.* Unde Sixtus Senensis [c], tametsi concedat errata quædam & leves defectus in Vulgata reperiri; nihilominus tamen eam authenticam pronunciat, quia *Certum est*, inquit, *neque in veteri neque in nova Editione aliquid unquam inventum esse, quod fuerit a veritate Christianæ fidei devium, falsum-ve ac mendax, vel contrarium dogmatibus ac regulis orthodoxis; vel præter veritatem additum, vel contra veritatem mutatum: vel in præjudicium veritatis omissum; vel adeo depravatum, ut occasionem perniciose errandi attulerit; vel Hæresibus ac pravis dogmatibus materiam & fomenta præstiterit; vel ita obscure & ambigue versum, ut mysteria nostræ fidei occultaverit, aut non ad sufficientiam & quantum satis est, ad salutem explicaverit.* Et rursum paulopost dicit, leves illos defectus in Editione quidem esse, sed citra ullum fidei ac morum detrimentum. Ex quibus inferre licet ex mente Concilii, vulgatam Editionem fontibus Hebræis jam extantibus, saltem esse in auctoritate æquiparandam: an autem etiam interdum præferri debeat, apparebit ex sequenti.

[a] *Quæstiunc.* II.

[b] *lib.* 8. *Analisaos cap.* 5.

[c] *lib.* 8. *Bibliotb.*

CAPUT TERTIUM.

Editio Latina Vulgata fontibus Hebraicis nunc extantibus comparatur.

I. *Plurimi e veteribus Ecclesiæ Patribus Sacros Codices a Judæis depravatos fuisse judicarunt.*
II. *Loca Scripturæ ab Judæis interpolata proponuntur.*
III. *Qui stent pro Hebraici Codicis integritate.*
IV. *Quid ad Patres oppositæ sententiæ isti reponant.*
V. *Plura sunt in Hebræo quæ ad vulgatæ integritatem emendari debent.*
VI. *Aquilæ editio interpolationes Hebraici Codicis demonstrat.*
VII. *Quid reponant Judæi.*
VIII. *Modi quibus Judæi Scripturam depravant.*

I. FUIT olim communis & pervagata apud veteres Ecclesiæ Doctores sententia, Judæos in odium Christianorum sacros suos Codices Græcos & Hebræos eis in locis, quibus Christi D. Divinitas, Incarnatio, & omnia illius tam mysteria quam oracula & miracula haud obscure declarabantur, aut penitus expunxisse; aut in tantum depravasse, ut alienam omnino a mente Scriptoris sacri significationem referrent. Ita præcæteris censuit S. Justinus Martyr, qui cum Tryphone Judæo disputans, ait: [a] *Verum enim vero, Doctoribus vestris non credo negantibus LXX. Seniores Interpretis officio recte functos apud Ptolemæum Ægypti Regem; unde ipsi secus interpretari conantur. Multas quoque Scripturas in totum sustulerunt ex Editione LXX. Seniorum, quæ manifeste hunc ipsum crucifixum, & Deum, & hominem, & in cruce mortuum prædicabant apud vos ignorare non patior.* Tryphoni autem hujus depravationis exempla poscenti, quatuor suppeditat S. Justinus. Primo namque in Esdra, *inquit*, ubi „ de lege Paschatis agitur, hanc interpretationem submoverunt: *Et dixit Esdras populo, hoc Pascha Servator noster & refugium nostrum si cogitetis, & ascendat in cor vestrum fore ut humiliemus eum in signo. Post hæc si speraverimus in eum, non devastabitur locus hic in æternum, &c.* „ Item ex Hieremia resecuerunt hæc: *Ego sicut agnus destinatus sacrificio, contra me* Hierem. 11. „ *cogitarunt cogitationes: Venite ponamus lignum in panem ejus, & deleamus eum de terra viventium, & nominis ejus nemo post hæc mentionem faciat.* Et quoniam hæc „ particula de scriptis Jeremiæ resecta, superest adhuc in aliquot exemplaribus quæ „ in Synagogis leguntur; ante paucos enim „ annos eam ademerunt .·. expedire se non „ valentes ex his angustiis, vertuntur ad „ convicia. Item ex eodem Hieremia detraxerunt hæc: *Recordatus est Dominus „ Deus Israel mortuorum suorum qui jacent in „ terræ tumulis & descendit ad eos ut evangelizaret eis salutare suum.* Item XCV. „ Psal. Davidis duas voculas detraxerunt, „ scilicet has, *a ligno*. Cum enim ibi legatur. *Dicite in Gentibus regnavit a ligno „ Dominus*: Sic scriptum reliquerunt. *Dicite „ in Gentibus, regnavit Dominus.* Denique „ Tryphoni in hæc verba velut exclamanti, „ depravarint-ne aliquid in Scripturis Princi- „ pes populi, quod tu dicis, Deus scire po- „ test, mihi non videtur hoc credibile: Re- „ gerit S. Martyr, *scilicet incredibile! quasi „ vero id abominabilius sit, quam feciße vituli effigiem, cum essent Manna saturi, & „ immolasse filios Dæmoniis, aut Prophetas „ ipsos interemiße.* (12)

[a] *Dialog. cum Tryphone Judæo pag. 267.*

S. Justinum excipit Tertullianus [b], qui agens de libro Enoch, adversus illos qui eum non recipiebant, eo quod in Armarium Judaicum non admitteretur, respondet hanc rationem nullam esse: *Legimus enim*, inquit, *omnem Scripturam ædificationi habilem, divinitus inspirari, a Judæis postea jam videri propterea resectam, sicut & cætera quæ Christum sonant. Nec utique mirum hoc si Scripturas aliquas non receperint de eo locutas, quem & ipsum coram loquentem non erant recepturi.*

[b] *lib. de habitu mulieb. cap. 3.*

Judæis æquior non fuit Origenes [c], nam expendens hæc verba Hieremiæ cap. XVII. *Peccatum Judæ scriptum est stylo ferreo*, &c. ait, *Quoniam difficile est aliquem se malum confiteri, ideo Judæi, qui exempla nonnulla fal-*

[c] *Homil. 12. in Hierem.*

(12) Divinæ Scripturæ textus, quos ab Judæis e Sacris Codicibus abrasos conclamat adversus Tryphonem S. Justinus, quosque deesse in sacris voluminibus nostra hac tempestate compertum est, in aliquibus siquidem exemplaribus S. Irenæi, atque Lactantii ætate legebantur. Sanctus Irenæus enim Lib. 5. cap. 21. adversus hæreses illud Hieremiæ commemorat scribens „ Commemoratus est „ Dominus Sanctorum mortuorum suorum, eo- „ rum, qui ante dormierunt in terra sepelitionis, „ & descendit ad eos, extrahere eos, & salvare „ eos „ Ad hoc Prophetæ oraculum in sua epistola 1. cap. 3. ℣. 19. respexisse videtur S. Petrus, dum scripsit de Christo. „ Mortificatus quidem carne, vivificatus autem spiritu, in quo, „ & his qui in carcere erant, spiritibus veniens „ prædicavit „. Verborum Esdræ pariter, e Sacro Codice obtruncatorum juxta S. Justinum meminit Lactantius Lib. 4. Instit. Divinarum cap. 18. ubi postea alterum ferme simile oraculum profert, ut a Salomone Lib. 3. Regum cap. 9. enunciatum, quod pariter in nostris divinæ scripturæ exemplaribus deest. De aliis κολοβοῖς autem, vel διεστραμμένοις Scripturæ divinæ locis per Judæos, inferius redibit sermo. (IX)

falsarunt, etiam in hoc loco pro peccato Judæ, peccatum eorum posuerunt. Plura de hoc argumento habet in epistola ad Julium Africanum, de Susannæ historia. In cæteris autem, ait Seniores & Principes Judæorum multas historias, multaque dicta e libris Canonicis erasisse, nec non libros integros e Canone deleviſſe & Apocryphis adnumerasse, ne ipsorum probra in vulgus disseminarentur; *Ad hæcque dicendum, quod ex iis quæ Presbyterorum & Magistratuum & Judicum continebant vituperationem, quæcunque potuerunt, sustulerunt a cognitione populi; quæ-quidem servantur in arcanis.* Hujus autem exemplum dabimus, inquit, quæ narrantur de Isaia, & ab epistola ad Hebræos adducuntur in testimonium, scripta enim in nullo libro sunt ex iis qui sunt palam. *Deinde* refert quæ dicuntur cap. XI. *Lapidati sunt &c.* Et postea subjcit: *Est manifestum quod dicunt traditiones, sectum esse Isaiam Prophetam, & hoc habetur in quodam Apocrypho. Quod quidem consulto fortasse per dolum factum a Judæis quibusdam, non decentibus Scripturæ injectis dictionibus, ut toti fides abrogaretur.* Conscii Judæorum malitia scriptum esse apud Apostolum *secti sunt* in plurali pro *sectus est*, ut cum unus tantum dissectus fuerit, scilicet Isaias; ex plurali numero in textu Apostoli fraus appareat. Deinde subjicit: *Non aliud procuraße existimo eos qui æstimabantur Sapientes & Principes & Seniores populi, quam ut antea adimerent, quæ eorum continebant accusationem ad populum. Non est ergo mirum, si veram historiam Susannæ, cui paraverunt insidias impudici Seniores, ii qui non longe aberant ab instituto illorum Presbyterorum, suffurati sunt & subtraxerunt a Scripturis.* Subscribit etiam S. Athanasius [a] in illud Evangelii: *Quicunque dixerit, verbum contra Filium hominis &c.* ubi sic ait: *Judæi nihil curant corrumpere sacrarum Literarum placita, modo ita abnegent Christi adventum.* Similiter S. Chrysostomus [b] eidem sententiæ suffragatur: Primo „ quidem, *inquit*, dicemus illud quoniam ad fa„ ciendam veræ translationis fidem omnibus „ aliis jure septuaginta Interpretes sint di„ gniores. Siquidem alii post adventum Do„ mini interpretati sunt: Judæi namque „ permanentes meritoque suspecti, quippe „ qui inimice & subdole multa corruperint, „ & data prorsus opera a Prophetis myste„ ria prædicta celaverint.

Favere etiam videtur S. Hieronymus, cum scribit se idcirco Biblia vertisse, ut ea testimonia, quæ a Judæis prætermissa sunt vel corrupta in medium proferat. Rem vero distinctius explicat [c], ubi expendens hæc verba: *Maledictus omnis qui pendet in ligno*: quæ videntur desumpta ex Deuter. XXI. 23. quærit cur Apostolus omiserit hæc verba *a Deo*, quæ extant tam in Hebræo, quam in Græca LXX. Interpretum versione; adjecerit vero has voces, *omnis*, & *in ligno*, quæ in textu Hebræo non reperiuntur. *Etenim*, inquit, *si auctoritatem* LXX. *Interpretum sequebatur, debuit, sicut ab illis dictum est,* & DEI *nomen adjungere, sin vero ut Hebræus ex Hebræis, id quod in sua lingua legerat: putabat esse verissimum, nec* OMNIS, *nec* IN LIGNO *quæ in Hebræo non habentur, assumere.* Atque hic conjecturam suam proponit S. Hieronymus, *Ex quo mihi videtur*, inquit, *aut veteres Hebræorum libros, habuisse aliter quam nunc habent: aut Apostolum, ut jam dixi, sensum Scripturarum posuisse non verba; aut quod magis est æstimandum, post Passionem Christi, & in nostris Codicibus ab aliquo* DEI *nomen appositum esse, ut infamiam nobis incurreret, qui in Christum a Deo maledictum credimus.*

II. Adjiciunt aliqui in hujus sententiæ confirmationem ipsorum etiam Judæorum testimonia, qui ultro fatentur loca quædam in Hebræis Codicibus aliter olim lecta fuisse, quam hodierni Codices habeant, quæ mutationes propterea dictæ sunt תקון סופרים *tikun Sopherim*, i. e. *correctiones Scribarum* quarum correctionum exempla non pauca profert Galatinus [d], præcipua vero sunt hæc, quæ ex ipso Vvaltonus [e]; ab eo vero, tametsi non laudato, exscripsit hodiernus Ecclesiasticæ historiæ compilator Natalis Alexander [f]. Sic Genes. XVIII. 22. ubi olim legebatur: *Dominus adhuc stabat coram Abrahamo*, substituerunt Scribæ *Abraham adhuc stabat coram Domino*; ut hodie legitur in nostris Codicibus, & apud omnes Interpretes. Numer. XI. 15. pro, *Matris nostræ*; substituerunt, *matris suæ*. Et pro, *Carnis nostræ*, *carnis suæ*. I. Samuel III. 13. *Mihi* mutarunt in *ipsos* II. Samuel. XVI. 12. pro *Afflictionem suam*; posuerunt in textu, *afflictionem meam*; & in margine, *in oculum meum*. I. Reg. XII. 16. pro, *Ad Deos tuos*; legunt, *ad tabernacula tua*. Ezechiel VIII. 17. pro, *Ad nasum tuum*; posuerunt, *ad nasum suum*. Habacuch I. 13. pro, *Non morieris*; substituerunt, *non moriemur*. Malach. I. 13. pro, *Et afflixistis me*; *est & afflixistis eum*. Zachar. II. 8. pro *Oculi mei*; substituerunt, *oculi ejus*. Jeremia II. 11. pro, *Gloriam meam*; legunt, *gloriam suam*. Job. VII. 20. pro, *Super te*; substituunt, *super me*. Job. XXXII. 3. pro, *Deo*, substituerunt *Job*. Oseæ IV. 7. pro, *Gloriam meam*; legunt, *gloriam suam*, Threnor. III. 28. pro, *Super te anima tua*, legunt, *super te anima mea*. Psal. CVI. 20. pro, *Gloriam meam*; substituere ut supra, *gloriam suam.*

IV. Verum adversus tot testimoniis confirmatam sententiam, reclamant aliqui SS. Patres, præsertim Hieronymus & Augustinus, quibus subscribunt non solum ex Catholicis, sed etiam ex Heterodoxis plurimi, hoc præsertim argumento nixi, quod si peculiari Judæorum studio & malitia corrupti fuere Hebræi Codices; id eis accidit vel ante Christi D. tempora & Evangelii dissemi-

[a] *lib. in illud Evang. Matth. 12.*

[b] *Homil. 5. in Matth.*

[c] *in cap. 3. epist. ad Gal.*

[d] *lib. 1. de arcan. Cath. Relig cap. 8.*

[e] *proleg. 7. num. 10.*

[f] *dissert. de Edit. vulgat. quæst. 5. pag. 315.*

nationem, vel post ejus mortem & Apostolorum interitum. Neutrum vero probabile sit: Etenim si ante Christi D. tempora id attentassent Judæi dubio procul ab ipso Christo D. ejusque Apostolis fuissent reprehensi, ut de gravissimo crimine, cum de aliis plerumque levioribus fuerint interpellati; At non tantum non fuerunt eo crimine

insi-

insimulati a Christo, sed etiam remissi ut Scripturas scrutarentur, quæ de ipso testimonium perhibebant [a], quod certe Christus non feciſſet, si quæ de Messia venturo scripta erant Oracula, expuncta fuissent aut corrupta. Neque S. Paulus tantum assereret, velamen positum fuisse super cor eorum, in lectione Mosis [b], ne ipsum intelligerent; sed potius objurgaret eos quod depravassent Mosis scripta. Cum ergo istud crimen ipsis, nec a Christo, nec ab Apostolis fuerit objectum, neque populum Judaicum monuerit adorandus Salvator noster, ne præberent aures Scribis & Pharisæis, tanquam Scripturarum corruptoribus: imo præceperit ac monuerit, *Super cathedram Moysi sederunt Scribæ & Pharisæi, quæcunque ergo dixerint vobis servate & facite*. Evidens est, eos Scripturarum corruptores non agnovisse, alioqui ad ipsos audiendos, tanquam Scripturarum & Legis Interpretes Christus non remisisset.

a *Jean. v. 30.*

b *2. Cor. 2. 15.*

Hoc argumentum urget S. Hieronymus [c], qui cum scripsisset: *Si aliquis dixerit Hebræos libros a Judæis esse falsatos, audiat Origenem, qui in octavo volumine explanationum Isaiæ, huic respondeat quæstiunculæ, quod nunquam Dominus & Apostoli qui cætera crimina arguunt in Scribis & Pharisæis, de hoc crimine quod erat maximum reticuissent*. Statim addit: *Sin autem dixerint post adventum Domini Salvatoris, & prædicationem Apostolorum libros Hebræos fuisse falsatos, cachinnum tenere non potero, ut Salvator & Evangelistæ, & Apostoli ita testimonia protulerint; ut Judæi postea falsaturi erant*.

c *in cap. 6. Isaiæ.*

Idipsum confirmat S. Augustinus [d], qui agens de discrimine quod intercedit inter textum Hebræum & versionem LXX. Interpretum in dinumerandis Patriarcharum annis, ait hanc diversitatem non esse refundendam in corruptos a Judæis Hebræos Codices. *Enim vero*, inquit, *incredibile est Judæorum Gentem, tam longe lateque diffusam, uno consilio conspirare potuisse in hoc conscribendo mendacio, & dum aliis invideant auctoritatem, sibi abstulisse veritatem*. Et concludit: *Absit ut prudens quispiam, vel Judæos cujuslibet perversitatis atque malitiæ, tantum potuisse credat in Codicibus tam multis, & tam longe lateque dispersis*. Ubi notat Ludovicus Vives. *Hoc idem responderi posse his, qui falsatos corruptosque ab Hebræis Codices veteris Testamenti & a Græcis Novi objiciunt, ne veritas sacrorum librorum ex illis fontibus petatur*.

d *lib. 15. de Civit. cap. 13.*

Accedit ad hujus sententiæ confirmationem, zelantissima Judæorum erga Legem & libros sacros observantia, ut mortem potius omniaque tormenta subire essent parati, quam vel unum Legis apicem mutare aut adulterare, teste Josepho prolato ab Eusebio: [e] *Quanta*, inquit, *veneratione libros nostros prosequamur, reipsa apparet. Cum enim tot jam sæcula effluxerint, nemo adhuc nec adjicere quicquam illis, nec demere, nec commutare ausus fuit. Sed omnibus nobis, statim ab ipso nascendi exordio hoc insitum atque innatum est, Dei ut hæc esse præcepta credamus: iisdemque constanter adhæreſcamus, & eorum causa, si opus fuerit, libentissime mortem perferamus*.

e *lib. 3. histor. Eccles. cap. 10.*

Conducit insuper ad eandem sententiam confirmandam, quod, ait S. Augustinus [f], idcirco Deum dispersisse Judæos per universum Orbem, ubi propagata est Ecclesia, ut sacros Codices ubique deferrent, quatenus per suas Scripturas testimonio nobis essent, nos quæ de Christo sunt, Prophetias non finxisse: *Si enim*, inquit, *cum illo testimonia Scripturarum, in sua tantummodo terra non ubique essent; profecto Ecclesia, quæ ubique est, Prophetiarum, quæ de Christo promissæ sunt, testes in omnibus Gentibus habere non posset*. Unde alibi [g] scribit, Judæos esse capsarios nostros, circumferentes libros, sacros, ut ex eis revincatur Ethnicorum incredulitas: *Præterea*, inquit, *adhuc Judæi sunt, ut libros nostros portent ad confusionem suam. Quando enim volumus ostendere Prophetarum Christum, proferimus Paganis istas literas. Et ne forte dicant duri ad fidem, quia nos illas Christiani composuimus, ut cum Evangelio quod prædicamus, finxerimus Prophetas, per quos prædictum videretur quod prædicamus: Hinc eos convincimus, quia omnes ipsæ literæ, quibus Christus prophetatus est, apud Judæos sunt; omnes ipsas literas habent Judæi. Proferimus Codices ab inimicis, ut confundamus alios inimicos. In quali ergo opprobrio sunt Judæi? Codicem portat Judæus, ut credat Christianus. Librarii nostri facti sunt, quo modo solent servi post Dominos Codices ferre, ut illi portando deficiant, illi legendo proficiant*. [h] Addit vero istud vaticinatum esse a Davide his verbis: *Ne occidas eos, ne quando obliviscantur Legis tuæ; sed dispergeeos in virtute tua*. Sic enim ait: *Jam factum est, per omnes Gentes dispersi sunt Judæi, testes iniquitatis suæ, & veritatis nostræ. Ipsi habent Codices de quibus prophetatus est Christus, & nos tenemus Christum. Et si forte quando aliquis Paganus dubitaverit, cum ei dixerimus Prophetas de Christo, quarum evidentiam obstupescit, & admirans putaverit a nobis esse conscriptas, de Codicibus Judæorum probamus, quia hoc totum ante prædictum est videte quemadmodum de inimicis nostris, alios confundimus inimicos?* Censet igitur S. Augustinus sua ætate nondum esse interpolatos Hebræos Codices eis in locis, quæ Christi Incarnationem & Mysteria prænuntiabant.

f *lib. de Civit. cap. 46.*

g *in Psalm. 57.*

h *Psalm. 58.*

IV. Hæc sunt præcipua momenta quibus originariorum Codicum integritas & puritas propugnari potest & confirmari: unde hujus sententiæ assertores, ut oppositorum sibi veterum Ecclesiæ Doctorum auctoritatem elevent, reponunt S. Justinum Martyrem loqui de coruptelis non Hebraici textus, sed Græcæ Editionis LXX. Interpretum, quam a Judæis corruptam atque depravatam manifestissime conqueritur: quæ pariter eadem fuit Tertulliani sententia, nullibi namque asserit Codices Hebræos a Judæis in odium Christi fuisse interpolatos: sed solum ab eis repudiatum librum Enoch sicut & nonnullos alios libros sacros quod Hebraice scripti non essent, nec a viris prophetiæ dono illustribus editi. Si-

Similiter, inquiunt, Origenes loquitur de interpolationibus Editionis LXX. Seniorum, non vero de corruptione textus Hebraici, ejusque verba, quæ objectionem antecedunt, plana sunt & aperta: *Deinde*, inquit *sequitur alia prophetia, quam nescio quare apud Septuaginta non invenientes in cæteris Editionibus, quæ cum Hebræo conveniunt sermone reperimus, quæ plena est necessariis rebus & tam utilibus, ut possit si animus fuerit attentus, a vitiis revocare Lectorem.* Postea autem sequitur. *Peccatum Judæ conscriptum est stylo ferreo, in ungue adamantino sculptum super pectus cordis eorum.* Ex quo tandem ita concludit: *Quoniam difficile est aliquem se malum confiteri; ideo Judæi, qui exemplaria nonnulla falsarunt, etiam in hoc loco, pro peccato Judæ, peccatum eorum posuerunt.* Nota ista verba: *Apud Septuaginta non invenientes.*

Quantum ad repudiatam a Judæis Susannæ historiam, nullum inde interpolati ab eis textus Hebræi indicium colligi posse contendit. Flavignianus, *Aliud* enim est *(inquit)* historias aliquas, aut historiarum appendices & particulas, quæ Seniorum & Magistratuum vituperationem continebant, & quæ tantum servabantur apud Sapientes in Arcanis & Apocryphis, a cognitione populi substrahere, aut etiam si placuerit, e numero & Canone sacrorum voluminum excludere; quod forte lingua Græca, quæ illis peregrina erat atque profana, vel certe a tempore captivitatis Babylonicæ, quo credebatur prophetiam omni ex parte desiisse; *Et aliud*, historias aliquas, aut historiarum appendices & particulas, quæ Canonicæ habebantur, & a Spiritu sancto inspiratæ e sacro-sanctis Voluminibus Hebraicis expungere. Prius istud facinus Judæos ausos esse contendit Origenes; non autem posterius, de quo tamen solo, sola nobis controversia. Et certe, si Judæi omnes historias, aut historiarum appendices & particulas, quæ Seniorum suorum ac Magistratuum vituperationem continebant, expungere voluissent e sacro-sanctis Voluminibus Hebraicis; profecto nihil fere nobis sanum & integrum reliquissent in sacris literis, cum constet eas passim istis abundare & affluere vituperationibus. Quod cum minime fecerint, uti patet omnibus legentibus, etiam luce meridiana clarius, planum & apertum relinquitur, Origenem, cui res Judæorum perspectissimæ erant, ubi ait, Judæos nonnullas historias aut historiarum appendices & particulas, quæ Seniorum suorum aut Magistratuum vituperationem continebant, a cognignitione populi, & sacris Scripturis substraxisse; intelligendum esse tantum de historiis illis, aut historiarum appendicibus & particulis, quæ seorsim a libris sacris asservabantur apud Sapientes & Sacerdotes; minime vero de illis historiis, aut historiarum appendicibus & particulis, quæ in Canonicis libris continebantur: atque ita vanum est, quod ex rejecta a Judæis Susannæ historia, de interpolato ab eis Hebraico textu colligitur.

Neque etiam negotium facessit, quod ad Judæorum fraudem asserendam subjicit Origenes, nempe eos scripsisse, *sectus est*, scilicet Isaias, ut fraus appareret in textu Apostoli scribentis in plurali numero, *secti sunt*. Neque enim Origenes contendit nomen singulare, *sectus*, haberi in iis, qui palam sunt libris, hoc est, Canonicis, sed tantum in aliquo Apocrypho, quem forte in odium doctrinæ Christi & ejus Apostolorum conscripserant; itaque hinc argumentum non est, Judæos ex mente Origenis, per Græcas & Hebræas Scripturas grassatos, utrasque corrupisse.

Ad S. Athanasium dicunt, eum ibi agere de Scribis & Pharisæis, qui cum vidissent Christum Dominum ejeciisse Dæmonium illud mutum, blasphemabant eum id feciisse ope Dæmonum. Quam impietatem & blasphemiam ut reprimeret S. Athanasius, ostendit Christi miracula esse illius divinitatis evidentissima indicia, a Prophetis prænuntiata. Ac tandem ubi perstrinxit alteram Scribarum ac Pharisæorum evasionem, qua dicere poterant, cæcitatem & claudicationem, & alia mala esse ex pœna Creatoris; liberationem autem ab istis malis, & beneficentiam in eos, qui hæc patiuntur, Beelzebut operari; & insuper asseruit ejusmodi stultiloquium cum impietate conjunctum, furiosorum esse, & qui adhuc magis mente capti sunt; eo quod in isto delectu, meliora non Deo; sed Beelzebut assignent insipientes; ita plane colligit ac concludit: *Sed illi non curant corrumpere sacrarum Scripturarum dogmata, modo tantum Christi adventum abnegent.* An hic mentio depravationis sacrorum Voluminum Hebraicorum? nisi velis quod dum Scribæ & Pharisæi asserunt, Christum dæmonia ejicere in Beelzebut dæmoniorum principe, contra expressissima Scripturæ sacræ testimonia, quæ Christi divinitatem, ex ejus miraculis adstruunt; idem esse ac si dicerent Judæos sacrosanctos Codices Hebraicos infeciisse? sed quæ consequentia?

Ad S. Chrysostomum cæterosque Patres in oppositum allegatos, exponunt eos diserte non asserere Judæos Scripturas sacras Hebraicas corrupisse, sed tantum, ait S. Chrysostomus, *eos falsis suis interpretationibus, multa Scripturæ sacræ loca in alienos sensus inimice ac subdole detorsisse, ut ita Christi mysteria occultarent.* Quibus verbis Judæorum nomine carpit versiones Aquilæ, Symmachi, & Theodotionis, quorum interpretationes, cum in plurimis deviarent a versione LXX. Interpretum, quæ nascentis Ecclesiæ temporibus Christianis erat familiaris; idcirco dicit eos, falsis suis interpretationibus, in alienos sensus multa Scripturæ loca detorsisse.

Tandem ad prætensas correctiones Scribarum respondet Bonfrerius, „ eam omnino esse commentitiam: Neque, *ait*, sine audacia & temeritate asseri posse; parumque videri pium & religiosum, tantam præ„ bere Religionis hostibus ansam calumnian„ di Ecclesiam, eique insultandi. Id enim „ Ju-

a *in prolog. cap. 13 init.* 5.

„ Judæis dare, quid aliud est, quam perſ-
„ picue fateri Scripturam ſacram ad nos non-
„ niſi depravatam corruptamque perveniſ-
„ ſe? id autem fieri, quid aliud eſt, quam
„ totam ſacram Scripturam in dubium revo-
„ care? Qui enim id intellexerit, quavis Scri-
„ pturæ ſententia oblata, ſi neſciat quæ lo-
„ ca a Scribis illis in particulari ſint immu-
„ tata, annon dubitare poterit, ſitne ea,
„ quæ nunc illi offertur, una ex iis, quæ
„ hanc correctionem admiſerit? Sed & qui
„ ea loca ad Talmudicis annotata ſciverit,
„ an qua ratione hæc cenſebit eſſe corrupta,
„ non facile ſuſpicari poterit multa alia pari
„ modo eſſe corrupta, quæ ipſi non annota-
„ rint? quod erit aditum aperire, ut omnis
„ Scripturæ fides abrogetur. *Hæc ille.* Qui & ſequentia ſubjicit argumenta ſic compendio expreſſa I. A providentia Dei, cui plane conſentaneum fuit, ut Scriptura ſacra incorruptiſſima ad Eccleſiam perveniret. II. Ab eorum mala fide, qui de Scripturis Hebraicis corruptis ſuſpicionem injecerunt, Judæis nempe recentioribus. III. A LXX. Interpretum actoritate, qui verſionem ſuam adaptarunt, ad eam lectionem, quam iſti corruptam fuiſſe volunt. IV. A teſtimonio aut potius ſilentio S. Hieronymi, qui nihil tale didicit a præceptoribus ſuis Judæis. V. Quia incredibile eſt Judæos, ante Chriſtum zelo ferventes Legis incorruptæ ſervandæ in id conſenſiſſe. VI. Vel omnes Sapientes & Scribas in eam corruptionem conſpiraſſe, ut nullus eis ſe opponeret, &c. VII. Vel Scribas omnes libros quotquot ubique erant; ſive in Judæa, ſeu extra Judæam, in variis coloniis & provinciis potuiſſe nanciſci, ut has ſuas depravationes inferrent, ſic ut nulli remanſerint libri incorrupti, ex quibus ea depravatio deprehendi & emendari poſſit. Tandem concludit, ex iis omnibus ſe conficere, manifeſte convinci, totam hanc depravationem nihil aliud eſſe quam purum putumque figmentum & mendacium, neque alio loco, quicquid alii ſentiant, apud ſe futuram.

Ex his omnibus inferunt Hebraici textus patroni, illum tametſi levioribus mendis inſperſum, accuratiorem adhuc eſſe & puriorem qualibet alia Editione ab eo velut rivulus a fonte emanante: nam, *inquit Bel-*
[a] *lib. 2. de verb. Dei cap. 2.* „ *larminus* [a], non tanti momenti ſunt hu-
„ juſmodi errores, ut in iis quæ ad fidem
„ & bonos mores pertinent, Scripturæ ſacræ
„ integritas deſideretur; plerumque enim tota
„ diſcrepantia variarum lectionum in dictioni-
„ bus quibuſdam poſita eſt, quæ ſenſum aut pa-
„ rum aut nihil mutant. *Hæc ille.* Ipſi præiverat Joannes Driedo [b] Academiæ Lovanienſis
[b] *lib. de dogmat. & Scriptur.* „ celebris Doctor: Conſervantur, *inquit*, in
„ hunc uſque diem apud Eccleſiam Chriſti
„ vetuſtiſſimi Hebraicorum & Græcorum
„ Codices, quibus reperimus eſſe confor-
„ mes eos, quibus Hebræi & Græci nunc
„ utuntur. Deinde in recentioribus Hebræo-
„ rum libris caſtigatis & emendatis, repe-
„ riuntur teſtimonia ſic ſcripta, quemadmo-
„ dum fuerunt ab antiquis Eccleſiæ noſtræ
„ Patribus recitata. Conferentes recentium
„ Hebræorum Codices & Græcorum, ad
„ veterum Catholicorum commentaria; in
„ his præſertim locis quibus ſignificantur
„ fidei noſtræ myſteria, reperiemus eos cum
„ vetuſtiſſimis ſuis ipſorum exemplaribus con-
„ ſentire. Si quæ potiſſimum Infideles de-
„ pravaſſent, manſerunt illibata, nec de
„ corruptione ulla habentur ſuſpecta, con-
„ ſequens eſt, cætera in ſua origine inte-
„ gra eſſe ſervata. *Hæc ille.*

V. Quæ ſi de univerſo textu Hebraico generatim dicta voluerit, minus recte videntur pronuntiata; tametſi enim Hebraici textus corruptiones & vitia, fidei dogmatibus aut moribus probe inſtituendis, directe non adverſentur; nihilominus tamen plurima ſunt etiam ad fidei confirmationem conducentia, quæ omnino ſive Librariorum incuria, aut ignorantia eorum, qui Hebræum textum olim ſine ulla vocabulorum diſtinctione ſcribi & legi ſolitum, in certas voces diſpoſuerunt, ſive tandem Rabbinorum in Chriſtianos odio & malitia ſunt interpolata, atque ad vulgatæ Editionis ſinceritatem & integritatem emendanda. Eorum plurima exempla proferunt Jacobus Gordonus Huntlæus. [c] Bonfrerius, [d] Leo Caſtrius, [e] qui ſpeciali libro profert pluſquam quadringentos textus Judæorum mala fide ſcriptos & in odium Chriſtianorum depravatos, & ex eo Marinus Merſennus, [f] quorum præcipua aliis etiam ex penu noſtro depromptis ſubjicimus.

[c] *Controverſ. 1. cap. 9. & ſeq.*
[d] *Proleg. cap. 11. ſect. 4.*
[e] *lib. 3.*
[f] *In problema 189. Franciſci Georgii Veneti in Geneſ.*

Occurrit in primis præclarum iſtud Patriarchæ Jacobi de Venturo Meſſia Vaticinium ſic in Editione vulgata expreſſum: *Non auferetur ſceptrum de Juda ..... donec veniat qui mittendus eſt.* Antiquitus enim in Hebræo textu nondum interpolato, erat vox שלוח *Schiluach*, i. e. *Miſſus* ſeu *mittendus*, præteritum pro futuro more Prophetarum; quæ vox unum effert ex propriis nominibus Meſſiæ: Hinc apud S. Joannem [g] *Siloe* interpretatur *miſſus*: quem locum expendens S. Auguſtinus [h], dicit per *Miſſum* ſignificari *Chriſtum*. Unde Chaldæus Interpres ſic vertit, *Donec veniat Meſſias cujus eſt regnum*, videlicet regnum Iſrael. Quod utique vaticinium cum evidentiſſime Chriſtum advenisſe demonſtraret, utpote cum jam defeciſſet ſceptrum & regnum Juda, omnibus modis illud depravare niſi ſunt Judæi, maxime vero vocem *Schiluach*, mutaruntque literam ח *Ceth*, in ה *He*, ut loco *Schiluach*, id eſt, *miſſus*, legeretur שלוה Schilo nullo plane ſenſu qui vaticinio reſpondeat; atque ita prophetiam de Chriſto, alioqui claram & manifeſtam, variis ſuis depravationibus incertam fecerunt & omnino ambiguam. Quamobrem hæc vox per Latinam Editionem a puriori olim textu Hebræo expreſſam, & ſuæ integritatis retinentiſſimam, debet emendari, & reſtituto ו in eum ו, quam literam pro affixo, id eſt, loco ו *Vau* hic ſcripſerunt, ut etiam animadvertit Fagius cum plurimis aliis Heterodoxis. Unde Grotius [i] cum ſcripſiſſet ad hæc: *Donec veniat qui mittendus eſt. Verba quæ hic ſunt Hebræa, Judæi poſteriorum temporum mire diſtorquent,*

[g] *cap. 9. v. 7.*
[h] *Tract. 44. in Joann.*
[i] *Ad hunc textum.*

alii SILO *locum interpretantes, alii* SAULEM, *alii* NABUCHODONOSOREM. *Repugnat & hic illis iterum consensus eorum, qui apud ipsos, auctoritatem habent. Onkelos, Jonathan, Hierosolymitanus, Paraphrastæ, Thalmudici, Bereshith Rabba, R. Salomo, Echa Rabthi, omnes Messiam hic indicari consentiunt.* Adjicit: *Mihi maxime se probat versio Latina, ut sit* שילה *pro* שילה *Quid enim facilius, quam aut variante dialecto, aut scriptura aberrante, mutari inter se literas tam vicinas & soni & figuræ?* (13)

Secundo proferri potest illud Levit. XXI. 24. ubi Hebraice legimus, *Non polluet sese* בעמיו בעל BAAL BEAMMAU, *Princeps in populo suo*: ac si dicat, inquiunt Vatablus & Fagius, *Nullus funeri de populo intererit. Princeps ne polluatur*: quæ lectio omnino absurda est & aliena a genuino Scripturæ sensu & scopo; nihil enim hic Principi populi præcipitur, sed tantum Sacerdotibus præscribitur, quod ipsorum officium in exequiis funerum esse debeat. Unde, inquit Castalio, & novissime clarissimus Ludovicus Ferrandus, [a] in Hebræo una litera videtur transposita, nempe ב a vocabulo *Baal* ad *Beammau*, quare sic legendum est, *Non contaminabit se* בבעל עמיו BEBBAAL AMMAU *in Principe populi sui*, ut sic hic sensus quem profert nostra Vulgata, *Ne contaminetur Sacerdos in mortibus civium suorum .... sed neque in Principe populi sui.* Quæ lectio, inquit Fagius, genuina est, quam etiam R. Kinchi approbat.

[a] *in reflex. supr. Relig. Christ. pag.* 407.

Tertium hujus nostræ assertionis argumentum elici potest ex II. lib. Reg. cap. XXII. 33. ubi Hebraice legimus האל מעזי חיל ויתר תמים דרכי *Hael maouzi chail vaijter tamim darko*, i. e. juxta editionem Hebraicam: *Deus fortitudo mea virtutis & solvit perfectam viam suam*, ut habet Pagninus ex emendatione Ariæ Montani. In hoc autem versiculo duo deprehenduntur errata, quæ per vulgatam Editionem emendantur: unum in vocabulo MAOUZI, *fortitudo mea*, alterum in voce DARKIU aut DARKO *viam suam*: etenim scribi debet המאזרני HAMAZRENI *accinges me*, loco מעזי MAOUZI, *fortitudo mea*; & דרכי DARRI, *viam meam*, loco דרכו DARKO *viam suam*: quemadmodum habet Editio vulgata: *Deus qui accinxit me fortitudine, & complanavit perfectam viam meam.* Scribit equidem Pagninus *viam meam*, juxta emendationem Massorethарum: sed textus Hebræus, ut constat, habet *viam suam*, quod omnino mendosum est: ut confirmatur insuper ex Psal. XVII. qui omnino idem est cum ipso Cantico lib. II. Reg. cap. XXII. hic enim Psal. vers. 33. habet האל המאזרני חיל ויתן תמים דרכי *Hael hamazreni chail vaiten tamim darki* i. e. juxta textum Hebraicum: *Deus accingens me fortitudine, & dedit perfectam viam meam*,

Quartum momentum istudque plurimis exemplis firmatum subministrat Hebraicus Psalmorum Codex, ubi errata his similia frequenter occurrunt: celebre autem est illud versiculi 18. Psal. XXI. ubi vulgata nostra juxta Editionem LXX. & veterem Hebraicum textum habet: *Foderunt manus meas & pedes meos*: quæ verba nulli alteri nisi Christo in cruce, manibus & pedibus perforato convenire possunt; Codex Hebraicus habet כארי יד CAARI JADAI i. e. *quasi leo manus meas*; mutato scilicet ו in י: & vocabulo כארו *Caru* quod significat *foderunt*, in כארי *Caari*, i. e. *quasi leo*; ubi cum nullum sit verbum, nullus pariter est sensus, nullaque perfecta significatio.

Nec reponere juvat hunc Psalmum scriptum esse de Davide fugiente persecutionem Saulis per abrupta montium, cujus manus, instar quadrupedis, perforabantur; hæc, inquam, elusio omnino est evanida, quippe totus hic Psalmus, ipso etiam Christo D. Auctore, & Evangelistis affirmantibus, non de Davide, sed de futuri Messiæ passione & crucifixione loquitur. *Deinde* habere manus & pedes instar Leonis, non est habere eos perforatos sed perforantes, & alios potius quam semetipsum configentes. *Denique* ipsimet Judæi veteres aperte fatentur antiquitus scriptum fuisse in textu Psal. XXI. qui apud Judæos est XXII. כארו *foderunt*, in margine vero כארי *sicut Leo*: nam Numer. XXIV. 9. in Massora marginali legitur quater occurrere כארי bis cum *camets*, & bis cum *patach*: & in Massora textuali hæc adduntur כארי bis extat, sic Numer. XXIV. v. 9. *Accubuit sicut leo*; & Psal. XXII. v. 17. כארי manus meas & pedes meos; sed in posteriore loco Ketib, sive scriptum est כארו: ubi aperte fatentur כארי fuisse in primitivo textu: quæ vox in Hebraicis Bibliis, nec in textu nec in margine legitur. Unde argumentum est a posterioribus Judæis fuisse interpolatum ex odio in Christum, & ut elevarent manifestum hoc vaticinium de cruenta illius crucifixione.

VI. Accedit in hujus rei confirmationem Editio Aquilæ, qui quamvis Judæorum partibus, utpote Proselytus, toto pectore studeret hic tamen legit כאר *Caru*, quemadmodum & LXX. sicut & vulgatus Interpres Latinus; tametsi in exponenda illius verbi notione invicem plurimum discrepent gravibus sane justisque causis permoti. Etenim, inquit Fullerus, [b] LXX. Interpretes vocabuli כארו thema statuerunt, non כאר, (quippe quod nusquam in toto Bibliorum Hebræorum volumine legatur) sed כרה radicem notissimam; ideo ὤρυξαν transtulerunt: literam vero ו adscititiam esse putarunt, seu per Epenthesim ad vocalis longæ (videlicet camets præeuntis) sonum

[b] *Miscel. lib.* 3. *cap.* 12.

(13) Alphonsus Salmeto Prolegom. 4. ex R. David Kimhi animadvertit *Schiloh* descendere a verbo *Schil*, & significare *filium ejus*, vel *filium suum* appositam autem ibi esse literam ה pro ו; cum autem litera ה sit tertiæ personæ fœmininæ signum, ו vero tertiam personam masculinam indigitet, si relinquatur ה pro ו, sensus erit: *donec veniat filius mulieris*, ex qua permutatione literarum, monet Dei providentiam prorsus esse mirabilem, quæ ex ipsa textus depravatione fidei nostræ singulare dogma mirifice confirmat: Christus enim, qui est *Missus*, filius quidem mulieris, non viri fuit. (*W*)

„ num producendum ſeu protrahendum; „ cujuſmodi protractiones alibi in S. literis „ ſunt uſitatæ, ut cernitur in עור pro, „ עור. מלאכים pro מלכים ..... Contra cum „ Aquilæ illud א, utpote non valde uſitatum parum placeret; nec uſpiam reperiret verbum כאר; ſciretque linguam Syram „ Hebrææ propaginem eſſe; א radicale cenſere maluit; (ſic namque frequentiſſime in medio themate ſolet eſſe) & verbum כאר de hinc apud Syros veſtigavit: „ ubi deprehendit illud ὀρυγῆναι vel διορύττειν ſignificationem obtinere. Quamobrem vocabulum *Caru* ex idiomate Syriaco recte reddidit ὀρύγματα, id eſt, *turpiter vel pudendum in modum tractarunt*, aut etiam *fœdarunt*, ſeu *cruentarunt*, quemadmodum hanc vocem Græcam ὀρύσσειν uſurpat Homerus [a], itidemque Homerus Latinus *fœdare* adhibet [b] cum ab eo introducitur Anna:

a *Iliad. 6.*

b *Æneid. 4.*

.... Unguibus ora fœdans & pectora pugnis,

Rectius tamen legiſſe videntur ac vertiſſe LXX. ſcribendo ὤρυξαν *foderunt*, quomodo ex eis citat Juſtinus & alii: Nam R. Jacob Ben Chaim & R. Moſes Hadarſan teſtantur literam א in voce *Caru* adjectam eſſe per ἐπίφθεσιν, atque hic redundare Conſtantiſſimum igitur eſſe debet Judæos hunc refixiſſe locum, quo Chriſtiani adverſus illos utebantur, ut in Paſſione Chriſti vaticinium impletum eſſe oſtenderent. Quod etiam ultro concedunt plurimi Heterodoxi, ut videre eſt apud Hottingerum [c],

c *In theſauro Philologi pag. 191.*

VII. Hanc interpolationis labem, ut abſtergant Judæi, reponunt, ex præſcripto Legis Moſaicæ, neminem configi in cruce; quatuor enim Judæis tantum uſitata erant ſupplicia, ignis, ferrum, lapidatio & laqueus. Unde blaſphemus jam lapidibus necatus in ſtipite ſuſpendebatur junctis manibus ad occaſum Solis uſque, & paulo poſt ſolutum ſimul cum ligno, in quo ſuſpenſus fuerat, ſepeliebant. Itaque Chriſtum fuiſſe cruci affixum, aut figmentum eſt, aut contra Legis præſcriptum, nec proinde a Davide illius crucifixio potuit vaticinio prænuntiari. *Verum* tametſi exploratum ſit ex Lege Moſis neminem clavis figi in cruce; nihilominus cum illo tempore, Judæis poteſtas condemnandi ad mortem a Romanis eſſet adempta; unde in hiſtoria paſſionis clamore teſtantur: *Nobis non licet occidere quemquam*; jam qui puniendi erant apud Judæos, tamquam malefactores non condemnabantur ſecundum Leges Moſis, ſed juxta ſententiam Præſidis Romani qui Provinciæ Judaicæ præerat. Cum itaque Chriſtus Dominus damnatus fuerit ad mortem per Pilatum Romanum Præſidem addictus fuit ſupplicio Romanis in uſu, qui more patrio & recepto, vivos tollebant in crucem & clavis affigebant.

Non fugit etiam interpolatrices Judæorum manus Pſalm. XVIII. apud Hebræos XIX. Etenim hæc verba verſus 4. בכל הארץ יצא קום *Becol haarets jatſa Kavam*; i. e. *In omnem terram exivit linea eorum*; Aliter LXX. reddunt; habent enim εἰς πᾶσαν τὴν γῆν ἐξῆλθεν ὁ φθόγγος αὐτῶν. Vulgata vero eis conſentiens, *In omnem terram exivit ſonus eorum*; quibus concordat etiam Apoſtolus. [d] Inſuper congruit *ſonus eorum* cum eo quod ſequitur *verba eorum*; ubi idipſum aliis vocibus repetitur. Signum eſt igitur interpolatum eſſe hic textum Hebræum, & ſcriptum קום *Kavam* i. e. *Linea* ſive *regula*, pro קול *Kolam* i. e. *ſonus* aut *verba*. Nam ſi LXX. & Apoſtolus legiſſent *Kavam*, nuſquam vertiſſent, φθόγγος αὐτῶν, *ſonus eorum*. Itaque manifeſtum eſt textum Hebraicum hic eſſe corruptum, aut Amanuenſium vitio; aut Judæorum vafritie, qui ut Evangelii propagationem per univerſam terram hoc vaticinio adumbratam, quemadmodum affirmabant Chriſtiani, facilius eluderent, ſcripſerunt *Kavam* pro *Kolam* detrita una litera.

d *ad Rom. x.*

Accedit Pſalmus XLI. apud Judæos vero XLII. v. 6. juxta textum Hebraicum legimus: *Cur deprimes te anima mea & tumultuaberis ſuper me, expecta Deum, quia adhuc confitebor ei ſalutes facierum ejus. Deus mi ſuper me anima mea deprimet ſe.* Hæc autem verba פני אלהי PANAU ELOHI *facierum ejus Deus mi.* Nullum, ut apparet, ſenſum referunt, legendumque eſt פני ואלהי PANAI VEELOHI, *vultus mei & Deus meus*, ut in Vulgata: unde traſpoſita eſt litera ו a vocabulo *Elohi*, cui præfigi debuerat ad finem vocabuli *Panai*, ut obſervant Bellarminus & clariſſimus Ludovicus Ferrandus, id quod apparet, inquit Bellarminus, ex repetitione ejuſdem verſiculi, qui habetur in fine hujus Pſalmi, necnon in fine Pſalmi ſequentis, ubi Hebraice legimus ישועות פני ואלהי *jeſchoauot panai veelohi*, i. e. *Salutes vultus mei & Deus meus*; ut vertit Pagninus; dicit autem *ſalutes* in numero plurali, non vero *ſalus* vel *ſalutare*, quemadmodum habet Vulgata noſtra; quia licet una ſit ſalus noſtra, inquit Bellarminus, tamen ea multa bona continet quæ etiam dici poſſunt *ſalutes*.

Inſuper Pſalmus XLVIII. apud Hebræos XLIX. v. 10. ubi Vulgata habet: *Sepulchra eorum, domus illorum in æternum*: Hebraice legimus קרבם בתימו *Kerbam batemo*, i. e. ut Pagninus & Vatablus vertunt, *Intima illorum, domus illorum*: quæ certe vix aliquem idoneum ſenſum poſſunt reddere; Unde credibile eſt, inquit Bellarminus LXX. Interpretes legiſſe in ſuo codice, non *Karbam*, ut fert textus Hebræus hodiernus, quod ſignificat *interiora eorum*, ſed literis tranſpoſitis קברם *Keberam*, i. e. *ſepulchra eorum*, a radice קבר KEBER *ſepulchrum*. Ibidem v. 12. in vulgata legimus; *Homo cum in honore eſſet* לא יבין LO JABIN, *non intellexit*; Hebraice vero ילין JALIN *pernoctabit*. Hinc inferunt aliqui Adamum per diem integrum in paradiſo non ſtetiſſe, nec in eo pernoctaſſe, quæ lectio, licet omnino non ſit ſpernenda, attamen minus concordat cum ſequentibus, in quibus homo propter prævaricationem dicitur aſſimilatus jumentis inſipientibus, ſeu brutis ratione deſtitutis. Unde videtur ב in ל ab imperito Scriptore Hebræo fuiſſe com-

commutatum; quod confirmatur ex ultimo verſu ejuſdem Pſalmi, ubi repetitus idem verſiculus habet ולא יבין VELO JABIN, *& non intelliget*. Denique v. 19. habet vulgata; *Quia anima ejus in vita ipſius benedicetur: confitebitur tibi cum benefeceris ei*; Hebraice vero כי תיטיב לך KI TETIB LECA *ſi benefeceris tibi;* quod omnino abſurdum eſt: nemo quippe laudandus videtur eo quod ſibi benefaciat, ſed alteri: unde ך finale videtur ab imperito adjectum, loco ו: & LXX. ac Auctorem vulgatæ lectionis in Hebræo legiſſe לו Lo, *ei*; non vero לך LECA, *tibi*.

Præterea Pſalmus CXLV. cujus verſiculi ordine alphabetico ſcribuntur & incipiunt, hoc eſt, primus verſiculus initium *habet a litera* א, ſecundus a ב &c. Hic, inquam, Pſalmus Hebraice integro verſiculo caret, cum enim verſus decimus tertius incipit a voce MALCOUTECA, i. e. *Regnum tuum*, cujus initium eſt מ, ſequens incipere debebat a litera נ, quæ tamen in Hebræo textu prætermittitur: At integrum iſtum verſiculum Latina noſtra vulgata ſervavit & refert his verbis: *Fidelis Dominus in omnibus verbis ſuis & ſanctus in omnibus operibus ſuis*; quem etiam aliquando in Hebræis codicibus extitiſſe argumentum eſt, quod primum ejus vocabulum, nempe *Fidelis* Hebraice incipiat a litera נ *Nun*, quæ ordine alphabetico ſcribi debuerat & exprimi his vocibus, נאמן יהוה NEEMAN ADONAI *Fidelis Dominus &c.* vox enim *Fidelis* Hebraice non aliter exprimitur, quam per participium præſens conjugationis *Niphal* נאמן NEEMAN a radice אמן AMAN, ut obſervat Buxtorfius *in Lexico*.

Eundem Hebraici textus defectum deprehendere licet in Pſalmo XXXVII. etiam alphabetico ordine conſcripto: nam verſiculus 28. cujus initialis eſſe debu.rat נ, omnino deeſt; quem tamen aliquando extitiſſe, non ſolum editio LXX. nec non & Arabica ac Syriaca documento eſt, ſed etiam Latina, quæ hunc integrum verſiculum ſic refert: *Injuſti punientur & ſemen impiorum peribit*: ubi vocem injuſtorum per עוולים Job. XIX. v. 18. hoc ſenſu uſitatam expreſſerunt. Nec eſt quod quis reſpondeat, non fuiſſe curæ Spiritui S. exaratam alphabeti normam in horum Pſalmorum initialibus literis præſcribere, ſed eos Pſalmos a Vate Regio ita conſcriptos magno memoriæ ſubſidio; tametſi alphabeticæ literæ nonnullæ deficerent. Hanc enim eluſionem præcludunt Maſſorethæ, qui alphabeticum ordinem in eis Pſalmis exacto a Regio Pſalte ſervatum fuiſſe ſignificant: unde Pſal. CXIX. qui juxta literarum alphabeti ordinem ſcriptus eſt, modo *alphabetum*, modo *alphabetum magnum*, nuncupant.

Quinto proferri poteſt illud Iſaiæ LIII. v. 8. *Quia abſciſſus eſt de terra viventium, propter ſcelus populi mei percuſſi eum*: ita vertunt LXX. ita & Chaldæus reddit in ſingulari numero; quod utique ſignum eſt veterem textum Hebræum hic לו *lo ei*, vel *eum*, habuiſſe. Verum ut Judæi divinum hoc Oraculum, quo Chriſti D. Paſſio a Deo ad hominum ſalutem deſtinata prænuntiabatur, elevarent, pro לו *lo*, i. e. *ei* videntur ſuſtituiſſe למו *lamo*, i. e. *eis*, & non ad Chriſtum, ſed ad Judaicum populum iſta prænuntiata percuſſio referatur: Nunc enim Hebræus textus hæc ad verbum habet: *Quia exciſus eſt de terra viventium, a tranſgreſſione populi mei plaga eis*. Quam interpolationem in odium Chriſti excogitaſſe, arbitror, Interpretes Græco Sudaizantes; nam Symmachus ſcribit ἀπεκόπη γὰρ ἐκ γῆς ζώντων, καὶ διὰ τὴν ἀδικίαν τοῦ λαοῦ μου πληγὴ αὐτοῖς. *Abſciſſus eſt enim de terra viventium: & propter iniquitatem populi mei plaga eis*. Ei præiverat Thodotio ſic reddens: ὅτι ἀπεκόπη ἀπὸ γῆς ζώντων, ἀπὸ ἀθετήσεως τοῦ λαοῦ μου ἦφαι αὐτῶν. *Quia abſciſſus eſt e terra viventium, ob prævaricationem populi mei tetigit eos*. Verum, inquit Galatinus noſter, [a] hæc interpretatio omnino aliena eſt a mente Prophetæ, & ejus verba haudquaquam dubie ſunt hic interpolata: neque enim hic ſermo eſt de Judæis a Deo percuſſis, ſed de Meſſia percutiendo ad eluendas hominum iniquitates, ut luculentiſſime conſtat ex illius divini Oraculi ſerie, quæ nullatenus populo Judaico quadrare poteſt, maxime ex triplici capite. *Primo* namque ille qui prænuntiatur percutiendus a Deo dicitur v. 5. *Vulneratus propter iniquitates noſtras, & attritus propter ſcelera noſtra*: At Judæorum populus, tametſi variis eiſque diriſſimis captivitatibus fuerit jactatus & pene ad extinctionem attritus; eas tamen calamitates paſſus non eſt propter iniquitates & ſcelera Gentium; neque cæteræ nationes propter illam Judæorum afflictionem a Deo peccatorum ſuorum veniam ſunt conſecutæ; itaque hic ſermo non eſt de Judaico populo. *Deinde* ille Dei fidelis ſervus, de quo vaticinatur Propheta dicitur v. 9. iniquitatem non feciſſe, neque in ore ejus fuiſſe dolum: hæc autem in Judaico populo nulla ratione poſſe tribui manifeſtum eſt, quippe cum populus ille duræ cervicis ſemper fuerit, divinis mandatis ſæpiſſime reluctans & plurimis flagitiis inquinatus. *Denique* percutiendus ille ſervus Dei v. 12. pro peccatoribus Deum erat deprecaturus, ut eis miſericordiam & veniam obtineret: At Judæi in præſenti calamitate lugentes, non ſolum non orant pro peccatis eluendis earum nationum apud quas exulant, quin potius preces ingeminant pro earum deſtructione; præſertim vero extinctione Romani Imperii & Eccleſiæ Chriſti; exiſtimantes, quod ſtatim atque duo iſta fuerint vaſtata, ipſi mox a ſua ſervitute & miſeria ſint liberandi. Ex his igitur exploratum eſt, hujus prophetiæ verba nequaquam in populo Judaico poſſe quadrare, ac ſubinde hic interpolatam eſſe in Hebræo textu, ſicut & in Græco Theodotionis & Symmachi Prophetæ ſententiam. Non abnuo tamen hanc interpolationem utcunque poſſe excuſari, dicendo cum Grotio Literam ם hic adjunctam eſſe *per epentheſim*, ita ut vox למו LAMO *eos*, idem hic ſignificet ac לו Lo *eum*, ut Pſal. XXVIII. v. 8. & Job. XX. ſemel & iterum, & alibi ſæpe. At tametſi frigida hæc excuſatio admitteretur, non minus verum eſſet ſinceriorem hic eſſe Latinum textum quam Hebræum.

[a] *lib.* 8. *cap.* 85.

Sexto

Sexto accedit illud Zachariæ IX. 9. *Ecce Rex tuus veniet tibi justus & Salvator.* Quem textum, inquit Rabbi Solomo, *Impossibile est ut interpreteris de alio, quam de Messia; cum in nullo alio hoc videamus impletum dominabitur a mari usque ad mare.* Vulgatæ autem versioni in voce Salvator concordant LXX. & Chaldæus; illi namque sic vertunt; καὶ σώζων αὐτὸς, *Et salvans ipse:* hic vero פרק *Parek*, i. e. *redimens* sive *liberans:* discordat vero textus Hebræus, ubi legimus נושע *noschah*, i. e. *Salvatus*, mutata litera מ *mem*, in נ *nun* & variatis punctis, videlicet *camet in Chiric gadol* sub litera *schim*, ut loco מושיע *Moschiah*, i. e. *salvans* vel *Salvator*, esset *Noschah*, i. e. *Salvatus;* ut ex hoc vaticinio, quod S. Matthæus [a] in Christo Domino civitatem Hierosolymam ad modum triumphatoris ingredienti, impletum esse dixerat, colligere non possent Christiani ipsum Dominum Christum revera esse repromissum Messiam, qui hominibus salutem & felicitatem esset daturus. Tametsi enim Christus Dominus, quatenus, homo non absurde dici possit *Salvatus*, dum morte triumphator, atque superatis persequentium se Judæorum infestationibus, atque etiam hujusce vitæ miseriis resurrexit immortalis; quemadmodum ejus nomine vaticinatus fuerat & Deum deprecatus David dicens: *Salvum me fac Deus &c.* Nihilominus hic verbum *salvandi* non passive sed active usurpandum esse apparet ex toto Prophetæ contextu, ubi describitur redemptio per Messiam facienda.

a *cap.* 21.

Septimo proferri potest celebre istud Danielis vaticinium de venturo Messia post LXX. hebdomades, ubi inter cætera legimus: *Et erit in templo abominatio desolationis, & usque ad consummationem & finem perseverabit desolatio:* quæ vaticinii verba sic reddit S. Matthæus [b]: *Cum videritis abominationem desolationis stantem in loco sancto* ἐν τόπῳ ἁγίῳ. S. Marcus autem [c]; *Cum videritis abominatoinem desolationis stantem ubi non debet,* ὅπου οὐ δεῖ; quæ tametsi differant penes voces, in sensu concordant; nimirum abominationem desolationis futuram in templo: unde S. Matthæus Prophetæ verba refert *ad literam*: S. Marcus vero *ad sensum*: Nam ut erudite advertit clarissimus Ludovicus Ferrandus, [d] verisimile est S. Matthæum in Hebræo textu legisse על קדש *al Kadasch* vel *Kodesch*, i. e. *in sancto*: non vero על כנף *al canaph*, i. e. *in ala* aut *super alam*, ut ferunt hodierni Hebræi Codices, nullo certe sensu, aut saltem valde metaphorico, & omnino obscuro. Cujusmodi sunt etiam sequentia istius vatici nii verba: ועד כלה ונחרצה תתך על שומם *Veadcalc enecheratsah tittac al somem*, i. e. *Et usque ad consummationem & decisam* (seu decisionem) *effundet se super obstupescentem vel admirantem*; ut vertit Pagninus recusus ab Aria Montano; vel ut vertunt alii; *Et usque ad desinentem & consummatum* (sup. mundum) *stillabit super attonitum & stupentem* (sup. Judæorum populum;) alii autem; *Donec consummatio & quidem decisa atque certa descendat super vastitatem.* Quæ omnes obscuriss imæ interpretationes aperte denotant hic turbatum ac interpolatum esse Hebraicum textum, alias clarissimum, videlicet temporibus Christi Domini, nec non & Auctoris vulgatæ Editionis, qui perspicue reddit: *ad consummationem & usque ad finem perseverabit desolatio.*

b *cap.* 24. v. 15.

c *cap.* 13. v. 14.

d *In reflexion. Christ. tom.* 1. *pag.* 413.

VIII. Plerique his similes sunt textus Hebræi Codicis non tantum Scriptorum vitio, sed & Rabbinorum vel malitia & fraude vel peculiari studio interpolati; hanc enim projectam Rabbinorum audaciam in depravandis Scripturis sacris, vel ex illis quæ ipsimet scribunt, evidenter colligere est: recitat enim Galatinus noster [e] ex Judæorum Talmud tres modos quibus solent uti in vitiandis sacris Scripturis. Longe vero plures recenset Elias Levita [f] Religione & origine Judæus, quos omnes ad duodecim capita ex eo revocat Gordonus Huntlæus [g] I. enim, „ *inquit*, notant in margine suorum Biblio„ rum, legendam esse literam quæ non scri„ bitur in textu. II. Notant non esse le„ gendam literam quæ scribitur in textu. III. „ Notant unam literam esse commutandam „ in aliam, idque in omnibus fere literis „ alphabeti. IV. Literas esse transponen„ das. V. Priorem dictionem surripere po„ steriori primam literam. VI. Posteriorem „ surripere priori ultimam literam. VII. „ Integras dictiones, quæ scribuntur, non „ esse legendas. VIII. Integras dictiones „ esse legendas, quæ non scribuntur: & „ tunc in textu relinquunt spatium vacuum, „ in quo scribunt sola puncta illarum dictio„ num, quæ legi debent. IX. Ex duabus „ dictionibus faciunt unam. X. Ex una fa„ ciunt duas. XI. Unam dictionem inte„ gram mutant in aliam, affirmantes illam „ scriptam loco hujus. XII. Mutant pun„ cta, accentus & dictiones; quorum o„ mnium modum adducit Elias ibidem varia „ exempla. Porro his omnibus modis mu„ tatur plane sensus Scripturæ. Ex quibus „ facile est animadvertere quam sint Judæi „ solertes & ingeniosi in depravanda Scriptura. *Hæc ille.* Concludam igitur verbis S. Augustini [h] de Judæis scribentis: *Invident nobis quod Lex & Prophetæ ad nos transierunt; inde mutarunt quædam in Codicibus suis, ut in nostris impediretur auctoritas.* Ex his omnibus colligere licet omnino improbandam esse eorum temeritatem, qui sicubi textus Vulgatæ Editionis Latinæ ab Hebræo dissenserit, cum nulla occurrunt in alterutram partem illapsi erroris argumenta, volunt ex Hebræo hodierno Vulgatam emendari: perinde ac si diligentiores fuissent Judæi in asservanda sacrorum suorum Codicum sinceritate, quam Ecclesia Romana, quæ summam semper diligentiam adhibuit ut sacros Codices Editionis Vulgatæ, communi Præsulum, præsertim summorum Pontificum & Conciliorum auctoritate probatos, qua fieri poterat diligentia purissimos haberet; & siquid mendi Librariorum incuria & Typographorum vitio incidisset, expurgaretur. Cum igitur Judæi maxime ab eo tempore, quo dissipata eorum Republica, a patria ex-

e *lib.* 1. *cap.* 8.

f *in Massoreth tab.* 2. *orat.* 1.

g *Controvers.* 1. *cap.* 10.

h *lib.* 15. *de Civit. cap.* 1.

tor-

torres, & palabundi per universum mundum oberrent, in exscribendis sacris libris, sive ex malitia, sive ex incuria aut ignorantia plurimum errare atque peccare potuerint; neque eam adhibuerint diligentiam, ut suos Codices incorruptos asservarent; vel si præstiterint, non pubblica auctoritate, neque peculiari Sancti Spiritus ope id ab ipsis fuerit præstitum, quemadmodum ab Ecclesia Catholica veritatis firmamento & columna factitatum est; inde sequitur majorem versionis nostræ Vulgatæ auctoritatem esse debere, quam Hebraici textus hodierni, & (tametsi frendeant oblatrentque Heterodoxi) ubi cætera sunt paria, emendandum esse potius Hebræum textum per Editionem Latinam vulgatam, quam e contra.

Non inficior tamen Hebraicum textum etiam hodiernum plurimum prodesse. Illius enim utilitates octo recenset Melchior Canus [a], quas summatim ad quatuor capita revocant & approbant Bellarminus [b] & Serarius [c]. *Primo* namque plrimum confert ad invectos librariorum Latinorum & Amanuensium incuria aut inscitia, in sacrum Codicem errores emendandos. *Secundo* ad variarum lectionum indagandam veritatem. *Tertio* ad ambiguorum verborum significationem & sententiam investigandam. *Quarto* ad vocis cujuslibet vim & energiam melius perspiciendam. Habent enim linguæ singulæ quasdam vocum proprietates vimque significandi, quam alia lingua subinde assequi non potest.

Nobis propositum fuerat, ut ex præsentis capitis synopsi (nimium festinante prælo jam typis mandata) apparet, hic adscribere textus omnes, saltem eorum præcipuos, in quibus Vulgata Editio Latina ab Hebræo textu discordans ansam præbet non solum Heterodoxis plurimis præsertim Sixtino Amamæ, Hottingero, Riveto, quibus præiverunt Lutherus, Calvinus & Beza; eam vellicandi velut innumeris erroribus scatentem: sed etiam nonnullis e Catholicis viris qui cum Francisco Luca Brugensi varia collegerunt hujus Editionis vulgatæ capita, in quibus eam non solum a fontibus Hebræis diversam; sed (si accederet Ecclesiæ judicium) emendandam esse contendunt. Verum quoniam præsens Caput, præter expectationem, ampliorem in modum excrevit, consultius duxi eorum textuum Editionis Latinæ cum Hebræa pugnantium collectionem, & discussionem in sequentibus capitibus complecti.

[a] *lib. 2. cap. 15.*
[b] *lib. 2. cap. 11.*
[c] *Proleg. Biblia cap. 19. quæstion. 12.*

CAPUT QUARTUM.

De præcipuis Editionis Vulgatæ Latinæ textibus in Pentateucho existentibus qui ab Hebræis dissentire videntur.

Non indiget Summario.

§. I.

QUUM uberior occurrat rerum hic discutiendarum seges, quam quæ unius manipuli vinculo & brevissimæ synopsis angustia possit constringi; idcirco ab usurpata in aliis capitibus methodo paululum in præsenti declinabimus; & prætermissa illius epitome, dicendi materiem eodem ordine auspicabimur & prosequemur, quo sacri libri in qualibet Editione exhibentur. Ne quis autem nos incusset, quod ex innumeris textibus quibus Editio Latina veteris Testamenti ab Hebræa, & Novi a Græca dissentire videtur, minimam hic partem dedisse videamur; benevolum Lectorem præmonendum arbitror, nos eos duntaxat protulisse textus, ex quibus Heterodoxi Editioni Hebrææ, etsi plurimum vitiatæ, nimium addicti, Latinam Editionem carpendi & vellicandi ansam arripiunt. Nec vero eos omnes adducam textus quibus Heterodoxi illi adversus Latinam Editionem pugnant; immensi namque laboris & parvæ utilitatis res esset.

Enimvero locos congesserunt quamplurimos, & plerumque ita parum proposito idoneos, ut viros illos judicio minus firmo præditos esse nemo sit qui non fateatur. Hujusmodi loci sunt ii qui petuntur ex voce מרחפת *merachephet* quæ exstat *Genes. I. 2.* & quam Latinus Interpres explicat verbo *ferebatur*; ex voce רקיע *rakia* quam idem Interpres cap. VI. 4. vertit *firmamentum*; ex voce אד *ed* quæ eidem Interpreti sonat *fons* Genes. II, 6. ex vocabulis גן בעדן *gan beeden* quæ laudatus jam Interpres vertit *hortum voluptatis*; ex dictione מקדם *mikedem* quam Noster reddit *a principio*. In his quidem omnibus Latinam versionem peccare clamitant Heterodoxi; contenduntque reponendum esse *incubabat*, loco *ferebatur*; *expansum* loco *firmamenti*; *vapor* loco *fons*; *hortum in Eden* loco *hortum voluptatis* & *ab Oriente* loco *a principio*.

At longe falluntur opinione: Nam quod attinet ad vocem מרחפת *merachephet*, eam in sensu nostro acceptam reperies Deut. XXXII. 11. ubi dicitur quod Aquila ירחף על-גוזליו *al gozolau jeracheph*, id est, *super pullos suos volitet* seu *feratur*; minus apte cum Hebraistis vertas, *pullis suis incubat*: si enim aquila eo quem putant modo incubaret, nunquam pullos suos ad volandum provocaret, ut eodem Deuteronomii loco habemus. Quod spectat ad vocem רקיע *rakia*, non incomode vertitur *firmamentum*; quippe quod solidum quasi ære fusum sit, juxta Job

XXXVII. 18. *Tertia objectio* quæ ex voce תד *ed* desumitur, solutu facillima est, cum, ut ipse agnoscit Grotius, frequens sit LXX. ut & novi Testamenti Scriptoribus πηγὴ i. e. *fontem* ponere pro qualicumque humoris eruptione, ipsique Hebræi omnem scatebram appellant *fontem*, ut videre est Levit. XX. 18. Adde quod fons nihil aliud est quam vapor aliquis, imo vapores plurimi qui intra terræ viscera frigoris ope condensantur & resolvuntur in aquas, ut ex fontium meatibus erumpentes, in agros, prata vallesque præsertim effluant. Quid quod Aristoteles [a] nubes ex aquis ortas & in aquam resolvi solitas, *circularem* & *perennem fluvium* vocat.

[a] *lib. 1. Meteor. cap. 1.*

Quarta objectio ruinoso nititur fundamento; ipsoque ejusdem capitis versu 15. evertitur, ubi legas יען גן *gan eden* non יען גן *gan beeden*: unde suspicari liceat vocem עדן *eden* non esse hic nomen proprium sed appellativum, maxime vero cum nomen idem appellative sumatur II. Reg. I. 24. Psal. XXXV. 9. & Jerem. LI. 34.

Ultimæ objectioni faciet satis ipsemet Abacuc I. 11. apud quem מקדם *mikedem* significat *a principio*, quo sensu eandem vocem reperies Deut. XXXIII. & Psalm. XLIV. ut proinde mirum videri non debeat si Drusius, Fagius, & alii non ignoti nominis ex Protestantibus fateantur non minus recte verti *a principio* quam *ab Oriente*.

Sunt & alii loci non pauci præcedentibus similes, quos si recensere vellem, laborem profunderem & perderem. In iis igitur non immorabor, sed illos tantum seligam, in quibus nonnihil difficultatis inesse videtur. (14)

§. II.

Ex Capite III. Genes. v. 15.

INIMICITIAS *ponam inter te & mulierem, & semen tuum & semen illius: ipsa conteret caput tuum.* Verba sunt Dei, Diabolum serpentino corpore larvatum objurgantis, quod primam mulierem Evam suis artibus in crimen induxisset, quocirca ei denuntiat futuras perpetuas simultates & inimicitias inter eum & illam, atque ejus & ipsius semen; & futurum aliquando ut ipsa caput illius conterat. Duplici nomine vapulat hic ab Heterodoxis noster Interpres: impietatis accusatur, & insciticæ. *Impietatis* quidem quod honorem soli Christo debitum mulieri tribuerit, nempe matri ejus Sanctissimæ; *Insciticæ* vero idem Interpres insimulatur, quod ipsa Grammaticæ elementa nesciverit, fœmininum sumendo genus loco masculini.

Utramque accusationem Calvinus [b] sic amplificat: *Locus hic nimis luculento documento est quanta fuerit in Papatu Doctorum omnium insciticia & socordia & incuria. Obrepit fœmininum genus loco masculini vel neutrius. Qui Hebræos Codices consuleret, nemo inter eos fuit, vel qui saltem Latina exemplaria conferret. Communi igitur errore vitiosissima lectio recepta fuit. Deinde inventa fuit sacrilega expositio dum sanctæ Matri Christi adaptarunt, quod de semine dictum erat.* Blateroni Magistro concinunt Sycophantæ discipulatur, quod ipsa Grammaticæ elementa nesciverit, fœmininum sumendo genus loco masculini.

[b] *in Antidoto Consil. Trid.*

(14) Nota (7) præcedenti aliqua tradidimus de nonnullis Divinæ Scripturæ testibus hoc in loco ab Auctore nostro recensitis, ut sunt *ferebatur super aquas. Paradisum voluptatis &c.* ibi tamen de sola S. Hieronymi versione ex Hebræo, quomodo legebat, inquirebamus; in præsenti autem de aptiori lectione peragitur divinorum Bibliorum; num scilicet hæc in Vulgata nostra hodierna, vel potius in hodiernis hebraicis codicibus contineatur? sive, ut clarius loquamur, num Vulgata nostra in sua ab Hebraicis codicibus diversa lectione, errores aliquos includat, aut ipsis expers convenientiorem sensum, proximioremque antiquæ Hebræorum lectioni contineat, quam recentes Hebraici codices? vel saltem in textu Vulgatæ nostræ genuinus Spiritus Sancti sensus reperiri queat? Auctor noster pro adfirmativa adversus Heterodoxos præliatur sententia. Verbum illud *ferebatur* legebat in suo Codice Tertullianus, ut patet ex ejus libro de Baptismo cap. 3. & cap. 4 ejusdem Libri scribit *supervectabatur*, S. Hilarius in Psalmum 123. Optatus lib. 5. contra Donatistas legebant *superferebatur*, ut tradit Sabatierus in notis ad hunc versiculum Genes. cap. 1. In codice etiam Hieronymiano a Vallarsio edito *ferebatur* scriptum est; & in codice Alexandrino ἐπεφέρετο legimus. Munsterus denique & Fagius hunc Genesis locum eodem modo, ac illum Deuteronomii explicari posse scilicet *volitabat*, quod idem est denique, ac *ferebatur* minime negant.

Vox illa pariter *firmamentum* habetur nedum in codice versionis latinæ ab Hebræo expressæ per S. Hieronymum, sed insuper tali pacto legebant Tertulianus in libris contra Hermogenem, & Praxeam; Ambrosius in lib. 2. Exameron, & Augustinus lib. 1. de Genesi; Græcus codex Alexandrinus a Grabe editus στερέωμα, sicuti alii codices, habet. Quid ergo dicendum Græcos Interpretes, Latinos omnes, quamvis longe proximiores autographo Hebraico, quam transcriptores Hebraicorum codicum modo existentium, omnes turpiter deceptos, ab eorum nemine vocem illam Hebraicam רקיע *rakia* in germano sensu fuisse intellectam, cæcutientes omnes fuisse circa voculam unam? nec ab Hebraicis Rabbinis scripturæ depravationem unquam fuisse exprobratam? Verum si nomine *firmamenti* stabilimentum intelligamus, distantiæ, sive spatium firmiter stabilitum inter aquis superiores, & inferiores, nonne sensum legitimum in nostra Vulgata adinveniemus? De firmamento agit Auctor in Tom. 2. Disquisit. ubi de opere secundæ diei. De voce *Eden* superius in Nota (7) dicta nonnulla sunt. Redarguit insuper Sixtinus Amana Vulgatum Interpretem, quod Genesis 2. ℣. 2. verterit: *Complevitque Deus die septimo*, cum vetere debuisset: *Compleverat Deus &c.* ut vera esse possent sequentia, scilicet *requievit Deus die septimo*. Quis tamen non videat levitatem objectionis, cui Paulus Fagius, quamquam e Protestantium cetu tam facile occurrit dicendo, quod Deus primo accedente sabbati momento desiit operari? unde Vulgatæ lectionis sensus est, quod Deus opus creationis, atque dispositionis universi ad initium Sabbati consummavit, quæ siquidem locutio naturalissima est, & inter Latinos, qui sæpe sæpius dicere solent = *tota nocte laboravi: die autem complevi laborem, & requievi*, nempe adveniente die *cessavi, & requievi*. (IV)

discipuli præsertim Fursterus [a] scribens, *Nihil potuisse verti gloriæ Christi & merito passionis ejus magis contumelioſum nihil idololatricum magis & blasphemum*: cui consentiens Sixtinus Amama [b], *hanc lectionem*, inquit, *idololatricas B. Virginis laudes & has subsecutam ejusdem invocationem in Christianismum invexisse Thelogi nostri prodiderunt.*

Urgent iidem Heterodoxi: Solus Christus de Diabolo triumphavit, nam ait S. Joan. [c] *In hoc apparuit Filius Dei, ut dissolvat opera Diaboli*. Quamobrem toto vitæ suæ mortalis decursu omnem impendit operam, ut ille Princeps mundi ejiceretur foras, celebremque de illo victoriam ageret: quam potissimum in morte glorioſe consummavit; *Donans nobis omnia delicta delens quod adversus nos erat chirographum decreti quod erat contrarium nobis, & ipsum tulit de medio affigens illud cruci & expolians Principatus & Potestates, traduxit confidenter palam triumphans illos in semetipso*. Plurimum itaque (inquiunt illi) gloriæ Christi detrahit quisquis celebrem illam victoriam ei soli propriam, alteri adscribit. At si in fœminino genere *ipsa conteret &c.* legamus, partem præcipuam hujus gloriæ & victoriæ Virgo Deipara sibi vendicabit, utpote quæ Dæmonis caput contriverit. Hæc igitur interpretatio præpostera est & minus religiosa, nec a viris Christianis probanda [d].

Verum ut os loquentium iniqua obstruatur; diluendum est utrumque objectionis caput: atque ut quod de impietate objectum est, elevem, notandum est quod quemadmodum unigenitus Dei Filius humanitatem nostram induit, ut nos Divinitatis suæ tribueret esse participes [d]; *Ipse enim*, ait S. Petrus, *vocavit nos propria gloria & virtute, per quem maxima & pretiosa nobis promissa donavit; ut per hæc efficiamini divinæ consortes naturæ*. Sic & voluit hominibus, præsertim sibi Fidelibus & Religione mancipatis omnes pene suos gloriæ titulos esse communes. Est ipse quidem [e] *Lux vera quæ illuminat omnem hominem*: aitque ipsemet [f]: *Ego sum Lux mundi*: Unde dilectus ab eo Discipulus de Joanne Baptista expresse pronuntiat [g], *Non erat ille lux, sed ut testimonium perhiberet de lumine*. Nihilominus tamen adorandus ille Salvator suis Apostolis ait: [h] *Vos estis lux mundi*. Nemo ambigere potest Christum esse firmissimum Ecclesiæ fundamentum, dicente S. Paulo [i]: *Fundamentum enim aliud nemo potest ponere præter id quod positum est, quod est Christus Jesus*. Veruntamen S. Joannes in Apocalypsi diserte pronuntiat [k]: *Et murus civitatis habens fundamenta duodecim, & in ipsis duodecim, nomina duodecim Apostolorum Agni*. Unde S. Paulus ad Ephesios scribit: [l] *Jam non estis hospites & advenæ, sed estis cives Sanctorum & Domestici Dei superædificati super fundamentum Apostolorum, &c.* Norunt omnes Christum esse Mediatorem & pacificatorem, Deum inter & homines, id enim sæpissime Scriptura testatur. [m] Nihilominus eundem titulum idemque officium Ecclesiasticus assignat Patriarchæ Noe, eum non solum *reconciliatorem* hominum cum Deo, sed etiam *reconciliationem* pronuntians: Noe, inquit, *inventus est perfectus, justus & in tempore iracundiæ factus est reconciliatio*.

Hinc SS. Patres Deiparam Virginem Mediatricem nostram proferre non dubitarunt: sic S. Epiphanius [n]: Αὐτὴ ἐστὶν καὶ γῆς μεσίτης πέφυκεν ἰσότιμα ποιοῦσα. *Ipsa est cœli & terræ* MEDIATRIX, *quæ unionem naturaliter peregit*. Adjiciunt alii: Ipsa est quidem [o] *Mundi salvatio* & [p] *gratiæ inventrix*, quæ [q] *elevatis in cruce manibus celebravit cum filio sacrificium vespertinum, & cum Domino Jesu corporali morte redemptionis nostræ mysterium consummavit*. Etenim [r] Omnino tunc erat „ una Christi & Mariæ voluntas unumque holocaustum ambo pariter offerebant „ Deo: hæc in sanguine cordis, ille in „ sanguine carnis; unde communem in „ mundi salute cum illo effectum obtinuit. „ Accedit etiam Sanctus Augustinus [s], Virginem sic interpellans: Admitte meas „ preces intra sacrarium exauditionis & re„ porta mihi antidotum reconciliationis. Sit „ per te excusabile, quod per te ingero: „ fiat impetrabile quod fida mente deposco, &c. Quoniam Abraham futurus erat pater Messiæ futuri, dictum ei fuerat [t]. *In te benedicentur universæ cognationes terræ*; scilicet per Christum ex ipso oriundum, ut distinctius explicatur his verbis: [u] *Benedicentur in semine tuo omnes Gentes*. Quidni igitur, quia in semine & a semine B. Virginis, scilicet Christo Domino conterendum erat caput serpentis, de ea propter rationem & dignitatem maternitatis divinæ, Moses vere scribere potuit: *Ipsa conteret &c.* Ista paululum uberius discussimus, ut inde fiat exploratum, quam perperam Heterodoxi vulgatum Interpretem Latinum hic lacessant, & erroris atque perversæ interpretationis arguant; quamque insulse Catholici quidam Doctores, Hæreticis nimium blandientes, hunc textum inter Editionis Latinæ spurcalmata reponant.

Venio ad secundum objectionis caput: & statim fateor Hebræum textum quem jam habemus, masculinum genus præferre, tum in pronomine tum in verbo, ut appareat referri ad semen זרע *Zera* quod Hebræis est generis masculini. Sed quis Sponsor fiet pro hujus textus sinceritate? Videm certe me pro eo non dabo cum in ea sim opinione, textum hunc fuisse depravatum, nec olim habuisse ut nunc הוא ישופך ראש ואתה תשופנו עקב *hou jesupheca rosch veatth tesuphennou akeb*, sed היא תשופך ראש ואתה תשופנה עקב *hi tesupheca rosch veattah tesuphennah akeb*. Sententiæ meæ fundum do Vulgatum ipsum Interpretem, quem cum nemo dicere audeat Hebraicæ linguæ rudem adeo fuisse, ut genus masculinum a fœminino secernere non potuerit; dubitari nequit quin præfatum textum in fœminino genere legerit. Fieri itaque nullo modo potest, ut insciitia peccaverit grammatica; quis enim tam socors habitus est unquam interpres, ut ea laboraret insciitia, quæ Nostro tribuitur? Quod si dicatur eum non insciitia sed impietate peccasse, nec imperitum fuisse

sed

[a] *in Lexico suo.*
[b] *Antibarb. Bibl. lib. 2.*
[c] *Epist. 1. cap. III. vers. 8.*
[d] *Epist. 2. cap. 1. v. 4.*
[e] *Joan. 1. 9.*
[f] *Joan. 8. 12.*
[g] *Matth. 5. 14.*
[h] *1. Cor. 3. 11.*
[i] *cap. 21. 14.*
[k] *cap. 21.*
[l] *cap. 2. 20.*
[m] *Ad Rom. 5. & 11. ad Cor. 5. & ad Coloss. 1.*
[n] *In homil. laudum Virg.*
[o] *German. Const. Orat. de Nativ.*
[p] *S. Bernard. Epist. 174.*
[q] *Arnold. Carner. in illa verba:* Mulier ecce Filius tuus.
[r] *Idem tract. de laudib. Virg.*
[s] *Serm. 18. de Sanctis.*
[t] *Genes. 12. 3.*
[u] *Genes. 22. 17.*

ſed irreligioſum, jam ſupra hæc objectio elevata eſt: unde concludere licet fuiſſe olim in textu Hebræo genus fœmininum loco maſculini quod nunc præfert. (15)

Res porro hæc majorem veriſimilitudinem conſequetur, ſi id de quo agitur attento perpendamus animo. Sententia fertur in ſerpentem & in mulierem; in illum ut deceptorem, in iſtam ut deceptam, ſummaque judicii cauſaque tota in his duabus perſonis conſiſtit. Suadet ratio ipſeque textus indicat puniri Serpentem melius non poſſe, quam ſi a fœmina quæ fuerat ab ipſo ſeducta vinceretur; atque hoc eſt quod Vulgatus Interpres expreſſit cum dixit: *Ipſa conteret caput tuum*. De ſemine ut hic ſermo fiat, communis naturæ ſenſus non patitur: cum enim ſemen illud, ſeu filius a muliere natus, ex mulieris & viri ſemine vulgo coaleſcat & ſemper ab utroque pendeat, dicendum eſſet Diabolum pœnas dediſſe minus idoneas minuſque rei de qua agebatur convenientes, cum vir, (quem judicium hoc non ſpectabat) victoriam a Diabolo reportaſſet æque ac mulier, cui ſoli hoc in loco triumphus decerni videtur.

Confirmant iſta plurimi Codices Græci, qui hunc locum in fœminino genere referunt, non enim habent αὐτὸς *ipſe*, ſed αὐτὴ *ipſa*: quam etiam interpretationem (ſi unum aut alterum exemplar excipias) ſemper habuit Editio Latina, ut colligere licet ex SS. Patribus Ambroſio, [b] Auguſtino, [c] Greg. mag. [d] qui non *ipſum*, nec *ipſe*, ſed *ipſa* legerunt, quibus adjiciendus eſt S. Bernardus, [e] qui ex hac interpretatione poſt collatas inter ſe Evam & Mariam, ſic tandem affatur Evam: *Curre Eva ad Mariam, curre Mater ad filiam, filia pro Matre reſpondeat. Filia Patri pro Matre ſatisfaciat; quia ecce ſi vir cecidit per fœminam, jam non erigitur niſi per fœminam*. Et paucis interjectis: *Scrutare Scripturas, & proba quod dico: viſne ut ego ex his aliqua teſtimonia hic inſeram? Ut pauca loquar de pluribus, quam tibi aliam prædixiſſe videtur Deus, quando ad Serpentem ait*: INIMICITIAS PONAM INTER TE ET MULIEREM. *Et ſi adhuc dubitas, an de Maria dixerit, audi quod ſequitur*: IPSA *conteret caput tuum. Cui ergo hæc victoria ſervata niſi Mariæ?* IPSA *contrivit venenatum caput Serpentis; &c.*

b *lib. de fuga ſeculi cap. 7. & in Orat. funeb. Theodoſii.*
c *lib. de Geneſ. ad lit. cap. 30.*
d *lib. 1. Moral. cap. 38.*
e *Homil. 2. ſuper* Miſſus eſt.

§. III.

Ex Capite IV. v. 8.

DIXITQUE *Cain ad Abel fratrem ſuum: Egrediamur foras*. Textus Hebræus hæc poſtrema verba non complectitur; *Egrediamur foras*, ſeu *in agrum*; quæ nonnulli conjiciunt adjecta fuiſſe a LXX. Interpretibus ad abſolvendam ſententiam, quæ alias conciſa & imperfecta eſſe videtur, cum Hebraice non exprimatur quid Cain locutus fuerit cum fratre; ideo Maſſorethæ, inquit Morinus, [a] in medio illo verſu magnum ſpatium vacuum reliquerunt, ut ſcilicet Hebræum textum hic deficere ſignificarent: & inſuper adnotarunt ad marginem: *Viginti octo ſunt verſus qui deſinunt in medio verſus*.

a *Exercit. 3. in Pentateuch. Samarith.*

LXX. Interpretes, ſicut & vulgata noſtra Editio, atque etiam Codex Samaritanus, teſtibus SS. Hieronymo & Cyrillo, explent lacunam cum ſic legunt: *Egrediamur foras*. Hanc lacunam conſimiliter explevit Thargum Hieroſolymitanum, adjiciens, Cainum & Abel hunc in modum inter ſe collocutos fuiſſe: *Et accidit cum egreſſi eſſent ambo in agrum, reſpondit Cain: Non eſt Judicium, nec Judex, nec ſæculum aliud, nec merces bona pro Juſtis, nec pœna pro impiis; nec Dei miſericordia creatus eſt mundus, nec Dei miſericordia regitur mundus, eo quod ſuſcepta eſt oblatio tua cum beneplacito, mea vero*

(15) Aliquam in lectione verſus 15. Capitis 3. Geneſeos fuiſſe diverſitatem, vel ex Interpretum oſcitantia, vel incuria tranſcribentium intruſam, merito ſuſpicari poſſe videmur ex eo, quod Græci, & Latini codices non invicem inter ſeipſos apte congruerint, cum in eorum nonnullis αὐτὸ *ipſum*, in aliis vero αὐτὸς *ipſe*, & in quibuſdam etiam αὐτὴ *ipſa* legamus, ut teſtatur Fraſſenius. Ita pariter ſe habent antiquiorum Patrum Latinæ Eccleſiæ lectiones, vel *ipſum* ſcilicet, vel *ipſe*; pleraque tandem Latina exemplaria *ipſa* præferunt in genere fœminino. Hinc vir Clariſſimus Lucas Brugenſis, a quo Sixtinus Amana variantes excerpſit, ſuis in notationibus admonet contemnendam non eſſe Latinorum Codicum lectionem, admirans ulterius, quod ii, qui Vulgata ex Græco editione uſi ſunt agnoſcunt, & exponunt de Muliere, ut Auguſtinus Lib. 2. de Geneſi contra Manichæos cap. 18. „ Neque vero, inquit, Brugenſis, hæc „ lectio Hebræo repugnat, in primis enim potuerit Interpres הוא *hi* fœmininum pronomen pro הוא „ *hou* maſculino legiſſe, ut ut nonnulli conjiciunt. „ Deinde fœmininum pronomen nonnunquam eo „ modo ſcriptum reperitur, quo maſculinum הוא „ *hou*, quamquam הוא *hi* legatur; atque ita hoc „ modo accipiendum, & legendum eſſe הוא non„ nulli exiſtimant. Hinc Guido Fabricius Pici Mi„ randulani Principis auctoritate nixus in Hebrai„ cis iliis Bibliis Regio operi adjunctis, quibus La„ tina interpretatio inter contextus lineas inſerta „ eſt, excudi curavit הוא, quamquam errore poſi„ tum ſit הוא. Nec reiicienda eſt iſta lectio, quod „ Maſculini generis verbum, pronomenque ſe„ quatur; verbum ישוף, pronomen הוא; nam, & „ alibi phraſes hujuſmodi reperiuntur; Eſther „ I. 10. ובל השמיחנו יקר לבעליהן Eccl. 12. ע. 4. „ וישחו בל כנות השיר Poteſt autem hæc lectio ad eum „ fere ſenſum, quo ſuperiores exponuntur, de Chriſti Matre intelligi, ut ſerpentis caput contriviſſe „ dicatur, quia eum genuit, qui contrivit, qui „ diabolum ſua morte devicit, & nos ex ejus „ tyrannide in libertatem aſſeruit „ Quid ergo blaterat in Romanam Eccleſiam perfidus ille Diabolici Conventus Magiſter Sixtinus Amana de idololatricis laudibus, ut impie blaſphemat, Sanctiſſimæ Virgini deſtinatis? videt ne quomodo ex Brugenſis expoſitione non configat lectionem Vulgatæ maſculinum antecedens *Semen*, nec ſequens maſculinum verbum. ישופך *ieſupheca*, nec tandem affixum maſculinum in תשופנו *teſuphennov*, de quibus, & Auctor noſter. (*IV*)

ro non eſt ſuſcepta cum beneplacito. Reſpondit Abel & dixit ad Cain: Eſt judicium, eſt Judex atque ſæculum aliud; merces item bona pro Juſtis, & pœna impiis. Miſericordia quoque Dei conditus eſt mundus, atque miſericordia illius gubernatur: utique propter bona opera gubernatur, Quia enim meliora fuerunt opera mea tuis, ſuſcepta eſt oblatio mea cum beneplacito, tua vero non eſt ſuſcepta cum beneplacito. Cumque duo iſti contenderent in agro inſurrexit Cain contra Abelem fratrem ſuum & occidit eum. Similia habet Jonathan filius Uzielis, qui ſubjungit: *Surrexitque Cain contra Abel fratrem ſuum & impegit, ſeu immerſit lapidem in frontem ejus & occidit eum.*

Neque his obſtat, quod Origenes perneget additionem illam LXX. haberi in textu Hebræo; unde nec eam Theodotion, Symmachus & Onkelus explicant: ſufficit enim quod hæc adjectio proferatur a LXX. atque etiam in Codice Samaritano & Editione Latina Vulgata habeatur. Inde enim argumentum eſt, ex Codicibus Hebræis nunc eraſa eſſe iſta vocabula, quæ antiquitus in eis fuiſſe indicio eſt, quod ſenſum alioquin hiulcum exprimerent. Quare ſatis temere agunt (*inquit Fagius, ut validum ſit ab hoſte teſtimonium*) qui ſicuti Latinam illam vulgatam „ Editionem, non ad literam per omnia „ textui Hebraico correſpondere vident, ex„ ſibilant eam, damnant, rejiciunt, at„ que penitus explodunt, non attendentes „ quid, vel quem ſecutus fuerit ejus Au„ ctor. Hoc enim ſemper deprehendo, quod „ ſi quando a veritate Hebraica diſſentire „ videtur, eum vel LXX. vel Paraphraſim „ Chaldaicam, vel aliquem ex Rabbinis „ Hebræorum ſecutum fuiſſe. Non eſt er„ go temere nata Vulgata Latina Editio, ut „ quidam ſcioli ſtulte & impudenter clami„ tant. *Hæc ille.* Et quidem appoſite ſatis, niſi Vulgatam Editionem interdum ex Rabbinis aliquid præter divinæ Scripturæ, divinique verbi integritatem & puritatem ſibi adſciſcere, & mutuari imperite fuiſſet commentus, (16)

§. IV.

Ex Capite VI. v. 3.

NON *permanebit Spiritus meus, &c.* Variatio hic potiſſimum eſt (inquit Fagius) in verbo דין, quod LXX. & Auctor Latinæ Vulgatæ Editionis per *permanebit* reddiderunt, cum proprie Hebræis hoc verbum *judicare, contendere, diſceptare, litigare* & *rixari* ſignificet. *At* reſpondeo cum Glaſſio [a] LXX. Senes legiſſe in textu Hebræo non דין JADON, *diſceptabit* ſeu *judicabit*, ſed ידון *Jalon*, a radice לין LOUN *pernoctavit*, ſeu *permanſit*; atque huic conjecturæ non parum patrocinari quod & Jud. XIX. 9. ipſum hoc verbum in contextu Græco per verbum ſimplex *μένω* exprimitur. Eandem lectionem firmat propoſitio ב quæ nomini אדם præfigitur; nam ea apponi non poteſt cum verbo לין *loun*, ut videre eſt Jeremiæ XXII. 16. & pluribus aliis in locis. At verbum לין *loun* conſtructum reperies cum præpoſitione ב Geneſ. XXXII. 21. Jud. XIX. 10. & Zachariæ V. 4. (17)

[a] *Philolog. ſacr. pag. 67.*

§. V.

Ex Capite VIII. v. 4.

REQUIEVIT *Arca Noe menſe ſeptimo &c.* Oppugnant hic Vulgatam Adverſarii noſtri, aſſeruntque veram lectionem eſſe eam, quam textus Hebræus repræſentat, ubi invenias, *Decimo ſeptimo die*, loco *vigeſimo ſeptimo*, ut eſt in noſtra Editione. Obiectionem hanc Volumine ſecundo diſſolvam, ubi peculiarem diſſertationem de numeris Hebraicis inſtituam, & locos omnes examinabo, in quibus erraſſe putant Vulgatæ Auctorem, cum numeros appoſuit longe diverſos ab iis quos textus Hebræus habet. (18)

Ex

(16) De verbis illis: *Egrediamur foras*, quæ in ℣. 8. capitis 4. Geneſeos leguntur nonnulla in (7) Nota præcedenti tradita ſunt. (*W*)

(17) Auctoris noſtri reſponſio confirmari poſſe videtur ex lectionibus veterum Patrum, in ſuis codicibus ex Græco translatis *non permanebit* legentium; ita Auguſtinus quæſt. 55. in Exodum, Tertullianus lib. *de Reſurr. Carnis*, Hilarius in Pſal. 64. & in Pſal. 55. legit. *non habitabit*; S. Hieronymus autem quamquam lectionem hanc *judicabit* præferendam eſſe adfirmet, ut notat Vallarſius, tamen in codice ſuæ verſionis *permanebit* ſcriptum eſt, Codex pariter Alexandrinus καταμείνη habet, pro *permanebit*. Onkelos pariter legit *ſtabilis erit*; *perdurabit*; *permanebit*; hoc modo legi poſſe demonſtrat Grotius in ſuis Adnotationibus. (*W*)

(18) In ſequenti volumine Auctor noſter quamvis nonnulla in diſquiſitionibus capitis quinti Geneſis de varietate numerorum, quam Vulgatus Interpres ab Hebræo præfefert propoſuerit; ac in quæſtione 9. ſuper caput ſextum ejuſdem libri de *vigeſimo ſeptimo die* aliqua tradiderit, peculiaris tamen diſſertatio, in qua de numeris Hebraicis ſeſe acturum promittit hoc loco, deeſt omnino. Quod ergo pertinet ad iſtam numeri diverſitatem, quæ in Vulgata legitur, *diem vigeſimum ſeptimum* deſcribens, pro quo *decimum ſeptimum* habet Hebræa: dicimus emendatiorem eſſe Vulgatam, quam Hebraicam, cum magis noſtra reſpondeat præcedentibus, & ſequentibus, quæ de univerſali diluvio leguntur. Inconcuſſum ſiquidem eſt ex Geneſis 7. ℣. 11. omnes abyſſi magnæ fontes, & Cæli cataractas apertas fuiſſe die decima ſeptima menſis ſecundi, ſcilicet die 1. noſtri Decembris, ut tradit

Uſſe-

Ex eodem Capite VIII. v. 6. & 7.

Aperiens Noe *feneſtram Arcæ quam fecerat, demiſit corvum qui egrediebatur & non revertebatur.* Diſſentiunt hic Editiones Græca LXX. Interpretum & Latina ab Hebraico textu qui ad verbum hunc locum ſic reddit: *Et emiſit Corvum qui egreſſus eſt egrediendo & redeundo, donec ſiccarentur aquæ ſuper terram.* Cui concordat Chaldaica Paraphraſis ſic referens: *Et miſit Corvum & exivit exiens & revertens donec ſiccarentur aquæ.* Suffragatur etiam Arabica; *Dimiſitque Corvum & exibat & revertebatur.* Concinit quoque Samaritana: *Egrediendo autem egreſſus eſt & reverſus.* Quin etiam teſtatur Lucas Brugenſis, quædam exemplaria Latinæ Verſionis negationem hic expungere: Nam exemplar latum & oblongum S. Germani, & oblongum S. Dionyſii, & Complutenſe cum Regio ſine ulla negatione legunt, *qui egrediebatur & revertebatur.* Favet etiam Joſephus ſcribens: μεθίησι κόρακα βυλόμενος μαθεῖν, εἰ καὶ τὸ ἄλλο τῆς ἐπιλειμένει ὑπὸ τὸ ὕδατος ἀφανὲς ἔτι ἦν ἴδιον πρὸς ἴκδασιν. ὁ δ' πάντα εὑρὼν ἔτι λιμναζομένην πρὸς τοῖχον ἐπανῆλθε. *Emiſit Corvum, volens explorare num & reliqua terra ab aquis deſerta, ad faciendam exſcenſionem idonea, ſecuraque eſſet. At ille totam adhuc ſtagnantem inveniens ad Noe reverſus eſt.* Nihilominus tamen Vulgatam Editionem perperam hic erroris arguunt Heterodoxi, ſive enim negationem abjicias, ſive retineas, planus & apertus erit Scripturæ ſacræ ſenſus; quæ hoc in loco potiſſimum intendit ſignificare Noe per Corvum non habuiſſe exploratum Diluvii finem ſicut habuit per columbam, quæ primum ex Arca a Noe emiſſa, cum non inveniſſet ubi requieſceret, nec convenientem ſibi eſcam haberet, reverſa eſt ad eum in Arcam: iterum autem poſt ſeptem dies dimiſſa rediit portans ramum olivæ virentibus foliis. Corvus autem cadaveribus fluctuantibus forte inſidens, aut in exſiccatis & jam revelatis montium cacuminibus conſiſtens, paſcebatur hominum & brutorum mortuorum exuviis, nec ad arcam revolabat.

Neque his officiunt hæc verba, *Donec ſiccarentur aquæ*, ſiquidem particula *donec*, in Scriptura ſacra plerumque nota eſt, non rei poſtmodum factæ, ſed nuſquam faciendæ: ſic Pſal. CXI. *Non commovebitur* DONEC *deſpiciat inimicos ſuos*, vox *donec* indicium non eſt quod Chriſtus Dominus hoc in Pſalmo delineatus comomveri debeat, ubi de inimicis ſuis triumphaverit. Sic etiam Matth. I. v. 25. habetur quod S. Joſeph licentia maritali non cognoverit B. Virginem, DONEC *peperit ſuum filium primogenitum*; inde autem argumentum non eſt quod illam poſtmodum cognoverit. Quamobrem etſi ab Interprete Vulgato dicatur Corvus in arcam non rediiſſe donec ſiccarentur aquæ, hinc colligere non licet, quod finito aut durante diluvio in arcam redierit. (19)

Uſſerius, & per integros 150. dies abſque ulla diminutione aquas ſuper montes excelſos quindecim cubitis fuiſſe elevatas, ut verſu 20. ejuſdem capitis, & verſu 3. capitis 8. compertum eſt; cum autem poſt 150. dies completos ceperint aquæ eundo, & redeundo paulatim deficere, cæpit ergo aquarum imminutio poſt diem 17. menſis ſeptimi, poſt diem ſcilicet ſextam noſtri Maji, ut idem Uſſerius opinatur, cum a die 7. menſis Decembris, qua diluvium incæpit, uſque ad ſextam Maii, 150 dies intercedant. Quis modo ſibi ſuadeat unius diei ſpatio adeo aquas decreviſſe, ut Arca terræ potuerit inhærere, & ſuper montem requieſcere, ſi ab eo inſtanti, quo Arcam Monti Armeniæ dicitur appuliſſe uſque dum ex aquis vel tantillum emergerent montium apices ad diem uſque primam menſis 10. expectare neceſſum fuit ex ℣. 5. cap. 8. Geneſeos? Ex his manifeſto patet Vulgatam verſionem eſſe Hebraicis codicibus hodiernis hoc in loco emendatiorem, quod confirmatur ulterius ex ejus cum græcis codicibus, & antiquiorum Patrum lectionibus conſonantia. (*W*)

(19) Nonnulla ab Auctore noſtro ad explicandam Vulgatæ noſtræ lectionem traduntur in alio volumine Diſquiſitionum in Caput 8. Geneſeos quæſt. 2. A nobis autem in Nota (7) præcedenti ſatis hæc variatio diſcutiebatur.

Ad idem Caput 8. ℣. 17. purgator ille Divinorum Codicum Sixtinus Amana cum ſuo ventilabro verba iſta *egredimini* purgat, atque inter paleas projicit, eo vel maxime quod a Vulgatæ Interprete hoc in loco יצא *Schareti* vertat per *ingredior*, cum Geneſ. 1. ℣. 20. per *produco*, & Exodi 8. ℣. 3. per *ebullio* tranſtulerit. Poſſet Amanæ inventum fulciri quammaxime ex Samaritica lectione quæ habet = *educ tecum, ut fœtificent in terra, & fructificent, & multiplicentur*: Syriaca pariter legunt: *educ tecum, gignantque ſuper terram, & fœtus producant.* Arabica tandem: *educ tecum ut prolificent in terra, & fructificent, & multiplicentur.* Hæc ſiquidem omnia videntur erroris convincere Vulgatum Interpretem. Verum Hieronymus Hebraicæ linguæ non ſuperficie tenus gnarus vertit *ingredimini*, ut patet tum ex ejus verſione in Bibliis Regiis, tum ex codice a Maurinis edito; quis tamen eum inſcitiæ redarguat ſi alibi huic verbo יצא propriam ſignificationem affixit? Pluries in ſcripturis ſanctis verbum iſtud *ingredior* pro verbo *coeo* uſurpatum invenimus, ita Geneſis 16. ℣. 2. & 4. *Dixit* (Sarai) *Marito ſuo ingredere ad ancillam meam .... Qui ingreſſus eſt ad eam. At illa concepiſſe ſe videns &c.* Geneſis 30. ℣℣. 3., & 5. ſimilia legimus = *Habeo famulam* (dixit Rachel ad Jacob) *ingredere ad illam, ut pariat .... qua, ingreſſo ad ſe viro, concepit, & peperit.* Nonne, & ſenſus ℣. 17. Capitis 8. Geneſeos eſſe poteſt = *Egredere de arca tu, & uxor tua .... & cuncta animantia .... educ tecum; & ſuper terram, ingredimini, creſcite, multiplicamini*; hic equidem ſenſus apprime cohæret cum Samaritica, Syriaca, & Arabica verſione.

Multo minoris facienda videntur, quæ contra Vulgatam noſtram opponit Amana ex cap. 11. ℣. 13. in quo legitur Arphaſad vixiſſe trecentis tribus annis, poſtquam genuit Sale, cum in Hebraica quadringenti tres anni habeantur. Fatendum utique in codice Hieronymiano, aliiſque editionibus legi ut in Hebraica, Plura nihilominus manuſcripta exemplaria, quæ a Vallarſio citantur in Margine, legunt trecentis tribus annis; Verſiones Arabica, & Syriaca habent *quadringentis tribus annis*. Codex Alexandrinus legit ἔτη τετρακόσια τριάκοντα annos quadringentos triginta: Samaritana vero *trecentis tribus annis*. Quis modo in tanta Codicum varietate, unam potius, quam alteram tutam lectionem exhibeat, cum ſit incertum quænam lectio depravationem ſubierit?

Eadem audacia Sixtinus *ineptiam* vocat verſionem Vulgatæ noſtræ Cap. 12. Geneſ. ℣. 6. ubi legitur ex hebraico אד אלון מורה *hadh elon Moreh*: *uſque ad Convallem illuſtrem*, quandoquidem, inquit *Moreh* quod eſt nomen proprium, verſum videmus *illuſtrem*. Verum ſi Hebræorum interrogemus Rabbinos, neſcire ſe ſtatim an *Moreh* nomen proprium ſit, vel appellativum fatentur, ut tradit Pererius. Hinc Pagninus eam vocem ſine interpretatio-

§. VI.

Ex Capite XVII. v. 12.

INFANS *octo dierum circumcidetur in vobis, &c.* Reprehenditur hic Editio Latina Vulgata, quasi minus habeat quam Hebraicus textus, qui ad finem hujus versiculi hæc adjicit: *Circumcidendo circumcidetur natus domus tuæ &c.* quæ in Vulgata desiderantur. Tanta est in adversariis nostris carpendi voluptas, ut nostrum Interpretem castigent vel in ipsis locis ubi eximia eruditionis suæ documenta præbuit; nec advertunt se in foveam quam fecerunt, cadere. Insciliæ arguunt præfatum Interpretem, sed suam ipsi produnt insciliam cum ajunt verba hæc; *Circumcidetur natus domus tuæ* in nostra Editione non comparere: non comparet quidem *natus domus tuæ*, sed reperitur *vernaculus* quod nomen idem significat ac *natus domus tuæ;* illamque loquendi formulam elegantissime exprimit. Unde id conficitur, totam Interpretis nostri insciliam in eo esse positam, quod eleganti locutione usus sit. Latinam ergo linguam discant Adversarii nostri antequam se ad pugnam accingant. (20)

§. VII.

tatione reliquit. Septuaginta Interpretes eam tanquam appellativum nomen usurparunt, atque *excelsam* transtulerunt, S. Hieronymus vero *illustrem* reddidit: Videt ne quam audacter Sixtinus pronunciet vocem illam *Moreh* nomen proprium importare? Munsterus inter Criticos sacros monet vocem illam אלון *elon* vertendam esse *planitiem*, non *quercum*, cum sit in Hebræo *elon* non *allon*. Vatablus autem a doctis Hebræis tradi adfirmat, quod vox *elon* æque *planitiem*, & *quercum* significet, & sane: *usque ad planitiem More* vertit Chaldaica paraphrasis. Masius in cap. 8. Josue ℣ 30. ait appellatum esse locum illum *Convallem More* a radice ראה *raa*, proindeque appellatum esse *Convallem ostendentis*, eo quod in valle ista ostendit Deus Abrahæ terram Chanaan, sicuti ei ante promiserat. Cum autem planities ista esset in Sichem, ubi quoque montes Garizim, & Abal reperiebantur, jure meritoque locus ille *Convallis* dictus est, ut docet Clarius inter Criticos sacros: Illustris autem, vel ob ejus pulchritudinem, vel quia famosus, ex Dei locutione cum Abraham, aliisque de causis, quas refert Masius loco citato, redditus fuit.

Ad alteram Sixtini in Vulgatum Interpretem exprobrationem eo quod verterit in Cap. 13. Geneseos ℣. 2. = *in possessione auri, & argenti*, cum legendum adfirmet = *dives valde in pecore, auro, & argento*, cum habeant Hebræa בּ מקנה *b mikneh*. in pecore dicimus cum Cartwrighto vocem illam hebraicam *mikneh* posse dubio procul significare *possessionem*, quamvis hoc in loco, ut ille inquit, pro aliqua possessione ab auro, & argento diversa sumatur necesse est, quia præpositio ב *b in* præfixa est vocabulis sequentibus. Verum quid hic necesse erat pecora Abrahæ iterum recensere, si tam clare de eis Sacer textus locutus erat cap præcedenti ℣. 16.? dubium igitur esse non poterat, quin Abraham dives quamvalde pecoribus esset, proindeque hoc in loco aurum, & argentum illius tantummodo commemorandum ad integritatem historiæ; ita resolvit Tostatus difficultatem hanc quæst. 23. in Cap. 13. Geneseos; integritatem ergo divinæ historiæ non minus Vulgata nostra, quam Hebraici Codices, exhibet. Fatemur nihilominus antiquiores Patres Ambrosium lib. 2. de Abraham cap. 5. Fulgentium lib. 2. ad Monimum cap. 3. legisse: *dives valde in pecoribus &c.*, Arabicam pariter legere: *in armentis, & argento, & auro*; Syriacam vero *in possessione, & argento, & auro*; ex qua fortassis lectione quis Amanuensium vertit: *in possessione* argenti, & auri. Id tamen unum satis est nobis, quod Tridentini Patres versionem integram quoad veritatem historiæ, & quo ad doctrinam fidei, & morum nobis proposuerint. Tria loca in capite 14. Geneseos reprehendunt veluti male translata vulgatæ versionis inimici. Primus est v. 1. in quo legimus: *Arioch Rex Ponti*, cum esse debuerit *Rex Ellasar*, ut legunt Hebræa, & LXX., inquit enim Munsterus, quod Pontus longe nimis a Sodomis distabat, ut inde exercitus illac perduci posset. Ast quis nesciat, quam sit incertus locus, in quo Civitas Regis Arioch existebat: Nobis magni faciendam esse S. Hieronymi versionem non ambigimus, quia omnia ferme Palæstinæ loca perlustravit, *Pontum* nihilominus Regi Arioch adsignat, quamvis & *Ellesarem* civitatem ejusdem Regis fateatur in libro de locis Hebraicis; non poterat ergo duplici nomine probabiliter nuncupari? A Stephano apud Cornelium a Lapide urbs in Cœlesyria nomine *Ellas* admittitur quæ fortassis alio nomine *Pontus* dicebatur; verum quidquid sit; veritas in nostra non minus, quam in Hebraica reperitur; Aquila etiam ut tradit Munsterus *Pontus* non *Ellasar* legebat in sua versione.

Secundus in Capite 14. Geneseos locus ab Amana reprehensus habetur v. 10., ubi legimus, *& ceciderunt ibi*, cum *ceciderunt illuc* opinetur legendum. Pagninus, ut vulgatus Interpres hunc locum vertit, quamquam in margine adnotatum videamus = *se in illos* (puteos) *conjecerunt; scilicet ut delitescerent*. Si autem intelligatur hic locus = *& casi fuerunt ibi*: vel *percussi sunt*, quis non videat Vulgatæ lectionem statim esse aliis lectionibus præferendam?

Tertius denique locus habetur v. 19. hujus capitis ubi legimus = *At vero Melchisedech Rex Salem, proferens panem, & vinum, erat enim Sacerdos* Dei *Altissimi, benedixit ei &c.* = Blasphemat Amana, aitque fulcrum ex hoc loco idololatrico Missificio quærere Romanam Synagogam, & Bellarminum contra Hieronymi mentem ausum esse hæc verba *erat enim*, jungere cum illis *Benedixit ei &c.* unde expungendam clamat particulam illam *enim*, utpote quæ in Hebræo nunquam compareat. Ast in codice S. Hieronymi a Maurinis edito legimus adamussim, ut in Vulgata, solummodo in parenthesi clauduntur hæc verba (erat enim Sacerdos Dei Altissimi) deest quidem in Hebræo particula *enim*, sed ejus loco habetur &, ut patet ex versione Pagnini. Hæc autem particula & in Hebræo quam sæpe pro illis *quia, nam, enim* sumitur ut variis exemplis demonstrat a Lapide. Quare autem canino dente eam aggreditur fidelium Catholico-Romanam Ecclesiam Sixtinus, quæ Apostolicam doctrinam in sua Pastorum legitima successione intemeratam velit nolit Hæreticus ille servavit, nulloque modo a verbo Dei potest defectionis revinci? In illa Melchisedechi oblatione figuram excellentissimi in novo fœdere instituendi sacrificii corporis, & Sanguinis Domini sub speciebus panis, & vini agnovit utique Bellarminus, sed ante ipsum jam prænoverant Clemens Alexandrinus, Eusebius, Epiphanius, Chrysostomus, Cyprianus, Ambrosius, aliique, quos Bellarminus ipse refert Lib. 2. de Verbo Dei cap. 12., quorum Doctrinam Sixtini, aliorumve Novatorum, atque Evangelii Reformatorum blasphemus præferendam quisve mentis Compos judicabit. (W)

(20) Capitis 19. v. 16. Vulgatæ cum habeat = *dissimulante illo* reprehenditur ab Amana, eo quod legamus in Hebræo ויתמהמה vajithmahmah, *moram faciens*

§ VII.

Ex Capite XXXVI. v. 24.

ISTE *eſt Ana qui invenit Aquas calidas in ſolitudine cum paſceret Aſinos Patris ſui.* Contradicit autem Hebræus textus; ſic enim habet: *Iſte eſt Henach qui invenit mulos in deſerto cum paſceret aſinos Zibeon Patris ſui.* Ubi variatur in voce הימם *ha-jemim*, quam Latinæ Vulgatæ Editionis Auctor *calidas aquas* tranſtulit per oſcitantiam, inquit Fagius; nimirum quod מים MAJIM *aquas* vel ימים JAMMIM, *maria* Legerit, cum legere debuiſſet *jemim*, quæ vox Hebræis hic proprie ſignificat, idem ac פרדים PERADIM *mulos*, qui ex aſina & equo naſcuntur; Porro hos *Ana* ille, non quidem fortuito aberran-
„ tes in deſerto reperit, ſed ſua induſtria
„ adinvenit, ut explicat Rabbi Kimchi: a a *in radici.*
„ Jemim, *inquit*, ſunt muli, compoſitum *ſuis*,
„ quiddam ex duabus ſpeciebus, equo ſcili-
„ cet

faciens, quo ſiquidem pacto, quamquam per tempus præteritum legunt Aquila, Onchelos, & Pagninus LXX. vero ταράχθησαν *turbati ſunt* vertunt. Quid quæſo diſcriminis inter has voces *tardare*, *negligere*, vel *diſſimulare* præceptum Angelorum compellentium Loth, ut Sodomis emigraret? S. Hieronymus in ſuo codice *diſſimulante illo* legebat.

Caput 20. non integrum reliquit, ſed verba iſta verſ. 16. *memento te deprehenſam* carpit Sixtinus inquiens nullum in Hebræo eſſe vocabulum, quod *memento* ſignificet. Verum fatetur & ipſe obſcuram quam valde eſſe hujuſcemodi ſententiam; in codice S. Hieronymi habetur ut in vulgata; credibile ne eſt, quod S. Doctor ab Hebraica veritate recederet, dum Hebraicæ veritati Scripturarum lectionem reddere ſatagebat? Diverſæ profecto inveniuntur Interpretum translationes, ſed in id omnes conſpirant, ut Abimelech Saram monuerit ne deinceps ſuum cum Abraam conjugium diſſimularet, eo quod & ſeipſam periculo, & alios flagellis exponeret, ſemperque in ſua ſimulatione deprehenſa fuerit.

Ad Caput 21. verſ. 9. hæc verba: *ludentem cum Iſaac* redarguuntur; aſt norunt omnes verbum מצחק metſahech *ludentem*, *irridentem*, *ſubſannantem*, & ut vertit Apoſtolus ad Gal. 4. *perſequentem* ſignificare poſſe. Quod autem *ludentem cum Iſaac* legamus, eo poteſt intelligi ſenſu, quo dicimus = Canes cum felibus, & feles cum muribus ludere.

Cap. 24. v. 21. carpitur Vulgatus Interpres, quod tranſtulerit *contemplabatur eam*, cum quid magis exprimat vox hebraica. Vatablus; & Chaldaica Paraphr. legunt *admirabatur*: Pagninus *ſtupebat*. Hieronymi codex *contemplabatur*, quæ vox num veritatem exprimat hiſtoriæ quiſque a ſemetipſo dignoſcit ex contextu.

Cap. 25. v. 18. eum in vulgata = *coram fratribus ſuis obiit* ſcriptum ſit, inſurgit Amana atque *cecidit* ex voce נפל naphal legendum, atque *habitavit* intelligendum contendit. Nos ei unius opponimus S. Hieronymi auctoritatem, in Libro *de* Quæſt. Hebraicis ita ſcribentis = Quod autem in extremo hujus capituli juxta Septuaginta legimus = contra
„ faciem omnium fratrum ſuorum habitavit: ve-
„ rius eſt illud, quod nos poſuimus; coram omnibus
„ fratribus ſuis occubuit &c. = S. Hieronymi verſionem comprobant Munſterus, & Clarius Amanæ amici.

Verſ. 20. Cap. 26. criminatur Sixtinus, quaſi male translatum in illis verbis: *Quamobrem nomen putei ob id, quod acciderat vocavit calumniam*, cum *puteus jurgii, aut litigii* appellari debuiſſet, ſive *jurgium*, aut *litigium* ex voce Hebraica עשק *eſek*. Druſius hunc in locum animadvertit, ideo translatum eſſe ex voce iſta Hebraica verbum *Calumniam*, quia legerunt Hieronymus, & alii עשק *hoſchek* cum puncto ſcilicet in cornu dextro litteræ ש, hoc eſt eam pronunciarunt per *Schin*, & tunc calumniam ſignificari per vocem illam adfirmat; qua ſiquidem ratione factum eſt, ut illud Pſalm. 72. v. 4. עשק verterint LXX. συκοφάντας, & S. Hieronymus *calumniatorem*; nec non Proverbiorum 14. v. 31. prædictam Hebraicam vocem per *Schin* lectam tranſtulit tam Hieronymus, quam LXX. per verbum *calumnior*. Nunc vero vox Hebraica עשק cum legatur poſito puncto ſuper cornu ſiniſtrum, ac per literam *Sin* pronuncietur, *jurgium*, ſive *litigium* ſignificat; unde in Chaldæo permutatam intuemur literam ע in נ; quod & Lexicon Munſteri præfefert. Idipſum de hujus vocabuli translatione ſcribit Grotius. S Ambroſius Lib. de Iſaac cap. 4 tradit, quod Paſtores Gerarim aquam ſibi ejus putei quaſi propriam vendicabant; id autem cum falſum eſſet, potuit puteus ille *calumnia* nominari; evidens eſt ergo ſive unam, ſive alteram retineamus expoſitionem veritatem translationis. Vulgatæ in tuto conſiſtere.

Verſiculum etiam trigeſimum tertium ejuſdem Capitis Amana damnat quod ſcriptum præferat *abundantiam*, cum in eo ſcribi debuiſſet *juramentum*. Amanæ poſtulationi non parum favere videntur LXX., qui vertunt ὅρκιας ὄρκου, codices etiam Alexandrinus, & Vaticanus eodem pacto legunt; quinimmo S. Ambroſius Lib. *de Iſaac* cap. 4., & S. Auguſtinus quæſt. 78 in Geneſim *puteum juramenti* eum appellarunt. Aſt quam facile veritas panditur etiam inter Summæ veritatis inimicos? Grotius hunc Geneſis locum exponens, ait a Latino Interprete lectam eſſe vocem iſtam hebraicam שבע *Seba* per literam *Sin* puncto ſupra ſiniſtrum cornu poſito, quo in caſu *ſaturitatem* ſignificat. Græci autem, & Hebræi nunc legunt per *Schin*, nempe cum puncto ſuper cornu dextrum, & tunc *juramentum* vox illa שבע *Scheba* importat. *Juramentum*, & *Saturitas*, inquit Druſius eamdem in Hebræo radicem habent; unde ſi legas cum *Sin*, quod punctum gerit in lævo dente ſaturitatem, ſi vero in dextro gerat tunc juramentum ſignificat. S. tamen Hieronymus ita in *quæſt. Hebraicis* hac de re ſcribit = Et venerunt pueri Iſaac, & nunciave-
„ runt ei de puteo, quem foderunt, & dixe-
„ runt ei: invenimus aquam, & vocavit nomen
„ ejus *Saturitas*. Neſcio quomodo in LXX. Inter-
„ pretibus habeatur: & venerunt pueri Iſaac, &
„ nunciaverunt ei de puteo, quem foderunt, &
„ dixerunt ei; non invenimus aquam, & vocavit
„ nomen ejus juramentum. Quæ enim etymolo-
„ gia eſt propterea vocari juramentum quod aquam
„ non inveniſſent? e contrario in Hebræo cui
„ interpretationi Aquila conſentit, & Symmacus,
„ hoc ſignificat, quod invenerint aquam, & pro-
„ pterea appellatus ſit puteus ipſe *Saturitas*, &
„ vocata Civitas Beerſaba, hoc eſt puteus Saturi-
„ tatis. Licet enim ſupra ex verbo juramenti,
„ ſive ex ſeptenario ovium numero, quod *Sabe*
„ dicitur, aſſeruimus Beerſaba appellatam: tamen
„ nunc ex eo, quod aqua inventa eſt, Iſaac ad
„ nomen civitatis, quæ ita vocabatur, alludens,
„ declinavit paululum literam, & pro ſtridulo He-
„ bræorum *ſin*, a quo Sabe incipitur, græcum Sig-
„ ma, ideſt Hebræum Samec poſuit =. Ex contextu pariter videtur evidens quod puteum illum *Abundantiam*, ſive *Saturitatem* appellaverit, cum nomen ei impoſuerit poſtquam receſſerat Abimelech cum ſervis ſuis, atque Iſaac vernaculi nunciaverant aquam fuiſſe repertam; hoc propterea in loco, vulgatæ noſtræ lectio præferenda videtur omnino Hebraicæ hujus temporis lectioni.

Cla-

„ cet & Asina. Cumque dicit Scriptura, „ quod *invenerit*, innuit quod industria sua „ fecerit ascendere equum super asinam, „ atque ita produxit hanc speciem in mun- „ dum. Cæterum Rabbini nostri benedictæ „ memoriæ dicunt *Ana* hominem fuisse vi- „ tiosum; ideoque & in mundum quæ „ non carebant vitio introduxisse. Filius si- „ quidem Zebeonis fratris sui fuit, qui coivit „ cum matre sua, & genuit ex ea Anah. „ *Hæc Kimchi*: Ex quibus infert Fagius Vulgatum Interpretem hic fuisse hallucinatum, quod vocem Hebræam ימים *jemim* verterit *aquas calidas*, cum *mulos* dicere debuisset.

Verum quam absurda sit & temeraria Fagii & illorum omnium qui cum eo sentiunt, criminatio; apparet primo ex eo quod vocem illam Hebræam varie interpretati sint Veteres, teste S. Hieronymo, in hunc locum sic scribente: [a] *Multa & varia apud Hebræos super hoc capitulo disputantur. Apud Græcos quippe nostros super hoc silentium est. Alii putant* JAMIM *maria appellata. Iisdem enim literis scribuntur* MARIA *quibus & nunc hic sermo descriptus est. Et volunt illum dum pascit asinos patris sui in deserto aquarum congregationes reperisse, cujus rei inventio difficilis est. Nonnulli putant* AQUAS CALIDAS *juxta Punicæ linguæ viciniam, quæ Hebrææ contermina est, hoc vocabulo signari. Sunt qui arbitrentur onagros ab hoc admissos esse ad asinas: & ipsum istius-*

[a] *In quæstionib. Hebr.*

Clamitat Sixtinus quod in versu 27. redundat in Vulgata nostra vox illa *pleni*; eam tamen habet versio S. Hieronymi a Maurinis edita; eam in suis codicibus legebant Ambrosius Libro de *fuga sæculi* cap. 13. & alibi, Vetus S. Irenæi Interpres, S. Cyprianus Lib. I. Testim. S. Hilarius in Psalm. 121. Unde merito Grotius vocem illam *Pleni* excidisse opinatur ex Hebraico, cum habeatur in Græco, in Samaritano, & in Syriaco veteri

Ad versiculum 39. ejusdem capitis 27. legendum contendit Amana; *in pinguedinibus terræ erit habitatio tua*; cum in Hebraico habeatur משכן *moschach*. *Habitatio* legerunt LXX. Pagninus, Ambrosius, & Augustinus. Codex tamen Hieronymianæ versionis habet *benedictio*. Verum utraque lectio vera esse potest; cum per utramque id unum significetur, ab Isaac videlicet bona terræ ejusque pinguia esse promissa; Esau siquidem a Patre benedictionem exposcebat, eamque consequutum in utraque lectione cognoscimus; quamquam ex contextu, Vulgatæ nostræ versio magis congrua videatur.

Capitis 31. v. octavus redarguitur, in Vulgata versione a Sixtino, ob ista verba: *comparavit me Dominus cum sorore mea*; cum legendum ex Hebraica velit = *Luctationibus Dei luctata sum cum sorore mea*. Huic expostulationi Vulgatæ versionis inimici unum opponimus S. Hieronymum Lib. de *Quæstionibus Hebraicis in Genesim* scribentem = In Hebræo scriptum est נפתולי אלהים נפתלתי Naptulę Elohim Naphthaleti. Unde a conversione, sive a comparatione, quia utrumque sonat conversionem sive comparationem Nephthalim filio nomen imposuit = Si Hieronymum prorsus in hebraica lingua non cespitasse supponamus, vulgatæ lectionem esse retinendam compertum est.

Ad versum 47. capitis 31. reprehenditur ab Amana hæc versio: *tumulum testis* exprobrante interpreti nostro, quod perperam vocem hanc שהדותא Sahadutha testem verterit. Verum audiamus S. Hieronymum in quæstionibus Hebraicis ita scribentem; Acervus hebræa lingua *gal* dicitur, Aad vero testimonium; rursus lingua Syra acervus *igar* appellatur; testimonium *sedutha*. Jacob igitur acervum testimonii, hoc est *Galaad* lingua appellavit Hebræa; Laban vero idipsum, idest *acervum* testimonii *igar sedutha* gentis suæ sermone vocavit = Quis non videt modo in Hebraica lectione exprimi Syriacam Labanis vocem; eamque versam esse in vulgata?

Erroris insimulat Sixtinus versum 15. capitis 32. eo quod vulgata legat *tauros viginti*: cum Hebræa עשרת *decem* habeat. Hunc siquidem locum correctionis adhuc subiectum fortassis esse non ambigimus, cum codex versionis Hieronymianæ legat *decem*, non *viginti*: quamquam in Margine ad hunc locum notet Vallarsius suos omnes manuscriptos codices cum syriaco habere *viginti*. Error fortassis originem duxit ut opinatur Cartwrightus quod legerint עשרים *besrim viginti*, pro עשרת *hasarah decem*.

Adversus Capitis 33. versiculum 19. vulgatæ nostræ Sixtinus in sua illa execranda censura se attollit, verba illa: *centum agnis* tanquam ex Hebræo male translata contemnens; *centum nummis* potius vertendum cum Fagio, Munstero, Cartwrighto propugnans, eoquod Actorum 7. ℣. 16. pretio non *agnarum*, sed *argenti* ea emptio facta referatur. Veruntamen Amanæ fundamentum eo ipso ruit in præceps, quo eorum amplectamur insignium Expositorum opinionem; Stephanum nempe in actis fuisse locutum de emptione ab Abrahamo facta, quamvis nonnullæ in Actorum textum irrepserint ex amanuentium oscitantia mendæ. Abraham utique sepulcrum emit pretio argenti. An vero nummos non agnas solverit Jacob, ut Amana expostulat, incertum omnino est, cum vox ista קשיטה Kesita diversimode transferatur. Masius in caput 24. Josue v. 32. vocem hanc Hebraicam ter in scriptura recurrere animadvertit: hoc videlicet in loco: Josue 24. vers. 32.. & Jobi 42. v. 11. Illud Josue reddunt Chaldæus LXX., Syriacus, Samaritanus, Aquila, Symmacus, Theodotion, Albenezra, & S. Hieronymus *novellis ovibus*, si vera Masius enarrat. Illud pariter Jobi Paraphrasis Chaldaica LXX., & Hieronymus pro *ove* accipiunt, cur ergo non potuit etiam Jacob pro illa agri parte, quam emit solvere centum oves? cum ejus temporis principaliores divitiæ in armentis consisterent? Codex S. Hieronymi, & S. Augustinus quæst. 167. in Genesim centum agnis legunt.

Sixtinus vir summæ *περιεργίας* alte conqueritur pariter a vulgato Interprete concluса fuisse omnia hæc = *& discessit ab eo Deus a loco ubi locutus fuerat cum eo* = quæ in Hebræis codicibus habentur cap. 35. v. 13. intra hujus sententiæ = *& recessit ab eo* = cancellos; quasi Sancti Spiritus locutiones veluti vites falce possent incidi. Quasi, reponimus, ex vulgatæ contextu integer non habeatur Spiritus Sancti sensus quod scilicet *Deus consummatis cum Jacobo sermonibus istis, ab eodem recesserit*.

Ad idem caput 35. v. 16. vulgatum Interpretem Amana criminatur quod textum Hebraicum כברת הארץ verterit *verno tempore*, cum *paululum terræ*; vel *ferme milliare* cum Vatablo; vel *stadium terræ*, cum Munstero, vel quid simile opinetur legendum. Verumtamen S. Hieronymus in Quæstionibus Hebraicis constanter adfirmat quod longe sit melius verba illa transferri; *in electo terræ tempore*, sive *verno tempore*, quod idem est; Et revera in sua versione ex Hebraica veritate S. Doctor *verno tempore* vertit. Hæc omnia diligenter observat Vallarsius in Notis ad quæstiones Hebraicas S. Hieronymi, aitque sibi non potiorem succurrere rationem, quam si existimet lectum a S. Hieronymo in suo exemplari fuisse עת כברת *heth chebrath* pro עד כברת *hod chebrath*, in quo siquidem casu cum עת *heth* sit *tempus*; כברת *chebrath*, *ver*, sive *tempus electum* terræ Sancti Hieronymi versio legitima foret. Quis modo, si S. Doctoris codex, ut putat Vallarsius legebat, sedebit judex ad litem de genuina lectione definiendam? Codices Hebræorum hodierni? Et quomodo S. Hieronymi adversarii de tam depravata ejus ex adulterino codice versione silere potuissent adhuc illo vivente, si pro cujuslibet Libri sacri versione Apologias scribere compellebatur ut ex ejus Præfationibus sit compertum? W.

iſtiuſmodi reperiſſe concubitum; ut velociſſimi ex his aſini naſcerentur, qui vocantur JAMIM. *Plerique putant quod equarum greges ab aſinis in deſerto ipſe fecerit primus aſcendi, ut mulorum inde nova contra naturam animalia naſcerentur.* Hæc S. Hieronymus. Ubi vides varias eſſe ejus vocis ימים lectiones & interpretationes, quæ tamen Sanctum Hieronymum nihil moverunt, quin ipſe non *mulos*, ſed *aquas calidas* verteret. Cui etiam ſubſcribunt Theodoretus, Procopius & alii e Veteribus bene multi.

Accedit quod vox illa, ſive *jammim*, ſive *jemim* legas, nuſquam in tota Scriptura *mulos* ſignificet. Quamobrem illa Heterodoxorum interpretatio, purum putum eſt Rabbinicum commentum. Unde tantum abeſt, ut mendum hic contraxerit Vulgatus Interpres; quinimmo eum ſinceram veteris Hebræi textus lectionem retinuiſſe mihi argumentum eſt, quod veroſimile non ſit ab exordio mundi ad illam uſque ætatem, nullos unquam mulos extitiſſe: cum ubique Gentium, aut ſaltem in plurimis mundi partibus hæc animalia reperiantur. Conjicerem ergo vitiatum eſſe præſens Hebraicum textum, & pro voce compoſita הימים *ha-jemim*, quæ hodie legitur; olim fuiſſe מים חמים *maim chammim*, i. e. *aquas calidas*, ſeu calidarum & medicarum aquarum collectionem, quas Anaiſte, non quomodocunque invenerit, ſed etiam experimento & frequenti uſu earum vim medicam deprehenderit. (21)

(21) In codice S. Hieronymi cum *aquas calidas* pro *mulis* ſcriptum reperiatur argumento nobis eſſe debet quod ſui temporis Hebraici codices juxta communiorem acceptionem *aquas calidas* per vocem *jamim* indicabant; neſcius variarum inter Hebræos opinionum tunc temporis exiſtentium nequaquam erat S. Doctor, ut patet ex quæſtionibus Hebraicis; & in ſua verſione nihilominus eam ſelegit, quæ pro *aquis calidis* conſiſtebat; credibile ne eſt ab eodem inter varias, minus receptam tunc temporis lectionem fuiſſe adoptatam? in iis ergo, quibus utebatur codicibus S. Doctor חמים, *chammim* ſcriptum fuiſſe opinatur Vallarſius; Fatetur quidem vir hic clariſſimus non ſatis huic expoſitioni, circumſtantiam illam congruere, quæ in Sacro textu apponitur ſcilicet: *cum paſceret Aſinos Sebeon patris ſui* = cui profecto circumſtantiæ lectio altera prorſus innititur, quam Fraſſenii Adverſarii defendunt. Non diſſimulat nihilominus Vallarſius, & ante ipſum iam Calmetus adverterat, circumſtantiam illam aliis concuti ex ſcriptura argumentis. Nullibi locorum in primis nomine illo *jamim*, inquit, *muli* memorantur, quinimmo eorum ſpecies tum demum ſub Davidis tempore in ſcriptura nota eſſe cæpit. In ſcriptura multoties greges Iſraelitarum recenſentur, prædæ ex hoſtibus factæ ab Judæis narrantur, nec tamen ſpecies illa contra naturam progenita aliquando deſcribitur: his utuntur argumentis Vallarſius, & Calmet, ut per vocem illam *Jamim mulos* non fuiſſe deſignatos oſtendant,

In verſ. ſecundum capitis 37. debacchatur Sixtinus, quod in vulgata legamus Joſephum annorum ſexdecim fuiſſe, cum codices Hebræi decem, & ſeptem annos eidem concedant; & quamvis cum pluribus Catholicis fateatur potuiſſe excidere ultimam numeralem notam ex tranſcribentium incuria, in Romanos tamen Bibliorum Correctores excandet, ſummoſque Pontifices, quaſi illi auctores errorum, iſti autem approbatores extiterint. Cur quæſo Præfationem de editione Romana ſacrorum Bibliorum Codicibus præmiſſam inſpicere neglexit, ut poſſet, ſi tamen vellet intelligere num Romani Pontifices errores, & mendas, quæ in vulgatam editionem, volentibus nolentibus, irrepſerunt, admiſerint. Confundatur tamen maledicus iſte calumniarum ſator a Grotio, qui adnotat filium hujus anni, vel illius diei, qui eum annum agit, ut apparet ex cap. 12. Exodi v. 5. Senſum ergo recte, ait ipſemet Grotius, expreſſit Latinus. Hic ſiquidem, niſi ſit Librariorum error in numero, annos Joſephi completos expreſſit; Hebræa autem incæptos, ut exponit Toſtatus, cujus opinionem confirmat Philo ſcribens: erat Joſeph circiter 17. annorum.

Ad verſum 20. ejuſdem capitis 37. Vulgatum Sixtinus lacerare non deſinit, quod verterit *Ciſternam Veterem*, cum *in unam Ciſternam* legant Hebræa: Maximum profecto crimen vulgati Interpretis! S. Hieronymus, in cujus verſione a Maurinis edita, ut in Vulgata ſcriptum eſt, quam immerito caninis dentibus lanietur quiſque videt.

Verſ. 35. ejus Capitis vertendum eſſe non *in infernum* ut legit Vulgatus, ſed *in Sepulcrum* contendit Amana, cum שאול *Scheol* non *infernum* ſed *Sepulcrum* ſignificet. Druſius tamen animadvertit vocem illam Hebraicam tam ad ſepulcrum ſignificandum quam in infernum eſſe indifferentem; hic tamen infernum potius eadem ſignificari, cum אל ſignificet *ad* non *propter*; ut autem *Sepulcrum* apte transferri poſſet, legendum in Hebræo eſſet = propter filium meum deſcendam. Sepulcrum vero in Hebræo proprie dicitur קבר *Keber*; non igitur, concludit Druſius, erravit Interpres; ſed qui eum reprehendit. Hanc translationem retinuiſſe LXX., qui εἰς ᾅδην ubi ἔτυχον, vel ἐτύχιαν ſubintelligitur; nec non S. Hieronymum in ſua ex Hebraico verſione compertum eſt.

Intactum minime relictum videmus ab Amana quod legitur verſ. 5. capitis 38. Vulgatæ noſtræ = *quo nato ultra parere ceſſavit* = cum legendum expoſtulat = *erat* (Judas) *in chezib, cum ipſa pareret eum* = Pro loco quodam vocem illam כזיב uſurpant utique Hebræi; verumtamen R. Salomon eum locum ab eventu nomen accepiſſe opinatur, eo quod ſcilicet ibi parare deſiit ſua uxor Judæ. = Chezib, inquit Fagius in Paraphr. Chald. Urbs eſt Palæſtinæ, cui ab eventu, quod uxor Judæ parere ceſſavit nomen inditum eſt, ut quidam ſentiunt; unde vocem כזיב verbaliter exponunt hoc modo; & factum eſt cum mentiretur, ſeu falleret partus, hoc eſt, cum ceſſaret partus; mentiri autem, & fallere partus dicitur, cum ceſſat, & non amplius parit mulier; ſi vero adhuc clarius dixerimus = *& fuit in mendacio partus ejus* = nempe: erat in ceſſatione partus ejus: pro imperfecto enim uſurpatur perfectum in Hebraiſmo, nihil officit vulgatæ lectioni, quod ab Amana opponitur, verbum ſcilicet maſculinum.

Non majoris videntur ponderis quæ Sixtinus in capitis ejuſdem verſum 12. exputat, volens quod Hiras *Amicus* non *Opilio* dicatur; hinc Hieronymum citat in quæſtionibus Hebraicis, ab eoque vulgatum vapulare ſupponit: quapropter Geneſis verſionem non eſſe S. Doctoris concludit. Quam turpiter vero fallitur criticus iſte! En verba S. Hieronymi ex quæſtionibus præcitatis = Pro *paſtore Amicus* legitur, ſed verbum ambiguum eſt, quia iiſdem literis utrumque nomen ſcribitur רעה; Verum Amicus *Ree* Paſtor *Roe* legitur = Evidenter itaque conſtet vocem Hebraicam utraque lectione donari poſſe, S. autem Doctor in ſua verſione ex Hebraica veritate poſuit hanc lectionem *Opilio* quam ex LXX. retinuit ut Vallarſius animadvertit in hunc locum Hebraicarum quæſtionum. Falſum eſt autem quod Amana ſubjungit, vapulare nimirum Vulgatam noſtrum ab Hieronymo, quamvis in quæſtionibus Hebraicis diverſimode legat, aut legendum moneat; Librum quidem illarum ſcripſit S. Pater, antequam ex Hebraica veritate translationem Geneſeos ornaret, cum illa ante annum XIV. Theodoſii Principis, hæc autem nonniſi aliquot poſt annos in lucem venerit. Nec obeſt quod in Libro *de viris illuſtribus* S. Hieronymus memoret verſionem a ſe factam veteris teſtamenti, quia vel id aſſutum eſt ſcriptis S. Doctoris ab aliena manu,

cum.

§. VIII.

§. VIII.

Ex Capite XLIX. v. 3.

RUBEN *primogenitus meus, tu fortitudo mea, & principium doloris mei*. Hic Vulgatum Latinum Interpretem in plurimis carpit Fagius, maxime vero quod vocem אוני *Oni*, verterit *doloris mei*, cum ſcribere debuerit *roboris mei*, ut etiam hic vertunt Chaldæus, Pagninus, Oleaſter, &c. nam licet vox און *On* aliquando *dolorem* quoque ſignificet, tamen hoc in loco, ait Fagius, pro *robore* ſeu *fortitudine* accipiendam eſſe patet ex circumſtantiis; hic enim agitur de primogenito, in quo pater primum ſe oſtendit virum eſſe, ut pote cum virilem & maſculam ſuam virtutem in ejus generatione exſeruerit; vel quod ille natus ſit, dum pater viribus polleret, & in florenti eſſet ætate.

Verum illæ Fagii conjecturæ leviores ſunt, ut Vulgatum Interpretem hic deviaſſe perſuadeant: tametſi enim vox און *On* interdum in Scriptura, *robur* ſeu *virtutem* ſignificet, nihilominus hic dolorem proprie denotare argumentum eſt, quod Ruben revera fuerit principium doloris Jacob: non quia ipſius ſtratum aſcenderat & commaculaverat, nam ante iſtud facinus Jacob non parvum dolorem conceperat ex everſione urbis Sichimæ, quam Simeon & Levi vaſtaverant: ſed quia fuit ejus primogenitus: nam ſolent parentes plurimis curis, laboribus & moleſtiis agitari, variiſque doloribus ſubjici, ſtatim ac filios procrearunt, ut eorum educationi ſtudeant, & copioſam ac pinguem hæreditatem eis relinquant. Unde LXX. Interpretes voces illas *reſchith oni*, verterunt καὶ ἀρχὴ τέκνων μου *& principium filiorum meorum*. Quibus conſentire videtur S. Hieronymus, a ait enim in Hebræo haberi, *Et Capitulum in liberis meis*. (22)

a *in queſt. Hebr.*

Arguit iterum Fagius Vulgatum Interpretem propter ſequentia verba: *Prior in donis, major in imperio*: cum (inquit) juxta Hebraicum textum vertere debuiſſet: *Excellentia dignitatis, & excellentia fortitudinis*. Verum, quiſquis rem attenta mente perſpexerit, facile deprehendet. Vulgatum Interpretem Scripturæ ſenſum longe clarius quam quaſcunque alias explicationes reddidiſſe. Pagninus quidem vertit: *Excellens dignitate, & excellens fortitudine*, Arias Montanus: *Excellentia extollendi, & excellentia fortis*. Lippomanus: *Excellentia dignitatis, & excellentia fortitudinis*. A quo vix abit Vatablus in Scholiis: *Excellentia dignitatis, & excellentia fortis*. Tigurini: *Præcipuus ferendo, præcipuus robore*. Oleaſter, *Reſiduum elevationis ſeu excellentiæ meæ, & reſiduum fortitudinis meæ*. Eugubinus: *Exceſſus portandi, & exceſſus roboris*. S. Hieronymus in quæſt. Hebraicis: *Major ad portandum, & major robore*. Ita varii varie, cujus diverſitatis ratio eſt, quod vox Hebræa יתר *jether*, alii

cum verba iſta: *Vetus juxta Hebraicam tranſtuli*, in Veronenſi manuſcripto S. Patris deſint; vel de aliis partibus veteris teſtamenti, nempe de Libris Regum, Prophetarum, Jobi, & de Pſalterio, ſi tanquam genuina recipiantur, verba illa intelligi debent, ut monet Vallarſius; quandoquidem certum eſt verſionem Geneſis circa annum 394. fuiſſe adornatam, ut ſuperius in nota (6) hujus Libri dictum eſt. Cum ergo Vulgatam antiquam, ſeu verſionem LXX. legeret S. Hieronymus dum quæſtiones Hebraicas componebat, nonnullæ voces ſui textus ad Hebraicas traditiones, ſive juxta Hebræorum intelligentiam vertendæ dicebantur a S. Doctore, quas tamen in verſione Sacri textus, quam poſtea laboravit juxta LXX. ſenſum, re maturius fortaſſis perpenſa, retinuit.

Plurima in Cap. 39. vv. 5. 6. & 19 omiſſa a Vulgato Interprete conqueritur Amana, quæ levis adeo momenti adinvenimus; ut perſpecta ſenſus integritate, inutile de iis verba facere indicavimus, eo vel magis quod in S. Hieronymi verſione, ut in vulgata noſtra legantur, cum tamen S. Pater Sacras Litteras Hebraicæ veritati reſtituendas, aſſumpſerit, ut ipſe quam ſæpe proteſtatur.

Offenditur Sixtinus etiam a vulgati Interpretis verſione, quam verſus 15. Capitis 44. Geneſis per hæc verba = *An ignoratis quod non ſit ſimilis mei in augurandi ſcientia?* = reddidit, cum potius juxta Hebraicam lectionem reddendum foret = *An non noſtis quod augurando auguratur vir, qui eſt ſicut ego?* = Veruntamen diverſimode reddi poſſe Hebraica verba Fagius etiam confitetur videlicet vel ut vulgata; vel, *an ignoratis quod talis vir, qualis ego ſum ſcit divinare?* Vatablus reddit = *Nonne noſtis hominem ſimilem mei augurari, & divinare?* = Clarius denique ita interpretatur Hebræum = *An neſcitis quod vir augurandi gnarus, qualis ego ſum,* augurari poteſt, ſi quidpiam amiſerit? = In codice verſionis Hieronymianæ legitur ut in vulgata; & S. Auguſtinus quæſt. 145. in Geneſim = Neſciebatis, legebat, quia augurio auguratur homo qualis ego? = Judicet quiſpiam an in Vulgati lectione depravatio ſenſum legitimum invertens divini ſermonis ſtatui poſſit, poſtquam tam varie ab auctoribus Hebraica verba reddita ſunt, id unum tamen unanimi conſenſu indicantes cum vulgato, quod Joſeph ſuis Fratribus dixerit ſe potuiſſe divinare etiam occulta.

Catholici etiam expoſitores denique verbum illud verſiculi 16. capitis 48. *invocetur*, quod legit vulgatus Interpres, pro verbo *vocetur* legunt, & intelligunt. Invocationem autem Sanctorum, in quam debacchatur Sixtinus iis propugnant argumentis Catholici, quæ nullus Hæreticorum ad hanc diem convulſit. W.

(22) Conſentit Fagio Sixtinus Amana in ſua blaſphemiis onuſta contra Vulgatum Interpretem cenſura, in qua mentiri non pudet, præter Vulgatum, illum Scripturæ textum a nemine ita eſſe translatum, cum tamen, ut Cartvvrightus ait, Aquila κεφαλαιον λυπης μου Symmachus ἀρχὴ ὀδύνης; & Paraphraſis Hieroſolymitana denique *principium doloris mei*, legant; quo ſiquidem pacto in verſione etiam S. Hieronymi ſcriptum eſt; LXX. autem *Principium filiorum meorum* habent. Dicat modo qui poteſt errantem eſſe Vulgatum, atque a legitimo ſenſu devium, ſi Clarius ipſe a Vulgato ſenſum potius quam verbum eſſe retentum affirmat. Si autem dixerit Amana ex eloquiis primogenito contextis optime inferri, quod vox illa Hebraica אוני *oni roboris* verti debeat; non minus ex minis, & pœnis, quas enunciat Jacob Rubeni ob ejus delicta, inferri poſſe videtur quod fuerit initium doloris Jacobi, qui primogenitus, & fortitudo ejus, & major in imperio, & prior in donis eſſe debuerat. W.

alii ſubſtantive, alii adjective uſurpent: omnes tamen in hoc conveniunt, quod hic ſignificentur jura primogenituræ quæ conſecuturus erat Ruben, niſi ob perpetratum ſcelus his excidiſſet. Primogeniti vero prima portio duplex erat: altera pertinebat ad utilitatem, nam in diviſione hæreditatis paternæ primogenitus habebat cuncta duplicia ſic præcipiente Domino: a *Dabit pater primogenito ſuo de his quæ habuerit cuncta duplicia: iſte eſt enim principium liberorum ejus, & huic debentur primogenita.* Quamobrem Vulgatus Interpres rectiſſime dixit *prior in donis* (ſupple *eſſe debebas.*) Altera vero primogeniti prærogativa ſpectabat ad honorem & dignitatem, nempe Sacerdotii & regni, quæ tres prærogativæ Rubeno fuerunt ablatæ ob violatum patris thorum & tranſlatæ ad alios, nempe duplex hæreditatis portio ad Joſeph, Sacerdotium ad Levi, regnum vero, partim ad Judam, partim ad Joſeph qui per Ephraimi ſucceſſores imperium obtinuit in decem tribus, ex quibus regnum Iſrael conflatum eſt. Atque hunc ſenſum pulchre reddidit Paraphraſtes Chaldæus ſcribens: *Tu accepturus eras partes tres, primogenituram ſcilicet, Sacerdotium & regnum. Sed quia ſecutus es voluntatem tuam, ſicut aqua effuſa non proficies, neque accipies portionem ſuperexcreſcentem, quoniam aſcendiſti cubile patris tui, &c.* (23)

a *Deuter.* xxi. 17.

§. IX.

Ex EXODI *Capite I. v.* 11.

ÆDIFICAVERUNTQUE *urbes tabernaculorum &c.* Non video, ait Fagius, quid vulgato Interpreti in mentem venerit, quod *urbes tabernaculorum* verterit; eſt enim obſcurum quid velit, ſed deceptus videtur vocum ſimilitudine, & מסכנות *miſchenoth*, pro מסכות *ſicoth*, quod *tabernacula* ſignificat, legiſſe. Verum neque ipſe video, cur vulgatum Interpretem hic arguat Fagius, cum dubiam illam Hebræam vocem, optimo ſenſu, nec ab eo quem ille genuinum prætendit, alieno reddiderit. Hic enim variant Interpretes: nam LXX. vertunt πόλεις ὀχυρὰς, *urbes munitas*: Chaldæus, Oleaſter & Lipomanus, *urbes theſaurorum*; Vatablus, *urbes quæ eſſent repoſitoria*. Cui conſentiens Fagius, vertit, *urbes pro opibus reponendis*. Ab his vero expoſitionibus non abludit Interpres noſter, imo omnes videtur complexus, cum reddidit, *urbes tabernaculorum*; hauddubie enim per *tabernacula* intellexit, vel *tentoria militaria*, ſeu *domunculas lateritias* in quibus milites præſidiarii extra munitas urbes degebant ad earum deffenſionem. Unde II. Paralip. VIII. v. 4. ubi eadem vox *miſchenoth* occurrit LXX. vertunt *urbes munitiſſimas*; vel ſignificare voluit *turres* ſeu *arces urbium* in quibus bellicæ munitiones, tam quæ ad victum pertinent, quam quæ ad arma ad omnes belli eventus eſſent reconditæ. Porro in his urbibus

(23) Ad verſum 5. hujus capitis 49. Vulgatæ lectionem: *Arma iniquitatis bellantia*: reprehendit Amana, cum ex Hebraica vertendum: *Vaſa iniquitatis in habitationibus ſuis*: opinetur. Tam variæ ſunt hoc in loco divini textus lectiones, ut mirum ſit abſolute ab Hæretico iſto pronunciari juxta ſuam verſionem eſſe legendum. Prius eidem demonſtrandum incumbebat textum Hebraicum a ſe propoſitum, intemeratum prorſus, & invariatum extitiſſe. Quis enim ei fidat poſt tot Interpretum variantes verſiones? LXX. legunt = Conſummaverunt iniquitatem propoſiti ſui = S. Hieronymus in Quæſtionibus Hebraicis teſtatur a ſe in Hebraica veritate lectum eſſe = Simeon & Levi fratres, vaſa iniquitatis arma eorum = In ſua tamen verſione S. Doctor ſcripſit ut legimus in Vulgata. Grotius non diffitetur verba Hebraica diverſimode verti poſſe; alii quippe, ſubaudita littera ב *in habitationibus* legunt; alii *ex pactis* adeout ב ſit præpoſitio. Abenezra hoc modo vertit, ſeu exponit = In terra peregrinationis ipſorum inſtrumentis ſeu armis violentiæ ſeſe exercitaverunt = Tandem Calmetus vertendum putat = arma iniquitatis Machæræ eorum = Ex variis hiſce interpretationibus, atque lectionibus nonne ſatis conſtat incertum prorſus eſſe, an Sixtini lectio Hebraica, ejuſque tranſlatio ſit verſioni Vulgati Interpretis præferenda? Nos pro Vulgata, quæ proximior lectioni S Hieronymi Hebraicæ adinvenitur, ut ex ejus quæſtionibus patet, quæque ab ipſo Sancto Doctore tradita creditur, adhuc ſtamus, eo quod legitimum in eadem ſenſum cum ſequentibus congruentem reperiamus.

Eamdem ferme cantilenam ad verſiculum 24. capitis 49. Geneſeos repetit Amana in Vulgatum Interpretem, quod verterit, & perverterit hanc Hebraicam lectionem: *& roboraverunt ſe brachia manuum ejus*: deceptum, ut ait, a LXX., proindeque ſcripſiſſe; *& diſſoluta ſunt vincula brachiorum, & manuum ejus*: &c. Pro Vulgatæ lectione nobis præſto S. Hieronymi eſt auctoritas; in ſuæ quippe verſionis codice legimus ut in Vulgata. Fatetur quidem Calmetus obſcuritatem aliquam in Vulgata noſtra contineri, ſed majoris claritatis eſſe Hebraicam lectionem inficiatur, cum Hebrææ vocis ſignificatio penitus lateat, quandoquidem eo in loco, Scripturæ ſenſus tam ad captivitatem Joſephi, quam ad ejus liberationem referri queat. Reddunt quidem nonnulli: *Brachia ejus ſunt dejecta*: alii juxta Rabbinos *ſunt reborata*. Chaldæus, aliique nonnulli: *Poſitum eſt aurum ſuper brachia ejus*. Syriacus, & Arabs = *Retortus eſt arcus ejus, & diſſipata ſunt brachia manuum ejus*. Itala vetus autem hoc modo legit = *In quem*, (Joſephum) *conſilium conferentes maledicebant, & intendebant in eum domini arcum, & contriti ſunt cum potentia arcus eorum, & diſſoluti ſunt nervi brachiorum manuum ejus per manum potentis Jacob*. Vulgata denique noſtra enarrare videtur, brevi tamen ſermone, varias Joſephi fortunas, varioſque caſus, quibus jactatus prius, magnam deinde in gloriam, atque potentiam exaltatus, lapis angularis, & Paſtor Iſraelis effectus eſt. Clamitet modo Sixtinus dicatque Vulgatam noſtram Hebraicæ veritati non conſentire, quod nos S. Hieronymi verſionem ex Hebraico expreſſam retinentes, ab eodem id unum expoſtulabimus ſolum, ut demonſtret nimirum præſentes Hebræorum Codices incorruptiores eſſe, atque ſinceriores quam fuerint qui a S. Doctore terebantur. Quod autem Amana contendat mutilos eſſe in Vulgata noſtra verſic. 30., & 32. ejuſdem, nec non ambiguitatem præferre verſiculum 22. capitis 50. Geneſeos, niſi legamus ut in Hebræo = *Vidit Joſeph Ephraim filios*. J. Reſpondemus nihil eſſe ſolicitos velle de hujuſcemodi oppoſitionibus, cum ex contextu utriuſque loci & veritatem hiſtoriæ, & ſententiarum integritatem habeamus. W.

bus præsidiariis & munitis solent Reges suas opes thesauroque recondere. Hinc ille urbes tabernaculorum & præsidiariæ seu munitæ & thesaurariæ ac repositoriæ legitime poterant appellari. (24)

§. X.

Ex Capite II. v. 22.

VERSIO nostra Vulgata habet: *Alterum vero peperit quem vocavit Eliezer dicens; Deus enim Patris mei eripuit me de manu Pharaonis:* Versio hæc improbatur ab Adversariis, eo quod citatus versiculus ab Hebræis Chaldaicisque Codicibus absit, sed immerito Interpres noster hic vexatur, ut & Numer. VIII. 2. & aliis in locis quos mox attingemus: Notandum est enim infirmam esse, ne dicam ridiculam, hanc conclusionem: versus quidam abest ab Hebræis Codicibus, ergo Vulgata Versio quæ illum continet est rejicienda, Conclusionis hujus falsitas ea, quam allaturus sum annotatione, patebit. Non reperitur in textu Hebræo vers. iste Psal. CXLV. a *Fidelis Dominus in omnibus verbis suis & sanctus in omnibus operibus suis*, Nullum est dubium quin versus ille in Hebræis Codicibus Librariorum culpa exciderit, deest enim versus qui a litera ס *nun* incipiat, quod aliter se habere debuit in illo Psalmo qui est alphabeticus per singulos versus ut alibi notavimus; versio autem nostra hunc habet versum, & tantum abest, ut inde pœnas dare debeat, quin potius maximam laudem meretur, dignaque prorsus est quæ hic textui Hebræo anteponatur. Idem dico de illo Exodi versu qui nobis objicitur: & in eam opinionem lubentius abeo, quod Syriaca & Arabica versio eundem versum habeant, Hac quam attulimus solutione dilui debent nonnullæ aliæ objectiones, quas Natalis Alexander profert, quæque petuntur ex Num. VIII. v. 10. cap. XX. v. 6. Josue cap. XXI. v. 36. I. Reg. cap. V. v. 6. ubi ex redundanti aliquo versu, infert depravatam esse nostram versionem; falsa est enim illa conclusio, ut ex iis quæ diximus liquet: & miror talia argumenta Theologo Parisiensi probari potuisse, maxime vero cum pleraque testimonia, quæ delenda putat, reperiantur vel in aliis Scripturæ locis, vel in aliqua recepta versione. Sed omissis his & aliis similibus argumentis, quæ responsione indigna sunt, ad alia pergamus, in quibus momenta aliqua inesse videntur. (25)

a *ad cap. Exod. 2.*

§. XI.

(24) Non a vero alienum arbitratur Vallarsius quod S. Hieronymus in suo Codice Hebraico legerit משכנות pro מסכנות sive ב pro ם, quo in casu *tabernaculorum* esse legendum fateri tenetur Amana eo quod vocem istam. משכ cum puncto in cornu dextro literæ ב *tabernaculum* significare concedat. Augustinus Calmet ad versum 37. capitis 12. ita scribit = Socoth est tentoria, idem est forte locus ac Mischenoth, postremo enim huic nomini, eadem subesse potest significatio ac Socoth; quod etiam prætulisse videtur Auctor Vulgatæ reddens *urbes tabernaculorum*. Totus textus in priore illo capite commode reddi posset = ædificaverunt urbes Mischenoth, Phithom, & Rameslem = Intelligant ex his omnibus quam inepte in Vulgatæ lectionem furore exagitentur Hetherodoxi.

Quod autem ad versiculos 12., & 13. opponit Amana, levioris est momenti quam ille judicat, idem enim significari cognoscimus per has voces: *Abhorrere ab aliquo. Angustia cruciari propter aliquem. Aliquem pati non posse; ac eum odisse. Affligere* pariter idem est, ac dure tractare, tyrannidem, ac vim in aliquem exercere; hinc R. Salomon ita hunc Scripturæ locum exponit = In quacumque re animum suum applicabant Egyptii ad eos affligendos; Deus benedictus ad eos multiplicandos animum suum applicabat = si denique Cartvvrightus non percipit quid sibi voluerit Vulgatus Interpres dum vertit = *affligebant illudentes eis* = satis est quod intellexerit S. Hieronymus, qui ex Hebræo, ut Vulgata nostra legit, adamussim interpretatus est. De Verbi *illudo* significatione satis jam in nota (20) ad versum 9. capitis 21. Geneseos dictum est. W

(25) Versu 21. hujus capitis secundi Exodi Vulgatus Interpres ab Amana vapulat, quod verterit ex Hebræo: *Juravit ergo Moses*. cum vertendum opinetur *voluitque Moises*. Quare Symmacum redarguere negligit Amana, qui transtulerat ὥρκισε δὲ Μωυσῆν ἀφεῖ οἰκεῖν, nempe jure jurando adstrinxit Mosen ut secum habitaret. Rabbi Salomon, ut Cartvvrightus refert, tradit a nonnullis ita exponi ac si ויואל esset ab אלה *jurare*; quo in casu sensus esset quod Moses juravit se non migraturum nisi concedente Jethrone. Munsterus etiam inter Hebræos esse affirmat, qui volunt אלה, & נשבע *hala*, & *nischbah* per verbum *juro* esse interpretandas. Quid ergo mirum si verbum hoc tam clare exprimens Scripturæ sensum S. Hieronymus in sua versione retinuit? Versiculus 22. quem in §. Præsenti Auctor noster defendit deest etiam in Codice versionis a S. Hieronymo ex Hebraico adornatæ, unde & in ejus exemplari defuisse credendus est; reperitur equidem in versione LXX., & in Vulgata nostra; si autem Divinarum Scripturarum Adversarii huc ex cap. 18. Exodi versu 4. fuisse transpositum contendant, errorem fortassis in Vulgata nostra contineri revincent? relictus hic est a Romanis Pontificibus, quia non parum ad integritatem, & claritatem historiæ conducit; nisi velimus cum Frassenio integriorem fuisse codicem LXX. Interpretum, quam fuerint recentiores,

Ad versum 2. capitis 3. Exodi exprobrat Sixtinus Vulgatum quod legat *Dominus*, cum in Hebræo *Angelus Domini* habeatur, Verumtamen quid in Religionem ibi Vulgatus commiserit satis ex sequentibus innotescit versiculis, in quibus Dominum Deum se appellat Angelus ille, nomenque ineffabile sibi adscribit. Et tandem hoc in loco Magnum illum conilii Angelum, Verbum nempe Divinum fuisse indicatum ipse Amana non diffitetur, quam quidem Ecclesiæ Patres, opinionem diu ante Sixtini ætatem tradiderant.

Non minus in Vulgatum irascitur furens hic criticus quod verterit ad versum 18. hujus capitis: *Dominus Deus Hebræorum vocavit nos:* cum legendum ex Hebræo defendat: *obviam factus est nobis:* S. Hieronymus suam versionem per verbum *voco* elaboravit LXX. pariter προσκέκληται ἡμᾶς habent; nullus istorum ergo vim Hebraicæ vocis est assecutus? Sixtinus vero Sixtinum expugnet. Concedit criticus iste vocem קרה *Kara* significationem habere verbi *voco* quoties cum א hoc modo קרא *Kara* scripta reperiatur, quamquam etiam *occurrere* significet si cum ה in Kal, & Niphal sit posita. Dicat modo qui potest num in vetustis Hebræorum exemplaribus

§. XI.

Ex Capite XII. v. 40.

VULGATA noſtra habet: *Habitatio autem filiorum Iſrael qua manſerunt in Ægypto fuit quadringentorum triginta annorum.* Hunc locum idem Alexander Natalis corrigendum putat & emendari poſſe vel elucidari per textum Hebraicum: audiamus ejus „ verba: Ita, *inquit*, textum Hebraicum „ interpretari oportet: *Peregrinatio autem „ filiorum Iſrael, qui manſerunt in Ægy-„ pto, fuit quandringentorum triginta anno-*

ribus una vel altera forma legeretur. Nos S. Hieronymi, & LXX. verſionem amplectimur eo quod magis obvia habeatur divinæ ſcripturæ intelligentia, cum indicetur Judæos a Domino in Eremum fuiſſe vocatos ad ſacrificium offerendum; hinc Cartvvrightus non improbat Ludovici Capelli tranſlationem, quam per verbum *voco* perfecit.

Ad verſiculum pariter 19. hujus capitis vapulat a Sixtino Vulgatus Interpres quaſi male verterit vocula illam *niſi*, cum arbitretur Amana: *& non:* eo quod habeatur in Hebræo ולא *v lo* eſſe interpretandam. Nos tamen optimo jure S. Hieronymi, & LXX. verſionem, quæ legit *niſi* præferendam opinamur; nobis inſuper Grotius conſentit, qui pariter *niſi* legendum putat, alioquin, inquit ſenſum lectio præferret ab Hiſtoria diverſum & alienum, ut patet ex verſu 1. capitis 6. ubi legimus = Nunc videbis quæ facturus ſum Pharaoni; per manum enim fortem dimittet eos, & in manu robuſta ejicet illos de terra ſua = unde hoc in loco non particulam hanc ולא ſed iſtam potius בלא fuiſſe in Hebræis exemplaribus exiſtimat.

Cap. 5. Exodi v. 3. eumdem, ac ſuperius verſu 18. capitis 3. Vulgato Interpreti συνέτυχεν opponit, eo quod vocem hanc נקרה *nikrah vocavit* vertit, non *occurrit*: hoc tamen in loco legitur vox Hebræa cum א in fine, nempe נקרא unde S. Hieronymus, & LXX. *vocavit* legunt.

Verſiculum 5. ejuſdem Capitis perperam a Vulgato eſſe translatum per hæc verba = *Videtis quod turba ſuccreverit; quanto magis ſi dederitis eis requiem ab operibus?* contendit Sixtinus, cum vertendum ex Hebræo foret = *& ceſſare facitis eos ab operibus ipſorum*. LXX. hoc modo legunt = ἰδοὺ νῦν πολυπλάθεῖ ὁ λαὸς μὴ ἔτι καταπαύσωμεν αὐτοὺς ἀπὸ τῶν ἔργων = Ecce nunc valde multiplicatur populus; non igitur ceſſationem illis demus ab operibus = Fatetur Cartvvrightus eos eſſe aſſecutos legitimum ſenſum verborum, quamquam aliquantulum orationis formam permutaverint. Codex verſionis Hieronymianæ ut Vulgata noſtra legit: Samaritanus autem teſte Caſmeto, legit: *Hebræi nunc plures ſunt, quam populus terræ: & ceſſare facitis ab operibus ſuis?* Dicat modo Sixtinus quid profert ut oſtendat male aut legiſſe, aut Interpretatum eſſe Sanctum Hieronymum, qui lectionem Vulgatæ noſtræ retinuit? Nobis ſatis eſt quod in Vulgata & veritas hiſtoriæ, & ſenſuum integritas contineatur.

Ad verſum 12. ejus capitis reprehendit Amana Vulgatum, quod vertit קש *Kaſch paleas* cum in Hebræo *Stipulam* ſignificet; Palea autem vel ſtramen in Hebræo תבן *teben* dicatur. Quis tamen neſciat a plurimis per vocem hanc קש *Kaſch* intelligi *paleam* huc illucque excutiendo grano exſufflatam. Verum in codice verſionis S. Hieronymi ut in Vulgata legimus, quæ ſiquidem lectio cum præcedentibus, & ſequentibus congruentior exiſtit.

Capite 6. Exodi verſ. 20. inepte ait a Vulgato translatam eſſe vocem hanc דודת *dodath patruelem* cum verti deberet *amitam*. Quam audax, quam inconſultus, & præceps, quam animi fidens, & pavere neſcius eſt Amana! Cur ei fidem dabimus quæſo, eamque, LXX. Interpretibus denegabimus qui legunt θυγατέρα τῦ ἀδελφῦ τῦ πατρὸς αὐτῦ = Filiam fratris patris ſui. = Denegabimus S. Hieronymo, qui in ſua verſione legit ſicut Vulgatus noſter? Chaldæus Jocabedam facit Amrami conſobrinam quamvis filiam ſororis Patris Amrami eam prædicat. Syriacus etiam & Arabs cum Caldæo legunt &

Græco. Hanc Vulgatæ noſtræ lectionem non parum ex convenientia ætatis Amrami cum Jocabed firmare poterimus.

Ad verſiculum 11. capitis 7. deceptum prædicat Vulgatum Interpretem in eorum translationem verborum, quæ ibidem leguntur = Fecerunt etiam ipſi per incantationes Ægyptiacas, & arcana quædam ſimiliter = Aſt Sixtino contradicit Cartvvrightus, qui a Vulgato legitimum ſenſum expreſſum fuiſſe defendit. Videatur ad hunc locum Calmetus, & Codex Verſionis Hieronymianæ cum Vulgata perfecte conſentiens.

Ad Caput 9. verſic. 15. Vulgatum irridet Amana quod ex Hebræo tranſtulerit = *percutiam te* cum dicere potius deberet; *percuſſeram te*; vel *ſi percuſſiſſem te & populum tuum peſte, deletus eſſes de terra*; ſi enim in futuro relinquamus verbum *percutiam*, vix aut numquam completam ſuper Pharaonem hanc plagam intuebimur. Verum quis neſciat nomine *peſtis* hoc loco exterminium, & mortem eſſe intelligendam? Vox quidem Hebræa דבר *deber* indiſcriminatim pro *peſte* ſumitur, & *morte*, ut notat Cartvvrightus ad cap. 5. v. 3. Exodi, unde Onkelos pro דבר ponit מותא *motha*, vel *maveth* mortem, & Kimchi tradit quod דבר cum ſex punctis *mortem* ſignificat. Hujus rei exempla deſumere ex Scripturis Sanctis non pigeat; Pſalm. 77. verſ. 50 legimus: *& jumenta eorum in morte concluſit*. Hebræus habet *in peſte*. Oſeæ 13. verſ. 14. = *ero mors tua o mors*; Hebræa legit *deber* ideſt *peſtis tua o mors*. Græci tandem vocem hanc Hebræam *deber* θανατον *mortem* interpretantur. Si igitur nomine *peſtis* mortem intelligamus vel exterminium, qua cogemur neceſſitate ut verbum illud *percutiam* ad tempus præteritum revocemus?

Inſurgit iterum Amana in verſionem Vulgati, quam de verſiculo 13. capitis 10. Exodi tradidit, contendens non fuiſſe transferendum *ventum urentem*, ſed *ventum orientalem*; certo quippe certius eſt, inquit, vocem Hebraicam קדים *Kadim orientalem* ſignificare. Sanctus Hieronymus tamen, qui Hebraicæ linguæ vim & ſignificationem peroptime noverat in ſua verſione *ventum urentem* retinuit; & Vatablus non parum Hebraizzans, ut ajunt, hæc notat = Ab Hebræis, nempe, vocari ventos „ Orientales Subſolanum, Eurum, & Vulturnum; „ Græci Apeliton appellant, quod a Sole ſpiret; „ Unde & a Latinis eadem ratione Subſolanus, „ appellatur; ſed Subſolanus eſt ab Oriente æqui-„ noctiali, ad ſeptentrionem Vulturnus, ad meridiem „ Eurus. Hi ſunt calidi, & ſicci, quia ſub Sole „ diu morantur. Prædicti tres flant ab Oriente =. Tradunt pariter ventum quendam e Perſide in Arabia flantem maxime urentem, quem putat Calmetus a Moſe appellari *ventum Kadim* & a Vulgato *ventum urentem*: quo ſiquidem in caſu ſignificantius, & clarius in noſtra Vulgata legimus, cum ex tribus orientis ventibus, qui veniat hoc loco intelligendus aperte ſignificet S. Hieronymus; Non erit ergo cur a Vulgatæ noſtræ recedamus lectione, quidquid ejus inimici ad eam dejiciendam opponant.

Vulgato pariter illudit Interpreti Sixtinus ad verſiculum 5. capitis 12. Exodi, quia in ejus verſione legimus: *Maſculus, anniculus: juxta quem ritum tolletis & hædum*; ridens interim, quaſi Vulgatus particulam ו vau hoc in loco disjunctivam eſſe ignoraverit; cum tamen naturali, & obvio ſenſu legamus in Hebræo = *Agnus anniculus erit vobis,*

quem

„ *rum*. Ubi non ad ſervitutem Iſraelitarum „ in Ægypto, quæ annos quindecim ſupra „ ducentos non ſuperavit, ille 430. anno„ rum refertur numerus, ſed a promiſſio„ ne quam Deus exhibuit Abrahamo Geneſ. „ XII. ad exitum Iſraelitarum ex Ægypto „ cenſetur, comprehenditque tempus illud „ omne quo Abraham & filii ejus poſt divi„ nam promiſſionem peregrinati ſunt, & „ in Chananæa manſerunt antequam in „ Ægyptum deſcenderent. *Hæc ille*. Criticum ſe nimis oſtendit hic Alexander; ut enim taceam verba Hebraica verſioni noſtræ non eſſe contraria, nullus eſt qui non videat eandem remanere difficultatem ſive legas *qui*, ſive *qua*, & textum Hebraicum expungendum eſſe ſi Vulgata explodatur, ſed nulla eſt in utroque textu hic corruptio, ut fuſius oſtendemus in ea quam paramus diſſertatione pro locis in quibus de Numeris erit quæſtio. In eadem diſſertatione expendentur aliæ objectiones quæ deſumuntur ex lib. II. v. 1. ex Paral. II. cap. XXXVI. v. 9. cap. XXII. v. 2. & cap. XVI. v. 1. &c. (26)

§. XII.

quem ex ovibus, & (ideſt *aut*) *capris accipietis*. In Codice verſionis Hieronymianæ attamen legimus ut in Vulgata, quinimmo plures Eccleſiæ Patres eodem pacto legebant antiquitus. S. Cyprianus lib. 2. Teſtimon. = Ab agnis, ſcribit, & ab hædis accipietis = S. Ambroſius etiam lib. 1. de Abraham cap. 5. = Maſculus erit vobis, ait, ab ovibus, & hædis = Eodem pacto legebat Itala antiqua, ut in verſione Sabatieri videri poteſt; & textus Hebraicus, ut tradit Calmetus = ex agnis, legebat, & ex capris = ita pariter legunt LXX. Chaldæus, & Syriacus, ut Expoſitores demonſtrant; Vatablus denique particulam *vau* disjunctive quidem eſſe intelligendam advertit; ad verbum tamen *& ex capris* eſſe legendum monet. Sanctus Hieronymus ergo cum optime noverit quonam modo in Judaica gente lex iſta fuerit adimpleta, nec id ab aliis ignorari poſſe cum opinaretur, in ſua verſione indicavit, quod ſi hædus eſſet, propter agni carentiam, deſumendus; eodem ritu, quo agnus, offerri debebat & manducari.

Cum riſu Vulgatæ noſtræ lectionem excipit verſiculi ſexti ejuſdem capitis 12. Amana, eo quod Hebraicam vocem מרים *al meririm de lactucis agreſtibus* intelligamus, cum de *amaritudinibus*, ſive de quibuslibet *amaris herbis* debeat intelligi; indeque ſubjungit ſe neſcire quid hic deſideraverint Pontificii. Quid quæſo deſiderare potuerunt LXX, quorum verſio ἐπὶ πικρίδων habet, eamque ſecutus S. Cyprianus ſcripſit = *cum pieridibus edent* = quæ lectio in Itala antiqua reperiebatur, diuque ab Eccleſia retenta fuit. Vocem autem illam alii de lactuca, vel de cichorea ſilveſtri intellexerunt, & merito quidem ſi enim pro *meririm*, quæ amaritudines ſignificat, legamus *merorim* lactucas ſtatim eſſe intelligendas dictionaria demonſtrant. Quamvis autem Hebræi quinque amarulentium herbarum genera ad hunc ritum explendum, ſibi permiſſa fuiſſe tradant nihilominus eadem omnia ad varias lactucæ vel cicoreæ ſpecies referri poſſe tuentur nonnulli. Quid plura? ipſi Proteſtantes a Vulgatæ lectione haud quaquam recedunt; *cum cichoreis* legit Caſtalio; *cum lactucis agreſtibus* Clarius; quid ergo deſiderat, ſibique vult hoc in loco Sixtinus?

Non majoris exiſtimanda ponderis Sixtini reprehenſio, qua Vulgatum ad verſum 22. hujus capitis redarguit, quia *limen* pro *pelvi* interpretatus eſt. Neſcit an Vulgatæ noſtræ inimicus vocem hanc סף *ſaph limen* etiam poſſe ſignificare? id ex Druſio addiſcere poterat: quinimmo Aben-ezra ita ſcribit = Sunt qui dicant Phaſe mactatum fuiſſe in limine portæ, in quo ſanguine tinxerunt faſciculum hyſſopi, & poſt admoverunt ad poſtes = hinc in antiqua verſione Itala legimus = qui eſt juxta oſtium = & Codex Alexandrinus habet ἀπὸ τῆς φλιᾶς quid ergo garrit in Vulgatæ Interpretem Sixtinus, cum neſciatur quænam eſſet lectio præciſa illius Hebraici exemplaris, quo Vulgatæ Auctor utebatur, videt ne quot faveant ejus lectioni verſiones, & conjecturæ? W.

(26) Redarguitur pariter Vulgatus quod ad Verſum 40. hujus capitis 12. verterit hoc pacto = *Habitatio autem filiorum Iſrael, qua manſerunt in Ægypto fuit* 430. *annorum* = Hanc lectionem defendere conabatur Auctor noſter, qua de cauſa in eum Catholicorum etiam aliqui excanduerunt. Nos quid in Vulgatæ defenſam dici queant, partium ſtudio relicto prorſus, exponemus. Fatemur in primis S. Hieronymum in ſua ex Hebraico verſione non *qua manſerunt*, ſed *qui manſerunt* habere. Non inficiamur pariter Italam veterem, LXX. Interpretes, ac Samaritanum clariorem præferre lectionem, cum habeant: *Habitatio autem filiorum Iſrael, quam habitaverunt in Ægypto ipſi, & Patres eorum, & in terra Canaan anni quadringenti triginta*. Certum quippe eſt Judæos nequaquam incolatum duxiſſe in Ægypto per annos 430., cum alibi etiam intra temporis illius intervallum habitaverint. Verum his minime obſtantibus Vulgati lectionem conſtanter retinuit S. Hieronymus Commentariis in caput 4. Ezechielis ubi inquit = Scriptum eſſe in Exodo = *Habitatio autem filiorum Iſrael, qua habitaverunt in terra Ægypti anni quadringenti triginta*, = hoc itaque modo tunc temporis exemplaria habuiſſe credenda ſunt, quamquam per Synedochen debuiſſent intelligi; hinc fortaſſis factum eſt quod Munſterus, Clarius, & Grotius conſtanter Vulgatæ noſtræ lectionem retinuerint, quamquam pro Hebraica lectione non parum affecti ſint. Num autem eadem ſuperſit difficultas ſive legamus *qui manſerunt*; ſive *qua manſerunt* retineamus, ii videant quibus otium eſt. Non parum negotii faceſſit lectio, quam in prædictis Commentariis citat S. Hieronymus; eo vel maxime, quod ſi eadem cum clariſſimo Eſtio intelligatur, ſcilicet ut habitatio filiorum Iſrael in Ægypto fuerit uſque ad finem quadringentorum triginta annorum, poſt factam primitus Abrahæ promiſſionem, jam evidenter conſtat legi optime poſſe caſum ablativum *qua*; quem caſum apte pariter legimus, ſi dixerimus excidiſſe ex textu particulas illas *& in terra Canaan*, quamquam eas in Hebræo non haberi contendat Steuchus, cum in ſua verſione appoſuerint LXX. Interpretes, in quorum Hebraico Codice credibile eſt quod extiterint. W.

§. XII.

Ex Capite XV. v. 8.

STETIT *unda fluens &c.* Hebraice, *steterunt quasi cumulus fluidæ aquæ*, &c. *ubi*, inquit Fagius, *vocem* נד *Nod*, id est, *cumulum acervum*, seu *murum* Latinus Interpres non expressit hic; eam autem male reddidit in aliis locis, præsertim Psal. XXXII. apud Hebræos XXXIII. v. 7. „ Nam ubi Hebræus textus ad verbum habet; *Congregans quasi in cumulum aquas* „ *maris*: ille vertit: *Congregans sicut in utre* „ *aquas maris*: deceptus videlicet vocum Hebraicarum similitudine נאד *Ned* & נד *Nod*, „ nam נאד NED *Utrem* sive *lagenam* significat, „ נד *Nod* vero *cumulum*, *acervum molem*. „ Jam dudum proclive est alterum in alterum depravare, quod Latino Interpreti „ accidit qui idem fecit & Psal. LXXVII. „ v. 16. ubi namque textus Hebraicus habet; *Fecitque aquas stare veluti acervum*; „ ille transtulit; *Statuit aquas quasi in utre*. „ Rursum *Ned* pro *Nod* legens. *Hæc Fagius*. Dubium mihi non fit, quin in tribus illis locis ubi Noster a Fagio reprehenditur, legerit נאד *ned*, id est, *utrem* loco נד *Nod*, id est, *acervum*; nec solum eum sic legisse puto, sed ipsum etiam recte legisse asserо. Et ut a primo ordiar testimonio, dico Vulgatæ Auctorem celebriorum Interpretum vestigia sequutum, maluisse interdum sensum reddere quam literam; eamque vertendi rationem fuisse hic ab eo initam: nam quid est aliud stare undam fluentem, nisi quod intra præscriptos fines constitit, nec effluxit, quasi esset in *utre* conclusa. Quod attinet ad secundum testimonium e Psalmo XXXIII. petitum, somniat Fagius cum illud a Vulgatæ Auctore minus apte conversum fuisse vult. Aliter profecto sensisset, si ad rem de qua hic agitur, attendisset: sed contigit non raro ut in eo ejusque sequacibus, judicium desideres, excœcante eos immodica carpendi nostri Interpretis prurigine. Commemorat Psalmographus stupendum illud miraculum, quod Deus in primæva rerum origine patravit, dum aquas, quæ terram operiebant omnem, jussit in unum locum abire, nec terram ulterius obtegere. Miraculum hoc eximie admodum descripsit David cum juxta nostrum Interpretem dixit Deum aquas congregasse sicut *in utre*: quemadmodum enim quæ *in utre* includitur aqua, non effluit in res vicinas; sic mare in loco sibi a Deo præscripto, velut *in utre* constringitur, ita ut alio non dilabatur, nec terram operiat universam, ut primo creationis die solebat. Egregius sane est ille sensus, & rei de qua agitur omnino conformis. At si legas *in cumulo*, ut nostri contendunt scioli, ne dicam stolidi, absurdam & a Psalmographi scopo declinantem conficies sententiam: quid enim vetat quominus aquæ coacervatæ & in cumulum redactæ terram possint operire? imo facilius eam obruent si hoc modo se habeant; neutiquam vero si in loco sibi a divina providentia præscripto includatur velut *in utre*. Tertio & ultimo testimonio feceris satis, si quæ ad primum annotavimus, in mentem revocaveris, addideriſque Vulgatum Interpretem vertendo *utrem*, luculentissime expressisse Dei potentiam & virtutem, qua marinas aquas sic in duas partes dispescuit, & ea facilitate cohibuit, ne effluerent in Hebræos eosque operirent, qua quis potest continere modicam aquam *in utre* inclusam ne in terram dilabatur. (27)

§. XIII.

(27) In vulgatam lectionem hujus versiculi octavi Capitis XV. Exodi non parum succensere videntur alii etiam a Catholica Comunione extranei Commentatores, atque censores Latinæ nostræ versionis præter Fagium; Cartvvrightus enim, atque Sixtinus lectionem nostram, & mutilam, & ab Hebraica significatione quam valde aberrantem existimant. Verba etenim ista Vulgati Interpretis: *congregatæ sunt aquæ* vertenda defendunt vel *congelatæ sunt*, vel *coagulatæ sunt*, quandoquidem inquit Amana vox Hebraica קפא *Kapeu* coagulationis significatio est. Deesse tandem contendunt in Vulgata latina hæc verba, *tanquam acervus* cum legendum arbitrentur ex Hebraica veritate *steterunt tanquam undæ fluxæ*. Hunc equidem divinæ scripturæ versiculum varias sub iis se lectiones compertum profecto est; in veteri quippe vulgata ita legebatur = *Et per spiritum iræ tuæ divisa est aqua; gelaverunt tanquam murus aquæ, gelaverunt fluctus in medio maris* = *gelaverunt fluctus in medio mari* legebat Vigilius Tapsensis in libro contra Varimandum. Quis tamen non videat in Vulgata nostra evidentissimam haberi totius facti, prout contigit, narrationem; si præsertim ad ea respiciamus, quæ in capite præcedenti v. 22. recensentur? ibi quidem post narratam aquæ divisionem, ita legimus = *Et egressi sunt filii Israel per medium sicci maris, erat enim aqua quasi murus a dextra eorum, & læva* = Vel congelatas ergo, vel coagulatas, vel sicut acervus coadunatas velint aquas maris omnia profecto ista Vulgati Interpretis attenta lectione percipiuntur.

Ad Vers. 14. hujus Capitis miratur Cartvvrightus, quod Vulgatus Interpres vertere potuerit: *ascenderunt populi*: cum vox Hebraica שמעו עמים *Schamahu hamim* sonet *audierunt populi*. Quo siquidem pacto LXX., & S. Augustinus sermone 363. legebant, quinimmo in Codice versionis Hieronymianæ quamquam in textu legamus ascenderunt, in margine tamen a Vallarsio positum est verbum *audierunt*. Vulgatus tamen Interpres, sive Vulgata nostra lectio verbum *ascenderunt* retinuit absque ullo prorsus errore quoad sensum saltem; etenim per vocem illam plurimæ exprimuntur actiones, quæ a vicinis populis factæ leguntur in aliis scripturæ locis, ut per se patet. Ascenderunt itaque populi, fœduſque percusserunt ad invicem, ut adversus Hebræos bellum committerent, atque transitum eorum præpedirent, sicut legimus Exodi 17. v. 8. ubi Amalecitarum pugna contra Judæos enarratur. En quomodo populi ascendisse dicuntur, in quantum nempe mutuo convenerunt, atque de bello Judæis inferendo pactum statuerunt, quæ siquidem omnia nisi prodigiorum famam quibus Ægyptios oppressos, mare divisum, aliaque multa gesta erant audissent, nec commoveri poterant, nec timere, neque seipsos ad bellum disponere; ita ferme Vulgatæ nostræ lectionem exponit Abulensis.

Non

§. XIII.

Ex Capite XXII. v. 13.

SI *comeſtum a beſtia &c.* his non conſentit Hebraicus textus, ſic a Fagio converſus. *Si lacerando laceratum fuerit* (a beſtia) *adducat ille beſtiam & raptum non reſtituat*. Ubi variatur in his vocibus יביאהו עד *iebiehou ed* quæ verba LXX. Interpretes ſic intellexerunt (ait Fagius) quaſi animal a beſtia dilaniatum adducere deberet ille qui mutuo acceperat, in teſtimonium: ſed quomodo, *inquit*, ducere potuit, ſi bellua ſine reliquiis totum devoravit aut aſportavit? Unde colligit hic ab utroque Interprete male

Non majoris videtur momenti, quam in Vulgatum Interpretem ad verſic. 14. Capitis XVI. Exodi Sixtinus Amana factitare conatur cenſura, eo quod verterit; *cumque operuiſſet ſuperficiem terræ*, cum nihil tale ſit in Hebræo, in quo tamtummodo legimus: *& aſcendit cubatio roris*, ideſt deſcenſio roris ceſſavit, deſiit, evanuit. Verum ſi integra proferatur Vulgati deſcriptio evidentior, atque integrior invenietur profecto. En igitur quomodo legimus in Vulgata: *Mane quoque ros jacuit per circuitum caſtrorum; cumque operuiſſet ſuperficiem terræ apparuit in ſolitudinem minutum, & quaſi pilo tuſum, in ſimilitudinem pruina ſuper terram* = Hæc verba conferantur cum iis, quæ nobis auctores, qui ſe criticos ſacros appellitant, ex Hebræorum ſcriptoribus tradunt. Druſius in primis communem fuiſſe Hebræorum opinionem ſcribit, quod duplici rore Manna involveretur; primus itaque ros ſuper terram deſcendens, eam veluti ſtratum quoddam operiebat, Manna ſuper illum pluebat, & deinceps alter ros, quo Manna tegebatur decidebat = Ros deſcendebat, ſcribit R. Salomon, ſuper terram, & manna deſcendebat ſuper eum, iterum ros deſcendebat ſuper manna, quod ecce quaſi repoſitum erat in capſa. Orto autem ſole aſcendebat ros, qui ſupra Manna, quemadmodum aſcendere ſolet ros coram ſole.... porro Doctores noſtri expoſuerunt dicentes rorem aſcendiſſe e terra in aerem, cumque aſcendiſſet ſtratus ille ros, apparuiſſe Manna, quod viderunt, & ecce erat in ſuperficie terræ = Duplicem iſtum rorem nequaquam legimus in ſcriptura, ſed ſolummodo unicum ſtratum terram operiens, ſuper quod Manna pluebat, ita in hoc Exodi loco, & Num. 11. v. 9. Lectio itaque Hebraica, *& aſcendit cubatio roris* quam Sixtinus retinendam defendit, referri poſſe videtur facilius ad ſtratum illud roris, quo manna tegebatur, quam ad alterum, in quod Manna deſcendebat; unde ſi Cartvvrighti, aliorumque negantium ſecundum roris ſuper Manna deſcenſum quis teneat opinionem, lectio Vulgatæ noſtræ in tuto omnino, atque veriſima conſiſtit, Hebraica vero hodierna vel difficultatibus concuti, vel ad Rabbinorum interpretationes amandanda videtur.

Ad Capitis 17. v. 16. quamquam Amana Sixti V., & Clementis VIII. emendationem, qua ſcriptum legimus in Vulgata = *Quia Manus Solii Domini*, pro *ſolius Domini*, ut veteres Codices habebant, collaudet, tamen non ſatis clare Hebraicam phraſim expreſſam fuiſſe conqueritur, quia legendum tuetur = *Quia manus ſuper ſolium*, vel *ſuper tranum Jah*. In Sancti Hieronymi verſione profecto legimus = *Quia manus ſuper ſolium*. Quæ ſiquidem lectio exprimit interpoſitum eſſe jusjurandum a Domino de bello contra Amalecitas uſque ad eorum internicionem protrahendo. Grotius tamen Vulgatæ lectionem admittit, eamque explicat *quia manus Divinæ potentiæ erit contra Amalec*; quæ ſiquidem expoſitio clara eſt, verumque ſenſum explicat; videatur tamen in hunc locum Calmetus.

Lectionem pariter Vulgatæ ad verſiculum 3. cap. 20. Exodi = *non habebis Deos alienos coram me* carpit Sixtinus, atque opinatur cum Druſio vertendum eſſe: *non erit tibi Deus alius*. Numerum tamen pluralem habebant Tertullianus lib. contra Gnoſticos, Auguſtinus variis in locis, ſed præſertim quæſt. 71. in Exodum, S. Hieronymus in Iſaiæ 45. & Græca denique legunt οὐκ ἔσονταί σοι θεοὶ ἕτεροι πλὴν ἐμοῦ. Quod autem legamus in noſtra vocem *alienos* pro *alius* tam modica eſt differentia, ſi velimus ſenſum attendere, ut nil in hoc reperiatur momenti.

Incuſat pariter inſcitiæ Vulgatum Sixtinus, eo quod verſum tertium Capitis 21. Exodi tranſtulerit ex Hebræo = *Cum quali veſte intraverit, cum tali exeat*, quamvis in Hebræo nulla veſtium habeatur commemoratio, ſed potius de ſolo corpore ſermo fiat, ita ut vertendum ſit = *Si cum ſuo corpore venit, cum ſuo corpore exibit* = quæ phraſis reddita apte videtur a LXX. ſcribentibus = *Si ipſe ſolus intraverit, & ſolus exibit* = Controverſia itaque ad vocem illam Hebraicam גפו reſtringenda prorſus videtur, ſi etenim illa legatur per *guph*, *corpus* certe ſignificat; ſi vero per *gaph alam*, *velamentum*, *operimentum*, & per metaphoram quamdam, Hebræis familiarem, veſtimentum ſignificat. In Chaldaica *ſolitudinem* etiam, & *ſolum* exprimit. Quis modo pro certo adfirmare queat Vulgatum Interpretem tamdiu inter Hebræos commoratum, atque ex Rabbinorum conſenſu in Hebraicis phraſibus peritiſſimum S. Hieronymum, legitimum hujus verſiculi ſenſum non attigiſſe? Præceperat Dominus Judæis, ut poſt ſex annos ſervitutis, ſi quos ſervos emiſſent, liberos, & gratis dimitterent. Cum proprio corpore, cum quo venerant fuiſſe dimittendos inutile prorſus erat præcipere, cum tamen inutile præceptum eſſe non poſſet ſi ſervorum veſtimentum reſpiciebat; facile enim contingere poterat, ut ferme nudi manumitterentur a Dominis, niſi divino compellerentur præcepto, ut eadem qua venerant, veſte nempe ſimili, liberi fierent. Hiſce de cauſis exiſtimant Catholici Doctores, paucis exceptis Sancti Hieronymi verſionem intimiorem, atque legitimiorem ſenſum redolere; hinc Vulgatæ lectionem improbare non eſt auſus ipſemet Druſius in ſuis notis majoribus.

Contra verſionem pariter verſus decimi ejuſdem Capitis 21., in quo legit vulgatus noſter = *Quod ſi alteram ei acceperit providebit puellæ nuptias, & veſtimenta, & pretium pudicitiæ non negabit* = inſurgit poſt Cajetanum Sixtinus, contendens ex Hebræo legendum potius = *alimentum ejus, & veſtimentum ejus, & tempus ejus non minuet* = miratur propterea rigidus hic cenſor, quod verterit Interpres noſter *pretium pudicitiæ*; cum Chaldæa *concubitum*, R. David *tempus deſtinatum debito*, Abenezra tempus amorum, R. Salomon *coitum*, alii tandem *habitationem*, vel *conſuetudinem* tranſtulerint. Verum quid dixerit Amana ſi in levi iſta verborum diverſitate unam, eamdemque intelligamus ſententiam cum Toſtato. Quæſt. 14. in Caput 21. Exodi, & Eugubino in eumdem locum, aliiſque Commentatoribus? Nuptiarum nomine hoc in loco Catholicorum nonnulli matrimonii actus intelligunt, & merito quidem cum vocem illam tali ſignificatione linguæ latinæ præceptores uſurpaverint; ita Cicero *pro Cluent.* = Quæ nuptiæ non diuturnæ fuerunt, erant enim non matrimonii dignitate, ſed ſceleris ſocietate conjunctæ = Pro actibus venereis eam vocem adhibet Juſtin. Lib. 31. cap. 6. = novis quotidie nuptiis deditus erat = Quid ergo mirum ſi vulgatus pro *concubitum* nuptias ſcripſit in ſua translatione. Per *pudicitiæ* autem pretium ſi cum nonnullis Catholicis intelligamus honeſta uxoris τροφὰς, nonne ſtatim eadem in Vulgata leguntur, ac in Hebræa? videant ergo verſionis noſtræ adverſarii quam immerito in eam ſtomachentur: Vatablus ſcribit per legem hoc verſiculo expreſſam Patremfamilias obſtringi ad providendum fœminæ illi priuſquam dimit-

le redditum esse Hebræum textum, qui aliud non indicat quam quod is, qui depositum reddere tenetur, adducere debeat testem, qui affirmet animal istud sibi commissum a fera pessima fuisse discerptum. *Ita Fagius*. Sed Deus bone! quamdiu in viro illo judicium desiderabitur? Nulla ferme in hoc ejus ratiocinio rectæ mentis scintilla elucet; & parum se insuper in Hebraica lingua versatum ostendit Bestiam reduci non posse contendit, quia, inquit, sine reliquiis tota fuit devorata? quasi vero absolute necessarium sit belluam ab alia enecatam omnino comedi debere; contrarium plerumque experimur sæpeque contingit ut necata bellua non tota absumatur possintque ejus asportari reliquiæ. Speciem hanc contractat locus quem in manibus habemus, statuitque Legislator ut cum commodata bestia fuerit ab alia occisa & partim comesta, deferatur ad Dominum pars reliqua, sitque a restitutione immunis ille, cui occisa bestia commodata fuerat. Nullus hic testis requiritur & quomodo requireretur cum quæ devorantur bestiæ plerumque

dimittatur, si alteram filio suo acceperit, de victu, de vestitu, & de præmio pro tempore, quo rem habuit cum ea; quamvis fateatur a doctioribus Auctoribus ita verti = *Victum ejus, vestitum ejus, & mercedem pudicitiæ, id est virginitatis corruptæ non negabit*, quam lectionem Clarius etiam inter Criticos sacros retinuit, quinimmo, & hunc sensum S. Augustinus Quæst. 78. in Exodum exposuit his verbis = Quid est autem concubitum non fraudabit? nisi pro concubitu mercedem dabit? = Itala pariter antiqua versio hoc modo legebat = Quod si aliam accipiet ei; quæ opus sunt, & vestem, & conversationem ejus non fraudabit = quæ verba deinde exponens citatus Pater in laudatis quæstionibus = Quod autem, inquit, nos diximus conversationem non fraudabit, græcus habet ὁμιλίαν id est *locutionem* quo nomine intelligitur scriptura honestius appellare concubitum = videatur S. Doctor loco citato. Legem tamen istam duplicem posse sensum præseferre compertum est, ita videlicet ut filium familias respiciat in quantum ancillam sibi desponsatam simul cum altera uxore postea ducta retineat; & in hoc casu urget Patremfamilias lex prædicta, ut satagat ne desint ancillæ cum alia uxore a suo filio detentæ victum vestimentum, & debiti matrimonialis solutio. Vel respicere potest prædicta lex filium familias fastidientem ancillam, eamque volentem dimittere post matrimonium cum altera initum, & in hoc aspectu lex ista non potest concubitum præcipere explendum cum illa, maxime vero ut curet Paterfamilias eamdem alteri viro in matrimonium collocare, vestimentum conveniens eidem suppeditare mulieri, & pretium tandem, sive dotem pro defiorata virginitate. In hoc sensu hujusmodi legem exponit Calmetus in suis ad hunc Exodi locum Commentariis scribens = Filiusfamilias, qui Ancillam Patris sui elegerit uxorem, si tandem illam fastidiens repudiaverit, altera in ejus locum ascita, curæ erit Patrisfamilias repudiatam hanc fœminam liberam alteri nuptum tradere, assignatis illi vestibus, & dote pretio scilicet pudicitiæ quantum sive judex, sive mos determinat = Hunc eumdem istiusmodi legi sensum ab Augustino in quæstione mox laudata tributum cognoscimus, quandoquidem merces pro concubitu solvenda non erat, si mulier in uxorem detinebatur, si igitur lex mulierem repudio dejectam respiciat, uti reipsa videtur respicere jam optima est lectio illa Vulgatæ nostræ = *& pretium pudicitiæ non negabit* = quidquid in oppositum clamitent adversarii.

Versiculum 12. ejusdem capitis 21. non minus quam alios suæ Amana censuræ subjecit, contendens versionem hanc = *Qui percusserit hominem volens occidere morte moriatur* = prorsus ineptam esse, idque ex Cajetano, & Joanne Benedicto confirmat, contendentibus illis solam occidendi voluntatem in nostra versione pœnæ submitti mortis, homicidii effectu non secuto, cum tamen iuxta veritatem lex illa homicidium revera patratum, non occidendi respiciat intentionem. Si autem respondeamus Vulgatæ lectionem ita esse intelligendam, ut lex illa de percusione voluntaria cum effectu mortis accipi debeat; tunc subjungit Sixtinus, idem erit dicere *qui percusserit*; ac *qui occiderit ut moriatur*, proindeque inutilis erit ταυτολογία. Neque Catholicis prodesse potest, si Amanam audiamus, quod Vulgatus hac usus fuerit locutione ex usu scripturæ, aliis in locis obvio, etenim, inquit Censor, in hac expositione lex ita posset intelligi, ut non afficiat percutientem fine animo necandi, quamquam ex percussione contra voluntatem percutientis occisio contigerit; & in hac hypotesi quilibet homicida a mortis reatu liberaretur, cum præter suam voluntatem mortem accidisse posset afferere, sicque legem frustraneam reddi, quod quidem legislatoris voluntati prorsus contrarium est. Quot quæso ambages, quot somnia ne dicamus deliria, ut vulgatæ nostræ versioni detrahatur! verba ista *volens occidere* desiderantur profecto in Hebræis codicibus hodiernis; in versione tamen a S. Hieronymo elaborata reperiuntur, quæ siquidem necessaria ad Legis integritatem dignoscuntur a Catholicis Expositoribus. Plures siquidem casus erant, quibus occidentes excusabantur, ut tradunt Hebræorum Magistri apud Seldenum *de jure Naturæ, & Gentium* lib. 4. cap 2. a Calmeto laudatum. Si v. g. percussus non statim occumberet, sed post aliquod tempus, adeo ut causa mortis, suæ incuriæ potius quam vulneri posset appingi, esto moreretur ex vulnere; Si Ludi Magister, aut Paterfamilias discipulum, aut Filium corripiendo percutiissent, & præter eorum voluntatem ex percusione mortuus esset, non morte ii afficiebantur, quamquam percusionem voluntarie infligerent: Hinc facillime adversarii vulgatæ præmissæ argutationes refelluntur, cum nec ταυτολογία, nec legis evasio in vulgatæ nostræ lectione timeri possit.

Neque huic præfatæ legis expositioni, aut intelligentiæ, quæ in versiculo sequenti leguntur opposita sunt, quandoquidem de occisione casuali, & involuntaria; nec non de occisione per insidias, & antea præcogitata fit sermo; alium ergo casum expressit in versiculo 12. Legislator, quem ut palam faceret, ea verba: *volens occidere* necessaria erant.

Censuram Sixtini non evasit vulgatæ nostræ lectio ad vers. 22. hujus capitis, in quo legimus = *Si rixati fuerint viri, & percusserit quis mulierem prægnantem, & abortivum quidem fecerit; sed ipsa vixerit subjacebit damno .... si autem mors ejus fuerit subsecuta reddet animam pro anima, oculum pro oculo, dentem pro dente &c.* Queritur itaque censor, quod Vulgatus mortem ad solam restrinxerit mulierem, cum in Hebræo sit absolute יום exitium, vel mors simpliciter. Nimis audacter censuram vulgato Interpreti inurit Sixtinus. Si enim codicem Hieronymianæ versionis attendamus eamdem præseferre comperiemus lectionem, quam Vulgata hodierna; quinimmo Josephus lib. 4. Antiq. cap 17. edit. antiq. Philo *De Legibus specialibus*, aliique Hebræorum Magistri, testante Grotio de sola mulieris morte legem illam intellexerunt: hinc Cartvvrighus etiam verba hujus vers. exponens, tradit ab Abenezra, & R. Salomone ad solam mulierem mortem hoc loco indicatam esse referendam adfirmari; & sane id non obscure videntur innuere sequentia Legis verba, quibus sancitum est, ut oculum pro oculo, dentem pro dente &c. percussor restituat; quæ siquidem damna soli Matri non fœtui inferre potuisse satis patet. Non itaque lex ista, concludit Cartvvrighus contra Sixtinum, inutilis erit si solam Matrem respiciat, esto lex de homicidio alibi jam tradita esset, cum isto in loco latius lex de homicidio jam lata interpretetur. Si tamen quid subjungere liceat; non est incredibile, quod summus Legislator novo isto mandato Mulieres prægnantes in tuto ponere intenderit, adeo ut

que in agris degant, & in montibus ubi rari apparent homines, nec commode reperiri possunt testes: Eo accedit quod noctu solent discerpi bestiæ, quo tempore testes frustra perquiras. Hinc quanto Fagius judicio polleat colligi potest. Sed ejus in Hebraicis eruditionem videamus. Vertendum putat in nominativo illud מ *bou* quod verbo בא affigitur, quasi esset sensus *adducet ille*. Sed fallitur, nam affixum illud refertur ad animal devoratum seu ad partem ejus reliquam, quæ ad Dominum adduci debet: atque id duplici ratione suadetur: Primo litera א *aleph* addenda fuisset, si vera esset Fagiana interpretatio; nam Hebræis, *ille* dicitur הוא non מ. Deinde nullum scio; &, si sint, rari admodum sunt loci, ubi מ *bou* verbo alicui affixum idem sit ac *ille* in nominativo: & contra infinita sunt testimonia ubi affixum *illud* per accusativum redditur. Si in Hebraicis fuisset paulo quam erat exercitatior, nec cœca accusandi nostri Interpretis libidine abreptus, vidisset doctum hunc Interpretem legisse אד *ado*, id est, *ad eum* (sup. Dominum) loco ד *ad* vel *ed* quod hodierna Hebræorum exemplaria præferunt, quodque nihil nisi ridiculi significat. (28)

§. XIV.

ut eas etiam in rixa quisque caveret omnino percussuris contendere; si enim ex illis mors sequebatur reus erat mortis occisor, quamvis mulieris mortem non voluisset; quem quidem reatum, involuntarie occidentes; quamvis voluntarie percuterent non incurrebant in variis casibus, ut superius diximus. Hanc legis istius intelligentiam Abulensis quæst. 24. in cap. 21. Exodi suppeditat inquiens = dato ergo quod fuerit eo modo, quo lex ista intelligit, scilicet aliquo modo sciens, & tamen non intendens directe occidere, necesse est quod vir occidens mulierem prægnantem occidatur per istam legem =. Quamquam igitur ante lata jam esset lex de homicidio, inutilis hæc pro mulieribus prægnantibus censenda non erit cum casum in altera lege exceptum comprehedat.

Miram pariter Sixtinus appellat Vulgati interpretationem ad v. 26. hujus Capitis eo quod verterit: *& luscos fecerit eos*: cum Hebræa legat, *& corruperit eum* scilicet oculum. Comunem hujus vocis *luscus* fatemur esse significationem, ut eadem homo distortos habens oculos indigitetur; ast apud Latinos hominem etiam unum habentem oculum significari compertum est ex Sat. 10. Juvenalis, in qua de Annibale, qui unum perdiderat oculum ita legimus = Cum Getulia Ducem gestaret bellua luscum = Verum prorsus intolerandam agnoscimus hanc Sixtini censuram ex ipsomet vulgati contextu in eodem vers. ubi clare juxta Hebraicam veritatem sensum in sua versione redditum esse demonstrat his verbis: *Dimittet eos liberos pro oculo, quem eruit*: en quo sensu vocem illam luscos accepit Vulgatus.

Ad Caput 22. versiculo 3. vapulat ab Amana Vulgatus noster ob hanc translationem: *Quod si orto sole hoc fecerit, homicidium perpetravit, & ipse morietur*: cum in Hebræo legamus; *Si ortus fuerit sol super eum erit morti obnoxius, reddendo reddet*: Unusquisque dignoscit clariorem satis esse sensum in nostra expressum, quamvis idipsum in Hebræo significetur. Nullius equidem momenti sunt, quæ versiculos 9. & 11. ab Amana reprehenduntur. W.

(28) Non magni faciendam arbitramur Amanæ censuram versiculis 18, & 25. hujus capitis 22. Exodi, cum nullius ferme videantur momenti variantes lectiones. Versu 18. Vulgatus scripsit; *Venesicos*, sive *Maleficos non patieris vivere*, cum in Hebræa: *Maleficam non* fines *vivere* legamus. Fatentur communiter tam Rabbini, quam Christiani nominis Scriptores hujusmodi Legem tam fœminas quam viros perstringere; quamvis in Hebræo hodierno vox fœmina מכשפה *mechaschephah* habeatur; in Græco nihilominus cum φαρμακους *venesicos* nimirum scriptum sit, dubium est num germanior sit hodierni textus Hebraici lectio, an eorum codicum, ex quibus versio Græca expressa est. Nec maximi facienda videtur Rabbinorum conjectura, quod scilicet in fœminas præsertim lata lex illa fuerit, quod ad præstigia sint propensiores, quam viri; lex enim utrumque sexum respiciens, masculinum, ut plurimum, tanquam nobiliorem appellat. Versu autem 25. hujus capitis ubi legit Vulgatus: *nec usuris opprimes*; vertendum opinatur Sixtinus: *nec ponetis super eum morsum*: quia vox illa hebraica נשך *neschech*; prægnantior est, inquit, quam vox *usura*. Verum Rabbini ipsi fatentur, quod usura appellatur apud Hebræos *neschech* idest morsus; fœtus autem, quos prægnantior vox hebraica continet, quælibet scilicet oppressionis genera, exprimuntur in vulgata per vocem *usuris*, & per alteras: *non urgebis eum, quasi exactor*.

Ad Caput 23. Exodi v. 1. objurgat Vulgatum Sixtinus ob hanc interpretationem: *non, suscipies vocem mendacii*; cum opinetur vertendum potius: *non tolles rumorem falsum*: Non opponam hujuscemodi censuræ versionem Hieronymianam, quæ ut Vulgata nostra legit admussim; sed opinionem Auctorum, qui ejusdem cum Amana sunt communionis; en ergo quomodo hunc in locum scribit Cartwrighus = Amana putat נשא שמע *nasa schemah* melius reddi *rumorem tollere, proloqui, efferre, proferre*, quam *suscipere*, idest *admittere*, quia ad istum modum in similibus verbum נשא usurpatur *tollere parabolam*, idest auctorem esse parabolæ; tollere *lamentum, vocem, convitium, canticum, naniam, prophetiam*. Sed cum נשא æque etiam significet *suscipere*, seu *recipere*, ac sensus iste hic non minus quadret, expositio ista respui haud debet... Fagius utriusque expositionis meminit, ac neutram alteri prætert = Vident ne vulgatæ versionis inimici, quam injuste sæpe sæpius eamdem dilacerent? Alia pariter sequentia verba: *nec jungens manum tuam, ut pro impio dicas falsum testimonium*; congruunt quam maxime veritati sententiæ: sive per eadem juramentum in impii favorem præstitum, sive consociationem cum impiis ad pejerandum pro mendacio, intelligantur.

In vers. 6. hujus cap. nulla prorsus est differentia essentialis inter Hebraicam, & vulgatam versionem. Ad versum autem 13. hujus Cap. arguitur ab Amana Vulgatus Interpres, quod nimium perstrinxerit Hebraicum textum, dum transtulit: *Per nomen externorum Deorum non jurabitis*: cum vertendum potius foret: *Nomen aliorum Deorum non memorabitis*: ut quamcumque occasionem tam jurandi, quam laudandi, quam obtestandi Deos alienos, intelligamus ereptam Hebræis per hanc legem: inquit Amana. Verum obscura fortassis sunt, quæ in Vulgata nostra leguntur sequentia verba: *Neque audietur ex ore vestro*, scilicet nomen Deorum alienorum? Nonne satis per illa voces attestationis, laudis, probationis excluduntur? Hinc Sancti Hieronymi versio legit sicut Vulgata, quamquam ipse ad Hebraicæ veritatis normam suam expresserit versionem. Nec minus Vulgatæ nostræ favet illa S. Doctoris versio ad vers. 26. hujusce capitis, in qua sicuti in Vulgata hodierna legimus. *Non erit infœcunda, nec sterilis in terra tua*: Legendum tamen arbitratur Sixtinus: *non erit abortiens, aut sterilis &c.* Versio Itala antiqua magis consonare videtur cum Vulgata hodierna; in ea quippe legebatur; *Non erit, qui non generet, neque sterilis super terram tuam*: Consentiente autem Cartwrighto vox hæc Hebraica משכלה *meschaccelah* mulierem abortientem, vel liberis orbatam significat; unde per voces istas *infœcunda*, & *sterilis* non unum, idemque significari videtur, cum per infœcundam mulierem, tam quæ abortivos parit, & immaturos filios ob suæ complexionis gracilitatem, vel paucos admodum gignit, quam quæ filiis, postquam eosdem suscepit admodum debiles tamen, orbata est, significatur. Per *sterilem* vero, quæ nullam consequitur prolem innuitur.

§. XIV.

Ex Capite XXV. v. 30.

ET *pones ſupra menſam panes propoſitionis in conſpectu meo ſemper*. Hic Vulgatum Interpretem ab Hebraico textu deviaſſe nonnulli cum Fagio exiſtimant, quod *panes propoſitionis* verterit, cum Hebraicus textus ferat לחם פנים *lechem panim*, id eſt, *panes facierum*. At ſi quæ ſit diſſonantia in verbis, nulla eſt in ſenſu; neque enim illi ſacri panes Hebraice dicuntur *panes facierum*, quod, ut quidam comminiſcuntur Rabbini, quatuor angulis, quos illi *facies* appellant, eſſent expreſſi; ſed quia ante faciem Dei ſeu coram Domino in menſa continuè deberent eſſe propoſiti: Hinc LXX. verterunt ἄρτους ἐνωπίους *panes in conſpectu poſitos*, quia ſcilicet ponebantur ante Dominum ſeu coram Arca & Propitiatorio, in quo ſe peculiariter præſentem, cum ex oraculis, tum ex beneficiis Deus exibebat. (29)

tur. Deus autem hujuſcemodi infirmitates a ſui populi fœminis eliminare promiſit, ſi ejus legem cuſtodire fategiſſet.

Interpretem noſtrum pariter ad verſiculum 11. capitis 24. conſputat Sixtinus, quod verterit, *Nec ſuper eos, qui procul receſſerant de filiis Iſrael miſit manum ſuam*; cum legendum adfirmet: *Et in Magnates filiorum Iſrael non miſit manum ſuam*: negat propterea verſionem noſtram eſſe S. Hieronymi auctoritate Eugubini, Cajetani, aliorumque fretus. Verumtamen codex verſionis Hieronymianæ legit ut noſtra, quam ſiquidem aliquam præſeferre obſcuritatem non diffitemur. Videamus nihilominus num clariorem invenerint Hebraicam hodiernam, qui in Vulgatam maledicta eructare non deſinunt. Vox illa Hebraica אצילים *atſilim* in primis diverſimode ab Interpretibus intelligitur, alii etenim eam vertunt *Magnates*, vel *Principes*, alii *Propinquos* ut Oleaſter; alii volunt, quod אצל *atſal* ſit ſegregare, hinc *atſilim ſegregatos* interpretantur. Quis modo negaverit legitimam eſſe in Vulgatæ noſtræ verbis intelligentiam, ſi dixerimus = Deum non miſiſſe manum ſuam = hoc eſt non percuſſiſſe, & occidiſſe eos, qui procul ſegregati erant, hoc eſt receſſerant a filiis Iſrael, atque ad Dei montem cum Moſe acceſſerant? Aut quemadmodum aliis placet auctoribus = Deum non miſiſſe manum ſuam = afflatum nempe propheticum in Nadab, & Abiu, & ſeptuaginta, qui procul a filiis Iſrael ſe ipſos ſejunxerant, vel receſſerant cum Moſe, & Aaron? facillima videtur, & hiſtoricæ veritati conſentanea hæc expoſitio. Si vero legamus cum Sixtino = & in Principes, ſeu Magnates filiorum Iſrael non miſit manum ſuam = verborum ſenſum non tam facile percipiemus; cum eodem modo tam de Principibus, qui cum Moſe receſſerant, quam de iis, qui cum populo remanſerant intelligi queant.

Ad Cap. 25. redarguit Amana interpretationem verſiculi ſecundi, quam legimus in Vulgata noſtra: *Loquere filiis Iſrael, ut tollant mihi primitias*. Contendens vocem iſtam *primitias*, non bene fuiſſe ex hebraica תרומה *trumah* converſam, quia per iſtam quarumcumque rerum magnificum, & liberale donum ſignificatur, vel quidquid coram Domino in oblationem elevabatur in altum. Aſt Hebraicam illam vocem *primitias* etiam ſignificare Clarius, Munſterus, & alii teſtantur. Quoniam autem *primitiarum* nomine in Scripturis Sanctis notiſſimum eſt, quod oblationes pro Domino ſeparandæ ab aliis frugibus intelligebantur, hinc Vulgatus ea nuncupavit voce quidquid a filiis Iſrael pro tabernaculi conſtructione Domino offerebatur; nec perſtricta ſupponi debet vocis illius ſignificatio cum in verſiculo immediate ſequenti res in oblationem recipiendæ indigitentur. Quid ergo mirum ſi S. Hieronymus in ſua ex Hebraico verſione nomen illud retinuit?

Verſiculi autem 19. 20. & 21. hujus Cap. eodem modo in S. Hieronymi verſione leguntur, ac in Vulgata noſtra, quæ ſiquidem lectio veridicam deſcriptionem non minus exhibet propitiatorii, & Cherubim, quam Hebraica, unde diutius in eadem immorari ſupervacaneum prorſus arbitramur. Verſus 29. hujus Cap. 25. Exodi, in quo *corona interraſilis* memoratur juxta Vulgati interpretationem reprehenditur a Sixtino, quod in Hebræa nil de corona, nihilque habeatur de figura. S. tamen Hieronymus, ut Calmetus in ſuis ad hunc locum commentariis innuit, clariorem quamdam ideam de ornamentis propitiatorii hoc in Capite deſcriptis, exhibere nobis fategit Joſephi Lib. 3. Antiquitatum Cap. 7., aliorumve Interpretum doctrinam ſecutus; unde coronæ illæ duæ altera in menſæ ornatum, altera ne panes e menſa forte deciderent inſerviebat. Clarius vero hoc modo legit Hebræum; *Faciesque ei coronam auream per circuitum, & clauſuram palmarem facies ei per circuitum, & facies coronam auream clauſuræ illi per circuitum:* quæ ſiquidem lectio totidem coronas, ac Vulgata nobis deſcribit.

Quæ redarguit ad v. 29. hujus cap. Sixtinus parum quam valde vulgatæ verſionis lectioni obeſſe noſcuntur; cum adhuc ſit apud Interpretes incertum quidnam hebraicis illis vocibus ſignificetur, videantur expoſitores divinæ Scripturæ ad hunc locum, nos interim Vulgatæ lectionem amplectimur, quæ eadem eſt cum S. Hieronymi verſione. (W)

(29) Facillime conciliantur cum hiſtorica veritate, quæ ab Amama reprehenduntur ad Verſiculum primum Capitis 26. Exodi, in quo legimus juxta Vulgatum: *decem cortinas .... variatas opere plumario facies*: cum pro *variatas*, *Cherubim* eſſe legendum opinetur, unde textum Hebraicum ita legit Druſius; *Et tabernaculum facies decem cortinis e byſſo retorta, & hyacintho, & purpura, coccoque bis tincto, Cherubim opere ingenioſiſſimo facito ea*; Hac in lectione evidens eſt vocem *Cherubim* idem ſignificare, ac *varietatum*, ſive *diverſorum colorum* eas eſſe debuiſſe, vel *figurarum* ſi velis; confitente etenim Clario vox illa *Cherubim* intelligitur pro quibuslibet figuris, quæ depictæ fuerunt in Cortinis, & in hoc ſenſu vocem illam uſurpari ipſe S. Hieronymus in Epiſt. ad Marcellam teſtis eſt. Quis modo dixerit erratum eſſe in Vulgata noſtra per vocem illam *variatas* ſi una eſt eademque divini textus ſignificatio? Variatio lectionis in verſu 2. hujus Cap. nullius momenti eſt, ut per ſe patet.

Quod autem opponit Sixtinus improprie uſum eſſe Vulgatum Interpretem voce illa *Saga* ad v. 7. hujus Cap. non magni videtur momenti cum ſatis illa voce ſignificatum intelligamus ſuperindumentum quoddam ad nobiliores Cortinas obtegendas.

Ad verſum 17. hujus Cap. arguitur ab Amana Vulgatus noſter, quod verterit *duæ incaſtraturæ fient*; cum vox Hebraica ידות jadhoth *duæ manus* eſſet vertenda. Vocem attamen illam Hebraicam methaphorice eſſe pro inſtrumento tabulas illas conjungente intelligendam compertum eſt ex variis explicationibus, quas voci hujuſcemodi varii Expoſitores a Druſio recenſiti tradiderunt. Nonnulli etenim duos denticulos, alii duos cardines, alii duos pedes, alii altero modo ſunt interpretati; cur ergo in Vulgati lectionem debacchantur, ſi per eamdem ſatis tabularum connexio deſcripta eſt?

§. XV.

Ex Capite XXXII. verſ. 28.

CEciderunt*que die illa quaſi viginti tria millia hominum.* Ubi inquiunt, redundat vox *viginti*; nam Hebraice legimus vertente Pagnino; *Et ceciderunt e populo in die illa ferme tria millia viri*, ſeu *virorum*. Quam lectionem etiam habent LXX. Interpretes & Editiones Syriaca, Arabica, atque Chaldaica Paraphraſis Onkeloſi: hanc etiam ſequuntur Tertullianus, [a] Chryſoſtomus, [b] Ambroſius [c] & Auguſtinus; [d] quibus præiverat Philo Judæus. [e] Hinc nonnulli, quibus conſentit Natalis Alexander, Vulgatam Editionem hic erroris arguunt; quem ut eliminet Lyranus, putat noſtrum Interpretem complexum fuiſſe, non ſolum tria millia Iſraelitarum qui *verſu* 28. trucidati ſunt

a *in Scorpiaco cap.* 3;
b *lib. de providentia.*
c *epiſt.* 56.
d *quæſt.* 56. *in Exod.*
e *lib.* 3. *de vita Moſis.*

Ad Verſ. 31. hujus Cap. Faſtidit Amama Vulgati lectionem ad hæc verba: *Facies, & velum .... opere plumario &c.* Verum S. Hieronymus vocibus iſtis, quod opus miro confectus artificio jucundam plumarum in avibus varietatem præferens intellexerit compertum ſatis eſt cum alibi pro *opus plumarium*; *opus polymitarium* reddiderit. Quæ ulterius in hoc capite caſtigantur ab Amama ejus videntur levitatis, ut hominis levi de cauſa contradicentis omnino ſint.

Ad verſiculum 3. cap. 27. Exodi in Hebraicis hodiernis codicibus quinque reperiri inſtrumenta compertum eſt ad uſum Altaris fabricata; in noſtra tamen Vulgata quatuor ſolummodo deſcribi textus ipſe demonſtrat. Num autem vel Hebraica ut redundans, vel Vulgata noſtra deficiens non facile definire poſſe opinamur, cum codex Hieronymianæ verſionis eamdem cum noſtra lectionem exhibeat. Septuaginta etiam verſus hujus lectionem aliquantulum diſcrepantem a textu Hebraico præſeferunt. Incredibile haud eſt nihilominus S. Hieronymum eam in ſua verſione vocem hebraicam omiſiſſe, qua phiala exprimitur, atque incompletam inſtrumentorum Altaris enarrationem præſtitiſſe hoc in loco; cum paſſim ea recenſeat inſtrumenta, quæ proprium in deſcriptione, quam efficit locum habent. Phialarum meminerat ſupra cap. 25. verſ. 29. Videatur hac de re Cornelius a Lapide. Verſiculi 5. hujus capitis lectionem utique hodiernæ Hebræorum codicum lectioni præponunt Expoſitores, inter quos Calmetus in ſuis ad hunc locum commentariis, deſcribitur quippe in noſtra locus, quo annuli ad vehendum Altare erant inſerendi.

Non parcit Amama Vulgato, quod ad verſ. 9. hujus Cap. vocem Hebraicam קלעים *Kelaim tentoria* ſit interpretatus, cum *Cortinas* nomen illud ſignificet. *Tentoria* nihilominus tam in Hieronymiana verſione, quam in Itala antiqua Scriptum eſt, ſatiſque per verbum illud germanum ſcripturæ ſenſum attingimus.

Quæ in ſequentium verſiculorum hujus Cap. Vulgatam interpretationem Sixtinus opponit nihili prorſus facienda videntur; cujus pariter conditionis videtur cenſura contra nonnullos Capitis 28. verſiculos inſtituta.

Vapulat ab Amama ad verſum 4. Cap. 29. Exodi Vulgatus quod reddiderit: *ad oſtium tabernaculi teſtimonii*, cum potius *tabernaculi conventus*; ſit legendum. Aſt in S. Hieronymi verſione legimus *teſtimonii*; nec mirum, vox enim hebraica עדה *hedah* tam *conventum*, quam *teſtimonium* ſignificat. Alteram vocem עדות vertunt *teſtimonii fœderis* in Bibliis Regiis. Quidquid tamen ſit, fidem omnino negare non poſſumus Vulgatæ noſtræ, quæ cum verſione Hieronymi, & cum Itala antiqua perfecte congruit, quæve idem tabernaculum innuit cum hebraica, quod ad veritatem lectionis ſatis eſt.

Ad verſum pariter 18. hujus Cap. Exodi non relinquitur ἀξιάμιος Vulgatus noſter, quod verterit: *oblatio eſt Domino odor ſuaviſſimus victima Domini*: cum vox hebraica אשה *iſcha* non quamcumque *victimam*, ſed quæ per ignem conſumpta, tota in fumum converſa aſcendit in conſpectum Domini, quæque apud Hebræos עולה *olah* dicebatur, ſignificat; unde legendum contendit Cenſor ille: *odor ſuaviſſimus oblatio ignita Domino*. Verum quis non videat hæc omnia in Vulgata noſtra clariſſime contineri in prædicto verſu 18? unde Fagius ipſe in annotatis ad hunc locum advertit vocibus iſtis *oblatio ignita eſt Domino* meram inſtitui repetitionem paululum verbis immutatis; a quibus tamen repetitionibus in Hebraiſmo frequentibus abſtinet quoad fieri poteſt S. Hieronymus.

Ad verſum 24. Vulgati interpretationem exagitat Sixtinus, eumve duplicis erati condemnat his in verbis: *& ſanctificabis eos elevans coram Domino*, cum in hebraica habeatur; *& agitabis ea agitatione coram Domino*; male ergo verſum eſſe *ſanctificabis* nec non prono nen *eos*, cum in Hebraico res oblatæ, non Aaron, & filii ejus, ſanctificatæ, ſive Domino conſecratæ indigitentur, propugnat. Si tamen integram hujus cæremoniæ deſcriptionem inſpiciamus non abs re fortaſſis ſacrum textum intelliget, qui eum ad Aaronis filiorumque ejus ſanctificationem retulerit; verſu ſiquidem 26., & verſu 28. Aaronis, & filiorum ejus initiatio commemoratur, quæ licet intelligi poſſit de conſecratione eorum facta per ſanguinis aſperſionem, nihil tamen contradictionis includit, ſi eorum perſonas ſanctificatas intelligamus. Hæc Aaronis, & filiorum ejus ſantificatio narratur Levit. 8. v. 31. etiam in Hebraica Druſii lectione. Verſio Hieronymiana quidem ut Vulgata noſtra legit; mirum autem erit quod S. Hieronymus tam depravatam translationem reddiderit.

Accuſat pariter Sixtinus Vulgatum, quod ad verſum 43 hujus Cap. tranſtulerit: *ibique præcipiam filiis Iſrael*; cum in Hebræo verbum נועד *nohadti* habeatur, quod *convenire* ſignificat, vel tempus conſtituere, & ad ſtatutum tempus præſto eſſe, vel, ut Druſius exponit, = conveniamque ibi filios Iſrael, ut Rex, qui determinat locum certum ad loquendum ibi cum ſervis ſuis = Nonne in Vulgata noſtra idipſum, & clarius etiam legimus. *Ad oſtium tabernaculi ..... ubi conſtituam, ut loquar ad te?* en conſtitutum locum a Domino, ubi Regis inſtar loqui decrevit ad ſervos ſuos: *ibique præcipiam filiis Iſrael*: en clarius expreſſum quod Deus non ſolum conveniet filios Iſrael ad oſtium tabernaculi, ſed ulterius ibidem ſuam voluntatem eiſdem ſignificabit. Sanctus Hieronymus, in cujus verſione ex Hebræo idipſum legimus ac in vulgata, non ſemel eſt proteſtatus, quod legitimum divinæ ſcripturæ ſenſum cum proprietate Latini ſermonis erat redditurus; ita in Epiſt. ad Suniam, & Fretelam. Legatur modo Levitici liber, & multoties deſcriptam inveniemus populi convocationem ad tabernaculi oſtium, ut Domini præcepta per os Moſis audiret; quæ advertens Vulgatus Interpres cum S. Hieronymo verbo *præcipiam*, pro verbo *conveniam* uſus eſt, ut ſignificantius ſcripturæ ſenſus, & factum exprimeret.

Ad lectionem Vulgatam v. 3. capitis 30. Exodi ejus eſt conditionis Sixtini cenſura, ut ſatis hominis contradicentis non autem veritatem exquirentis animum palam faciat. Inquit ille *tectum* eſſe legendum hoc in loco, nequaquam *Craticulam*. Quis tamen non videat vocem hanc גג *gag* ſive *tectum* partem ſuperioris Altaris, vel operimentum ſignificare in hoc textu? Hoc autem operimentum cum reticulatum, ut ajunt inſtar craticulæ eſſet, ut accenſi carbones ad concremandum incenſum ſuper illud conſiſterent, quid mirum ſi *craticulam* vertit

Vul-

sunt a Levitis, sed etiam eos qui *versu* 35. dicuntur a Domino percussi pro reatu vituli, eosque fuisse *viginti millia*. At hæc levis est conjectura nulloque nixa fundamento; neque enim Interpres noster simul utrumque locum vertit, sed solum hunc præsentem in quo Hebræus textus jam habet tantum *tria millia*; illi enim qui referuntur *versu* 35. altera die percussi sunt.

Verisimilius itaque est errorem esse regerendum in textum Hebræum & Græcum jam extantem; suspicionem enim mendi removent ab Editione nostra Vulgata, non solum antiquiora Latina exemplaria, sed etiam S. Gregorius qui e primis fuit, qui Vulgatam S. Hieronymi versionem explicaverunt, hic enim constanter legit [a] *viginti tria millia*: ita quoque legisse videtur S. Paulus, (si tamen de hac strage loquatur, ut plurimi Interpretes consentiunt) scribit enim: [b] *Neque fornicemur sicut quidam eorum fornicati sunt, & ceciderunt una die viginti tria millia*. Unde in LXX. (quos præsertim sequitur) hauddubie legit: ἐικοσι τρεῖς χιλιάδες, pro εἰς περισσοὶ, uti jam legitur. *Accedit* quod in tanta turba ita graviter peccantium, pauca sint tria millia punitorum, præsertim cum alibi, [c] ob similem idololatriam occisi sint *viginti quatuor millia hominum*. Itaque verisimile est primitus

a 1. *Reg.* *cap.* 14. & *lib.* 20. *Moral. cap.* 6.

b 1. *ad Cor.* 10.

c *Num.* 25. *v.* 9.

Vulgatus LXX. versionem, & Josephi Lib. 3. Antiquit. Cap. 7. auctoritatem secutus, qui hujusmodi craticulam agnoverunt?

Neque majoris façimus roboris alteram Sixtini accusationem ad v. 10. hujus Capitis contra Vulgatum propositam quod verterit vocem illam Hebraicam כפר ו, *u chipper & deprecabitur*; cum & *expiabit* significet. Omnibus utique notum est vocem illam Hebraicam æque significare *deprecabitur*, *placabit*, *expiabit*, *propitium reddet*: & sane verbum græcum ἐξιλάσεται, quod Sixtinus a LXX. retentum atque *expiabit* significare contendit, *placabit* a Schrevelio intelligitur.

In Vulgatæ nostræ lectione deesse conqueritur Amama ad versum 15. hujus Cap. 30. hæc Verba: *dando oblationem Domino ad expiandum pro animabus vestris*: ex contextu nihilominus præcedente, e sequente versiculum hunc 15. omnia, quæ deficere a Sixtino dicuntur satis expresse haberi quisque ex se dignoscere potest.

Ejusdem profecto momenti arbitramur censuram Sixtini, qua debacchatur in Vulgatæ lectionem ad versum 20. ejusdem Cap., ubi male vocem illam Hebraicam נתת *Tymiama* esse conversam existimat, cum vertendam *igne comburendum* velit. Penitius tamen si rem istam inspiciamus melior Vulgati lectio comperietur. Varia siquidem erant oblationum genera in sacrificium ad cultum Dei igne consumenda; cum autem in hoc Altari, de quo sermo instituitur in Capite isto solum Tymiama esset incendendum, ut patet ex versu 9: quid mirum si Vulgatus non generali locutione: *oblationem igne consumendam*: est usus, sed peculiari expressione quidquid ibidem erat comburendum, ut amphibologiæ vitarentur, significavit?

Integram non omisit Bibliorum nostrorum versionem, quam in v. 33. hujusce Cap. his conceptam verbis habemus: *Sume tibi aromata prima myrrhæ, & electæ quingentos siclos*: duos in ista errores a Vulgato admissos contendens; quorum prior est, quod vocem hanc ראש *rosch caput* cum Myrrha conjunxerit, quæ cum voce *aromata* conjungenda est, adeout sit sensus: *sume tibi aromata caput* nempe *aromata præcipua*: Secundus habetur error in his verbis: *Myrrhæ electæ*, cum sit legendum *Myrrhæ libertatis*, vel *liberæ*. Catholici expositores fatentur Hebraicam lectionem reddi peroptime posse ad literam: *Sume tibi unguenta Capitis Myrrhæ libertatis*: legunt quippe Hebræa קח לך בשמים ראש כר-דרור *Kach lecha beschamim rosch mor de ror*. Vox ergo *rosch* tam *caput*, quam *capitis* significare cum possit, quis, si in utroque casu legitimus sensus sententiæ haberi potest, in accusativum potius, quam genitivum vocem illam esse vertendam audacter adfirmet? & sane genitivum casum retinuere Fagius, & Vatablus. Si modo per vocem *caput* id intelligamus cum Amama, quod est *præstantissimum*, *præcipuum*, *primum* in suo genere, jam hæc adjectiva cum substantivis suis concordanda erunt; proindeque optime legemus *primæ* vel *præcipuæ*, vel *præstantissimæ Myrrhæ*, ut legit Vulgatus; aut saltem a vero aberrasse revinci nequaquam poterit. Non diffitemur tamen ad Codicem versionis Hieronymianæ adnotatum esse in margine a Vallarsio, quod legebatur; *aromata prima*, *Smyrrhæ electæ*. Vocem autem מר-דרור mor deror *myrrhæ electæ* interpretatus est Vulgatus, sicut eodem pacto intellexere Jonathas, & LXX. Per *myrrham liberam* enim nil aliud potest intelligi, quam *Mirrhæ florem*, idest *portionem selectam*, *optimam*, *minime adulteratam*. En maximos, qui ab Amama in Vulgata nostra prædicabantur, errores!

Nonnulla etiam in sequentibus versiculis variantia notantur; verum si uterque textus conferatur ad invicem, nullius momenti eadem inveniuntur. Ad versum tandem 33. hujus Cap. deesse unum στίβιτον ad nomen *thimiama* videlicet ממח *memallach*, *salitum* tuetur. Vocem tamen illam hebraicam solummodo hoc in loco significare *mixtionem*, adeo ut non *salitum*, sed *mixtum* sit legendum, nedum Catholici expositores, sed etiam Cartvvrightus, & plurimi Rabbinorum, & LXX. μεμιγμένον *mixtum* interpretantes, adfirmarunt.

Objurgat ad Capitis 31. versum 5. Exodi Vulgatum nostrum Sixtinus, quod scripserit: *& marmore, & gemmis*: cum in Hebræa: *& in artificio lapidis, & in artificio ligni*: habeatur. Fatemur quidem in Hieronymiana versione deesse vocem illam *marmore*, unde in Vulgata nostra suffectam opinamur loco hujus sententiæ: *& ad lapidaria opera* fabricanda: quæ habetur in Græca. Si autem quis cur marmor præsertim recensuerit Vulgatus, loco *lapidis* nescio, ut verum fatear, aliam proferre causam, nisi quod marmor plures lapidum species comprehendit, ut apud Plinium lib. 36. cap. 7. videri potest. Verum quid mali tandem si dixerimus voculam hanc *marmor* in Vulgatam nostram intrusam ex aliena manu fuisse. Fassi sunt; & ipsi Romani Correctores nonnulla a sibimetipsis levis tamen momenti, justis de causis, inemendata relicta fuisse; hic forsitan locus unus ex illis est. Verum si LXX. versioni fides habeatur, plura, & quidem longe majoris momenti in hodiernis Hebræorum codicibus desunt ad hunc versiculum 5. quam in Vulgata.

Versiculum pariter 4. capitis 32. Exodi Vulgatæ nostræ fugillat Amama, in quo legimus: *formavit opere fusorio*: cum ex hebræo vertendum judicet: *& formavit eum stylo*: vox enim Hebraica חרט *cheret*, dubio procul *stylum* significat. Quid tamen diceret Amama si cum variis Expositoribus apud Calmetum & Drusium vocem illam vellemus exponere vel per *crumenam*, vel per *saccum*, in quo Hebræorum inaures Aaron recepit, & postea vitulum conflavit? Significet nihilominus *Stylum*: illum adhibitum fuisse dicemus ad expoliendum, perficiendumque vitulum aureum, postquam fusorio opere constructus fuit; non tamen revinci poterit falsitatis, aut erroris lectio nostra Vulgata.

Quod notat Amama ad versum 22. hujus Capitis nullius fere momenti est, quinimmo Vulgati lectio indolem, & propensionem ad malum exprimit Judaici populi, quæ siquidem lectio cum contextu videtur magis congruere; cum enim Moses Aaronem increparet, quod peccatum maximum super populum induxisset; se excusans Sacerdos; noßi, inquiebat, indolem hujus gentis, quod ex se sit ad malum propensa? Naturalior ne esse potest ac verosimilior ista locutio? (W)

Cir-

in Hebræo fuiſſe etiam *viginti tria millia*, inde vero mendum irrepſiſſe, quod Scriba aliquis pro *viginti* ſcripſerit per compendium literam ב quæ nota eſt vicenarii apud Hebræos, quam poſtea alii, quaſi notam ſimilitudinis acceperint, ut idem eſſet ac *ferme* vel *quaſi*. Hinc pro eo quod nunc in Hebræo textu legimus בשלשת אלפי *ciſchilſcheth alpe*, i. e. *ferme tria millia*, reſtituendum eſt בשלשה ועשרים אלפי *ciſchilſcheth veheſrim alpe*, i. e. *quaſi viginti tria millia*. (30)

§. XVI.

Ex Capite XXXIII. verſ. 13.

OStende *mihi viam tuam*. Hallucinatos hic eſſe LXX. & Vulgatum Interpretem clamitat Fagius, quod pro *viam tuam*, ut habet Hebræus textus, tranſtulerint *faciem tuam* ſive *teipſum*: non enim, inquit, poſtulat Moſes videre faciem Dei, aut ſubſtantiam illius; ſed ut oſtenderet viam, qua ituri eſſent ipſe & Iſraelitæ, ne in aliquem errorem laberentur. Verum hæc Hebraica vox דרכך *deraceca* varias patitur explicationes: Nam *Oleaſter* interpretatur: Oſtende mihi viam tuam, *hoc eſt*, voluntates, ut ſciam quomodo te placare poſſim. *Cajetanus*: Oſtende mihi viam & ordinem gubernandi, quem decreviſti ſervare cum populo tuo. *Lyranus*: Oſtende te mihi familiarem & placatum, ſicut ſolebas ante formationem vituli. *Vatablus*, *Lipomanus*, *Emanuel Sa*: Oſtende mihi viam tuam, per quam ſcilicet ducam populum tuum in terram promiſſam. Septuaginta autem verterunt ἐμφάνισόν μοι σεαυτὸν, *Oſtende mihi teipſum manifeſte*. Quæ omnes interpretationes tametſi verbis diſſentiant, ſenſu tamen concordant, maxime Vulgata. Neque enim aliud ſignificare voluit noſter Interpres dum ait: *Oſtende mihi faciem tuam*, quam, teipſum mihi ducem & comitem exhibe. (31)

§. XVII.

(30) Circa genuinam verſus 28. Capitis 32. Exodi lectionem Proteſtantes non minus, quam Catholici Expoſitores, & Critici dubia mente huc, illucque feruntur; nonnullis cum Fraſſenio, cum Natale Alexandro aliis conſiſtentibus: illis Vulgatæ lectionem; iſtis Hebraicorum, & Græcorum codicum hodiernis exiſtentium temporibus textum hujus loci defendentibus. Nos tamen æquo mente pati vix poſſumus Sixtini audaciam, qui in Vulgatam noſtram & in Romanum Pontificem Clementem VIII. convicia innumera, & maledicta mordaci lingua diffundere non eſt veritus; quaſi nimirum, ut ipſe blaſphemat, peſſima eſſet Vulgatæ noſtræ translatio, peſſimamque verſionem Summus Pontifex, ſua interpolita auctoritate, authenticam pronunciaverit. Demonſtrandum ſupereſt adhuc linguoſo illi errorem in noſtra, minime vero in codicibus Hebræorum hodiernis reperiri, & in Græcis. Si Apoſtolus Paulus in 1. ad Corinth. cap. 10. v. 7. cædem commemoret hoc Exodi loco indicatam, ſicuti plures tuentur Doctores, nonne certum eſt legitimam lectionem haberi in Vulgata noſtra? Fatemur ab aliis contendi, quod ibidem loquatur S. Paulus de Hebræorum ſtrage cap. 25. Num. v. 9. recenſita: verum cum eo in loco vigintiquatuor hominum millia conſtanter in Hebræis, Græciſque Codicibus, atque Latinis legantur occiſa, quomodo Paulus numerum tam valde imminuere poterat, ſi ad hunc Numer. textum reſpiciebat, eo vel maxime, quod Corinthios ingentis pœnæ timore ab idololatria conabatur avertere unde tot Latini Codices hunc quæſo hauſerunt errorem, ſi omnia Hebraica, & Græca antiquiſſima exemplaria *tria* tantum *millia* præferebant? Verſio quidem S. Hieronymi, quam poſt Martianeum excudi curavit Vallarſius *tria millia* modo legit: Aſt Vallarſius ipſe hunc in locum animadvertit Palatinum Codicem cum aliis editis, aliiſque apud Martianeum ipſum manuſcriptis *viginti tria millia* præferre. Non parum negotii pro Vulgatæ lectione facеſſere debet Adverſariis S. Gregorii Magni auctoritas, qui lectionem S. Hieronymi ſimul cum Vulgata antiqua diligenter ſcrutabatur, & nihilominus in ſuis operibus Vulgatæ noſtræ lectionem conſtanter retinuit, ut etiam Fraſſenius noſter animadvertit. Nulli profecto Hebræorum codices modo exiſtentes ſunt in vetuſtate cum iis comparandi, quibus uſus eſt S. Hieronymus; ſi ergo in ejus verſione legebat Gregorius ab illius S. Interpretis ætate non maxime diſtans *viginti tria millia* hanc eſſe germanam ſacri textus lectionem dubitari vix poteſt. Oppoſitæ ſententiæ defenſores errorem in Codicem S. Gregorii irrepſiſſe ſuſpicantur, quo tamen id argumento revincant ignoro. His adjungimus cum Calmeto, quod S. Cyrillus Alexandrinus *viginti tria millia* legebat, ut patet ex ſuis Glaphiris L. 2. Conjecturam alteram, qua contendunt nonnulli in Hebræo ſcriptam eſſe literam כ *caph* ab aliquo ſcriba pro nota numeri vicenarii egregie refellit Toſtatus Quæſt. 36. in Cap. 32. Exodi, & quidem duplici de cauſa; prima; quod in Hebraico textu nunquam ſolæ literæ, ſed dictiones numerales ad numeros ſignandos aſſumuntur; Secunda quod ſi litera כ pro numerali nota fuiſſet in Hebræo poſita, nunquam poſſet in Hebræo legi particula *quaſi*. Quidquid tamen ſit de conjectura hujuſmodi nobis ſatis eſt, quod Correctores Romani non peſſimam inter omnes lectionem ſelegerint, nec erroneam Romanus Pontifex comprobaverit, ut calumniatur Sixtinus, ſed eam admiſere lectionem, cujus *auctoritas* firmo non minus fortaſſis, quam alterius lectionis innititur fundamento.

Cartvvrightus in ſuis ad verſum 29. hujus Cap. animadverſionibus miratur ab Amama immunem hunc Vulgati locum: *Conſecraſtis manus veſtras hodie Domino*: cum potius *conſecrate* in imperandi modo ſit legendum cum hujuſcemodi modum exprimat vox hebraica מלאו *malen*; non autem præteritum perfectum, ut ille ait. Saniore fortaſſis conſilio ſe geſſit hoc in loco Sixtinus, qui noverat optime vocem illam Hebraicam utramque ſignificationem præferre, ut in ſuis notis ad hunc textum Druſius adfirmat. Cur autem præteritum potius, quam imperativum præſens Vulgatus tranſtulerit, ultra ſacrum textum nobis ſuggerit Auctor Hiſcuni his verbis = Conſecraſtis manus veſtras: antea conſecratæ fuerunt manus uniuſcujuſque veſtrum, ut eſſetis miniſtri Dei benedicti: Nam ecce quiſque in filium ſuum, & in fratrem ſuum immiſiſtis manus veſtras propter nomen Dei: & non licet dicere: Conſecrate manus veſtras in futurum. Nam ecce antea fecerant juxta verbum Moſis = (W)

(31) Plurimæ ſunt aliæ apud Criticos ſacros hujus verſiculi 13. Capitis 33. Exodi expoſitiones, quas brevitatis gratia prætermittimus, id unum advertentes, quod licet verſio S. Hieronymi recens edita habeat: *oſtende mihi viam tuam*; Notat nihilominus Vallarſius ſuos, alioſque apud Martianæum codices manuſcriptos legere: *faciem tuam*: quæ ſiquidem lectio magis cum ſequentium verſiculorum lectione videtur congruere.

Translationem Vulgati Interpretis ad verſiculum

4. Ca-

§. XVII.

Ex Capite XXXIV. verſ. 29.

IGnorabat (Moſes) *quod cornuta eſſet facies ſua ex conſortio ſermonis Domini.* Auguſtinus Steuchus Eugubinus hic parum verecunde & minus religioſe Vulgatum Interpretem reprehendit, eique errorem in verſione impingit, quod verterit *cornutam* fuiſſe faciem Moſis, cum vertere debuiſſet, faciem illius fuiſſe *coruſcam & radiantem*: Cui errori, inquit, occaſionem dedit vox ambigua Hebræa, quæ diverſis punctis lecta, diverſa ſignificat קרן per duplex *ſegol* legitur *Keren*, id eſt *cornu*; at vero per *camets & patach* exhibet *Karan* quæ *radiantem* ſeu *radiare* ſignificat: igitur, *inquit*, non habetur in contextu Hebraico faciem Moſis *cornutam*, ſed *radiantem*. Unde colligit emendandam eſſe pravam Vulgi conſuetudinem, qui duobus cornibus pingunt Moſem, aitque Judæos nos execrari, quoties Moſem in templis noſtris cornuta facie depictum aſpiciunt, quaſi nos eum Diabolum quendam, ut ipſi ſtulte interpretantur, eſſe putemus. Eugubino conſentit Eccleſiaſticæ hiſtoriæ Compilator hodiernus, exiſtimans Vulgatum Interpretem, vertiſſe quidem, *Et ignorabat quod coruſca eſſet facies ſua*; Scribas autem ac Librarios, ex *coruſca* feciſſe *cornuta*. Verum uterque non leviter hallucinatur, tametſi enim LXX. Interpretes vocem קרן potius *Karan*, i. e. *ſplendere, fulgere, radiare*; quam *Keren*, i. e. *cornu* legiſſe videantur, ſcribunt enim: Καὶ Μωυσῆς οὐκ ἤδει ὅτι δεδόξασται ἡ ὄψις τῆς χροιᾶς τοῦ προσώπου αὐτοῦ, *Et Moyſes ignorabat quod glorificatus eſſet aſpectus cutis faciei ſuæ*. Quibus conſentit Targum Onkeloſi ſic habens: *Moyſes autem neſciebat quod multiplicatus eſſet ſplendor gloriæ vultus ſui dum loqueretur cum eo.* Nihilominus tamen non ſolum S. Hieronymus, ſed etiam Aquila, ſicut & Interpres noſter, potius KEREN *cornu*, quam KARAN *radians* legerunt: ſcribit enim S. Hieronymus, [a] *In Exodo juxta Hebraicum & Aquilæ Editionem legimus: Et Moyſes neſciebat, quia cornuta erat ſpecies vultus ejus.* Porro hos duos in Hebraicæ linguæ peritia, Eugubino & quovis alio ipſi conſorte non eſſe præferendos, nemo æquus æſtimator judicabit. Quin etiam eis conſentit R. Salomo, qui radios e Moſis vultu emicantes appellat *cornua magnificentiæ*. Quamobrem utraque lectio, *Keren* & *Karan* hic poſſet cohærere, ut nempe ſit ſenſus, Moſis faciem ex colloquio divino *ſplenduiſſe*, atque radios in modum *cornu* fuiſſe ejaculatam, quemadmodum radii a Sole derivati, ſpeciem cornu præ ſe ferunt: nam, ait R. David Kimchi, [b] cum homo Solem aut quamvis aliam lucem intente conſpicit, videtur illi quodammodo cornuum inſtar ſplendorem ac radios emittere. Facies autem Moſis tanto ſplendore coruſcabat, & ſuis radiis, Iſraelitarum oculos ita perſtringebat, ut vix in eum poſſent intendere, uti diſerte declarat S. Paulus his libris: [c] *Quod ſi adminiſtratio mortis in literis, deformata in ſaxis, fuit in gloria, adeo ut non poſſent oculos intendere filii Iſrael in faciem Moyſi, propter gloriam vultus ejus quæ aboletur, cur non potius adminiſtratio ſpiritus erit in gloria?* Nihil tamen eſt, inquit Grotius, quod vetet credere radios illos ſurrexiſſe in cornuum ſpeciem, indeque factum, ut Mneues, qui apud Egyptios cum cornibus colebatur ipſi Aben-Eſdræ [d] credatur eſſe non alios a Moſe, ſicut etiam cenſet S. Juſtinus Martyr; vel quiſquis eſt Auctor admonitionis ad Græcos, qui uti in Diodoro Siculo eſt μονόν poſuit Moyſen. (32)

§. XVIII.

a *Comment. in Cap. 6. Amos.*

b *in hunc locum.*

c 2. *ad Cor.* 3. *v.* 7.

d *ad leg. Exodi* 2.

4. Capitis 34. caſtigat Amama, cum pro verbis *mane ſurrexit*, quæ ſunt in Hebræo; *de nocte conſurgens*; ſit interpretatus. Verum omnibus notum eſt inter noctis partes veſperam, primam facem, concubium, & crepuſculum recenſeri; Cum autem præcepiſſet Deus Moſi, ut mane promptus eſſet ad montis aſcenſum, quid mirum ſi ſummo mane, ad diei crepuſculum videlicet, & prius etiam fortaſſis Moſes conſurgens ſe diſpoſuit, ut ad Deum in montem aſcenderet ſummo mane?

Non majoris videtur conditionis Amamæ reprehenſio, quam Vulgatæ noſtræ ad verſiculum 7. hujus Cap. rigidus ille Cenſor inſtituit contendens non: *Nullus per ſe apud te innocens eſt* ut Vulgata; ſed: *Nocentem judicando, non judicabit innocentem* ut in Hebræa eſſe legendum. Verba itaque Hebraica hæc ſunt נקה לא ינקה *venakeh lo jenakeh* = porro, ſcribit Fagius in hunc locum, quod ipſas voces attinet, verba ſunt ſecundæ conjugationis activæ apud Hebræos, & נקה *nakeh* eſt infinitivus, & ינקה *jenakeh* eſt futurum, unde & ſic redditur: *& innocentando non innocentabit*, vel *abſolvendo non abſolvet*: Nonne ſenſus optimus erit ſi dixerimus: & eos, quos innocentes facit, non eſſe ante eum prorſus innocentes, eo ferme pacto, quod dicitur Jobi 4. v. 17. = *Nunquid homo Dei comparatione juſtificabitur*: & v. 18. *& in Angelis ſuis reperit pravitatem*. Aliæ ſiquidem hiſce verbis expoſitiones ab Auctoribus tradi ſolent; nos autem contenti ſumus naturali, & obvia interpretatione, quam legimus in Vulgata noſtra, quæve cum verſione Hieronymiana perfecte congruit.

Ad verſus autem 15., & 20. hujus Cap. nullius ferme momenti ſunt variantes inter Vulgatum, & Hebraicum textum; habet enim Hebraicus *ſacrificabunt*, noſter vero *adoraverint*: quod idem eſt cum ſacrificia in ſequentibus verbis exprimantur ℣. 20. Hebræus legit: *decervicabitur*: noſter autem *occidetur*, ut habetur in verſione S. Heronymi, vocem hebraicam וערפתי *vaharaphtte* vertunt alii *decollabis*; alii: *Malleo cervicem confringes*: Symmacus: *interficies*: Hieroſolymitanus: *occides*. Videat Sixtinus num in Vulgata ſatis veritas ſenſuum habeatur. (W)

(32). Sola S. Hieronymi auctoritas ſatis profecto eſt ad revincendos Vulgatæ noſtræ adverſarios, quod legitimam habeamus verſiculi 29. Capitis 34. Exodi translationem ex Hebræo. S. Doctoris teſtimonium a Praſſenio profertur. Solum in præſenti ſubjungimus Hebræorum etiam Rabbinos aliquos, ſed præſertim Abenezram vocem illam קרן non *Karan*, ſed potius *Keren* fuiſſe interpretatum; hoc enim pacto

pacto apud Druſium ſcripſiſſe legimus = Porro verbum קרן ex derivatione קרנים *Kerenim*, ut ſumitur in Habacuc: *Cornua e manibus ejus ei*: Nam ita ſcriptum eſt initio: & ſplendor ſicut lux erit: & ecce dicit poſtea; *Cornua e manibus ejus ei*; eſtque ſenſus duplicatus juxta morem = Hinc Fagius legit Hebræum = Et Moſes ignorabat, quod in modum cornu radiaret cutis faciei ſuæ = Vatablus autem = Et Moſes non cognovit, quod in modum cornu radiaſſet = Et tandem Clarius = Quod radians quaſi cornuta eſſet facies ſua = eſt interpretatus.

Contra verſiculum 8. Capitis 35. Exodi mullitare pergit Sixtinus, quod in eodem legamus: *& ut conficiatur unguentum*: Cum in Hebræo; *Ad oleum unctionis &c.* ſcriptum ſit. Quis tamen ignoret oleum iſtud unctionis ex aromatum mixtura ad inſtar unguenti parari debuiſſe? videatur v. 23. Capitis 20. Exodi.

Vulgatum pariter ad v. 11. ejuſdem Cap. 35. Sixtinus *βωμίσκια* quod *paxillos* verterit; cùm in Hebræo legamus *columnas*. Codex Hieronymianæ verſionis revera *paxillos* habet; mirum propterea eſt Sanctum illum Doctorem inter duas haſce hebraicas voces יתדת *jethdoth paxilli*, & עמדים *hammudim* columnæ nullum diſcrimen agnoviſſe, vel admittere noluiſſe. Dicendus igitur potius in hoc verſiculo Vulgatus noſter unam paxillorum portionem recenſere voluiſſe, cum columnas, & aliam paxillorum partem verſu 17. deſcripſerit. Alii profecto paxilli columnarum erant, qui nimirum ad extremitatem columnæ infigebantur, alii vero, qui terræ confixi a ventorum violentia cortinas, & vela tabernaculi, vel tabulas ut placet Joſepho Lib. 3. Antiq. cap. 5. defendebant, cubitalis erat longitudo paxillorum, qui terræ figebantur, ſi laudato Hiſtorico fidem habeamus: cum igitur ex voce hebraica עמד *hammud*, quæ *ſtare*, hoc eſt *firmiter conſiſtere* denotat, ut Cartvvrightus obſervat, columnæ nominentur; paxilli etiam, in terram defixi cum idem præſtarent officium, quid mirum ſi ex voce *hammudim* paxillos vertit Interpres. Id tamen unum ſatis eſt nobis, quod in Vulgato noſtro cuncta reperiantur, quæ in hebræo, nec falſitas aliqua in eodem inveniatur eorum reſpectu, quæ fidem, mores, & ſinceritatem Hiſtoriæ reſpiciunt.

Quod autem ad v. 20. ejuſdem Cap. legamus in Vulgata *primitias* in hebræa vero *oblationes*, nullius momenti id habendum; cum omnibus ſit manifeſtum *primitiarum* nomine ſæpe ſæpius in ſcriptura quidquid Domino ſegregabatur in ejus oblationem ſignificari.

Ad verſiculum 3. Capitis 38. Exodi debacchari Sixtinus in Vulgatum non deſinit quaſi vim hebraicæ locutionis vel non attigerit, vel neglexerit, cum tamen ipſemet S. Hieronymus eodem omnino pacto ea verba fit interpretatus. De inſtrumentis Altaris videatur Fortunatus Scacchus Cap. 73. Myrothecii 2. Sacrorum Eleocriſmaton, in quo hiſce de rebus diſputat erudite.

Quæ ulterius ab Amama opponuntur Vulgatæ lectioni ad v. 8. hujus Cap. 38. in quo legimus: *E ſpeculis mulierum, quæ excubabant in oſtio tabernaculi*: cum cenſor legendum exiſtimet: *quæ turmatim conveniebant ad oſtium tabernaculi*: eo quod vox hebraica צבא *tſvah*, a qua derivatur vox illa textus הצבא *hatſabeoth turmam militum* ſignificet, nullius plane videntur momenti; quandoquidem, ut optime obſervat Schacchus cap. 7. Myrothecii 1., vox illa *tſvah more militari ſe exercere* ſignificat; quis neſciat modo militum eſſe *obſervare, excubare, turmatim procedere?* Mulieres itaque, de quibus in præſenti loquitur Vulgatus Interpres, quod vigiliis, & orationibus coram Domini Sanctuario ſeſe exercuerint, apud S. Lucam cap. 2. v. 37. legimus teſtimonium; Anna etenim Prophetiſſa de templo, quod non diſcederet, jejuniis, & obſecrationibus die, ac nocte quod operam daret a S. Evangeliſta narratur: Vatablus propterea, Fagius, & Clarius in hunc textum; & in v. 22. Capitis 2. Libri 1. Samuelis Vulgatæ noſtræ lectionem amplectuntur.

Adverſus lectionem Vulgatæ ad verſiculos 25., & 26. hujus Cap. inſurgit Amama nimis in expreſſionibus ſenſus legitimi eamdem coarctatam conclamitans; verum ſatis nobis eſt, quod in hiſtoricæ veritatis narratione haud quaquam deficiat.

Summa autem talentorum æris, quæ verſic. 39. hujus Cap. iſto exprimitur pacto; *Æris quoque oblata ſunt talenta ſeptuaginta duo millia, & quadringenti ſupra ſicli*: abundans exiſtimatur quam valde a Sixtino, ipſeque contendit cum Eugubino, & Cajetano duo eſſe interſerenda puncta poſt verbum *ſeptuaginta*: adeo ut legendum ſit: *talenta æris ſeptuaginta: duo millia & quadringenti ſupra ſicli*: omittimus modo in Bibliorum verſiones ſingulas menda irrepſiſſe in numeris deſignandis; unde plurium hujus generis deſcriptionum lectiones dubiæ, aut ſaltem omnino tutæ non ſunt quamcumque velimus amplecti verſionem. Ambiguitas certe major in Hebræis hodiernis codicibus ſe prodit quam in Vulgata noſtra in talentorum æneorum computatione recenſenda; quandoquidem ſeptuaginta æris talenta ſufficere non poterant ad baſes columnarum conſtruendas, de quibus Exodi 38. v. v. 10., & 12., nec non in aliis ſcripturæ locis. Si dixerim autem columnas æneas fuiſſe, quæ referuntur Exodi loco citato, ſufficient ne 70. talenta ad eaſdem conſtruendas? Modo Altare æneum, labrum cum ſua baſe pariter æneum, omnia Altaris inſtrumenta, atque paxillos atrii, & tabernaculi recenſeamus, de quibus profecto ſingulis in hebraica lectione fit mentio, ſatis ne erunt ſeptuaginta æris talenta ad illa omnia fabricanda? judicet Sixtinus. Sunt tamen Catholici Expoſitores, qui contendunt Vulgatæ noſtræ lectionem hunc in modum eſſe exprimendam, ſcilicet; *æris talenta oblata ſunt ſeptuaginta & duo millia, & quadringenti ſupra ſicli*: Solemne quippe eſſe ajunt apud Hebræos, ut numerus minor ante majorem recenſeatur; in hac ſiquidem lectione ſenſus eſt, quod talenta æris fuerint duo millia, & ſeptuaginta, quæ profecto ſumma, ſi omnia, quæ ex ære leguntur conſtructa inſpiciamus, quam valde non erit excedens. Quomodocumque interim ſe res habeat compertum eſt Vulgatæ lectionem ſaltem ad eum ſenſum reſtitutam longe veroſimiliorem eſſe, quam Hebraicæ verſionis modo exiſtentis.

Nihili pariter facimus, quæ obiicit Sixtinus ad verſ. 1. cap. 39. Exodi quærens qua de cauſa Vulgatus duplex veſtimentorum Sanctuario inſervientium genus non memoraverit? facile quippe intelligimus noluiſſe hoc in loco Vulgatum ea iterum enunciare, quæ abunde v. 19. Capitis 35. Exodi prædicaverat. (W)

Ex Libro Levitici.

§ I.

PLurima in Levitici, & Numeri Libris a Sixtino, aliiſque Verſionis Vulgatæ inimicis afficiuntur cenſura, quæ licet a Fraſſenio omiſſa penitus ſint; ad abſtergendas nihilominus in editionem noſtram injectas conſputationes Hæreticorum, breviori, quo poterimus calamo, ſaltem, quæ faceſſere aliquid in nos videntur negotii perſtringemus.

Verſu itaque ſecundo Capitis 1. Levitici perperam in Vulgata noſtra legi ait Sixtinus *de bobus, & ovibus*; cum vox צאן *tſon* gregem ovium, & Caprarum ſignificet. Verum genericum nomen aliquando pro una ſpecie uſurpari compertum eſt; ita Libri 1. Regum capite 25. vox eadem pro ovibus uſurpatur, prout a Capris diſtinctæ ſunt, cum legamus habuiſſe Nabal tria millia ovium, Capras autem mille. Jonathan etiam hoc in loco vertit *ex ovibus*. LXX. ἀπὸ τῶν προβάτων legunt; & tandem in Lexicis vox iſta *tſon* ad oves ſignificandas proponitur, Capra autem hebraice hac voce עז *hez* indicatur; utriuſque tamen ſpeciei pecudes ad hoſtias Domino offerendas fuiſſe idoneas clare tradit Vulgatus ad v. 10. hujus Capitis.

Verſiculi tertii lectionem carpit Sixtinus, quod verterit S. Hieronymus; *ad placandum ſibi Dominum*, cum in Hebræo habeamus; *pro voluntate ſua coram Domino*. Si tamen ipſum attendamus contextum congruentiorem eſſe Vulgati Translationem facillime revincitur; Monet enim Vatablus hic haberi ſermonem de victima, quæ in expiationem peccatorum offerebatur, ſequitur enim ſacer textus juxta ejus lectionem = *& grata erit illi*: nempe Deo, ut expietur ipſe, ideſt, ut proficiat illi ad expiationem. Alii vertunt *ad placandum*, vel reconciliandum illum, nempe Deum, quaſi dicat: hac victima red-

reddetur Deus illi propitius, & placatus = Conferantur modo hæc cum præcedentibus, & palam fiet num S. Hieronymi versio sit hebraica præsenti longe congruentior?

Ad v. 5, hujus Cap. extollitur a Sixtino variatio Vulgatæ nostræ ab Hebraica, cum tamen nullius ferme videatur momenti; sive enim legamus; *& spargent sanguinem super Altare circum*: cum Hebræa; sive: *fundentes sanguinem per Altaris circuitum* cum Vulgata; triplici modo utramque lectionem intelligi posse certum est: videatur Calmetus in Commentariis ad hunc locum.

Ejusdem fere momenti varietas habenda videtur, quæ ad v. 15. hujusce Cap. 1. Levitici adinvenitur; Hebraica siquidem lectio pressior est, sed minus forsitan exquisite cæremoniam describit; *Ungue secabit caput ejus, & adolebit super Altare*: legunt Hebræa. Vulgata autem; *Et retorto ad collum capite*, ac *rupto vulneris loco* &c. Contendit Sixtinus vox Hebraica מלק *malak ungue secare*, quod significat; nullamque mentionem in sacro hocce textu de *colli retorsione*, aut de *vulnere* prorsus haberi tuetur; quod & nos de hebraico præsenti textu fatemur sponte. Advertimus tamen incertum omnino esse an verbum illud מלק *ungue secare* significet; ut enim advertit Abenezra vox ista מלק non habet, ut ille ait, *fratrem* in scriptura, hoc est in sacro textu altera vox eidem consimilis non invenitur, = & ratio *secandi ungue* nata est ex verbis Cabbalæ, id-est ex traditionibus =. Hujus Rabbini testimonium non levem suspicionem inducit, quod plures in Hebraicis hujus temporis Codicibus insertæ sint voces, abrasis antiquis, quæ sensum juxta Rabbinicas traditiones exhibeant. Quidquid sit tamen Pagninus legit *contorquebit*. Rabbi autem David apud Drusium, modum mactandi aves in Sacrificio isto describens ait = alas itaque eorum ponebat inter duos digitos, & duos pedes inter duos digitos suos, & extendebat collum ejus contra ambos digitos suos & secabat ungue e regione cervicis &c. = Hac ergo de causa Vulgatus noster *retorsionis* mentionem habuit: Tandem Samaritana etiam, testante Drusio legit *reflectet*, idest *retorquebit*.

§. II.

AD Caput Secundum Levitici Eugubini auctoritate aliorumque suffultus Amama suam in Vulgatam nostram censuram extendit ad verba illa versiculi 14. & 16., & *confringes in modum farris: de qua adolebit Sacerdos partem farris fracti*, contendens in Hebræo nullam prorsus *farris* mentionem haberi. Si tamen LXX. Interpretes audiamus, vocem illam Hebraicam גרש *gereseh* per *far contusum* expoluerunt, ut Calmetus observat, in quo siquidem sensu etiam a Paraphraste Chaldæo intellecta videtur. Usum autem invaluisse ut ex farre contuso genus quoddam pultis seu polentæ conficeretur quæ panis locum obtinerent apud Orientales, & apud Hebræos ipsos, testis est Plinius Lib. 18. cap. 7. & ipsamet Sacra Scriptura pluribus in locis, sed præsertim Geneseos 19. v. 3. De modo itaque hanc faciendi oblationem Domino cum Moses isto in loco sermonem instituat, quid mirum si farris mentionem habuit in voce illa גרש? cum id præscriberet, quod in populo suo familiarissime fortassis in praxim deducebatur: Clarius propterea, & cum eodem Munsterus in ea versantur opinione, quod spicæ virentes igni torrerentur, grana deinde excutiebantur, & farris ad instar frangebantur, & ex illis deinde fiebat oblatio, quæ apud Hebræos מנחה *minchah* appellabatur. Hanc autem esse opinionem Hebræorum, minime intellectam ab Eugubino Munsterus subjungit.

§. III.

VErsiculi 2. Capitis 5. lectionem juxta Vulgatam nostram Sixtinus suæ non ambigit censuræ submittere, quod non satis ibidem Legislatoris voluntatem habeamus explicitam. Verum utriusque versionis textum comparemus ad invicem; Hebræa legit: *Anima, quæ tetigerit ullam rem immundam, aut cadaver fera immundæ, aut cadaver bestiæ immundæ, aut cadaver reptilis immundi* &c. Vulgata autem hoc pacto legem istam proponit: *Anima quæ tetigerit aliquod immundum; sive quod occisum a bestia est, aut per se mortuum est aut quodlibet aliud reptile*. &c. facile unusquisque dignoscit, quod versio Hebraica non parum cum versionis nostræ lectione concordat; nostra tamen id exprimit clarius, quod ad morticina tam mundi, quam immundi animalis spectabat, ut expositores tuentur; immundum quippe cadaver animalis mundi decretum erat Hebræis, etsi a bestia occisum foret; quod silet Hebraica versio; de cadaveribus autem animantium mundorum, quæ per se mortua erant cautum est Levitici Cap. XI. præter ea, quæ hoc in loco traduntur.

Versiculum etiam 15. hujus Capitis 5. vellicare Sixtinus non desinit, quod juxta vulgatæ lectionem habeat: *Anima si prævaricans cæremonias*, &c. In Hebræo autem textu: *Anima cum prævaricata fuerit prævaricationem*, &c. Nullamve cæremoniarum ibidem haberi mentionem adfirmat; subjungens ulterius, quod perperam Vulgatus numerum siclorum hoc in loco decrevit, cum in Hebræo indefinite legatur: *Arietem perfectum . . . . cum æstimatione tua argento siclorum*. &c. Si tamen hujusce modi Amamæ oppositiones sine præjudiciis atteudantur; longe minoris invenientur roboris, quam ipse opinabatur. Bis commemorat Legislator delicta, quæ committi poterant ex errore, vel ignorantia; in hoc versiculo 15. scilicet, & in versu 17. qui sequitur; ibi de peccatis contra præcepta Dei expresse loquitur; hic ergo in versiculo 15. de alia peccatorum specie fiebat sermo, ut per se patet; quid ergo commisit Vulgatus, si prævaricationes speciales ibi recensuit, quæ scilicet contra sacros ritus, & cæremonias in sacrificiis servandas committi poterant; cum de cæteris peccatis in genere versu 17. sit locutus? clarior ergo Vulgatæ nostræ lectio nec minus vera, quam Hebraica adinvenitur.

Circa siclorum numerum, sunt qui rentur S. Hieronymum legisse שקלים *Schkalaim* duobus *siclis*, pro *Schkalim* in plurali. Eam S. Hieronymi lectionem retinent Fagius, & plurimi Rabbinorum, ut Drusius animadvertit, & ipsemet Amama confitetur, quamvis malit non definiri hujusmodi pretium; Abenezræ tamen lectionem non improbat, qui legit; *Siclis ad minimum duobus*.

§. IV.

QUÆ adversus lectionem alicujus versiculi Capitis 6. proponit Amama nullius ferme inveniuntur momenti. Satis est nobis, quod in S. Hieronymi versione eodem legatur modo, quo in Vulgata hodierna, cujus quidem S. Doctoris fidelitati, & Doctrinæ fidere omnino possumus.

Ad versum 14. Capitis 7 eamdem cum Steucho cantilenam proponit de voce *primitiis* pro *oblatione*. Verum non semel jam diximus *primitiarum* nomine non aliud, quam sæpe intellexisse Vulgatum nostrum, nisi quod in Dei oblationem separabatur; idem ergo omnino est si dicamus *pro primitiis; pro oblatione*, sive *in oblationem*. Idipsum intelligimus de aliis vocibus *ignitiones* pro *oblationes cæremoniæ* pro *oblationes*, vel *ritus offerendi*.

Querelas in Vulgatum nostrum pro ejus versione ex Hebraico versiculi 9. Capitis octavi Levitici, in quo scripsit: *laminam auream consecratam in sanctificatione*, effundit Sixtinus, cum Hebræa legant: *laminam auream coronam sanctitatis*. Omittamus quoscumque Vulgatæ defensores Catholicos, & ab Amamæ sociis patrocinium exquiramus. Drusius in notis Majoribus ad versum 6. Capitis 29. Exodi scribit = Diadema sanctum, hæc est lamina, inquit R. Salomon. Eadem ergo corona cum lamina: ideo ergo non male ad sensum S. Hieronymus; *& laminam sanctam*: Græci τὸ πέταλον vertunt, *laminam* nempe, vel bracteam. *Laminam* legit Clarius ad ℣. 36. Capitis 28. Exodi. Eodem modo Munsterus, & Fagius legunt, qui pariter advertunt eam laminam postea fuisse appellatam *Diadema*, seu *Coronam*. Grotius tandem ad versum sextum Cap. 29. Exodi ait vocem illam נזר *nezer*, quæ coronam significat, *laminam* hoc loco esse explicatam ex collatione aliorum locorum. Videat ergo Sixtinus, cujus indolis sint, quas in Vulgatam proponit, obje-

objectiones. Quæ ad nonnullos versiculos Capitis 9 & 10. hujus libri redarguit Sixtinus eamdem ferme cum Hebræa sententiam exprimunt; versus tamen 17. Capitis 9. in Vulgata nostra videtur discrepare non solum ab Hebraica, sed insuper oppositum omnino sensum præseferre, cum illa hoc pacto legat: *Obtulit & mincham, implevitque manum suam ex ea, & adolevit super Altare prater holocaustum matutinum*. Nostra autem Vulgata: *Addens in sacrificio libamenta, qua pariter offeruntur, & adolens ea super Altare absque cæremoniis holocausti matutini*. Mutilam esse conqueritur Amama versionem nostram in primis; cum in eadem verba illa *implevitque manum suam ex ea* (Mincha) desiderentur. Verba autem ista *absque cæremoniis holocausti matutini* videntur holocaustum illud excludere, cum tamen lege cautum esset, ut nunquam omitteretur: vertendum igitur erat, inquit Censor: *absque omissione holocausti matutini*. Utramque nihilominus accusationem explodere facillimum est: nulla in primis necessitas est hoc in loco verborum: *implevitque manum suam ex ea*, cum mera prorsus repetitio eorum sit, quæ Capite secundo Levitici dicta sunt de ritu offerendi sacrificium *Mincha*. Præpositio autem *absque* non semper in sacris literis sensum exclusionis exhibet, cum sæpe sæpius additionem significet, non minus quam præpositio *prater* Lib. I. Regum Cap. 21. ℣. 9. legimus: *Ecce hic gladius Goliath..... neque est hic alius absque eo*: idest *prater eum*. Lib. 3 Regum Cap. 5. ℣. 15. scriptum est: *Fueruntque Salomoni septuaginta millia eorum, qui onera portabant..... absque Prapositis* &c. Oseæ tandem Cap. 13. ℣. 4. *Ego autem Dominus Deus tuus.... & Deum absque me* (idest *prater me*) *nescies*; ut legit S. Hieronymus in sua versione ex LXX. Non igitur per præpositionem *absque* hoc in loco holocaustum matutinum explo-ditur.

§. V.

AD Caput 11. Levitici Cajetani suffultus auctoritate Sixtinus lectionem versiculi 3. in Vulgata nostra redarguit, eo quod habeat: *Omne animal, quod habet divisam ungulam &c* Cum in Hebræo: *omne animal dividens ungulam, & findens fissuram ungularum &c* legamus; quæ siquidem lectio, ait Censor, longe diversa est, cum animantia reperiantur, quæ divisionem quamdam in ungulis habent, ut Camelus, Ursus &c. nec tamen erant sacrificiis idonea, quod ungulas per totum non discissas, sed in parte superiori solummodo retinerent. Quis modo non viderit cavillis potius quam argumentis Vulgatæ nostræ interpretationem lacessiri? Verbum *divido* non separationis signum, sed veram partium separationem significat. Verum satis clare legis integritatem cognoscimus in Vulgata, per ea, quæ versiculo 4. immediato verba leguntur, quibus Camelus nominatim, & alia eidem similia a sacrificiis animalia removentur; animantia autem, que superiori ungulæ parte aliquam divisionem habere videntur, non unguem divisam, sed sulcatam potius habere a Latinis dicuntur.

Vulgatus noster ad versiculum 5. hujus Cap. flagellatur ab Amama, quod vocem hebraicam שפן *saphan* verterit *Chærogrillus*; cum tamen *Cuniculum* significet, ut Cajetanus, Lyranus, & Benedictus tuentur. Alii tamen Interpretes voce illa Hebraica comune quoddam, seu genericum nomen exprimi observant, quod variis fugacibus, ac latitantibus convenire animalibus tradunt. Hujus opinionis fuisse S. Hieronymum comperimus in ejus *de nominibus Hebraicis* libro in *Hieremia*, ubi per vocem *safan* Chœrogrillum, leporem, & hericium significari adfirmavit.

Non magis erroris revincit Amama Vulgatum nostrum ad hujus Cap. versum 13: in quo vocem hebræam פרס *peres gryphum* interpretatus est, cum potius *accipitrem* significet. Munsterus tamen, & Fagius varias esse scriptorum opiniones circa germanam illius vocis significationem animadvertunt. Non pauci avem a Mose hoc loco indicatam, quamdam Aquilæ speciem esse arbitrantur, quæ maxime aduncum rostrum, & ungues habeat, maximeque sit rapax, quibus adstipulantur Junius; & Bochartus de aquila nomen *gryphi* intelligentes, que *ossifraga* nuncupatur; Hæc igitur cum ita sint, cur tam audacter S. Hieronymi versionem objurgant?

Ejusdem prorsus generis inveniuntur objecta ex Steucho desumpta, & in Vulgatum a Sixtino detrusa ob ejus translationem vocis קאת *Kaath* in *Onocrotalum*, cum in pelicanum, vel plateam verti debuisset in versu 18. hujusce Capitis. Vox enim illa Hebraica ex verbo קיא *Kaah vomere* derivatur, quod quidem soli convenit pelicano, qui stomachum cibo repletum vomitu exonerat. Plura, quæ dici possent omittimus, addentes solummodo ex Gesnero Lib. *de avibus in Onocrotalo*, quod animal istud speciem pelicano congenerem præsefert. Clarius tamen rem nostram S. Hieronymus Comment. ad ℣. 7. Psalmi 101. videtur conficere scribens = Duo genera dicuntur esse horum volatilium, loquens de pelicano; unum in aquis est, & esca ejus pisces sunt: & unum in solitudine, & esca ejus venenata animalia, hoc est serpentes, & cocodrilli, & lacertæ. Dicuntur autem ista volatilia latine Onocrotali = latis prorsus ista videntur ad Amamæ querimoniam refellendam.

Ad ℣. 19. hujus Cap. versionem S. Hieronymi Drusius, & Sixtinus insimulant, quod vocem hebraicam אנפה *anapha Charadrion* sit interpretatus, & quod hæc ulterius subjunxerit verba *juxta genus suum*, cum sit compertum ex Gesnero, quod nullas habeat species Charadrion; vertendum igitur est *Ardeam* pro *Charadrion*, inquiunt. Ast quis non videat Vulgatæ Censores nimium Gesneri auctoritati deferre? Nonne vox illa hebraica *Anapha* avem furibundam, & violentam exprimere potest? quinimmo Rabbinorum plures vocem illam de milvo quodam facile ad iram exardescente interpretantur. Alii denique ajunt avem istam Charadrion esse appellatam a Charadris, idest præruptis, & cavernosis riparum locis, in quibus degit. Elianus lib 15. Cap. 26. Charadrion esse ait volucrem illam, quæ Græcis alio nomine, & a Latinis Galbalus, ut ait Plinius lib. 30. Cap. 11. nuncupatur. Dicat modo Sixtinus an sit necesse *Ardeam* pro *Charadrion* substituere?

Eadem prorsus adser ione præcipiti male translatas ex hebraico adfirmat Sixtinus ad Versum 22 hujus Cap. vocem istam חרגל *Hhargol Ophiomachus*, & adversum 29. vocem alteram צב *tsab*, *Crocodilus*. Hhargol enim species locustæ quidem est, sed absit omnino, quod cum serpentibus dimicet. *Tsab* autem ranam campestrem significare potius debet, cum Crocodilus ne exculentus quidem esse possit: ita ferme ex Eugubino Sixtinus. Hujuscemodi oppositiones quam levis sint momenti unusquisque dignoscet si Rabbinos ipsos audire non pigeat, qui genus quoddam locustarum admittunt cum serpentibus dimicantium, earum meminere Hesychius, Suidas, & Plinius, quare ergo tam facile in Vulgatum nostrum debacchantur ejus adversarii? Duo pariter esse Crocodilorum genera terrestre scilicet, & aquaticum apud Naturalistas est in comperto. Crocodili terrestres longe minoris sunt molis, quam aquatici, floribus flagrantissimis vescuntur; de istis loquitur Dioscorides lib. 2. eosque scincos appellat; Plinius pariter lib. 28. cap. 8. eosdem commemorat Istos autem Crocodilos in cibum ab Syriis fuisse adhibitos testatur S. Hieronymus lib. 2. contra Jovinianum. De isto itaque Crocodili genere LXX. interpretati sunt.

Ad versiculum tandem 42. hujus Cap. vapulat a Sixtino Vulgatus noster, quod verterit: *Quidquid supra pectus quadrupes graditur*, cum in hebraicis habeatur exemplaribus: *Quidquid graditur supra pectus, & quidquid incedit super quatuor*: unde permixta esse, atque confusa in Vulgata nostra, quæ in Hebræa distincta sunt censor adfirmat: Neque enim, ait, omne gradiens super pectus pedes habet, & quadrupes est. Quam inutilis oppositio! versu 41. præcedenti Vulgatus ab escis licitis, & mundis id omne, quod reptat super terram, tanquam abominabile exceperat; cur igitur reprehenditur vulgati lectio, quasi confusione permisceat, quod in Hebræa distinctum est? In ℣. autem 42. ea in Vulgata designantur animantia,

tia; quæ licet quatuor pedes habeant, ejus tamen sunt brevitatis, ut pectore, & ventre super terram repere videantur; hujus generis scorpiones habentur, & scharabæi. Nonne igitur in Vulgata nostra plusquam satis cibi Judæis prohibiti narrati sunt? Non erit propterea hucusque in vulgata nostra aliquis textus, qui legitimum, atque integrum sensum non præseferat.

§. VI.

UNicum Capitis 12. Levitici locum in Vulgata nostra Sixtinus reprehendit, versiculum nempe secundum hoc modo a S. Hieronymo translatum ex Hebræo: *Mulier si suscepto semine peperit masculum &c.* cum potius vertendum contendat: *Mulier si semen dederit*, vel *seminificaverit*: verbum quippe hebraicum זרע *zazria semendare*, vel *seminificare* significat. Optime ajebat olim S. Hieronymus = Qui inimicus est etiam in scirpo nodum quærit = Ea multa in primis omittimus, quæ tum a veteribus, cum a recentioribus traduntur Interpretibus de hac loquendi phrasi a spiritu sancto adhibita, ut sanctam Jesu Christi Genitricem lege ista non obligari significaret, utpote quæ nullo suscepto virili semine Dei Filium esset paritura. Adversarios itaque Vulgatæ nostræ ex comuni, naturalive loquendi modo refellere non diffidimus. Quid in rei veritate sibi vult *seminificare*, vel *semen dare*? Forsan illud ex se eiicere? hoc maris est non fæmellæ. *Seminificare* profecto est *fœcundam fieri*; *fœtum concipere*, *germinare*, idem propterea est si dixerimus: *Mulier si suscepto, vel concepto in utero semine*, vel *fœtu*, vel *prole*; ac si dicamus: *Mulier si seminificaverit*. Semen utique loco prolis in scriptura usurpari quam sæpe evidens adeo est ut id exemplis demonstrare non sit necesse; hinc Jonathas, & Onkelos verbum illud hebraicum *zazria conceperit* reddunt; est enim verbum istud in Hiphil activum, ut Drusius notat, unde est idem ac *seminare facio*, quod & σπερματίζω aliquando significat, idque de iis usurpatur, qui filiis operam dant, & *gignere* denotat.

§. VII.

EX Capite 13. Levitici plura recenset Sixtinus a Vulgato Interprete commissa, quorum præcipua memorabimus. Versus itaque 3. in quo legimus: *& ad arbitrium ejus separabitur*: ineptam continere versionem dicitur ab Amama, cum vox hebraica ונמא *timme*, *contaminabit*, seu *lepra contaminatum* declarabit sit vertenda. *Contaminabit eum* legebat Itala antiqua. Verum in Vulgati nostri lectione sensus legitimi veritas æquali modo percipitur, cum nemo a populo ob lepræ maculam separari posset nisi immundus a Sacerdote proclamaretur; exprimit igitur sententiæ executionem Vulgatus, quæ ad effectum mehercle perduci non poterat, nisi prius esset prolata.

Lectio pariter Vulgatæ nostræ ad ℣. 31. hujusce Cap. reprehenditur ab Amama tanquam hebraicæ veritati contraria; in ea quippe legimus: *& pilus niger non fuerit in ea*: in vulgata autem nostra: *si autem viderit.... Capillum nigrum* &c. Decipi tamen Sixtinum, atque negationem in Hebraica existentem esse auferendam satis aperte contextus sacer demonstrat; nigri enim capilli sanitatis indicium sunt; sicut ab oppositio albescentes, aut flavescentes lepræ dabant argumentum, hinc versiculo immediate sequenti adjungitur: *si capillus sui coloris est &c.* Naturalis itaque color, niger videlicet, indicat sacer textus ad ℣. 31. quod esse debebat in capillis hominis de lepra suspecti, qui propterea includebatur; unde particula negans in textum potius Hebraicum perperam intrusa fuit.

Redarguit Amama erroris Vulgatum nostrum ad ℣. 49. hujus Cap. quod verterit vocem Hebraicam ירקרק *jarok jarok alba*, cum subviridis esset vertenda. Omittimus eam inter Hebræorum grammaticos controversia de vera significatione vocis duplicatæ: num scilicet diminutionem importet, vel augmentum; num scilicet per vocem illam viridem tenuem, vel viridem maximum denotet hebraica lectio, cum indefinita sit adhuc inter Rabbinos disceptatio; hac de re videatur Drusius in hunc Levitici locum. Quod rem in ancipiti maxime ponit est versio LXX. in qua legimus χλωρίζουσα *virescens* nimirum, vel *pallens*, nam χλωρίζω etiam *palleo* redditur. Rabbi David cognomento Camius in libro Radicum tradit vocem illam prædictam, esse nomen coloris crocei, unde Jeremiæ 30. ℣. 6. legimus = versæ sunt omnes facies לירקון *le jerakon* in pallorem; pallor autem ad album potius deficit, quam ad viride. Non igitur maximi videtur erroris argui posse S. Hieronymus, si voce *alba* usus fuit; ultra quod incertum sit an antiquissimi codices Hebræorum a S. Hieronymo attriti vocem istam præseferrent.

Ad Capitis hujus versum 55. vulgatæ nostræ lectionem his verbis conceptam: *Eo quod infusa sit in superficie vestimenti*, vel *per totum lepra*: reprehendit Sixtinus, quia nil est in Hebræo, inquit, quod huic voci vel *per totum* respondeat. Videamus tamen quomodo Hebraica legant, ipso fatente Censore exemplaria: *Defectus* (lepræ) *est in loco calvo ejus aut in loco recalvo ejus*: Hæc de veste dicuntur: quæ si in nostra haberentur vulgata, quomodo se temperaret Sixtinus? Ad rem nostram quod attinet certum est locutionem hebraicam prorsus metaphoricam esse; & sicut per calvitium totam intelligunt superficiem capitis per recalvitium autem solam anteriorem partem circa frontem; ita ad exprimendam anteriorem, & interiorem vestis superficiem ea phrasi usi sunt hebraici scriptores; istum profecto sensum hebraicis verbis omnes ferme tum Rabbini, cum Christiani Commentatores, & Interpretes tradiderunt; si ergo a Sacerdote lepra observanda erat; & in utraque vestis parte si deprehendebatur diffusa, jam igni destinanda erat; nonne idem est, ac si dicamus: & si per totam vestem, idest in utramque vestis partem infusa sit, comburatur vestis? Videat quisque nullum prorsus esse in sententia discrimen, sed clariorem in nostra Vulgata locutionem haberi.

§. VIII.

NOnnulla Capitis 14. Levitici loca suæ submittit Censuræ Sixtinus; quorum primum ad ℣. 22. esse contendit, cum in eodem a Vulgato Interprete hæc verba: *quodcumque apprehenderit manus ejus*: omissa sint. Cui quæso eadem erunt necessaria, postquam in Vulgata dictum est: *Quod si pauper est, & non potest manus ejus invenire quæ dicta sunt, pro delicto assumet agnum.... duosque turtures, sive duos pullos Columbæ, quorum unus sit pro peccato, & alter in holocaustum* = Nonne per hæc verba satis intelligimus, quod possit offerre vel turtures, vel columbæ pullos; quos scilicet ex eis habere poterit? Non ergo necesse est ut in sacro textu post verbum columbæ, alia verba: *Quodcumque apprehenderit manus ejus* interponantur.

Versu 31. nonnulla in vulgata nostra verba deesse Sixtinus conqueritur; quorum tamen defectus, aut historiæ veritati, aut sensuum integritati obesse suadere non poterit. Quod autem versiculo 34. legamus in nostra: *Si fuerit plaga lepræ: pro si posuero plagam lepræ* nil facit ad rei veritatem, quidquid sit de Emphasi majori, quam præsefert Hebraicus textus. Certum siquidem est Vulgatæ nostræ lectionem ad lepram quamcumque respicere, sive a Divino indignante Numine in culparum vindictam in Judæorum domibus poneretur, sive a causarum naturalium produceretur influxu. Non prorsus certum quippe est semper a Deo vindice plagam lepræ esse repetendam.

Intolerabile pariter censet, quod Vulgatus ad ℣. 53. hujusce Capitis verbum hebraicum כפר *chipper* per verbum *ore* reddiderit, cum pro domibus orare non contingat, sed easdem expiare necesse sit. Apud antiquos tamen *expiare*, *mundare*, & *exorare* unum idemque significasse compertum satis est; in ℣. etenim 16. Capitis 16. Levitici ubi Vulgatus noster legit: *& expiabit sanctuarium ab immunditiis*: legebat S. Augustinus quæst. 53. in Levit. *& exorabit pro sanctis ab immunditiis*: & versu 20. ejusdem Cap. legit quidem Vulgatus noster: *postquam emundaverit sanctuarium*: Hesychius tamen in Leviticum habet = definietque exorans sanctum, & tabernaculum testimonii, &

Altarium &c. = Versiculo pariter 6. ejusdem Cap. ubi legimus in Hebræo כפר vertit Vatablus = & expiationem faciet, hoc est, & *orabit*. Denique in sacrificiis expiationis interpositas fuisse a Sacerdote orationes quasdam ad Dei pietatem interpellandam constantissima est Hebræorum traditio, ut refert Munsterus, qui ad Caput 16. Levitici earum precum formulas exhibet.

Perperam non minus adfirmat Amama verba ista; *& in varias species coloribus immutatis*: esse redundantia in ℣. 55. Capitis 14 Levitici; quandoquidem ibidem veluti in Epilogo lex circa lepram sancita refertur, lepra autem non solum maculas lucentes, sive albas; sed etiam aliorum colorum producebat in cute, ut ex Cap. 13. Levitici convincitur.

§. IX.

Quæ Sixtinus ad Caput 15 Levitici sua confodere nititur censura, ejusdem ferme reperiuntur conditionis, ac præcedentia. Tres præsertim in hoc Cap. Vulgatæ nostræ criminantur interpretationes. Prima in ℣. 17. continetur, in quo siquidem verba ista שכבת-זרע *schachabath-zerah*, *semen*, *coitus* male apposita esse contendit, cum ibidem de involuntaria pollutione nocturna sit sermo. Secunda Vulgati interpretatio est in ℣. 18. in quo solam mulierem aqua lavandam scribit, cum tamen in Hebræo tam vir, quam mulier lotione mundandi jubeantur. Tertia ad ℣. 31. est, ubi vox illa והזרתם *vehizzarthem* perperam *docebitis* esse versam ex Cajetano adfirmat, & Benedicto. Quarto denique loco Sixtinus conqueritur quod Vulgatus noster nonnulla ad versiculos 18. 23. 26. 32. & 33. negligenter omiserit quæ tamen in hebraica veritate leguntur. Facile nimis ne præcipiti dicam judicio prædictos Vulgati textus carpere est aggressus Amama. Non satis in primis evidens est de qua seminis emissione ibi Legislator sermonem instituat: nos de actu conjugii locutum ex eo revincimus, quod in sequenti ℣. 18. mulierem etiam, cum qua vir ille concubuerit eidem legali immunditiæ subiiciat; pœna deinde viro inflicta ejus est conditionis, ut nequaquam immunditiam ex nocturna involuntaria spermatis effusione contractam indigitet; hujuscemodi quippe immundi extra castra per totam diem, ultra vestium ablutionem, egredi tenebantur; cui quidem pœnæ non addicitur pollutos, de quo sermo in hoc ℣. 16. Levitici habetur LXX locum istum divini textus κοίτου σπερματος reddidere; nempe, ut legebat S Augustinus Locut 38. de Levit. *concubitus seminis*, hoc est *semen concubitus*; κοίτη quippe non solum *cubile* sed etiam *concubitus* vertitur, cum apud Apostolum legamus κοίτην ἔχουσα nempe concipies, sive, ut Drusius ait *concubitum habens*.

Secunda pariter nostri Interpretis versio integerrima reperitur, cum nulla compelleretur necessitate in ℣ 18. viri lotionem iterum constituere, cum satis in ℣. præcedenti 16. eamdem promulgaverit.

Tertia Vulgati interpretatio ad ℣. 31. hujus Capitis non minus veritati congruens reperitur, quam cæteræ. Omittimus plura, circa vocem illam Hebraicam *vehizzarthem* apud Criticos sacros jam dicta: Drusii tantummodo versione contenti simus: legit itaque *separabitis*, vel potius *facietis ut separent se ab immunditiis*. LXX. legunt καὶ ευλαβεῖς ποιήσετε *abstinentes facietis*, seu *verecundos*, *timoratos*, *religiosos facietis*. S. Hieronymus Lib. 3. in Epist. ad Galat. *verecundos*, vel *reverentes facite* scripsit; & Lib. 1. contra Pelag *Timoratos facite*. Quonam pacto Sacerdotes separabunt, vel separatos facient ab immunditiis filios Israel, nisi admonendo, exhortando, docendo? Optima erit igitur Vulgati nostri interpretatio = *docebitis ergo Filios Israel, ut caveant immunditiam* = quo siquidem pacto vertit S. Hieronymus in sua ex hebraico textu interpretatione. Quæ tandem in versiculis a Sixtino laudatis dicuntur omissa, in hujus Capitis contextu satis expresse leguntur, ut per se patet

Versiculo primo Capitis 16. Levitici clamitat Amama Vulgatum nostrum *ignis alieni* meminisse, cujus nulla extat in Hebræis fontibus memoratio. Cur quæso Caput 10. hujus Libri consulere non dignabatur Sixtinus, in cujus versu primo habentur hæ voces אש זרה *esz zar*, *ignem extraneum* seu *alienum* qui a Filiis Aaron in Thuribulis positus dicitur? Quod autem subjungit ad hujus Capitis versum 3. male a Vulgato versum esse: *Ne ingrediatur sanctuarium ... Nisi hæc ante fecerit &c.* cum in Hebræo habeamus: *cum hoc Aaron ingredietur sanctuarium cum juvenco filio bovis*. Hanc Censoris oppositionem Drusii expositione confoditur = Sine his, scribit Drusius, vel nisi hæc ante fecerit non intrabit = Quis sane non videat unum, & idem esse sive dicamus = cum hoc ingredietur = sive = absque hoc non ingredietur =? Quæ autem addita, vel detracta ad versiculum 11. & sequentes ab Interprete nostro adfirmat Sixtinus, nullius esse objicis ad divinam veracitatem in Vulgata nostra prorsus habendam certum est, ut ex textuum collatione revincitur.

Unicum in Cap. 18. Levitici redarguendum invenit ad ℣. 18. Vulgatæ nostræ textum Sixtinus, ubi legimus: *Sororem uxoris tuæ in pellicatum illius non accipies*: contenditque nullum in Hebræa *pellicatus* apparere vestigium, cum in eadem legamus tantummodo = Mulierem ad sororem ejus non accipies ad affligendum =.

Vox quidem hebraica צרר *tsarar* proprie *ligare*, adeoque *angustiare* significat. Optime quidem: sed hujus sententiæ legitimum, clarumve sensum quoties investigare velimus, in vulgata tantummodo nobis erit obvius. Nonne fatentur Hebræi omnes hoc in loco vetitum Judæis intimul duas sorores sibi in uxores adsciscere, quod secunda primæ, & viciffim angustias, vexationes, zelotypiam, aliaque id genus esset effectura? quæ tamen omnia inter sorores evitanda cum forent, ideo cavendum lege necesse fuit ne una soror ad eumdem cum altera talamum consociaretur. Thalami maritalis socia, *pellex* a Latinis dici consuevit, hinc non viri, sed mulieris pellices, concubinæ dicebantur, ut patet ex Sallustio in Ciceronem, dum inquit: *filia, matris pellex*: nec non ex Cicerone ipso in Cluen, *uxor generi, noverca filii, filia pellex*: En ergo quam facile, quam clare S. Hieronymus hunc scripturæ textum interpretatus est per illa verba, quæ in Vulgata nostra leguntur.

§. X.

Non pauca ad Caput 9. Levitici Sixtinus redarguit in Vulgata nostra, quæ tamen inconcussa adhuc persistere breviter demonstramus. Ad ℣. 5. in primis ea verba: *ut sis placabilis* impetit, cum juxta Hebraicam veritatem *secundum beneplacitum vestrum sacrificabitis illud* sit legendum. De hujuscemodi versione superius jam diximus; nunc id solum adjungimus, quod hunc in locum scribit Fagius non admodum Sixtino suspectus = Alii ita legunt: *pro acceptatione vestri offerte illam*: quasi dicat: si vultis offerre sacrifi„ cium pacificorum, ita debetis offerre, ut sit ac„ ceptum, & gratum Domino: quod fiet si in „ conspectu Domini obtuleritis; si in primo, vel „ secundo die comederitis &c. & ad istam sen„ tentiam movit etiam eos, quod mox sequitur: „ *Quod si comedendo comedetur die tertio abomina„ tio est, non erit in voluntatem*, idest *non erit* „ *gratum* = Hæc Fagii verba non prorsus ineptam, immo congruentem quam valde S. Hieronymi interpretationem revincunt esse, maxime ex postremo, quem refert Hebraicæ lectionis contextu.

Ad ℣. 7. vapulat a Sixtino Vulgatus, quod verterit = *Profanus erit, & impietatis reus*: cum hebræa legat ולא ירצה *velo iratsah, & non placebit*. Drusius hoc pacto versum hujusmodi legit ex Hebræo = Quod si comedendo comedetur die tertio res detestanda erit; non acceptabitur = *Non acceptabitur*; profana ergo permanebit, & profanus qui eam comederit, fiet: *res detestanda erit*: detestandum itaque, & impietatis reum se constituet, quicumque ex illa comederit. Hanc scripturæ intelligentiam, & sensum, sequens in Hebræa versiculus confirmat, in quo comedens ex illa hostia iniquitatem suam portaturus & anima illa e

popu-

populis ſuis excidenda prædicatur. Hocce nonne eſt impietatis reum eſſe?

Opponit ad ℣. 17. quod nihil habeatur in Hebræa de modo arguendi, quem exprimit Vulgatus per hoc adjunctum *publice*, ſolum quippe in Hebræorum codicibus: *arguendo argue ſocium tuum*: ſcriptum eſt.

Quid ergo eſt, quod Druſio teſtante alii legunt: *libere argue*, vel *plane argue?* Vox iſta *publice* nequaquam correptionem coram multis indicat faciendam, ſed tantummodo non eſſe odium in cordis abdito ſervandum, at ſocio, & amico injuriam ab ipſo illatam eſſe patefaciendam, ut exponit Hiſcuni his verbis = ſi audiveris, quod pravus fuerit in te, ne ſervato ei odium in corde clandeſtinum, ſed arguendo argue illum dicendo: quare feciſti mihi ſic &c. = ſatis ex his, quo ſenſu S. Hieronymus vocem *publice* addiderit, quave de cauſa intelligimus.

Interpretationem pariter vocis Hebraicæ רע *reecha*, *amicum*, inſinulat Amama ad ℣. 18. cum *proximum quemlibet* abſolute ſignificet. Utrumque tamen æque per illam vocem *amicum*, nimirum & *proximum* eſt compertum ſignificari; quamquam apud Hebræos *amici* potius ideam ingerere conſueviſſe palam fiat ex Phariſæorum errore, qui illud extruxerunt axioma: ergo odiſſe licet inimicum; quod utique conſiſtere nequaquam poſſet ſi per vocem *reecha* proximum quemlibet intelligerent. Alibi autem de diligendo proximo, & etiam inimico divinus Legislator decretum ediderat.

Vulgatum noſtrum pariter rigidus Cenſor caſtigat quod vocem Hebræam נרשת *necherephet* verſiculo 20. *nubilis* tranſtulerit, cum proprie *deſponſata* ſonet. Hujus tamen vocis varias eſſe interpretationes animadvertit Abenezra apud Druſium in notis majoribus ita ſcribens = Cæterum dictio נרשת ſecundum opinionem plurium ſignificat *conteſtata*, ſive *per conteſtationem* promiſſa; & ſecundum meam ſententiam vox eſt ſumpta ex nomine חרפה *cherpah*, quod *ignominiam*, & *probrum* ſignificat, quoniam erat Ancilla, & Virgo, nec deſponſata; in hoc ſenſu ſi S. Hieronymus vocem illam vertit quodnam crimen admiſit? LXX. legunt σεφυλαγμένη ἀνδρὶ *reſervata viro*; ſive *promiſſa viro*; quam interpretationem fortaſſis ſecutus eſt Vulgatus, quamvis *nubilis*, hoc eſt *deſponſabilis* verterit pro *deſponſata*, cum optime noſceret apud Hebræos, quam ſæpe participia pro verbalibus uſurpari.

Ad hunc ipſum ℣. 20. vapulat Vulgatus noſter ab Amama, quod *vapulabunt ambo* tranſtulerit, cum ſola Mulier vapularet, ut indicat vox Hebraica בקרת *bikkoreth*, & altera תהיה *tihje*, *erit*, quæ genus indicat fœmininum.

Quam tamen incerta ſit hæc Cenſoris adſertio ex Druſii verbis convincemus. Scribit itaque in hunc locum = *Vapulatio erit*. Id Hieronymus olim „ vertit *vapulabunt ambo*, cui adverſantur omnes „ Interpretes Hebræi propter verbum תהיה quod „ fœmininum eſt; quaſi vero non poſſit referri „ ad nomen נערה, quod etiam fœmininum eſt, „ ut dicat, non *ipſa erit vapulatio*, ideſt vapu„ labit; ſed *erit vapulatio* ideſt pœna, qua ambo „ vapulabunt, videlicet tam vir, quam fœmina, „ & quidem vir eo magis, quod cum deſponſa„ ta alteri rem habuerit. Juvat hanc meam ex„ poſitionem verbum ſequens, *non mulctabuntur* „ *morte*, quaſi dicat: non afficientur pœna mor„ tis, ſed tantum vapulabunt loro bovino, ſeu „ taurino, quod proprie בקרת ſignificare putatur „ a nomine בקר, quo bucerum pecus ſignificant, „ Senes quoque ad hanc ſententiam interpretan„ tur ἐπιοχὴν ἴσχει αὐτοῖς, ſi enim aliter ſenſiſſent, „ vertiſſent meo judicio αὐτῇ (ipſi Mulieri), & „ non αὐτοῖς ipſis. = Omittimus interim quod Samaritanus de viro tantummodo vapulationem eſſe decretam adfirmet.

Ad verſum 23. omiſſa a Vulgato noſtro illa verba: *tribus annis* conclamitat Amama, quæ a LXX., & Chaldæo expreſſa fuere. Italam inſuper antiquam, quæ apud S. Ambroſium erat in uſu voculas illas habuiſſe adjungere poterat. Quid tamen inde? S. Hieronymus vel eaſdem omiſit, quod in ſuo Codice non haberentur; vel quod ſatis ex ſequentibus verſiculis divini contextus temporis intervallum, quo veluti immundi novarum arborum fructus eſſent habendi innoteſcerent.

Verſu pariter 25. tranſtulit Vulgatus: *Quinto autem anno congregantes poma &c.* Diverſimode profecto alii Interpretes vertunt; Fagius tamen lectionem iſtam amplectitur = & licebit vobis congregare fructum ejus = quæ cum noſtra vulgata maxime congruit. Tota hujus diverſitatis origo ex eo repetenda, ni fallor, quod Vulgatus verbum hebraicum הוסיף *hoſiph* ab אסף *aſaph congrego* deduxit; alii vero Interpretes ab יסף *jaſaph* derivarunt; hæc ultima ſiquidem *addere*, vel *augere* ſignificat. Quænam autem ſit alteri præferenda ex contextu haud difficile eruitur; nos ſancto Hieronymo in hebraica lingua præ aliis utique exercitato prorſus deferimus.

Graviter deliquiſſe ad ℣. 26. S. Hieronymum interpretando ea hebraica verba ולא תעוננו *velo tehonenu*, *nec obſervabitis ſomnia*, Sixtinus contendit; quamvis etenim varias eſſe Hebræorum expoſitiones circa vocem illam confiteatur; ullam tamen, quæ cum vulgato cohærere queat inveniri poſſe diffidit. Expoſitores tamen Catholici optime poſſe interpretationem Vulgati conſiſtere tuentur, quia Hebræum עונן *onen*, inquit Cornelius, generale eſt; & *aliquid oculis obſervare* ſignificat, unde *meonenim* vocantur obſervatores ſive temporum, ſive nubium, ſive ſomniorum, ſive avium; & quia augurium quod fit ex avibus hic immediate præceſſit, temporum vero, & aſtrorum obſervatio ſæpe eſt licita, hinc ſomniorum obſervatores hoc in loco perſtringuntur, quod familiaris, & frequens erat in multis ea, tunc temporis, ſuperſtitio. *Onen* vero apte ſomniis aptari poteſt, ſive radicem עין *hajin oculum* ſpectes, cum ſomnia, quaſi viſa nocturna ſint; ſive radicem ענן *hanan nubem* conſideres quia ſomnia, veluti nubes in aere ſunt phænomena in anima; hæc ferme Cornelius a Lapide.

Neque in rotundum attondebitis comam, nec radetis barbam cum ſit interpretatus S. Hieronymus ad ℣. 27. hujus Cap. caſtigatur ab Amama, quaſi ab Hebraica veritate longe defecerit, quæ tali modo exprimitur = non circumdabitis angulum Capitis veſtri, neque corrumpes angulum barbæ tuæ =

Legitimam nihilominus verbi divini intelligentiam exhibuiſſe Vulgatum noſtrum, hoc in loco ſatis compertum faciunt tum Hebræi, cum alii hujus textus Interpretes. Quid ad rei ſubſtantiam quod omiſerit S. Hieronymus voculam illam פאה *pheah*, *angulum*, ſi integritatem ſententiæ nobis expoſuit? In idolorum cultum ſolymorum habitatores in gyrum comam radebant, ut tradit Choerilus Poeta Græcorum vetuſtus, qui de eiſdem ſcripſit = ſquallidi vertice, abraſi comam in gyrum = Id Iſraelitis vetuit Legislator divinus; idemque expoſuit in ſua interpretatione S. Hieronymus Symmachi interpretationem fortaſſis ſecutus, quæ his erat verbis concepta ut ex Hyſichii Lib. 6. refert Druſius ὁ περιξυρήσετο κύκλῳ τὴν πρόσοψιν τῆς κεφαλῆς ὑμῶν; non radetis in circuitum aſpectum Capitis veſtri; nempe ut Clarius, & Fagius exponunt = Hebræi *angulos Capitis* vocant tempora, quæ ſentiunt non ita tondenda eſſe poſt aures, ut eorum raſura fronti æquetur, & Caput ſphæræ habeat figuram, Si hæc eſt vera ſacri hujus textus interpretatio, vel alia conſimilis, nonne ſatis a Vulgato noſtro expoſita fuit? Idipſum de aliis verbis: *nec radetis barbam*: dicendum fere eſt: qui enim ſint *anguli barbæ* diverſæ ſunt Hebræorum opiniones. Quidam enim angulos iſtos faciunt genam ſuperiorem, & inferiorem in dextro, & ſiniſtro latere; & finem barbæ ipſum mentum. Alii duos angulos labii pro *angulis barbæ* habent, inquit Fagius. Quidquid ſit denique de angulis, unanimi conſenſu Rabbini id unum adfirmant, ſcilicet prohibitum fuiſſe Judæis novaculam ponere ſuper faciem ad radendam barbam more gentilium, quod & in ſua verſione expoſuit S. Hieronymus.

Quidquid autem Sixtinus expoſtulet contra Vulgati lectionem ad ℣. 31. in quo *Magos* tranſtulit ex voce אובות *oboth*; quæ tamen *Pythones* ſignificat juxta plures Interpretes, non valde commovemur. Voce enim illa *oboth* proprie ſpiritum familiarem Ariolorum ſignificat; cum autem variis modis arte Dæmonis divinare ſoleant hujuſcemodi

præſtigiatores; hinc non ſolum Pythones, ſed alios quoſcumque Dæmonis ope utentes cavere Iſraelitæ juſſi ſunt.

Neque feliciorem ducimus Amamæ cenſuram in Vulgatæ lectionem ad ℣. 33. editam, qua corripitur Interpres noſter, quod verterit: *non exprobretis ei:* pro: *non opprimetis eum*. Compertum eſt, ut Fagius exponit ad ℣. 21. Capitis 22. Exodi, ab Hebræis verbum נה *jonah* bifariam uſurpari, & pro vexatione per verba, & pro vexatione per facta, ut dum aliquis alterum opprimit, vel ejus ſubſtantias auferendo, vel alia hujuſcemodi actione eum affligendo. Per verba autem vexationem fieri contingit cum aliquis alteri defectum quemdam obiicit; quam ſiquidem oppreſſionem ita declarant Hebræi = Non dicat aliquis peregrino (peregrini nomine proſelytum accipe) memento operum tuorum priorum. Et ſi filius fuerit peregrinorum non dicat ei memento operum Patrum tuorum = Hæc fere Fagius, qui ad ℣. hunc 33. Levitici ſubjungit ex R. Salomone, haberi hoc in loco ſermonem de vexatione, quæ verbis fit, ut cum quis ad aliquem dicit = Heri fuiſti idololatra &c. = Videat modo Sixtinus an jure Vulgatus noſter tranſtulerit hæc verba לא תוני אותו *lo tonu otho; ne exprobretis illum?*

Ultimo tandem loco Sixtinus Vulgatum redarguit in hoc Cap. ad ℣. 36. quod *juſtus modius, & æquus ſextarius* verterit, pro *Epha juſtum*, & *Hin juſtum*, ut habent Hebræa.

Quidnam mali ſi menſuram in Oriente cognitam, & Occidente indicavit Vulgatus pro *Epha*, & *Hin* inter Hebræos tantummodo uſitatis. Satis eſt, quod lege divina cautum fuit, indicaſſe; menſuras videlicet tum liquidorum, vini ſcilicet, & olei; cum aridorum, frumenti nimirum hordei, farinæ &c. ad æquam lancem eſſe tenendas: quod præſtitiſſe Vulgatum innegabile eſt.

§. XI.

LEvioris profecto ſunt roboris, atque momenti Amamæ oppoſitiones in Vulgatum noſtrum editæ ob nonnulla ex Hebræo interpretamenta, quæ præſtitit Capite 20. Primo itaque, locum quemdam verſiculi 4. aggreditur Cenſor, quaſi a veritate divini verbi Interpres noſter defecerit. *Quod ſi negligens fuerit populus terræ, & quaſi parvi pendens Imperium meum, dimiſerit hominem &c.* legit noſter. Hebræa autem verſio = Quod ſi abſcondendo abſcondat populus terræ oculos ſuos a viro illo &c. = Ex horum textuum collatione unuſquiſque dignoſcit unum idemque eſſe: *claudere oculos*, ſeu *connivere peccatori*, de quo præceperat Dominus, ut lapidibus obrueretur: ac *parvi pendere imperium Domini*; dum per negligentiam relinquitur impunis peccator ille, & contra præceptum Dei non occiditur.

Ad ℣. 5 cum habeat noſtra: *& omnes, qui conſenſerunt ei, ut fornicaretur cum Moloch*: legendum juxta Hebræam contendit = & omnes fornicantes poſt ipſum ad fornicandum poſt Moloch = vel ſaltem in noſtra emendandum erat, *ut fornicarentur cum Moloch*, ut non ſolum punientes fornicantem poſt Moloch lege iſta perſtringerentur, ſed quotquot inſuper ad colendum Idolum illum declinabant. Hæc tamen ſatis expreſſa ſunt a S Hieronymo per illa verba *omnes, qui conſenſerunt ei*, duplici quippe modo quis alteri conſentire poteſt dum peccat, imitando nimirum operatione, & non impediendo, vel puniendo peccantem ſi debeat; verum ex contextu comminatio iſta divina in hoc ℣. expreſſa ſolos videtur populos parvipendentes imperium Dei reſpexiſſe, cum jam ſatis adverſus fornicantes quoſcumque poſt Moloch pœna lapidum eſſet ſancita.

Vocem Hebraicam הבל *thebel* male per *ſcelus* eſſe translatam adſerit Sixtinus, cum potius *confuſionem* ſignificet; ex verbo etenim בלל *balal* deducitur, quod eſt *confundere*. Fecerunt enim, inquiunt Rabbini, ſeminis confuſionem, nempe confuderunt ſemen Patris, & Filii. LXX. legunt ἀσεβήματα γὰρ, *impietatem namque fecerunt*. Conſentiunt ulterius Rabbini vetitum ſemper fuiſſe etiam poſt Filii mortem cum propria nuru concubitum, hinc Rabbi Salomon; *rem fœdam, & turpem* vertit, quamquam & alteram expoſitionem adjungat.

Verba autem iſta: *& fontem ejus diſcooperuerit*: quæ in ℣. 18. omiſſa a Vulgato noſtro conqueritur Amama; in hac ſententia: *& revelaverit turpitudinem ejus*: contineri ſatis eſt evidens.

Quod vero ex Cajetano ſubjungit, additam eſſe in hoc ℣. vocem *menſtruo*, cum in Hebræa verbum דוה *davah* habeatur, quo *fluxus* ſolum ſignificatur *ſanguinis* quacumque de cauſa mulier eum patiatur, aut potius languor, vel infirmitas ex eodem proveniens. Nec leviter Vulgati interpretationem videtur offendere, ſatis enim dignoſcitur vetitum eſſe cum fœminis talia patientibus concubitum eo ipſo, quo cum ordinaria laborantibus infirmitate cubatio proſcribitur. Hinc LXX. eodem modo, ac Vulgatus legiſſe comperiuntur ὃς ἂν κοιμηθῇ μετὰ γυναικὸς ἀποκαθημένης, quanvis autem ἀποκαθημένη teſte Heſychio dicatur etiam mulier διμοιρροῦσα; nihilominus Fagius, R. David, Pheſictha, & Pagninus vocem Hebraicam דוה de Muliere menſtruata intellexerunt.

Nec pariter in ℣. 20. hujus Cap. inutiliter poſitas eſſe voces: *vel avunculi ſui*: a vulgato noſtro concedemus, quippe qui explicatiorem Legislatoris mentem exhibuerit. Conſentiunt quippe Expoſitores inceſtum fuiſſe Judæis lege divina prohibitum, hinc ſicuti vox דד *dodh*, tam *patruum* ſignificat, quam avunculum, ita pariter nomen fœmininum דודה *dodah* tam uxorem patrui denotat, quam avunculi: hac de cauſa S. Auguſtinus Quæſt. 76. in Leviticum ſcripſit = Quæritur quouſque ſit intelligenda iſta cognatio, cum ex longo gradu liceat utique accipere uxorem, ſemperque licuerit; ſed intelligendum eſt ex his gradibus, quos prohibuit, non licere, & ſecundum ipſos dictum: *quicumque dormierit cum cognata ſua*: ubi & aliquas non commemoratas intelligendas dimiſit, ſicut ſororem de utroque parente; ſicut uxorem fratris matris, ideſt avunculi. =

§. XII.

PLurima in Capite 22. Levitici Sixtinum offendunt, quaſi inepte translata ex Hebraico, vel aliqua etiam prorſus omiſſa. Eccur, inquit, legit Vulgatus ad ℣. 7. *Scortum, & vile proſtibulum non ducent uxorem*: ſi Hebræa = Mulierem meretricem, & prophanam, vel ut alii legunt, prophanatam non accipient = conſtanter exhibet? Compertum profecto eſt Hebraicam vocem, ait, חללה *chalalah prophanam*, vel *prophanatam* utique, minime tamen *proſtibulum* poſſe ſignificare.

Facilius quam nunquam duæ illæ Vulgatæ noſtræ, & Hebraicæ lectiones conciliantur, ii verbum illud S Hieronymi *ſcortum* voci Hebraicæ *chalalah* reſpondere faciamus; alterum autem, *vile proſtibulum* nempe, Hebraicæ זונה *Zonah meretricem*. Meretrix enim juxta Fagium, quidquid nonnulli dicant Hebræi, mulierem ſonat, quæ omnibus ſe proſtituit, quo ſiquidem modo etiam ab Joſepho intelligitur, ut Grotius teſtatur. Scortum autem duplicis eſſe generis publicum ſcilicet, & hoc cum proſtibulo confunditur; privatum alterum, & eſt indebitus concubitus mulieris nuptæ, vel liberæ, quem privatim, & abſque ulla publicitate patrantur nonnunquam fornicatores, & adulterantes apud Catholicos expoſitores compertum eſt; hoc autem ad vocem *Chalalah* referendum, per quam mulier prophanata ſignificatur. *Chalalah* eſt, inquit auctor Hiſcuni, quæ non celebrata eſt publice, ut meretrix. Vatablus autem per *Chalalah* mulierem conſtupratam, ſive contaminatam, aut ſcortum non publicum intelligit; & Fagius tandem per eam vocem, mulierem violatam caſu quodam, non tamen ſcortationi aſſuetam, eſſe intelligendam adfirmat. Satis ex his S. Hieronymi verſionem textui Hebraico non refragari intelligimus.

Legit utique Vulgatus noſter ad V. 12. hujuſce Capitis: *quia oleum Sanctæ unctionis Dei ſuper eum*: Hebræi autem Codices = quia corona, oleum unctionis Dei ſuper eum eſt = Maximum faceſſit negotium Cenſori, quod vox Hebraica נזר *nezer* per vocem *Sanctitatis* tranſtulerit S. Hieronymus, cum *diadema*, ſeu *coronam* per ſe ſignificet.

Dicimus tamen Sancto Doctori illius vocis ſigni-

gnificationem satis fuisse perspectam, dum pro ea verbum *sanctitatis* adhibuit; certum quippe est vocabulum נזר non solum *coronam*, sed etiam *sanctitatem*, *consecrationem*, vel separationem a rebus profanis significare, quod & Sixtinus ipse confitetur, plurimisque demonstrat exemplis per varia scripturæ loca, quæ recenset; sub hac significatione propterea vocem illam Hieronymus in Epistolis ad Paulam, & Fabiolam usurpavit, sive Græcorum auctoritate commotus, qui locum istum verterunt; ὅτι τὸ ἅγιον ἁγίων τῷ χρισθέντι τῷ Θεῷ ἐστὶ δυτῷ; sive auctoritate Symmachi, a quo, tellante Drusio vox נזר *nezer* in Cap. 29. Exodi ℣. 6. reddita fuit ἀφιερωμα nempe *separatio*, seu *consecratio Domino*, quam versionem, veluti congruentiorem approbat Grotius.

Perstringitur ab Amama Vulgatus Interpres ad ℣. 18. pariter hujus Capitis, quod verba Hebraica או תרם או שרוע *o charum, o saruą, aut diminutus, aut superfluus* proprie significautia; *vel parvo, vel grandi, vel torto naso* reddiderit, cujus siquidem membri nulla eo in loco mentio fit, sed potius ad quodlibet monstruosum, & irregulare corporis membrum facer textus extenditur.

Omnes revera lapides a Sixtino, ut Interpretis nostri labefactetur nomen, commoveri dubio procul videmus. Si de quolibet corporis membro, vel nimis parvo, vel quadam excedente magnitudine monstrose pergrandi Hebraica illa verba sunt accipienda, qua de re vocem *charum* ad solum nasum coarctari permittit a Jonatha vertente: *qui percussus est in naso sua*, hoc est ut ipsemet Amama exponit: *qui mutilum habet nasum*; a LXX scribentibus κολοβόῤῥινον, *qui mutilum, truncatumque habet nasum*; a Suida exponente μικρόῤῥινον: *qui parvum nasum habet*; a R. Salomone legente: *cujus nasus depressus est inter duos oculos*; a Phesictha: *qui nasum habet depressum, clausum, contractum*, ab Aria, & Pagnino interpretantibus *simus*. Vox igitur *Charum*, quæ proprie *diminutionem* importat ad solum nasum restringitur hoc in loco; eccur, igitur altera vox *saruą* ad alios nasi defectus ex nimia illius magnitudine exortos revocari non poterit? novum, seu inusitatum minime est in Hebræorum phrasi, quod voces generali quadam significatione donatæ, ut *dimunutum, & superfluum* ad illa perstringantur objecta singularia, de quibus fit sermo; ad nasum ergo vocum illarum significationem perducit Vulgatus, quia de illo sermonem habebat, ejus deformitates enumerans, inquit Munsterus, quibus ab Altaris ministerio homines arcebantur: *nimium*, inquit ille, *depressus, nimis in medio prominens, aut acutus, & recurvus, aut in latus dextrum, vel sinistrum retortus nequaquam esse debebat*.

Parvi momenti sunt alia nonnulla, quæ ad ℣. 20. redarguit in Vulgatæ nostræ lectione; duabus, præ cæteris, vocibus veluti male translatis insistit; videlicet מרח אשך *maracb, aseth*, cum enim *maracb* sit proprie *confundere* non *hernioſus*, ait, vertendum erat, sed potius *contusus testibus*.

Contradicit in primis Sixtino Abenezra inquiens vocem *meroqch* esse nomen Thoar a radice רוח *ruach, ventus*, unde sensus verborum illorum est *inflatus testiculis*, cui siquidem expositioni Phesictha consentit scribens = qui in testiculis suis ventum habet = Quotuplex autem sit Hernia, quosve producat effectus ex medica arte innotescit; Vulgatus per vocem illam *hernioſus*, quoscumque illarum partium defectus, quibus a munere Sacerdotis fungendo prohibebantur, expressit.

§. XIII.

UT Vulgatam nostram depravationis convinceret Amama, atque Catholico-Romanæ Communionis Fideles non genuinum Dei verbum revelatum possidere demonstraret, nunquam adversus eam grunnitum temperare decrevit: Nonnulla propterea Capitis 22. Levitici loca, tanquam male translata vellicare non destitit, quorum priorem ad ℣. secundum invenit, contenditque has voces קדשי שם, *schem Kodsci*, *nomen* quidem *sanctitatis*, nequaquam vero *nomen sanctificatorum*, ut habet Vulgatus, verti posse.

Amamæ scrupulositati occurrit in primis, quod Hebraica illa vox קדשי sola punctorum vocalium mutatione legi potest Kadaschai, & tunc *sanctificatorum* significat. Divinetur qui potest num hoc pacto, ut eam legit S. Hieronymus; vel potius *Kodsci sanctitatis*, ut legendum Sixtinus expostulat, sit revera legenda? Contextus stare pro S. Hieronymo videtur, eo quod statim sequatur: *quæ ipsi offerunt*; vel *sanctificant mihi*, ut est in Hebræa. Relativum *quæ* ad oblationes sive ad sanctificata profecto referendum est. Hinc quanquam Rabbini *nomen sanctum Dei* hoc loco interserant, exponunt tamen = & non prophanent quæ ipsi sanctificant mihi = ita Onkel. Jon. Hiscuni, Abenezra, & alii; quæ cum Vulgati lectione peroptime congruunt.

Non parcit Censor Vulgato, quod ad ℣. 22. ejusdem Capitis verterit voces Hebraicas או יבלח או תרוע *o jabbeleth o charuts; si cicatricem habens, aut papulas*; cum vertendum revera foret: *aut præcisum, aut verrucosum*.

Qua tamen fronte solum vulgatum aggreditur Amama, impunes interim Rabbinos omnes, atque LXX. relinquens, quorum lectionem cum Vulgata nostra cohærere certum est. Testantibus itaque Fagio, & Grotio per vocem *charuts* animal intelligunt Hebræi, quod discissas habet nares, palpebras, aures, labia, vel supercilia; hinc hujuscemodi defectus omnes satis recensuisse videtur Interpres unica illa voce *Cicatricem*. Pari modo satis apte reddidisse vocem *jabbeleth* per *papulas* compertum est, cum enim *papula* tubercula sint, vel pustulæ, quibus cutis exasperatur: verrucæ pariter cum ejusdem generis sint pustulæ, non est cur S. Hieronymi relinquamus interpretationem.

Ad ℣. 23. nulla compellebatur necessitate Sixtinus iterum in Vulgatum nostrum eamdem recinere cantionem pro vocibus illis שרוע וקלוט *scharuah, o Kaluth, superfluam, aut diminutam*, bovem scilicet, aut ovem. S. Hieronymus duas illas voces, quæ generaliter *excessum, & defectum* significant, auctoritate fortassis LXX. Seniorum permotus, qui reddiderunt ἀτόμωτον *sectam auribus*, & κολοβόκερκον *cauda amputatam*, ad illa animantium membra restrinxit, nihilque de excessu locutus, quod de eorum defectu solummodo sermonem ibidem haberi cum LXX existimaverit; de aliorum etenim perfectione membrorum, quæ in offerendis bobus, & pecudibus a divino Legislatore præscripta erat, in aliis versiculis sermo factus fuit. Quod ad rei substantiam pertinere tandem videtur, hoc est, quod animalia divino cultui destinata ex aliqua obligatione, omni ex parte perfecta esse oportebat; id in Hebræa, idque in Vulgata satis clare significatur.

Translationem etiam versiculi 24. censura Sixtinus perstringit cum in Hebræa scriptum sit = Concussum, & contusum, ruptum, & excisum (animal) non offeretis = Ad quid ergo, inquit ex Eugubino Amama, de contritis & sectis testiculis a Vulgato fit mentio, si de quolibet animalis membro contrito, & contuso lex esse potest?

Eccur Hebræorum, Græcorumque lectiones Vulgato nostro tam mire hoc in loco faventes aufugere nititur Censor? θλασθὲν legunt LXX., cui scilicet contusi, seu elisi testes sunt. Idipsum scribunt R. Salomon, Phesictha, Abenezra, aliique apud Drusium, eodemque modo cum Vulgato locum istum Scripturæ Munsterus, Fagius, Clarius, & Vatablus intellexerunt.

§. XIV.

PAucula adhuc in Libro Levitici ab Amama castigata supersunt. Ad versum secundum Capitis 28. omissam a Vulgato nostro vocem illam *convocationes*, lamentatur, quæ siquidem habetur in Hebræa = Solemnitates Domini, quas vocabitis *convocationes* sanctitatis = Nostra vero legit: *Hæ sunt Feriæ Domini, quas vocabitis sanctas*.

Eam vocem in Codice etiam S. Augustini defuisse patet ex locut. 55. de Levit. in qua scribit S. Doctor = quæ vocabitis vocata sancta = Græca pariter legunt = αὗται αἱ ἑορταὶ τοῦ Κυρίου κλητὰι ἅγιαι = Hæ sunt solemnitates Domino vacatæ Sanctæ = Verum quidquid sit de vocula ista, satis in versione nostra intelligimus diebus illis esse feriandum ab operibus

ribus, & divino cultui inserviendum, quonam autem modo festivitates illæ celebrandæ forent alibi traditum est, dum de singulis factus est sermo.

Quæ ab Vulgatæ censore ad Caput 25., & 26. notantur, facillime ex ipsomet contextu ponuntur in tuto. Versiculus autem 16. Capitis 26. acrius ab ipso reprehenditur, quod nimium ab Hebraica veritate deflectens inveniatur. Legit utique Hebræa = Et faciam ut visitet vos terror, & tabes, & febris ardens = &c. Vulgata autem nostra: *visitabo vos quoque velociter in egestate, & ardore, qui conficiat oculos vestros, & consumat animas vestras.*

Fatetur ipsemet Amama non inepte scriptum a Vulgato nostro *velociter*, pro *terror*, cum Hebræorum plures ita legant. Quod autem *egestatem* intellexerit in voce illa פחמה *Schachepheth*, id intolerabile Sixtino est, cum nullum hujus interpretamenti alicubi reperiatur patrocinium. Minus tamen a vero in sua interpretatione distare Vulgatum, quam opinetur Censor non diffidimus, si saltem rei substantiam inspiciamus. Vocem itaque פחמה Vatablus, & Fagius quamdam significare infirmitatem, qua corpus macilentum, debile, deficiens, & in deterius pergens efficitur, testantur; alii alias tradunt interpretationes; si ergo famem etiam fuisse a Domino comminatam dicamus, qua graciles, macilenti, atque deficientes redderentur Israelitæ prævaricantes Dei mandata, forsitan quid incredibile loqueremur? Chaldæus apud Cornelium hunc eumdem versiculum reddit = Visitabo vos in conturbatione, egestate, & ardore = &c.

Plurima tradit de versione hujus vocis חמנים *Chammanim* ad ℣. 30. ejusdem Capitis 26. quæ *simpliciter* per *simulacra* translata est a Vulgato, cum tamen aliqua ad Solem ratio in hujus vocis expositione esset habenda, cum a nomine solis derivetur. Verum noster Interpres id unum fategit, ut Idololatriæ crimen quæcumque idola respiceret, fuisse a Divino Legislatore prohibitum, nec non ab eodem supremo Numine simulacra quælibet iri confractum ostenderet. In Hebræa autem ea fortassis commemorantur simulacra solis, quia tunc temporis ad illa communius pendebant Idololatræ. Rei tamen integritatem, atque legis veritatem satis in Vulgata nostra dignoscimus.

Redarguit ex Eugubino Vulgatum nostrum rigidus Censor, quod versu 2. Capitis ultimi scripserit: *Qui votum fecerit, & sponderit Domino animam suam:* frustra esse apposita illa verba *sponderit animam suam* contendens, eo quia de omni genere voti sacer textus sit intelligendus.

Communis tamen Hebræorum sententia est apud Fagium, Vatablum, & Clarium hoc in loco sermonem haberi de voto animarum præsertim, quando quis videlicet vel seipsum, vel personam sibi subditam Domino consecrabat per votum; unde Vulgatus clarius expressit, quod in Hebræa subobscure continebatur; hoc totum convincit sacer textus in versiculis sequentibus, ubi animarum pretium in redemptionem illarum solvendum statuitur.

Voces nonnullæ, quæ in Vulgata nostra deesse, ait, versiculis 10., & 12. ex contextu nostræ versionis tam evidenter intelliguntur, ut inutiles prorsus, si adessent, haberentur. Versiculo denique 28. hujus Capitis non satis a Vulgato vim hebraicæ locutionis expositam adfirmat, quia inter res per anathema consecratas, resque Deo devotas hoc esse discrimen, ait, quod istæ, non illæ redimi possent, sed prorsus destruendæ. Satis nihilominus intelligimus consecrationem, de qua loquitur in hoc versiculo legislator quam valde ab aliis differre, cum rei consecratæ redemptionem inhibeat. (W)

Vir contumeliosus Sixtinus Sacrum Numerorum librum non minus quam alios Vulgatæ nostræ Romano Catholicæ versionis pluribus in locis sub odioso erratorum nomine (quod tamen phantasma merum, & inane terriculum, ut simpliciorum animos deludat, revincitur esse) iniqua sua Censura indignissime traducit. Nullum tamen ex locis ab ipso notatis, vel a veritate alienum, vel quid alterum inconveniens præseferre, ostendi posse confidimus.

§. I.

IN Capite primo Num. quatuor loca Sixtinum offendunt. Versu 3. male a Vulgato versa contendit hæc verba צבא כל-יוצא *col jotse tsaba*, quæ vere sonant *omnem egredientem ad militiam*; minime vero: *omnium virorum fortium ex Israel*, ut legit nostra; eo vel maxime, inquit, quod non tantum fortium, & robustorum in militia usus est, sed & aliorum, nec omnes pugnare necesse est, etiam servitiis opus est.

Anne qui procedunt ad bellum non ut prælientur, sed aliis fungantur muneribus, claudi, cæci, debiles, infirmi erunt? Isti profecto in Castris remanere visuntur. Sensus ergo Vulgatæ nostræ non videtur a mente divini Scriptoris extraneus.

Ad ℣. 16. contendit: *capita millium Israel ipsi* legendum; minime autem cum Vulgata nostra *Capita exercitus Israel:* fuisse quippe hujusmodi duces eosdem ac χιλιαρχες opinatur, quam siquidem vocem habent Græca.

Melioris tamen conditionis esse Vulgatæ lectionem unusquisque dignoscet si velit cum S. Augustino animadvertere non duodecim, aut tredecim millia tantummodo viros in Hebræorum exercitu extitisse. Hoc itaque modo scribit S. Doctor quæst. 2. in lib. Numer. = Nunquid nam, & hic sic accipiendi sunt χιλιαρχοι quod singuli essent super millenos? Non utique. Neque enim universus omnium Populus Israel duodecim hominum millia tunc fuerunt, singulos enim elegit de singulis Tribubus, quæ duodecim tribus proculdubio non millenos homines, sed multa millia continebant: Nomen ergo commune est cum illis qui in Exodo appellantur χιλιαρχοι, quod unusquisque illorum esset mille hominum Princeps: istorum autem unusquisque millium Princeps, quoniam sive a mille, sive a millibus eadem compositio nominis resonat, ut appellentur χιλιαρχοι = Ex censu numeratorum virorum Israelis, & ex S. Augustini explicatione nominis χιλιαρχοι satis revincitur feliciori loquendi formula usum fuisse Vulgatum Interpretem, scilicet sanctum Hieronymum, in cujus versione ex Hebræo legimus ut in nostra.

Ad ℣. pariter 50. quidnam est inconveniens si dicamus = constitue Levitas supra tabernaculum testimonii, & super omnia vasa ejus, & super omnia, quæ illius sunt = quemadmodum legit Hebræa: sive dicamus: *super cuncta vasa ejus, & quidquid ad cæremonias pertinet*, ut habet Vulgata, quamvis vocem istam *cæremonias* explicite non legat Hebraica versio? unum omnino, idemque est dicere *vasa tabernaculi, & quidquid ejus est*; ac si dixerimus vasa ejus, & quidquid ad cæremonias pertinet, ut per se patet; legitimum quippe sensum nobis reddere, non literæ servire protestabatur S. Interpres.

Pari ratione germanum sensum in ℣. 52. Vulgatæ nostræ adinvenimus, in quo S. Hieronymus red-

reddidit *Cuneos*, ubi *vexillum* legit Hebræa; quinimmo diligentiori expreſſione uſus eſt S. Doctor, ut ordinem, quo caſtrametabantur Iſraelitæ, proponeret. *Cuneus* itaque multitudinem non magnam ſignificat, inquit Abulenſis, & ſicut in bello vadunt diſpoſitæ, acies per diverſas multitudines, quæ vocantur *Cunei*, ita in iſtis Caſtrametationibus ponebantur diſtinctæ multitudines, ſcilicet in qualibet Tribu ponebantur familiæ diſtinctæ, & in qualibet familia recipiebat domus loca diverſa & quantum ad hoc dicebantur eſſe Cunei; ita laudatus Doctor. Non ſolum propterea unuſquiſque ad vexillum ſuum, ſed ad ſuam Tribum, ſuamque familiam tenebatur incedere ne confuſio & diſſentiones exorirentur; hæc omnia ex ℣. 2. Capitis ſecundi hujus libri evidenter confirmantur.

§. II.

QUatuor ſunt pariter loca in Capite 2. libri Numer; quorum verſionem Sixtinus illegitimam ducit. ℣. equidem ſecundo excedentem in primis Vulgatum agnoſcit, cum vocem *turmas* ex proprio marte adjunxerit, deficientem vero, quod vocem מנה Minneghed prorſus omiſerit; obganniens interim, quod authenticum Interpretem ejus vocis, licet obſcuræ ſignificatio latere non debuiſſet.

Quis tamen eo devenit ſocordiæ, ut æquali modo authentiæ ſcripturarum tam alicujus vocis abſentiam obeſſe, quam ejuſdem vocis dubiam, incertamve ſignificationem, ignoret? Si ergo Vulgatæ noſtræ, læditur auctoritas ob ejus vocis carentiam, non minus Hebraicæ propter impervium illius vocis ſignificatum. Satis igitur Caſtrorum poſitiones in Vulgata S. Hieronymi expreſſæ ſunt, cum majori evidentia nec in Hebraica legimus.

Nimis equidem audacter adfirmat Amama perperam a Vulgato in ℣. 5. hujus Capitis ſcriptum eſſe *caſtrametati ſunt*, cum per futurum potius eſſet exprimenda illa locutio, in qua Dei mandatum ad Moſem recenſetur.

Amamæ cenſuram Munſterus, Clarius, & Fagius expugnant, advertentes Dominum fuiſſe locutum, dum poſitio Caſtrorum præcipitur; quando autem ſubjungitur, ajunt, ſumma virorum cujuslibet Tribus, & nomen Ducis, verba ſunt Moſis; ideo prima in futuro, ſecunda in præterito ſcribuntur. Hoc eodem pacto verſionem Sancti Hieronymi ad verſiculos 12; & 25, & 27. locamus in tuto.

Pari modo ad ℣. 6. carpitur ab Amama Vulgatus, quod hæc Hebræa וצבאו *utſbabo*, *upkudu* non verterit *& exercitus ejus*, *& recenſiti eorum*; *ſed & omnis numerus pugnatorum ejus*: adiungit ulterius in hujus formulæ duodecies in hoc capite recenſitæ interpretationes variam eſſe admodum Vulgatum.

Nullam ſenſus legitimi depravationem irrepſiſſe in Vulgati interpretamentum, compertum eſt adeo, quod nihil magis. Quid ſibi vult *exercitus ejus*, *& recenſiti eorum* in Hebræa niſi *omnis numerus pugnatorum ejus*, *qui recenſiti ſunt?* niſi *univerſi*, *qui in caſtris*, *ſive exercitu ejus adnumerati ſunt?* niſi denique aliis quaſcunque S. Hieronymi expreſſiones, quibus S. Pater cenſum bellatorum cujuslibet Iſraeliticæ Tribus depinxit?

Non minus in Verſu 17. juxta Vulgati interpretationem, ſenſus legitimi veritatem adinvenimus, quamvis nonnullæ voces in alias ad ſignificantius exprimendum tam a LXX, quam a S. Hieronymo permutatæ ſint, ut Steuchus animadvertit. Habent utique Hebræa ונסע האהל *ve naſab ohel*, *& proficiſcetur tabernaculum*; ideſt, inquit Eugubinus, recedet, abibit quod recte tam a LXX, quam ab Hieronymo in aliam vocem mutatum eſt: καὶ ἀφῆσεται ἡ σκηνὴ τῆ μαρτυρίᾳ, καὶ ἡ παρεμβολὴ τῶν λευιτῶν μέσον τῶν παρεμβολῶν: *& elevabitur Tabernaculum teſtimonii*, *& caſtra Levitarum in medio caſtrorum*. Adjungit Interpres *per officia Levitarum*, ut quadam anticipatione res Sanctuarii ab eis cuſtodiendas & aſportandas innueret, quod in Cap. 4. hujus libri Sacer textus accurate recenſet. Tabernaculum pariter deponendum cum proficiſcebantur Caſtra, atque erigendum dum figebantur præceperat Dominus in Cap. I. Num. Verſu 51. Cum ergo hoc in loco Tribuum caſtrametationes, & profectiones, earumve ordo, & methodus ſervandus deſcribantur; Leviticæ Tribus progreſſiones, & ſtationes ſatis indicantur ex Tabernaculi erectione, atque depoſitione, cum ab iſtis omnino Levitarum profectio, ſeu motus; vel caſtrametatio, ſeu quies eſſent dependentes: hinc paucioribus licet verbis, non minus quam Onkelos, & LXX. S. Hieronymus rei ſubſtantiam, & veritatem expreſſit.

Pauca quam valde; duo ſcilicet loca in Capite 3. Numer. Sixtinus reprehendit, quorum unus ad verſum 20. alter autem ad 26. adinvenitur. Deeſſe conqueritur in primo hæc verba: *Iſta ſunt familiæ Levi per omnes generationes ſuas*: quæ verba, & Græca, & Onkelos expreſſerunt.

Facillime tamen dignoſcere poteſt, qui voluerit horum verborum deficientiam hoc in loco nec leviter obeſſe hiſtoricæ veritati; quiſquis enim ſacrorum Codicum, vel levem hauſerit notitiam poſt duos illos Leviticæ propaginis homines. Moboli, & Muſi altera ſubintelliget verba: *iſta ſunt familiæ Levi per omnes generationes ſuas*: cum ea expreſſe in verſiculo 19. Capitis 6. Exodi Vulgatus noſter conſcripſerit, dum cognationes, e familias Levi recenſuit.

Ad alterum, quod pertinet mirum eſt a Sixtino Lyrani teſtimonium adferri, ut duplicis erati S. Hieronymum convincat, cum potius Lyra id in ſuis commentariis curaverit, ut legitimam claramque ſacri textus intelligentiam ſuppeditaret, nullamve in eo contradictionem, vel inconveniens reperiri demonſtraret. Quod ſiquidem continget quoties verba illa *quidquid ad ritum Altaris pertinet*, *funes Tabernaculi*, *& omnia utenſilia ejus* intelligamus de velis Altare ambientibus, aliiſque utenſilibus, quæ Gerſonitis (de quibus ſolummodo hoc in loco fit ſermo) commiſſa erant. Alia autem ad ſanctuarium ſpectantia cæteræ familiæ de Tribu Levi cuſtodire, atque aſportare tenebantur, ut patet ex Cap. 3. & 4. Lib. Numer.

In Capite 4. Numer. non bene a Vulgato poſitas eſſe verticulis 15. & 16. particulas illas *ſuper quos*, quibus jungitur Eleazari præfectura cum onere filiorum Chaath, contendit Vulgatæ Cenſor; cum ex Hebræa ſit ſatis compertum Caathitarum onera ab Eleazari præſidentia fuiſſe ſejuncta; illam vero ad oleum, ad incenſum, ad ſacrificium tantummodo reſpexiſſe.

Quid tamen erati hic S. Hieronymus commiſit, ſi particulas illas appoſuit, quibus ſummi Sacerdotis inſpectionem ſuper Caathitarum officia protenderet? Nonne in Hebraica etiam Capite 3. hujus Libri ℣. 32. iſta leguntur verba: *& Princeps Principum Levitarum Eleazar filius Aaronis Sacerdotis: præfectura cuſtodientium cuſtodiam ſanctuarii?* Videantur ad hoc verbum *Præfectura* Druſii adnotationes, ex quibus eruitur Eleazarum fuiſſe Principem ſuper Principes familiarum Levi, quibus ſanctuarii cuſtodia demandata erat. Non perperam ergo, ut Sixtinus conqueritur eas voculas S. Interpres appoſuit.

§. III.

PLurima in Capite 5. Num. Sixtinus arguenda reperit, tanquam a veritatis fontibus devia. Verſiculo 3. in primis hæc verba: *cum habitaverim vobiſcum* tanquam male ex Hebræis אני שוכן *ani ſchachen*: *ego habito* translata objurgat. Si etenim, ait, in præterito verbum *habito* accipiatur, nulla prorſus cauſa ſupereſt eiiciendi e Caſtris immundos; quamvis enim Deus ibi manſiſſet ſi non habitet adhuc, vel ſit habitaturus non eſt cur excludantur? Tale autem quid præſeferre videtur præteritum: Verum quid mali erit ſi Vulgati lectionem non de præterito, ſed potius de futuro tempore intelligemus, adeo ut ſit ſenſus: eiicite immundos e Caſtris ne contaminentur, *cum vobiſcum ſim habitaturus*, vel *quia vobiſcum habito?* remanet utique hanc ſi tenemus lectionem ratio immundos expellendi, & quidem eodem modo, quo in Hebraica perſiſtit. Præteritum autem ſubjunctivi modi apud Latinos pro futuro uſurpari notius eſt, quam probetur. Terentius *Adel-*

phi

thi Actu 2. Scena 1. = ne mora sit, scribit, si invenerim, quin pugnus continuo in mala hæreat = . Et in *Hecyra* Actu 3. Scena 4. = aufugerim potius, quam redeam = Cicero Lib. 9. Epist. 1. = Videor sperare debere si te viderim = Et tandem Livius Decad. 1. Lib. 7. Cap. 6. = Jussu tuo, Imperator, extra ordinem nunquam pugnaverim, non si certam victoriam videam = S. Hieronymus itaque latino sermone callentissimus optime noverat in sua translatione prædicto sensu accepta, causam servari eiiciendi pollutos e castris.

Ad ℣. 6. hujus cap. in Vulgatam Amama strepit, quod enfaticam hebraicæ veritatis expressionem לקל בעל כימה *limbel mahal badonai*: *prævaricando prævaricationem in Dominum*, admodum extenuaverit Vulgatus noster vertendo: *& per negligentiam transgressi fuerint mandatum Domini*, cum ibidem de peccatis ex proposito commissis sermonem haberi nimis non liqueat, de patratis ex negligentia.

Vim latinæ vocis *ex negligentia* hoc in loco attingere noluisse videtur Sixtinus; rudioribus quippe etiam compertum est voces istas *negligentias*, *neglectus*, *contemptus* esse ejusdem significationis, sicuti verba *negligo*, *contemno*, *aspernor* synonyma sunt; hinc Itala antiqua legebat; *despiciens*, *despexerit Mandatum Domini*. Non ergo per illas voces S. Hieronymus peccata ex indiligentia, sed ex contemptu divini præcepti commissa indicavit.

Decimam partem Ephæ in Hebraica veritate legi compertum est ad ℣. 15. hujus Capitis, inquit Sixtinus, non *decimam partem sati*, ut habet Vulgata: patens ex se nimis est erratum, cum Epha tria sata contineat. Drusius etiam hunc notavit locum; qua de causa Vulgatum Interpretem inerrantiæ dono caruisse declamat. Quis unquam Catholicorum eo devenit insaniæ, ut simplici Interpreti speciali Spiritus Divini non suffultus munimine, inerrantiæ donum inesse dum ex uno idiomate scripta in alterum vertit sola præditus linguarum cognitione, quam sibi suis viribus comparavit, defendere ausus fuerit? Nimis tamen audacter erroris Vulgatæ lectionem insimulant Censores nostri. S. Hieronymum legitimam Ephi mensuram, juxta Hebræorum consuetudinem, non latuisse satis fit palam ex Lib. 2. Comment. in Caput 5. Isaiæ, nec non ex lib. 14. Comment. in Ezechielem. Locis hisce nihilominus S. Pater animadvertit septuaginta Interpretes vocem Hebraicam *Ephi* vertisse aliquando μετρητὴν idest tres mensuras absque clariori expressione; aliquando vero eamdem vocem transtulisse *mensuram* generali nomine pro speciali. Lib. denique 2. Comment. in Cap. 13. S. Matthæi docet S. Doctor quod *satum* est genus mensuræ juxta morem Provinciæ. In Palæstina unum, & dimidium modium capiebat. Quid ergo mirum si S. Hieronymi transcriptores unum mensuræ nomen, quod suis temporibus notius erat fortassis, pro altero interseruerunt, quodque fortassis, ubi scribebant eamdem cum Epha mensuram indicabat? Nos unum hoc loco statuimus in Codice videlicet Hieronymianæ versionis scriptum esse, ut in Vulgata, quamvis non ignoremus a Martianæo in Prolegomenis ad versionem S. Doctoris animadverti S. Patrem Hebraicam vocem איפה epha semper *tres modios*, *tria sata* fuisse interpretatum.

Versiculo 18. hujus Capitis deesse voces illas *oblationem recordationis* perperam Sixtinus adfirmat, cum in Vulgata nostra legamus expresse *sacrificium recordationis*, *& oblationem zelotypiæ*.

Quod autem ad ℣. 21. Sixtinus Vulgatum nostrum redarguat veluti nimis devium a fontium regula usque ad illa verba *Det te Dominus*: non admodum solicitos esse oportet, cum eumdem ac Hebræa sensum quoad substantiam exhibuerit, quamvis paucioribus verbis; de quo non semel S. Hieronymus est protestatus, ut superius admonuimus; hebraicum, vulgatumque textum hic transcribere arbitramur inutile, cum facillime eorum comparatio ex frequentibus codicibus a quocumque possit institui. Legit profecto Vulgata nostra: *femur suum putrescere faciat*: in Hebræo autem: *cum posuerit Dominus femur suum cadens*; essentiale tamen discrimen inter utramque lectionem, si sensum inspiciamus, interesse abnuimus; quandoquidem Drusius ipse verbum *cadens*, *cadivum* exponit, deinde vero subjungit = est autem *cadivum* proprie quod sponte, & per se cadit, ut cadiva folia, poma &c. Fagius pariter *putridum* interpretatur. Auctor Hiscuni tandem hæc verba *cadet femur* ejus ita exponit = Locus femoris ejus corrumpetur = Nonne satis hæc sunt ad S. Hieronymi lectionem fulciendam?

Versiculo pariter 24. Vulgatæ lectionem impetit Amama, quod habeat; *& dabit ei bibere*; *quas cum hauserit. Tollet Sacerdos* &c. Ea verba *quas cum hauserit* sequentibus contradicere adfirmat, quibus aquæ mulieri tradendæ atque ab eadem hauriendæ post oblationem sacrificii zelotypiæ describuntur. Nunquid, ait ille, ante, & post oblationem poterit mulier aquas illas exhaurire?

Hujuscemodi tamen difficultati facillime satisfiet si cum Lyrano dixerimus per quamdam anticipationem aquæ potum esse in sacro textu enarratum, non vero eo ordine, quo solebat expleri. Si autem hæc pro Vulgata nostra responsio minus accepta Censoribus erit, nobis iidem aptiorem suppeditent pro Hebraico textu, in quo eadem omnino anticipata narratio adinvenitur; hoc quippe modo habent Hebræa ℣. 23. „ Et scribet ma„ ledictiones hasce Sacerdos in libro, & delebit „ aquis amaris. ℣. 24. dabitque bibendas mulieri „ aquas illas amaras maledictionem importantes, „ & intrabunt in eam aquæ maledictionem im„ portantes in amaritudines. ℣. 25. Et accipiet „ Sacerdos e manu mulieris munus zelotypiæ... „ & postea dabit bibendas mulieri aquas illas „ En in textu Hebraico, eodem fere modo, quo in Vulgata haustum aquæ narratum ante oblationem sacrificii, qui tamen post oblationem ipsam expleri debebat, ut ex Vulgata non minus, quam ex Hebraica versione colligitur.

Ad ℣. 28. ex Cajetani judicio notat Sixtinus hæc verba: *& faciet liberos*: cum in Hebræa *seminabitur semine* legamus, quæ liberorum promissionem nequaquam includunt, sed tantum quod a Marito deferenda non esset, officiumque maritale cum ea exercendum. Si enim, subjungit, Amama in suspicionem adulterii vocasset Maritus uxorem annos partus jam supergressam. v. g. quinquagenariam an ex hac promissione & illam concepisse credemus? Oportet certe, si vulgatæ Versioni credendum est.

Quis non intueatur & Cajetani, & Amamæ sinistram verborum illorum *& faciet liberos* interpretationem; dum in eisdem absolutam omnino, nullisve conditionum limitibus circumscriptam promissionem filiorum contineri arbitrantur? Non ita profecto res est: verba etenim illa maximam cum præcedentibus relationem habent, & connexionem. Quoniam autem minabatur mulieri si, adulterio polluta esset, quod aquæ illæ amaritudinis, ventris tumefactionem, femoris corruptionem, aliaque id genus liberorum procreationem impedientia producerent; ita ab opposito si adinveniretur innoxia, nil eorum efficerent; sed in sua relinquerent integritate, & valetudine, qua fruebatur antequam biberet, apta propterea ad liberos gignendos sicut prius erat; non tamen quod, si antea inepta ad prolem suscipiendam existebat, vel ob ætatis excessum, vel altera de causa, filios post aquæ illius potum esset susceptura. Sub hisce limitationibus verba illa Hebraica *seminabitur semine*, intellexere Onkelos, qui vertit *concipiet conceptum*, Fagius, & Clarius, qui interpretantur: *concipiet*, *& pariet liberos* hoc enim, inquiunt, est seminari semine, & denique Drusius exponens = Consequetur semen, hoc est liberos = Tandem cum aliqua conditione etiam Hebraica expressio necessario est intelligenda, cum nec illa absolute, & prout verba sonant, accipi queat. Quid enim si post uxoris exploratam innocentiam aliqua vir ejus infirmitate, aut impedimento a Matrimonii cohiberetur functionibus? adimpleretur ne promissio illa *seminabitur semine*, quæ in Hebraico textu continetur?

§. IV.

§. IV.

TRes ad Caput 6. versiculos notat in Vulgata nostra Sixtinus, quorum primus est : nonus, in quo perperam a Sancto Hieronymo duabus vicibus rasura capitis describitur facienda, cum semel tantummodo, ut fieret præceptum esset.

Plurimi siquidem bis caput radendum fuisse opinantur; neque enim S. Hieronymus tali pacto interpretationem expressisset, nisi in suo codice post verba illa *purgationis suæ*, saltem copulam & adinvenisset, quæ postea ex codicibus recentibus Hebræorum exciderit. Lyrani super hæc verba expositio videatur, necnon aliorum commentarii.

Ad ℣. 13. qui secundo loco notatur ab Amama, miratur quam valde, quod Interpres noster vocem נזיר *nazir*, *consecrationem* verterit, cum inferius ℣. 21. transtulerit: *hæc est lex Nazirei.*

Cur non miratur Sixtinus, quod a Clarissimo Drusio notatum hoc in loco sit, hæc tria *separatio*, *consecratio*, sive *sanctificatio*, & *Nazareatus* esse synonyma? unde vicissim unum nomen pro altero usurpatur.

Quid tandem discriminis invenitur si dicamus: *ostendat Dominus faciem suam tibi, & misereatur tui:* sive dicamus cum Hebræa: *Lucere faciat Dominus faciem suam super te, & misereatur tui?* in utraque sententia idem omnino sensus est.

Duo notantur loca ad Caput 8. Numeri a censore nostro, quorum unus versiculo 2. comprehenditur, ubi plura a Vulgato nostro esse adjuncta contendit, quæ profecto in Hebraica veritate desunt, cum ibi legamus: *cum accendes lucernas e regione Candelabri, lucebunt septem lucernæ istæ*: Plurima hac de causa non solum in Vulgatum Interpretem, sed etiam in Romanos correctores, ipsosque Pontifices approbantes versionem istam eructat, suamque contumeliam ita sigillat = Quo „ elogio ergo decorandi sunt correctores Romani, „ ipsique adeo Pontifices, qui correctorum labores approbarunt, dum hanc ab imperito scriptore interpolatam laciniam non eliminarunt, sed „ pro verbo Dei Ecclesiis sub anathematis pœna „ obtrusere „.

Audivimus modo fluctum feri maris despumantis, vidimus nubem sine aqua a ventis circumlatam, arborem infructuosam, & ex agro Ecclesiæ Catholicæ eradicatam, cui procella tenebrarum fortassis servata est in æternum. Quæcumque igitur in Vulgati translatione legimus sub ℣. 2. cap. 8. eadem ferme habentur ad ℣. 27. Capitis 25. Exodi, & ad ℣℣. 22. & 23. Capitis 40. ejusdem libri, ubi pariter septem lucernas dispositas fuisse legimus juxta Domini præceptum. Quis modo affirmare præsumat in codicibus tempore S. Hieronymi existentibus non fuisse reperta quæcumque in sua versione S. Doctor transcripsit, & in Latinum expressit? Defuerint tamen; & claritatis gratia ex libro Exodi nonnulla in hunc ℣. transvexerit S. Pater; nunquid in hoc casu non erit Dei verbum, quod huc transvectum fuit? Et tandem sciat semel pro semper Sixtinus summos Pontifices vetuisse privatis hominibus sub anathematis pœna Vulgatam propria auctoritate corripere, & emendare, minime tamen præcepisse, ut tanquam Dei verbum Typographorum, & Amanuensium errata suscipiantur.

Quid homini ingenuo negotii facessere potest sive legat: *veniet ad militandum militiam in ministerio tabernaculi*, ut habent Hebræa ad ℣. 24. Capitis 8. sive legat: *ingredientur, ut ministrent in tabernacula fœderis*, ut habet Vulgatus? & nihilominus Sixtinus exclamat in nostram versionem. Pari omnino fundamento lectionem objurgat versiculi 26. hujusce Capitis, quæ tali modo a S. Hieronymo tradita est: *& ministri erunt fratrum suorum*: relevationem prorsus inutilem eis Deus concessisset, si officio proprio relicto, fratrum suorum ministri destinabantur, ait Censor noster.

Verum eadem oppositio nonne & in Hebraicum textum potest obtrudi his redditum verbis a Drusio; *veruntamen ministrabit fratribus suis in tentorio conventus . . . sed ministerium non obibit?* Levabatur ergo ab oneribus portandis a durioribus officiis, & tanquam veteranus miles requiescebat, non tamen otio premi sinebatur, sed inserviebat fratribus suis canendo, claudendoque portas, & arcendo exteros a tentorio; ita Drusius hunc locum ex Rabbinis exponit. En Amamæ oppositionem adversus Vulgatam!

Duplex ad Caput 9. reprehenditur ab Amama locus; prior ad ℣. 10. ubi perperam a Vulgato versum esse contendit: *sive in via procul in gente vestra*; cum *in statibus vestris* transferendum adfirmet. Non fuisse præterea voces illas; *in gente vestra* cum aliis, *in via procul* conjungendas propugnat.

Quis unquam sanæ mentis in lectione Vulgatæ verba illa *in gente vestra* cum voce *homo* non conjunxit? adeo ut sit legitimus sensus: *Homo in gente vestra, qui fuerit immundus, vel in via procul: &c.* quod autem voces לדרתיכם *le dorothe chem* verterit S. Hieronymus *in gente vestra*, nequaquam a legitimo scripturæ sensu recessit, quandoquidem sit compertum hoc nomen *gens* a Latinis pro *familia*, *cognatione*, & *progenie* fuisse usurpatum: ita gens Ælia, gens Valeria dicebatur; *gens Judæa* cur ergo dici non poterit? Si autem lex pro gente aliqua sancta esset, nonne pro illius gentis, cui promulgatur, posteris etiam statuta intelligitur?

Secundus hujus Capitis locus ab Amama in Judicium vocatus ad ℣. 20. reperitur in illis verbis Vulgati: *Quot diebus fuisset nubes &c.* cum Hebræa legat = quando erat nubes diebus numeri super tabernaculum = Vocem quidem מספר *misphar*, *numeri* a S. Hieronymo omissam retinuere LXX. Voces istas *diebus numeri* dies paucos indicare docet Sixtinus.

Incertum quidem est quot dies significarent voces illæ *dies numeri*, qua ergo poterat evidentiori, magisque convenienti expressione indicare nobis Castrorum stationem ex nubis super Tabernaculum permanentia, quam dicendo: *quot diebus fuisset nubes super tabernaculum?* Nonne per vocem illam *quot* omnes indicantur mansionis dies, quanticumque essent sive pauci, sive multi?

§. V.

QUinque in Capite 10. Numeri reprehensa a Censore loca reperiuntur. Versu siquidem 4. verbum Hebraicum בהת *be, bachath* perperam *semel* a Vulgato fuisse conversum defendit, cum potius *in una* vertendum foret, ut præpositio *in* satis ostendit.

Cur quæso Censor non advertit a suo Clarissimo Drusio verbum illud *in una* tam de *vice*, quam de *tuba* intelligi posse fuisse observatum? *in una clangent* legunt LXX. *Quod si una clanxerit* ex Hebræo legit Drusius. Si ergo incertum est num vox *una* ad *tubam* referatur, vel ad *vicem* jam absolute non potest erroris Vulgata reprehendi. Si autem revera legi potest *una vice*, ejus loco *semel* pariter si legamus, optima habebitur lectio. Non desunt tamen Catholici, qui in verbo illo *semel* unicum sonum, sive unius tubæ sonum agnoscunt. Quod autem dicit versu 2. deesse nonnulla, falsum omnino est, cum suppleantur in sequentibus versiculis, in quibus tubarum usus & ad Synagogæ, seu Cætus convocationem, & ad Castrorum profectionem describitur pertinere.

Versu 13. male, defendit, a Vulgato vocem illam *primum* referri ad solos Judæ filios, dum transtulit ex Hebræa: *moveruntque Castra primi, juxta imperium Domini, filii Juda*: Cum tamen ipsamet Hebræa legat = Et profecti sunt primum secundum os Domini = &c.

Videat quæso Sixtinus cum quibus erravit Vulgatus noster: LXX legunt πρῶτοι; post ipsos *primi* legebat S. Augustinus, ut patet ex ejus Locut. 23. & tandem ipsemet Drusius vocem hebraicam *primum* reducit *primi*, seu *primores* cum S. Hieronymo nempe הראשנים *harischonim*.

Quæritur Censor ad ℣. 14. quod Vulgatus noster verbum *vexillum* omiserit, quod & in cæteris sequentibus factum reprehendit.

Satis expositum judicavit Vulgatus quo pacto, quove ordine castra figenda erant, atque proficiscendum in Cap. 2. Numer. ℣℣. 2, & 17. in quo pariter Capite satis vexilla memorata sunt.

Cum ergo hoc in loco mota fuisse castra juxta imperium Domini narraverit, statim turmæ, vexilla, & familiæ innotescunt, sub quibus, & cum quibus proficisci unusquisque tenebatur.

Ad Versiculum 21. contra Vulgatum Amama subcenset, quod transtulerit: *Tandiu Tabernaculum portabatur, donec venirent ad erectionis locum* cum Hebræa legat = Et profecti sunt Caathitæ portantes sanctuarium ut erigerent (Gersonitæ, & Meraritæ) tabernaculum dum hi (Caathitæ) venirent =

Sæpius admonuimus a S. Hieronymo legitimum Hebraicæ veritatis sensum cum aliqua mutatione verborum esse retentum. Nonne legimus in Vulgata sanctuarium a Caathitis transvectum fuisse, a Meratitis vero, & Gersonitis tabernaculum? Nonne sanctuarium tandiu in Caathitarum humeris consistebat donec erecto tabernaculo deponeretur? Hæc omnia in Vulgata nostra etiam narrantur. Nil ergo ad integritatem historiæ in ea desideratur. Hoc tamen in loco ubi legimus. *Tandiu Tabernaculum portabatur*: facilior erit sensus, si legamus: *sanctuarium portabatur*, quanvis utraque lectio consistere queat.

Descendit Sixtinus ad ℣. 25. in quo legitimam Hebraici sermonis intelligentiam non esse assecutum Vulgatum nostrum adfirmat; quinimmo manifestæ falsitatis ejus lectionem argui posse non diffidit, quæ hoc modo est: *Novissimi Castrorum omnium profecti sunt filii Dan*: cum tamen post ipsos filii Nephtali, & filii Aser prefecti legantur.

Quanta vir præjudiciorum malignatus in sanctum! Non ex Catholicis Expositoribus quempiam, sed ex suæ factionis familia audiat Auctorem Amama Paulum Fagium ita in hunc locum scribentem = Novissimum omnium filiorum Israel „ profectus est vexillum Dan, secum trahens re„ liquam partem castrorum, ut *colligere Castra* sit „ Hebraismus pro *postremo*, sive *novissimo* loco „ proficisci, & hanc sententiam secuti sunt LXX, „ & Vulgata editio, quæ legit: *Novissimi Castro„ rum* &c. Alii Hebræorum vexillum Dan מאסף *me aseph le col ha mechanoth*: *collec„ torem* omnium Castrorum dici sentiunt, eo „ quod omnes, qui vel defatigati, vel morbo, „ vel alia causa impediti castra sua sequi non „ poterant, ad se colligeret, atque reciperet = Hæc tamen Hebræorum expositio est, non scripturæ contextus, ex illo enim potius unumquemque in turmis, & cuneis suis proficisci debuisse satis constat.

Plurima ad Caput 11. Numer. redarguenda in Vulgati translatione reperiit Amama; quorum primum sub ℣. 1. continetur, ubi legimus.: *interea ortum est murmur populi, quasi dolentium pro labore contra Dominum*: quæ profecto interpretatio veritati minime consona est, cum, ut Steuchus observat, murmur populi ad laborem referri non possit, quod nulla tunc premeretur angustia.

Varias pati interpretationes vocem illam מתאוננים *mithonenim* Fagius observat, potest quippe derivare a voce אן *on*, quæ laborem, & dolorem significat; unde vox illa non male versa per participium *dolentium pro labore* in hoc casu deprehenditur.

Ad ℣. 14. ut Mosis spiritus, & sensus habeatur, non *gravis est mihi*, ut Vulgatus, sed *gravis est pra me*, ut legit Hebræa, vertendum est, inquit Sixtinus.

In aliquibus tamen Græcorum codicibus: *βαρὺ μοι ἐστι* legimus; & quamvis habeatur in Hebræo זחי כי בבר ממני *thi chabedh mimmeni*, tamen juxta literam sonat: *gravis est a me*; idest supra me, vel mihi; idipsum quippe est, eo vel magis quod satis in Vulgata expresserit Interpres excessum laboris supra Mosis vires in sustinendo populum illum, cum præmisit: *non possum sustinere* &c.

Ad ℣. 18. majorem emphasim esse ait in Hebræa, quæ legit = Flevistis enim in auribus Domini = quam in Vulgata, quæ habet: *Ego enim audivi vos dicere* &c. Hanc versionem juxta legitimum sensum elaboratam esse Drusius non dissitetur; & ex contextu demonstratur; dicuntur enim filii Israel conquesti quod carnes non haberent ad comedendum: utrumque ergo est in litera, murmur videlicet, & fletus, Dominus autem murmur eorum audisse refertur in nostra, quamquam, & fletum simul auscultasse compertum sit.

Versiculo 20. pariter contendit Censor non apte vocem istam זרא *lezara in nauseam* a Vulgato nostro esse translatam, cum *in vomitum* potius, asserente etiam Cajetano, vertenda esset.

Diversas interpretationes vocem illam sortiri posse Auctores sunt ipsimet Rabbini. Auctor Hiscuni hoc pacto exponit = Comedetis de illa carne, & tandem vobis erit mala, & abominanda, donec amoveatis eam, & reiiciatis a vobis = En nauseam expresse declaratam; cibus enim, qui reiicitur a nobis, & non comeditur est in nausea. Si autem ad literam Hebraicam interpretemur, tunc *erit vobis in dispersionem* legamus necesse erit. Quæ siquidem versio duplicem statim sensum admittit; in dispersionem scilicet, ait Fagius, tanquam res abominanda; quam aliquis aversatur, abiicit, & longissime a se remotam cupit; & en iterum nausea Vulgati; vel intelligi potest: *erit vobis in excidium*; quia non desunt, qui vocem hebraicam *zara* pro *gladio* interpretantur. Verum Sacer textus non de ingluvie loquitur manducantium, adeo ut præ saturitate Israelitæ cibum evomerent. Sed loquitur de ingenti carnium abundantia, quas tandem ipsi eas appetentes fastidirent, & in nauseam eisdem essent conversæ.

Denique ad ℣. 25 Vulgatum nostrum contradictionis ad veritatem insimulat, cum legat Hebræa: *prophetarunt, & non addiderunt* Vulgatus autem *prophetarunt, nec ultra cessarunt*. Hæ duæ interpretationes per diametrum repugnant.

Compertum est ex Vatablo, & Fagio verbum יספו *jasaphu* duplicem præseferre significationem; *cessare* significat si a סוף *suph* derivetur: *addere* vero sonat si יסף legamus. Varii sunt cum Vulgato Interpretes; Vulgatam tamen, & Hebraicam, veritatem æquali modo continere exponunt Vatablus & Calmetus, qui videantur.

§. VI.

DUo notat in sua Censura Sixtinus ad Caput 14. Numer. tanquam a Vulgato inepte translata: primum; quod sub ℣. 12. legitur in nostra; *Te autem faciam Principem super gentem magnam* legamus tantummodo, quinimmo vox *Principem* prorsus legitimum sensum invertit, ut ex Steucho adfirmat, cum Deus non alterius gentis Principatum Mosi spoponderit, sed florentissimam, atque robustissimam ex sua familia progeniem. Ita Censor. Alterum quod redarguit est ad ℣. 27. ubi non recte Vulgatum *querelas filiorum Israel audivi* esse interpretatum defendit, cum maxime extenuaverit peccatum Israelitarum, dicendo *querelas* pro *murmurationes*.

Ad primum quod attinet observat Drusius legi ab aliquibus = Constituam te על גוי גדול *al goi gadol* super gentem magnam pro ל *in gentem magnam*. Primam lectionem præseferebat S. Hieronymi codex fortassis, quo in casu optime appositum esset substantivum *principem*, vel *ducem*. Si enim in sensu Amamæ, aliorumque contendentium legendum esse *in gentem magnam* accipiatur scripturæ textus quandonam Moses futurus erat Patriarcha ingentioris, & potentioris gentis præ illa, quam regebat, ut Dei promissio adimpleretur? Ad alterum vero quod spectat evidens est vocem *querelas* varium præseferre sensum ex adjunctis, seu ex circumstantiis, aliquando enim simplices querimonias, quandoque vero accusationes denotat, & detractiones: hoc in loco murmurationes per vocem illam fuisse indicatas satis ex præcedentibus, & sequentibus verbis fit palam.

Contra Vulgati nostri interpretationem plurima opponit Sixtinus ad Caput 16. Numer. queritur in primis quod desit in Vulgata nostra initialis hujus Capitis vox *& accepit*, cui subintelligenda est altera *seipsum*.

Quispiam facile dignoscet ex Vulgati expressione Chore, & alios seditiosos in Mosen, & Aaron quasi rebellantes insurrexisse: quinimmo sententiæ claritas magis in nostra elucescit, quam in hebraica si verborum rigorem servemus. Quod autem

tem ad ℣. 2. omissus sit ab interprete nostro Hebraismus *viri nominis*, qui viros existimationis, famæ, & dignitatis significat nec leviter integritati detraxit divini textus, quia eosdem *proceres Synagogæ* nuncupaverat, nempe primarios, digniores, & famosos, inter ad Concilium convocandos.

Ad ℣. 18. deesse loci circumstantiam in Vulgata nostra Sixtinus contendit cum legamus in ea solummodo: *stantibus Mose, & Aaron*, omissis cæteris verbis *ad ostium Tabernaculi*, quæ siquidem relinquenda non erant.

Amamæ expostulatio jure quidem esset proposita si ex Vulgatæ lectione colligere datum non esset eam loci circumstantiam. Verum ea plusquam satis ex verbis sequentibus deprehenditur, quibus describitur multitudo ad ostium Tabernaculi congregata, ex qua recedere jussi sunt Moses, & Aaron; stabant ergo & illi ad ostium Tabernaculi. Legit quidem Hebræa ℣. 19. *& congregaverat Chore &c.* Vulgatus autem *Coacervassent* vertit in plurali, quia multitudinis congregatio non a solo Chore, sed a seditiosis illis facta fuisse supponitur in ejus textu. Dissimulare non possumus tamen quod Drusius adfirmat, nempe in Hieronymo legi *& coacervasset*; si hæc sit legitima S. Doctoris versio, jam in Vulgatam nostram literula *n* ex transcribentium incuria intrusa est.

Non satis expressam sententiæ significationem in Vulgata nostra fuisse sub ℣. 26. per hæc verba: *ne involvamini in peccatis eorum* contendit Amama, cum longe vehementior sit Dei comminatio in Hebræa pronuntiata, nimirum *ne consumemini in peccatis eorum*. Versu pariter 32. omissa ab Interprete nostro adfirmat hæc verba את כל האדם *eth col-haadam* אשר לקרח *aser le kora*, *& omnem hominem, qui erat ipsi Core*: vel *omnes homines, qui erant &c.*

Nullius ferè momenti hæ Sixtini oppositiones revera sunt, quicumque enim in negotio alterius involvitur, intelligitur statim particeps esse, & complex boni, vel mali, proindeque præmio, vel pœnæ cum eodem subjacere. Num autem omiserit Vulgatus noster verba illa, quæ Sixtinus opponit ad ℣. 32; vel potius textui Hebraico assuta fuerint? incertum est; cum ℣. 11. Capitis 26. Filii Core adhuc viventes, & a communi suarum familiarum excidio præservati legantur. Si autem de famulis, & servis Core loquatur Hebræa, ii omnes a Vulgato in verbis istis: *& universa substantia eorum*: comprehensi sunt. Non minus in Vulgata propterea, quam in Hebraica sententiæ continetur integritas.

Quæ pariter ad ℣. 33. notantur ab Amama levia satis sunt. Legit quidem Hebræa = Descenderunt ipsi, & quidquid ad eos pertinebat = Verum hæc omnia in Vulgata nostra narrantur versu immediate præcedenti. Præcipiti nimis judicio erratum esse a Vulgato Interprete contendit rigidus Censor, dum verbum שאול *sheol* male *infernum* esse conversum adfirmat. Norunt quippe omnes vocem istam latinam, & locum, in quo damnatorum animæ sempiternis sunt cruciatibus destinatæ, & inferiorem aliquam terræ partem significare: utroque modo potest in Vulgata nostra desumi, adeo ut sepulcrum pro corporibus, & locum damnatorum pro animabus perduellium illorum ostendat; quid ergo Vulgatus carpitur? *Ad inferos* habebat Itala versio antiqua, & eodem modo legebat S. Augustinus Quæst. 29. in Num.

Versiculo 38. male in Vulgata positum esse prædicat Censor: *in mortibus peccatorum*: cum non מותם *mothoth*, *in mortibus*, sed מחתות *machethoth*, quæ *acerras*, sive *thuribula* significat non mortes.

Facillime Sixtinum non voluisse Vulgati sensum attingere convincimus. Hebræa itaque juxta Pagnini versionem ita legit = Dic ad Eleazar ..... ut tollat acerras .... quia sanctificatæ sunt. Acerræ peccatorum istorum in animabus eorum = Textus etiam Hebraicus post verbum *sunt* habet accentum siluc, qui divisionem periodi, & versus indicat. Si tamen hujusmodi accentus non post verbum *sunt*, sed post vocem *eorum* extitisse supponatur tempore S. Hieronymi, nonne tunc ejus lectio optime cum Hebraica invenietur congruere? neque in hac hypotesi S. Doctorem socordiæ compellemur arguere, quasi pro una eademque significatione voces Hebraicas מותם, & מחתות usurpaverit; *in mortibus* igitur vertit S. Pater quod in Hebræa est *in animabus*, & semel tantummodo Thuribula memoravit, quia in ejus lectione satis legitimus sensus intelligebatur, sicut in Hebræa, postposito *silue*, ut dictum est, intelligitur. Calmetus fatetur, quod si jungantur illa Hebraica verba, non male vertentur hoc modo = quoniam peccatores morte sua Thuribula hæc sanctificaverunt = S. Augustinus quæst. 30. in Num. legit = Quia sanctificata facta sunt Thuribula peccatorum horum in animabus suis, idest in morte eorum = hoc modo legunt LXX, & ipsemet Clarius in eumdem sensum, scripturæ textum istum exponit.

Ad ℣. 42. debacchatur in Vulgatum Interpretem Amama, quasi versum 43. eliserit. Nullam deinde in Hebræa *fugæ* habetur commemoratio; cum ibi solum ad Tabernaculum Moses, & Aaron respexisse dicantur. Nullus pariter ibidem legitur temporis ordo, quem tamen Vulgatus per vocem illam *postquam* expressit scribens, *quod postquam ingressi sunt* &c. Hæc ferme Vulgati Interpretis Censor.

Tria sunt in Hebraico textu, quæ erant ad integritatem historiæ necessario referenda ab Interprete Vulgato: Murmur populi, atque seditio in Mosen, & Aaron; eorum ad sanctuarium confugium; & descensus gloriæ Domini super illud. Hæc autem omnia nonne Vulgatus recensuit? Quamvis autem Vulgatus *fugerunt* scripserit pro *respexerunt*, nil in veritatem commisit, quandoquidem unico verbo *fugerunt* duplex quod est in Hebraico *respexerunt* nimirum, & *venerunt* perstrinxit, quamvis postea circumstantiam ingressus in tabernaculum adjungat, quam non habet recens Hebræorum textus, ut Censor contendit. Contextus tamen Hebraicus fugisse Mosen, & Aaron, & non solum respexisse tentorium non obscure subindicat, cum refert cætum esse congregatum contra eos; quinimmo in eos *irruere capisse* vertunt LXX. & Jonathan *ad occidendum eosdem* adjungit. Erat ne tunc *respiciendi*, vel potius *fugiendi* tempus ad sanctuarium? *fugerunt* profecto legunt LXX; & Vatablus *verterunt faciem* idest, ut ipse ait, fugerunt, sive fugere cæperunt; majori cum emphasi Nobilius Græcum textum interpretatur, legit enim = & cum impetu iverunt ad tabernaculum testimonii = deinde subjungit = Illud vero obtexit nubes, & apparuit gloria Domini: & intravit Moses, & Aaron ad faciem tabernaculi testimonii = Hæc Nobilii verba optime respondent textui Græco καὶ ὥρμησαν ἐπὶ τὴν σκηνὴν τοῦ μαρτυρίου, καὶ τότε ἐπῆλθεν ἡ νεφέλη καὶ ὤφθη ἡ δόξα κυρίου καὶ εἰσῆλθε Μωυσῆς καὶ Ἀαρὼν κατὰ πρόσωπον τῆς σκηνῆς τοῦ μαρτυρίου. Hoc in textu id habetur omne, quod in Vulgata, ut per se patet, quamvis in nostra descensus gloriæ Domini super tabernaculum post Moisis ingressum ante ostium sanctuarii referatur; in græca autem, & Hebraica per quamdam fortassis anticipationem prius ille describitur, postea vero Mosis, & Aaronis oratio ad Dominum, ejusque ad illos responsio. Hoc eodem modo sicut habet vulgata fortassis legebat in suo codice S. Hieronymus dum ex hebraica veritate suam ornavit interpretationem. Quidquid sit tamen, sufficit nobis quod in Vulgata legitimum sententiæ hujus sensum habeamus.

Denique Sixtinus sub ℣. 47. hujus Capitis in Vulgatum nostrum insurgit, quod vocem Hebraicam הנגף *ha negheph* verterit *incendium* cum *plagam*, *cædem*, *exitium* significet. Id omne profecto & S. Hieronymo notum erat, verum nec fugiebat S. Doctorem quod a Latinis vox *incendium* pro quocumque exitio aliquando usurpatur, ita Cicero pro Mur. = Si quod esset in suas fortunas incendium excitatum = hac fortassis loquendi formula usus est S. Pater, qua significatur peroptime jam exitium Israelitarum invaluisse. Verum non desunt, qui plaga ignis fuisse percussos Israelitas defendant. Legitimus nihilominus sensus sive uno, sive altero modo sacer textus intelligatur, in Vulgata non deest.

§. VII.

AD Caput Numer. 17. tria redarguit in noſtra Vulgata Sixtinus, quorum primum ſub ℣. 2. continetur in illis verbis: *per cognationes ſuas*, cum Hebræa *per domos Patrum* legat, & merito quidem ait, cum enim duodecim eſſe deberent virgæ una ex domo Joſeph, & una ex domo Levi erat exhibenda; quod ſi legamus per *cognationes* jam tredecim virgæ eſſe debebant.

Si tamen cognationis nomine domos, ſeu familias intelligamus nonne unum, idemque erit, ſive dicamus domum Joſeph, ſive cognationem Joſeph nuncupemus. Verum meliori expreſſione, veriorique profecto uſus eſt Vulgatus; cum virgæ duodecim eſſe debuerint ſine illa Aaronis. Si enim nomina Principum virgis debebant inſcribi, ſi a domorum Principibus virgæ ſumendæ erant, a quonam e domo Joſeph? an a principe Tribus Ephraim, vel a Principe Tribus Manaſſis? unaquæque iſtarum Tribuum poterat merito offendi ſi ab jure Sacerdotii ſine periculo, quod cæteris Tribubus concedebatur expulſa foret. Per cognationes igitur ſuas Principes Tribuum, ut virgas pararent, & Moſi adferrent neceſſe erat. Hinc in ℣. 6. hujus Capitis duodecim fuiſſe virgas abſque virga Aaronis merito Vulgatus enarrat, quidquid ſit de hebraicis hodiernis codicibus, quibus nimis etiam Steuchus, quem ſibi hoc in loco Amama Patronum adſciſcit, deferebat. Iſidorus Clarius Vulgati ſententiam ſequitur, & jure quidem, cum ſit incredibile tam turpiter fuiſſe deceptum S. Hieronymum ſi ſui temporis hebraici codices legiſſent ſicut hodierni; verſio quidem hujus S. Patris legit *abſque virga Aaronis*, ſicque habent quotquot codices Vallarſius inviſit; neque oppoſitum ex ipſamet Hebraica lectione revinci poteſt, cum ſinguli Principes ſingulas virgas tradidiſſe dicantur. Principes autem erant duodecim abſque Tribu Levi, ut patet ex Numer. Cap. I. ℣. 5. & ſequent.

Verſu 8. receſſiſſe Vulgatum ab Hebraica veritate Sixtinus conqueritur, cum in eadem habeamus = Produxerat germen, protulerat florem, & educaverat amygdala = Vulgatus autem vertit: *turgentibus gemmis eruperant flores, qui foliis dilatatis; in amygdalas deformati ſunt*: Duo opponit Cenſor: quod in Hebræa non fiat mentio foliorum, quod ex eadem fructus ad maturitatem fuiſſe perductos inferatur, cum verbum Hebraicum גמל *ghamal* ablactare ſignificet, vel *matureſcere*, ut comuni ſenſu interpretantur etiam Rabbini.

Integer textus Hebraicus eſt והנה פרח מטה-אהרן לבית לוי ויצא פרח ויצץ ציץ ויגמל שקדים *ve hinnech parach Matteh-Aaron le Beth Levi vajatſe perach vajatſets tſits vajghemol ſchekdhim*. Hunc autem ita vertit Pagninus = Et ecce floruerat virga Aaron Domus Levi, & protulerat florem, & florere fecerat florem, & reddiderat amygdalas = *germinavit nuces* vertunt LXX: *fecit nuces* Jonathan. Si plures igitur ſignificationes verbo גמל conveniunt, cur inſimulatur erroris S. Hieronymus dum tranſtulit deformavit in amygdalas, ſive *deformati ſunt*. Quod autem foliorum meminerit S. Pater nil aliud quam diligentiorem miraculi deſcriptionem propoſuit. Neque enim fructus erumpere poterant, niſi florum folia dilatarentur. Fructuum ergo productio tam in Vulgata, quam in Hebraica deſcribitur, eorum autem maturitas ex verbo deſumitur, quod varias patitur interpretationes.

Tria ad Caput 19. redarguit in Vulgata noſtra Sixtinus. Verſiculo etenim 1. ait non idoneè factam eſſe verſionem iſtam: *iſta eſt religio victimæ*, cum habeat hebræa: *hoc eſt ſtatutum legis*. Verſiculis pariter 3. & 5. id in Vulgata noſtra reprehenditur, quod legimus: *in conſpectu omnium*: & cunctis videntibus; cum tamen Hebraica numerum ſingularem exhibeat *coram eo*, videlicet, & *in oculis ejus*. Verſu denique 17. non legendum: *de cineribus combuſtionis, atque peccati*, cum Vulgata, ſed ſine conjunctione *atque* nimirum *de cineribus combuſtionis peccati* defendit.

Quantum ad voces hoc in loco Vulgatus ab Hebraicis hodiernis codicibus differre videtur quam maxime. Verumtamen nomen Hebraicum חקה *chuka*, *ſtatutum*, *ritus*, *lex*, *caremonia*, *decretum*, & *conſuetudo* ſonare poteſt. *Religio* autem, ut a Vulgato hoc in Capite uſurpatur, nil aliud præſefert, quam ritum pro divino cultu ordinatum; quo ſenſu etiam a Tullio Lib. 2. de Invent. *Religio* eſſe = quæ ſuperioris cujuſnam naturæ quam divinam vocant, curam, cæremoniamque affert = dicebatur. Quod autem loco *victimæ, legis* habeat Hebræa nil facit ad ſubſtantiæ mutationem, quoties enim *Religio* in Vulgata idem ſonat, ac ſtatutum, ſive præceptum cæremoniale, id totum includit, quod ſonant duo Hebraica verba *ſtatutum legis*. *Victimæ* fortaſſis appoſuit S. Hieronymus in ſua verſione, ut faciliori via literæ hujus ſenſus percipiatur, ſi ejus temporis codices, ut ipſe interpretatus eſt, non habuiſſe dicamus. Vocem Hebraicam תמימה *tamimah*, *integra* ſeu *perfecta* ad victimæ ætatem referri potuit a Vulgato, cum ex contextibus ſcripturæ id non obſcure innuatur, & plures Hebræorum confirment. In textu ſiquidem Hebraico legimus פרה *parah*, *vacca*, non עגלה *heglah*, *vitula*; non ergo vitula unius diei, aut menſis, ſed juvenca ejus ætatis, quæ ad jugum eſſet idonea, ſed quæ ab eodem foret adhuc immunis erat in victimam ſeligenda; ita ad victimæ ætatem Vatablus refert verbum hebraicum תמימה *tamimah* integra, & cum eodem Abenezra, teſte Druſio; integritas enim coloris, atque membrorum in victimis a Deo imperatis alibi legitur ordinata; non tamen etiam ad colorem referri poſſe integritatem hac lege præſcriptam inficiamur.

Quod autem Verſiculis 3. & 5. legat Vulgatus *in conſpectu omnium* erroris notari non poſſe videtur cum ſit incertum an iſte de omnibus Sacerdotibus ad victimæ mactationem adſtantibus loquatur, vel de filiis Iſrael, qui ejus eſſent ſacrificii ſpectatores. Rabbi Salomon tradit hujuſcemodi victimam coram Sacerdote, & multitudine populi fuiſſe immolandam; quæ ſi vera ſint clariori expreſſione, ejus ritus executionem nobis Vulgatus, quam Hebraica depingit. Si vero de ſolis ad immolationem faciendam deſtinatis intelligere ſacrum textum velimus, non vero de populi multitudine; ſenſus erit quod dum vitulæ combuſtio, & immolatio fiebat omnes ii deberent adſiſtere, & iis videntibus ſacrum ritum expleri. Plures autem extitiſſe ad hujuſmodi cæremoniam ex Hebraico textu, quomodocumque ſingulari numero his in locis utatur, revincitur.

Non pariter ad ℣. 17. erratum dici poteſt in Vulgata noſtra, quamvis conjunctionem *atque* retineat. Sicut enim de Chriſto Domino dici poteſt, quod factus ſit pro nobis *peccatum*, ut ait Apoſtolus 2. Corinth. 5. & victima etiam pro nobis cum fuerit, non male quis dicet de ejus ſanguine: *hic eſt ſanguis victimæ, atque peccati*. Pari modo juvenca illa rufa erat ſacrificium, ſive combuſtio, & peccatum; unde cineres ejus, cineres combuſtionis, atque peccati dici merito poſſunt: niſi per cineres *combuſtionis* cineres ligni cedrini, hyſſopi, & cocci, intellexerit Interpres; per cineres autem *peccati*, cineres vaccæ pro peccato combuſtæ uſurpaverit.

§. VIII.

CApitis 20. Numer. ℣. 6. deſunt quidem in exemplaribus Hebræorum hodiernis ea verba *clamaverunt*, uſque ad *eorum* incluſive, quæ nec in LXX, nec in Chaldaicis leguntur. Quinimmo in aliquibus S. Hieronymi manuſcriptis codicibus deſiderantur, quamvis in aliis ejuſdem S. Doctoris habeantur exemplaribus, præſertim in Viterbienſi a Vallarſio laudato. Biblia Latina omnia eadem proferunt verba ad hunc locum, quæ Vulgata, ut teſtatur Calmetus. Si Epiſtola, quæ legitur Feria VI poſt Dominicam III Quadrageſimæ, vel a S. Hieronymi autographo, vel ab antiquiore exemplari probari poſſet excerpta, litem prorſus dirimeret, cum in eadem, ut in Vulgata noſtra ſcriptum ſit. Fagius ejus eſt opinionis, ut ex aliqua Paraphraſi Chaldaica, quarum olim plures, quam hodie habentur, extabant in Vulgatam noſtram ſententia iſta fuerit aſportata. Id unum ſtatuendum videtur quod hujuſcemodi additio in Vulgata noſtra tandiu retineatur, donec Eccleſia clare dignoſcat, & evidenter eam eſſe eli-

mi-

minandam a verbo Dei revelato. Quandiu autem incerti ſumus num ab Hebræis, Græciſque codicibus, proindeque a nonnullis Latinis ex Amanuenſium exceſſerit negligentia, vel potius in Latinis Bibliis veluti explicatio ſit ſacro textui adjecta ſententia illa, nec Latina veluti excedens, nec Hebraica veluti deficiens damnanda videtur; quamquam Catholicorum plures de Hebraicæ integritate ſuſpicentur.

Quæ autem opponuntur ad ℣. 10. hujus Capitis inepta prorſus dignoſcuntur. Quid enim intereſt ſive dicamus = & congregarunt Moſes, & Aaron Eccleſiam = cum Hebraica; ſive legamus cum Vulgato: *congregata multitudine* (a Moſe, & Aaron ſubintelligitur) cum ℣. 8. præcedenti iſti a Domino multitudinem congregare juſſi ſint.

Duo pariter convicia hoc eodem ℣. *increduli* ſcilicet *& rebelles* dicta Iſraelitis leguntur in Vulgata, cum unicum tantum, *rebelles* nimirum habeant Hebræa, & Græca.

Cenſori ſupereſt demonſtrandum nunquam duo extitiſſe convicia in ſacris codicibus, ut Vulgatum violatæ ſinceritatis revincat. Duo convicia *rebelles*, & *pertinaces*, veluti a Moſe prolata Munſterus, & Fagius admittunt. *Increduli* legitur in verſione LXX, & in Itala antiqua.

Ad ℣. 14. verbum אמר *amar* nimis dure ait Sixtinus a Vulgato verſum eſſe *mandat*, cum *dicit* potius eſſet interpretandum. Omnibus profecto notum eſt verbum *mando* a Latinis diverſis eſſe donatum ſignificationibus; frequens tamen cenſetur illa, qua aliquid exponere, mittere, aut proponere intelligimus. Ea uſus eſt Tacitus Lib. 2. Annalium dum ſcripſit = extremas preces P. Quirino propinquo ſuo ad Principem mandat = ideſt *exponit*. In hoc ſenſu a Vulgato noſtro fuiſſe uſurpatam vocem *mandat* ipſemet contextus demonſtrat.

Verſu denique 24. Habet quidem Hebræa in plurali *rebelles fueritis*. Sed Vulgata eo in loco incredulitatem ſolummodo Aaronis commemorat, quia ille, & non Moſes pœnas erat ſuæ incredulitatis daturus. Non tamen deficiens eſt Verſio noſtra, cum ℣. 12. hujus Capitis tam Moſis, quam Aaronis narrata ſit incredulitas, eidemque a Domino pœna comminata, quam hoc in loco ſubire Aaron jubetur, Verſu pariter 51. Capitis 32. Deuteronomii utriuſque Fratris deſcribitur incredulitas, & executio pœnæ in eoſdem ſancitæ.

Plura ad Caput 21. effutire non deſinit in Vulgatum Interpretem Amama quaſi per ſummam inſcitiam, relictis Hebraicis fontibus varia ex proprio marte in ſuam translationem detruſerit. Verſu primo hujus capitis ſuperflua legi hæc verba: *& victor exiſtens:* adfirmat. In codice verſionis Hieronymianæ habentur tamen illæ voculæ, nec unde S. Doctor ſit eaſdem aucupatus ſi in ſuo exemplari deerant, ex quo latinam verſionem expreſſit, divinari non poſſumus. Cur ergo ex recentibus Hebræorum codicibus excidiſſe credi non poterunt? Eæ ſiquidem ſi deſint, prælium inter Iſraelitas accidiſſe, Regemque Cananæum, prædamque nonnullam ab eodem eſſe factam intelligemus, cui tamen victoria illa in actione contigiſſet ignoraretur prorſus. Ad facti propterea integram narrationem quidquid legimus in Vulgato neceſſarium eſt; & in antiquioribus codicibus, aut ſaltem Paraphraſibus veroſimiliter habebatur.

Quod autem Vulgatus ad ℣. 8. vocem Hebraicam שרף *ſaraph*, *ſerpentem æneum* interpretatus ſit, ſimplicem veritatem præter methaphoram, poſuit. Si autem verbum Hebraicum *ſerpentem igneum*, ſive *urentem* ſignificat, de ſerpente nihilominus, qui figuram habeat ſerpentis ignei, qualis ſerpens ex ære fabricatus exiſtit, ut exponunt Vatablus, Munſterus, & Clarius, intelligamus neceſſe eſt.

Aliæ pariter voces על-נס *al nes*, *pro ſigno* a Vulgato converſæ, quamvis ad verbum *ſuper lignum*, aut *excelſum ſtipitem* verti poſſint, ut Steuchus contendit; non deſunt nihilominus, ut Vatablus confitetur, qui in hodiernis codicibus haberi על pro אל opinetur, unde olim אל-נס *ad ſignum*, aut *in ſignum*, quod idem eſſet ac *pro ſigno*, lectum fuiſſe ſuſpicantur. Id tamen unum eſt certum, quod ſerpens æneus a Moſe fabricatus in conſpectu omnium exaltari oportebat, ut facile in eum omnes intuerentur.

Verſu 13. Vulgatus legit de torrente Arnon: *prominet in finibus Amorrhæi*; quæ non ſatis apoſite dicta Sixtinus adfirmat, cum in Hebræa ſcriptum ſit: *qui egreditur e termino Amorrhæi*.

Nimium tamen omnia diſcutere videtur Sixtinus, ut Vulgati noſtri fortaſſis detrahat auctoritati. LXX. legunt = quod eminet a finibus Amorrhæorum = quam lectionem auctor etiam LXXII. manſionum apud S. Ambroſium retinuit. Itala pariter vetuſta = quo extat a limitibus Amorrhæorum = legebat. Quid tandem ſi verbum *promineo*, vel *emineo*, in quantum *extenſionem protendere* ſignificat hoc in loco uſurpetur cum Vatablo? Tandem cum fluminum pars ſuperior erga eorum ſcaturiginem intelligatur, dum Vulgatus, & *prominet* ſcripſit, ad ejus fluminis originem reſpexiſſe etiam potuit, quaſi dicere vellet, in finibus Amorrhæi ſcatebram tenet.

Ad ℣. 15. ex Cajetano exprobrat Vulgato noſtro, quod perperam voces iſtas Hebraicas ונשען על גבול מואב *ve niſchan ol ghebul Moab* ſit interpretatus *& recumberent* vel ut alii legunt *recumbunt* in finibus Moabitarum; cum ſignificent proprie: *& innititur termino Moab*.

Quis neſciat adhuc ſub lite eſſe num hoc in loco verba fecerit Moſes de aquis defluentibus ex Amorrhæorum terra declive, quibus reſiſtat elevatio terræ Moabitidis, ut Cajetanus exponit; vel potius de ſcopulis, ſive montibus, qui uſque Moab porriguntur, & ad quorum radices aquæ confluunt verſus Moab? Vox ſiquidem אשד *eſced*, quæ *effuſio torrentium* a pluribus vertitur, S. Hieronymo ſcopulos ſonat; nec male ni fallimur, cum per eam radices montium aut declivitas ubi aquæ confluunt, ſignificentur. Verbum pariter נשען *niſchan* vertitur quidem *innititur*, ſed notat in margine Pagninus *porrigitur ad terminum Moab*: ideſt finem habet in termino Moab; unuſquiſque modo cognoſcit, quod non inepte verterit S. Hieronymus, loquens de ſcopulis, ſive de eorum declivitatibus, *recumbunt in finibus Moab*, ideſt pertingentes uſque Moab ibi recumbunt, finem habent. Plana videtur, & literalis hæc lectio, ejuſdemque ſenſus cum Hebraica, quandoquidem eumdem terræ tractum ſignificet.

Ad ℣. 16. ex Cajetano iterum reprehendit Vulgatum, quod ſcripſerit: *& ex eo loco apparuit puteus* &c. cum tamen inde profectio, non putei apparitio ſit habita.

Non minus tamen obſcuritatis eſt in Hebræa niſi hoc in textu idem ſubintelligatur, quod in Latina. Legit itaque ad verbum ex Hebræa Pagninus = Effuſio torrentium, quæ declinavit ad habitationem Har, & innititur termino Moab. Et inde in Beer = Nonne literalis hæc lectio ſignificare videtur effuſionem torrentium poſt ejus innixum termino Moab, declinare ab illo termino in Beer? Ad legitimum itaque ſenſum in Hebræa pertingendum, legamus neceſſe eſt = & inde filii Iſrael profecti ſunt in Beer = Cur ergo prohibemur legere in latina = Et ex eo loco eò venerunt Iſraelitæ, ubi apparuit puteus &c.? idem eſt pro utraque parte diſcrimen.

Verſu 18. cum habeat Vulgatus: *de ſolitudine, Matthana:* exiſtimat Cenſor *Matthana* conjunctam eſſe cum ſolitudine, quæ tamen per comam diſcriminatur, quod autem *Matthanam* non verterit parum intereſt, cum hebraica nomina caſus non mutent per vocum variationem, ſed per articulos.

Vigeſimo iterum verſu eamdem recinit cantilenam ob præpoſitionem omiſſam; cum legendum velit locum iſtum ex Hebræa = Et de Bamoth in vallem, quæ eſt in agro Moab in vertice collis = Vulgatus autem verterit; *de Bamoth, vallis eſt in regione Moab in vertice Phaſga*: qua de cauſa ita in Romanos Bibliorum correctores ſuccenſet Amama = Miror ſtuporem Correctorum, vel potius pertinaciam. An tanti erat præpoſitionem *in* ſupplere? = Ex noſtra ulterius verſione, ſubjungit, videtur Bamoth eſſe illa vallis in regione Moab in vertice Collis.

Culpanda magis videtur Hebraica, quæ ſic habet ומן במות ה גיא אשר בשרה מואב ראש ה פסגה; *ve mi Bamoth ha ghaj aſer bi ſedech Moab roſch ha phiſgah*. Quæ ad verbum ita Pagninus interpretatur;

tatur: Et de Bamoth valle, quæ est in agro Moab in vertice collis. Videt ne Sixtinus, quid sonent Hebræa verba? LXX Interpretes hoc pacto vertunt locum hunc = Venerunt in saltum, qui est in campo Moab a vertice excisi, quod spectat ad faciem deserti = Chaldæus pariter duo hæc nomina *Bamoth*, & *Phasga* (ut legunt nonnulli) generico accipit sensu scilicet: *de colle venit ad vallem, quæ est in agris Moab in vertice collis, & prospicit contra Beth-jesimoth*: Istæ profecto lectiones unum eumdemque esse locum *Bamoth*, & *vallem* aperte significant. Non ergo tam acriter correctores Romani stupiditatis, & pertinaciæ notari posse videntur.

Versu 30. multa contra Vulgatum proponit Amama, quasi inepte locum istum ex Hebraica transtulerit. Verum si ad rem hanc animum convertamus, non minus Vulgati lectionem optime consistere posse quam Hebraicam hodiernam comperiemus. Refert itaque Moses a ℣. 27. hujus Capitis usque ad totum 30. carmen epinicion, quod ab Amorrhæis canebatur, dum prælio contra Moabitas indicto, victoriamque consecutis, eorum dominium ab Hesebon usque Dibon abstulere, ejusve loci habitatores partim in captivitatem, partim vero usque Nophe, & usque Medaba fugere compulerunt, unde sensus esse potest fugitivos fecimus, & lassos usque ad Nophe &c. nisi voces aliquas fortassis ex hebraicis hodiernis excidisse exemplaribus dicere velimus. Quidquid tamen hac de re sit, miramur tam valde Sixtinum fuisse anxium in requirendo themate illius vocis נשים *nasim*: si dixerimus esse nomen, non verbum; nonne vocem hebraicam נס *nas fugitivus* interpretantur? Si eidem adjungamus ים *im* habemus pluralem casum videlicet *fugitivi*. Nec facit quod hoc in loco scribatur per ש non vero per ס, quandoquidem ש habeat punctum in cornu sinistro idem valet, ac *samech*, & in ejus locum potest substitui. Antiquitus autem nulla cum haberentur in hebraicis literis puncta, nonne indiscriminatim ש pro *schin*, & pro *sin* poterat legi? pro *schin* legerunt LXX; qua de causa verterunt נשים *uxores*. Qui autem *vastavimus*, vel *desolare fecimus*, eam vocem interpretantur eam ex themate שמם *schamam* deducunt, & isti etiam sub litera ו *vau* non *sceva*: sed *patach* describere compelluntur, ut vocem prædictam ad tempus præteritum perducant. In Hebræa hodierna tandem hoc legimus pacto ונשים עד נפח אשר עד מידבא, *va nasim hadh nophach aser hadh Medeba*: quæ Pagninus ad verbum reddit: *Et desolare fecimus usque ad Nophach, que extenditur usque ad Medeba*: Verum si interpretemur: *fugitivi fuerunt usque Nophe, quæ est usque Medaba*, pressius retineri videbitur Hebraicæ literæ sensus, & cum Vulgati lectione quoad substantiam conveniet.

Ad ℣. 32. Tandem in Vulgatum nostrum obgannit, quod verbum וירש *va jaresch* converterit *& possedit*, cum *& expulit* sit interpretandum sicuti revera LXX, & Chaldæus interpretati sunt. Quid tamen dixerit Amama si legitimam esse versionem illius vocis per verbum *possideo* demonstravero, modo tali verbo eam significationem concedat, quæ in hoc loco eidem congruit? Lege profecto sancitum fuit ne Chananæos populos sibi asciscerent Judæi etiam in subditos, & famulos Deuteron. 20. ℣. 16. expellendi propterea, vel gladio percutiendi quotquot eis obvii erant: neque id latere Vulgatum poterat aliquando, usus est ergo hoc in loco verbo *possideo*, non quatenus *retinere* significat, sed in quantum *occupare* sonat, quo sensu illud etiam Cicero pro Domi. Cap. 42. usurpavit, scribens = Forum armatis hominibus possidere = Hoc itaque ℣. 32. *possederunt* (Israelitæ), vel *possedit* (Israel) *habitatores* indicat Amorrhæos ab Judæis fuisse occupatos, vel in Judæorum potestatem ejus regionis incolas devenisse, quorum plures occisi sunt, alii vero e terra illa prorsus expulsi, vel fugati. Naturalior ne atque veritati Hebraicæ versio nostra potest esse congruentior?

§. IX.

Capite 22. Numer. non pauca Sixtinus in Vulgati versione menda reperiri contendit, quæ corrigenda prorsus sunt. Versu 5. in primis male in nostra haberi versionem istam: *misit nuncios ad Balaam filium Beor, ariolum, qui habitabat super flumen terra filiorum Ammon*: adfirmat; quandoquidem vox hebraica פתורה *pethora* non *ariolum*, sed locum, seu Civitatem nomine *Pethora* in hoc loco significat, ut Græcorum Interpretes, Chaldæus, & ipsi Hebræorum magistri consentiunt. Vox insuper עמו *ammo*, quæ *populi sui* vertenda erat pro nomine viri Ammon a Vulgato inepte fuit usurpata adjungendo in fine literam *n* contra veterum Codicum fidem, quinimmo, & contra LXX. Interpretum translationem quæ legit τῆ γαῖ αὐτῆ *populi sui*. His adjungi potest incognitum esse flumen in terra filiorum Ammon, ad quod Vulgatus respexit, dum vertit: *super flumen terra filiorum Ammon*. Nomine fluminis in scriptura Euphrates communiter intelligitur, qui perluit Syriam, atque Mesopotamiam, & ex Mesopotamia arcessitum esse Balaam ex capite 23. ℣. 7. Numer. & Deuteron. 23. ℣. 4. compertum est. Quæ siquidem omnia evidenter Vulgati versionem concutiunt.

Vim utique maximam hæc Amamæ objectio contra Vulgatam nostram præseferre videtur; nec parum Interpretibus cujuslibet ætatis facessere visa est. Paulus Fagius in hunc locum, Eugubini commentariis contentus fuit, in quibus veluti adhuc sub lite constitutum asseritur num Hebraicus textus per vocem פתורה *pathara* Baalami professionem ariolandi, vel ejus potius Patriam significet, cum utroque modo possit intelligi. Nec facit quod post vocem *Pethora* sequatur relativum *que*, nam istud per vocem hebraicam אשר *aser* cum describatur, potest intelligi etiam *qui*, adeo ut ipsum Balaam appellet; vox enim illa hebraica ad quodlibet genus protrahitur.

Quantum vero ad alteram vocem *Ammon*, nullum inferri cognoscimus incommodum Vulgatæ lectioni, etiamsi per flumen hoc loco indicatum; Euphratem intelligamus, & per *Ammon* ipsos Ammonitas; & Balaam ex Mesopotamia ad Regem Balac perveniisse fateamur, ut enim Abulensis observat Quæst. 4. in Cap. 22. Numer. Euphrates transit per Mesopotamiam Syriæ, idemque fluit per Ammonitarum terram; qui ergo Mesopotamiam colit, ipse super flumen terræ filiorum Ammon habitare optime dicitur. Hunc autem fluvium a terra filiorum Ammon scriptura hoc loco denominavit potius, quam a Mesopotamia, quia tunc temporis cum existerent Judæi in extremitatibus terræ Ammon, facilius ex ejus terræ appellatione in fluminis notitiam devenire poterant, quam si ex Mesopotamiæ prorsus eis incognitæ terra flumen illud appellatum esset. Veritati igitur narrata a Vulgato cum consona sint, non est incredibile quod Codices Hebraici tempore S. Hieronymi non *Ammo*, sed *Ammon* haberent, nisi dicere velimus utramque vocem *Ammo*, & *Ammon* unum, idemque significare, cum litera *nun* in *Ammon* non radicalis sit, sed heemantica, & ascititia, ut patet ex Geneseos cap. 19. ℣. ultimo, in quo *Ammon* in Hebræo dicitur Benammi, idest *filius populi*, vel *generis mei*; Ammon autem non minus quam *ammo* significat *populus ejus*. Quis igitur erroris Vulgatum redarguet si vocem Hebraicam non convertit, sed eidem suam significationem naturalem reliquit, & sonum; ut posset etiam in Vulgata nostra legi = super flumen terræ filiorum populi ejus? = Nimium facilis ad incusandum Sixtinus!

Ad ℣. 22. omissa hæc verba a Vulgato Interprete כי הלך הוא *chi halach hu: quod iret ipse* Censor opponit. ℣. pariter 31. non legitimum sensum his Hebraicis verbis ויקד וישתחו לאפיו *Vaijikkod vaijischtachu le apaiu* per hanc Vulgati interpretationem: *adoravitque eum pronus in terram*: adfirmat, quandoquidem, ex Cajetano inquit, non se prostravit in terram; sedebat enim super asinam; sed tantummodo caput flexit, & venerationis signum demissa facie dedit; quod & indicat verbum ויקד ℣. tandem 39. hujus Capitis redarguit Amama

Vul-

Vulgatum noſtrum, quod verba iſta: *& venerunt in urbem Hutzoth* ſit interpretatus: *& venerunt in urbem, quæ in extremis regni ejus finibus erat*: quamvis etenim, ait Cenſor חצין *chitſon*, *exterior ſive exterius* ſignificet non tamen in ea voce חוצות ſignificatur.

Levioris quam cum creduntur, momenti ad Vulgati interpretationem elevandam oppoſitiones iſtæ profecto ſunt. Verba in ℣. 22. *quod ipſe iret*, quæque Vulgatus noſter non retulit, eo tendunt, fatente Amama, ut cauſam oſtendant indignationis Dei contra Balaam; hanc tamen, & clariori modo narratam habemus hujus Capitis verſiculo 32. quinimmo non quod iret Deus indignabatur in Balaam, ut ipſi exponunt Hebræi, Deus quippe eundi licentiam fecerat, ſed quia animum permutaverat Ariolus, & cum intentione dira imprecandi Iſraelitis proficiſcebatur. Non admodum neceſſaria ea verba proinde ad hiſtoriæ veritatem haberi queunt.

Quæ autem ad ℣. 31. opponuntur de adoratione Angelo exhibitam, neſcimus prorſus quem ritum, quamque cæremoniam ſervaverit Balaam. An tunc ſuper Aſinam inſideret, ut Cajetanus expoſtulat, judicent alii; Nos ex verſu 27. ſcimus quod Aſina jam conciderat ſub pedibus ſedentis. Id igitur unum eſt certum quod ſigna venerationis Angelo exhibita ſunt. Oleaſter duo a Balaam facta fuiſſe, arbitratur, incurvatum eſſe caput, & dejectum eſſe Balaam ipſum ſuper faciem ſuam. Pagninus etiam, vertit = inclinavit ſe, & incurvavit ſe ſuper faciem ſuam = duas hic actiones diſtinctas exponit, quæ cum Vulgati lectione apprime cohærent, cum *pronus in terram*, non aliud quam *inclinatus ad terram* ſignificet.

Quod tandem ad verſum 39. Sixtinus reprehendat de voce חוצות *Hutzoth* Vulgatum noſtrum, inutile eſt, niſi prius aperte demonſtret quidnam certiſſime per vocem illam ſignificetur. Hoc quidem impoſſibile ei futurum judicamus ob diverſas Interpretum opiniones. Si etenim dicat vocem illam proprium ejus Civitatis nomen exprimere, fateri compelletur in Moabitarum ditione nullam hujus nominis Civitatem occurrere; quapropter cum Calmeto vocem hanc in textu Hebraico depravatam eſſe adfirmare debebit. Si autem *Hutzoth*, ut ille ſcribit, nomen appellativum eſſe velit, tunc a voce חוץ *chutz platea*, *vel forum*, cum Pagnino poterit derivare, vel cum LXX *Civitatem diverſoriorum* convertere. Id tamen certum eſt ipſomet adſerente Fagio quod vox *Huz* apud Hebræos *extra* ſignificat, hinc ab Onkelo merito has voces *Heryath huzoth*; *Civitatem, quæ in extremis finibus* (imperii Balach) *erat*, verſas fuiſſe defendit. Oleaſter etiam *urbem diviſionum* ſcribit, quod ſcilicet limes eſſet Regni, dividens illud ab aliis finitimis. In unaquaque iſtarum interpretationum veritas eſſe poteſt, ſi Civitas illa in finibus Regni Moab extitiſſe ſupponatur; Nundinis, ac negotiationibus cum vicinis populis deſtinatam proinde, variiſque diverſoriis, & plateis ornatam ob populorum concurſum, adſeramus.

§. X.

NUllius prorſus momenti, quæ ad Caput 23. Numer. notantur ab Amama, reperiuntur. Unicus eſt ſub ℣. 20. locus, quem ad pravum ſenſum extorquere Cenſor noſter molitur, ut Vulgatæ noſtræ auctoritati quoad fieri poteſt detrahatur. Cum enim verbum hebraicum לקחתי *lakachthi* Vulgatus noſter *adductus ſum* fuerit interpretatus non autem *accepi*, ut ex Hebraico legit Sixtinus, contendit in noſtra lectione ſententiæ falſitatem poſſe ſubodorari, cum in ea exprimi videatur Balaam a Balach fuiſſe ad benedicedum perductus, cum tamen a domino quidem benedicere, a Balach autem maledicere fuerit juſſus; vox quippe hebraica jam laudata nequaquam per *adductus ſum* converti poteſt.

Nullimode incommodum a Sixtino propoſitum timuere LXX, qui propterea ex Hebræo iſta in Græcum locum iſtum converterunt: Βλαὰκ μεταπέμπεται με ἐπὶ τὸ καταράσασθαι τὸν λαόν μου, καὶ ἰδοὺ εὐλογῶν εὐλόγησα ad benedicendum aſſumptus ſum, benedicam, & non avertam. Textus etiam Hebraicus adſerente Calmeto verti comode poteſt: ego electus ſum ad benedicendum &c. Codex Hieronymianæ verſionis denique legit ut noſtra. Cur ergo timet Amama, quod ex Vulgati lectione poſſit quis inferre Balaam perductum a Balach ad benedicendum fuiſſe, ſi tam clare ex toto hujus capitis contextu ſuſpicioni a Sixtino excogitatæ poſſumus refragari.

Longe robuſtiores videntur, quæ ad Caput 24. Numer. contra Vulgatæ noſtræ lectionem in Amamæ cenſura leguntur, objectiones. Ad verſiculos 3. & 19. vocem hebraicam סתום *Sathum* decepiſſe Vulgatum noſtrum arbitratur, quæ ſi cum puncto ſupra ſiniſtrum dentem literæ ס legatur, *obturationem* ſignificat; ſi autem cum puncto ſupra dextrum cornu ſit tunc *aperitionem* denotat. Hoc autem in loco ſignificationem habere aperiendi & Græci, & Hebræi conſentiunt doctiores, inquit Cenſor, cujus conjecturæ Paulus Fagius, Vatablus, Munſterus, & Druſius conſentiunt.

Ex ſola punctorum conſtitutione, ut ipſi Vulgatæ noſtræ fatentur Adverſarii cum illius vocis ſignificatio dependeat, quis modo ſponſionem dare præſumet, quod illa vox in originariis codicibus dum nulla in eiſdem puncta legebantur, *aperitionem* revera ſignificaverit, ſi ſenſus legitimus in ſacro textu poteſt haberi, quamvis per *obturationem* verbum hebraicum intelligatur? Nonne Caſtalio verba iſta *Homo clauſis oculis* exponit: *cujus videlicet oculi tenebantur ne Angelum ante Aſinam vi leret?* Clarius aperte docet vocem illam Hebraicam etiam *claudere* ſignificare: quinimmo hanc eſſe naturalem ejus ſignificationem plures Hebræorum confitentur apud Druſium, qui verbum illud Hebraicum aperitionem foraminis oculi extracti ſignificare volunt. Alii autem Hebræorum, cum de uno Balaami oculo in ſcriptura ſit mentio, unoculum fuiſſe hunc Ariolum exiſtimant, adeo ut ſcripturæ ſenſus ita ſit accipiendus in hoc verſiculo, quemadmodum a Vulgato expoſitus fuit; hæc tamen cum ſint incerta, ſatis erit Vulgatæ lectio in tuto poſita, ſi hujus loci ſenſum cum Catholicis intelligamus hoc pacto: homo cujus antea oculi tenebantur, & modo Dei viſiones intuitus eſt, &c. qui ſiquidem ſenſus cum ſacro contextu apprime cohæret.

Ad ℣. 7. in quo legit Vulgata: *Tolletur propter Agag Rex ejus* irridet Interpretem Sixtinus, quaſi in eo ſit deceptus, quod puerulis ipſis notum adfirmat. Litera ב quid in compoſitione ſignificet, ait, ſciunt inter nos pueri.

Literam ב in compoſitione quod comparationem ſignificet fatentur profecto quicumque vel leviter hebraicæ linguæ rudimenta attigerunt, unde Vulgatæ etiam patroni legi in Hebraicis noſtris codicibus *tolletur*, ſeu *exaltabitur ſuper Agag*, vel *pro Agag* non diffitentur; quam quidem lectionem nec a prophetæ ſcopo, neque a contextus narratione alienam videri non inficiantur. Merito nihilominus Vulgati lectionem amplectuntur, cum æquili modo, & propheticum ſermonem, & facti veritatem contineat, & in Hebræis codicibus ulterius, ut noſtra legit, ſcriptum erat: ita teſtatur S. Hieronymus in cap. 38. Ezechielis; ubi poſtquam nonnulla de Gog ſcripſerat ſubjungit = Cæterum juxta Hebraicum, ita ſcriptum reperi; „ *tolletur propter Agag Rex ejus, & auferetur Regnum illius*: eo quod Regnum Iſrael in Saule „ propter Agag Regem Amalech deſtructum ſit = Iſtud S. Doctoris teſtimonium Rabbinorum lectioni prævalere arbitramur; quidquid interim ſit de Agag, quem Balaam recenſuit, ſive fuerit nimirum Agag Saulis ante ejus Nativitatem prævifus, ſive Agag nomen fuerit omnibus Amalecitarum Regibus commune, ſicut Cæſaris nomen commune Imperatoribus extitit. Quis opinabitur S. Hieronymum in Hebraica lingua profeciſſe tam parum, ut eum latere potuerit, quod non refugit puerolos, literam nempe ב in compoſitione præferre comparationem? & tamen adfirmat S. Pater ſe legiſſe in Hebræo ut habet Vulgata.

Alteram ad ℣. 8. notat variantem in Vulgata noſtra Sixtinus. Habet enim Hebræa = & ſagittas ejus franget = cum ab oppoſito legat Vulgatus: *& perforabunt ſagittis*: Hebraicæ voces cum ſint ורצה ויגח *ve chitſau i mechaa*: vertit ad verbum Vatablus *& tela ejus confodiet*; verbum inquit,

quit, Singulare nomini plurali junctum, unde quidam vertunt = unumquodque telorum ejus confodiet =: LXX, & post ipsos Origenes Homil. 17. in Numer. legunt = & sagittis suis sagittabit inimicum = quæ siquidem lectiones cum Vulgata apprime consentiunt.

Non majores exerit vires in Vulgatæ lectionem Amama, cum ad V. 14. ubi legit Hebræa = Nunc consulam tibi quid facturus sit populus hic populo tuo in novissimo dierum = inversam prorsus esse lectionem hanc a Vulgato scribente = Nunc dabo tibi consilium, quid populus tuus populo huic faciat extremo tempore = Quamvis enim prophetico more hoc in loco prædixisse futura possimus supponere Ariolum hunc; tamen æquali modo possumus ejus verba intelligere, quod ad Balachi indignationem non restiterit Balaam, cumque maledicta imprecari non posset, Deo vetante, Israeliticæ genti; ut Regis animum emolliret, se suggesturum promisit quomodo subjugare populum Iudæum posset, quamquam pro tunc benedictiones in populum enunciare a Deo compelleretur. Hoc quidem pravum consilium postea a Balaamo datum fuisse evidenter constat ex Capite 31. Numer. Versu 16. & Apocal. 2. 14. Istam pravi consilii promissionem, non prophetica oracula de futuris temporibus in suis Codicibus agnovit Origenes, qui Homil. 20. in Numer. ita scripsit „ In his ostenditur illud, quod „ sæpe memoravimus, quia Balaam postquam Dei „ virtute constrictus non est permissus maledicere „ Israel, volens tamen placere Regi Balach, ait ad „ eum sicut scriptum est (Numer. 24. 14.) *veni „ consilium do tibi*: Et quid consilii dederit ibi „ non apparuit, in posterioribus tamen ipsius li„ bri Numerorum scriptum refertur (Numer. 31. „ 16.) sed plenius in revelatione Joannis (Apo„ cal. 2. 14.) ubi continetur: *Habes ibi quosdam, „ qui tenent doctrinam Balaam, qui docuit Ba„ lach, ut mitteret scandalum in conspectu filiorum „ Israel, ut manducarent Idolis immolata, & for„ nicarentur* = Hunc autem esse legitimum nostri Versiculi sensum non parum ipsa Hebraica verba demonstrant. Vox siquidem אינך non divinare, aut futura prædicere, sed consilium dare significat. Altera pariter vox לעמך *le ammecha* potest esse nominativus cum ל non semper dativum casum, sed etiam Nominativum indigitet, ut ex Lexicis Hebraicis docet Cornelius. Ultima denique verba אחרית ה ימים *acharit ha jamim* non semper *novissimis temporibus, sed posteris diebus* converti possunt, ut pluribus exemplis demonstrant Commentatores: Non ergo legitimus sensus hujus loci desertus videtur a Vulgato.

Neque etiam sensu legitimo divinæ scripturæ fraudamur a Vulgato nostro sub versiculis 21. & 22. hujus Capitis, in quibus legimus Cinæorum familiam quomodocunque robusta haberet habitacula, tuta videlicet inter Hebræos, tamen ab Assyriis in Captivitatem iri perductum prædixisse Balaam. Idipsum ferme in Hebræa legimus, si sensum inspiciamus. Quod autem *Cain* habeatur in Hebræa pro *Cin*, id ex indebita punctorum vocalium inscriptione, non ex textu legitimo repetendum esse plures tum Catholici, cum Heterodoxi consentiunt.

§. XI.

UNicus est ad Caput 25. Numer. locus, in quo variam lectionem habeamus ab Hebraica in Vulgata; Versu nimirum 6; qui tali pacto vertitur ex Hebraicis hodiernis codicibus = Et ecce vir de filiis Israel venit, & adduxit versus fratres suos Madianitidem = Vulgatus autem noster legit: *Et ecce unus de filiis Israel intravit coram fratribus ad scortum Madianitidem.*

Vulgati lectionem antiquiores Codices firmare videntur, cum Scriptores vetusti eodem pacto gestum Israelitæ, & Madianitidis recensent. Origenes ita in Homilia 20. super Libr. Numer. scribit = Post hæc refertur (Numer. 25.) quia „ cum vidisset Phinees filius Eleazari, filii Aaron „ Sacerdotis Israelitem quemdam introisse ad mu„ lierem Madianitidem, rapto sibi romphæ suæ, ingressus sit postribulum, & utrumque per „ ipsa pudenda transfoderit = Philo Iudæus eodem modo suis in exemplaribus, ac Vulgata præfert, legisse credendus est, cum eodem pacto, ac Origenes factum Phinees, & Madianitidis Lib. I. de Vita Mosis enarret. Non ergo suspicandum de legitima Vulgati interpretatione.

Ad Caput 26. Numer. Vulgati interpretationem objurgat Amama, quod in primis extremum versiculi 10. cum initio undecimi conjunxerit, deinde quod verba illa Hebraica ויהי לנס *va jiheiu le nes*, nequaquam vertere, *& factum est grande miraculum* debebat. Quamvis enim, inquit, נס miraculum aliquando significet, constructio tamen, & modus loquendi obstant. Verba tandem ista: *Chore pereunte* desunt in Hebraica, inquit Amama.

Negari siquidem a nemine potest, quod verbum *miraculum* ad Chore, aliosve qui perierunt in seditione a pluribus referatur Commentatoribus, atque Interpretibus; LXX legunt in primis *καὶ ἐγενήθησαν καὶ σημεῖον & facti sunt in miraculum*, deinde *οἱ δὲ υἱοὶ Κορὲ οὐκ ἀπέθανον filii autem Chore non sunt mortui*. In S. Hieronymi versione tamen legimus ut in Vulgata, unde suspicio non levis est, quod in ejus Codicibus Hebraicis, ex quibus interpretationem expressit latinam, sicut in Vulgata nostra, legeretur locus iste; eo vel maxime quod miraculum de incolumitate filiorum Chore, in Patris, & domus eorum exterminio antiquissima inter Hebræos traditione circumferatur, quomodocunque fabellis illud involvant. Satis nihilominus nobis est quod a Vulgato exprimatur legitima historia de præservatione filiorum Chore in communi Parentum ruina, quæ siquidem non mediocre miraculum extitit, sive salvati sint per divinæ gratiæ auxilium a prævaricatione Parentis; sive miraculum ad eorum salutem, seu liberationem ab interitu corporali referatur.

Quæ ad Caput 27. Numer. notantur ab Amama parvi momenti admodum sunt, cum solum verborum energicam quamdam expressionem præ Vulgata præseferant Hebraicæ lectiones, quæ tamen a nostra in re non disconveniunt, pauculæ autem voces, quæ in Vulgati lectione sub isto Capite deesse prædicantur, vel satis ex contextu intelliguntur, vel merito fortassis erasæ sunt, quia est incredibile universum cœtum filiorum Israel ad tabernaculi ostium fuisse congregatum dum filiæ Salphaad coram Mose, & Eleazaro, cunctisque Principibus Populi sua protulerunt jura de Patris hæreditate consequenda.

Ad Caput 28. Numer. Notat Sixtinus in primis quod ad Versiculum 7. omissa a Vulgato nostro hæc verba sunt = Liba libamen siceræ Domino = Versu autem 10. hæc alia verba prætermissa contendit = ultra holocaustum juge, & libamen ejus = quæ pariter versu 15. deesse compertum est.

Nil tamen quod historiæ veritatem, & integritatem respiciat in Vulgata nostra laudatis locis deesse opinamur. Versu etenim 7. satis exprimi libamen in sacrificium Domini effundendum suademur, ex eo quod ibidem vinum commemoretur; alium quippe liquorem præter illud inter Domini oblationes permiscere fuisse Israelitis interdictum, si oleum purissimum excipiamus, veluti certum supponunt Commentatores, præsertim Calmetus ad ℣. 3. Capitis 6. Numer. ubi vocem Hebraicam שכר *schechar vinum vetus*, seu *purgatum* significare demonstrat; cui favent Syriaca versio & Arabica, quæ *vinum vetus* habent.

Ad ℣. 10. pariter, & 15. legem de jugi sacrificio replicare noluit Vulgatus, cum de ea jam toties mentio in præcedentibus habita esset pro Sabbathi solemnitate duo illi agni erant offerendi, relicto tamen ritu de jugi Sacrificio in suo esse, quod quidem lege sempiterna Sanctum jam fuerat, & ℣. 6. hujus Capitis inculcatum erat. Satis itaque a Vulgato videtur expressum Sacrificium Sabbathi esse distinctum a quotidianis Sacrificiis ita ut juge non omitteretur in die Sabbathi; sicut non omittendum erat in cæteris solemnitatibus, ut ex ℣. 23. hujus Capitis fit palam.

Ad Versiculos etiam 13. 21. & 29. deceptum esse Vulgatum nostrum clamat Sixtinus in interpretandis Hebraicis vocibus עשרון עשרון *hisaron hisaron* quasi crediderit primam vocem esse in regimine

mine sequentis in casu genitivo constitutæ, cum tamen, inquit ille, mera sit Hebraicæ linguæ circumlocutio, in qua cum desint distributiva nomina *unusquisque*, *singuli* &c. hinc scribere compelluntur Hebræi: *vir vir*, pro *unusquisque vir*: *virgam virgam*, pro *singulas virgas*. Corrigenda propterea Vulgatæ lectio ad versiculos indicatos, in quibus est *decima decimæ*, quandoquidem sensum a verbo Dei prorsus alienum reddere potest; cum facillime intelligatur in ea lectione decima pars solummodo illius oblationis, quæ integra erat offerenda.

Nodum primo intuitu solvendum difficile nobis opponit Vulgatæ Censor, sed facilem maxime, si contextum velimus consulere, aut aliquid veluti certum supponere; quod tam in Vulgata, quam in Hebraica prærequiritur necessario, si velimus lucem aliquam affulgere in vocibus istis *bisaron bisaron*. Nomine *decimæ* aliquam determinatam mensuram, quæ decies multiplicata, sive sibi adjuncta, alteram datam mensuram adæquet intelligamus oportet. *Ephum* apud Hebræos erat mensura, quæ decem vicibus sibi adjuncta *Corum* æquabat, unde ista *decima* vocari poterat ab Hebræis. *Ephum* pariter in decem æquales partes dividebatur, quarum unaquæque *Gomor*, seu *Assarion* appellabatur, cujus pondus circiter octo libras italicas continebat, cum *Ephum* octoginta circum libras complecteretur. Ista ni fallimur erat apud Hebræos mensurarum divisio in decimas (nempe *Corus* in decem *epha*) & in *decimas decimæ*, nempe *Ephum* in decem *Gomor*. Cum ergo ℣. 5. Capitis 28. Numer. præceperit dominus, ut offerrent decimam partem *Ephi* similæ, intelligimus unum *Assarionem*, seu *Gomor* octo videlicet libras similæ fuisse offerendas. Versu autem 12. hujus Capitis, in quo jussi sunt offerre Judæi tres decimas, intelligi potest, quod offerre deberent vel tria *Epha*, quia sunt tres *decimæ Cori*, vel tres *Gomor*, qui sunt tres *decimæ Ephi*, quæ siquidem ultima cum contextu cohæret quam maxime. Dum autem legimus in Versiculis a Censore indicatis, quod offerant *decimam decimam* juxta phrasim hebraicam, de ultima decima profecto intelligamus oportet, nempe de *Assarone unico*, qui erat ultima mensura penes Hebræos, quæ in alias decimas non dividebatur. Modo si S. Hieronymus, qui hujuscemodi mensuras satis cuilibet notas supponebat, vertit *decimam decimæ*, cum hæc quadrare non possint nisi *Gomor*, qui est decima pars *Ephi*, quod est decima pars *Cori*, satis clare eumdem sensum cum Hebraica expressit: neque in ejus lectione decima pars solummodo illius oblationis, quæ integra Deo erat offerenda potest intelligi. Si autem ad Versiculum 12. per *tres decimas* tria *Epha* velimus accipere; tunc profecto difficilius legitimum hujus loci sensum percipiemus; sed tamen semper pro singulis agnis singula *Epha* erunt accipienda, quorum quodlibet a Vulgato *decima decimæ* nuncupatur. Videatur in hunc locum Menochius.

Non modice succenset Vulgato Sixtinus ad ℣. 14. hujus Capitis quod eum hoc pacto fuerit interpretatus = ita facietis per singulos dies septem dierum in fomitem ignis, & in odorem suavissimum Domino, qui surget de holocausto, & de libationibus singulorum = in qua lectione male in primis redditas esse voces לחם אשה *lechem eseh in fomitem ignis*, sicut & particulam על *de* perperam fuisse conversam, cum præpositio illa nunquam *de* significare queat.

Levis profecto momenti hujuscemodi oppositiones reperiuntur ad infirmandam Vulgati interpretationem. Fatemur quidem præpositionem על *al*, *supra* ordinarie esse intelligendam. Non inepte dixero tamen, si velim exprimere, quod ignis flamma super terram, vel super tectum combustæ domus attollitur, flammam ipsam de tecto surgere, vel elevari; ita pariter unum erit, idemque pronunciare: *elevabitur flamma super holocaustum, & oblationes combustas*, sive: *surget flamma de holocausto*. Quod vero dixerit Vulgatus *in fomitem ignis*, non autem *panem*, vel *carnem oblationis ignitæ*, ut legit Hebraica, nil aliud quam clariorem nobis, atque naturaliorem expressionem præstare fategit, cum enim vox Hebraica *lechem* pro cibo quocumque usurpari queat, ipso confitente Censore, *fomitem* vertit Vulgatus, quia vox ista apud Latinos quodlibet ignis nutrimentum significat, unde Æneid. 1. scripsit Virgilius = Suscepitque ignem foliis, atque arida circum nutrimenta dedit, rapuitque in fomite flammam = Plinius etiam lib. 6. cap. 40. eadem utitur phrasi; cum autem hoc in loco holocausta, & oblationes, seu libationes igni traderentur, non male *fomites* ignis appellantur ab Interprete; qui, ut exorbitasse demonstretur a Censore, opus est certiores nos reddere, quod in Codicibus Hebraicis S. Hieronymi scriptum revera fuerit אשה, & non אש, & quod ulterius, esto litera ה ad finem vocis אש reperta sit ea ætate, ibi ad ditionis venustatem exarata non fuerit; quod solent ad suam scribendi praxim agere Hebræi, ut Grammatici tuentur.

§. XII.

UNicum ad Caput 30. Numer. notat ex Eugubino locum Amama sub ℣. 6. in quo deesse contendit particulas istas ויהוה ישלח לה *vadonai iselach lah*, quæ siquidem habentur apud LXX. scribentes: καὶ Κύριος καθαριεῖ αὐτὴν *& Dominus miserebitur ejus* vel *parcet ei* juxta Hebraicam: *& Dominus mundabit*, seu *expiatam* habebit *illam*, juxta Græcos.

Hanc profecto sententiolam sub versiculis 9. & 13. Vulgatus etiam apposuit. Quis modo Certiores nos faciet num ex versiculis istis eadem sententia assuta sit ab Amanuensibus Hebraicis versiculo 6. ob similitudinem loquendi cum laudatis versibus 9. & 13. vel potius sub ℣. 6. existentem Vulgatus suppresserit? incerta profecto res est. Verum in Vulgatæ lectione æquivalens habetur locutio, cum ibidem habeatur ex ore Legislatoris = Nec obnoxia tenebitur sponsioni = quod idem valet, ac Dominus, sive Legislator non imputabit ei obligationem adimplendi promissa; sive Dominus ei indulgebit, propterea expiata, sive munda, & libera erit ab obligatione simul, & a reatu.

Capite 31. Numeri tres ab Amama sua Censura versiculi perstringuntur in Vulgata nostra, quorum prior sub numero 8. sub numero 12. continetur alter, tertius denique ad Numerum 32. inspicitur. In primo prætermissa queritur hæc verba a Vulgato על חלליהם *al chalele hem: supra* vel *ultra occisos eorum:* nempe Vulgatus legit = & Reges eorum occiderunt = Hebraica adjungit *ultra occisos eorum*: ut significetur inquit ex Cajetano Sixtinus, Reges occisos fuisse post Vulgares, & Plebejos. Versu autem 12. referuntur in Vulgata fuisse ad Mosen, & Eleazarum homines, & jumenta perducta, reliqua autem utensilia asportata ad Castra in Campestribus Moab, quasi hæc prædæ portio seorsim ab alia fuerit evecta; cum ex Hebraica palam constet universam prædam simul fuisse perductam. Denique ad ℣. 32. scripsit Vulgatus = fuit autem præda, quam populus ceperat ovium &c. = Cum in Hebræa scriptum sit = & fuit captura residuum prædæ, quam prædati erant populus militiæ = Hæc siquidem verba יתר הבז *jether habbaz*, *residuum prædæ* omittenda non erant, cum non omnem prædam a militibus captam, sed quæ supererat post consumptam portionem in exercitus victu tam in itinere, quam in septiduana statione extra Castra, cujus meminit textus ad ℣. 19. ad Mosem, & populum fuisse perductam indicent manifesto, ait Sixtinus.

Ad primum locum, quod attinet mirum est sane hanc objectionem fuisse a Sixtino propositam, cum occisionis ordo idem omnino in Vulgata nostra deprehendatur, ac in Hebraica, cum prius vulgares, ac plebeji legantur occisi, deinde Reges, & Balaam, = Cumque pugnassent, habet Vulgata, contra Madianitas, atque vicissent, omnes mares occiderunt. Et Reges eorum.... Balaam quoque.... interfecerunt gladio = Hæc lectio satis oppositionem dissolvit.

Quantum autem ad ℣. 12. distinguit profecto Interpres noster prædam viventium; eamque adductam ad Mosem adfirmat; & prædam rerum aliarum, quæ asportatæ ab eodem referuntur, ut diversum perducendi, & transvehendi modum enarret; minime tamen vel diversis temporibus, vel

ad loca diversa id factum esse dicit Vulgatus, quin potius Versu 11. clare omnia insimul ad eumdem locum transvecta pronunciat his verbis = & tulerunt prædam, & universa quæ cæperant. . . Ad Mosem, & Eleazarum, & ad omnem multitudinem filiorum Israel = ubi quæso erat hæc multitudo nisi in campestribus Moab ad Castra? quæ ergo subjungit ℣. 12. Interpres noster solum diversam prædæ speciem manifestant, diversumque ducendi modum, adeo ut sensus hic sit = universa, quæ cæperant tam de hominibus, quam jumentis venire fecerunt ad Moysen, & Eleazarum, & ad omnem multitudinem filiorum Israel, reliqua autem utensilia portaverunt, &c. =

Ad Censuram versus 32. hujus Capitis 31. fatemur omissa a S. Hieronymo verba illa *residuum prædæ*, sed nil inde Vulgatæ nostræ authenticitati timendum. Si enim intelligamus *residuum prædæ* pro ea, quæ superfuit direptioni militum, jam satis in nostra Vulgata expressum habemus hunc sensum, quia ℣. 53. hujus Capitis refertur in militum lucrum, & utilitatem cessisse quæcumque sibi diripuerant; illorum igitur peculiares capturæ in censu communis prædæ non erant ascriptæ, unde ex Vulgato etiam satis instruimur prædam inter milites divisam, & populum in Castris residuum fuisse illius prædæ, quam sibi militum quisque diripuerat. Non tamen certum est aliquid a militibus de præda communi, vel in itinere, vel in statione extra Castra fuisse consumptum.

Ad Caput 32. tria pariter loca notantur ab Amama in Vulgata nostra; quorum primus ℣. 11. adinvenitur; ubi legit Vulgata *& noluerunt sequi me*, cum tamen in Hebraica scriptum sit = quia non compleverunt post me = in qua utique lectione ratio redditur, inquit, juramenti, quo statuit Deus non ingressuros terram promissionis præter Josue, & Caleb.

Verum notat Vatablus Hebraicam illam sententiam purum esse Hebraismum, quo nil aliud significatur, quam noluisse filios Israel sequi voluntatem Dei, idest ejus adimplere præcepta, quo siquidem sensu Grotius etiam hunc locum exponit. Ratio autem juramenti divini intelligitur statim ex sequentibus verbis versiculi 12., nec non ex immediate præcedentibus.

In ℣. 17. hujus Capitis veluti superflua notat in Vulgata Sixtinus hæc verba: *& quidquid habere possumus*: cum desint in Hebræa.

Cur potius Vulgata excessus, quam Hebraica notatur defectus? Nonne etiam LXX. legunt: *habitabit supellex nostra*? non soli ergo homines, sed etiam eorum substantiæ in Civitatibus illis habitare debebant.

Versu autem 22. deesse in Vulgata hanc expressionem: *postea revertemini* contendit. Quis tamen non appercipiat satis contineri in vocibus istis: *& obtinebitis regiones, quas vultis*: quas Interpres postquam expresserat a Rubenitis, & Gaaditis esse debellandos habitatores Canaan, apposuit? si ergo prius dimicandum eis erat, deinde regiones expetitæ obtinendæ, compertum est, quod post bellum essent reversuri in terram suam, eamdemque possessuri.

Tandem ad ℣. 24. redundare in Vulgati lectione contendit has voces: *& stabula jumentis*, cum in Hebraica istæ habeantur solummodo מדרת לצאנכם *ugedderot le tson chem*, *& caulas ovibus vestris*. Cum tamen in contextu nedum oves, sed & jumenta recenseantur, istis etiam non minus quam ovibus stabula paranda profecto erant, proindeque in originariis codicibus fortassis ea legebantur verba, cum S. Hieronymus in sua versione, quæ nostris habetur temporibus, apposuerit. Nisi enim, & jumentis stabula construere Moses concessisset, sed parvis armentis tantummodo; induci suspicio facillime posset, quod solas oves, non autem jumenta Rubenitis, aliisque populis eis Jordanem remanentibus Moses retinere permiserit.

Nonnulla in Caput Numerorum 32. levis tamen momenti Amama opponit; cum in majori, vel minori expressionis emphasi consistant. Versiculus tamen 55. præsertim a Censore notatur, quod verterit Interpres: *si noluerit is interficere habitatores terræ*, cum Hebraica: *si non expuleritis habitatores terræ legat*.

Pauca dicimus: LXX. legunt: *Si vero non perdideritis* &c. perdere aliquem, ipsumque interficere unum prorsus videtur, & idem. Verum interficiendos fuisse in ore gladii populos illos constat ex versiculo 52. hujus Capitis, in quo legem fuisse promulgatam de interficiendis Cananæis ex versiculis 16, & 17. Capitis 20. Deuteronomii clare nimis fit palam.

Capitis 34. Numer. nonnullæ reperiuntur voces per Sixtini censuram notatæ quarum prima ℣. 4. continetur; cum etenim Vulgatus scripserit: *ita ut transeant in Senna*: deceptus dicitur ab Amama quod non adverterit ן in voce סנה *sina* non aliud indicare quam motum ad locum, minime vero diversum nomen a צן *tsin* constituere.

Probabilius tamen existimamus *Senna* locum omnino diversum a *tsin* seu *zin* extitisse, cum id Litera sacri textus non obscure demonstret; describens enim sacer Historicus lineam in qua limites terræ promissionis ad partem Australem continebantur incipit a solitudine Sin, & Orientem versus usque ad mare salis eam protrahit, circumducit deinde ipsam per *ascensum scorpionis* & usque *Sennam* perducit, postea in Cadesbarne, deinde in villam Adar &c. *Senna* igitur mons, vel Civitas erat, quæ in 15. Cap. Josue *Sina* nominatur, & a qua fortassis suum nomen desertum *Sin* vel *zin* recipiebat. Non itaque tam audacter hoc in loco Vulgatus fuisse deceptus credendus est.

Simili oppositione vapulat ab Amama Vulgatus noster ad ℣. 7. hujus Cap. ubi scripsit: *pervenientes ad montem altissimum*: cum in Hebraica: *describetis vobis Hor montem*: seque deinde nescire fatetur qua deflexione ex *Hor* fieri possit *altissimum*, & qua de causa nomen proprium in appellativum converterit Interpres noster.

Facillime utrumque Censori innotescere potuisset, si animum ad loca, de quibus hoc in loco fit sermo, applicare non omisisset. Mons Hor, in quo Aaron Sacerdos e vita decessit non idem cum monte, in quo ad Boream limites terræ promissionis erant describendi. Quis nam autem fuerit mons iste incertum est adhuc, cum alii Libanum, Casium alii arbitrentur. In hoc tamen quamplures consentiunt quod promontorium aliquod fuerit, præ aliis eminens, cum etiam id non obscure Hebraicus textus indigitet, qui *mons montis*, sive *mons montium* præfefert; unde vertitur ab aliquibus = describetis vobis Hor promontorii = & ℣. sequenti = ab Hor promontorii = Clarius tandem rem nostram concludit = usque ad montem Hor; non illum, ut videtur, in quo mortuus est Aaron, sed promontorium aliquod sub Tyro, & Sidone versus Emath. En ergo cur Vulgatus *montem altissimum* verterit.

Versu tandem hujus Capitis undecimo potuit Amama nedum in Vulgatum sed in Romanos Bibliorum Correctores etiam virus atræ bilis evomere ob ea, quæ in vulgata nostra leguntur verba: *Contra fontem Daphnim*: cum vox עין *ain* non fontem hoc loco, sed locum quendam significare a Sixtino dicatur. Sed esto, subjungit fontem significet, quis dixit Romanis Correctoribus Daphnim esse?

Si correctores Romani, & ante ipsos Vulgatus Daphnim hoc loco indicatum, esse illum Antiochiæ adfirmare præsumerent; sibi profecto jus objurgandi fortassis vindicare posset Sixtinus, cum locus ille nequaquam descriptioni finium Orientalium terræ promissionis cohæreat. Id tamen nec ipse vel illi adfirmare sunt ausi, quamvis S. Hieronymus Comment. in Cap. 47. Ezechielis in ea fuerit opinione. Ut ergo loco isti subobscuro profecto lux aliqua, si fieri possit, effulgeat non erit abs re diversarum versionum lectiones consulere. LXX. in primis ex Nobilii versione legunt = & descendent fines a Sephamar Bela ab Oriente ad fontes = ita ferme Codex Alexandrinus καὶ καταβήσεται τὰ ὅρια ἀπὸ Σιφαμὰ Ἀρβηλὰ ἀπὸ ἀνατολῶν ἐπὶ πηγὰς Samaritanus textus = usque Reblam ab Oriente Ain legit = Arabicus vero tendet a Phamia ad Dafna ex parte orientalis fontis = Syriacus tandem = ab orientali parte *In* = Ex variis hisce lectionibus fontem aliquem satis notum tunc temporis, & nomine celebrem a Sacro Scriptore fuisse hoc loco indicatum satis evincitur, quamvis etiam locus quispiam insignis per vocem *Hain* hebraicam, & *In* Syria-

tiacam indicari posse videatur. Quam itaque contradictionem in nos urgebit Sixtinus si dixerimus fontem istum ad instar Antiocheni, ex laurorum, & cupressorum multitudine fuisse *Daphnim* appellatum? Non leve nostræ conjecturæ argumentum suppeditat Josephi auctoritas in Lib. 4. Cap. 1. *de Bello Judaico* scribentis = huic quidem (lacui Semechon) latitudo est stadiorum triginta, paludesque suas extendit usque ad locum *Daphnem* dictum; cætera deliciis abundantem, fontesque habentem, qui minorem, ut vocatur Jordanem augentes sub Fano bovis aureæ cum immittunt in majorem = loca ista cum finibus orientalibus terræ promissionis in scriptura indicatis cohærent quam maxime. En causam, qua Romani Correctores *fontem* Daphnim non explosere a sacro textu.

Plurima notat ad Caput 35. numerorum Sixtinus ℣. 4. non bene a Vulgato nostro esse conversam inquit vocem Hebraicam אמה *amma*, quæ cubitum proprie significat, in hanc vocem latinam *passum*. Unam tamen eamdemque mensuram *passum* fuisse cum *cubito* ex plurium veterum auctoritate Calmetus in suis ad hunc locum commentariis ostendit, qua de causa non aliud contra Censorem reponimus.

Ad versiculum sextum inepte vulgatum transtulisse ex Hebraico: *Sex erunt* (oppida) *in fugitivorum auxilia separata*: Amama pronunciat, cum voces Hebraicæ ערי מקלט, *harei miklat*, *civitates collectionis* significent, quod in iis colligerentur fugitivi.

Si autem ad illas fugitivi colligebantur, nonne erant fugitivorum subsidia, auxilia, refugium? *Civitates evasionis* Pagninus; *refugii vel persugii* legit Vatablus; quidnam fugitivis opportunius suppeditari potest auxilium, quam *evasionis* seu *refugii*? Clarior quidem in vulgata habetur quam in Hebraica locutio, sed idem sensus.

Versiculis etiam 17. & 18. Vulgatum Interpretem Amama reprehendit quod verterit: *si lapidem jecerit, & ictus occubuerit. Si ligno percussus interierit &c.* cum potius: *Si lapide manus: aut instrumento ligneo manus* &c. vertendum foret; in hoc enim loco, inquit, regulam præscribit Legislator circa judicia de occisoribus ferenda; quapropter *lapis manus*, & *lignum manus* nominantur quia percussionis instrumenta examinari oportebat an apta essent ad mortem inferendam; si enim quis alterum parvo lapillo, vel tenui virgula percussisset, & ille moreretur, non mortis reum judicare debebant percussorem, cum ex illis instrumentis mors oriri non posse supponatur; unde exprimit Hebræa *lapidem manus* ut conditionem instrumenti significaret, quam Vulgatus omittit.

Ex hujuscemodi oppositionibus quis Censoris animum in Vulgatum nostrum facillime non dignoscat? palam fecerat Vatablus quod hujus generis phrases *lapis manus*, *lignum manus* meri sunt Hebraismi, qui lapidem, ut jaciatur idoneum, lignum, quo aliquis percutiatur, accomodum significant. Parum ne hasce lapidis, lignive qualitates Vulgatus expressit dum scripsit morte puniendum, qui lapidis jactu hominem enecavit, vel ligni percussione alterum interemerit? lapidis profecto, lignique nomine neque lapillum aut arenæ granulum, neque tenellam virgulam intelligimus.

Versiculo tandem 32. hujusce capitis defectum quemdam, specie tenus magni momenti, sibi blanditur Amama in vulgati lectione reperiisse; cum enim Hebraica versio legat: ולא תקחו כפר לנום אל עיר מקלטו לשוב לשבת בארץ עד מות הכהן *velo tikchu chopher lanus el hir miklato la schub la schebeth ba eretz hadh moth ha choben*: idest = & non accipietis pretium ut fugiat ad urbem refugii sui, ut revertatur ad habitandum in terra usque ad mortem sacerdotis = Vulgatus autem vertetit: *Exules, & profugi ante mortem Pontificis, nullo modo in urbes suas reverti poterunt*: clamare Sixtinus non desinit nimis contracte scripturæ locum hunc esse redditum ab Interprete nostro, qui prohibitionem recipiendi pretium, ut homicidæ liceret ante sacerdotis mortem ad suam terram ex civitate asyli reverti, solummodo expressit; cum & altera inhibitio recipiendi pretium ab homicida voluntario jam apprehenso ut ad aliquam refugii civitatem dimitteretur, exprimenda foret.

Admodum profecto inter se diversificantur Interpretum ad hunc locum commentationes ut ipsemet fatetur Sixtinus, atque apud Expositores Divinarum scripturarum, quisque intueri potest, Ambages tamen quæcumque in Vulgatæ lectione videntur ablatæ versiculo enim 31. legit Vulgata = Non accipietis pretium ab eo qui reus est sanguinis, statim & ipse morietur = En interdictum Judæis ne ab Homicida pretium accipiant, sed ipsius sanguinem, si voluntarie proximum interfecerat, fundant; fraudibus quibuslibet clauditur iter. Dum autem versu 32. exulibus, & profugis nullo modo licere ad propriam terram reverti perseverante Pontificis vita constituit, etiam pretium hac de causa recipere interdixit, ut per se patet.

Aliqua pariter ad Cap. ultimum Lib. Numer. Sixtinus notat in Vulgati lectione, sed præsertim quod versu 6. legem pro hæredibus fœminis latam ut cum viris Tribus, & familiæ suæ connubia celebrarent, ne unius Tribus possessio in aliam distraheretur, ampliaverit, vertens: *Nubant quibus volent tantum suæ Tribus hominibus*; cum tamen hujuscemodi fœminis nedum suæ Tribus, sed & suæ familiæ homines ducendi in viros essent; ut legit Hebræa.

Incertum est in primis, etiam attenta Amamæ lectione Hebraica, num lex pro filiabus Salphaad, aliisque hæredibus fœminis lata solam Tribum patris, vel etiam familiam ejusdem includeret = veruntamen (legit ex Hebraica Sixtinus) familiæ Tribus patris sui sint in uxores = quæ verba hoc possunt indicare, quod in aliqua familia Tribus paternæ maritum accipiant; qui siquidem sensus idem omnino est ac Vulgatæ nostræ, ut per se patet. Nec alium fortasse verbis illis affigere possumus, si quæstionem a filiis Manasse propositam, atque Legis datæ finem, & scopum inspiciamus.

Accedunt itaque Principes familiarum Galaad ad Mosen, atque ne cum hominibus alterius Tribus filiæ Salphaad connubia celebrent expostulant tantummodo, minime vero ut suæ familiæ virum accipiant exposcunt: Lex juxta petitionem eorum promulgatur; non ergo suæ familiæ viris erant mulieres hæreditatem consecutæ, obligatæ, sed viris suæ Tribus tantummodo, ut ex sacris literis patet.

Si tamen velimus nedum inter Tribus, sed & inter ejusdem Tribus familias possessiones fuisse servandas, adhuc in Vulgata nostra fœminas hæredes, suæ familiæ viros in maritos debuisse recipere, satis exprimi non ambigimus per verba illa versiculi 7. *omnes viri ducent uxores de Tribu, & cognatione sua.... ut hæreditas permaneat in familiis*. Quæ siquidem verba de mulieribus hæreditatem patris ob fratrum defectum consequentibus esse intelligenda ipse contextus satis evincit, & Frassenius noster in §. XVIII. demonstrat. (W)

§. XVIII.

Ex Numerorum *ult. vers. 7. & 8.*

LEgitur in Vulgata: *Omnes viri ducent uxores de Tribu & cognatione sua; & cunctæ fœminæ de eadem Tribu maritos accipient*; Ut hanc versionem explodat Natalis Alexander, post Paulum de S. Maria Episcopum Burgensem, non solum Hebræum ac Samaritanum textum, LXX. Targum Onkelosi & Arabicam versionem producit, sed opposita citat exempla de Mose ipso & Aarone Exod. VI. de Joiada. II. Paralip. cap. XXII. & Michol quæ erat de Tribu Benjamim quæque nupsit Davidi qui erat de

Tribu Juda: Vulgatæ verſionis errorem in eo ſitum eſſe putant, quod hac Lege comprehendat omnes fœminas ne viris alterius Tribus nubant, cum Hebraica veritas reſtringat ad eas ad quas ob defectum fratrum hæreditas paterna pervenerat. Hanc objectionem antequam eleyem, Lectorem monitum velim me de quæſtione facti convenire, meque in ea eſſe ſententia agi hoc in loco de filiabus hæreditatem poſſidentibus. Hoc poſito ad id quod objectum eſt venio, & dico prædictæ Legis ſenſum verſione noſtra non convelli; nam quamvis generali modo loqui videatur, reſtrictionem tamen ſupponit ex ea quæ ubique recipitur regula, *poſteriora per priora eſſe explicanda:* cum ergo in præfato Numeror. loco præceſſerit ſpecies filiarum Salphaat quæ hæreditatem poſſidebant, Lex (quæ earum cauſa fertur) debet intelligi de iis filiabus quæ in hac eadem ac illæ, ſpecie continentur; nam fruſtra Lex illa traheretur ad illas filias quæ nullam ad eas, de quibus loquimur, ſimilitudinem haberent. Itaque poſita ſemel ſpecie in filiabus Salphaadi, Lex quæ earum cauſa ſancitur, ad præfatam ſpeciem referri debet, quamvis generali quodammodo enuntietur, atque ita eam intellexit Vulgatæ Auctor, nec ullum profecto in hoc errorem admiſit; quinimo uno verbo complexus eſt quæ Editiones aliæ plurimis efferunt: ibi enim præcavet: *Ut hæreditas permaneat in familiis*; ubi vides eum duntaxat loqui de conjugiis filiarum hæreditatem habentium. Quamobrem injuſte & minus religioſe hic a Criticis Interpres noſter arguitur.

EX LIBRO DEUTERONOMII.

EO Fraſſenii propoſitum contendiſſe videtur ut illa tantummodo verſionis vulgatæ loca contra Hebraicæ hodiernæ lectionis Defenſores vindicaret, quæ a nonnullis ætatis illius ſcriptoribus veluti male translata notabantur, dignaque propterea, ſi Eccleſiæ permiſiſſet auctoritas, ut corrigerentur. Hujus ſiquidem opinionis vir inter alios clariſſimus, deque publica litteraria re optime meritus Natalis Alexander inter tot ſui Ordinis celebres ſcriptores, celeberrimus extitit. Quæ propterea vir iſte inſignis Articulo VI. Diſſertationis XXXIX. *in Hiſtoriam Eccleſiaſt. Seculi* IV. vulgatæ noſtræ loca perſtrinxerat cenſura, quæque magis principalia Fraſſenio viſa ſunt, vindicanda ſuſcepit in hoc Diſquiſitionum Biblicarum Lib. III. Nos alia pariter loca verſionis ab Eccleſia Romana receptæ, quæ ab Hæreticis tanquam a veritate diſſona proclamantur defendere curavimus hoc in loco; ſubjungentes deinde nonnulla, quæ in ſacro Deuteronomii Libro vellicantur. Supplementa vero aliorum Librorum ad ſecundum Diſquiſitionum volumen reiicientes.

§. I.

VErſiculum 15. Capitis primi Deuteronomii aggreditur Amama in primis, quod omiſerit in eodem vulgatus hæc verba ושטרים לשבטיכם *ve ſoterim le ſchibetechem; & præfectos de Tribubus veſtris.*

Mirum profecto eſt a S. Hieronymo hujuſcemodi voces fuiſſe in ſua verſione ſuppreſſas, ſi in Hebræorum Codicibus tunc temporis legerentur. Suſpicio quod arte Rabbinica aſſutæ ſint ſacro Textui, indeque poſtea in alias verſiones irrepſerint ex eo fulciri poſſe videtur, quod hoc in loco Moſes a ſe geſta Exodi 18. Verſiculis 21. & 26. populo enarret; ibi autem in Hebraicis etiam Codicibus nulla *ſoterim* habetur commemoratio, cum ſoli Tribuni Centuriones, quinquagenarii, & decani nominentur, quos in miniſterii ſui Moſes aſcivit, ut leviores in populo exortas quæſtiones, & cauſas reſolverent, & definirent; ac unumquemque quidquid juris ſui erat edocerent. His accedit: nondum clare inter Hebræos ipſos quidnam vox illa *ſoterim* ſignificet, eſſe definitum; quinimmo ipſemet Cenſor modo *ſcribas*, modo *moderatores*, aliquando *monitores*, *magiſtros*, *apparitores*, *Judicum miniſtros*, vel *ſententiarum executores* fuiſſe intellectos *ſoterim* non inficiatur; Hujuſcemodi autem officiales cum in Exodo minime legantur a Moſe inſtituti incertum eſt num hoc in textu Deuteronomi locum habeant.

Majori cum emphaſi ad ℣. 23. Cap. 2. Deuteronomii Vulgatum ex aliquorum etiam Catholicorum auctoritate caſtigat Amama quod ſcripſerit: *Capadoces, qui egreſſi ſunt de Cappadocia*; cum Hebraica veritas habeat, & quidem longe verius = Caphtoræi, qui egreſſi ſunt de Caphthor = qui ſiquidem populi Geneſis 10. ex Mitzraim orti ſimul cum Philiſtæis dicuntur, cum ab oppoſito Cappadoces ex alio ſtipite deſcenderint.

Non brevem inſumpſerunt ſacri Commentatores, ut hujuſce textus legitimum ſenſum aſſequerentur quem num adhuc attigerint eſt incompertum; noſtrum autem ſolummodo erit oſtendere Vulgati lectionem nullimode poſſe erroris convinci. Si enim Geneſis capitis x. ℣. 17. lectio ſuo ordini prono, & naturali, ut Maſius expoſcit, reſtituatur; hoc modo reformatam legemus = *Mitzraim* genuit Ludim, & Chaſlujm, & Caphtorim, de quibus egreſſi ſunt Philiſtiim = Hæc lectionis reſtitutio a Maſio indicata aliis ſcripturæ locis firmari poteſt, quibus Philiſtiim ex Caphtorim deducuntur: Jerem 47. ℣. 4. ſcriptum legimus = vaſtavit Dominus Philiſtiim reſiduum inſulæ Caphtor = Amos 9. ℣. 7. numquid aſcendere feci Iſrael de terra Egypti, & Philiſtiim de Caphtor? &c. = His itaque compertum eſt quod ex Geneſis 10. ℣. 17. revinci non poteſt erroris Vulgatus noſter, licet ſuos Cappadoces non ex Mitzraim progenitos fuiſſe opinaretur. Quos nihilominus populos S. Hieronymus indicaverit dum *Cappadoces* vertit incertum eſt adhuc; nobis id unum ex divinæ ſcripturæ textu certum eſt Caphtorim expuliſſe Hevæos eorumve terram occupaſſe, undecumque devenerint. Alterum quod veluti probabilius ſtatuimus eſt *Cappadoces*, de quibus in hoc Deuteronomii loco, non ex illa Cappadocia, de qua S. Petrus ad Caput primum ſuæ Epiſtolæ primæ ſermonem habet, quomodocumque pro ea ſteterit Bochartus poſt innumeros antiquioris, recentioriſve ætatis ſcriptores cum eodem ſentientes; ſed ex una inſula non admodum ab Hevæorum terra diſtante, quam Jeremias loco citato *Caphtor* appellat. Calmetus olim pro inſula Cypro eamdem accepit: deinde vero alteram opinionem aſcivit atque pro inſula Creta decertavit in ſua *De origin. numin. Phœnic. Diſſertatione*. Torniellus vero ad annum mundi 1931. num. 32. pro ea inſula eſt in qua nova Tyrus condita, quæve ſtadiis quatuor a continente ſolum diſtabat, atque in peninſulam ſub anno 4. Alexandri Macedonis redacta ſi vera narret Diodorus Lib. 17. Alii tandem, & probabilius fortaſſis. *Caphtor* inſulam Nili fuiſſe ajunt, in quo plures, & non modicæ magnitudinis reperiuntur; ex una iſtarum itaque Caphturim Colonia prorupit, atque Hevæorum terram invaſit, ſuaſque ibidem ſedes conſtituit, ac deinceps Coloni illi Philiſtiim ſunt appellati. Huic profecto ſententiæ quam valde favere videtur nedum locorum propinquitas; cum Palæſtina ab orientali

plaga

plaga Ægypto Inferiori sit contermina ut docet Paulus Orosius in primo de Ormesta mundi capite de divisione Asiæ; sed insuper Divinæ Scripturæ textus in Cap. 10. Geneseos ubi Caphtoræi ex Mitzraimo dicuntur progeniti; quamlibet ergo ex recensitis hucusque velimus opinionem amplecti de Caphtoræorum loco certum est quod erroris Vulgati lectio revinci non potest.

§. II.

NOnnulla ad Cap. 3. & ad initium Cap. 4. a Sixtino reprehensa levis admodum sunt momenti. Ad versic. autem 29. ejusdem Cap. 4. iræ suæ aliquantulum in Vulgatum nostrum fræna relaxat quod verterit: *& tota tribulatione anime tue*: cum legat Hebræa: *& tota anima tua*; quo loquendi modo nil tritius, ait, censor, sicut nil magis insolens quam sic loqui = & toto corde tuo & ex tota tribulatione animæ tuæ = in scriptura sacra adinvenitur.

Mirum profecto est quod Sixtinus, insolentem in scriptura hanc phrasim, *& tota tribulatione anime tue*; adfirmare non pudeat. Quid est animæ tribulatio, nisi contritio, nisi pœnitentia delictorum? vel amoris vehementia quo tendimus erga Deum, eumque desideramus? Animæ tribulationem experiebatur Regius Propheta dum ajebat Psal. 51. ℣. 19. *Sacrificium Deo spiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum*: quæ verba Drusius juxta sensum a nobis indicatum exponit: idemque sensus huic Deuteronomii loco apprime convenit, ut per se patet, cum prædicantur ibidem futuræ Israelis prævaricationes; ejusque propterea dispersio inter gentes, & angustiæ, ex quibus liberatum iri Deus spondet, si toto corde, & sincera animæ pœnitentia ad Deum ipsum revertetur. Hebraici siquidem hodierni codices vocem hanc: *in tribulatione* ad ℣. 31. habent, legunt quippe: *in angustia tibi tua*, sive *in qua eris* unde tribulatio corporalis indicari ab eisdem videtur ex qua clamantes ad Dominum Judæi antiquæ felicitati restituendi promittuntur; utramque tribulationem Vulgati lectio præsefert; prius enim dispersionem Israelis inter Gentes, ejusque calamitates quibus opprimeretur describit, deinde subjungit: *cumque quæsieris ibi Dominum &c.* Idest in calamitatibus & ærumnis. Integra proptera lectio Vulgati habenda est, ut per se patet.

Levis pariter momenti oppositio videtur quam ad ℣. 32. hujus Cap. Amama opponit notans veluti ineptam hanc versionem vulgati: *A summo Cœlo usque ad summum ejus*: cum facillima esset hæc altera = ab uno extremo Cœli usque ad alterum = Eo vel magis quod vox מקצה *miktseh* non *summum* sed *extremum* significat.

Vulgati nostri lectionem in suo Codice habebat Ecclesia Africana tempore S. Augustini, in sua quæst. 8. super Deuteronomium. *A summo Cœli usque ad summum Cœli* legebat. LXX. etiam Interpretes ἐπὶ τὸ ἄκρον τοῦ οὐρανοῦ ἕως ἄκρου τοῦ οὐρανοῦ *super summum Cœli, usque ad summum Cœli* legebant, quin imperitiæ nota inficerentur ab aliquo, donec, celebris Bibliorum purgator Sixtinus ventilabro suo, è tritico paleas exploderet. Falsum est autem quod vox Hebraica *miktseh summum* significare non possit, quoties *extremum* significare Sixtinus concedat. Quis etenim nesciat vocem *summum* pro voce *extremum* sæpe a Latinis fuisse usurpatam? Eneid. 2. = venit summa dies, scripsit Virgilius, & ineluctabile tempus = Cicero pariter in Horten. inquit = vixit ad summam senectutem valetudine optima = Eodem sensu a vulgato aliisque Interpretibus hoc in loco vox *summum* usurpatur.

Interpretem nostrum ad vers. 33. Sixtinus lacessit quod verterit: *sicut tu audivisti, & vixisti*, cum in Hebræa legamus, & *vixit* ויחי vaijichi; certum quippe est, ait *jod* in futuris tertiam personam constituere.

Hodierni Hebræorum Codices *vixit* profecto legunt, sed num antiquiores hanc lectionem prætulerint prorsus incertum est, cum LXX. Interpretes habeant: ἤκουσας σὺ, καὶ ἔζησας *audivisti*, & *vixisti*: hoc eodem pacto est in Codice Hieronymianæ versionis facile est proinde in recentioribus Hebræorum codicibus mutatum fuisse *tau* secundæ personæ constitutivum, in *jod* formativum tertiæ. Legitimum tamen sensum etiam in Hebraica hodierna adinveniri non diffitemur, cum juxta Pagnini versionem ita legat = nunquid audivit populus vocem Dei loquentis e medio ignis sicut audisti tu, & vixit? = Convenientiorem tamen præcedenti narrationi esse in Vulgata nostra sensum non ambigimus, cum maximum inter prodigia alia Moses Israeli miraculum proponat, quod scilicet audiverit vocem Dei loquentis e medio ignis, & tamen mortuus non fuerit.

Ad versiculum denique hujus Capitis 49. Vulgati interpretationem istam: *usque ad radices montis Phasga* reprehendit, cum in Hebraicis habeamus codicibus תחת אשדת הפסגה, *tachath asdoth haphisgah*; compertum est autem; inquit, vocem *asdoth* nequaquam *radicibus*, vel *radices*, sed *effusiones*, unde legendum contendit; *sub effusionibus* (aquarum) *collis*.

Evidenter, ni fallimur, modo Sixtini animus in Vulgatum se manifestat. Quid quæso respectu collis vel montis *effusio* aquæ significat nisi totum collis declive, per quod aqua potest diffluere? Dum ergo Hebraica legunt; *sub effusionibus aquarum* quid quæso loci indicant nobis, nisi ultimam inferiorem partem declivitatis collis? quæ profecto non alibi quam ad ipsius collis radices consistit. Aliud profecto non addimus hoc in loco.

Quod addit Sixtinus ad ℣. 4. Cap. 5. Deuteronomii; in quo Vulgatus noster legit: *facie ad faciem locutus est nobis*; perperam esse veriam hebraicam vocem עמכם *himmachem nobis*; cum revera *vobiscum* significet; Refellimus expostulando ut nobis ostendat vetustiores Hebraicæ veritatis intemeratos codices S. Hieronymi ætate ita legisse ut recentes; quod utique præstare non poterit postquam Doctorum maximus in sua translatione *nobis*, non *vobiscum* exaravit. Contextus Hebraicus recens versionem nostram confirmat, cum legat constanter עמנו *himmanu*, *nobiscum*. *Pepigit nobiscum* (habet Hebræa).... *Non* cum *Patribus nostris*,... *sed nobiscum, qui sumus hodie hic viventes. Facie ad faciem locutus est Dominus* (*nobis*) legit Vulgata (*vobiscum*) Hebræa. Utraque lectio salvari potest, sed Vulgata est cum præcedentibus convenientior, ut patet.

§. III.

REdarguit Amama lectionem Vulgati ad ℣. 7. Capitis 6. Deuteronomii his conceptam verbis: *& narrabis ea filiis tuis, & meditaberis de iis dormiens*: eo quod diversimode legamus in Hebraica = & repetes ea filiis tuis, & loqueris de iis in cubando te = vox quippe Hebraica בשכבך *be schachbbecha*, *in cubando*, sive *dum cubas* significat.

Quidquid Sixtinus dicat; certum est, ipsomet adferente Drusio, quod verbum שכב *dormire* significat, cum eadem vox Lib. 3. Regum Cap. 19. ℣. 6. & Psalm. 3. ℣. 6. occurrens, per verbum *dormio* translata sit. Verum quis impediat quin Vulgatæ verba *dormiens atque consurgens* non intelligantur hoc modo *die, ac nocte* (*meditaberis in eis*)? erit ne sensus hujus translatio in scripturis sanctis inaudita? legimus in Psalm. *Lucerna pedibus meis verbum tuum*; & in Evangel: *Ego sum vitis vera &c.* Quod autem Vulgatus verbum *meditor* pro *loquor* adhibuerit redargui non posse videtur si innumera scripturarum loca videre non pigeat, in quibus *meditor* pro *loquor* usurpatum adinvenitur: *Os justi meditabitur sapientiam est in* Psalm. 36. ℣. 30. si ergo vicissim hæc duo verba *loquor*, & *meditor* in scripturis usurpari consueverunt, error esse non potest in hujus versiculi Vulgata interpretatione. Accuratius tamen hoc in loco verbum *meditor* adhibitum a Vulgato fuisse, quam alterum, præcepti divini natura satis demonstrat; facilius quippe est quod Legislator monuerit populum Israel, ut semper in suis præceptis exerceatur per eorum executionem, vel de eis diligenter cogitet, idest in suis actionibus præ oculis mentis habeat; quæ quidem omnia verbum *meditor* exprimit; quam quod de eis loquatur ore. Nec dicat Sixtinus quod loquimur aliquando sola mente, de qua locutione divinum monitum hoc

in

in versu procedit; quippe talis locutio magis appositè per verbum meditor exprimitur. Alia multa super hoc negotio dici quæ possunt, omittimus, cum apud Commentatores videri queant.

Maximum emittit Sixtinus in vulgati versionem strepitum ad versiculum 24. hujus cap., eo quod verterit: *ut bene sit nobis cunctis diebus vitæ nostræ sicut hodie*: cùm legamus in Hebræa לטוב לנו כל קימים לחיותנו כהיום הזה *le tob linu col ha jomim le chajiothenu checjom hazoh*; *ut bonum sit nobis omnibus diebus: & vivamus secundum diem hanc*; vel ut legunt ad verbum Pagninus, & Vatablus: *ut vivificares nos secundum diem hanc*. Quid quæso sibi volunt hæc verba nisi: *ut incolumes nos servet sicut hac die incolumis sumus*; hoc pacto Vatablus, & Grotius exponunt. Hunc sensum an reddat vulgati lectio judicet quisque; ad quid ergo de sono verborum contenditur si eadem est intelligentia, quam solummodo servandam in sua ex Hebraico versione sibi proposuit Sanctus Hieronymus?

Ad Caput 7. nonnulla Sixtinus redarguere pergit, quæ levis profecto momenti videntur. Versu itaque 10. Vulgatum objurgat quod voces Hebraicas אל-פניו *el pannaiu*, bis in hoc versiculo occurrentes, transtulerit *protinus*, *statim*; cum plures ex *Pontificiis* etiam, (ita filios Catholicæ Ecclesiæ, Christi Vicario, e S. Petri successori obedientes vocat Barbarus iste) eidem retragentur: *in faciem* etenim *ejus* verba illa significare, compertum est.

Nos tamen, qui non verborum corticibus, sed medullam legitimi sensus inquirimus in Sacris Literis, in Vulgati lectione non diversam haberi sententiam ab Hebraica, si præsertim horum verborum expositionem, quam exhibet Amama, amplectamur, tenemus pro certo. Pronomen itaque *ejus* referatur ad eum, qui Deum odit; sensus erit quod Deus puniet osorem in faciem ejus, scilicet osoris. Quid est autem aliquem in ejus faciem punire? nisi ejus castigationem non differre ad alteram vitam, sed in vita præsenti illum affligere? Alium sensum hæc sententia: *puniam eum in faciem ejus*: præseferre posse non diffitemur; sed quem proposuimus, hoc in versiculo genuinum esse ex Hebraico ipso contextu revincemus. Legit itaque Pagninus = Reddens odio habentibus eum, contra faciem ejus, ut perdere faciat eum. Non tardabit odio habenti eum, in faciem ejus reddet ei = LXX. Interpretes pariter legunt = Reddens odientibus statim, ut perdat eos, & non differet odientibus, protinus reddet eis = Reddere itaque in faciem ejus odienti Deum = idem est ac non longe differre debitam ei pœnam, ut Vatablus etiam exponit.

Alia nonnulla Sixtinus ad caput istud redarguit in vulgati lectione ℣ 13. quod verterit: *Benedicet armentis tuis* pro *fœtui boum tuorum*. Ad ℣. 23. *quod interficiet illos* scripserit pro *conteret eos contritione magna*. Ad versiculum tandem 25. quod: *non concupisces aurum & argentum ex quibus* (Idola) *facta sunt*, sit interpretatus; cum legat Hebræa = Non concupisces argentum, & aurum, quæ super ea (Idola) sunt = Impunem tandem non relinquit versum ultimum hujus capitis, in quo legit Vulgatus = Non inferes quidquam ex idolo in domum tuam = cum vertendum foret, ut ipse ait, = non inferes abominationem &c. =

Ex hujuscemodi oppositionibus unusquisque dignoscit quam parum differat ab Hebraica veritate Translatio nostra Bibliorum. Quid est benedictio armentorum, nisi abundantia fructuum illorum; quid per armenta nisi boum greges significatur? Ad versiculum pariter 23. brevi oratione se Vulgatus expediit dum dixit *interficiet illos*, quod idem sonat ac Hebraica sententia = conteret eos contritione magna ad destruendum = Versu 25. quodcumque aurum, & argentum, quo idola vel ex integro constructa, vel ornata erant & cooperta excludit Vulgatus ut per se patet, eo vel maxime quod versiculo ultimo quidquam inferre Domum prohibuerit, quod aliquo pacto ad idola pertinuisset; omne etenim hujus generis spolium erat anathema, & abominatio, ut satis se explicat ibidem Legislator.

§. IV.

AD Caput Deuteronomii octavum aliqua in Vulgati lectione, sua Censura castiganda Sixtinus offendit; horum primum Versu 4. est, ubi vertit noster Interpres: *pes tuus non fuit attritus*: contendit quippe Amama duplicem interpretationem huic voci בצקה *Batsekah* apud Hebræos esse factam; quarum prima est = pes tuus non fuit conspersus (luto); scilicet non fuit discalceatus, proindeque luto contaminatus non est. Secunda est = Pes tuus non intumuit. =

In Vulgati lectione, quam & LXX. Interpretes tenuerunt, cum scripserint κατατρίς, utramque expositionem contineri manifestum est, pedes enim calceati neque luto conspurcantur, neque contritionem patiuntur ordinarie loquendo. Levis tamen momenti hæc sunt.

Ad versiculos 15. 18. & 19. cujus sint ponderis quæ opponuntur ab Amama, facile unusquisque ex textuum comparatione dignoscere potest. Objurgat itaque Vulgatum quod ad Vers. 18. hujus Cap. verba Hebraica נחש שרף, *nachasch saraph* verterit: *Serpens flatu adurens*, cum Numeror. Cap. 21. eadem voces *Serpens ignitus* fuerit interpretatus. Ad Versiculum 18. deesse ait verba ista: *ad comparandas opes*: post hæc altera verba: *ipse vires sibi præbuerit*, subjungenda. Versu tandem 19. male versa esse ait hæc התעידי בכם, *hobidhoti vachem*; *prædico vobis*, cum proprie *testor contra vos* sint interpretanda.

Quantum ergo ad primam oppositionem dicemus effectum Serpentini morsus satis a Vulgato nostro esse descriptum, sive halitu interim, sive dentibus venenum impertirentur Serpentes; hinc quoad rei substantiam integram præsefert Vulgatus noster narrationem. Quis tamen dabit pro certo hoc in loco sacrum textum de serpentibus illis, quos Deus in populum obmurmurantem immisit Exodi 21. revera sermonem habere, & non potius de quadam serpentum specie, quos *basiliscos* appellant, vel *regulos*? quorum afflatus ejus est indolis, ut herbas, homines, aliosve etiam serpentes adurat sicut Plinius testatur. Lib. 10. Cap. 4. & Elianus Lib. 1. Cap. 5. Hisce serpentibus abundare Desertum, ubi diu commorati sunt Israelitæ sacri Commentatores testantur: ab hisce ergo serpentibus, aliisque, quos Divinus textus recenset Deus populum suum custodivit.

Nil pariter officit Vulgatæ lectioni quod definit ad ℣. 18. verba ista: *ad comparandas opes*: quandoquidem mera sint eorum repetitio, quæ in versibus præcedentibus dicta erant; legatur caput istud 8. a versiculo 12. usque ad 18. & unusquisque dignoscet num verba, pro quibus clamat Sixtinus sint necessaria? Adhuc magis erunt inutilia verba illa si per vocem *vires* a Vulgato expressam intellexerimus bona omnia & divitias, quæ Israeli a Deo traditæ sunt, sicuti Expositorum nonnulli intellexerunt.

Ad versiculum 19. apposite Vulgatum adhibuisse verbum *prædico* non ambigimus; cum enim hoc in loco neque cœlum neque terra, nec quid aliud invocetur, sicut alibi factum est, sed solus loquatur Deus Israeliticæ genti, hinc verbum *testor* idem prorsus significat ac *testimonium perhibeo*, *adfirmo*, *profiteor*, *prædico*; idem ergo quoad sensum est in Vulgata ac in Hebræa.

Sub Capite 9. Deuteronomii pauca Sixtinus redarguit; quamvis enim ad ℣. 2. non accurate versa esse hæc verba: *Filios Enakim*, *quos ipse vidisti*, *& audivisti*, *quibus nullus potest ex adverso resistere*, cum meliori expressione habeantur in Hebræa = quos tu nosti, & audivisti: quis subsistat coram filiis Anak? = qua siquidem loquendi formula, ait Censor, intelligimus populum Israel audivisse Exploratores dicentes: *quis subsistat coram filiis Anak?* in Vulgati autem lectione intelligimus Mosem ex se narrantem, nullum posse resistere filiis Enakim; quod equidem scripturæ sensui minime congruere videtur: Nihilominus fatetur ipse Amama, quæ apud Hebræos per interrogationem dicuntur, verti posse in Latinum per negationem; ita hæc verba: *quis ut Deus* optime *nullus sicut Deus* convertuntur idem ergo & in

casu

casu nostro sensus erit si dixerimus: audivisti, quis resistet filiis Enakim? ac si dicamus: audivisti, *nullum posse resistere filiis Enakim*. Fatemur tamen relativum *quibus* in Vulgato aliquantulum obscuriorem reddere literæ sensum; sed Commentatores Catholici hunc locum ita explicuerunt, ut sensum reddiderint: filios Israel audivisse ab Exploratoribus quod nullus possit resistere filiis Enakim: quod satis est.

Versiculo 5. hujus capitis assutam esse vocem *devorans* atque inepte eodem in loco adhibitum verbum *delebit* pro *humiliabit* fuisse a Vulgato queritur Amama.

Quid tamen errati in hac lectione = Dominus Deus tuus ipse transibit ante te ignis devorans, atque consumens =? Si in Hebraeia legimus: *ignis consumens*? clariori cum expressione, & majori cum emphasi Vulgatus expressit quid Dominus instar ignis esset acturus inter gentes, quas non solum humiliare, sed conterere, dispergere, atque consumere juraverat, unde non inepte verbum *delebit* quo & LXX. sunt usi, adhibuit Vulgatus noster.

Ad Versiculum pariter 12. integra est in Vulgata nostra sententia, quæ in hoc uno consistit; quod Israelitæ iniquitatem fecerant, & Dei mandata per Mosem proposita transgressi fuerant: ut LXX. interpretati sunt. Idipsum a Vulgato expressum esse per hæc verba = Populus tuus... deseruerunt velociter viam, quam demonstrasti eis, & fecerunt sibi conflatile = unusquisque dignoscit. Quid itaque ad rei veritatem si vocibus diversis idem sensus significetur?

Grandem Censor noster strepitum ad Versiculum 14. Capitis 10. Deuteronomii emittit quod Vulgatus verba hæc Hebraica השמים ושמי השמים haschammaim uscheme haschammaim verterit: *Cœlum, & Cœlum Cœli*, cum, *Cœli, & Cœlum Cœlorum* vertenda fuisse, sit manifestum, eo quod tres in sacris Literis Cœli recensentur, quorum primum est aereum, secundum stelliferum, tertium denique in quo Dei majestas Beatis ostenditur. Hinc Dei esse dicuntur duo primi Cœli, & tertium, quod est Cœlum duorum priorum, inquit Sixtinus.

Ineptiæ pergrandes! Nonne Censor ipse ex scripturæ testimoniis fateri compellitur indiscriminatim a Divinis Auctoribus *Cœlum*, & *Cœli* pro una eademque significatione usurpari? Matthæi 16. ℣. 19. Christus S. Petro dixit = quæcumque ligaveris super terram erunt ligata & in Cœlis = Matthæi autem 28. ℣. 18. idem Christus de semetipso pronunciavit = Data est mihi omnis potestas in Cœlo, & in terra = Nunquid in unico Cœlo Christus, in omnibus Cœlis Petrus potestatem habebat? Sive ergo *Cœlum* in singulari sive Cœli in plurali legamus in sacris Literis dum aliquod Dei attributum exprimitur, omnes Cœli intelliguntur. Quid denique si S. Hieronymus hoc in loco dum scripsit *Domini* tui *est Cœlum*, per verbum istud *Cœlum* totam regionem a terra usque ad firmamentum intellexisset? Nonne idem esset sensus in rei substantia cum eo, quem Sixtinus expostulat? Unico verbo: hoc in loco Vulgatus integram, & perfectam sententiam non minus in sua versione expressit, quam Hebraica præseferat. Significat enim Dei esse Cœlum, & terram, & quidquid in eis continetur: quod satis, abundeque est.

§. V.

VUlgati lectionem improbat Amama ad ℣. 6. Capitis 11. Deuteronomii; in hac enim versione: *atque universa substantia quam habebant*: ab Interprete nostro reddita, satis nescium hujus hebraicæ phrasis ואת כל היקום אשר ברגליהם *vet col hajekum asher bereghelihem*, se prodit quæ proprie significat = & omnem substantiam quæ erat in pedibus eorum = inquit censor idest substantia vivens que sequebatur eos.

Quis ad hujuscemodi nænias se cohibeat? Nonne modus ille dicendi apud Hebræos idem prorsus significat ac habere in proprio Dominio, sive possidere? Hoc Vatablus confitetur, & contextus facer aperte significat; absorta ne fuit solummodo substantia vivens Dathami, & Abironis? vel potius universa, quam secum habebant in tentoriis, suppellex? cur ergo ii integram narrationem facti Vulgatus enarrat, reprehenditur?

Non majoris cognoscimus momenti alteram oppositionem Amamæ, quam ad ℣. 10. hujus Capitis obiicit Vulgato; non satis scilicet ab eo fuisse propositam industriam, atque laborem quo per agros Ægypti aquæ ducendæ sunt, ut semina germinent: habet enim Vulgatus: *Non est sicut terra Ægypti, ubi jacto semine, hortorum in morem aqua ducuntur irrigua*: Hebræa autem, inquit longe clarius laborem istum exprimit hoc pacto = non est sicut terra Ægypti, ubi seminabas semen tuum & irrigabas pede tuo ut hortum oleris = quis profecto non videat eamdem omnino in re lectionem esse utriusque textus? Notum omnibus est quo pacto in Ægypto agri per Nili aquas ex industria perductas fœcundentur, ubi ex fluminis inundationibus non irrigantur.

Ad Versiculum denique hujus Capitis 30; iterum Vulgati lectionem increpat Amama eo quod voces istæ hebraicæ אצל אלוני מורה *etsel elonei moreh* versæ ab ipso sint: *juxta vallem tendentem, & intrantem procul*; Cum eædem Geneseos 42. ℣. 6. *ad convallem illustrem* translatæ fuerint.

Jam superius in nota (19.) ad hunc tertium Disquisitionum Librum quid de vocibus hisce Hebraicis sentiamus, præmonuimus. Hoc in loco adjungemus tantummodo a S. Hieronymo eumdem hic situm esse indicatum ac in Geneseos Capite 12. quamvis eum diversimode nuncupaverit: cum enim S. Doctor, ut ipse in Prologo super Paralipomenon testatus est, singula terræ sanctæ loca perlustraverit, ne varietate nominum, & situum locorum turbaretur, singulis locis descriptionem quandam attribuit, qua dubietates, si quæ esse possent exploderentur; hac de causa situm hoc versiculo indicatum, *vallem* appellavit *tendentem & intrantem procul*, hoc est vallem, cujus apud Galgalim est principium, & longe per promissionis terram protenditur, qua siquidem descriptione eluditur controversia an Vallis Moreh eadem sit vel non, cum valle Mamre?

Ad Caput hujus Libri duodecimum tria reprehendit Amama in Vulgato Interprete loca, veluti male ex Hebraico versa, vel truncata in nostra Translatione. Deesse in primis contendit ad ℣. 5. duas Hebraicas voces שרשו, & שמה, *schammah & tidreschu*; *requiretis* & venietis *illuc*.

Integram haberi in Vulgato nostro lectionem sine verbis illis clarius ex contextu integro hujus versiculi est, quam probatione sit opus. Non in occulto locus a Deo electus in Tribubus Israel, in quo sacrificia offerentur, esse poterat, ut inquisitio necessaria foret ad dignoscendum quo venire jubebantur Judæi ad sacrificia facienda.

Versiculi 15. hujus Capitis interpretationem a Vulgato nostro redditam ex Hebraico magna excipit cum admiratione Sixtinus, cum nescire se fateatur quid ad versionem hanc: *sive immundum fuerit, idest maculatum, & debile; sive mundum, idest integrum & sine macula quod offerri licet, sicut capream, & cervum comedes*: Interpretem nostrum perduxerit, cum hæc eadem Hebraica verba הטמא וחטהור יאכלנו *ha tame ve ha tahor jachalnu*: verterit ad Versiculum 22. hujusce Capitis: *immundus & mundus in commune vescentur*; quam siquidem versionem & LXX. & plures ex Catholicis retinuerunt.

Ad revincendam Vulgati lectionem erroris, nullam alteram quam Sixtini intelligentiam posse in verbis hebraicis contineri opus esset; quo in casu profecto adjectiva ista *immundus, & mundus* ad personas comedentes, non autem ad comestibile animal referri deberent. Notat nihilominus hunc in locum Paulus Fagius peculiarem Israelitis factam carnibus vescendi potestatem, qua in Deserto minime fruebantur. Permittit videlicet Judæis terram promissionem ingressis ut carnes manducent animalium, quæ ante ostium tabernaculi jugulata non forent; in Deserto autem animalia comedendi ab Hebræis munda omnino, & sine maculis, idest sacrificiis idonea esse oportebat, cum ante fores sanctuarii necarentur. Facta autem terræ divisione, cum plures Hebræorum longe a tabernaculo Dei essent habitaturi, nec facile ad sanc-

tua-

cuarium accedere poſſent, domi propriæ eiſdem animalia mactare permiſit Moſes, eademque comedere, quamvis ob aliquos defectus inepta eſſent ſacrificiis, quo ſenſu immunda appellantur a Vulgato. Horum deinceps animalium carnes manducare permiſit etiam aliqui immunditia legali contaminatis perſonis, ut ℣. 22. exponit Vulgatus „ „ Duo itaque, ait Fagius, in præſentia permittit „ in terram introductis; alterum eſt quod jus fa„ ciat carnibus veſcendi prophanis, hoc eſt non „ oblatis ad altare; alterum quod etiam immun„ dis fas erat edere. In Deſerto capreis, vel hin„ nulis, & cervis veſcebantur impune, ſed pe„ cora niſi ſacrificata vetita erant. Cauſa cur per„ mittat carnes prophanas explicat, quando dicit: „ *locus enim quem elegit Dominus procul erit*. Sunt „ ergo duplices carnes prophanæ, quas *appetentiæ* „ & *deſiderii* nominant Hebræi; & carnes ſanctæ, „ hoc eſt immolatitiæ „. Hanc Fagii expoſitionem tam naturalem, & textui Vulgati cohærentem, quis poterit falſitatis revincere? Nullus certe, voces quippe Hebraicæ ſuperius recenſitæ tam in maſculino, quam in neutro genere deſumi poſſe cognoſcebat S. Hieronymus, qui propterea in ſua ex Hebraico translatione habet ut noſtra Vulgata.

Quod denique ad ℣. 50. hujus Capitis verterit Interpres noſter: *Ne imiteris eas*, quamvis legat Hebraica פן תוקש *pen thinnakeſch*, ne *illaqueas te poſt eas*, ut vertit Pagninus, immerito prorſus redarguitur, cum idem in utraque verſione ſit ſenſus; unum quippe idemve eſt imitari alicujus peccata, ac illaqueari peccatis illius.

Cap. 13. a Vulgato noſtro omiſſa conqueritur Amama hæc verba ללבת בה *lalechet bahh*, *ad ambulandum in ea*, ſub ℣. 5. quæ tamen a LXX. proferuntur; quemadmodum hæc altera etiam ad. ℣. 9. *ut interficiatis eum* relicta ſunt a Vulgato, quæ profecto a LXX. nequaquam prætermiſſa fuerunt.

Quicumque tamen attente iis in locis Vulgati textum percurrere velit, manifeſto cognoſcet illa verba nil, ſive adſint, ſive deſint, ad rei ſubſtantiam efficere; eo etenim ipſo, quo legimus in Vulgata ad ℣. 5. *ut errare te faceret de via, quam tibi præcepit Dominus Deus tuus* intelligimus ſtatim debuiſſe Hebræos per eam ambulare, quia præcepta erat a Domino.

Ad verſum nonum cur quæſo in latino repetenda erant illa verba *ut interficias eum* ſi ante duas voces jam dicta erant? Nonne legimus in Vulgata: *Non acquieſcas ei, nec audias ... nec miſereatis, ut occultes eum. Sed ſtatim interficies. Sit primum manus tua ſuper eum* ad quid replicatio *ut interficias eum* ſi id tam clare jam dictum eſt?

§. VI.

DEeſſe ad ℣. 1. Capitis 14. in Vulgati interpretatione hæc verba בין עיניכם *ben eiinechem*; *inter oculos veſtros*, quæ ſiquidem a LXX. fuerunt admiſſa ſcribentibus ἵνα ἐπιθήσετε φαλάκρωμα ἀνὰ μέσον τῶν ὀφθαλμῶν ὑμῶν ἐπὶ νεκρῷ ideſt non imponetis calvitium per dimidium oculorum veſtrorum propter mortuum.

Certum ſiquidem erit hoc in loco Iſraelitis fuiſſe interdictam Capitis decalvationem ſupra frontem, ut Steuchus & Cajetanus ab Amama laudati defendunt, cum aliquis ex eorum charis mortem occumberet; Steuchus tamen optimo conſilio a S. Hieronymo ea verba *inter oculos* prætermiſſa defendit, quia mera phraſis Hebraica eſt, quod per eadem verba pars capitis anterior ſupra frontem ſignificetur. S. autem Hieronymus Hebraiſmos in Latinam interpretationem inducere non ſatagebat.

Ad Caput pariter 15. Deuteronomii male Vulgatum ad ℣. 18. ſuam per hæc verba: *Non avertas ab iis oculos tuos, quando dimiſeris eos liberos: quoniam juxta mercedem mercenarii per ſex annos ſervivit tibi*: interpretationem digeſſiſſe Sixtinus adfirmat, quaſi ab Hebraicæ veritatis ſenſu, & verbis immodice abiverit = Non ſit durum (ſunt Hebraica verba) in oculis tuis, cum dimittes eum liberum a te, quia duplum mercedis mercenarii ſervivit tibi ſex annis = ideſt, exponit Cenſor, libenter dimittite ſervos quia duplo major fuit eorum ſervitus quam mercenarii; mercenarius quippe ſolis tribus annis duci poterat, cum itaque ſervus duplo tempore ſervierit, dupla etiam mercede dignus erat; hinc verbum Hebraicum משנה *miſchne* verti debet *duplum*, quemadmodum & Vulgatus Geneſis 43. ℣. 15. משנה כסף *miſchne cheſeph*, *duplicem pecuniam* eſt interpretatus.

Priuſquam Vulgati lectionem notaret Sixtinus neceſſe erat ut evidenter oſtenderet vocem *miſchne* non aliunde quam a radicali שנים *ſchenaiim duo* vel *duplex* eſſe derivandam; contradicere autem ſi a radicali שנה *ſchanah*, *annus* repetatur; donec ergo hæc non demonſtret Vulgati Cenſor, noſtra lectio in tuto conſiſtet. LXX. Interpretes nullam invenere contradictionem in vocem illam *miſchne* a voce *ſchanah* repetundo; hinc interpretati ſunt hebraicum hunc textum ἐτῶν ἑπτὰ μισθὸν *annuam mercedem*: quaſi dixerint per ſex annos ſervivit tibi annua mercede mercenarii; quæ ſiquidem expoſitio cum Vulgati lectione apprime cohæret. Variæ Interpretum explicationes ad hunc locum exhibitæ apud Commentatores videantur. Quæ ad verſum 1. Capitis 16. in Vulgati lectione verba redundare dicuntur ab Amama; nempe: *& verni primum temporis*: inutilia non ſunt cum nobis eumdem omnino ſenſum, ac hebraica verſio proponant. Legit itaque Hebraica שמר את חדש האביב *ſchamor hodeſch haabib*: *obſerva menſem Abib*. Quiſnam fuerit menſis iſte audire poterat Sixtinus a Fagio, Munſtero, Vatablo, & Clario, qui unanimi conſenſu in ℣. 4. Capitis 13. Exodi intelligunt menſem primum veri temporis „ *Abib*, „ ſcribit Munſterus loco citato, ſignificat proprie „ calamum frumenti creſcentis in ſpicam; hic ca„ pitur pro illo tempore quo fruges ad maturita„ tem tendunt; quod in terra promiſſionis fit „ proxima lunatione poſt æquinoctium vernum, „ hoc eſt in principio Aprilis „ Fagius vero inquit *Abib* proprie: calamum in cujus ſummitate ſpica eſt: ſignificat. Hoc in terra promiſſionis fit menſe Martio, vel in principio Aprilis = idipſum tradunt cæteri laudati Scriptores. Quid ergo nobis propoſuit Vulgatus Interpres per illa verba, quæ ſuperflua dicuntur ab Amama, niſi menſem *Abib*?

Nullius ferme inveniuntur momenti quæ notantur in Vulgati translatione ad Caput 17. Deuteronomii ab Amama verſu equidem 8. legunt Hebræa exemplaria בין נגע לנגע *ben neghah le neghah*; *inter plagam, & plagam*; verum animadvertit inter alios Grotius vocem illam Hebraicam *neghah* admodum generalem eſſe, & quomodocumque grave malum ab eadem ſignificari λεπρομανικῶς autem *lepram* indicari per illam; in quo ſiquidem ſenſu quinquagies ſumitur in uno Levitici Cap. 13. Quid ergo mirum ſi per antonomaſiam locutus hoc in loco Vulgatus vocem illam hebraicam transtulit *lepram*?

Duo ad Caput 18. Deuteronomii loca redarguenda Cenſor noſter reperiit; alterum ſub ℣. 3. ſub 10. alterum. In primo deeſſe contendit vocem והלחיים *vehallechajaim*, *& maxillas*, *ſeu mandibulas*, quam profecto LXX non omiſere. In ſecundo vero ineptam eſſe translationem iſtam Vulgati *non invenietur in te, qui luſtret, filium ſuum, aut filiam, ducens per ignem, aut qui ariolos ſciſcitetur* Ex Steuchi auctoritate propugnat; vox enim Hebraica מעביר *mangabir* quæ ſignificat *traducere*, vel *tranſire facere*, a Vulgato converſa eſt *luſtret*. Male ſimiliter translatæ ſunt alteræ voces קוסם קסמים *koſem keſamim*, quæ ſignificant *divinans divinationem*, per hæc verba *qui ſciſcitetur ariolos*; referenda quippe verba hujuſmodi non ad conſulentes divinos, ſed ad ſuperſtitioſam artem exercentes, inquit Steuchus.

Ad primum itaque locum quod attinet in quo contendunt exciſam eſſe a Vulgato noſtro vocem *mandibulas* ſeu *maxillas*, quam quidem admiſere LXX. demonſtrandum erat Cenſori eam in originariis extitiſſe exemplaribus, nec a Rabbinis fuiſſe codicibus aſſutam, ut ſuam fulcirent traditionem, qua docent dari hæc tria Sacerdoti propter Phinees; ſcilicet dari armum, quia Phinees in fortitudine brachii ſui percuſſit Zambri cum Madianitide; dari ventriculum, quia percuſſit eos in ven-

tre,

tre, in genitalibus nempe; dari denique genas, quia has movet Sacerdos dum orat pro offerentibus hostias; ridicula profecto traditio! Hæc enim Sacerdotibus ante facinus Phinees statuta erant ut patet ex Cap. 29. Exodi ℣. 28. Non itaque difitemur illud verbum adjunctum esse Hebraico textui post S. Hieronymi ætatem, indeque in sequentibus transcriptionibus exscriptum, ex quibus postea in LXX. Interpretum textum intrusum. Hujus nostræ conjecturæ hoc tradimus argumentum; quod in Cap. 29. Exodi ℣. 28. ubi statuitur veluti lex perpetuo servanda; quidnam ex pacificis hostiis in Sacerdotum portionem cedat, nulla *mandibularum* habeatur mentio, sed solius armi, atque pectusculi etiam in Hebraica fit commemoratio; idipsum est in Levitici 7. ℣℣. 31. & 32. Cur ergo his in locis, in quibus ex proposito Sacerdotum portio e victimis obtinenda describitur, non commemorantur mandibulæ? S. ergo Hieronymus vocem illam omisit quia in suis fortassis codicibus nondum legebatur.

Ad loca autem Versiculi 10. quæ male conversa dicuntur, respondemus, ferme innegabile esse quod apud Gentes Cananitidem habitantes mos viguerit nedum lustrandi in Molochi honorem proprios filios, sed eosdem etiam prorsus comburendi, cum id innumera prorsus divinarum scripturarum oracula demonstrent. Verum duplici modo Cananæos ignem coluisse; & filios nimirum coneremando, & eosdem lustrando tantummodo, non solum tradunt Paulus Fagius, & Vatablus, qui fatetur se prorsus nescire an hoc tempore de traductione filiorum per ignem aliquid certi sciri possit, sed Rabbini etiam quamvis hac de re non conveniant, cum nonnulli integram filiorum combustionem, alii solam lustrationem factam defendant; inter quos Rabbi Maimonides, qui temporibus illis publice persuasum fuisse scribit filios non esse morituros ante diem, qui tali modo per ignem superstitiose lustrati essent; & hoc fuisset sacrificium Moloch consentientibus ferme Hebræis, scribit Fagius. Variam hanc Hebræorum opinionem de oblatione filiorum Idolo Moloch refert, & Drusius in Caput Levitici 18. ad ℣. 21. Utrumque morem propterea comburendi videlicet filios, eosdemque lustrandi tantum viguisse in Cananitide ex Rabbi Maimonide de Idololatria §. 3. Cap. 6. docet Grotius in hunc Deuteronomii locum, in quo de sola filiorum per ignem lustratione sermonem haberi a Legislatore tuetur ex eo, quod de combustione in Levitici 18. ℣. 21. actum est, cui superstitiosi, inquit Grotius pœna mortis est adjuncta, quod hoc in loco non facit Legislator, unde hoc in loco de sola lustratione loqui dicendus; subjungit propterea laudatus scriptor quod Hebraica vox מעביר est æquivoca, & æquali modo lustrandi, & comburendi ritum significat, hinc LXX. Interpretes scripserunt: *οὐχ ευρεθήσεται ἐν σοὶ πυρικαθαίρων τὸν υἱὸν αὐτοῦ καὶ τὸν θυγατέρα αὐτοῦ ἐν πυρὶ*, ideſt = non inveniatur in te qui lustret filium suum, vel filiam suam in igne = Quis modo audeat errati notare S. Hieronymi interpretationem Vulgatam? Omittimus interim quod clarius in Vulgata nostra quælibet superstitiosa cæremonia inhibeatur Judæis; si etenim filiorum lustratio in honorem Molochi interdicta erat, quæ certe minor est combustione, multo magis combustionem ipsam eisdem fuisse vetitam intelligimus.

Ad alterum autem in quo Sixtinus Vulgatum redarguebat, quod scripserit: *qui sciscitetur hariolos*. Dicimus hoc in loco quamcumque superstitionis speciem nedum fuisse interdictam quoad exercitium; sed ne etiam superstitiosos consulerent ad sciendum futura; hinc in Hebraica etiam legimus ad hunc locum ואל אוב *ve schaal ob*; *& interrogans Bythonem*; non solum ergo jussit Deus Israelitas non exercere superstitiosam artem divinandi, sed etiam præstigiatores quoscumque devitare, nulloque modo ab iisdem futuros eventus exposcere. Si tandem quid adjungere liceat; voces illæ Hebraicæ קסמים קסם quæ post vocalium punctorum appositionem in Hebraicis Bibliis leguntur *kesamim kosem*: *divinans divinationes*, nonne antequam punctis iilis determinatæ essent, legi poterant *kosemim kosem*: *divinos* seu *hariolos divinans*, ideſt *inquirens*, aut *sciscitans*; adeo ut Hebraismum evitans S. Hieronymus verterit = qui sciscitetur Hariolos =? Hoc tamen quod adjunximus, nemini imponimus, quamvis satis esse videatur ad defendendam S. Hieronymi interpretationem, aut saltem ne erroris eadem revincatur,

§. VII.

DUo notantur ad Caput 19. Deuteronomii loca a Sixtino tanquam inepte a Vulgato translata; & alterum, in quo pro hebraicis verbis diversa omnino apposita sunt, ut ille ait, sua Censura perstringit. Ad ℣. 3. notat in primis Amama hæc verba quam in hæreditatem daturus est tibi Dominus Deus tuus = omnino deesse, quæ tamen Hebraica refert, nec præteriere LXX. Hoc eodem ℣. ubi legit Hebræa Versio = Eritque ut fugiat illic omnis homicida = Vulgatus tranitulit: *ut habeat e vicino, qui ob homicidium profugus est, quo possit evadere*. Versiculo denique 7. ubi legit Hebræa: *tres Civitates* תבדיל *tabdil, separabis*: Vulgatus convertit: *ut tres Civitates æquali inter se spatii dividas*: Hæc est Censura Sixtini.

Primo unusquisque intuitu plusquam satis advertit ex sola textuum comparatione, nil essentialis discriminis quoad legitimam sententiarum intelligentiam inter utrumque textum adinveniri. Quæ in ℣. 3. verba deesse a Censore prædicantur, mera Hebraicarum phrasium more est repetitio, quam evitat Vulgatus hoc in loco, cum in versiculo immediate præcedenti hæc verba = quam Dominus Deus tuus dabit tibi in possessionem = apposuisset. Aliam autem hujus versiculi sententiam quis non videat unum, & idem tam in Vulgata exprimere, quam in Hebraica, quamvis aliquantulo prestior in ista legatur? Versiculo tandem septimo nullius est momenti varietas, quam Sixtinus extollit; sive enim legamus cum Vulgato & LXX. *divides* sive cum Hebræa *separabis*, quid ad rem? Quod autem Vulgatus adjunxit *æqualis inter se spatii*, ex ℣. 3. hujus Capitis desumptum est ad majorem hujus textus intelligentiam; quæ verba in Codice Hebraico, quo S. Hieronymus utebatur fortassis legebantur. Equalis spatii inter Civitates refugii quod esse debuerit distantia, nedum ex laudato versu tertio divini textus, sed etiam ex Rabbinorum testimonio apertissime convincitur, & præsertim ex Rabbi Salom. scribente „ Ab ini„ tio termini usque ad urbem primam refugii se„ cundum mensuram itineris, quæ ab ea usque „ ad secundam, & similiter a secunda usque ad „ tertiam, & sic a tertia usque ad terminum al„ terum terræ Israel „ videt ne Sixtinus non inepte a Vulgato nostro appositas esse particulas illas: *æqualis inter se spatii?*

Ad Capitis 20. Versiculum nonum Hebraicam hanc lectionem ופקדו שרי צבאות בראש העם *u pakkedu Sare tsebaoth be rosch haham* a Vulgato Interprete inepte per hæc verba *unusquisque ad bellandum suos cuneos præparabit* fuisse conversam Sixtinus post Steuchum conclamitat; cum neque id, quod in nostra expressum est habeant hebraica verba, nec Lxx. Interpretum Græca translatio; quamvis neque in hac ipsa Hebraicæ veritatis sensus propositus fuerit. Hebraica enim juxta Eugubini translationem sonat; *& recensebunt Principes exercitus summam totius populi*: Pagninus autem vertit: *Et constituent Principes exercitus in capite populi*: LXX denique legunt *καὶ καταστήσουσιν ἀρχοντας τῆς στρατιᾶς προηγεμόνας τοῦ λαοῦ* & constituent Principes exercitus præcedentes ipsi populo.

Maximum, quod inter versiones istas intuemur discrimen facillime evanescit, ac eumdem omnino sensum reddunt Hebræa, Græca, & Latina nostra exemplaria. si verbum Hebraicum צבאות *tsebaoth* non in casu genitivo sed in casu accusandi cum nostro Vulgato supponamus; adeo ut sensus sit: *& unusquisque Princeps* sive *singuli Principes disponent, præparabunt*, vel *constituent cuneos*, aut *exercitus suos in capite populi*, hoc est in vertice, seu in principio populi uno verbo cunei isti seu exercitus ante populum debebant incedere. Fateor quidem in hodiernis Græcorum exemplaribus haberi *τῆς στρατιᾶς* in genitivo, ast Doctissimus Masius in hunc Deuteronomii locum, quamvis per diversam suppositionem nobiscum sentit in Hebraica,

ca, & Græca lectione aliquos casus esse permutandos, ut apud ipsum videri potest.

Capite etiam 22. ad ℣. 9 Vulgati lectionem Sixtinus redarguit quod ab Hebraica veritate non parum abscedat, cum habeat Hebræa = Non seres vineam tuam diversis seminibus, ne polluas fructus seminis &c. = In Vulgata vero scriptum ait = *Non seres vineam tuam altero semine*, ne *sanctificentur pariter* &c. Hinc male conversas hoc in loco ait ex Steucho Hebraicas voces כלאים *chileaiim*, *altero semine* & תקדש *thikedhosch sanctificentur*, eo quod vox קדש *Kodesch* inter ea locum habet, quæ contraria significatione donantur.

Quidnam omittit Sixtinus, quidve intactum relinquit? Nil profecto eorum quæ specie tenus vim aliquam præseferre contra Vulgati interpretationem videntur; eo tandem perventurum confidens ut ostendat Romano Catholicæ comunionis fideles non verbum Dei revelatum in suis Bibliis, sed arbitrarias alicujus Interpretis imperiti nænias pro Dei verbo venditare. In vanum tamen laborat qui non supra Petram, sed super arenam ædificat! Quis nesciat, ut ad rem nostram revertamur, erroris non posse incusari lectionem, quæ sensum legitimum non minus quam altera quæcumque versio nobis proponit? Incertum in primis sensum esse in hujus loci verbis Hebraicis clare demonstrant variæ ab ipsis Interpretibus sacris concinnatæ commentationes, quæ penes illos videri queunt. Non desunt itaque, qui defendunt legem istam pœnalem esse, adeout sensus sit: Si diverso semine vineas vestras severitis, fructus tam messium, quam vitium illius vineæ sanctificabuntur, idest auferentur a vobis & in usum templi destinabuntur. Hanc si retinemus explicationem, quæ profecto in Divino textu non minus contineri potest quam altera quælibet, jam Vulgati lectio aptissima est nec in sensum contrariæ significationis vocem תקדש *tikedesch* intelligere compellemur, sed in sua naturali desumi poterit, videlicet ne *sanctificentur*. Altera vox pariter כלאים numeri dualis cum sit, satis apta erit illius interpretatio quoties duas seminis species indigitet; negari ne potest quod duplex rerum genus exprimatur in Vulgata nostra dum prohibetur cum vitibus segetum commixtio? Nostram hanc expositionem non leviter adjuvat verborum hujus versiculi interpretatio, quam exprimit Masius scribens = Ego quidquid dicunt Hebræi in suo Talmud, puto sic traducenda Hebræa: non conseras vineam tuam rebus diversi generis, ne forte consecres proventum, qui constet simul ex eo semine, quod seminasti, & ex fructu vitis =. Verum esto velimus in contraria significatione usurpare verbum *sanctifico* hoc in loco tamen consistet adhuc Vulgati lectio, sicuti in Lib. Job toties verbum *benedico* in contraria significatione desumitur. In Lib. autem Levitici Vulgatus Interpres vocem Hebraicam *chilaim* reddidit *diverso semine*, non *altero semine* quia ibidem de agris serendis habebatur sermo, in quibus semina permixta seri vetabantur; unde commixtio hujuscemodi non apte exprimi poterat nisi per voces *diverso semine*. Hoc autem in loco cum de vineis in quibus vites supponuntur existere, satis intelligitur vetita commixtio segetum cum illis, quoties dicatur a Legislatore in vineis tuis alterum semen cum vitibus ne seras: satis hæc ad Vulgati lectionem in tuto locandam videntur.

§. VIII.

IN Deuteronomii Cap. 23. nonnulla Sixtinus, quæ imperite a Vulgato Interprete versa contendit, se adinvenisse testatur; cum ad versiculum 4. quod Hebræa exprimit: *ex Phethor Syria duorum fulminum*; Vulgatus reddiderit: *ex Mesopotamia Syria*. Vocem siquidem *Phethor* quam in Lib. Numer; reddiderat *ariolum*; hoc in loco prorsus neglexit, Versiculo autem 13. hæc Hebraica verba על אזנך, *al azenecha*, vertit Vulgatus *in balteo tuo*, quod equidem nequaquam significant, cum Steuchus legendum contendat = paxillus erit tibi vice ligonis =. ℣. pariter 17. vox Hebraica קדש versa est *scortator*, cum potius hoc in loco *Kadesch*; *scortum masculum*, *cinædum*, *meritorium puerum* significet, ut eamdem Cajetanus, Abenezra, & R. Salomon interpretati sunt.

Hi Censoris scrupuli evanescere facillime poterant, si voluisset animadvertere nomen *Phethor* admodum æquivocum esse; & huc usque indefinitum apud Interpretes de vera illius significatione; hinc Paulus Fagius in Cap. 22. Numer. solam Steuchi doctrinam proposuit in qua non resolvitur controversia. De hoc satis in §. IX. nostrarum addictionum ad Lib. Numer.

Quod autem verterit noster Interpres *ex Mesopotamia Syriæ*, id pronunciavit adamussim, quod profert Hebræa. Quid est enim *Syria duorum fluminum?* illa profecto Syriæ pars, quæ inter Euphratem, & Tigrim sita est, in qua Mesopotamia etiam reperitur. Nonne igitur idem locus a Vulgato præscribitur, quem Hebraica versio recenset? Maxime quidem, nec in alio peccavit Interpres noster, quam quod clariori expressione Balahami iter, & unde venerit nobis significaverit.

Ad Versiculi 13. lectionem Vulgati nostri quod Amama opponit nullius est momenti; quod etenim officium præstare paxillus debuerit, & num vicem ligonis supplere? Satis a Vulgato in hoc eodem versiculo exprimitur per hæc verba = fodies (paxillo) per circuitum, & egesta humo operies = vox autem Hebraica אזן *azenacha*, in balteo non male conversa a Vulgato nostro dicenda est, si velimus advertere nomen radicale אזן, *zon*, *arma*, *instrumenta bellica*, *baltea*, *& cingula militaria* æquali modo significare; hinc diversimode a variis Interpretibus translatum est hujusce loci vocabulum *azenecha*, alii enim interpretati sunt: *inter arma tua*, alii *super arma tua*, nonnulli *inter instrumenta tua*; alii *cum statera tua*; LXX. autem cum Vulgato *in balteo tuo*, idest pendentem e balteo, vel cingulo; sive colligatum per cingulum, aut balteum ad latus tuum. Hæc Vulgati lectio naturalis non minus quam literalis est etiam si Hebraica verba juxta sensum literalem velimus accipere.

Eadem facilitate revincitur Amama præcipitis judicii, dum ad ℣. 17. hujusce Capitis inepte a Vulgato conversa esse Hebraicam vocem קדש *kadesch*, *scortator*, adfirmat; voce siquidem ista *scortum Masculum*, *Cinædum*, seu *meritorium puerum* significari non diffitemur, sed etiam *scortatorem* designari negare non poterit Amama, idest eum, inquit Drusius, qui paratus est ad omnes meretrices ineundas, quæ siquidem intelligentia naturalior est, cum Cinædi, aliique hujusmodi intandorum scelerum fontes vivere non permitterentur in Israel, ut patet ex Levitici 18

Nonnulla ad Cap. 24. Deuter. Amama reprehendenda, veluti non proprie a Vulgato nostro conversa suscepit. Primo itaque ad ℣. 4. nimiæ asperitatis Interpretem nostrum in repudiatam mulierem incusat, quod transtulerit ex Hebraica: *quia polluta est, & abominabilis facta est coram Domino:* cum longe melior sit Hebraicæ veritatis interpretatio his verbis concinnata, = quia polluta est, & abominatio illud (matrimonium) est coram Domino =. Notum siquidem esse ait ut fœminina apud Hebræos pro neutris usurpentur. Ad ℣. 7. non bene usum esse Interpretem Vulgatæ verbo isto *sollicitans*, cum propria significatio Hebraicæ vocis גנב *goneb* sit *furans* minime vero *sollicitans*. Tandem ad ℣. 10. cum legat Hebræa כי תשה ברעך משאת מאומה *chitaschcheh berehacha maschschat meumah* non bene a Vulgato nostro conversum adfirmat hoc modo: *cum repetes a proximo tuo rem aliquam, quam debet tibi:* cum, dubio procul, subjungit, hoc pacto hebraicus textus sit transferendus: *cum mutuo dederis proximo tuo mutuum aliquod*, ut etiam Cardinalis Cajetanus fatetur.

Amamæ Censura ejus non videtur roboris ut S. Hieronymi versionem compellamur relinquere, postquam præsertim eam sibi adoptavit S. Mater Ecclesia, Spiritu Dei perducta in iis quæ sunt ad fidem definiendis. Falsum itaque in primis est quod Vulgatus noster aliquantulo asperior in mulierem repudiatam extiterit, dum inquit: *abominabilis facta est coram Domino*; si ejus legitimus sensus percipiatur, sensus itaque est quod mulier illa coram Deo declarata est abominabilis viro suo; idest eam fecit declarare tanquam sibi abominabilem,

bilem; & pollutam publice coram populo; & Deo, per repudium; quod autem hujuſmodi ſemel habitum eſt reſpectu alicujus, tale ſemper eidem eſſe debuit. Plana eſt & naturalis hæc Commentatorum declaratio, eo vel maxime quod vox hebraica תועבה *tohavah* æquali modo *abominationem* & *rem abominabilem* ſignificet. Nulla ergo neceſſitate compellimur referendæ voces iſtius תועבה fœminini generis ad matrimonium hujuſce mulieris, ut Sixtinus expoſtulat.

Ad ℣. 7. pariter ineptam Vulgati verſionem a nemine judicandam opinamur, quoties proprietatem verbi *ſolicitans* perveſtigare non pigeat; quinimmo idoneum quam maxime pro loco iſto adinveniet. Sollicitari itaque idem eſt, ac verbis fraudolentibus aliquem decipere, vel aliquid e ſuo loco dimovere; utrumque plagiariis illis liberum hominem in ſervum vendentibus præſtandum erat, aliquo nempe colore illorum fraus fucanda, donec fratrem ſuum in manus traderent ementis, ſicque illum e proprio ſolo dimoverent; aptius ergo hoc in textu verbum *ſollicitor* quam verbum *furor* adhibitum eſt, cum hoc de rebus furreptis quidem intelligatur, non tamen de hominibus, qui blanditiis, & fraudibus auferuntur potius, quam vi, in ſua naturali ſignificatione uſurpari ſoleat.

Quod tandem ſub ℣. 10. Cenſura notatur ab Amama ejus eſt indolis ut nec leviter moveat, quicumque cognoſcit vocem hebraicam תסיר transferri poſſe *dimoveris*, non minus quam *mutuo dederis*; voce pariter משאת *maſchſchat mutatio* ſignificatur, & *debitum*. Senſus itaque in Hebraica legitimus habetur ſi dixerimus: ſi dimoveris, hoc eſt, dimovere volueris, vel ſi repetes a proximo tuo mutuationem, aut debitum &c Quid mirum ergo ſi LXX. legunt = ſi debitum fuerit in proximo tuo, debitum quodcumque &c. = & Vulgatus noſter tranſtulit: *ſi repetes* &c. cum etiam Symmachus legat = ſi petiveris, aut exegeris a proximo tuo petitionem, ſive exactionem = &c.? Vatablus pariter Vulgati lectionem amplectitur in ſuis Commentariis.

Duo notantur loca a Sixtino in Cap. 25. Deuteronomii, primus ad ℣. 5. in quo ſcripſit Vulgatus: *Non nubet alteri*; cum Hebræa legat = Non nubet foras viro extraneo =. Secundus autem ſub ℣. 6. reperitur, qui ex Hebraica habente: *Primogenitus, quem pepererit ſtabit ſuper nomen fratris ſui*, non apte ab Interprete noſtro translatus per hæc verba *primogenitum ex ea filium nomine illius appellabit*, dicitur a Cenſore, eoquod non ſolum mortui viri nomine erat appellandus ſed ſtare debebat ſuper nomen defuncti, in quantum ejus filius, & hæres judicandus erat; quod quidem innuere videtur, inquit, hebraica lectio.

Ad primum locum quod attinet, evidentem per ſe eſſe dicimus expreſſionem Vulgati, in qua generalis habetur prohibitio nubendi cuilibet præterquam fratri defuncti mariti; multo ergo magis hæc prohibitio extenditur ad viros extraneos ipſi defuncto.

Locus ſecundus pari facilitate in Vulgato noſtro defenditur. Compertum quippe eſt *nomen* plerumque in ſacris literis idem ſignificare ac *ſucceſſionem*; ita filiæ Salphaad loquentes ad Moſen Numer. Cap. 27. ℣. 3. *cur tollitur nomen illius de familia ſua* dixerunt; ideſt cur ejus familia, quæ in nobis eſt nullam hæreditatem poſſidebit? In legibus etiam appellari ſolent filii nomine patris ad hæreditatem ideſt vice patris poſt ejus mortem; & hoc ſenſu locum iſtum Deuteronomii Catholici Commentatores intelligunt.

§. IX.

UNum tantummodo ad Caput 26. Deuteronomii locum in ſua cenſura Sixtinus notavit tanquam inepte a Vulgato Interprete tranſlatum, qui ſiquidem ſub ℣. 5. continetur. Cum enim habeant Hebræa exemplaria ארמי אובד אבי *Arami obed abi*, non apte ab Interprete noſtro reddita contendit: *Syrus perſequebatur patrem meum*. Cum enim, inquit Cenſor, nec unico poſſit exemplo demonſtrari, quod verbum *obed* in Kal ſit tranſitivum quinimmo cum inter intranſitiva recenſeatur ab *Abenezra* compertum eſt legendum juxta Hebraicam veritatem prædictum ſcripturæ locum: *Syrus periens erat pater meus*, vel ut Pagninus convertit = Syrus ille penuria laborans pater meus deſcendit in Ægyptum =.

Subſiſtere nihilominus S. Hieronymi interpretationem non ambigimus, verumque ſenſum præferre ut certum ſupponimus ex eo, quod verbum אובד *obed*, docente Munſtero, hic pro מאבד *meabed*, hoc eſt, verbum neutrum pro tranſitivo uſurpetur; aut ut alii monent Grammatici quia verbum iſtud in conjugat. *Piel* & *Hiphil* eſt tranſitivum atque *perdere diſſipare* & etiam *occidere* ſignificat. Quis modo vadem ſe dare queat ſub quanam conjugatione hujuſcemodi verbum in Codice S. Hieronymi fuerit appoſitum? & cur in una potius quam in altera ſit legendum? Diverſæ Interpretum verſiones ſatis palam faciunt non minori eſſe ſuffultam præſidio Hieronymianam, quam alteram quamlibet, cum præſertim Chaldæus cum illa conſentiat.

Nonnulla Cenſor Vulgati ad Cap. Deuter. 28. pariter reprehendit. In primis autem vocem hebraicam תנא *tanacha*; *horrea tua* male tranſlatam ſub verſiculis 5. & 17. occurrentem adfirmat cum alibi eamdem, *caniſtrum*, vel *ſportam* ipſemet Vulgatus converterit.

Quis tamen non videat variam illius vocis eſſe poſſe ſignificationem, juxta ordinem adjunctorum quæ habet? Suum proprium ſignificatum eſt *repoſitorium* ut ajunt; *Caniſtrum* ergo vel *Cophinum* denotat quando ex parvitate materiæ repoſitæ vaſa iſta poſſumus intelligere; ſicuti revera hæc vaſa Interpres noſter deſcripſit Deuteronomii Cap. 26. ℣℣. 2. & 4. quibus in locis de frugum primitiis Sacerdoti offerendis fit mentio, quæ ſiquidem in Cophinis, vel Cartallis deferri poterant. Hoc autem in loco cum de fructibus terræ, ovium, & jumentorum, de eorumdem abundantia fiat ſermo in quibus triticum etiam comprehenditur improprium videbatur hujus *repoſitoria* appellare *cophinos*, vel *ſportas*: hinc Pagninus etiam, quamquam Hebraicæ Literæ interpretator fidelis vocem illam Hebraicam *Cellaria tua* convertit. Cellaria autem eſſe *repoſitoria rerum* nemo unus ignorat: illa autem frumenti *horrea* vocari ſolent.

Voces pariter Hebraicas חלות, *ve hilivita*, & לא חלות *lo tilivi* in ℣℣. 12. & 44. hujus Capitis exiſtentes non apte e Vulgato in hæc verba *fœnerabis gentibus multis & ipſe a nullo fœnus accipies* converſas fuiſſe propugnat ex Cajetano; eo quod incautum lectorem in ſenſus contrarii intelligentiam poſſent inducere; cum ſonent inter benedictiones a Deo impertitas etiam fœnerandi poteſtatem eſſe conceſſam, quod peccatum contra Divini naturaliſve juris præcepta eſt. Sixtinus autem intelligi poſſe Vulgati verba in alio contrario ſenſu ex ſua opinione contendit, quaſi ſcilicet ea ſententia; *tu a nullo fœnus accipies* inter benedictones a Deo promiſſas recenſita, ſonare queat = tu nunquam dives eris, nec pecuniæ mutuo dandæ abundabis = fœnus enim accipiunt qui pecunioſi ſunt non qui pauperes; unde potius dicendum erat, ut Dei benedictio a Vulgato exprimeretur, *Tu nulli fœnus dabis.*

Tam Sixtini, quam Cajetani objectio in Vulgati lectionem elaborata evaneſcit de repente ſi humanius tantiſper ejus verba velimus expendere. Uſus quidem invaluit ut verbum *fœneror* de pecunia ad uſuram concredita intelligatur. Verum apud Latinos de re quacumque alteri data ſive cum lucro, ſive abſque ipſo uſurpari ſolebat; hinc Plinius Lib. 2. Cap. 6. ſcripſit = fœnerat ſol lumen ſuum cæteris ſyderibus = In eodem ſenſu a Vulgato his in Deuteronomii locis hujuſcemodi verbum adhibitum eſt, eo quod hebraica vox נשה *lavah* non *uſuram*, ſed *mutuum* etiam apud Hebræos ſignificat; hoc autem ex eo revincitur, quod ipſemet Vulgatus dum voluit per iſtud verbum uſuram exprimere adjunctum ab ipſo uſuræ nomen eidem fuit, ut patet ex ℣. 19. Capitis 23. Deuteron. ubi ſcriptum legimus: *non fœnerabis fratri tuo ad uſuram pecuniam &c.* Cum ergo hoc in loco per laudatum verbum ſolam expreſſerit mutuationem, ſive dandam, ſive recipiendam, idem in Vulgata noſtra ſenſus, ac in Hebraica lectione adinvenitur.

Ad ℣. 22. hujuſce Capitis notat Cenſor prave a Vulgato converſam eſſe vocem Hebraicam ובדלקת *u badalekes*; *& in frigore*, cum apud Hebræos omnes vere, & proprie *calorem* ſignificet.

Expoſitores Catholici vocem eſſe contendunt contrariæ ſignificationis quæ ab Amama hoc in loco notatur; certam tamen ejus ſignificationem auſpicari non poſſumus ex aliis ſcripturæ locis, quia vox originalis hic, & non alibi legitur; LXX. nihilominus in eodem ſenſu ac Vulgatus noſter eamdem uſurparunt, & non immerito fortaſſis eoquod *calor*, ſive *ardor* & *æſtus* immediate poſt illam vocem collocentur in textu Vulgatæ noſtræ; aliquam igitur pœnam ab ardore diverſam merito Vulgatus per vocem illam, quæ contrariæ ſignificationis ſupponitur indicavit.

Deficientem his verbis וביתר בניו אשר ימיר *u biter banav aſcer jotir* ideſt, *& reliquis filiis ſuis, quos relinquos fecerit*, ad ℣. 54. Vulgatam noſtram Sixtinus notat, quæ tamen in Hebraica leguntur. Verſibus autem ſequentibus 56. & 57. variantem ab Hebraica veritate proclamat Vulgatam ipſam rigidus Cenſor.

Admodum ſoliciti de omnibus eſſe non cupimus variis de cauſis; ſed præſertim quia hyſtoriæ integritas, qua comminatio flagellorum narratur, in noſtra non deeſt; totus ibi Moyſes eſt ut oſtendat filiis Iſrael ad quænam perducentur fames extrema, ſi Dei mandata non cuſtodientes in manus inimicorum ab Juſtitia Dei traditi fuerint, carnes filiorum comedet pater, & mater ipſa dum obſidione perſtricti in propriis domibus Deo vindice prementur anguſtiis, nec maritus uxorem, nec virum uxor carnium filiorum in dapes diſpoſitarum participem reddet. Hæc ſiquidem Hiſtoriæ ſeu Prophetiæ ſumma, in qua tota facti ſubſtantia conſiſtit, legitur in Vulgata: quod ſatis eſt. Quantum vero ad *ſecundinas* attinet Steuchus caſtigatur a Maſio, qui ait a Kinchio, & Aquila non *infantulum recens natum*, ſed veram *ſecundinam* intelligi.

Verſiculo tandem ultimo hujus Capitis notat Interpretem noſtrum Sixtinus quod Hebraica hæc verba והתמכרתם שם *ve hitmacchartem ſcham* apte non tranſtulerit hoc pacto: *ibi venderis inimicis tuis in ſervos & ancillas & non erit qui emat*; contradictionem quippe hac in Vulgati ſententia contendit, cum intelligi nequeat vetitis hujus verbi *venderis* ſi demantur emptores, verbum deinde Hebraicum מכר *machar* eſt in conjugatione *Hitphael*, in qua reciproca actio, hoc eſt quæ remanet in ipſo agente, ſolummodo exprimitur; unde converti debuit verbum illud: *vendere te ipſum voles*, aut *venum te expones*, & non erit emptor.

Quantum ad contradictionis ſpeciem in Vulgati ſententiam ab Amama invectam, dicimus omnibus notum eſſe hominum, aliorumve agentium operationes per idem exprimi verbum quæ actu fiunt, ac quæ fieri paratæ ſunt; ita de mulieribus trivii dicimus, ſi de eis interrogemur, quod meretricium exercent, quamvis actu manus infandum non expleant, de alio, qui in officina ad merces vendendas paratus exiſtit dicimus quod merces vendit quamvis non actu vendat; ita vendi dicimus quidquid venditioni expoſitum eſt, quamvis emptores nondum accedant. Verba ad conjugationem Hitphael ſpectantia reciprocam ſignificationem habent profecto, ſi ordinarie loquamur; Pagninus tamen in ſuo Theſauro ad verbum מכר *machar* docet hujuſcemodi verbum etiam in *Hitphael* paſſivam ſignificationem habere poſſe: & revera in hoc Deuteronomii loco vertit; *& venderis ibi inimicis tuis, & non erit qui emat*. Quantum autem in ſua verſione Pagninus literæ hebraicæ adhæſerit omnibus notum eſt; neque tamen vel contradictionem, vel pravitatem aliquam in ſua iſta interpretatione cognovit.

Verſiculo 11. Capitis 29. hujus Libri legit quidem Hebræa: *a cæſore lignorum uſque ad hauriensem aquas*; Vulgatus autem noſter ſcripſit = Exceptis lignorum cæſoribus, & his, qui comportant aquas = quam propterea verſionem Sixtinus ex Steucho, Cajetano, aliiſque fugillat.

Abulenſis tamen quæſt. 3. in Cap. 29. Deuteronomii advertit ſæpe ſæpius S. Hieronymum fuiſſe compulſum ad immutandum in ſua verſione aliquam adfirmativam ſententiam, quæ in Hebræo exiſtebat, in negativam, & viciſſim; ut legitimus ſenſus reddi poſſet: tali modo ſe geſſit S. Doctor in translatione verſiculi 19. Capitis 20. hujuſce libri, quem Hebraica legebat = quia homo lignum eſt campi = ipſum convertens: *quoniam lignum eſt, & non homo*. Alterum nobis exemplum Sixtinus ipſe ſuppeditat in ſua ad verſiculum 6. cap. 33. Deuteron. cenſura, quod ex Pſal. 9. deſumit ubi legit Hebræa *ſpes juſtorum peribit*; ſed legendum eſſe: *non peribit* Sixtinus docet. Cum autem variis de cauſis lignorum cæſores, & aquæ portatores adeſſe non poſſent cum reliqua populi turba ad audiendam Moſis proliſſiſſimam prædicationem, ut laudatus Abulenſis demonſtrat, merito particulam excipientem eos, appoſuit Vulgatus, quamvis in Hebraica particulam adfirmantem habeamus. Nil dicimus de formula, qua verſiculus hic, in S. Hieronymi codice legebatur; id unum ſcimus quod in ſua ex Hebraico facta latina verſione, legitur ut in Vulgata noſtra, quod ſufficit.

Quod notat Sixtinus ad ℣. 10. cap. 31. Deuteronomii contra Vulgatum, qui tranſtulit: *Poſt ſeptem annos, anno remiſſionis* confitetur peroptime conſiſtere poſſe; quinimmo ipſemet ſuggerit duplicem modum, quorum unus eſt; quod primum ſeptem annorum numerare poſſumus annum remiſſionis, qui jam præceſſerat, ille quippe cum ſex ſequentibus ſeptenarium annorum numerum conſtituunt. Videantur ſacri Expoſitores.

§. X.

AD Caput Deuteron. 32. tria reprehendit in Vulgato noſtro Sixtinus, quæ non probe verſa ex Hebraico opinatur. Horum primum ad ℣. 24. proponit; cum etenim ibi legat Hebræa ולחבי רשף וקטב מרירי *ulchume reſceph veketeb meriri*, atque in verſione noſtra legamus: *& devorabunt eos aves morſu amariſſimo*: receſſiſſe ait a veritate Interpretem, quandoquidem Cajetanus, Oleaſter, Benedictus, aliique non *morſum avium*; ſed *ardorem amarum*, & *exterminium*, quo Hebræi conſumatum iri prædicuntur, ſi mandata Dei non cuſtodiſſent, in Hebraica lectione conſpexerunt.

Diverſas eſſe in Hebraicis vocibus *reſceph*, & *keteb* ſignificationes, nec unum, qui tantiſper earum interpretamenta inviſere potuit, neſcire opinamur. Nihilominus vocem *reſceph avem*, ſeu *volucres* indigitare exiſtimarunt LXX. Chaldæus, Symmachus, Aquila, Theodotion, & Auctor quintæ Editionis, ut teſtis eſt S. Hieronymus in Habacuc 3. 4. idque in ſuo Theſauro fatetur Pagninus. Vox pariter *keteb* non minus *excidium* & *ardorem* quam *exciſſionem* & morſum ſignificat, ut laudatus Pagninus eſt auctor. Non eſt ergo cur Vulgati lectionem aſpernamur, atque ad Hebraicam verſionem confugiamus.

Verſiculum 26. hujus Capitis, in quo legimus ex Vulgati interpretatione: *Ubinam ſunt?* in ſua Cenſura Sixtinus caſtigat, deceptum exiſtimans Interpretem noſtrum, quaſi crediderit vocem Hebraicam אפאיהם *apehem*, eſſe eamdem cum voce איפה *ephoh* alicui affixo conjuncta; quod tamen eſſe cum non poſſit; legendam Hebraicam dictionem *diſpergam eos per angulos*; utpote compoſitam ex nomine פאה, *peah*, *angulus* adfirmat.

Incerta profecto eſt hujus Hebraici verbi ſignificatio, cum diverſimode ab Interpretibus intelligatur; non omnium proſequemur opiniones, brevitati conſulentes; unum tamen reſponſum, quod nobis Maſius ſuppeditat apponemus in Vulgati juſtificationem. „ Aquilas, ſcribit Maſius, hanc dictionem „ Hebraicam אפאיהם, vertit *& ubi ſunt* ac ſi „ ſic ſcriberetur אי איהם, *etiam ubi ipſi*. Et hanc „ ſententiam ſecutus eſt noſter Latinus Interpres. „ Nec eſt profecto abſurda interpretatio. Vide R. „ Salomonis Commentarium „. Quis modo vadem ſe dabit num magis genuina ſit lectio Aquilæ, & Sancti Hieronymi, in qua dictio illa Hebraica, quæ modo conjuncta legitur, diviſa erat in duas particulas, vel potius hodierna Hebræorum Codicum exemplaria in quibus unica conjuncta dictio exhibetur, incorruptiora ſint quam illa antiquiſſima? in utriſque vera lectio eſſe poteſt, quia divinas comminationes æquali modo proponunt, ſi rite intelligantur.

Ad

Ad Verſiculum 32. hujus Capitis nullius ferme momenti eſt quod Amama opponit. Cum enim Vulgatus Moſis narret prophetiam, quam Iſraelitis enunciavit, deſcribit pariter quinam ſint mores inimicorum Iſraelis, & præſertim Cananæorum, eoſdemque comparat fructibus, circa mare mortuum enaſcentibus; qui ſiquidem locus optime dici poteſt ſuburbanus Gomorrhæ; eadem igitur eſt ſententia ſive mores Cananæorum dicantur fructus *ex vitibus*, vel *ex* campis, vel ex *arvis* Gomorrhæ producti; ſive in Suburbanis Gomorrhæ germinati; ſemper enim eorum perverſitas, atque improbitas indicatur.

Plura ad Caput Deuteronomii 33. Amama in ſua Cenſura Vulgati Interpretis loca redarguit veluti ab veritate Hebraica prorſus aliena. Occurrit in primis verſiculo 6. hujus Capitis hæc Vulgati lectio: *& ſit parvus in numero*: quam profecto caſtigandam per adjectionem particulæ *non*, atque legendum, ut benedictio Moſis conſiſtat, *nec ſit parvus in numero* propugnat.

Num revera ſit emendanda verſio noſtra juxta Sixtini expoſtulationem prorſus incertum eſt: Hebraicus quippe textus particulam negantem hoc in loco minime legit, ſed ex membro orationis præcedenti repetendam eſſe Cenſor ipſemet confitetur. Aquilas tamen Interpres, ut ajunt ſuperſtitioſiſſimus vertit; *& ſit virorum ejus numerus*, uſus ſcilicet eſt hoc Hebraiſmo, qui paucitatem ſignificat. Hæc autem interpretatio a plurimis etiam cujuſcumque Communionis Expoſitoribus recepta eſt; quandoquidem maxime cohæret cum verbis Jacob jam jam expirantis animam Gen. 49. ℣. 4. in Rubem prolatis: *non creſcas quia aſcendiſti cubile patris tui*. Incredibile eſt autem quod Moſes hocce Patriarchæ Jacob teſtamentum irritum declaraverit, cum potius in ſua benedictione illud confirmaſſe ſit credibilius.

Verſiculo 10. hujus Capitis, hanc Vulgati interpretationem: *judicia tua o Jacob, & legem tuam o Iſrael* vellicat Sixtinus, quod in ea omiſſum fuerit verbum *docebunt*; & quod inſuper *Jacob*, & *Iſrael* in Hebræa notam habeant dativi caſus.

Inter Catholicos Commentatores ſunt, qui putant in antiquibus defuiſſe codicibus verbum יורו *joru*, *docebunt*, & a S. Hieronymo ſolum verbum ויצרו *iinatſoru*, *ſervaverunt* in ſuo codice lectum eſſe; per *keri*, autem, & *ketib* in margine aliquibus exemplaribus eſſe appoſitum verbum *joru*, idque poſtea alteri verbo *jitſoru* additum in textu fuiſſe opinatur, Cæterum legitimum ſenſum etiam in Vulgata, ſine verbo *docebunt* reperiri contendunt, cum verbum *ſervaverunt*, per appoſitionem, tam accuſativum caſum præcedentem, quam ſequentem regere poſſe, ſit manifeſtum. Et ſane ſi eorum interpretationem retineamus, qui verbum *joru* per præteritum nempe *docuerunt* convertunt, jam ſenſus erit: Hi (Levitæ) ſervaverunt, & docuerunt (ſervare) o Jacob legem tuam, & judicia tua. Ista ſiquidem ſenſus etiam in Vulgata reperitur, cum enim Levitæ zelo divinæ legis vitulum in Horeb adorantes jugulaverint, atque Phinees Levita in occiſione Zambri, & Chosbi Dei honorem ſit zelatus, docuerunt ſervare legem Domini, ejuſque mandata cuſtodire. Hæc Vulgati lectionem erroris convinci non ſinunt.

Eodem verſiculo 10. alteram redarguit Amama Vulgati interpretationem nempe: *ponent thymiama in furore tuo*, cum nomen אף *aph*, inquit eſto *furorem* etiam ſignificet, hoc tamen in loco magis apte pro naribus intelligatur. Comburitur enim thymiama in odorem Domino ſuaviſſimum.

Quis tamen non videat hanc divini textus locutionem eſſe figuratam, ſive *nares* legamus, ſive *furorem*; cum potius *in conſpectu tuo*, ideſt in ſanctuario *ante conſpectum tuum offerent thymiama* legendum eſſet? Si tamen hujus loci ſit ſenſus: *Hi*, Levitæ nempe, *ponent thymiama in furore tuo*, ideſt cum iratus fueris, offerent incenſum, ſicut obtulit Aaron, Numerorum cap. 16. ℣. 46. & placata eſt ira tua; ſicuti revera eſſe videtur; non eſt cur Vulgati lectio, quæ habet *in furore* reprehendatur.

Verſu 12. hujus Capitis erroris notat Vulgati lectionem Sixtinus hiſce verbis conceptam: *Amantiſſimus Domini*; cum verbum Hebraicum: ידיד *jedid dilectum* ſignificet; *amatum* videlicet, & non *amantem*, quemadmodum, & LXX. intellexerunt, qui propterea in ſua ſcripſere verſione ἠγαπημενος ὑπο τȣ̃ Κυρίȣ, dilectus a Domino.

Commentatores Catholici per ſuperlativum *amantiſſimus* ferme omnes intelligunt *dilectum*, quandoquidem pro altero ſuperlativo *amabiliſſimus* ſolent illud adhibere Latini, ita Cicero in famil. 5. Epiſt. 6. = leniſſimis, & amantiſſimis verbis utens = ſenſus igitur Vulgatæ noſtræ hoc in loco, idem eſſe videtur cum Hebraicæ ſenſu.

Hoc eodem ℣. 12. alia Vulgati verba: *Quaſi in thalamo tota die morabitur* objurgat Sixtinus, eo quod Hebraica verba ſonent: *& tegens eum ſit tota die*, ideſt protegat.

Duplicem Moſis ſententia quod poſſit habere ſenſum, communis fert Commentatorum opinio; poteſt enim intelligi, quod Dominus eſſet habitaturus in Tribu Benjamin, quia templum, ſive domus Domini in eadem futurum erat, ut edificaretur; qua propter ibi, *inter humeros ejus*, ſcilicet in medio Beniamiticæ Tribus, quaſi in thalamo deliciarum ſuarum, requiem Dei Sanctuarium erat ſemper conſecuturum: Et in hac expoſitione Vulgati textus optimum ſenſum præſefert, ut per ſe patet. Vel referri poteſt Moſis ſententia ad ipſam Beniamin Tribum, adeo ut ipſum redoleat ſenſum = Amantiſſimus Domini Beniamin habitabit confidenter in eo, ideſt cum Domino, quaſi in thalamo ſecurus, & protectus requieſcet inter humeros, ideſt inter amplexus Domini Dei ſui. Utrumque ſenſum eligamus, intelligimus ſatis Beniamitis ſpecialem Dei protectionem Moſem fuiſſe imprecatum, quod ſatis eſt, quibuſcumque verbis eamdem Vulgatus noſter expreſſerit.

Quod autem Verſiculo 13. & ſequentibus *pomorum* meminerit Vulgatus noſter, atque Hebraica vox מגד *meged*, *delicias* ſignificet non *poma*, nil officit, ut enim Vatablus adnotat vox illa omne pretioſum, & optimum tam in fructibus, quam in aliis rebus ſignificat. De *pomorum* autem nomine, & quid per illa Vulgatus intellexerit jam alibi diximus.

Ad ℣. 19. hujus Capitis, in quo Vulgatus *inundationem* pro *affluentiam* ſcripſit, aliqua translatione profecto uſus eſt; non tamen inter Latinos inauditum, ut *inundare*, pro *affluere*, vel *copioſe venire*, uſurperur; Virgilius quidem 12. Æneid. ſcripſit = Hinc denſi rurſus inundant Troas Agyllinique = Omnes tamen ex antecedentibus, & ſequentibus ſatis intelligunt quid in Vulgata per vocem *inundationem* ſignificetur.

Verſu 20. Interpres Vulgatus vertit: *Benedictus in latitudine Gad*; quod non appoſite factum Sixtinus contendit, eo quod vox hebraica מרחיב *marchib*, ſit participium *Hiphil*; quapropter legendum: *Benedictus, qui dilatat Gadem*; quemadmodum LXX ὁ ευρυνων γὰδ interpretati ſunt.

Mirum eſt, quod S. Hieronymus non ſatis vocem illam מרחיב agnoverit, ejuſve germanum ſenſum non apperceperit! Quis certo ſciat num ante Maſſoretas, ſimplex nomen in Hebraicis codicibus fuerit his ſolis literis exaratum מרחב *merchab*, quo *latitudo* ſignificatur, Tranſcriptores autem Codicis LXX Interpretum, ad Hebraica Maſſoretarum exemplaria eamdem vocem reſtituerint? Senſus legitimus profecto eſt in Vulgati lectione, qua Gadis dilatatio in benedictione Moſis expreſſa, deſcribitur.

Ad ℣. hujus Capitis 27 verſionem noſtram Amama reiicit, quod legat: *Habitaculum ejus ſurſum*; contendit quippe vocem Hebraicam מעון numquam poſſe *ſurſum* ſignificare, cum potius *Kedem*, *æternitatem*, aut *ſempiternum* indigitet.

Non ſolum S. Hieronymus vocem illam interpretatus eſt *ſurſum*; ſed etiam Abenezra, teſte Munſtero eamdem expoſuit per hanc alteram, ſcilicet מעלין, *heljon*, *altum*; præcedentium ergo Verſiculorum inſiſtens lectioni S. Hieronymus, in quibus de Majeſtate Dei ſuper nubes, & ſuper Cœlos perambulante habitus eſt ſermo, *ſurſum*, ſive *in altiſſimis* ejus habitaculum pariter collocat. Non diffitemur tamen Sixtini lectionem his verbis conceptam, ut *habitaculum, protectio eſt Deus æternitatis*, ſive *Deus æternus* legitimam eſſe; hæc profecto rigidiori modo regulis grammaticæ in quolibet verbo adhæreſcit. Cum tamen nulli ferme Interpretes tanta ſcru-

ſcrupuloſitate eaſdem ſervaverint, ſed potius ſenſum verborum exquiſierint, nec S. Hieronymus aliud, quam ſenſum divinarum literarum nobis exhibere ſategit.

Verſu 28. redarguit Amama Interpretis noſtri lectionem: *& Cœli caligabunt rore*; cum legenda velit hæc hebraica verba שמיו-יערפו טל, *ſchamau jahadpu tal Cœli ejus diſtillabunt rore*.

Vulgatus Interpres ni fallimur ſenſum hujus ſententiæ vividius expreſſit quam Sixtinus: cum enim verbum עדף *hadap*, *redundare* ſignificet, & *ſuperfluere*, non ſolam roris ſimplicem diſtillationem reddidit Vulgatus noſter, ſed abundantiam imbrium, qua terra promiſſionis fœcunda redderetur, & dives ſignificavit; quis autem neſciat in abundantia pluviarum Cœlum obnubilari, & caligatum fieri? Vulgati interpretationem retinuere Symmachus, & Greci, qui reddiderunt Hebræam *συννεφὲς ἔσται* hoc eſt *Cœlum ſit ipſi nubilum rore:* Non ergo a veritate Vulgatus noſter receſſit.

Tandem Caput ultimum Deuteronomii vellicare non omiſit Amama ad ℣. 7. in quo Vulgatus ſcripſit; *Nec dentes ejus moti ſunt*; cum longe plus quid narret Hebræa, per hæc verba = *nec aufugit vigor ejus*. Senſum utriuſque ſententiæ non admodum diſcrepantem agnoſcimus, cum in utraque verſione intelligamus Moſem non infirmitate corporis fatis functum, cum potius nullam in eo imperfectionem extitiſſe ſacer textus adfirmet, ſed naturæ debitum ideo tunc temporis perſolvit, quia a Domino juſſus eſt. Num autem integra Moſis valetudo juxta originarios codices aptius nobis a S. Hieronymo, vel ab Hebraica hodierna pingatur incertum eſt. Hebraica præſens legit ולא-נס לחה *ve lo nas lechoh;* quæ verti ſolet, ut a Sixtino proponitur. Advertimus tamen hanc vocem לחי ſignificare etiam *Maxillam*, & ſi ſcribatur לחי *lechi* proprie mandibulam, in qua fixi ſunt dentes, indicabimus; vocula pariter נס in Chaldæo infirmitatem ſignificat; hoc cum ſenſu propterea legi poſſet = & non fuit infirmitas in dentibus ejus, ſive in maxilla ejus; vel non fuit infirma maxilla ejus = Hæc tamen breviter dicta ſunt. Reliqua, ut jam innuimus, in altero volumine, Deo volente, proponentur, modo Auctoris noſtri, quæ ſuperſunt pro Vulgata exponenda ſunt. (W)

CAPUT QUINTUM.

De præcipuis textibus in Libris Joſue Regum, Judith, Eſther, & Job exiſtentibus, qui ab Hebraica lectione diſſentire videntur.

§. I.

Ex Libri Josue *Cap.* 21. ℣. 37.

DE *Tribu Ruben ultra Jordanem contra Jericho civitates confugii, Boſor in ſolitudine, Miſor, & Jaſer, & Jethſon, & Mephaat, civitates quatuor cum ſuburbanis ſuis.* Tanta eſt Criticorum recentium, (quorum animum & ſtudium æmulatur Natalis Alexander) Vulgatum Interpretem arguendi prurigo, ut tametſi ſtatuere non audeant hunc verſum expungendum eſſe; nihilominus audacter pronuntiant eum eſſe addititium, quod in antiquis Bibliorum Hebraicorum exemplaribus non extet; quod Maſſora Judæorum illum non agnoſcat: quod Bibliorum Venetorum textus Hebraicus & Chaldaicus illum non legat: denique quod plurimi Codices manuſcripti Vulgatæ verſionis Latinæ, a Luca Brugenſi laudati, verſum illum expungant. *At* etiamſi res ita ſe haberet, leviora mihi videntur iſta momenta, ut Vulgatam Editionem quaſi hac in parte redundantem cum novellis iſtis Criticis ſuccenſeam; quippe cum LXX. Interpretes, qui emendatioribus Hebræis Codicibus, quam qui jam extant, uſi ſunt, hunc verſum ex integro referant; eumque retineat Syriaca verſio, qua in egregia commentatione ſua in librum Joſue, uſus eſt Andreas Maſius; & Chaldaica Paraphraſis; & verſio Arabica: nec Bibliorum Emendatores ex ordinatione Sixti V. & Clementis VIII. expungendum eſſe cenſuerint. Quamobrem nullus Proteſtantium, quos legerim, Vulgatum Interpretem hic redarguit; ſilentio certe errorem non prætermiſſuri, ſi quem hic ineſſe præſenſiſſent. Quod autem Critici noſtri coniiciunt LXX. Interpretes præfatum textum depromptum ex I. Paralip. cap. VI. v. 78. & 79. ubi ſimilia leguntur, majoris explicationis cauſa hic attexuiſſe, mera eſt hariolatio & inane commentum, nullo firmatum argumento. Unde qua facilitate profertur, eadem reiicitur. Verius opinarentur Conjectores illi, affirmando mancum ac mutilum hic eſſe hodiernum Hebræum textum, qui tempore LXX. Interpretum eandem hauddubie, quam ipſi expreſſerunt, ſententiam referebat. (33)

§. II.

(33) Quæ poſſent adjungi Fraſſenio, ut verſiculi hujus 37. Capitis 21. Libri Joſue exiſtentia in vetuſtiſſimis Hebræorum codicibus demonſtretur, jam in Nota (7) Libri tertii Diſquiſ. Biblic. ad pagin. 209. novæ Editionis tradita ſunt. Unum hoc in loco adjungere, quod in notis ad Hieronymianæ verſionis editionem in hunc Joſue Verſiculum Martianæus obſervat contenti erimus. Tradit itaque vir Clariſſimus verſum iſtum abeſſe in MSS. melioris notæ, puta in Regio MS. Codice Num. 3563. Colbertino, Anicienſi Num. 157. Deeſſe fatetur ulterius in exemplaribus nonnullis S. Hieronymi: unde hac in parte ea mutila fuiſſe Hebræorum exemplaria ſuſpicatur quibus uſus fuit S. Doctor. Subjungit tamen præclarus Vir = de Hebræis voluminibus hæc notanda ſuperſunt, nempe in vetuſtis, & optimis nonnullis manuſcriptis exemplaribus hoc modo haberi ומטה ראובן את עיר מקלט הרצת את בצר במדבר ואת מגרשיה את יהצה ואת מגרשיה את קרמות ואת מגרשה ואת כגרשה ואת מיפעת ערים ארבע *unimmate Reuben eth-hir miclat haretſeahh: eth-betſer bammidbar veeth-migraſeheha, eth-jahatſa veeth-migraſcheha eth-Kedemoth veeth-migraſcheha veeth mephahath veeth migraſcheha arim arta*. Ideſt & de Tribu Ruben civitatem refugii homicidæ Boſor in deſerto, & ſuburbana ejus; & Joſa, & ſuburbana ejus; Eedemoth, & ſuburbana ejus; & Mephath, & ſuburbana ejus, Civitates quatuor: Hæc verba ſcripta reperiuntur in MS. Hebræo codice Regio num. 7. & in altero optimo exemplari manuſcripto notato BB 32. In aliis pariter manuſcriptis a Martianæo citatis reperiuntur; unde inter authentica Scripturæ verba iſte verſus merito adnumeratur, qua-

§. II.

Ex I. Regum *cap. IV. verſ. I.*

ET *factum eſt in diebus illis, convenerunt Philiſthiim in pugnam.* Hunc verſum additicium eſſe putant Lucas Brugenſis & ejus Exſcriptor Natalis Alexander, quod a S. Gregorio Magno non exprimatur: quod eum omittat textus Hebraïcus & Chaldaica Paraphraſis; quod illum non referant plurima exemplaria Latina Vulgatæ Editionis, præſertim ea quæ in Bibliis Regiis & Complutenſibus circumferuntur: quod denique particula *namque*, quam affirmat Brugenſis conſtanter haberi in exemplaribus antiquis, denotet Philiſthæos non veniſſe ad bellum; ſed eveniſſe ſeu impletum fuiſſe verbum Samuëlis, ut in fine præcedentis capitis habetur: igitur, inquit, immediate poſt illam aſſertionem, ſequi debuerunt hæc verba capitis ſequentis: *Et egreſſus eſt Iſrael obviam Philiſthiim in prælium &c.* ac ſubinde quæ præcedunt, tanquam exordium hujus capitis ſunt aſſutitia, inquit Brugenſis, & quod minus ferendum eſt, addit, *Aſſutorem fuiſſe imperitum.*

a *in Comment. ad hunc loc.*

„ Verum, ut perite obſervat Mendoza, [a] „ hæc ratio prorſus eſt infirma; tum quia „ particula *namque*, non in omnibus exem- „ plaribus conſtanter reperitur; cum abſit a „ Græcis & Latinis Vulgatis: imo neque „ ex Hebræis & Chaldæis libris, ad quos „ ille provocat, neceſſario colligatur: nam „ in illis eſt particula [b] *Vau*, quæ plerum- „ que eſt copulativa; & forte nunquam „ eſt cauſalis; ut Pagninus [b] potius exiſti-

b *lib. Inſtit. cap. 24.*

„ mat. Et ut demus hoc loco cauſalem „ eſſe: qui dicunt Iſraelitas Samuelis ora- „ tione excitatos bellum inchoaſſe; facile „ admittent rationem reddi per eam par- „ ticulam cur Philiſtini ad bellum venerint; „ quod ſcilicet ab Iſraelitis provocaren- „ tur: unde neceſſario concedent aliud hu- „ jus capitis exordium, in quo egreſſus „ Philiſthinorum ad bellum contineatur „. *Hæc ille.* Itaque tametſi Hebræi Codices, & nonnulli Græci præcedentis capitis tertii finem, putarint exordium eſſe præſentis; nihilominus tamen verum ac germanum hujus capitis initium eſt quod habetur in Vulgata; cujus auctoritas omnibus quæ in contrarium adduci poſſunt, facile præponderat. Accedit quod LXX. in Bibliis Sixtianis eodem utuntur exordio, igitur illud, *Et factum eſt in diebus illis*, Hebraiſmus eſt, inquit Mendoza, in ſacris literis paſſim obvius, quem Evangeliſtæ frequenter imitantur, Matth. IX. v. 10. Marc. II. v. 15. Lucæ I. v. 8. eorumque verborum ſenſus eſt: *Contigit autem in diebus illis.* Videant ergo Vulgatæ Editionis Criminatores, quam inani moveantur fundamento, ut ejus integritatem ac ſubinde auctoritatem convellere nitantur. Eodem argumento diſſolvuntur ea quæ ex cap. XIV. v. 41. & ex lib. II. cap. IX. v. 5. in controverſiam advocant Brugenſis & Natalis Alexander, exiſtimantes textus illos eſſe adſcititios, quod in Hebræo codice hodierno non compareant; perinde ac ſi hic textus in plurimis

quapropter in Vulgata jure retentus eſt. Reliquum eſt, ut pauca in Amamæ oppoſitiones contra Vulgati lectionem ad hunc ℣. reponamus. Ait itaque Cenſor turpiſſime deceptum Interpretem noſtrum, dum *Civitates* in plurali, pro *Civitatem* in ſingulari exaravit; quod *Miſor*, & *Jaſer* urbes fecerit refugii; & quod tandem hæc verba: *ultra Jordanem contra Jerico* appoſuerit, quæ nec in Hebræa, nec in Regiis Bibliis leguntur.

Si tamen attentius Vulgati interpretationem velimus reſpicere nullum in ea contineri errorem dignoſcemus facillime quis neſciat in more apud Latinos eſſe, appellativa nomina pluribus ejuſdem ſpeciei ſubjectis convenientia, unica plurali voce de omnibus æque prædicari? Nonne optimam eſſe locutionem hanc = diligo amicos meos Petrum, Joannem, Antonium, &c. = unuſquiſque intelligit, eamve æquivalere huic alteri = diligo Petrum amicum meum, & Joannem amicum meum &c? Vox ergo illa pluralis *Civitates* refertur ad omnes illas, quæ proprio appellantur nomine in hoc verſiculo, & in aliis. Falſum eſt autem, quod Vulgatus Interpres *Miſor*, & *Jaſer* inter Civitates refugii adnumeraverit in hoc verſiculo quamvis ex quatuor iſtis una, ſcilicet *Boſor*, civitas refugii eſſet designata; ſenſus itaque legitimus in Vulgato eo habetur ipſo quo ſignum *Coma* non poſt verbum *confugii*, ſed poſt verbum *Civitates* hoc modo: *De Tribu Ruben ultra Jordanem contra Jerico Civitates confugii Boſor in ſolitudine Miſor, & Jaſer &c.* interſeritur. In hac siquidem ſententia quatuor Civitates dicuntur a Rubeni Tribu Levitis conceſſæ, quarum una Civitas erat confugii; non tamen omnes Civitates hoc in loco recenſitæ, confugii Civitates appellantur. Quemadmodum enim redargui non poſſet hæc locutio = diligo amicos, Petrum ſummæ prudentiæ (ſubintellige *virum*) Joannem, & Antonium = veluti erroneæ, eſto Joannes, & Antonius ſummæ prudentiæ viri non eſſent, ſicut Petrus, dummodo amici ſint, ut propoſitio ſit vera; pari modo Vulgati locutio in ℣. 37. Capitis 21. Libri Joſue exposita, reprehendi non poſſe videtur, cum ſola Boſor tanquam Refugii Civitas prædicetur, quanquam & aliæ veræ ſint Civitates. In hunc ſenſum iri intellectam ſuam Interpretationem Vulgatus noſter judicare debebat cum jam ſingulas Civitates pro confugio præſcriptas, antea in Capite 20 Joſue ℣. 7. recenſuiſſet, ſingulaſque proprio nomine nuncupaſſet.

Quantum vero ad alia verba *ultra Jordanem contra Jerico*, quæ in Hebraicis, aliiſque codicibus deeſſe affirmantur, incertum eſt an in Vulgata ſuperabundent, vel potius in aliis deficiant. Quidquid sit tamen, eadem etiam in Hebraicis hodiernis leguntur ad ℣. 7. Capitis præcedentis Joſue nempe vigesimi, hac formula = Et trans Jordanem contra orientalem plagam Jerico ſtatuerunt Boſor = Vulgatus itaque, si ad æquivocationes cavendas situm Boſor etiam hoc in loco, ex ipſomet ſacro textu indicare ſategit, quid mali unquam commisit? Nullum profecto; cum id hoc in verſu, ipſum tradiderit, quod neceſſarium ad percipiendum unam, eamdemque eſſe Boſor, quæ in Capite 20 Joſue, & in hoc 21. nominatur, exiſtimavit. Nil ergo in Vulgata noſtra, vel quod Hebraicæ refragetur veritati, vel quod extra ſacrum textum extiterit huic ℣. 37. eſt adjectum. (W)

mis mutilus, ut variis argumentis jam probatum eſt, eis in locis potius quam Editio Vulgata aut LXX. Interpretum, ex purioribus Hebraicis Codicibus olim expreſſa, integritatem majorem ſpiraret. (34)

§. III.

Ex Capite II. verſ. 28. *Libri III. Regum.*

VEnit *autem nuntius ad Joab, quod Joab declinaſſet poſt Adoniam, & poſt Salomonem non declinaſſet.* Hebraicus autem textus, juxta verſionem Pagnini, ad Verbum habet: *Et fama venit uſque ad Joab, quia Joab declinaverat poſt Adonijah & poſt Abſalon non declinaverat.* S. Hieronymum Interpretem hoc loco arguit, (quod alias raro) Alphonſus Toſtatus, quod Hebraicam literam non fideliter Latine reddiderit, & quod pro *Joab* & pro *Abſalon*, *& Salomonem* ſcripſerit. Quomodo enim *nuncius ad Salomonem venit, quod Joab declinaſſet poſt Adoniam, & poſt Salomonem non declinaſſet*, cum id notorium eſſet, & Salomonem minime lateret? *Non accuſamus*, inquit, *nec excuſamus Hieronymum, ſed illi patenter Hebraicam veritatem præferimus.* „ Patiatur eam quam aliis tulit „ Legem. Non mirum, ſi quandoque erret, „ cum Interpres non Propheta ſit. Senſum „ autem Hebraicæ lectionis dat percommodum. Pervenit ad Joab fama interfecti „ Adoniæ & ejecti Abiathar: & quia ipſe „ Joab qui initio Abſalonem ſibi eximie „ dilectum ſecutus non fuerat, Adoniæ „ partes, in majus Salomonis præjudicium „ ſecutus erat, ideo timens fugit.„ Hæc ex illo Brugenſis; qui tamen obſervat in marginali ſpatio commentariorum Toſtati, errorem illum, non Interpreti, ſed Scriptoribus eſſe tribuendum: *Creditur quod Hieronymus bene tranſtulit, & in litera tam clara non erraverit: tamen corrupta eſt litera vitio Scriptorum & Stampatorum; quod genus hominum ignorantiſſimum eſt, potius lucro quam Scripturæ veritati advertens.* Ita ibi notatur: neque hoc a vero alienum eſt. Fit enim non parum probabile, judicaſſe Scriptores aut Lectores aliquos ipſi Joab ſuam ſatis notam fuiſſe perfidiam; itaque non Joab, ſed Salomoni nuntiatum, *quod Joab declinaſſet poſt Adoniam*: atque ideo *Joab* cum *Salomonis* nomine commutaſſe. Deinde, quia Abſolonis hiſtoria huc nihil ſpectare videbatur, præſertim cum laudandus ſit Joab, *quod poſt Abſolonem non declinaverit*, arguendus autem, *quod poſt Salomonem non declinaverit*, etiam *Abſalonis* nomen in *Salomonis* mutandum cenſuerunt. Excuſari tamen ex parte poſſent, qui oppoſitam lectionem ſequuntur, quaſi ſenſus eſſet, quod in Joab excitatum fuerit a malevola turba majus odium, quod cum prius in cauſa non admodum diſſimili declinare noluerit poſt Abſolonem, de quo fuerat optime meritus; nunc autem quaſi hoſtili eſſet in Salomonem animo, ad Adoniam contra Salomonis nomen & majeſtatem deflexerit. Sed eſt, ut dixi, ſine dubio vera lectio, quam Vulgata proponit; etiamſi contrarium habeant Hebraici Codices, qui ad nos pervenerunt, quos omnino puto temporum & Scriptorum injuria fuiſſe corruptos. (35)

§. IV.

(34) Totam illam pericopen: *Et factum eſt in diebus illis convenerunt Philiſtiim in pugnam:* deeſſe in Veronenſi codice notat Vallarsius, ac in ſex aliis exemplaribus latinis jam Lucas Brugenſis adverterat. Ab eis tamen fuiſſe a Tranſcriptoribus exciſam non eſt credibile, eo quod in Itala antiqua profecto legebatur, ut conſtat ex Libro I. Luciferi Calaritani, quem pro S. Athanasio conſcripsit; nec non ex Lib. I. de officiis S. Ambrosii; unde Sabatierus in laboriosiſſima ſua reſtitutione Italæ verſionis antiquæ ex prælaudatis Patribus eam proponit his verbis = Et factum eſt in diebus illis, & convenerunt Alienigenæ in pugnam ad Iſrael = Greca pariter legebant: *συναθροίζονται ἐπὶ ἰσραὴλ εἰς πόλεμον* ; ideſt: congregantur... adverſus Iſrael in bellum, Unde quæſo hæc verba a Græcis, Latiniſque Interpretibus ſunt tranſcripta, & inter authentica ſcripturæ oracula repoſita, ſi in vetuſtiſſimis Hebræorum codicibus lecta non eſſent? (W)

(35) Non parum Criticorum detorſit ingenia verſus 28. Capitis 2. Libri III. Regum, ut ejus germana lectio, atque originaria, ſi tandem fieri poſſit, innoteſceret. Verſionum diſcrepantia, & in eadem verſione diverſæ lectiones eo tandem ambiguitatem protendere potuere, ut ineſtricabilis prorſus controverſia ſit reddita eo vel maxime, quod in variantibus ſingulis ſenſum idoneum Commentariorum Scriptores adinvenerint. Simplicius itaque præ aliis dicimus Vulgatæ lectionem germanum ſenſum exhibere quandoquidem maxima ex parte cum hebraicis conſentit, & Græcis. Hebræa itaque juxta Franciſcum Lucam ita legunt = Et venit fama uſque ad Joab, quia Joab declinaverat poſt Adoniam, & poſt Abſalonem non declinaverat = Græci pariter codices habent = Et fama venit ad Joab. . quia Joab erat inclinatus poſt Adoniam, & poſt Salomonem non declinaverat = Noſtra Vulgata denique præfefert = Venit autem nuncius ad Joab, quod Joab declinaſſet poſt Adoniam, & poſt Salomonem non declinaſſet = Tres iſtæ lectiones apprime conveniunt dummodo ſupponamus ex Amanuensium incuria in textum Hebraicum *Abſalonem* pro *Salomonem* irrepsiſſe, quod valde probabile eſt, ut ex ſermonis antithesi conſtat, nisi velimus cum aliquibus dicere Salomonem hoc in loco *Abſalonem* fuiſſe appellatum, quia *Abſalom pater pacis* interpretatur, *Salomon* autem *pacificus*. Quidquid ſit tamen, probabiliorem exiſtimamus eorum Codicum Latinorum lectionem, qui nuncium, ſeu famam ad Joabum perveniſſe referunt; nuncium videlicet de morte Adoniæ de Abiataris Sacerdotis depoſitione, & de ſtabilitate Salomonis in Solio Regni; quo audito, confugit Joab ad Sanctuarium quia idem ſuo capiti imminere periculum neſcire non poterat. Vulgatæ itaque lectio cæteris omnino præferenda eſt, quod legitimum ſenſum in primis exhibeat, quod cum S. Hieronymi verſione apprime cohæreat, & quod ab Hebraica, ſi in eadem *Salomonem* legiſſe S. Hieronymum cum Catholicis pluribus ſupponamus pro *Abſalonem*, nullimode diſſentiat. (W)

§. IV.

Ex Capite XXI. *verſ.* 24. *libri III. Regum.*

SIC habet Vulgata: *Si mortuus fuerit Achab in civitate, comedent eum canes: ſi autem mortuus fuerit in agro, comedent eum volucres cœli.* Falſitatis inſimulatur hic noſtra verſio ex cap. XXIII. ejuſdem libri, ubi legitur occiſum eſſe Achabum in agro, nec tamen cadaver ejus a volucribus cœli comeſtum eſſe, ſed ſepultum; Alexander Hebraicum textum prædictæ verſioni anteponit; Is autem talis eſt: *Eum autem qui mortuus fuerit de Achab in civitate, comedent canes: & qui mortuus in agro, comedent volucres cœli.* Quærerem ab ipſo lubenter quo in Scripturæ loco ejuſmodi prophetiam impletam viderit, ſciſcitarerque ab ipſo num juſtius ſit Achabum ipſum pœnas luere, quam poſteros ejus? Sed hæc prætermitto; & pro verſionis noſtræ defenſione, id unum dico, omnibus fere Scripturæ ſacræ comminationibus, tacitam ineſſe conditionem, quæ tametſi diſertis verbis non exprimatur, eſt tamen ſubintelligenda, vel ipſis fatentibus Hebræorum Doctoribus, qui paſſim docent comminatoria Dei decreta conditionem recipere, nec raro reſcindi cum ſubſequitur pœnitentia. Fuiſſe autem in Achabo nonnullam pœnitentiam, patet ex iſto quod examinamus capite: & quamvis non fuerit numeris omnibus abſoluta, hanc tamen habuit vim, ut ipſius ergo nonnihil Deus detraxerit de pœna quam Achabo fuerat comminatus. (36)

Plura etiam menda Cronologica & Antilogias in cæteris librorum Regum capitibus, nec non in libris Paralipomenon juxta Vulgatam Editionem cum Hetherodoxis deprehendere ſe putat Brugenſis, cui per omnia conſentit Natalis Alexander. Verum ubi nobis erit ſermo de textibus ſacris in ſpeciem pugnantibus, deque ſtatuenda annorum ſerie ex veteri Teſtamenti, utrumque non leviter in his hallucinatum fuiſſe aperte demonſtrabimus. At ſilentio prætermittere non poſſum errorem quem in Editione Vulgata comminiſcitur Natalis Alexander, ex his verbis Paralip. [a] ubi de Joſaphath legimus: *Etiam Excelſa & Lucos de Iuda abſtulit*; hic, inquit, adiicienda videtur particula *non*, ut conveniat hic locus cum eo qui de eodem Joſaphath refert III. Reg. XXII. v. 43. & 44. *Fecitque rectum quod erat in conſpectu Domini; veruntamen Excelſa non abſtulit.* Et infra [b] cap. XX. v. 33. ubi idem tot verbis repetitur.

Verum quo fine iſta notaverit Alexander, non capio; ipſi namque propoſitum fuerat eos recenſere textus, quos in Vulgata noſtra erroneos judicabat, quod fontibus Hebræis non conſentirent: At hic locus Vulgatæ plene concordat cum Hebræo textu, ubi ad verbum legimus vertente Pagnino; *Et adhuc removere fecit Excelſa & Lucos de Iehudah.* Neque enim ſcriptum legimus, ut olim fuiſſe putat Grotius אף *Velo*, i. e. *& non*; ſed, עוד *Veod*, i. e. *& adhuc*. Quamobrem ſi hic deficiat Editio Latina, deficiunt etiam Hebræi Codices, proindeque fine ſuo fruſtratur, & a ſcopo aberrat Alexander.

Veriſimilius ego dicendum exiſtimarem neutram Editionem Hebræam & Latinam hic deficere: Neque eadem de Joſaphat hic proferri quæ referuntur II. Reg. cap. XXII. ac ſubinde textus illos non pugnare. Quod ut fiat exploratum, advertendum eſt duplicis fuiſſe generis *Excelſa loca*, ubi adorationis cauſa convenire ſolebant Judæi. Alia quidem profana & prohibita, in quibus inſtar Gentium, colebant idola, & debitum Deo cultum, Dæmonibus impendebant. Solebant namque Gentiles, præſertim Chananæi, in excelſis locis, iiſque ſylveſtribus & frondoſis ementita colere Numina. Quamobrem ut ejuſmodi profana loca Excelſa Hebræi ſubvertant, præcipit Deus Exod. XXXIV. v. 13. Deut. VII. v. 5. & alibi ſæpe. Hunc etiam nefarium ritum conſectati ſunt alii Gentiles; nam Perſas in Excelſis locis ſylviſque ſacrificaſſe teſtis eſt Xenophon. [c] Idem de Romanis docet Apollonius; [d] atque etiam Virgilius, [e] qui Capitolium in quo Jovem Capitolinum colebant, ſic deſcribit:

[a] *Paralip.* 2. *cap.* 17. *verſ.* 6.

[b] *II. Paral.*

[c] *lib.* 8.
[d] *lib.* 1.
[e] *lib.* 8. *Æneid.*

(36) Vulgatæ lectioni ad versiculum 24. Capitis 22. Libri III. Regum non ſolum Hebraicus, ſed Græcus, Syriacus, & Arabicus textus contradicunt; legit quippe Græcus τὸν τεθνηκότα τῦ Ἀχαὰβ ἐντῇ πόλει φάγονται οἱ κύνες, καὶ τὸν τεθνηκότα ἀτῦ ἐν τῷ πεδίῳ φαγονται τα πετεινὰ τῦ ἀέρος ideſt: mortuum de Achab in Civitate comedent canes, & mortuum ejus in campo comedent volatilia Cœli. In Hebraica, & Græca lectione divinæ ultionis executio tanquam abſolute comminata deſcribitur, quia in filiis Achab fuit adimpleta: In Vulgata autem noſtra, cum quadam implicita ſaltem conditione deſignatur, quod ſcilicet pœna indicata per Prophetam ipsius Achabi Capiti imminebat, niſi pœnitentia ductus Dei furorem mitigaſſet; quod in parte ſaltem præſtitit ille Princeps; unde ſepulchrum ejuſdem Cadaveri pernegatum non fuit. Vulgatæ igitur lectio neque abhorret a vero, neque contradicit Capiti 23. hujuſce libri, in quo Achabi ſepultura deſcribitur. Verum unicum ſubjungere liceat, nempe comminatam Achabo pœnam in originariis Hebræorum codicibus eadem fortaſſis locutione fuiſſe deſcriptam, ac in Vulgata noſtra vox enim Hebrica מת *meth* tam eſſe poteſt participium, quam nomen *Zoar*; ſi igitur vox illa ſubſtantive ſumatur ſignificabit *mortuum*, vel *morticinum*, & litera ה, quæ præmittitur voci מת, hoc pacto המת, vel erit pro articulo, vel Euphoniæ cauſa; unde ſenſus in hac hypotesi erit *Morticinum*, sive *Cadaver* Achabi si fuerit in Civitate comedent Canes; & si fuerit in agro comedent volucres Cœli; Vulgatus autem noſter clariori locutione ſenſum Hebraicum reddidit: *ſi Achab mortuus fuerit &c.* quod idem omnino ſignificat. (*W.*)

Hinc ad Tarpeiam ſedem & Capitolia ducit.
Aurea nunc, olim ſylveſtribus horrida dumis.
Jam tum Religio pavidos terrebat agreſtes
Dira loci: jam tum ſylvam, ſaxumque tremebant.
Hoc nemus, hunc, inquit, frondoſo vertice collem
(Quis Deus incertum eſt) habitat Deus: Arcades ipſum
Credunt ſe vidiſſe Jovem, &c.

Quantum vero execranda Judæis eſſe debuerint Excelſa iſta in Dei veri injuriam idolorum cultui dicata, apparet ex graviſſimis comminationibus Prophetarum in eos qui profana iſta loca frequentabant, ut videre eſt Jeremiæ VII. v. 31. Ezechiel. VI. v. 3. Oſeæ X. v. 8. & alibi.

Altera vero erant Excelſa, non idolis, ſed Deo vero ſacra, in quibus Hebræi interdum pietatis & adorationis gratia conveniebant; ſic Gedeon in excelſa petra ſacrificium Deo obtulit Judic. VI. v. 26. ſic Samuel I. Reg. IX. v. 19 Deum adorabat in Excelſo, & ibi divina fundebat Oracula: ſic denique Salomon III. Reg. cap. III. v. 2. *Abiit in Gabaon, ut immolaret ibi: illud quippe erat Excelſum maximum: mille hoſtias in holocauſtum obtulit Salomon ſuper altare illud in Gabaon, Apparuit autem Dominus Salomoni per ſomnium nocte, dicens: Poſtula quod vis ut dem tibi.* Ubi vides Deum non ingratum habuiſſe; quin imo ſua manifeſtatione atque largitione ſapientiæ comprobaſſe hunc cultum: tametſi jam aliquatenus videretur illicitum & duntaxat toleratum, ut ejuſmodi ſacrificia in Excelſis fierent, aliiſque in locis ubi non erat tabernaculum Domini; *Deus enim*, inquit S. Auguſtinus, [a] *conſuetudinem populi ſui, quæ præter ejus tabernaculum, (tamen non Diis alienis offerebant, ſed Domino Deo ſuo;) ſuſtinebat potius quam vetabat; etiam ſic exaudiens offerentes.*

a quæſt. 36. libros Iudic.

Prioris generis Excelſa abſtuliſſe dicitur Joſaphath in præfato textu de quo controvertitur, utpote cum revera profana eſſent & execranda: poſterioris vero generis Excelſa non abſtuliſſe refertur II. Reg. cap. XXII. & II. Paralip. cap. XX. ſed toleraſſe, forte metu majoris periculi, ne ſcilicet ſi Excelſa illa loca Deo ſacra & a Patriarchis atque viris pietate conſpicuis olim frequentata prohiberentur, populus ad Excelſa inanium Deorum & Gentium deflecteret. Nolim tamen ipſum Joſaphath, ſicut & alios Reges ob hanc permiſſionem & tolerantiam ab omni culpa liberare, quia hæc Excelſa tametſi eſſent Deo ſacra, nihilominus cenſebantur illicita, tum propter periculum Gentiliſmi & idololatriæ, tum maxime quia poſt Templi Salomonis fabricam, videbatur eſſe prohibitum alibi Deo ſacrificare, juxta illud Deuter. XII. præceptum: *Cave ne offeras holocauſta tua in omni loco quem videris, ſed in eo quem elegerit Dominus.* Hinc tres illi Reges, nempe David, Ezechias & Joſias, præ cæteris celebrantur ab Eccleſiaſtico cap. XLIX. David quidem quod non immolaverit in Excelſis; Ezechias vero & Joſias Excelſa quod omnia abſtulerint, ut legimus IV. Reg. XVIII. & XXIII. Joſaphath autem etiamſi aliunde religioſiſſimus Princeps, pari encomio non illuſtratur, quod ipſa Excelſa Deo ſacra jam illicita permiſerit; licet ea quæ Dæmonibus erant dicata diſſipaverit. Quamobrem revera ſimul dicatur excelſa abſtuliſſe & non abſtuliſſe: abſtulit quidem idololatrica & omnino profana; toleravit ea quæ erant Deo ſacra & olim permiſſa. Nulla igitur hic eſt antilogia. (37)

§. V.

Ex libro JUDITH *cap. XV. verſ. 7.*

ET *prædam quam fugientes Aſſyrii reliquerant, abſtulerunt, & onuſtati ſunt valde.* Hariolantur hic Brugenſis & Alexander legendum non eſſe *onuſtati*, ſed *honeſtati*; Græce enim, inquiunt, legitur ἐπλούτησαν, i. e. *ditati ſunt*: ſolet autem Vulgatus Interpres vocem *honeſtus* uſurpare pro *divite*: ſic Sap. X. v. 11. *Honeſtum fecit eum.* Sap. V. v. 11. *Honeſtavit illum in laboribus.* Eccleſ. XI. v. 14. *Paupertas & honeſtas a Deo ſunt.* Et cap. XIII. v. 2. *Pondus ſuper ſe tollit qui honeſtiori ſe communicat.* Addit Mariana ſe in Bibliis Gottice etiam legiſſe, *honeſtati ſunt.* At nimia prurigine criminandi Vulgatum Interpretem ferantur neceſſe eſt, qui leviora hæc & inania in eo accuſant. Tametſi enim interdum *honeſtum* pro *divite* uſurpet, hic tamen ad hiſtoriam longe convenientius, & luculentius ſcripſit *onuſtati ſunt*, quam *honeſtati*

(37) Verſiculus 6. Capitis 17. Libri II. Paralipomenon legitur in Hebraicis hodiernis codicibus ſicut in Vulgata noſtra. Quod autem pertinet ad antilogiam inter iſtum, & ỳ. 33. Capitis 20. Libri II. Paralip; & verſ. 43. capitis 22. Libri III. Regum, hæc a Sacris Scripturarum Expoſitoribus, Cornelio, Calmeto, Lirano, aliiſque innumeris conciliatur, quæ tam in Vulgata reperitur, quam in Hebraica. Nec ſuſpicio intrudi poſſe videtur, quod recentes Hebræorum codices in verſu Paralipomenon, de quo controverſia eſt, depravati ſint, quandoquidem Itala antiqua legebat = Adhuc amputavit lucos de Juda = ut ſcribit Lucifer Calaritanus Lib. I. pro S. Athanaſio. Græca pariter habent καὶ ἐξῆρε τὰ ὑψηλὰ καὶ τὰ ἄλση ideſt; & ſubſtulit excelſa, & lucos. Methodus autem antilogiæ ex textibus ſcripturæ divinæ auferendæ quam Fraſſenius eſt inſecutus, jam a Theodoreto Quæſt. 12. in Lib. 3. Regum, aliiſque insignibus viris retenta fuerat. (*W*)

ſtati ſunt. Enimvero enarrat qualiter Betulienſes (qui propter ætatem aut nimis provectam, aut nondum ſatis adultam, arma capeſcere non valebant, reſederant in Betulia cum imbelli fœminarum populo, dum cæteri bellatores procul Aſſyrios hoſtes abigunt, cum jam exploratum haberent fugatos eſſe Aſſyrios, & longo intervallo diſtare) ex urbe egredientes, ad Aſſyriorum caſtra deſcenderint, indeque eorum gazas & opima ſpolia Betuliam tranſtulerint. Bellatores vero qui palabundos hoſtes inſecuti fuerant, edita ingenti eorum ſtrage, dum Betuliam redeunt, omnia ſpolia quæ hoſtes devicti, ut fugæ impedimenta hinc & illinc reliquerant, colligentes ſecum aſportarunt in tanta copia, ut nemo prædæ exſors, nemo non dives & opimis ſpoliis oneratus fuerit; quod ut ſignificaret Vulgatus Interpres diſerte ſcripſit *onuſtati ſunt valde*, ſeu quod idem eſt *onuſti*, ut notat Tyrinus.

§. VI.

Ex libro ESTHER *cap. XV. verſ.* 4.

DIe *autem tertio depoſuit veſtimenta ornatus ſui, & circumdata eſt gloria ſua.* Hic Vulgatum Interpretem flagellant ſcioli noſtri Critici, quod pugnantia involvere videatur dicens Eſtherem depoſuiſſe *veſtimenta ornatus ſui*, & indutam fuiſſe gloria ſua, i. e. veſtimento regio, & ad ornatum comparato, cum ſcribere debuiſſet *luctus ſui*; Græce πένθους, vel ut habent LXX: τῆς δεήσεως, *ſervitutis*, vel *oratus*, i. e. *orationis ſuæ*: veſtimenta autem *oratus*, ſive *orationis*, inquiunt, ſunt veſtimenta lugubria, qualia orantem ac ſupplicem decent, de quibus cap. XIV. 2. *Cumque depoſuiſſet veſtes regias, fletibus & luctui apta indumenta ſuſcepit.* Verum quam inſulſa ſit hæc accuſatio & ad Vulgati Interpretis odium & injuriam quæſita, apparet primo, quod quilibet veſtitus & habitus etiam modeſtus & honeſtus vocatur *ornatus*, maxime is quo quis induitur, ut orationi inſiſtat; ſic I. ad Timoth. II. 9. hortatur Apoſtolus mulieres, ut orent *in habitu ornato*, Græce κοσμίῳ, quod alii vertunt *honeſto*, *modeſto*, *decoro*; nam immoderatus & indecens eas non ornat, ſed inhonorat. Itaque veſtimenta quibus ſe paraverat Eſther, non ad ſplendorem & elegantiam, ſed ad fletum & orationem quæ Joſephus appellat *veſtes lugubres*, non immerito dicuntur *veſtimenta ornatus*, maxime mulieris ſanctæ, & ad orationem ſeſe componentis, ac in omnibus modeſtiam & pietatem ambientis. *Accedit* quod Eſther pluris faciebat ſaccum, cinerem & ſparſis crinibus humiliatum caput, quam veſtes regias; magiſque in apparatu modeſto lugubri ſibi complacebat, quam in regia cidari & lapillis pretioſis, & ſtellata atque auro ac gemmis diſtincta veſte, ut luculentiſſime ſignificat cap. XIV. ubi legimus, quod *cum depoſuiſſet veſtes regias, fletibus & luctui indumenta apta ſuſcepit, & pro unguentis variis, cinere & ſtercore implevit caput, & corpus ſuum humiliavit jejuniis; omniaque loca in quibus antea lætari conſueverat, crinium laceratione com-*

plevit, & deprecabatur Dominum Deum Iſrael, dicens.... Tu ſcis neceſſitatem meam, quod abominer ſignum ſuperbiæ & gloriæ meæ, quod eſt ſuper caput meum in diebus oſtentationis meæ: & deteſter illud, quaſi pannum menſtruatæ, & non portem in diebus ſilentii mei. Quamobrem vulgares veſtes & modeſtum indumentum potius ornatum ſuum cenſebat, quam veſtimenta regia, quæ non niſi cum faſtidio & reluctanti animo circumferebat. Vides itaque Vulgatum Interpretem appoſite dixiſſe illam depoſuiſſe *veſtimenta ornatus ſui*, ut ſplendidis & regiis veſtibus tanquam alienis & ſibi odioſis invita veſtiretur.

Secundo cum hic varient Græci Codices; quædam enim habent ἱμάτια πένθους *veſtimenta luctus*: LXX. vero τῆς δεήσεως, quæ vox eſt variæ ſignificationis; interdum enim ſignificat *medelam*, alias *obſequium* & *ſervitutem*; aliquando etiam *venerationem* & cultum, ſicut θεραπεύειν eſt *mederi*, *ſervire*, *obſequi*, *colere*, &c. Interpres noſter præcipue videtur attendiſſe ad notionem vocis θεραπεία, quæ apud Scriptores Eccleſiaſticos ſignificat *curare*, ſive *corpus*, ſive *animam*, & *Deum religioſe colere*, ſive *divina procurare*. Sic Philo [a] θεραπευτὰς nominat *viros religioſos*, qui ex vi profeſſionis ſuæ divina curabant, & animorum ſuorum affectionibus ſpiritualem medelam adhibere invigilabant. Sic pariter S. Dionyſius [b] viros aſceticos eodem nomine honorat definiens eos, οἱ τῷ θεῷ καθαρᾷ ὑποτάξει καὶ θεραπείᾳ; i. e. *Dei caſto ſervitio & religioni mancipatos*. Cum itaque Eſther Deum ſuis orationibus & fletibus ad clementiam flectere intenderet, recte dicta eſt induere *veſtimenta ornatus ſui*, nempe ſaccum, cinerem & evulſis crinibus deturpatum caput, exquiſitum ſcilicet illum ornatum, quo in anguſto illo rerum articulo, & ſibi complacebat, & cæleſti Regi impenſius placere ſtudebat. Ex quibus omnibus colligere licet Vulgatum Interpretem, nec pugnantia loqui, nec a genuino Scripturæ ſenſu aliena, ſed maxime conſentanea proferre. (38)

[a] *lib. de vita con. cap.*

[b] *lib. de Eccleſ. Hierarch. cap. 6.*

(38) Maximum inter Auctores etiam Catholicos de voce iſta *ornatus*, qua uſus eſt Vulgatus Interpres, exarsit diſſidium, contendentibus aliquibus ex tranſcribentium oſcitantia in ſacrum textum fuiſſe detruſam pro voce *oratus*, quibus Fraſſenius refragatur, exiſtimans idoneam eſſe ad legitimum ſenſum indicandum, quæ modo in vulgata legitur, vocem. Facillime, ni decipiamur, difficultas eliminatur, si *orna-*

§. VII.

Ex libro Job. *cap.* XIX. *verſ.* 24.

Quis *mihi det ut exarentur in libro ſtylo ferreo; vel celte ſculpantur in ſilice.* Hic Vulgatum Interpretem, aut quod veriſimilius eſt, illius Amanuenſes obdormitaſſe nonnulli Critici contendunt, quod ſcriptum ſit *celte* pro *certe*; plurima namque vetuſtiſſima exemplaria, quorum meminit Lucas Brugenſis, habent *vel certe*, *&c.* Quibus accedunt Biblia Moguntina & Complutenſia; Unde Franciſcus Titelmannus vocem *celte*, ut indoctam & barbaram lectionem reiicit, utpote quæ SS. Bonaventuræ & Thomæ, atque etiam aliis e ſuperioribus Enarratoribus, ſeu Interpretibus ignota fuerit. Quamobrem hunc locum inter ſphalmata, accedente Eccleſiæ conſenſu, emendanda plerique conſtituunt

Verum retinendam eſſe vocem *celte*, non ſolum ſuadent plurima etiam vetuſtiſſima exemplaria manuſcripta ab eodem Brugenſi laudata, ſed etiam S. Gregorius, qui primus verſionem S. Hieronymi expoſuit; nam Patriarchæ Jobi verba expendens ſcribit: *Quæ quia fortis ſententia, modo per pondus avaritiæ gravius, modo autem duris cordibus loquitur, ſtylo ferreo in plumbi lamina, vel celte in ſilice ſcribit.* Cui conſentiunt Richardus, Hugo Cardinalis, imo & ipſe S. Hieronymus. [a] Hebraice autem eſt לעד *lahhad*, quod Recentiores & Chaldæus reddunt, *in æternum*. S. autem Auguſtinus, *in teſtimonium*; Vulgatus vero *celte*, quod Calepinus & alii aiunt eſſe inſtrumentum ſculptorium, quo utuntur artifices in lapidibus ſculpendis, ut notat Wilelmus Brito: [b] unde plerique claſſici Scriptores *cælum* a cœlando ſeu ſculpendo vocant; ſuntque Romæ hæc verba in veteri inſcriptione: [c] Malleolo et celte literatus silex. Appoſite itaque & ad Jobi mentem atque Scripturæ ſenſum, Vulgata noſtra Editio habet *celte*, ſiquidem optabat virorum ille patientiſſimus æternam fieri memoriam ſui agonis, afflictionis, conſtantiæ & ſpei, præſertim ejus quem de reſurrectione mox ſubjungit. Quamobrem in votis habebat ut eorum recenſio in ea materia exararetur, quæ æternum aut ſaltem longiſſimo tempore perſeveraret. Hinc petit exſculpatur non ſolum in plumbo, ſed etiam in ſilice ſeu marmoribus, quatenus ejus memoriam nulla vetuſtas obliterare poſſet: nec materiam ſolum in qua ejus verba exarentur, commemorat; ſed etiam inſtrumenta, ut ſcilicet *ſtylo ferreo* ſculpantur in plumbi lamina, *celte* vero incidantur in ſilicibus. (39)

Ex his obiter colligere licet quam antiqua in libris aut voluminibus plumbeis, nec non in marmoribus ſcribendi fuerit conſuetudo, cum Job de ea loquatur, uti de re jam notiſſima & antea in uſu; cui poſtmodum ſucceſſerunt ligneæ tabulæ. His vero, dedolatorum e ligno codicillorum aut corticum arborum uſus; unde qui portabant codices illos, ab iſtis tabulis dicti ſunt *tabellarii;* ab his vero arborum libris, appellati ſunt *librarii*. ut notavit S. Hieronymus; [d] tametſi Plinus [e] in palmarum foliis primo ſcriptitatum: & deinde quarundam arborum libris, poſtea publica monumenta plumbeis voluminibus, mox & privata linteis confici cœpta, aut ceris, aſſerat: Quibus tandem membranas Pergami repertas & papyrum ſucceſſiſſe ibidem ait.

[a] *epiſt. 61. ad Pammach.*

[b] *in Vocab.*

[c] *in Aldi Orthog.*

[d] *epiſt. 42. ad Nicam.*

[e] *lib. 13. cap. 11.*

CAPUT

ornatus nomine ille intelligatur cultus veſtium, quo aliquis indutus ſeu ornatus deſcribitur ex aliquo adjuncto: ita dici ſolet *ornatus*; *regius ornatus militaris*; *ornatus luctus*: ex adjunctis autem intelligimus depoſuiſſe Eſther veſtes luctus, & pœnitentiæ, unde non male vocem *ornatus* adhibuit Interpres noſter, qui indicantur veſtes, quibus in ea circumſtantia, quæ narratur, induta erat Regina Eſther. (*W*)

(30) Quanquam Palatinus Codex, ut notat Vallarsius, *certe* habeat pro *Celte*, & eodem pariter modo le, ant quadraginta, & ſex Manuſcripta exemplaria in Galliarum Bibliothecis a Calmeto conſulta, quibus præterea Critici, atque Interpretes ſuffragantur, non deſunt nihilominus Codices, qui *Scelpte*, vel *Celte* præſeferunt, quorum ſexdecim a Franciſco Luca recenſentur, quibus aliis quinque ſpectatæ antiquitatis adjungit Joannes de Pineda, ultra duos alios manuſcriptos in Bibliotheca Ariæ Montani adinventos. Inter alios tamen Vaticanus codex præ aliis vetuſtus, atque correctus, qui *Celte* legit, non *Certe*: Falſitatis propterea revincitur ea Vulgati perſuaſio, qua nomen iſtud non alibi legi judicabatur, in veteri quippe Gloſſario, ſive in Excerptis Labbei *Celte* γλυφεῖον vel γλυφεῖον *Celte* interpretantur; unde Græca illa voce ferreum ſcalptorium ſtylum denotari dubium vix eſt. Videatur Joannes de Pineda in hunc Jobi verſiculum. (*W*)

CAPUT SEXTUM.

De variis Scripturæ textibus, qui in libro Pſalmorum reperiuntur, aliquam diverſitatem ab Hebraica verſione præſeferentibus.

Non indiget Summario.

§. I.

Ex Pſalmo I. verſ. 1.

IDeo *non reſurgent impii in judicio.* In Vulgatum Interpretem, hoc in libro præſertim, mordaciſſimum ſe oſtendit Sixtinus Amama; plura namque agglomerat, & fruſtra ſudare ait noſtros Interpretes, ut Vulgatam verſionem hic purgent. Alii, inquit, interpretantur, Non reſurgent ad beatam reſurrectionem. Alii, Non reſurgent in cœtu juſtorum, inter juſtos: Alii, Non reſurgent in judicio, i. e. ut judicentur, *Iam enim pœnis certiſſimis deſtinati ſunt*, inquit S. Auguſtinus. Item, Non reſurgent in judicio, i. e. ut judicent, ſed ut judicentur. Carthuſianus: *Non reſurgent in judicio diſcretionis, quo quotidie homines juſti ſeipſos examinant & conſcientias ſuas diſcernunt.... de quo ſalubri judicio dicit Apoſtolus: Quod ſi nos ipſos dijudicaremus, non utique judicaremur.* I. Cor. XI. & ad Job cap. XIV. art. 24. Unde legitur Pſal. I. Ideo non reſurgent impii in judicio: *quod de judicio diſcretionis accipitur, quo homo inter bonum malumque judicans, deteſtatur culpam, in quam incidit, & per pœnitentiam reſurgit.* Ita & Lombardus in Commentariis, qui hanc *reſurrectionem animæ* vocat. Omnem hunc Interpretum æſtum ſedat melior interpretatio: *Non ſtabunt* (ſubſiſtent) *in judicio.* Ita Amama.

Verum aliter hauddubie ſenſiſſet, ſi advertiſſet Verbum *reſurgere* accipi interdum in ea ſignificatione, quam huic loco tribuendam eſſe cenſet, idemque valere ac *ſtare* ſeu *ſubſiſtere*: cujus rei exemplum habemus in trito illo de palma effato; *Curvata reſurgit.* Hunc ſenſum ſecutus noſter Interpres (metaphora ſumpta a foro in quo qui cauſam amittunt cadere cauſa dicuntur) dixit impios non reſurrecturos, i. e. ipſos non habituros conſiſtendi facultatem; neque erecto animo atque confidenti expectaturos Judicis ſententiam, ſed omni ſpe fruſtratos, mente deiiciendos eſſe; dum interim juſti ſtabunt in magna conſtantia adverſus eos qui ſe anguſtiaverunt. Cum itaque verbum *non reſurgent*, idem ac *non ſurgent* hic ſignificet, temeraria eſt Amamæ accuſatio. (40)

§. II.

Pſalm. II. verſ. 7.

APprehendite *diſciplinam ne quando iraſcatur Dominus.* Inſulſam hanc eſſe verſionem clamitant Hebraiſtæ, præſertim Amama, & vertendum eſſe putant: *Oſculamini filium*, loco, *apprehendite diſciplinam.* Hebraice enim legimus: נשקו-בר *Naſſecu bar.* Sed longe hallucinantur; nam apprehendere diſciplinam nihil aliud eſt, quam obſequentem ſe præbere ac docilem, & morem gerere alicui: id autem ſignificari verbo Hebraico נשקו *Naſſecu*, facile coniicient omnes qui oculos conjecerunt in illud Geneſis XLI. v. 40. ubi Pharao Joſephum conſtituens Præfectum terræ Ægypti, ait: *Ad tui oris imperium cunctus populus obediet.* Hebraice בל-ישק פיך *Chol iiſchak pieka.* i. e. *Omnis oſculabitur os tuum:* cum autem os Ægypti Proregis oſculari, ſine dubio non permitteretur omnibus ſubditis etiam viliſſimis, neceſſum eſt verba iſta idem ſignificent, quod vene-

(40) Ex diverſa divinarum ſcripturarum expoſitione ſi ſacrorum textuum depravationem inferre poſſemus, quis non videat vel unicum vix poſſe conſiſtere Bibliorum verſiculum cum Eccleſiæ Patres modo literalem modo methaphoricum ſcripturæ ſenſum pro tractandorum opportunitate conſignent? quamcumque velint eligant itaque Commentatores *reſurrectionem*, ſatis eſt quod opportune vocem Hebraicam יקומו *jakumu* verterit Vulgatus noſter *reſurgent*, quandoquidem verbum iſtud latinum in ſenſu a Fraſſenio propoſito ſumi poteſt ut patet ex Commentariis Clariſſimi Joannis Druſii toties ab Amama commendati, in quibus Vulgati noſtri lectionem amplexus eſt. LXX. pariter Interpretes reddiderunt Hebraicum verbum jam laudatum *ἐκ ανασήσονται ἡ πεσοῦνται* ideſt *non reſurgent in Judicio.* Quid magis ipſi Hebræi, & præſertim R. Camius, ut apud Druſium videri poteſt quamvis in pravam ſententiam declinans, nihilominus vocem Hebraicam יקומו per verbum *reſurgo* convertit, & intelligit, ſcribit quippe in Commentariis ad hunc Pſalm. = Juſti poſt mortem reſurgent; verum improbi non reſurgent, ſed peribit anima ipſorum, una cum corpore ipſorum in die mortis = relinquamus modo Rabbinicum deliramentum de morte animæ cum corpore, & ſolius intelligentiæ, quam exhibet de Hebraica illa voce contenti ſimus, & ſatis fiet palam legitima Interpretis noſtri translatio ejuſdem Hebraicæ vocis; quæ eadem omnino verſio eſt cum *illa* S. Hieronymi ex Hebraicis fontibus (*W*)

venerabitur ac venerantèr obediet verbis atque præceptis quæ de ore tuo procedent. Quamobrem optime monuit Kimchius hic verbum illud *Naßecu* denotare obedientiam, ſumpta videlicet metaphora a ſervis, qui (ait Quin. Curtius) in ſubjectionis ſignum heri ſui manum deoſculari ſolent. Itaque tantum abeſt ut Hebraicus textus hic luculentior ſit ac nitidior, ut fingit Natalis Alexander, quinimo obſcurior eſt, utpote metaphoricus.

Ad vocem בר *bar* quod attinet, qua præfati Hebraiſtæ hic filium ſignificari aiunt, ex eaque argumentum efficax elicere ſe putant contra Judæos pro Deitate Meſſiæ, quem adorandum hic Pſalmiſta vaticinatur, Ut rem paucis expediam, dico illos non ſatis expendiſſe dictionem illam in hoc Pſalmorum opere nunquam ſignificare *filium*, ſed ſolum apud Auctores qui Chaldaiſmos amant, uno fortaſſe loco Proverbiorum dempto, in quo vocem hanc Chaldaicam irrepſiſſe arbitror; nam Pſalmiſta vocem hanc non adhibet, ſed utitur nomine בן *ben*, ut multis ex locis patet, præſertim vero ex eo quem examinamus Pſalmo *verſ.* 7. Id porro non latuit B. Hieronymum, qui, licet Hebræo textui admodum addictus, vertit tamen vocem illam בר *bar*, i. e. *pure*. Atque hæc videtur vera huius vocis interpretatio, quaſi diceret Pſalmographus: Obedite pure & nulla facta tergiverſatione. (41)

§. III.

Ex Pſalm. XIII. verſ. 6. 7. & 8.

S *Epulchrum patens eſt guttur eorum &c.* Hunc & alios ſequentes verſus non habent Codices Hebræi, nec Græci LXX. Nec Calduica Paraphraſis, nec Apollinaris in carmine. Citavit quidem eos S. Paulus cap. III. Epiſt. ad Romanos. At non ex uno Pſalmo, ſed ex variis locis collectos, ut obſervat S. Hieronymus in Præfat. ſuper 16. librum Commentarior. in Iſaiam, ubi reſpondens Euſtochio quærenti quomodo verum eſſet quod ille ſcripſerat, Apoſtolos ea tantum de LXX. Interpretibus ponere teſtimonia, quæ cum Hebræo conſonarent; ſi qua autem ab aliis addita ſunt, omnino negligere; *Cum Pſalmi XIII. octo verſus qui leguntur in Eccleſiis & in Hebræo non habentur, Apoſtolus Paulus Romanis ſcribens uſurparit:* Hanc quæſtionem ſic ſolvit: „ Itaque omnem Scripturam mente perluſtrans, „ animadverti, ſicut omnis pene ad Romanos Epiſtola de veteri ſtructa eſt Inſtrumento; ſic & hoc teſtimonium de „ Pſalmis & Eſaia eſſe contextum. Nam „ duo primi verſus, *Sepulchrum patens eſt guttur eorum: linguis ſuis doloſe agebant*, „ quinti Pſalmi ſunt; illud autem quod ſequitur, *Venenum aſpidum ſub labiis eorum*, centeſimi triceſimi noni Pſalmi eſt. „ Rurſumque cum dicitur, *Quorum os maledictione & amaritudine plenum eſt*, de „ nono Pſalmo ſumptum eſt. Tres autem „ verſiculos qui ſequuntur, *Veloces pedes eorum ad effundendum ſanguinem: Contritio & infelicitas in uariis eorum: Et viam „ pacis non cognoverunt*, in Iſaia Propheta „ reperi, quos in 16. explanationis ejus „ libro, quem nunc dictare cupio, expoſiturus ſum. Ultimus autem verſus, i. e. „ octavus, *Non eſt timor Dei ante oculos eorum*, in triceſimi quinti Pſalmi principio eſt. Nec in hoc cuiquam videatur „ eſſe diverſum, ſi quod in ſuis locis numero dicitur ſingulari, ab Apoſtolo pluraliter dicatur, qui ſcribebat ad plurimos, „ & in unum ſenſum multa cogebat exempla. Arbitror ſolutam quæſtionem tuam, „ & noſtram regulam ſuper translatione „ veteris Inſtrumenti concuſſam magis eſſe „ quam motam: & non tam Apoſtolum „ de Pſalmo tertiodecimo ſumpſiſſe quod „ in Hebraico non habetur, quam eos qui „ artem contexendarum inter ſe Scripturarum Apoſtoli neſciebant, quæſiſſe aptum „ locum ubi aſſumptum ab eo teſtimonium „ ponerent, quod abſque auctoritate in Scriptura poſitum non putabant. Denique „ omnes Græciæ tractatores, qui nobis eruditionis ſuæ in Pſalmos Commentarios reliquerunt, hos verſiculos vero annotant „ atque prætereunt, liquido confitentes in „ Hebraico non haberi, nec eſſe in LXX. „ Interpretibus, ſed in Editione Vulgata, „ quæ Græce κοινὴ dicitur & in toto Orbe „ diverſa eſt. „ *Hæc S. Hieronymus*. Quem præter alios ſequitur Beda, Actorum Apoſtolicorum primum caput ediſſerens, ubi & ſimile exemplum habet: quia namque S. Petrus Actor. I. 20. junxerat locum centeſimi octavi Pſalmi cum altero ſexageſimi octavi, ut & Judæ abjectionem & Matthiæ electionem Prophetæ teſtimonio adſtrueret; aliquis Emendator, id totum ex Pſal. CVIII. ſumptum eſſe arbitratus, huic addidit, quod illic amplius legit, *Fiat habitatio ejus deſerta, &c.* Ex his colligit Amama & arguit Vulgatæ verſionis inanem redundantiam.

Hanc injuriam ut a Vulgato Interprete abſtergat Caſſiodorus, ait quod quamvis iſti verſus non habeantur in Hebræis exemplaribus; tamen in uſum Eccleſiæ conſuetudine longa receptos eſſe: unde S. Auguſtinus,

(41) Quam variæ ſint Scriptorum interpretationes ad voces illas Hebraicas נשקו בר *naſſekubar*, mirum eſt prorſus. Alii quippe *oſculamini filium*; alii *adorate pure*, alii denique *oſculamini pure*. Fortaſſis meliori ſenſu LXX Interpretes ὁραξασθε παιδευσεως *apprehendite diſciplinam*, & Chaldæus, qui *ſuſcipite doctrinam* verterunt. In Vulgata noſtra legitimum eſſe ſenſum plures demonſtrant Auctores, ſed præſertim Joannes Lorinus in ſuis ad hunc locum Commentariis. (W)

ſtinus; & eo poſteriores Enarratores Pſalmorum, illos verſus, ut ad hunc Pſalmum ſpectantes, admittunt: Leguntur pariter in Pſalteriis Latinis, Romano & Ambroſiano; necnon in Arabico, Ægyptiaco & Æthiopico, atque in vetuſtiſſimo Græco Vaticano. *Attamen* Joannes Aſor [a] putat hos verſus pertinere ad hunc Pſalmum, & olim extitiſſe in Codicibus Hebræis. Adiiciunt Lindanus [b] & Melchior Canus, [c] hunc locum Judæos vitiaſſe, textumque Hebraicum hic eſſe mutilatum. Quæ tametſi veriſimilia non exiſtimem, aſſentiarque priori ſententiæ neganti verſus iſtos eſſe de integritate Pſalmi hujus, uti etiam ingenue fatentur Bellarminus, tum *explicatione in hunc Pſalmum*, tum *lib.* 2. *de Verbo Dei cap.* 2. Lorinus & alii recentiores Pſalmorum Interpretes, a quibus non abludit Lucas Brugenſis. Nihilominus ut Hebræis & Græcis Codicibus non adiiciendos eſſe cenſeo; ita Latinis in quibus conſtanter leguntur, non ſubſtrahendos judico; Lectionis enim antiquitas, inquit idem Lucas, quæ etiam SS. Auguſtini & Hieronymi præceſſit tempora, & perpetuus Eccleſiæ in templis uſus, ſuo eos loco facile moveri non ſinunt. Quamobrem Bibliorum Cenſores, auctoritate Sixti & Clementis VIII. Pontificum, eos expungere noluerunt.

[a] *tom.* 1. *Inſtitut. lib.* 8. *cap.* 2. *quæſt.* 7.
[b] *lib. de optimo genere Interp. cap.* 3.
[c] *in locis communib. pag.* 60.

§. IV.

Pſalm. XVIII. verſ. 6.

IN *Sole poſuit tabernaculum ſuum.* Sixtinus Amama & multi poſt eum Heterodoxi verſionem iſtam carpunt, & reponendum eſſe exiſtimant: *Soli poſuit habitaculum in illis*, ut ſit ſenſus, Deum in cœlis circumſcripſiſſe domicilium, ut illic, veluti in ſublimi theatro, melius conſpiceretur; ut etiam vertit S. Hieronymus, conſentitque Theodoretus & alii cum veteres tum recentiores Interpretes. *Verum* æquius cum Vulgato Interprete aget, quiſquis attenderit eum nonnunquam ſenſus habuiſſe rationem potius quam literæ, quæ interpretationis ratio nulli ſanæ mentis viro diſplicere poteſt. Hanc vero Vulgatæ Auctorem hoc in loco ſecutum eſſe non dubitabit quiſquis verſionem ipſam paulo attentius conſideraverit; nam quid eſt aliud, Deum in Sole ſuum tabernaculum poſuiſſe, quam ipſum divino propemodum lumine exornaſſe & magnificam in cœlo ei adornaſſe habitationem, ut magnifice reſplendens, Deo eſſet veluti domicilium.

Duplex itaque poteſt eſſe eorum verborum ſenſus; primus quod per hypallagen, ait Genebrardus, Deus Solem poſuit in tabernaculo ſuo, i. e. in cœlis: quam interpretationem approbat Euthymius: *Hujus verſiculi ſenſus talis eſt*, inquit, *quod Deus habitationem Soli poſuit in cœlo. Ait enim Moſes de duobus magnis luminaribus, quod poſuit ea Deus in firmamento cœli, ut lucerent ſuper terram. Aliquibus etiam viſum eſt, verſiculum hunc recte conſtrui non poſſe: nos autem poſt dictionem* TABERNACULUM, *virgulam ponentes, & diſtinctionem, quæ Græce* αὐτῇ *habetur, non pro relativo, ſed adverbio loci intelligentes, commodiſſime ordinem reddidimus, Poſuit Deus ac determinavit Soli habitationem illic*, i. e. *in cœlo.* Secundus vero ſenſus, quod Deus quidem poſuiſſe videatur in cœlis ſplendorem: at multo majorem in Sole, tanquam in baſilica aula & tabernaculo regio, in quo præſertim majeſtatem ſuam, atque virtutem conſpiciendam exhiberet, tanquam incorporearum rerum omnium præſtantiſſima. Unde Solis excellentiam ipſe Regius Vates ex triplici potiſſimum capite ibidem commendat: *Primo*, ab ejus eximia pulchritudine: *Et ipſe tanquam ſponſus procedens de thalamo ſuo;* ac ſi diceret: Ipſe decorus, nitidus & ſplendoribus ornatus exoritur, tanquam ſi ſponſus aliquis eſſet, qui de thalamo nuptiali procederet. *Secundo*, a robore & viribus: *Exultavit ut Gigas ad currendam viam, &c.* Quod, Gigantis inſtar, ſumma celeritate & ſine ulla defatigatione decurrat viam prope immenſurabilem. *Tertio*, ab utilitate & vivifico ejus calore; *Nec eſt qui ſe abſcondat a calore ejus;* omnia namque inferiora ipſius caloris beneficio vegetantur, ut dici poſſit communis quidam omnium naſcibilium parens. (42)

§. V.

(42) Omnium ferme tum antiquæ, cum recentes Interpretum Verſiones inter ſe diſſentire videntur circa legitimam Verſiculi 6. Pſalmi 18. lectionem. Hebræa profecto hodierna hoc modo legit לשמש שם-אהל-בהם *la ſchameſch ſam-ohel bahem*, ideſt, ut ipſemet S. Hieronymus in ſua Verſione ſcripſit = Soli poſuit tabernaculum in eis = ſcilicet in Cœlis; patet itaque S. Doctoris Hebraicum Codicem eamdem cum noſtris prætuliſſe lectionem; quinimmo ex hoc loco revincimus Codicem Hieronymianæ verſionis legitimam præferre lectionem, quæ in Hebraicis fontibus ea ætate inveniebatur. LXX Interpretes tamen conſtanter legunt ἐν τῷ ἡλίῳ ἔθετο τὸ σκήνωμα αὐτοῦ quæ idem ſonant cum Vulgatæ verbis. Aquila, & Symmachus eamdem ferme cum S. Hieronymo lectionem tenent. Druſius tamen hunc in ℣. advertit antiquitus lectum eſſe juxta LXX, unde in Hebræis eorum codicibus ſcriptum fuiſſe בשמש שם אהלו *ba ſchameſch ſam ohelo*, ideſt in ſole poſuit tabernaculum ſuum. Senſus ipſe mirum in modum profecto convenit cum præcedentibus verſiculis hujus Pſalmi, in quibus Dei gloria a Cœlis enarrari dicitur ejuſque opera a firmamento enunciari quidem, ſed magnificentiam ejus a ſole, in quo veluti in habitaculo ſibi electo poſuit Deus tabernaculum gloriæ ſuæ quia majores ſui ſplendoris divitias eidem conceſſit ſpeciali modo enunciari Regius Pſaltes adfirmat. Auguſtinus propterea, Caſſiodorus, & S. Ambroſius Lib. de *exhortatione ad Virgines* Vulgati lectionem retinuere; Vulgata autem noſtra Pſalterium LXX Interpretum, ut jam alias præmonuimus, exhibet. (W)

§. V.

Ex eodem verſ. 13.

AB *alienis parce ſervo tuo*. Ita Vulgatus Interpres ex Græco LXX. ſic habente ἀπὸ ἀλλοτρίων φείσαι τοῦ δούλου σου. Variat autem Hebraicus textus qui pro, *ab alienis*, habet, זדים *Mizedim*, i. e. *a ſuperbis*. Unde S. Hieronymus vertit, *A ſuperbis quoque libera ſervum tuum*. Sic etiam vertit Symmachus, ἀπὸ ὑπερηφάνων. Hinc Vulgatum Interpretem acriter carpit Sixtinus Amama, arguitque textum Græcum LXX. qui ד pro ר legerunt, nempe זרים *mizarim*, quæ vox ſignificat, *ab alienis*, cum legere debuiſſent MIZEDIM *a ſuperbis*, vel *ſuperbiis*, ut habet præſens Hebraicus Codex. Verum, utri potius fides danda ſit, Symmacho, qui vitiatos, ut etiam nunc ſunt, habuit Hebræos Codices, ut ex locis plurimis illius verſionis conſtat: an LXX. qui integros & omnino expurgatos? judicet æquus rerum æſtimator. Ad S. enim Hieronymum quod attinet, certum eſt eum utramque expoſitionem fuiſſe ſecutum; nam *Comment. in cap. II. Joelis*, & *in caput LXV. Iſaiæ*, atque *in cap. VII. Jeremiæ*, conſtantiſſime legit, *ab alienis*, [a] uti etiam legerunt S. Auguſtinus & S. Bernardus, [b] cæteri quoque Latini Interpretes. Ex Græcis vero ambas expoſitiones approbant Euthymius, Didymus, Nicephorus & alii: ut inde videat Amama pridem ab Eccleſia probatam eſſe Vulgati Interpretis lectionem.

[a] *lib. 3. de libero arbitr. cap. 10.*
[b] *Serm. 32. in Cantic.*

Nihilominus tamen utraque verſio facili negotio conciliari poſſet; ſiquidem peccatum ſuperbiæ revera dici poteſt *alienum*, quia cum humanum ſit labi per infirmitatem & inconſiderantiam; excedit hanc naturæ conditionem & diabolico peccat peccato, inquit Lorinus, qui ſuperbe contempto Deo prævaricatur Legem ipſius; unde monebat Apoſtolus, [c] ne in Eccleſiæ Paſtorem inſtitueret Neophytum; *Ne*, inquit, *in ſuperbiam elatus, in judicium incidat Diaboli*. Qui ut legimus Job XLI. 25. appellatur *Rex ſuper univerſos filios ſuperbiæ*; & ipſa ſuperbia dicitur, [d] *Initium omnis peccati*. Eaque expoſitio proxime collimare videtur in mentem Pſalmiſtæ, qui, inquit Genebrardus, hic tria peccatorum genera attingit, quæ ſibi remitti velit: ſcilicet *infirmitatis*, *ignorantiæ* & *malitiæ*, ſive *præſumptionis*. Ignorantiæ quidem cum ait, *Delicta quis intelligit*; Infirmitatis, *Ab occultis munda me Domine*: & præſumptionis, *Ab alienis* ſeu *ſuperbia parce ſervo tuo*. Sunt tamen qui exiſtiment hic voce, *alienis*, deſignari alienigenas & Gentiles, qui cum falſam Religionem ſectentur cum ſuperbia quoque conjunctam, in eam facile pertrahunt eos quibus dominantur. Quamobrem Deum exorat David, ne in talium veniat ditionem.

[c] *II. ad Timoth. cap. III. v. 6.*
[d] *Eccleſiaſt. XV.*

Magis tamen mihi probatur ea interpretatio, quæ voce, *alienis*, ea intelligit peccata, quæ vel per aliorum ſuggeſtionem patrantur; aut quæ alii nobis ſilentibus aut approbantibus, admittunt; vel qui ex pravo noſtro exemplo in crimen provolvuntur. Ut ut ſit, certum eſt Vulgati noſtri Interpretis expoſitionem alienam non eſſe a mente Pſalmiſtæ.

§. VI.

Ex eodem verſ. 14.

SI *mei non fuerint dominati, tunc immaculatus ero*. Hanc etiam expoſitionem ſugillant Heterodoxi; *primo* quod barbara ſit: *ſecundo* quod ambigua & omnino dubia. Barbaram, inquiunt, facit vox *mei* quæ cum verbo *Dominati* recte non conſtruitur; neque enim dicitur quis dominari *alicujus* ſed *alicui*. Incertus pariter eſt ejus ſenſus, cum non exprimat de quibus dominatoribus loquatur Pſalmiſta. *At* primum ſcrupulum removet Genebrardus, dicens illud *mei*, μοῦ, eſſe genitivi caſus, non nominativi, & per Græciſmum pro dativo uſurpari; ut ſit ſenſus: Si alieni iſti, ſive ſuperbi, non fuerint in me dominati, ſi mihi non prævaluerint, ſi ad eorum gratiam, vel ad eorum imperium & dominatum nihil peccati commiſerim, tunc integer ero, & mundus ac purus a maximis & multis peccatis & delictis. Eſt enim ſingulare pro plurali per ſynecdochen.

Vox autem *Dominati*, qua uſus eſt Interpres noſter, intelligi poteſt de perſonis, ſeu de hominibus ſuperbis & improbis, ut mox explicabat Genebrardus, quamvis per conſequentiam de peccatis quoque poſſit intelligi. Unde S. Auguſtinus legit: *Non fuerint dominata*, nempe occulta & aliena peccata.

§. VII.

§. VII.

Ex Pſalm. XXX. verſ. 15.

IN *manibus tuis ſortes meæ*. Hanc verſionem arguit Amama, ut minime textui Hebræo convenientem; Habet enim Codex Hebræus בידך עתותי *bejadca hhittotai*, i. e. *in manu tua tempora mea*; quam verſionem approbant etiam Bellarminus & Genebrardus: Non deſunt, inquit Bellarminus, antiquæ verſiones ex Græco quæ habeant καιροὶ μου, *tempora mea*: ſic etiam legitur in officio Miſſæ non ſemel, & in Pſalterio S. Petri Romæ. Unde putat Genebrardus vocem κλῆροι in Codice LXX. irrepſiſſe loco καιροὶ. *At* hæc quæcunque cogitetur diſſonantia, facile elevatur; ſive enim legas *ſortes*, ſive *tempora*, Pſalmiſtæ mentem aſſequeris; nihil enim aliud hic ſignificare intendit; quam in Dei voluntate conſtitutum eſſe vitæ ſuæ terminum & mortis definitionem, quæ cum lateat, non incongrue dicitur *ſorte* conſtituta: non quod temere ſua cuique moriendi ſors veniat, ſed quod in manu Dei ſit illa ſortitio, quam niſi revelaverit, nemo noſſe poteſt. Ad id intendiſſe videntur Gentiles cum vitæ noſtræ rationem & menſuram finxerunt in Parcarum manibus eſſe conſtitutam, quarum primæ nomen erat Clotho, ſecundæ Lacheſis, tertiæ Atropos, ſic dictæ, inquit Fulgentius Planciades, [a] *Quod prima ſit nativitatis educatio: ſecunda vitæ ſors, quemadmodum quis vivere poſſit: tertia mortis conditio, qua ſine lege venit*. Earum vero tertia dicitur Ἄτροπος, i. e. *immutabilis*, quod mortem neceſſitate & inevitabili fato cuique contingere arbitrabantur: quia vero fatum ſortito cuique obtingit, ſecunda appellata eſt Λάχεσις a verbo λαχεῖν, i. e. *ſortiri*. At quoniam ſuum cuique penſum netur; prima quæ eſt Κλωθὼ, a verbo κλωθειν dicta eſt, quod eſt *nere*. Appellabantur vero *Parcæ*, non per antiphraſin, quod *minime parcant*, ut plurimi cum Apuleio commentantur: ſed, inquit Julius Scaliger, [b] *Parcæ quia parcant*, una enim tantum dicitur filium incidere; duæ vero, altera vitam dare, altera vitæ tractum continuare. A pluribus igitur fit nominatio; quin illa quoque parcit; ſuſtinet enim aliarum opus quoad futurorum juſſibus pareat. At quam obcæcati Gentiles vitæ noſtræ rationem illis fictitiis Parcis tribuebant, piiſſimus Princeps David religioſe & veriſſime Deo tribuit, cum ait: *In manibus tuis tempora mea*, vel *ſortes meæ*; quippe cum ab ejus nutu & arbitrio omnis hominum vitæ ratio pendeat. Hinc Pſal. LXXXVII. præclare dicebat: *Sicut vulnerati dormientes in ſepulchris, quorum non es memor amplius, & ipſi de manu tua repulſi ſunt*; hoc eſt, tanquam a tua manu exciſa ſunt eorum vivendi ſtamina & ſpacia. Cui concinens Ezechias in Cantico apertius ait: *Præciſa eſt velut a texente vita mea, dum adhuc ordirer ſuccidit me*.

Præclare itaque dixit David; *In manibus tuis ſortes meæ*, quibus vita mea ducitur, non caſu obvenient, non ad arbitrium inimicorum meorum aut ullius hominis conſiſtent, ſed in manu poteſtateque tua ſitæ ſunt, atque tuo nutu & arbitrio vitæ meæ ratio agitur & regitur.

[a] *Mytolog. lib.* 1.

[b] *lib.* 3. *de Rhetor. Poetic. cap.* 90.

§. VIII.

Pſalm. XXXI. verſ. 4.

CONverſus *ſum in ærumna mea dum configitur ſpina*; Hebraice: *Viror meus verſus eſt in ſiccitates æſtivas*. Quam verſionem Vulgata nitidiorem prædicat Alexander. *At* noſſe debuerat Hebræum textum hodiernum non eodem modo ab Hebraizantibus reddi; nam Arias Montanus eum ſic effert: *Converſum eſt agro meo in ariditatibus æſtatis*. Fœlix *converſa* aut *everſa pinguedo mea & humidum meum in ſiccitates aut cum ſiccitatibus æſtatis*. Campenſis: *Sic mutatus ſum, ut ex ſucculento factus ſim aridior, quam ſint ariſtæ in media meſſe*. Variarunt etiam Veteres; Symmachus quidem vertit: μετεστράφη μοὶ εἰς διαφθορὰν εἰς καῦσος θερινὸν: *Converſum eſt mihi in corruptionem* (impersonaliter) aut, *Converſus eſt Deus corrumpens me, ſicut in ſiccitatem æſtivam*, vel *ſicut ſiccitas æſtiva corrumpit*. Aquila Ἐστράφην εἰς ἀφανισμόν μου ἐν ἐρημώσει θερμῇ: *Verſus ſum in vaſtitatem meam in ſqualloræſtivo*; nempe ſicut in calore æſtivo. Quinta Editio: Ἐστράφη εἰς παλαιότητα ἐν τῇ ἐρημώσει ἐτῶν; *Verſus eſt in memoriam, cum ſit ſolitudo fructuum*. S. Hieronymus: *Verſatus ſum in ærumna mea, cum exarſerit æſtas*. Inter tot lectionum varietates ex Hebraico textu expreſſas, vellem indicaret nobis Alexander, quænam earum nitidior ſit ea, quam Vulgata noſtra exhibet? Ut enim ipſe quod ſentio, aperiam, omnes illæ mihi videntur obſcuriores Verſione LXX. Interpretum, quæ ſic habent: Ἐστράφην εἰς παλαιότητα ἐν τῷ ἐρημοῦσθαι μοι ἄκανθαν. & quem Latinus ſic reddit: *Converſus ſum in ærumna mea dum configitur ſpina*.

Reponet forſan cum Heterodoxis illam cum Hebraico textu non concordare, Hebraice namque cum punctis nunc legimus, נהפך לשדי בחרבני קיץ *nehephac leſchaddi becharbone kaits*. *Verum* LXX. qui optimis & integris Codicibus uſi ſunt, paulo aliter viden-

tur legiſſe Hebræum textum quam modo ſe habeat, ac proinde in Hebræo, ut nunc legitur, Scribarum errorem eſſe luculenter demonſtrant Bellarminus, Lorinus, & alii Catholici Interpretes. Nihilominus tamen minima unius vel duarum literarum mutatione, etiam ex Hebræo hodierno, noſtræ Editionis ſenſus elici poteſt; illud enim נהפך לשדי *Nehepbac leſchaddi*, i. e. *verſus eſt viror meus:* ſi legatur נהפכתי לשדי *nehpachti leſoddi;* erit, *Converſus ſum in arumna mea.* Et quod ſequitur בחרבוני קיץ *Becharbone kaits*, i. e. *in ſictitates æſtivas*; ſi legatur ſic, בחרבוני קוץ *becharbone kots;* erit, *in confixionibus ſpinæ.* Vel ſi mavis legere בחרבני קוץ *becharbeni kots*, quomodo legiſſe puto LXX. Interpretes, hanc, quæ eodem recidit, interpretationem conficies: *In configendo me ſpina*, i. e. *dum configit me ſpina.* Quam lectionem veriorem eſſe luculenter oſtendit ipſa verborum ſeries & Pſalmiſtæ ſcopus, qui eleganter ſpinæ metaphora, cruentas peccati plagas deſignat, quas poſt fallacem quam oſtentabant delectationem, infligunt: ac proinde falli opinione ſua qui voluptatem ex vitio venantur; ſi quæ enim in eo eſt jucunditas & dulcedo, fuco illita eſt & acerbitatem occulit, quam tandem experientur qui in illud proluunt: Nam, ut præclare ait Boetius: [a]

Habet omnis hoc voluptas,
Stimulis agit furentes,
Apicumque par volantum,
Ubi grata mella fudit,
Fugit & nimis tenaci
Ferit icta corda morſu.

[a] *lib. 3. conſol. Philoſoph. metr. 7.*

Roſas & flores & ſuaves illecebras colligere ſe putabat David in adulterio cum uxore Uriæ, ſed malo ſuo didicit quam mendax fuerit illa dulcedo quæ in abſinthium mutata, ejus animum, ſpinarum inſtar, graviter confixit & cruentavit. Vides itaque Vulgatum Interpretem Pſalmiſtæ mentem egregie fuiſſe aſſecutum. (43)

§. IX.

Ex Pſalm. XXXIV. verſ. 18.

COnfitebor *tibi in Eccleſia magna*, *in populo gravi laudabo te.* Sixtinus Amama reprehendit hæc vocabula, *in populo gravi*, quoniam ſcilicet in Hebræo eſt בעם עז *in populo forti.* At utraque lectio facile concordat: etenim per hæc verba, *In populo gravi laudabo te;* nihil aliud Propheta policetur, niſi quod in populo multo ac frequenti ſit Deum laudaturus; quod idem eſt ac *in populo forti*, ex copioſa ſua multitudine; עז *hhatſum* enim Hebraice, idem eſt quod *robuſtus*, ratione multitudinis: tunc enim robuſtus eſt populus, cum tam multis viris abundat, ut hoſtes nullatenus timeat. Putat Bellarminus hic Prophetam attendere ad Eccleſiam Chriſtianam aut ad triumphantem: ſi ad Chriſtianam in qua laudatur aſſidue Deus ob piorum liberationem, illa vere multa eſt, & magna, cum totum Orbem terrarum obtineat; & vere gravis & robuſta, *Cum portæ inferi adverſus eam prævalere non poſſint.* Matth. XVI. Si ad Eccleſiam triumphantem ſpectet, hæc pariter magna dicenda eſt, cum de ea ſcriptum ſit Apocalyp. VII. *Vidi turbam magnam quam dinumerare nemo poterat*; & populus robuſtus, cum ibidem additum ſit; *Et palmæ in manibus eorum*, in ſignum victoriæ & fortitudinis. Nec inſolitum eſt Scripturæ per *grave* intelligere ponderoſum, forte & numeroſum, ut patet ex verſione Græca I. Maccab. cap. I. v. 18. *Et intravit in Ægyptum in multitudine gravi, in curribus & elephantis, & equitibus & in claſſe magna:* aut, ut ait Vulgata noſtra, *& in copioſa navium multitudine.* Itaque Editiones illæ a fontibus non multum abludunt.

§. X.

(43) Vir doctiſſimus Joannes Lorinus lectionem Vulgatæ noſtræ ad ℣. 4. Pſalmi 31. invicte defendit. Facilius tamen, & brevius ex collatione in hunc Pſalmum Richardi Cenomani Ordinis S. Franciſci Vulgatæ ejuſdem lectionem vindicare poterimus, eamque, juxta S. Hieronymi doctrinam, cum Hebraica apprime congruere demonſtrabimus, ſi literam ל vocis לשדי leſchaddi, non veluti radicalem, ſed tanquam ſervilem conſiderabimus; adeo ut vox illa hebraica a themate שדד *ſchadad*, *vaſtavit*, derivetur, quæ *miſeriam*, *& arumnam* tunc exprimit; litera autem ſervilis ל ſit nota ablativi caſus, aut accuſativi; unde ſenſus erit *converſus in arumna mea*, vel *ad arumnam meam*. Quod autem S. Hieronymus modo a nobis expoſito vocem illam Hebraicam intellexerit, ex ejus S. Doctoris verſione ab Hebraico compertum eſt, in qua legimus = verſatus ſum in miſeria mea = Quinimmo ipſemet S. Pater in Epiſtola ad Suniam, & Fretelam ita ſcribit „ Converſus ſum in ærumna „ mea: in Greco *mea* non eſſe ſuggeritis ἐστράφην „ εἰς παλαιπωρίαν ἐν τῷ ἐμπαγῆναί μοι ἄκανθαν con„ verſus ſum in ærumna, dum configitur mihi „ ſpina, quod ex Hebræo, & tranſlatione Theo„ dotionis additum eſt & in Hebræa legitur לשדי „ *leſſaddi* in qua voce ultimum jod ad ſigni„ ficandum mea additum eſt „ compertum itaque eſt S. Hieronymum optime fuiſſe redditam a LXX. Interpretibus exiſtimaſſe Hebraicam lectionem per illa verba = converſus ſum in ærumna mea, dum configitur mihi ſpina = alioquin non indicaſſet legi in Hebræo *mea*, ut Sunia, & Fretela expoſcebant, ſed potius dixiſſet diverſimode a LXX. Interpretum verſione Hebraicam veritatem præferre: Pari modo etiam alia verba Hebraica בחרבוני קיץ *becharbone Kaiits*, ad literam verti poſſunt in *gladiis ſpinæ*, quandoquidem vox harbone tam *ariditates*, vel *ſiccitates*, quam *gladios*, vel *pugiones* ſignificare poteſt. Vox pariter *Kaiits*, ſi poſt primam radicalem ק habeat ו pro י *ſpinam* ſignificat. Hanc autem lectionem retinuerunt LXX, eamque comprobavit S. Hieronymus, legitimuſque in eadem ſenſus adinvenitur; non ergo a Vulgata recedendum, quæ tamdiu ab Eccleſiæ Catholicæ comprobatione conſecrata fuit; quidquid in oppoſitum aliqui clamitent. (*W*)

§. X.

Ex Pſalm. LIX. verſ. 10.

MOab *olla ſpei meæ*. Hic plurimi Hebraizantes Vulgatum arguunt, quod verterit *olla ſpei meæ*, cum Hebraice vertere debuerit רחצי סיר *ſir rachtſi*, i. e. *Olla lotionis meæ:* nam verbum רחץ *rachats*, idem eſt ac *lavare*, *luere*, *abluere aqua*. At, ut perite obſervat Bellarminus, quamvis verbum *rhe chats* hanc ſignificationem jam obtineat; nihilominus tamen veriſimile non eſt LXX. Interpretes tam imperitos fuiſſe linguæ Hebraicæ, ut vocem *rachtſi* verterent, *ſpei meæ*, ſi vox illa ſolam *lotionem* ſignificaret. Eandem tamen quam Vulgata Latina interpretationem habent; ſiquidem legunt: Μοὰβ λέβης τῆς ἐλπίδος μου. Signum eſt ergo, quod olim tam *ſpem* ſignificaret, quam *lotionem*. Unde Chaldæus Interpres vocem רחץ *rechats*, vertit *confiſus eſt*, *ſperavit*, ut patet tam hic, quam IV. Reg. cap XVIII. v. 19. & Eſaiæ XII. v. 12.

§. XI.

Ex Pſalm. LXIII. verſ. 8.

ACcedet *homo ad cor altum*, *& exaltabitur Deus*. Hæc interpretatio omnino aliena videtur ab Hebræo textu; ſic ad verbum referente: *Et cogitatione viri*, *& corde profundo*; *& ſagittabit eos Deus*. Verum, inquit Bellarminus, hi duo textus facile conciliantur; nam vox Hebraica קרב *Kereb* quæ *intimum*, ſive *cogitationem* ſignificare poteſt; ſi legatur cum aliis punctis קרב *Karab*, ſignificabit *acceſſit*, ſive *accedet*; unde arbitror LXX. Interpretes legerunt non וקרב *vekereu* ſed יקרב, *iikrau*, quod ſignificat *accedet*, *appropinquabit*. Ut autem Latinus Interpres exponeret ad quid fieret acceſſus ille, pro particula ו *Vau*, i. e. *&*, maluit ponere præpoſitionem *ad*, ut eſſet ſenſus, *Accedet homo ad cor altum*, ſeu accedet ac progredietur ad ſcrutandum corde profundo & profunde cogitandum. Tametſi autem in Græcis Codicibus, qui nunc extant, legatur particula καὶ *&*, loco particulæ πρὸς *ad*, nihilominus olim extitiſſe particulam πρὸς, indicium eſt quod veteres Patres, præſertim Hilarius, Hieronymus & Auguſtinus Græcæ linguæ non ignari, conſtanter legerint, *Ad cor altum*; ſic enim invenies apud S. Auguſtinum pluribi, nullibi vero, *& cor altum*. Itaque hic ſignificare vult Vates Regius inanes Conjuratorum adverſum ſe hoſtium fraudes, qui tametſi varios excogitaverint diligenter nocendi modos, & multiplices inveſtigaverint eum perdendi artes; nihilominus *defecerunt ſcrutantes ſcrutinio*, nec ſatis idoneam reperire potuerunt rationem præſtandi quæ moliebantur. Acceſſerunt equidem ad cor intimum & altum, id eſt, quicquid humana potuit invenire diligentia; quicquid iniri conſilii & aſtutiæ, quicquid ex intimo cujuſvis hominis & profundo promi corde, id totum tentarunt ut me perderent: At Deus longe ſublimiori præditus ſapientia, irrita fecit eorum vota & conſilia, nec quæ cogitaverant, implere permiſit; & ſi quas ei intulerint plagas, illæ fuerunt leviſſimæ, nihilque parumve nocuerunt; ac ſi factæ eſſent a ſagittis imbellium & invalidorum puerorum, qui ſagittas jaculando nihil aliud obtinent quam laborem, defatigationem, & non raro propter imperitiam ſagittandi, etiam læſionem, quod ipſe his verbis declarat: *Sagittæ parvulorum factæ ſunt plagæ eorum*, *& infirmatæ ſunt contra eos linguæ eorum.* (44)

§. XII.

Ex Pſalm. LXVII. verſ. 13.

REx *virtutum dilecti dilecti*; *& ſpeciei domus dividere ſpolia*, *&c.* Ridet hoc loco Joannes Calvinus [a] hanc lectionem Editionis vulgatæ, Hebraice enim eſt מלכי צבאות ידדון ידדון *Malche tſebaoth iiddodun iiddodun*, quæ Calvinus ſignificare vult: *Reges exercituum fugerunt*, *fugerunt*. Quam etiam lectionem approbat Natalis Alexander; ideoque hunc locum inter eos quos putat emendandos, repoſuit. *Verum* hanc criminationem luculentiſſime diluerunt Catholici Interpretes, præſertim Genebrardus, Lorinus, Bellarmi-

[a] *in antidot. Conc. Trid.*

(44) Ex inſignium Auctorum doctrina demonſtrat Fraſſenius non immerito vertiſſe LXX. hunc Pſalmi 63. ℣. 8. = Accedet homo ad cor altum = eodem modo altera verba *& exaltabitur Deus* apte poſita in virali tranſlatione, indeque in Vulgatam eſſe tranſvecta oſtendi poteſt, quamvis in hebraica legamus: *& ſagittabis eos, Deus*. וירם אלהים *vajorem elohim*; certum quippe eſt futurum *vajorem* ſignificare *& ſagittabis* ſi deducatur a verbo ירה *jarah*, & ultima litera ם, ut accidentalis, & ſubſidiaria in eo futuro conſideretur; ſi tamen futurum illud a radice רום *rum*, ideſt *exaltatus* in conjugatione *Hophal* ſuſcipiatur, jam *exaltabitur* verti debet; in qua profecto acceptione LXX. intellexerunt. (W.)

minus, qui evidenter demonſtrant LXX. Interpretes, quos ſecutus eſt Latinus, hunc locum recte expreſſiſſe; ac primum pro *Rex virtutum*, „ inquit Bellarm. in Hebræo ſunt „ duo verba, quæ ſi legantur, *Malchi* „ *tſibaoth*, ſignificant *Rex virtutum*, ut no„ ſter Interpres vertit: ſi legantur cum „ aliis punctis, *Malche tſeboath*, ſignificant „ *Reges virtutum*, ſive exercituum. Sed, „ ut ſæpius diximus, credibile eſt melius „ legiſſe LXX. Interpretes, quam Rabbinos „ qui puncta literis addiderunt. Similiter „ loco *dilecti*, in Hebræo nunc eſt, *Iddodun*, „ quod ſignificat *fugient:* ſed LXX. Inter„ pretes non habuerunt hanc vocem in ſuis „ Codicibus, ut neque etiam S. Hieronymus; videntur enim LXX. legiſſe ידידות *jedidoth*, quod ſignificat *dilectum*: hæc „ enim vox habetur in titulo Pſalmi qua„ drageſimi quarti, quam LXX. verterunt, „ *dilecto*, & S. Hieronymus, *amantiſſimo*. „ Denique illud נות בית *nevath bait*, ſignificat quidem *habitatricem domus*, ſed ſignificat etiam *mulierem ſpecioſam*, & *delicatam*, quæ fere ſemper domi manet: „ & inde translato vocabulo, ſignificat *ſpeciem & pulchritudinem;* ut hoc loco, „ non ſolum LXX. ſed etiam B. Hieronymus reddiderunt, quibus major fides ha„ betur, quam Rabbinis aut Calvino „. *Hæc Bellarminus*. Qui tamen minus accurate dixit LXX. legiſſe ידידות quod ſignificat *dilectum*; neque enim hæc vox *dilectum* ſignificat, ſed *amores*: unde rectius conjecit Genebrardus, dum ait LXX. legiſſe יהודון *jedudun*, formæ יסורון *iesburun* ut ו *iod* ſit radicale, a *jadad*, vel heemanticum, ד *dod*.

His ego adjiciendum puto, Auctorem Editionis Vulgatæ non raro ſenſum myſticum expreſſiſſe, miſſo literali: in quo eum peccaſſe nemo dixerit. Hoc poſito, optima erit ejus verſio; & Chriſti qui hoc Pſalmo myſtice depingitur, victorias & triumphos præclare prænuntiat: Unde ex Patrum expoſitione hic erit ſenſus: *Rex virtutum*, ſeu exercituum multorum, i. e. Deus omnipotens, *dilecti dilecti*, i. e. dilectiſſimi Chriſti Filii ſui ſpeciei domus, hoc eſt Eccleſiæ ad ſpeciem & decorem compoſitæ, dabit dividere ſpolia Gentium ad fidem Chriſti converſarum per Evangelizantes Apoſtolos, de quibus immediate antea dixerat; *Dominus dabit verbum Evangelizantibus virtute multa*. Videant itaque Hæreticorum patroni, quam perperam in Vulgatum Interpretem inſurgant, ut Hebræum textum, plerumque mutilatum & obſcurum tueantur.

§. XIII.

Ex eodem Pſalm. verſ. 14.

SI *dormiatis inter medios cleros, pennæ Columbæ deargentatæ & poſteriora dorſi ejus in pallore auri*. Hanc pariter interpretationem inſectatur Calvinus, qui Rabbinos ſecutus, legendum eſſe contendit, *Si dormiatis inter medias ollas, eritis ſicut pennæ Columbæ, quæ tecta eſt argento, & cujus alæ tectæ ſunt auro*. Verum ad hæreticam hanc temeritatem compeſcendam ſufficit auctoritas LXX. Interpretum & S. Hieronymi, aliorumque ſacrorum Expoſitorum, quibus iſtæ helluonis & pſychici Calvini ollæ pinguiſſimæ nuſquam in mentem venerunt. Quin etiam illius interpretationem arguit Hebræa vox שפתים *ſchephathaim* quam nonnulli quidem *Clerum eccleſiaſticorumque cœtum*; aliqui cum S. Hieronymo, *terminos*; alii *fulcra ferrea*, quæ hinc inde in camino ſeu domeſtico foco ponuntur ad ligna ſuſtentanda: Quidam *duas ſarcinas*, quales equis & aſinis ferendæ imponuntur; ſic Geneſ. XLIX. verſ. 14. Nonnulli *lapides focarios* inter quos ignis accenditur & ollæ diſponuntur Ezech. XL. v. 43. Quidam *tripodes*, quibus lebetes ad coquendas carnes ſuper imponuntur. LXX. vero κλῆροι, quam vocem, Latinus Interpres retinere maluit, quam vertere; κλῆρος autem ſeu *ſors*, hic, inquit Genebrardus, ſignificat periculi aleæque genus; quaſi diceret Pſalmiſta: Si dormiatis inter media & præſentiſſima pericula, & verſemini in eo rerum diſcrimine, ut de veſtro capite, veſtra vita & bonis ſortiantur Adverſarij veſtri, ut ſolent Victores ſortem mittere de captivorum vita, libertate, fortunis; in illa, inquam, rerum deſperatione nullus pallor, nulla oris mutatio, nullum timoris indicium in fronte apparebit: ſed eritis tutiſſimi, ſereniſſimi, lætiſſimi, ac vultu & colore tam pulchro, ſereno ac vegeto, quam columba, cujus pennæ ſunt veluti deargentatæ, inſtar argenti pellucentis, & dorſum vel cauda dorſi ſplendet ac rutilat inſtar fulvi ſive pallentis auri. Atque tam præſens vobis erit Numen, ut illic ſitis in tuto & animi ſecuritate, neque quidquam perdatis de vultus ſpecie & habitu. Columbæ autem ſimilitudinem appoſuit, quod in hac ave pennarum elegantia & morum forma excellant: quin & capta nitet, eodemque eſt colore, ſpecie & ſtatu.

Alludit etiam forte Pſalmiſta ad morem Aſſyriorum, quorum tyrannis hoc Pſalmo videtur exaggerari, qui Columbam loco Numinis venerabantur, quod, teſte Juſtino, [a] Semiramis nomen Syra lingua *columbam*, ſignet: vel quod hanc a columbis in deſerto educatam, & poſt mortem in columbam converſam, referente Luciano, [b] exiſtimarent. Quamobrem Xenophon, ubi de Chalo flumine loquitur, ait eſſe: [c] πλήρη ἰχθύων μεγάλων, καὶ ἡμέρων, οὕσπερ Σύροι θεοὺς νομίζουσι, καὶ ἀδικεῖν οὐκ ἐῶσιν, οὐδὲ τὰς περιστερὰς. *Plenum magnis & manſuetis piſcibus, quos Syri pro Diis habebant, neque lædi patiebantur; ſicuti nec columbas*. Cui ex Latinis concinit Hyginus: [d] *Ob id*, inquit, *Syri piſces & columbas*

a *Apolog.* 1.

b *de Syria Dea.*

c *lib.* 1. *expedition. Cyri.*

d *fabul.* 197.

lumbas ex Deorum numero habent, non edunt. Neque, ut adiicit Crinitus, [a] ullatenus lædere audebant: & si forte aucupando cum aliis avibus laqueis irretitas columbas deprehenderent, liberas avolare sinebant. Quo pertinet illud Oseæ XI. v. 11. de Israelitis; *Avolabunt quasi aves ex Ægypto, & quasi columba de terra Assyriorum*. Unde sicut aves pro Numinibus adoratæ, libere & impune ab Ethnicis, maxime Assyriis, volitare permittebantur: Ita Evangelici Prædicatores, tametsi dormiant, seu exponantur in mediis periculis, Dei beneficio ab omni discrimine eruentur & conscientiæ pace, tranquillitateque fruentes, omnibus periculis & casibus majores erunt.

[a] *lib. 24. de honesta discipl. cap. 2.*

Arridet etiam S. Hieronymi interpretatio, qui vocem *schephathaim* significare voluit *terminos*, quibus, inquit, designantur duo Testamenta, Novum & Vetus, quæ revera dici possunt termini extra quos Evangelii Concionatoribus, de quibus hic sermo est, egredi nullatenus licet, nisi a recta veritatis semita, aberrandi periculo subjaceant. Itaque Psalmistæ mens est, ait Bellarminus, *si vos* qui Evangelizatis verbum Domini, *dormiatis*, i. e. quiescatis in medio duorum Testamentoru m, Novi & Veteris, acquiescentes videlicet veritati divinitus inspiratæ Prophetis & Apostolis, tunc *pennæ columbæ*, i. e. Ecclesiæ fides, & mores *erunt deargentatæ* puritate sapientiæ, & *deauratæ* fervore charitatis.

§. XIV.

Ex Psalm. LXX. vers. 16.

QUoniam *non cognovi literaturam, &c.* Utrumque Interpretem Græcum & Latinum arguit Amama, quod ille, γραμματειας; hic, *literaturam* scripserit; cum vertere debuissent, *Numeros*: Hebraice enim est vox ספרות *sepharoth*, quæ, inquit, *numeros* significat. *At* hallucinatur ipse, nam ea vox Hebræa ex æquo *scripturas*, *libros*, *literas*, *narrationes*, sicut & *numeros* denotat; deducitur enim a verbo ספר *saphar*, quod est *scribere*, *narrare*, *numerare* & similia. Unde ספר *sepher* apud Buxtorfium idem est ac *Enumeratio*, *recensio*, *liber*, *libellus*, *epistola*, *literæ*; quod in iis res enumerentur & recensentur. Cum autem LXX. Interpretes & S. Hieronymus vim Hebraicæ vocis, melius noverint quam Amama, hic nihil aliud quam temerarium & stolidum grammaticulum agit. Porro non est existimandum Vatem Regium hic suam ignorantiam profiteri, ut quidam perperam interpretantur: Enimvero suam ipse eruditionem & sapientiam luculentissime testatur his verbis Psalmi CVIII. *Super omnes docentes me intellexi*. Tametsi enim a pueritia pascendis ovibus vacaverit, deinde militiæ & regni Judaici administrandi curis fuerit implicatus; nihilominus tamen arti pastoritiæ aut bellis gerendis publicisque negotiis non ita totus erat intentus, ut etiam interdum studiis & rerum divinarum contemplationi non vacaret; cujus veritatis luculentum argumentum subministrat liber Psalmorum, ubi divinæ humanæque sapientiæ egregia habemus monumenta. Itaque existimo cum Bellarmino Davidem hoc loco per *literaturam*, intelligere humanam sapientiam & astutiam, quali abundabat Achitophel, qui contra ipsum, consilium dederat: & per verbum, *cognovi*, non accepisse scientiam simpliciter, sed approbationem & usum. Quomodo dicimus, *non novi te*: quo sensu Apostolus I. Cor. II. dicit, *Se nihil scire, nisi Jesum Christum, & hunc crucifixum*. Igitur eorum verborum: *Non cognovi literaturam*, sensus est. Non novi sapientiam hujus mundi, non confido in humanis consiliis, non approbo astutiam & prudentiam sæculi: sed *introibo in potentias Domini*, i. e. adhærebo penitus omnipotentiæ Dei, in illa confidam, in illa, quasi in arce munitissima, abscondar: *Et sic memorabor justitiæ tuæ solius*, i. e. non recordabor humanorum consiliorum, aut virium mearum, vel amicorum meorum, sed recordabor & mente retinebo justitiam tuam, qua servas promissa, qua punis impios, qua pios coronas. *Hæc ex parte Bellarminus.*

Posset etiam adiici, Psalmistam hic suam in scientiis naturalibus & Philosophicis imperitiam obtestari: ac si diceret; Quoniam sapientia hujus sæculi non adeo sum instructus, mihi satis erit, potentiam & virtutem Dei recolere, eamque omnibus mentis & rationibus a Philosophis obiiciendis opponere; quatenus tota ratio facti sit potentia facientis. (45)

§. XV.

(45) Quamvis Vulgati lectio turpissimum errorem nequaquam contineat, ut Sixtinus turpiter calumniatur cum ad hebraicum etiam textum comparata, eidem plusquam satis respondeat, ut Frassenius demonstrat; quinimmo Græcorum Codices quamplurimi γραμματειας vel γραμματειαν præseferant; alii tamen (Amanuensium lapsu fortassis) πραμματειας legebant etiam S. Augustini ætate, Arnobii, Cassiodori, Apollinarii, & ipsius S. Hieronymi. In Psalteriis pariter Gallicano, & Romano πραγματειας ideſt *negotiationes* legimus. S. Augustinus nihilominus, veluti communiorem sui temporis lectionem quæ literaturam præseferebat in suis enarrationibus cum supponat, non immerito hanc eamdem Romani correctores in Vulgata nostra retinuerunt. (W)

§. XV.

Ex Pſalm. LXXI. verſ. 16.

ET *erit firmamentum in terra, in ſummis montium.* Hic corrupte in Vulgata Editione Latina ſcriptum eſſe *firmamentum* coniicit Lyranus; ſcribendum vero *frumentum*: nempe vocum ſimilitudinem erroris dediſſe occaſionem: cui ſubſcribunt ejuſdem Editionis accuſatores omnes, præſertim Sixtinus Amama, Brugenſis & Natalis Alexander: Hebraice enim inquiunt eſt פסת בר *Piſſath bar*, quod nonnulli Rabbini interpretantur *pugillum frumenti*, vel etiam *placentulam panis:* S. Hieronymus vero *memoriale triticum:* Chaldæa Paraphraſis Jonathi filii Uzielis, *ſacrificium frumenti*. Verum cum Græci Codices omnes, conſentientibus Euthymio, Theodorito & Juſtino, [a] conſtanter habeant στήριγμα, i. e. *firmamentum*. Cumque Editio noſtra Latina Pſalmorum immediate translata ſit e Græco; atque etiam omnes Latini Interpretes & Tractatores Pſalmorum concorditer habeant *firmamentum*, temerarie videtur *frumentum* loco *firmamenti* hic eſſe reſtituendum. Maxime cum ea *firmamenti* vox, non male cum *frumento* conveniat: ſiquidem alibi legimus quod [b] *panis cor hominis confirmat*; Græce στηρίζει: & quod [c] *Deus omne firmamentum panis confregit*, Græce καὶ στήριγμα ἄρτου. Quare ſervanda eſt noſtra lectio, quandoquidem in ſenſu cum Hebræo concordet; *firmamentum* enim vocat firmum & ſolidum cibum, qualis eſt panis frumentaceus; neque aperte reluctatur Lucas Brugenſis, exiſtimans LXX. Idcirco στήριγμα ſeu *firmamentum* vertiſſe, quod vocem *Piſſath*, non ex פסס *piſſa*, ſed a verbo Chaldæo סס *pas*, i. e. *certum reddere*, *firmare*, *fulcire*, deduxerint. Unde Joſephus Cœcus Chaldæus Paraphraſtes ſic tranſtulit: *Erit fulciens ſeu confortans panis in terra in capite montium.* (46)

[a] *in dialog. contr. Triph.*

[b] *Pſal.* 103. *v.* 15.

[c] *Pſal.* 104. *v.* 16.

§. XVI.

Ex Pſalm. LXXXIX. verſ. 12.

QUoniam *ſupervenit manſuetudo & corripiemur*. Ita ad verbum habet Theodotio: ὅτι ἐπῆλθε πραότης, καὶ παιδευθησόμεθα; Qui proinde conſentit cum LXX. Interpretibus & Vulgato Latino; Hebraice autem eſt כי-גז חיש ונעפה *chi-gaz chis vannahhuphah*, quæ verba ſic reddit in Pſalterio quod edidit: *Quoniam tranſivimus cito, & avolavimus.* Aquila: *Quoniam præterivit & appropinquavit vir*, nimirum ad vitæ terminum, *& avolavit*. S. Hieronymus vero; *Quoniam tranſivimus & avolavimus*. Unde in Epiſtola ad Cyprianum, miratur quid legerint in Codicibus Hebraicis LXX. Interpretes, ut præfatam lectionem quam habet Theodotio, ediderint: cujus, inquit Sixtinus Amama, nec vola nec veſtigium in fontibus invenies. Nihilominus tamen, inquit Bellarminus, aliquid eos legiſſe, quod recte in eam ſententiam verti poſſet, dubitare non debemus, cum viri doctiſſimi & fideliſſimi eſſent, & cum eis conſentiant Theodotio & ſexta Editio, eodem S. Hieronymo teſte.

Utramque lectionem ſic conciliare nititur Genebrardus, ut *corripi* a LXX. poſitum ſit, pro *rapi celeriter ex hac vita & avolare*; quaſi, inquit, diceret Pſalmiſta: Anni noſtri ſunt ad ſummum octoginta; Quoniam autem ſupervenit manſuetudo (tua o Domine) ſuper nos, tuave ſuavis providentia, quæ nos hinc corripit, hoc ſpatium non ſolemus tranſgredi: alioqui ſi hic eſſemus diutius, propter incommoda ſenectutis nimiæ, labores & dolores, hoc non eſſet vivere, ſed quotidie perire. Richardus etiam Cenomanus, apud Lorinum, Interpretationem LXX. cum Hebræo textu ſic conciliat; ut ז *gaz*, vel *ghez*, a גזז *gazaz*, i. e. *totondit*, ſignificet *vellus*, per quod ſymbolice, ob molliciem LXX. intellexerint *manſuetudinem*; deinde חיש *chis* ſignificet *feſtinavit*, hoc eſt, manſuetudo feſtinavit, citoque venit, ſeu ſupervenit: poſtremo ונעפה *nahhuphah*, a עף *hhoph*, i. e. *avolavit*, *illuſtravit*, *corraſcavit*; i. e. avolabimus, nempe animo, ad meliora, illuſtrabimus animum cogitatione rerum meliorum, coruſcabimus intelligentia, & *vexatio dabit intellectum* [d] & labor ac dolor ſupra vitæ annos octoginta, vel etiam per totum illud ſpacium, quod eſt breve, ex divi-

[d] *Eſaiæ* 28. *v.* 19.

(46) Maximam Interpretibus anxietatem ab hac Hebraica lectione יחי פסח-בר בארץ בראש הרים *jechi piſſath-bar baarets beros harim*, eſſe derivatam ex tranſlationum diversitate compertum eſt ſatis. LXX. Interpretes, quorum lectionem Vulgata noſtra præfefert, vocem *piſſath*, *firmamentum* reddidere: alteram autem vocem *bar*, vel in eorum codicibus Hebraicis minime extabat, vel ex eorum excidit tranſlatione; vel tandem ſatis ex præcedentibus, & ſequentibus verbis claram haberi ſignificationem illius vocis *firmamentum*, quod ſcilicet *firmamentum panis*, vel *tritici* intelligi debeat, exiſtimarunt; unde eam voculam prætermiſere. Lucem maximam literali ſenſui eam, ſi non omittatur, exhibere non ambigimus; quamvis, dempta illa, ſenſus integer in hoc verſiculo conſervetur, ſi præſertim Pſalmus de Meſſia pronunciatus a Regio Propheta, intelligatur uti revera mirabile S. Auguſtini ingenium intellexit, & de Jeſu Chriſto mirifice expoſuit. (*W*)

divino illo vellere manſuetudinis provenit, ne diutius patiamur incommoda fractæ, devexæ, decrepitæ ſenectutis, quæ ipſa per ſe morbus eſt. Unde Vates orabat alibi, *Uſque in ſenectam, & ſenium non derelinquas me; cum deficeret virtus mea.* (47) [a] *Pſalm.* 70. v. 18.

§. XVII.

Ex Pſalm. CIII. verſ. 18.

HErodii *domus dux eſt eorum.* Ubi Natalis Alexander Hebræo convenientius ex S. Hieronymi ſententia legendum putat; *Milui abies Domus eſt;* vel ut habet ſexta Editio Græca, *Miluo cupreſſus ad nidificandum.* At, ut perite obſervant Interpretes, vix definiri poteſt quam avium ſpeciem hic ſignificet Hebræa vox חסידה *Chaſidah*, Græce ἐρῳδιὸς; nam apud S. Hieronymum ſignificat *Miluum*; apud S. Auguſtinum *fulicam*; apud Suidam *Ciconiam*; apud Plinium *ardeam*; apud nonnullos ab Aldrovando laudatos, *noctuam* aut *veſpertilionem*; apud Aiguonem *falconem*; apud Pinedam *accipitrem*; ut mirum non ſit hic variare Interpretes; ac proinde ſapienter noſtrum Vulgatum textui Græco inſiſtens, maluiſſe vocem ἐρῳδιὸς retinere quam vertere. Ut ut ſit, hic ſignificatur avis quæ in arduis arboribus nidum ſolet conſtituere, quales ſunt abietes vel cupreſſi. Unde nunc Hebraice legimus ברושים *Beroſcim*, ideſt, *abietes*; Attamen LXX. legerunt, ברוכם *Beroſcham*, i. e. *Dux eorum*, ſive *in ducem eorum*; vel quia aliis avibus altius nidificat, & ubi cæteræ tuto domos ſuas ſeu nidos conſtituere poſſint, demonſtrat; domus enim avium nidus eſt, juxta illud Pſalm. LXXXIII. *Paſſer invenit ſibi domum, & turtur nidum, &c.* Vides ergo ex multiplici illa verſionum varietate, Vulgatum noſtrum Interpretem ab Hebræo non deviare; quippe cum ejus verſio non minus ei conſonet quam aliæ.

§. XVIII.

Ex Pſalm. CIX. verſ. 4.

IN *Splendoribus Sanctorum, ex utero ante luciferum genui te.* Vitioſam eſſe hanc verſionem multi ſunt qui aſſerant, exiſtimentque vertendum eſſe; *Tibi ros nativitas tua*, loco *ex utero ante luciferum genui te.* Poſſem cum Genebrardo reſpondere, hunc Vulgatæ noſtræ ſenſum confici ex ipſo quem habemus hodie textu Hebraico: Sed veroſimilius mihi videtur dicendum depravata eſſe hic, ut & in multis aliis locis, verba Hebraica; atque id coniicio primum ex eo quod lectio Hebræa nullum bonum exhibeat ſenſum, ſi candide agere velimus: Altera ratio quæ me ad id credendum ducit, petitur ex ipſa Pſalmi ſerie, quæ optime cohæret cum noſtra Verſione; ſiquidem melior non poteſt reddi ratio principatus Chriſti, quam dicendo ipſum Patris æterni eſſe Filium, quæ eſt, meo quidem judicio, vera & genuina præclari hujus loci interpretatio, quam profecto non invenies, ſi Hebræum textum conſulas. (48)

Unum eſt cui potiſſimum inſiſtunt, quodque vehementiſſime urgent Hebraiſtæ, præſertim Amama, nimirum vocem נדבות *Nedaboth*, in ſequenti verſu, non *tecum principium*, ut habet Editio Latina, ſed longe aliud, maxime *devotiones*, ſignificare. Verum tametſi ea ſit quorumdam Hebraiſtarum interpretatio, nihilominus LXX. Interpretes qui perfectiores habebant Hebræos Codices quam jam extent, quibuſque explorata magis erat Hebraicarum vocum ſignificatio, quam hodiernis Hebraiſtis, verterunt μετὰ σοῦ ἡ ἀρχὴ, i. e. *tecum principium* vel *principatus*; vox enim ἀρχὴ Græcis & *principium* & *principatum* ſignificat. Similiter Hebræa vox נדבת *nedaboth*, vel conjugatum נדיבים NEDIBIM, *principes* denotat; unde LXX. videntur legiſſe non נדבות *Nedaboth*, ſed נדבה NEDABAH, *principatus*, ita ut in hodiernos Codices error irrepſerit ex ſimilitudine literarum, mutato videlicet ה *he* in ת *tau*, & ab imperito Scriptore adjecta litera ו *vau*, qua facilius vox *Nedaboth* conficeretur.

At, inquiunt, tametſi voces *Nedabah* & ἀρχὴ ſignificarent *Principatum*, qualem ſenſum hic exigit Pſalmiſtæ ſcopus & orationis ſeries, quid tum fiet voci Latinæ, *Principium*, quam habet Vulgata noſtra Editio, & quæ nihil minus quam *Principatum* ſonat? Reſpondeo vocem *Principium* non raro apud Latinos idem ac *Principatum* ſignificare: ſic Ammianus, [b] *Collecti Duces exer-* [b] *lib.* 25.

(47) Non erit a literali hujuſce verſiculi ſenſu aliena expoſitio ſi dixerimus = Quoniam ſupervenit manſuetudo, ſenectus videlicet, in qua viribus, robore, atque virili audacia deficientibus manſueſcit homo, & humiliatur, cum ſibi diſſolutionem corporis imminere conſpiciat, atque interitum; hinc corripitur, ſeu imbuitur de mundi fallacia, de hujus vitæ brevitate, & fine, quem longe diſtare arbitrabatur, ſtatimque cognoſcit inſtar venti vitæ curriculum tranſiviſſe, & veluti celerrimam avem avolaſſe. In hoc ſenſu ſi Vulgati lectionem accipiamus cum textu Hebraico, juxta S. Hieronymi tranſlationem apprime videtur congruere, nec non præcedenti, ac ſequenti locutioni conſentire. (*W*)

(48) *In ſplendoribus Sanctorum &c.* legunt Proſper, Caſſiodorus, S. Leo ſerm. 4. & S. Auguſtinus, Itala antiqua, Julius Firmicus; & Græca ita legebat ἐν ταῖς λαμπρότησι τῶν ἁγίων σου &c. (*W*)

exercitus, advocatisque legionum Principiis, &c. Ubi per *Principia*, Principes intelligunt omnes illius Interpretes: sic pariter Sulpicius Severus [a] enarrans vaticinium de Jacobo & Esau, scribit. *Duos in his populos prænunciari, & majorem minoris subdendum esse Principio.* Ubi, inquit Drusius, *Principium* posuit pro *Principatu*, ut dicat majorem futurum aliquando sub minoris imperio, quod tunc primum impletum videtur, cum David Idumæos Israelitarum imperio tributarios fecit. Consentit etiam Tertullianus: [b] *Posßum*, inquit, *Principium aliter interpretari, non abs re tamen; nam & in Græco Principii vocabulum, quod est ἀρχὴ, non tantum ordinativum, sed & potestativum capit Principatum. Unde & ἀρχοντες dicuntur Principes, &c.*

His adde, quod etsi *Principii* vox in usitata sua significatione hic accipiatur, non minus Psalmistæ sensus cohærebit: Ea enim verba *tecum Principium* hac ratione poterunt exponi: o Fili, ego Pater æternus tecum sum rerum omnium Principium; indivisibiliter omnia tecum operans: juxta illud Joann. [c] *Pater meus usque modo operatur & ego operor.* Sed prior expositio videtur præferenda, & magis menti Psalmistæ, atque etiam Hebraico textui consentanea.

Tempus, ne perderem, non impendam in referendis & refellendis variis aliis locis, quos præter ordinem accumulat & impugnat Natalis Alexander, ut illud ex Psalm. XLIII. v. 15. *Posuisti nos in similitudinem Gentibus*, ubi secundum Hebraicum textum, monente S. Hieronymo, [d] potius legendum existimat: *Posuisti nos in Proverbium Gentibus.* Similiter illud Psal. XLIV. v. 14. *Omnis gloria ejus filiæ Regis ab intus:* ubi expungendam censet vocem *ejus*, uti superfluam & sensum interturbantem. Item illud Psal. XLVI. v. 10. *Quoniam Dii fortes terræ vehementer elevati sunt;* ubi legendum censet *Dei* genitivi casus. Illud Pariter Psalm. LXVII. v. 23. *Convertam in profundum maris;* ubi legendum mavult, *In profundo*, vel *ex profundo maris.* Insuper illud Psal. LXXIII. v. 8. *Quiescere faciamus omnes dies festos Dei a terra:* ubi juxta Hebraicum textum legendum dicit; *Incendamus omnes dies festos Dei a terra.* Rursum illud Psalm. LXXV. v. 5. *Et nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus suis;* ubi ex S. Hieronymo mox laudato, expungendam vult propositionem *in*. Ex Psal. LXXXIX. *Sæculum nostrum in illuminatione vultus tui;* ubi legendum putat, *Ignorantias aut negligentias nostras in illuminatione vultus tui.* Denique illud Psalm. XCIII. v. 15. *Et qui juxta illam omnes qui recto sunt corde;* ubi dicit, utroque omisso *qui*, convenientius vertendum esse, *Et post ipsum omnes recti corde.* In his, inquam, omnibus textibus sigillatim expendendis diutius non immorabor; tum quod illæ, si quæ essent mendæ, leviores sunt, quam quæ animadversionem mereantur; tum quod ex Commentariis Psalmorum, eorum textuum Editionis Vulgatæ cum Hebræo conciliatio, nullo negotio colligi possit maxime ex Genebrardo, Bellarmino, Lorino, &c. (49) Duos tamen sequentes textus expendere juvat.

[a] *lib. 1. mihi pag. 39.*

[b] *lib. 3. adverſ. Hermog.*

[c] *Ioan. 5. 17.*

[d] *epiſt. 135.*

§. XIX.

Ex Psalm. CXXVI. vers. 4.

ITa *filii excußorum*. Nullus fere est in tota Scriptura locus qui tam male a Novellis Criticis sit habitus quam iste. Insciticæ accusant nostrum Interpretem & verti debuisse volunt; *filii juventutis*, ut vertit S. Hieronymus, [e] Hebraice enim est vox בני הנעורים *bene hannebhurim*, quam Aquila vertit, *Filii pubertatum;* Symmachus autem & Theodotio, *filii juventutis*; Chaldæa Paraphasis reddit sic; *Merces erit operum bonorum iis qui Legi vacaverunt a pueritia.* Nihilominus, quicquid dicant Hebraizantes nonnulli, versio LXX. & nostra Vulgata Editio huic explicationi & originali textui non repugnat, quippe cum vox נעורים *Nebbarim*, non solum *juventutem*, seu *juvenes*; sed etiam significet *excußos* a verbo נער *Nabbar* quod *excutere* significat. Hic autem per *excußos* nihil aliud quam *juvenes* significare voluisse LXX. Interpretes, aperte demonstrat S. Hieronymus, ex eo quod Nehem. IV. eandem dictionem simili modo verterunt; ubi enim legimus secundum Vulgatam nostram, *Media pars juvenum faciebat opus;* LXX. legunt, *Medii excußorum faciebant opus*: ubi per *excußos*, manifeste intellexerunt *juvenes*, sic eos appellantes, quod excussi essent, hoc est, expediti ad opus. *Excussos* enim, inquit S. Hieronymus, & consuetudo sermonis humani *vegetos*, *robustos* & *expeditos* vocat; nimirum quod tales liberi sint ab omni operandi impedimento. Ea est vulgaris Interpretum sententia. At adiicerem ego, per *filios excussorum* hic intelligi, filios virorum fortium, qui plurimis calamitatibus jactati, excussi quidem sunt & ad lapsum impulsi, verum eximia sua constantia atque singulari Dei beneficio steterunt incolumes: ut merito cum Regio vate dicere valeant, *impulsus eversus sum ut caderem*, & *Dominus suscepit* me: unde nullum est dubium quin versio nostra aliis sit anteferenda, si rem de qua hoc in Psalmo agitur, attendamus. Loquitur David de filio suo Salomone a quo templum ædificari voluit Deus,

[e] *epist. 141. ad Marcellam.*

(49) In sequenti disquisitionum Biblicarum Tomo de textibus ab Auctore nostro prætermissis redibit sermo. (*W*)

Deus, dicitque David beatos esse viros qui tales habent filios, cum illi, utpote probi & egregia indole præditi, patres variis exagitatos casibus & excussos adjuvent, ubi sese offert occasio. Hunc sensum non reperies in Hebraistarum versione, imo contrariam & a scopo Psalmographi abhorrentem conficies sententiam; nam tantum abest, ut filii quos in juventute sua susceperat David, opem ipsi tulerint, ut multas ei molestias crearint, sicut patet ex sacra Scriptura. (50)

§. XX.

Ex Psalm. CXXXI. vers. 16.

VIduam *ejus benedicens benedicam*. In hanc versionem & Catholicos illius Assertores sic debaccatur Calvinus, [a] *Cum*, inquit, *illic Dominus victum se populi sui benedicturum promittat, Sacrificulus quispiam Luscioſus duas literas conjunctim legens, c, & t. Putavit scriptum esse* vidum. *Quia autem vox erat nullius significationis, interposita litera, induxit novam lectionem, quæ in toto Papatu regnat. Nullum enim est Italiæ, Galliæ, Hispaniæ, Germaniæ Templum, ubi non magno clamore reboent:* VIDUAM EJUS BENEDICENS BENEDICAM. *Et tam sunt vel attenti, vel perspicaces, ut nemo tam ridiculam corruptelam animadverterit. Sed nihil mirum, si erepta nobis panis voce, nomen viduitatis inducant: cum in hoc sint toti, ut animas Pane cœlestis vitæ crudeliter viduent.* „ SED, inquit apposite Bellarminus, facile est calumniam „ refutare: Latinus enim Interpres rectissime vertit, quod invenit in Græco: in „ Græco autem sine dubio invenit χήραν, „ quod *viduam* significat omnium consensu: „ neque solus noster Interpres in Græco „ legit, χήραν, sed etiam Patres, Hilarius, „ Ambrosius, Augustinus, Chrysostomus, „ Prosper, Cassiodor. & alii. Imo S. Hi„ larius meminit utriusque lectionis, & „ contendit veram lectionem esse, *viduam*, „ & sic lectum esse antequam nasceretur. „ Verum quidem est in Hebræo non habe„ ri *viduam*, sed *venationem*, vel *victum*, „ neque ullam esse similitudinem literarum, „ ob quam suspicari quis possit illos scripsisse *viduam*: siquidem *vidua* Hebraice „ dicitur אלמנה *almana*; & *victus*, seu *venatio* dicitur ציד *tsida*, & hanc vocem in „ omnibus Codicibus invenimus: sed in „ Græco idiomate magna similitudo litera„ rum est inter χήραν, quod significat *vi„ duam*, & θήραν, quod significat *victum*. „ Igitur necesse est, vel in Hebræo muta„ tum esse textum, & LXX. legisse longe „ aliter, quam modo se habet; & hæc sen„ tentia S. Hilarii est: vel in Græco textu „ esse corruptionem factam vitio Scripto„ rum, quia unam literam legerunt pro „ alia, ut S. Hieronymus putat. Sed in „ sensu nulla fere diversitas est, cum per „ utrumque vocabulum significetur, abun„ dantiam ciborum fore in civitate Dei, „ Et quoniam, ut idem S. Hieronymus „ dicit, usus obtinuit, ut legeret, *viduam*, „ non est lectio Latina ullo modo mutan„ da, cum non a luscioso Sacerdote, ut „ Calvinus dicit, sed a veneranda antiqui„ tate ortum habuerit. „ *Huc usque Bellarminus*. Cujus utique sententiam confirmant ista S. Hieronymi verba, [b] *Ea*, inquit, *quæ in Psalmis Latinis videntur dissentire ab Hebræo, esse quidem notanda & observanda a doctis; tamen non esse propterea mutandum textum, qui tot sæculis in Ecclesiastico usu fuit, & tantam obtinuit auctoritatem*. (51)

[a] *in tract. Theolog. cap.* 373.

[b] *in epist. ad Sunniam & Fretell.*

(50) Immerito prorsus in Auctorem nostrum, qui Vulgati lectionem optimam esse defendendum suscepit, nonnulli catholicorum succensuere Scriptores, qui clariorem esse hebraicam = filii juventutis = legentem propugnarunt, æquali etenim modo ex S. Hieronymo compertum est hac voce *excussorum* significasse LXX. Interpretes, filios juventutis, sive filios optimæ ætatis, & expeditos ad opera. *Filii excussorum* legerunt propterea Itala antiqua, S. Hilarius, Gaudentius Brixensis, Augustinus, Prosper, & S. Hieronymus ipse in Epistola ad Marcellam habet = sicut filii excussorum = (*W*)

(51) Quis non miretur Calvini audaciam, qua in universos ferme doctissimos, atque Sanctissimos Ecclesiæ Patres, qui LXX. Interpretum versionem summa veneratione coluerunt, virum acerbissimum suæ impietatis evomere non erubuit? relinquamus tamen perditionis virum, atque num in virali interpretatione, quæ legit *Viduam*, quamque Vulgata nostra custodit, legitimam ex Hebræo translationem inveniri queat, investigemus. In Hebræis Codicibus legimus צידה *tsedah*, quæ profecto vox si a radice צוד *tsod* derivetur *cibum*, aut venationem significat. Si autem a radice צדה *tsadah* repetatur, quæ aliquando *desolari* significat præsertim in passivo, ut est illud Sophoniæ 3. נצדו *nitsdu*, *desolata sunt* (*Civitates*), tunc vox prædicta significare peroptime potest *Viduam*, *desolatam*, seu *derelictam*; quidnam hoc in loco sit vidua *desolata* a S. Augustino, aliisque in Psalmos Enarratoribus exquiratur. Hanc profecto vulgatæ nostræ lectionem veluti legitimam admisere antiquissimi Ecclesiæ Patres a Fraffenio laudati, inter quos S. Hilarius ita in hunc locum scribit „ Quidam „ Translatorum interpretatus esse ita repertus est: „ *Captionem ejus benedicens benedicam*.... sed no„ bis sequenda est prima illa, & sub Judæorum „ temporibus ante Domini adventum ad Eccle„ siæ Doctrinam consignata translationis aucto„ ritas „: *viduam ejus benedicens benedicam*. En Sancti Hilarii sensum, & quomodo, quave de causa suscipiendam tuetur versionem illam antiquam, in qua legimus *viduam* non *captionem* Videat Calvinus, ejusque Discipuli, & confundantur de perditissimi magistri sui petulantia, atque vafritie, qua *luscioſum Sacrificulum* male vertisse *viduam* sacrilege adfirmare per calumniam non erubescit. (W)

CAPUT SEPTIMUM.

De variantibus ab Hebræo Vulgatæ noſtræ textibus, qui in libris ſapientialibus inveniuntur.

Non opus eſt Summario.

§. I.

Ex Proverbiorum Cap. X. verſiculo 4.

QUi *nititur mendaciis, hic paſcit ventos: idem autem ipſe ſequitur aves volantes.* Hæc verba cenſent aliqui eſſe reſecanda, quod nec in Hebræo textu, nec in Chaldaica Paraphraſi, nec in Syriaca & Arabica Editione compareant: abſint pariter a ſincera LXX. Editione & a plurimis Codicibus Latinis. Quamobrem Hugo Cardinalis ea genuina non agnoſcit; neque illa enarrat Auctor Commentariorum in Pſalmos S. Hieronymo aſcriptorum, quem tamen venerabilem Bedam eſſe putat Lucas Brugenſis. *Verum*, tametſi in illis Codicibus revera jam non exiſtant, nihilominus tamen in Hebræis olim extitiſſe argumentum eſt, quod adhuc legantur in exemplaribus Romanis LXX. Interpretum, atque etiam in iis quibus uſi ſunt Auctores Bibliorum Polyglot. in Anglia, non quidem *cap.* X. *v.* 4. ſed *cap. IX.* poſt *verſ.* 12. ſic enim legitur: ὃς ἐρείδεται σὺπὶ ψεύδεσιν, οὗτος ποιμαίνει ἀνέμους, ὁ δ' αὐτὸς διώξεται ὄρνεα πετόμενα: *Qui fidus eſt in falſis, hic paſcit ventos: idem autem ipſe ſequetur aves volantes.* Inſuper SS. PP. eadem verba legunt & explicant, præſertim S. Clemens Alexandrinus [a] qui ſic habet: οἱονεὶ ὃ σὺλλήπτην ποιούμενος ὁ Λόγος τὴν ἀπὸ φιλοσοφίας πρὸς τοὺς ἀπίστοις καλλωπίσεις, ἐμφαίνει πάνυ, Χρύσιππον, φησὶ, φίλος ἰσχύε, ἢ ἀδελφὸς μακρὰν οἰκῶν: ὃς γὰρ ἐρείδεται ἐπὶ ψεύδεσιν, οὗτος ποιμαίνει ἀνέμους καὶ διώκει ὄρνεα πετόμενα. *Tanquam comparationem autem faciens Philoſophorum cum iis qui vocantur Hæretici, admodum dilucide* MELIOR EST, *inquit Verbum*, AMICUS PROPE, QUAM FRATER LONGE HABITANS. [b] *Qui autem falſis innititur, is* PASCIT VENTOS ET PERSEQUITUR AVES PENNATES. Deinde ſic S. Auguſtinus: [c] *Porro ſi maledictus, qui ſpem ſuam ponit in homine, quanto magis qui ſpem ſuam ponit in falſitate opinionis humanæ, ut in illud aliud incidat, quod ſcriptum eſt:* QUI FIDIT IN FALSIS, HIC PASCIT VENTOS, *i. e. fit eſca Spiritibus malis.* Certe ſi ejuſmodi verba, in antiquioribus exemplaribus, non extitiſſent; ea nec proponerent SS. PP. tanquam Oracula ſacra, nec haberentur in ſincerioribus LXX. Codicibus, quales ſunt Romani; nec ea retinuiſſent Editionis Latinæ ſub Sixto V. & Clemente VIII. Correctores, quorum judicium longe præponderat ſententia Dominicanorum, quos Natalis Alexander ex Brugenſi refert a quadringentis annis Biblia ſacra correxiſſe ex Codicibus Caroli Magni juſſu conſcriptis, in quorum libris præfata verba omittuntur. Perinde ac ſi tanta eſſet eorum ignotorum Correctorum auctoritas, ut adverſus totius Eccleſiæ Latinæ ea verba uti ſacra probantis, ſenſum præſcribere deberet. Vana ſit ergo eorum hallucinatio. (52)

[a] *lib. 1. ſtromat. pag. 317.*

[b] *Proverb. 10.*

[c] *lib. 3. contra Creſcon. p. 9. in fin.*

§. II.

Proverb. cap. XIV. verſ. 15.

FIlio *doloſo nihil erit boni; ſervo autem ſapienti proſperi erunt actus, & dirigetur via ejus.* Hunc quoque verſum in Hebræo non comparere affirmant. *Verum* recurrit eadem reſponſio; nimirum, tametſi ea verba abſint ab Hebræo hodierno Codice, ea tamen reperiri in Cap. XIII. v. 13. apud LXX. qui non aliunde deprompſerunt quam ex Codicibus Hebraicis tunc integris, quos Græce dederunt; hæc enim habent hoc in loco: υἱῷ δολίῳ οὐδὲν ἔσται ἀγαθὸν, οἱ δὲ κτήσονται ὁ σοφὸς ἴχνεσι ἔσονται πράξεις, καὶ κατίσχυσεν δώσεται ὁ θεὸς αὐτῷ. *Filio doloſo nullum erit bonum: famulo autem ſapienti proſpere procedent actiones, & dirigetur via ejus.* (53)

§. III.

(52) Præfata ℣. 4. Capitis 10. Proverb. verba citantur a Concilio Carthaginenſi III. apud Labbé Tom. 1. Col. 787. S. Hieronymus etiam Lib. 3. contra Ruffinum eadem refert ut Vulgata, quin exprobrari a Ruffino timeret quod apocryphas proponeret auctoritates. Caſſianus etiam Collat. 15. Cap. 7. eadem legit, ut in Vulgata referuntur. Et tandem cum a duobus MSS. Sancti German. 4. & 15. deeſſent in margine fuerunt appoſita, correcto defectu eorum ex aliis Codicibus, ut veriſimile eſt. (*W*)

(53) Hunc verſiculum ex hebraicis hodiernis Codicibus excediſſe in quorum antiquiſſimis extitiſſe revera, indubium prorſus videtur, quamvis innumera ferme exemplaria ex mutilis Codicibus tranſcripta ſint, in quibus omnibus modo deeſt, quamquam nonnulli ſuppleti fuerint poſtea ex correctioribus exemplaribus; hujuſmodi eſſe tres MSS. Codices S. Germ. Num. 4. 14. 15. Sabatierus animadvertit, in quibus ad oram inferiorem verſiculus noſter refertur. MS. vero S. Theodori

ad

§. III.

Proverb. cap. XV. verſ. 27.

DUæ ſunt iſtius verſus partes; prima ejuſmodi eſt: *Conturbat domum ſuam, qui ſectatur avaritiam: qui autem odit munera, vivet.* Et ſecunda his verbis continetur: *per miſericordiam & fidem purgantur peccata: per timorem autem Domini declinat omnis a malo.* Utraque habetur & invenitur in Hebræo. Prima quidem dicto *cap. XV.* 21. ſic enim ſcriptum eſt עכר ביתו בוצע בצע ושונא מתנות יחיה *hhocher betho botſeahh batſahh veſone mattanoth iichieh.* i. e. vertente Pagnino: *Turbans domum ſuam, appetens concupiſcentiam, & odio habens dona, vivet.* Licet enim verterit בצע *batſahh*, i. e. *avaritiam*, & non *concupiſcentiam*, ut in Hebræo ſolet apponi: nihilominus vox *batſahh*, teſte Pagnino, utrumque, & *Appetens concupiſcentiam*, & *exercens avaritiam ſignificat*: unde recte S. Auguſtinus, ſive Jeremiæ VI. v. 13. ſive Job. XXVII. v. 8. & alibi, hoc vocabulum explicat per *ſectari avaritiam*, *avare ſectari lucra &c.* Secunda pars etiam eſt in Hebræo textu & in LXX. Extat, inquam, in Hebræo, non quidem in hoc capite & verſu, ſed capite ſequenti *verſ. 6.* ubi ad verbum ſic legimus: *In miſericordia & veritate expiabitur iniquitas: & in timore Domini recedere a malo.* In verſione vero LXX. ſic legitur citato cap. XV. v. 27. ἐλεημοσύναις καὶ πίστεσι καθαίρονται ἁμαρτίαι τῷ δὲ φόβῳ κυρίου ἐκκλίνει πᾶς ἀπὸ κακοῦ. *Eleemoſynis & fide purgantur peccata: timor autem Domini declinat omnis a malo.* Licet ergo nunc temporis hæc verba in Codicibus Hebraicis eodem ordine, quo in Græcis & Latinis non inveniamus; inde non ſequitur in antiquioribus defuiſſe, quandoquidem LXX. Interpretes eadem apponant verba quæ Vulgata. (54)

§. IV.

Ex Proverb. cap. XVII. verſ. 16. XVIII. verſ. 8. & 22.

QUi *altam fecit domum ſuam, quærit ruinam: & qui evitat diſcere, incidet in mala. Pigrum deiicit timor, animæ autem effœminatorum eſurient. Qui expellit mulierem bonam, expellit bonum; qui autem tenet adulteram ſtultus eſt & impius.* Hi omnes textus, inquiunt Brugenſis & Alexander, non habentur in Codicibus Hebræis, ideoque ſunt expungendi. Egregia ſane conſequentia? Quaſi vero fontes Hebræi hodierni non turbidi ac fæculenti & in plurimis mutilati fluerent; uti jam pluries aperte demonſtratum eſt; eiſque major fides eſſet adhibenda, quam ſinceris illis Codicibus Hebræis, quibus olim uſi ſunt LXX. Interpretes, apud quos præfatos textus ex integro reperies. (55)

ad Remos verſum hunc in Textu refert, his tantum mutatis *Filio doloſi*. Editio LXX. a Nobilio elaborata in Verſuum diſpoſitione aliquantulum a Vulgata noſtra diſconvenit; verſus quippe Nonus Capitis 13. in illa idem eſt ac Verſus 13. ejuſdem Capitis Vulgatæ noſtræ. In illa Verſus 13. ejuſdem Capitis, idem eſt cum Verſu 15. Capitis 14. Vulgatæ noſtræ. Leguntur tamen in variis tum Græcis, cum Latinis Codicibus verſiculi iſti eodem in loco, quo a Nobilii verſione referuntur, ut in Notis ad Editionem Vulgatæ Joannis Joliti videri poteſt. Quidquid ſit tamen de iſtorum diſpoſitione, ſatis eſt quod in Sacris vetuſtis Codicibus optimæ notæ habeantur, ut a Vulgata noſtra expungi jure non poſſint. (W)

(54) S. Hieronymus in ſua ex hebraico verſione verba hæc Vulgatæ, quæ ſub ℣. 27. Capitis 15. narrantur, profert utique ad verbum, licet non omnia eodem loco, ſicut Vulgata; in ſuis ergo Hebraicis Codicibus ea legebantur, quanquam ſub verſiculo 27. hujus Capitis 15. hæc habeantur tantummodo = conturbat domum ſuam qui ſectatur avaritiam; qui autem odit munera vivet = reliqua autem verba nempe = Miſericordia, & veritate redimitur iniquitas; & in timore Domini declinatur a malo = ſub verſiculo 6. Capitis 16. referuntur; primam ergo verſiculi partem eodem in loco cum Vulgata noſtra exhibebant Codices Hebraici S. Hieronymi, quamvis hodierni eandem ad Verſiculum 21. prætulerint. Secunda autem hujus Verſiculi parum iteratur quodammodo in Vulgata, noſtra ad ℣. 6. Capitis 16. quæ ibidem ponitur a S. Hieronymo juxta Codices Hebraicos MS. Sangermanenſe Num. 15. hanc ſecundam verſiculi partem hoc modo legit = per miſericordias & fidem purgantur peccata; timor autem Domini declinat omnes a malo =. In altero autem MS. Sangermanenſi ſub Num. 14. in ora inferiori legitur quidem, ſed poſt ℣. 5. Capitis 16. apud Symmachum etiam verſus noſter habebatur, cum legamus: ὁ πλουτίζων ἀλιτηρίαν quod, redditum eſt a Vulgato *qui ſectatur avaritiam*. Legebatur etiam verſus iſte a S. Cypriano in Lib. 3. Teſtim. & in Lib. de *Opere*, & *Eleemoſyna*. Qua igitur de cauſa aliquibus viſum eſt quod debeat ex Vulgata noſtra eliminari verſus iſte, ſi tamquam divinæ auctoritatis verbum tota antiquitas agnovit, quomodocunque in locis diverſis Bibliorum referatur. (W)

(55) Deeſſe in hodiernis Hebræorum codicibus eos Verſiculos, de quibus Fraſſenius agit hoc loco unanimis eſt Scriptorum ſententia, quinimmo ab iis etiam abfuiſſe, quibus utebatur S. Hieronymus, ex eo fit compertum, quod in ſua ex hebraico hujus libri translatione verſus iſtos omiſerit. Cum tamen in Græcis narrentur exemplaribus, jam in antiquioribus Hebraicis extitiſſe ſupponere merito poſſumus. Ultima ſiquidem pars verſiculi 22. Capitis 18. Proverb. his verbis contenta = Qui autem tenet adulteram, ſtultus eſt, & impius = citatur ab Hieronymo veluti Scripturæ divinæ oraculum in ſuis Commentariis ad Caput 19. S. Matthæi, quamvis in Hebræorum Codicibus non habeatur, idem ergo de aliis, quæ apud LXX. leguntur, ferri debere videtur judicium. (W)

§. V.

Ex Proverb. cap. XXX. verſ. 19.

ET *viam viri in adoleſcentia*. Ubi plurimi exiſtimant apud Brugenſem legendum eſſe *adoleſcentula*; nam Hebraice non eſt עלמות *almut*, i. e. *adoleſcentia*; ſed עלמה *alma*, i. e. *adoleſcentula*. Verum cum LXX. Interpretes diſtincte habeant; καὶ ὁδὸν ἀνδρὸς ἐν νεότητι. *Et vias viri in adoleſcentia*. Veriſimilius eſt eos hic legiſſe potius *almut*, quam *alma*. Accedit quod hæc lectio facilius cohæreat cum cæteris textus partibus, planioremque ſenſum reddat; hic enim tria referuntur cognitu difficilia, nempe *via aquilæ* in cœlo, *via colubri* ſuper terram, *via navis* in medio maris, quibus additur & *via viri* in adoleſcentia ſua: ac ſi diceret ſicut via aquilæ, colubri & navis obliquæ ſunt, & difficulter inveniuntur, quia nullum remanet veſtigium earum; ita & via, hoc eſt, vitæ ratio, quam quis in adoleſcentia ſequitur, difficulter intelligitur: adeo enim inſtabilis eſt via hominis in adoleſcentia, ita ſe adoleſcens per omnes horas in diverſa torquet, ut nunc huc, nunc illuc rapiatur, & difficile ſit comprehendere & animadvertere quo tendat, & in quibus verſatus ſit. Quocirca S. Chryſoſtomus [a] vitam noſtram aſſerit inſtabilem magis fluctuare, quam fluctuet Oceanus & Charybdis: *Adoleſcentium fluctus*, inquit, *pueritiæ ſuccedunt, qui vehementius ſicut Ægæum mare concupiſcentiæ ventis exagitatur, quæ quidem ætas potiſſimum correctione deſtituitur, non ſolum quia majoribus turbationum fluctibus cæditur, ſed etiam quia pedagogus tunc & magiſter ſubtrahitur*. Vide Ariſtotelem [d] ubi hanc adoleſcentiæ mobilitatem deſcribit; ex qua concludit nullum ex ea certum ingenii, indolis & morum in ſequenti vita futurorum argumentum capi poſſe. Nam, ut ait Homerus; [e] *Semper juniorum mentes pendent*.

[a] *homil. 48. in Matth.*

[d] *lib. 8. Ethic. cap. 3.*

[e] *Iliad. 3.*

Confert etiam quod vox *alma* ſignificare poſſit *adoleſcentiam*, ſiquidem nomina Toar fœminina, non ſolum perſonis, ſed interdum etiam affectibus ac paſſionibus ſoleant accommodari, cujus rei infinita propemodum ſunt exempla in translatione LXX. Interpretum: illos vero indoctos fuiſſe in propria ſua lingua, nullus, reor, affirmare auderet. Porro עלמה *alma* eſt nomen Toar ex עלם *bhelem* quod non ſolum *juvenculam*, aut *virginem*, ſed etiam *juventutem* ſignificat & *adoleſcentiam*. (56)

§. VI.

Ex libro SAPIENTIÆ *cap.* IV. *verſ.* 3.

ET *ſpuria vitulamina non dabunt radices altas*. Hanc verſionem ut minus idoneam rejiciunt plurimi, tum Veteres cum Recentiores, quibus præiviſſe videtur S. Auguſtinus: [b] *Quoniam* μόσχος inquit, *Græce vitulus dicitur*, μοσχεύματα *quidam non intellexerunt eſſe plantationes, & vitulamina interpretati ſunt. Qui error tam multos codices præoccupavit, ut vix inveniatur aliter ſcriptum, & tamen ſententia manifeſtiſſima eſt, quia clareſcit conſequentibus verbis: Namque adulterinæ plantationes non dabunt radices altas: convenientius dicitur quam vitulamina, quæ pedibus per terram gradiuntur, & non hærent radicibus. Hanc translationem in eo loco etiam cætera contexta cuſtodiunt*. Quæ S. Auguſtini ſententia obtinuit, teſte S. Bonaventura, [c] ut in plurimis codicibus ſubſtitueretur hæc lectio; *Et adulterinæ plantationes, non dabunt radices altas*.

[b] *lib. 2. de Doctrin. Chriſt. cap. 12.*

[c] *ad hunc locum.*

Nihilominus tamen idem Seraphicus Doctor obſervat Vulgatæ hodiernæ lectionem eſſe perantiquam, & in vetuſtiſſimis codicibus haberi; & merito quidem; concordat enim hæc lectio cum Græco textu, in quo vox μόσχος, non ſolum *vitulum*, ſed & *pampinum*, & *viviradicem* ſeu plantam quæ cum viva radice ſeritur, ſignificat, teſte Nicard. in Therm. Θαμὼν καὶ κλήματα εἶδος. Ἢ καὶ ἀφαίρετον νέον πτυοκτὸν μόσχον. Unde μόσχευμα Grece, idem eſt quod planta tenera, novellus ramus, malleolus ſive palmes vitium. Quamobrem vox *vitulamina* originem habet, aut a *vitulo* propter analogiam & ſimilitudinem inter propagationem plantarum, beſtiarum & hominum. Enimvero ſicut vitulari dicun-

(56) Poſtquam ab Eccleſia Catholica lectio Vulgati noſtri recepta eſt, & veluti legitima confirmata, nefas prorſus eſt in eamdem reclamare; nequaquam ergo audiemus Druſium, Vatablum, Caſtalionem, alioſque legentes: *vias viri in adoleſcentula*, quamvis hujuſcemodi lectionem Hebraici temporis noſtri Codices præferant, quos vitiatos utique ambigimus, cum S. Hieronymus in ſua ex hebraico translatione legat: *vias viri in juventute*; unde neque Grotium, audimus ſuſpicantem ab Interprete ſcriptum fuiſſe *in adoleſcentula*, quia, inquit, ſignificatur ibi incerta eſſe indicia Virginis; aut corruptæ. Relinquimus hæc Grotio perſcrutanda, ſolummodo nos ad Majorum auctoritatem attendimus, qui Italam antiquam verſantes, & LXX. textu expreſſam *in adoleſcentia* legerunt; ita S. Ambroſius, Anaſtaſ. Nicen. Iſidorus Peluſiota, aliique plures, in qua ſiquidem lectione literalis ſenſus connexione longe majori cum præcedentibus convenit, quam ſi legamus *in adoleſcentula*, quamvis non inficiamur etiam in ea lectionem myſtici præſertim ſenſus haberi legitimum ordinem. (*W*)

cuntur homines, cum more vitulorum lasciviunt; sic & arbores & plantæ cum humore luxuriantes, ad radices suas novos surculos progignunt, quos deinde humore deficiente & succo alere non valentes; umbra sua enecant, de quibus Plinius: [a] *Natura*, inquit, *& plantaria demonstravit, multarum radicibus pullulante sobole densa, & pariente matre, quas enecet: ejus quippe umbra turba indigesta premitur, ut in lauris, punicis, platanis, cerasis, prunis. Paucorum in hoc genere rami parcunt soboli, ut ulmorum palmarumque. Nullis vero tales pulli proveniunt, nisi quarum radices amore Solis atque imbris, in summa tellure spatiantur.* Aut, ut aliis placet, vox *vitulamina* deducitur a *vite*, ut sit idem ac *viticulum*, seu luxuriantes surculi qui ad vitis truncum a qua nomen accipiunt, nasci solent & vitibus officiunt. Porro hac voce apposite usus est noster Interpres, ut significaret, quod quemadmodum plantæ ex radicibus natæ ac propagatæ, quas Latini *stolones* appellant, nullam aut inutilem habent fructificationem; sic multigena impiorum multitudo non erit utilis; ac si diceret, sicut stolones radices non agunt, & cito deficiunt; sic impiorum & adulterorum impia & adulterina proles per se vitalis non est, nec diu poterit consistere aut fœlicem stirpem propagare: itaque spuria vitulamina hic idem significant, ac luxuriantes vituli, & spuriæ atque adulterinæ plantæ, seu homines plantarum ac vitulorum instar luxuriantes. Minime quidem bona ratio; quæ si valeret, nullo modo debuisset corrigi & emendari editio Vulgata post Concil. Trident. quod tamen Sixtus V. & Gregor. XIII. & Clemens VIII. fieri curaverunt ita tamen & nondum omnes mendæ sublatæ sint. Quam lectionem cum ut authenticam comprobaverit Concilium Tridentinum confirmando editionem vulgatam, omnesque illius textus, qui auctoritate Ecclesiæ & summorum Pontificum non essent emendati, nulli Catholico eam rejicere jam fas est donec aliter Ecclesia statuerit. (57)

[a] *lib.* 17. *cap.* 10.

§. VII.

Ex Capite XII. *vers.* 17.

ET *horum qui te nesciunt audaciam traducis.* Lucas Brugensis & ejus vestigiis insistens Natalis Alexander, textum hunc arguunt, quod Vulgatus interpres scripserit *nesciunt*, pro *sciunt*; siquidem Græca Autographa habent καὶ ἐν τοῖς εἰδόσι τὸ θράσος: *Et in scientibus audaciam traducis* seu *redarguis*, ac *castigas*. Verum ut observat Nannius, & alii post eum nobiles Catholici Interpretes, in codice Græco hodierno excidisse videtur particula negativa μὴ, i. e. *non*, quam in antiquioribus Codicibus hauddubie legit Vulgatus Interpres, quod etiam notavit Waltonus in Bibliis polyglottis, ubi ad hæc verba; καὶ ἐν μὴ εἰδόσι τὸ θράσος ἐξήλεγξας; ait excidisse particulam οὐκ *non*. Porro vulgatum Interpretem correctiores habuisse Græcos Codices quam jam sint, nemo qui universam ejus versionem expenderit, diffitebitur. Non inficior tamen aliquos Veteres Codices Latinos textum hunc absque negatione tradidisse, siquidem S. Augustinus, [b] qui eadem pene nobiscum Editione Latina hic videtur usus, legit: *Sed in his qui sciunt, audaciam traducis*. Similem etiam lectionem habet Syriaca, *quos nosti vehementer redarguis:* Et Arabica; *Declaras enim robur tuum his qui plenitudinem potentiæ tuæ minime credunt: inter eos autem qui norunt illam, audaciam eorum redarguis.* Ex quibus appareret nonnullos veteres Codices tam Græcos, ex quibus expressæ sunt Editiones Syriaca & Arabica, quam Latinos in hoc textu variasse, & alios negationem habuisse, alios repudiasse. Posset tamen utraque hæc lectio conciliari, dicendo impios quidem novisse Dei potentiam speculative, non vero practice, quod eam scelerum suorum vindicem nondum experti, illam nec timeant, nec vereantur. Quare Deus hanc eorum audaciam traducit, i. e eos corripit & flagellat, ut tandem aliquando resipiscant, aut aliis sint in exemplum divinæ justitiæ in impios æquissime animadvertentis; hic enim commendant Sapiens Dei bonitatem & clementiam, quod impios Chananæos uno impetu non perdiderit, sed modicis ac successivis castigationibus ad pœnitentiam & morum correctionem invitaverit, qui tamen deteriores in dies cum fierent, & spreta omni Numinis notitia & vindicta, ad peccandum essent audaciores, virtutem ac potentiam suam in eis puniendis exeruit. (58)

[b] *lib.* 83. *quæstion. quæst.* 53.

§. VIII.

(57) *Vox vitulamina* in usum fuisse recepta videtur apud antiquos Ecclesiæ Patres, cum in pluribus Sacrorum Librorum Codicibus esset intrusa; cum autem nihil aliud fortassis apud eosdem significaret quam Surculos, sive novellos ramos, qui in Arboris Scapo, vel ad ejus radices pullulantes in silvestri degenerant germine, quæ si evellantur, & in terram plantentur, radices altas nequaquam emittunt; hinc sensus hujus versiculi unus, idemque videtur, sive *plantationes spurias* legamus, *sive spuria vitulamina*; ut per se patet; semel ac autem aliqua vox usu recepta est, & pro legitima significatione, eidem ex communi hominum consensione affixa, usurpatur, immutanda non est, nisi publica auctoritas id expedire judicaverit; Ecclesia autem cum in Vulgatæ nostræ approbatione eam vocem consecraverit, atque per eam *germina arborum* illegitima intellexerit, quænam necessitas urget eamdem reiici? Maxima cum veneratione S. Augustini auctoritas recipienda, sed universalis Ecclesiæ auctoritati non præferenda; hinc Sabatierus ad hunc Italæ antiquæ Versiculum notat = Non bene ex Augustino *vitulamina* vel *plantationes* = . (*W*)

(58) Non solum Frassen. particulam negativam ex Græcis excidisse Codicibus suspicatur, sed ante eum

§. VIII.

Ex libro Ecclesiastici *capite I. verſ.* 16.

CUm *electis fœminis graditur*. Hanc lectionem arguunt omnes Heterodoxi & aliqui Catholici Interpretes, quibus conſentit Alexander, exiſtimantes legendum eſſe *ſeminis*, loco *fœminis*; habent enim Codices Græci Romani: μὴ ἀπιστήσαι ἀνθρώποις αἰῶνος σὺν αὐτοῖς καὶ μὴ τῷ σπέρματος αὐτῶν ἐμπιστευθήσεται. i. e. *Cum hominibus fundamentum ſæculi nidificavit, & cum ſemine eorum fidem habebit*; vel ut vertunt alii: *Et cum ſemine ipſorum concredetur*, hoc eſt, ſemini eorum ſe committet ac credet, ut una cum illis familiariter vivat. Quibus, inquit Baduellus, ſignificare videtur ſummam familiaritatem ac conſuetudinem quam Sapientia habet cum hominibus, cum quibus quodammodo naſcitur, creſcit, perfamiliariterque vivit, Syrus autem vertit; *Cum ſemine eorum conſtituta eſt miſericordia ejus*: Arabicus vero; *Cum ſemine honorum excellentia illius*. Ex quibus apparet eos legiſſe vocem σπέρματι, quam habent etiam hodierni Græci Codices. Nihilominus tamen præ cæteris probanda eſt lectio Editionis Latinæ vulgatæ, tum quod eam ſuo decreto firmaverit Concilium Tridentinum, & eam intactam reliquerint hujus Editionis Correctores ſub Pontificibus Sixto V. & Clemente VIII. tum quod illa perfecte concordet cum ſermonis & orationis ſerie, & ad mentem Eccleſiaſtici propius collimare videatur; hic enim ſuſcipit commendandam divinam Sapientiam Deique timorem ipſius Sapientiæ exordium, tum ex ſubjectis quibus inſidet & quæ ſuo ſplendore exornat, cum ex præclaris effectibus, maxime religioſa in Deum obſervantia, ac morum ad pietatem conformatione, cui potiſſimum incumbit: quoniam autem dixerat Eccleſiaſticus Dei timorem divinæ Sapientiæ initium *cum fidelibus*, hominibus *in vulva concreatum eſſe*: ne quis forte exiſtimaret mulieres ab hoc eximio divinæ ſapientiæ & timore Domini beneficio excludi, ſtatim ſubiicit: *Et cum electis fœminis graditur*; ut videlicet oſtenderet hoc divino munere non ſolum viros, ſed etiam fœminas donari. Tametſi enim ſapientia virorum videatur eſſe propria, in eiſque ſplendidius, quam in fœminis effulgeat; nihilominus interdum etiam mulieres præclare illuſtrat, earumque opera ad animarum converſionem plerumque utitur: ſic Joan. IV. v. 39. de Samaritana legimus plures credidiſſe in Chriſtum propter ipſius mulieris verbum: Sic S. Paulus ad Philip. IV. v. 3. rogat, *Adjuva illas quæ mecum laboraverunt in Evangelio*. Hinc Pſal. LXVII. v. 92. ubi Vulgata habet: *Dominus dabit Verbum Evangelizantibus*; Hebræus Codex, habet articulum fœmininum: quare S. Hieronymus vertit, *annunciatricibus*; quod utique Vaticinium in plurimis divina pietate ac ſanctimonia præditis mulieribus impletum videmus. Enim vero Maſſilienſes omnes, Magdalena præ cæteris, ad fidem convertit: & mulier quædam, cuius meminit Ruffinus [a] Hiberiam totam Evangelio colluſtravit, &c. Itaque Vulgatæ Editionis noſtræ lectio cum Eccleſiaſtici mente & ſententia perfectiſſime concordat. (59)

[a] *lib. 1. cap. 10.*

§. IX.

Ex Capite XI. verſ. 15. & 16.

SApientia & *diſciplina Legis apud Deum*: *dilectio & viæ bonorum apud ipſum*. *Error & tenebræ peccatoribus concreata ſunt*: *qui autem exultant in malis conſeneſcunt in malo*. Duos iſtos verſus expungendos cenſet Natalis Alexander, quod, ut obſervat Lucas Brugenſis, Rabanus, Lyranus & Richelius, eos non agnoſcant: quod prior deſit in Codice Græco Vaticano, uterque vero in Baſileenſi, Argentoratenſi & Veneto; quod eos non referant manuſcripta antiquiſſima numero quindecim ab ipſo examinata, quibus, Cardinali Sirleto teſte, ſuffragantur vetuſtiſſima Monaſterii Caſſinenſis exemplaria & tria Vaticanæ Bibliothecæ; quod non extent in Codice Alexandrino verſionis LXX. qui Bibliis Polyglottis excuſus eſt; quod denique eos non eſſe legen-

eum inſignes Scriptores, Brianus Walton ab Auctore noſtro laudatus, aliique id opinati ſunt, præſertim Grotius qui legendum putat hoc modo is, qui non creditur robur poſſe oſtendere, ſummis viribus convincit audaciam ignorantium. Complut. Regii, aliique Codices quippe negantem particulam præſeferunt; alii autem inter ſe maxime diſcrepant & etiam a Græcis, ut Nobilius animadvertit; non ergo hoc in diſcrimine, atque incertitudine Vulgatæ lectio ab Eccleſia recepta, & comprobata inferioris conditionis habenda, quam Græci hodierni Codices, de quorum temerata lectione non immerito ſuſpicamur. (*W*)

(59) Græcorum Codicum maxima utique facienda eſſet auctoritas, ſi certo conſtaret in originariis lectum eſſe τοῦ σπέρματος, cum enim tunc quod a divino Spiritu ſuggerebatur a Sacro Scriptore fuiſſe exaratum credamus, dubitandi nullus ſupereſſet locus an legendum in hoc verſiculo cum *electis ſeminis* eſſet? Variantes tamen Codicum lectiones de authentia illius Græcæ vocis dubitare compellunt; in duobus enim MSS. Codicibus Corb. teſte Sabatiero, legimus = & cum electis fœminis creditur = Vulgata etiam hanc lectionem cum exhibeat, ejus Correctores iuſtis de cauſis eam retinuiſſe credendi ſunt. (*W*)

legendos Gallicani Prædicatores, qui in emendandis Bibliis olim operam posuerunt, annotaverint. *At* utrum ista omnia momenta tanti sint ponderis, ut adversus Latinam Editionem, auctoritate Concilii Tridentini & summorum Pontificum Sixti V. & Clementis VIII. probatam, præscribere debeant, judicet Catholicus & eruditus lector: maxime cum hos duos versus ex integro referant Editiones Syriaca & Arabica, nec non & Codices Græci Complutenses; Vaticanus vero posteriorem habet his verbis; πλάνη καὶ σκότος *Error & tenebræ*, &c. Existimat autem Jansenius in aliis Codicibus esse sublatos, quod posterior patrocinari videretur errori Manichæorum & aliorum quorumdam hæreticorum, asserentium Deum auctorem esse malorum animi æque ut bonorum. *At* frigida est hæc excusatio; nam cur prior versus qui hujusmodi nihil insinuat, relictus non est? Neque enim, inquit Brugensis, sic alteri cohæret, ut commode separari nequeat: *Rursus* cur posterior sententia in qua vis omnis ponitur in Codice Græco Vaticano sola legitur? *Denique* potiori ratione expungendus fuisset versus 14. his verbis conceptus; *Bona & mala, vita & mors, paupertas & honestas a Deo sunt.* Hunc enim versiculum præ cæteris usurpant hodierni Manichæi seu Calviniste, ut Deum esse Auctorem peccati asseveranter blasphement.

Verisimilius itaque dicendum arbitror eos omnes Codices hac in parte idcirco esse mutilatos, quod ab exemplari vitiato fuerint exscripti, ex quibus idem error in eos Codices Latinos MSS. quos laudat Brugensis, postmodum irrepserit, in quos cum incidissent Rabanus, Lyranus & alii, eosdem versus in suis commentariis aut prætermiserunt, aut confoderunt. Hujus autem conjecturæ mihi non levis ratio est, quod, ut dictum est, posteriorem sententiam habeat Græcus Codex Vaticanus; Complutensis autem utramque, sicut & Latina Editio Vulgata; cujus lectionem hac in parte, ut integerrimam hanc commendant & commentantur etiam ex Protestantibus viri eruditi, præsertim vero Grotius, qui posterioris sententiæ sensum esse dicit; *Deo ordinante conjungi cum peccandi consuetudine, ignorantiam tenebrasque animi;* quod confirmat ex Deuter. XXVIII. 28. Ephes. IV. 18. II. Petri I. 9. ut mirum sit, Heterodoxos erga Vulgatam Editionem Latinam observantiores & religiosiores esse nonnullis Catholicis Interpretibus & Theologis. (60)

§. X.

Ex cap. XIV. vers. 10.

OCulus *malus ad mala & non satiabitur pane; sed indigens & in tristitia erit super mensam suam.* In quibus verbis duo reprehendit Natalis Alexander cum Luca Brugensi, *primum*, quod voces *ad mala*, nihil correspondens habeant in Codicibus Græcis & ex glossa in textum videantur irrepsisse, illud enim *ad mala*, inquit Brugensis, ejus quod præcedit expositio fuisse videtur; scilicet *oculus malus*, seu *ad mala* respiciens. *Secundum* quod illa verba: *Et in tristitia erit super mensam suam*, uti superflua videantur resecanda. VERUM ad primum quod attinet, tametsi Latinus textus Græcum e verbo verbum non exprimat, ex eo tamen facile elicitur, Græce namque legimus; ὀφθαλμὸς πονηρὸς φθονηρὸς ἐπ' ἄρτῳ. Porro vox πονηρὸς secundum vim propriam significat id omne quod ad malum proclive est & vitiosum, ac subinde quod est malum ad malum, ideoque legitima est lectio ὀφθαλμὸς πονηρὸς; *oculus malus ad mala.* Ad secundum vero quod spectat, gratissime dicitur ea verba in Editione Latina superfluere; Enim vero Græci Codices habent; καὶ ἐλλιπὴς ἐπὶ τῇ τραπέζῃ αὐτοῦ; *& indigens est super mensa sua*, sunt autem Codices aliqui in quibus legitur ἐν λύπῃ, vel ἐλλυπὴς; i. e. *in tristitia*, vel *tristis*; Noster utrumque legit: Unde vertit, *Indigens & in tristitia erit:* hæc enim duo sunt connexa, & indigentiam naturaliter tristitia consequitur. (61)

§. XI.

(60) Deesse in variis cum Latinis, tum Græcis Codicibus versus 15. & 16. Capitis XI. Ecclesiastici, qui in Vulgata leguntur, compertum profecto est. Complutens. & Regii Codices ipsos præseferunt, quemadmodum & Syrus Interpres, & Arabicus, ut Frassenius advertit, unde in eorum Codicibus legebantur. Clarissimus autem Nobilius ita notat in sua editione LXX. Interpretum „ In uno vetusto Codice, & magna ex parte in aliis etiam „ quibusdam hæc sequuntur σοφία καὶ ἐπιστήμη καὶ „ γνῶσις νόμου παρὰ Κυρίου ἀγάπησις, καὶ ὁδοὶ (al. ὁδὸς) „ καλῶν ἔργων παρὰ αὐτῷ ἐστὶν πλανὴ καὶ σκότος ἁμαρ„ τωλοῖς σύνεστιν τοῖς δὲ χαιρίοις ἐπὶ κακὰ συγγή„ ρα κακία (al. κακά); quæ sic in Vulgata redduntur „ Sapientia, & disciplina, & scientia legis „ apud Deum; dilectio, & viæ bonorum apud „ ipsum. Error, & tenebræ peccatoribus con„ creata sunt, qui autem exultant in malis, con„ senescunt in malo „ Eodem modo legit in Græco Badvellus: In primis ergo originariis Græcorum Codicibus versiculi isti jam extitisse credendi sunt, nec in Vulgata nostra immerito propterea retenti. (*W*)

(61) Antiquam versiculi 10. Capitis 14. Ecclesiast. lectionem eodem se habuisse modo, ac præsens Vulgata est, probabile quam maxime videtur, quamvis variantes aliquot in variis inveniantur Codicibus. Itala antiqua a Petro Sabatiero edita maximo cum studio, & labore in antiquis exquirendis lectionibus divinorum Librorum, versum hunc eodem pacto legit, ac Vulgata hodierna. Notat tamen ibidem Sabatierus a MS. Sangermanensi 13. & S. Theod. abesse particulas *sed indigens*, in reliquis autem verbis apprime consentiunt cum Vulgata; Cum autem illæ in Græcis habeantur Codicibus, completam credimus ex variis Exemplaribus Vulgatæ nostræ lectionem, quod & Grotius ad hunc locum animadverterat. (*W*)

§. XI.

Ex Cap. XXXVII. verſ. 12.

CUm *viro irreligioſo tracta de ſanctitate, & cum injuſto de juſtitia, & cum muliere de ea quæ æmulatur, cum timido de bello, &c.* Verſiculum hunc proſcribunt Brugenſis & Alexander, quod ea lectio videatur mendoſa, nec Codicibus Græcis reſpondens; *deinde* quod implicantia involvat & Auctoris menti ſit contraria; ibi namque præmittitur; *Noli conſiliari cum eo qui tibi inſidiatur, & a zelantibus te abſconde conſilium*; quod certe omnino alienum eſt a præfata ſententia; cum enim hic doceat Sapiens fruſtra conſilia peti ab eis, qui erga rem, de qua agitur, male ſunt affecti, veriſimile non eſt, inquiunt, eum ſuaſiſſe cum viro irreligioſo tractandum eſſe de ſanctitate & cum injuſto de juſtitia, &c. Alioqui pugnantia doceret.

Verum, tametſi præfata ſententia Codicibus Græcis totidem verbis non reſpondeat, eundem tamen quem Romanus ſenſum exhibet, ut conſentit etiam Grotius, qui hanc ſententiam, retinet & interpretatur: Eandem, uti genuinam; explicant Rabanus, Lyranus & omnes Recentiores Catholici Interpretes, etſi in ejus expoſitione varient: Rabanus enim & Janſenius exiſtimant legendum eſſe: *Cum viro religioſo tracta de ſanctitate, & cum injuſto de juſtitia noli conſiliari*, &c. At, ut recte advertit Brugenſis, non congruit hæc interpretatio Vulgatæ lectioni, quæ non *religioſum*, ſed *irreligioſum* hic habet. Accedit quod orationis ſeries non cohæreret, ſi primum membrum ſequentibus eſſet diſſimile, & illi quidem adderetur *tracta*; ſequentibus autem, *noli conſiliari*: hic enim Sapiens prius edocet cum quibus conſilium non ſit capiendum, poſtea vero a quibus illud accipiendum ſit. Itaque ut ex integro ſervetur fides Editionis Vulgatæ, nec videatur Sapiens hic oppoſita ſimul involvere, dicendum arbitror cum Lyrano præfatam ſententiam accipiendam eſſe ironice, ſicut & ea quæ ſequuntur uſque ad verſum 14. cum enim duodecim enumeraſſet genera hominum in conſilio vitandorum, concludit, *Non attendas his in omni conſilio*. Ex quibus fit manifeſtum eum non niſi cum ironia dixiſſe, *Cum viro irreligioſo tracta de ſanctitate, &c.* Neque novum & inſolitum eſt Scriptores ſacros ironiam uſurpare, uti objiciunt Janſenius & Lucas Brugenſis. Enimvero varia ironicæ locutionis exempla in Scriptura ſacra proferunt & obſervant SS. Patres & Interpretes, ſic ironice volunt Deum Adami ſuperbiam & lapſum arguens dixiſſe: [a] *Ecce Adam quaſi unus ex nobis factus eſt, ſciens bonum & malum*. Sic etiam Salomon adoleſcenti voluptates corporeas ſectanti ait: [b] *Lætare ergo juvenis in adoleſcentia tua, & in bono ſit cor tuum in diebus juventutis tuæ, & ambula in viis cordis tui & in intuitu oculorum tuorum*. Quæ certe per ironiam dicta eſſe fatendum eſt, alioqui Sapiens ad mentem Epicureorum doceret corporeæ cupidini eſſe indulgendum. Quamobrem ipſemet hanc ironiam detegens ſubdit: *Et ſcito quod pro omnibus his adducet te Deus in judicium*. Adjicerem cum Palatio hunc textum etiam citra ironiam poſſe accipi, ſi videlicet hic ſubintelligi concedamus hæc verba, *Et tibi nocebit*; ut ſit ſenſus: ſi cum viro irreligioſo tractes de ſanctitate, &c. non eris innoxius, quia irreligioſus non niſi pietati adverſa, injuſtus juſtitiæ contraria, mulier invida æmulæ ſuæ nocentia, &c. conſulet; quiſque enim ea ſuggerit quæ ſapit, & quæ continuo verſat & operatur. His ſimilia reperies apud omnes fere Interpretes, quos ſi ſtudioſe conſuluiſſent Vulgatæ lectionis Accuſatores, hunc textum ſicut & cæteros ab eis laudatos inter illius Editionis ſphalmata non cenſuiſſent eſſe reponenda, utpote cum ea quæ objiciunt, jam dudum fuerint ab Interpretibus Catholicis propoſita & diluta. (62)

[a] Geneſ. III. 22.

[b] Eccleſiaſtes XI. v. 9.

CA-

(62) Legitimum in Vulgatæ noſtræ verbis poſſe contineri ſenſum, quin Sacer Scriptor implicantiam ullam in hoc verſiculo involvat, communis eſt Catholicorum doctrina; quippe intelligimus peroptime admonitionem ibidem exponi, quæ in ſenſu contrario ad ſonum verborum excipienda eſt, eo quod per ironiam in tali forma verba ipſa propoſita ſint. Controverſia nihilominus circa hujuſcemodi verſiculum cum de legitima ejus lectione procedat, non de ſenſu ejuſdem, optimum eſſet antiquiſſima exhibere monumenta, quibus Vulgatæ noſtræ lectio comprobetur. Hæc nobis præſto non ſunt, quinimmo Græcorum exemplarium lectio non parum a Vulgata noſtra diſſentit, eſt enim hujuſmodi = Noli conſiliari cum eo, qui te ſuſpectum habet & a zelantibus te abſconde conſilium: cum muliere de æmula ejus; & cum timido de bello: cum negotiatore de permutatione, & cum emptore de venditione; cum invido de gratiis reddendis = In codice S. Germani, teſte Sabatiero, legitur = Cum viro religioſo tracta de ſanctitate, & cum juſto de juſtitia, & cum muliere de ea, quæ.... Cum negotiatore de trajectitio, &c. = Optimæ tamen notæ Codices, ac præſtantiſſima monumenta adfuiſſe Bibliorum Correctoribus ſub Sixto V. & Clemente VIII. quibus ad lectionem Vulgatæ retinendam moverentur, firmiter judicamus. (W)

CAPUT OCTAVUM

De præcipuis lectionibus ab Hebraica variantibus in libris Prophetarum existentibus.

§. I.

Ex Isaiæ Cap. V. versu 9.

IN *auribus meis sunt hæc, dicit Dominus exercituum.* Vulgatum interpretem hic arguit Lucas Brugensis & ex eo Natalis Alexander, quod Prophetæ mentem & sensum non videatur assecutus, quippe cum hic Deo auditionem tribuerit, quam Prophetæ concedere debuerat, ut pridem notavit S. Hieronymus ad eadem verba scribens: *Pro eo quod nos juxta Hebraicum vertimus, in auribus meis sunt hæc* DOMINI EXERCITUUM: *id est, verba quæ locutus est Dominus, adhuc resonant in auribus meis,* LXX. *transtulerunt:* ἠκούσθη γὰρ εἰς ζᾶ ἅτα κυρίου σαβαὼθ ταῦτα, i. e. AUDITA SUNT HÆC IN AURIBUS DOMINI SABAOTH: *Non quod Propheta verba Domini audierit, sed in auribus Domini audita sint quæ Propheta dicturus est: cum consequentius sit intelligere audisse Prophetam, quæ Dominus sit locutus, Dominus autem locutus est, quod post captivitatem domus magnæ atque pulcherrimæ desertæ futuræ sint, non habentes habitationem.* Hæc S. Hieronymus. Cujus lectionem probant varia MSS. perantiqua a Brugensi prolata, nec non & ea quibus Parisienses Theologi in sacrorum Bibliorum Editione usi sunt: unde colligit præponendam esse hic illam S. Hieronymi lectionem.

Verum tametsi plurimum deferendum sit sententiæ S. Hieronymi, utpote Scripturarum Interpretis oculatissimi & studiosissimi; propterea tamen non est abiicienda LXX. Interpretum & vulgatæ Editionis lectio, maxime quando utraque cum Hebræo textu & Auctoris sententia & mente cohærere potest. Porro utrique mirum in modum concordat Vulgatæ Editionis lectio; tametsi enim, Hebraice non sit verbum *dicit*, sed tantum באזני יהוה צבאות *Beaznai Adonai tsebaoth;* i. e. *In auribus meis Dominus exercituum.* Nihilominus subaudiendum verbum *dicit*, ideoque hanc auditionem ad Deum esse referendam contestantur vulgo Interpretes cum Pagnino sic vertente, *In auribus meis sunt, dicit Dominus exercituum;* scilicet clamores pauperum non habentium amplius locum ad habitandum, nec agrum ad colendum: ibi enim Deus Judæos divites & potentes arguit quod Judaicum solum universum occuparent suis prædiis, hortis & agris, pauperibus & rusticis exclusis; dixerat enim: *Væ qui conjungitis domum ad domum, & agrum agro copulatis usque ad terminum loci: nunquid habitabitis vos soli in medio terræ? In auribus meis sunt hæc, &c.* Ubi vides Dominum continuata serie hic introduci loquentem atque minas intentantem Magnatibus Israelitis, quod in pauperes crudeles, eis habitandum & colendum nullum terræ spatium concederent. Plane igitur LXX. Interpretum sicut & Vulgatæ Editionis lectio Prophetæ sententiam & Hebræi textus sensum explicat. (63)

§. II.

Ex Capite VII. vers. 14.

ET *vocabitur nomen ejus Emmanuel.* Ubi Lucas Brugensis & ex eo Natalis Alexander legendum putant, & *vocabis*, quemadmodum etiam vertit S. Hieronymus post LXX. Interpretes, Aquilam, Theodotionem & Symmachum. Quamobrem in commentario hanc lectionem sic expendit; *Quodque sequitur:* ET VOCABIS NOMEN EJUS EMMANUEL, & LXX. *& tres reliqui similiter transtulerunt; pro quo in Matthæo scriptum est Cap. I. v. 23.* VOCABUNT *quod in Hebræo non habetur. Ergo iste puer qui nascetur ex virgine, o domus David, nunc a te appelletur* EMMANUEL, i. e. NOBISCUM DEUS, *quia rebus ipsis probabis, a duobus inimicis Regibus liberata, Deum te habere præ-*

(63) Itala antiqua lecta fuit semper in Ecclesia Dei, ut Vulgata nostra Versum 9. Capitis 5. Isaiæ proferens. In Hebraicis autem verbis, quamvis sensus a S. Hieronymo propositus contineri queat peroptime, non minus tamen in eisdem Vulgatæ nostræ intelligentiam post LXX. Interpretes, insignes Scriptores agnovere; *In auribus Jehova* legunt Vatablus, & Forerius, = quasi dicat, ait iste, studium vestrum, sive clamor, oppressorum jam pervenit in aures Domini. = Possunt hæc ad sequentia referri verba, & tunc sensus erit. In auribus Jehova, idest audiente, seu teste Jehova, dico &c. S. autem Hieronymus non negat Vulgatæ sensum esse in Hebraico, sed solum quod sit *consequentius intelligere audisse Prophetam*. Verum ad exprimendum vel gravitatem peccatorum, vel injustam oppressionem alicujus populi, in Scriptura adhibetur formula illa *pervenit ad aures Domini*, ut patet ex Geneseos 18. ℣. 21. & Exodi III. ℣. 9. (W)

præsentem: & qui postea vocabitur JESUS i. e. SALVATOR, *eo quod hominum universum genus salvaturus sit, nunc a te* EMMANUELIS *appelletur vocabulo. Verbum* קראת, *quod omnes interpretati sunt* VOCABIS, *potest intelligi &* VOCABIT, *quod ipsa scilicet Virgo quæ concipiet & pariet hoc Christum appellatura sit nomine.* Fateor equidem Hebraice legi; וקראת שמו עמנואל *Vekarath schemo hhimmanuel; verbumque* קראת *karath*, esse in secunda persona fœminini singularis, quasi Propheta ad Deiparam Virginem quam spiritu prophetico præsentem habebat, sermonem faciens, per apostrophen diceret; *Ecce tu Virgo prægnans paries filium & vocabis nomen ejus Emmanuel* seu *Deum habitantem cum hominibus.*

Verum licet hæc lectio grammatice consonet Hebræo textui, nostra tamen ab ejus sensu non est aliena; siquidem verbum *vocabitur*, idem hic sonat ac *vocabis*; est enim hic sensus, Et vocabitur a Virgine quæ eum concipiet hoc nomine Emmanuel. Unde quemadmodum S. Matthæus, [a] hoc Vaticinium sic refert: *Ecce Virgo in utero habebit & pariet filium & vocabunt nomen ejus Emmanuel.* Angelus Gabriel autem ad idem Oraculum alludens, B. Virginem sic affatur: *Ecce concipies in utero & paries filium & vocabis nomen ejus Iesum.* Nemo tamen dixerit SS. Evangelistas sibi invicem adversari, licet unus in tertia persona dicat, *Et vocabitur*; alter in secunda, *Et vocabis*; sensus quippe utroque modo expositus planus est & apertus absque ulla prorsus ambiguitate, quem potissimum in suis scriptis attenderunt Evangelistæ, ut observat S. Hieronymus, verbis mox laudatis hæc subjungens: *In multis testimoniis quæ Evangelistæ vel Apostoli de libris veteribus assumpserunt, curiosius attendendum est, non eos verborum ordinem secutos esse, sed sensum. Unde & in præsenti loco, pro,* CONCIPIET IN UTERO, *Matthæus posuit,* IN UTERO HABEBIT; *& pro* VOCABIS, VOCABUNT. Ita nec Vulgati Interpretis versio textui Hebræo dicenda est contraria, licet hæc in tertia persona efferat quod ille in secunda profert, cum utrobique planus sit sensus & apertus. Castigandus igitur est quisquis hic in Vulgato Interprete mendum inesse audacter pronuntiat. (64)

[a] *Cap. I. v. 23.*

LUDIT etiam Natalis Alexander in hæc versus sequentis verba: *Butyrum & mel comedet, ut sciat reprobare malum & eligere bonum.* Ubi vult ad planiorem & pleniorem oraculi sensum, adjiciendam esse particulam *ita*; atque esse legendum; *itaut sciat reprobare malum & eligere bonum.* Verum quæ major huic textui ex illa adjecta particula claritas affulgeat, non video; quippe cum aliunde integer ac perspicuus hujus Oraculi sensus & Prophetæ mens ex verbis Vulgati nostri Interpretis clarissime appareat. Nihil enim ex mente S. Hieronymi hunc locum elucidantis aliud significare voluit Propheta, quam quod divinus ille puer verus Emmanuel non solum Deum sed etiam verum hominem se proderet, atque ab infantia cibo puerorum nutriretur, aluntur enim pueri pinguibus & dulcibus quæ sunt amica naturæ, maxime infantili, quæ lactea & dulcia appetit, acria autem & acetosa aversatur; & quantum potest, se ea repudiare & fastidio habere significat. Itaque hæc verba; *butyrum & mel comedet*, puritiæ periphrasim sonant, quasi diceret propheta, divinus ille puer e Virgine oriundus, erit similis cæteris pueris: quæ illi appetunt, appetet; quæ vitant, vitabit. Tametsi juxta S. Hieronymi sententiam hæc verba; *ut sciat reprobare malum & eligere bonum*, non solum de approbatione boni & repudiatione mali temporalis & corporei, sed etiam spiritualis possint intelligi; Nam adorandus ille puer *adhuc pannis involutus* (ait S. Hieron.) *& butyro pastus ac melle, habebit boni malique judicium, ut reprobans mala, eligat bona, Non quod hoc fecerit, aut reprobaverit, vel elegerit: sed quod scierit reprobare & eligere: ut per hæc verba noscamus, infantiam humani corporis, divinæ non præjudicasse sapientiæ.* Ubi vides eandem fuisse S. Hieronymo cum Vulgato nostro Interprete sententiam, nec ad planiorem hujus oraculi sensum particulam *ita*, aut quippiam aliud desideraße. (65)

§. III.

(64) Verbum *vocabitur* diversimode in variis Codicibus fuisse exaratum, legitimum tamen sensum semper custodiens, compertum est. Itala antiqua, *& vocabitis* legebat; quam quidem lectionem S. Irenæus Lib. 3. cap. 21. S. Cyprianus, & Tertullianus retinuere, ut Nobilius ad hunc locum observat. S. Ambrosius tamen *Lib. de Cain* Cap. 3. *vocabitur* habet, sicut & Fulgentius Lib. 1. ad Trasimundum Regem Cap. 8. quanquam in antiquioribus exemplaribus habeatur *vocabitis* ita & S. Pacianus *Lib. de Bapt.* S. Hieronymus in lib. *de optimo genere interpretandi* hæc habet verba = Porro in Hebræo legimus ita scriptum, *Ecce virgo concipiet, & pariet filium, & vocabit Nomen ejus Emmanuel*, non ergo primitus in omnibus Hebræorum Codicibus verbum illud ferebatur in secunda persona fæminini singularis. (W)

(65) Diversimode pariter alteram prædicti Versiculi partem, nempe *ut sciat reprobare malum, & eligere bonum* apud antiquiores Ecclesiæ Patres, in eorum Codicibus Sacris lectam fuisse certum est. S. Ambrosius enim Lib. 2. *de Abraham* Cap. 2. S. Fulgentius Lib. I. ad Trasimundum Cap. 8. & S. Pacianus de Baptismo legebant. *Priusquam sciat reprobare malum &c.* ita pariter habet S. Irenæus Lib. 3. Cap. 21. Verum ex Hebraicis etiam hodiernis Vulgati lectionem possumus non parum fulcire. Forerius quippe vocem Hebraicam ידעתו *ledabtho* ad verbum reddit *ad scire ipsius*, vel *suum*, ipse tamen legit *ut sciat*: Scribit deinde „ Quidam sic vertit: *quousque sciat &c.* Sed non vidi „ exempla hujusmodi acceptionis. Ego cum viderem יד tanquam nomen ab Hebræis sæpe „ usurpari, nominibus autem cum ו tanquam adverbiis uti, consideransque formam locutionis „ cum affixo pronomine idem esse existimavi ידעתו „ quod *utpote qui sciat* (*vel* ut *qui novit reprobare malum, & eligere bonum*, hoc enim notat „ ille Hebraismus *ad scire suum*, vel *ipsius* vel ad „ scientiam ipsius, quemadmodum dicunt *ad solitudinem suam*, idest *solus ipse*, & alia hujusmodi „ „ Si ergo literalis est lectio: *butyrum, & mel comedet ad scire suum*: melior, quæ apud Latinos eidem respondeat, erit profecto Vulgatæ nostræ expressio: *ut sciat reprobare malum, & eligere bonum.* (W)

§. III.

Ex Cap. IX. *verſ.* 14.

ET *diſperdet Dominus ab Irael caput & caudam, incurvantem & refrænantem, die una.* Voces iſtas *incurvantem & refræ-nantem* male a Vulgato interprete redditas contendit Lucas Brugenſis & ex eo Natalis Alexander, hoc potiſſimum nixi fundamento, quod tametſi has voces retinuerit & explicaverit S. Hieronymus in comment. ad hunc textum; attamen ſcribens in caput XIX. v. 15. ubi idipſum legitur, cum dixiſſet; *Pro ſpiritu vertiginis, interpretari poteſt & ſpiritus erroris*, ſubjicit: *In eo quoque quod nos tranſtulimus*, INCURVANTEM & REFRÆNANTEM, *poſſumus dicere* INCURVUM & LASCIVIENTEM; *ut intelligamus ſenem & puerum. Nos autem verbum Hebraicum* אגמון AGMON; *dum celeriter quæ ſcripta ſunt vertimus, ambiguitate decepti*, REFRÆNANTEM *diximus, quod ſignificantius Aquila tranſtulit* σπλήνια; i. e. *qui nihil recte agit, ſed omne perverſum, ut puerum ſignificaret.* Quibus verbis S. Hieronymus priorem ſuam verſionem quam Vulgatus noſter Interpres ſervavit, emendare voluit: Unde colligunt præfati Accuſatores Vulgati Interpretis illum in hoc textu eſſe emendandum. *Verum* tametſi ea poſterior ſit S. Hieronymi ſententia; nihilominus priorem interpretationem præferendam eſſe argumentum eſt, quod Hebraico textui ſit conformior, & Prophetæ mentem diſtinctius explicet; loco enim *incurvantem & refrænantem*, Hebraice leginus: כפה ואגמון *cippa veagmon*, i. e. *ramum & juncum;* ramus autem Hebræis eſt כפה *cippa* quod deduci videtur מכף *capaph*, i. e. *curvavit*, *incurvavit*: unde *ramus* a curvitate ſic dictus eſt: vox vero אגמון *agmon*, quam aliqui *ſtagnum* interpretantur, a radice אגם *agam*, alii, *juncum* reddunt, forte a ſtagnis in quibus creſcit. Quia vero Vulgatus Interpres credidit *agmon*, poſſe *circulum* ſignificare ex loco Iſaiæ LVIII. 5. *Contorquere quaſi circulum caput ſuum*. Et ex Job XL. 21. *Nunquid pones circulum in naribus ejus*, qui eſt veluti frænum quoddam nonnullis animalibus apud Orientales; idcirco hoc loco pro *ramo*, *incurvantem*, & pro *junco infrænantem* reddidit: Ubi vides Vulgatum interpretem ab Hebræo textu non multum abludere; imo expreſſiſſe diſtinctius quod ille metaphora *rami* & *junci* paululum obſcurius declaraverat, ut videlicet divinam animadverſionem in Iſraelitarum Principes & Pſeudoprophetas brevi futuram prænunciaret.

Invehitur enim hic Iſaias in Judæorum Rectores, quos *incurvantes* & *ramum* ſeu *caput* appellat: *incurvantes* quidem, quod alios ſub imperio ſuo curvent, & ſuis mandatis ac legibus ad nutum inflectant: *ramum* vero ſeu *caput*, quod quemadmodum *ramus* in arbore & in corpore *caput*; ſic illi eminent in populis. Similiter Prophetas nominat refrænantes, quod a Deo deſtinentur, ut populi cupiditatibus ſalutaribus ſuis verbis & exemplis frænum injiciant, eoſque ad divinæ Legis obſervantiam, cum ab ea declinaverint, revocare nitantur; cum autem tunc temporis ipſimet Prophetæ proprio genio indulgentes a via Domini aberrarent, eos ſub lemmate caudæ carpit, quod quemadmodum canes, cauda blandiuntur: ſic illi prævaricatoribus Judæis adulabantur: vel quia ſicut cauda operit in animali pudendum ſeu pudorem, ita iſti operire volebant mala populi ſuis mendaciis: ſic apud Jeremiam habes de ejuſmodi Prophetis: *Curabant contritionem filiæ populi mei levi ſermone, dicendo pax, pax, & non erat pax.* Vel denique, quia avertebant populum ne curaret minas Domini, quemadmodum animal cauda ſua abigit pungentes muſcas ſe. Porro hanc eſſe prophetæ mentem aperte liquet ex verbis ſequentibus; ſubjicit enim; *Longævus & honorabilis ipſe eſt caput: & Propheta docens mendacium ipſe eſt cauda.* Quibus verbis ſignificat ſe per *incurvantem* & *refrænantem*, ſicut per *caput*, & *caudam*, populi Rectores & Pſeudoprophetas denotaſſe. Vides ergo Vulgatum noſtrum Interpretem, nec ab Hebræo textu, nec a Prophetæ mente eſſe alienum. (66)

(66) Si duo illa *incurvantem*, & *refranantem* idem connotent, quod alia duo *Caput*, & *Caudam* ut revera poſſunt indicare, ſic ut Fraſſenius ipſe demonſtrat indubium eſt Vulgati lectionem Hebraico textui congruentiorem eſſe, quam alteram. Si tamen Dei comminationes per os Prophetæ edictæ nedum ad diſperſionem Rectorum populi, & Pſeudoprophetarum; ſed etiam ipſius populi, per ſenes, & juvenes indicati extendebantur; tunc aptior videtur S. Hieronymi poſterior interpretatio, quæ *incurvum*, & *laſcivientem* præfefert; utraque intelligentia ex contextu inferri poſſe videtur, unde neutra lectio condemnanda, ſed quam retinet Eccleſia ea amplectenda profecto. Græca verſio poſteriori S. Hieronymi videtur favere interpretationi habet enim Καὶ ἀφεῖλε Κύριος ἀπὸ Ἰσραὴλ κεφαλὴν καὶ οὐράν, μεγαν καὶ μικρὸν ἐν μιᾷ ἡμέρᾳ & abſtulit Dominus ab Iſrael caput, & caudam, magnum, & parvum una die = Grotius etiam quamvis Vulgati lectionem retineat *incurvantem*, ſcilicet & *refranantem*, per eos tamen intelligit *validos*, & *invalidos*, ſeu Juvenes, & ſenes. (W)

§. IV.

Ex capite XXVII. verſ. 6.

QUi *ingrediuntur impetu ad Jacob, &c.* Hæc verſio, inquit. Natalis Alexander, mendoſa eſt, vertendumque dicit cum S. Hieronymo: *Qui egrediuntur de radice Jacob*; quam verſionem meliorem eſſe oſtendere videtur ſequentium verborum analogia, quæ radici Jacob & ſurculis ex ea ſoboleſcentibus magis convenit; ſequitur enim: *Florebit & germinabit Iſrael & implebunt faciem Orbis ſemine.*

Verum tametſi aliter, quam Vulgatus Interpres, verterit S. Hieronymus, inde argumentum non eſt mendoſam eſſe Vulgatæ Editionis lectionem; alioqui pari ratione damnandi eſſent LXX. Interpretes, qui hunc textum ipſo etiam referente S. Hieronymo, ſic reddunt: οἱ ἐρχόμενοι τέκνα Ἰακώβ; *Qui veniunt filii Jacob, &c.* imo arguendus ipſemet S. Hieronymus quod Hebræum textum ad verbum non expreſſerit; Hebraice enim legimus. הבאים ישרש יעקב *habbaim jaſchereſch Jahakob* i. e. ut vertit Pagninus; *In diebus qui veniunt* (ſeu, ut emendat Arias Montanus) *venientibus radicabit Jahakob, &c.* Porro Vulgatum Interpretem Prophetæ mentem & oraculi ſenſum clare aſſecutum fuiſſe & expreſſiſſe, non abnueret ipſemet S. Hieronymus, ſi ut hujus controverſiæ judex interpellaretur. Vult enim ipſe hic ſermonem eſſe de Apoſtolis a Chriſto Domino ad univerſas Gentes Evangelica luce colluſtrandas delegatis; notum eſt autem quod ipſi prædicationis exordium apud Judæos fecerint, quemadmodum fuerat divinitus conſtitutum, S. Paulo a & Barnaba dicentibus Judæis: *Vobis oportebat primum loqui Verbum Dei; ſed quoniam repellitis illud & indignos vos judicatis æternæ vitæ, ecce convertimur ad Gentes.* Unde nemini dubium eſſe debet quin ipſum Prophetæ vaticinium juxta Vulgati Interpretis lectionem præclare impletum fuerit; Apoſtoli namque agitati divino fervore Spiritus quo in die Pentecoſtes repleti fuerant, in plateas & Synagogas Judæorum cum impetu proſilientes, & Judæis Evangelium annuntiantes, refloreſcere fecerunt Iſraelem novo Fidelium ſemine; qui adeo altas & profundas radices egerunt, ut tandem ex eis ſoboleſcentibus aliis Fidelium ſurculis, divino hoc Fidei germine Orbem impleverint univerſum. Veriſſime itaque vaticinatum fuerat, *qui ingrediuntur impetu ad Jacob.*

a *Act.* 13. 4.

At, inquies, vocem *impetus* proprio genio textui adjecit Vulgatus Interpres; neque enim ullum ipſius veſtigium apparet in Hebraicis fontibus: nam verbum ישרש *jaſchereſch*, non ſignificat *impetum facere* ſed *radices agere*; imo etiam interdum eradicare, ut plurimis exemplis confirmat Buxtorfius ad vocem שרש *ſchereſch*. Reſpondeo, noſtrum Vulgatum Interpretem haud dubie legiſſe vocem illam in conjugatione *Piel* quæ eſt activa violenter ſive diligenter, & denotat actionem fieri cum vehementia & impetu; ut nempe ſignificaret Apoſtolos Eccleſiæ naſcentis ſemina, cum vehementia divini Spiritus, in audientium cordibus diſperſiſſe, ut eodem agente Spiritus fervore, profundas radices agerent. Appoſite igitur & ad Prophetæ mentem legit *qui ingrediuntur impetu ad Jacob.*

Nec obſtat quod hic nominativus pluralis conſtruatur cum verbo ſingulari, id enim Hebræis non eſſe infrequens fatentur omnes Hebrææ linguæ periti, & plurimis exemplis confirmant ex Scriptura ſacra a nobis infra proferendis. Eſt tamen alia & literalis magis horum verborum interpretatio de Judæis quos alloquitur Propheta, eis ſignificans quod ſi reſipiſcerent & cum animi vehementi dolore de priſtinis criminibus ſalutarem facerent pœnitentiam, *Radices*, inquit, *agerent filii Jacob*, i. e. non irent in captivitatem, ſed ſtabiles eſſent in patria; *florerent* etiam, ſeu proſpere agerent, ut fuit in diebus Davidis & Salomonis: *germinarent* quoque, & fructus ſuaviſſimos producerent; *uvas*, non *labruſcas*; *juſtitiam*, non *clamorem*; fidem & miſericordiam, non perfidiam & immanitatem: *inſuper & totum Orbem proventu* (ſeu *fructu*) *implerent*, i. e. ſupra modum multiplicarentur, ut per totum Orbem colonias poſſent deducere.

§. V.

Ex Capite LX. verſ. 4.

FIliæ *tuæ de latere ſurgent*. Hic, inquit Natalis Alexander videtur olim vertiſſe Interpres ſecundum Hebræum, *lac ſugent*, ut habet S. Hieronymus in comment. Unde fit conſequens Amanuenſium Vitio præſentem lectionem in textum irrepſiſſe. At dublo procul S. Hieronymi mentem & Hebræi textus ſinceritatem non eſt aſſecutus: nam S. Hieronymus non ſolum in Commentariis, eam lectionem interpretatur & approbat; ſed etiam eam quam habent LXX. αἱ θυγατέρες σου ἐπ' ὤμων αἰρθήσονται id eſt, „ *Filiæ tuæ ſuper humeros portabuntur:* „ Diligentius, *inquit*, attendendum eſt. Fi„ lii enim qui robur ſunt, ipſi per ſe de„ longe veniunt, & ad fidem Domini con„ gregantur. Filiæ autem quæ imbecillio„ res ſunt, & pro fragilitate ſexus, nec-

dum

„ dum in virum venere perfectum, Apo-
„ ſtolorum portantur humeris, ut deferan-
„ tur in ſinus Abraham, Iſaac & Jacob. „
Hæc S. Hieron. Similiter textus Hebraicus vocis *lactis* non meminit, ſed *lateris*; habet enim, ובגתיך על-צד תאמנה *Vbbenathaich bhaltſad teamanah*, i. e. ut vertit Pagninus, *Et filiæ tuæ juxta latus nutrientur*, Munſterus vero; *Qui in latere ſunt fovebuntur*, Clarius: *Ad latus educabuntur*, Forerius, *Super latus confirmabuntur*. Omnium vero optime & ad Prophetæ mentem ac myſterii elucidationem proximius, Vulgatus noſter, *De latere ſurgent*. Hic enim prænuntiatur futurus Eccleſiæ ortus, ipſo S. Hieronymo teſte, qui ad hæc antecedentia verba, *Surge & illuminare, &c.* ait: *Nos autem, ad Eccleſiam univerſa dici credamus, quæ primum de Judaico populo congregata eſt, & lumen quod ſuper eam ortum fuerat, per Apoſtolos tranſmiſit ad Gentes, cui dicitur* SURGE ET ILLUMINARE, *ut quæ cecidit in incredulis, ſurgat in Fidelibus; quæ cecidit in Synagogis, ſurgat in Eccleſiis; & poſtquam ſurrexerit, illuminetur, ut nequaquam habeat erroris tenebras*. Porro majori cum energia exprimitur Eccleſiæ origo & propagatio per lectionem Vulgati Interpretis, quam per aliam quamcunque; illa namque revera e Chriſti perforato latere, velut ex utero prodiit. Qua de re præclare ſcribit hæc S. Auguſtinus: [a] „ Agite, *inquit*, Judæi neſcientes nuptias Agni, „ date præmium pecuniæ malo nebuloni „ Judæ. Agite ut ille qui natus eſt de „ Virgine, a Pontio Pilato ſuſpendatur in „ cruce. Aſcendat Sponſus noſter thalami „ ſui lignum. Aſcendat Sponſus thalami „ ſui lectum. Dormiat moriendo, aperia-„ tur ejus latus, & Eccleſia prodeat Vir-„ go: ut quomodo Eva facta eſt ex Late-„ re Adæ dormientis, ita & Eccleſia for-„ metur ex Latere Chriſti in cruce pen-„ dentis. Percuſſum eſt enim ejus latus, „ ut Evangelium loquitur, & ſtatim ma-„ navit ſanguis & aqua, quæ ſunt Eccle-„ ſiæ gemina ſacramenta. Aqua, in qua „ eſt ſponſa purificata: ſanguis ex quo in-„ venitur eſſe dotata... Exulta Chriſtiane „ in commercium inimicorum tuorum, tu „ viciſti. Quod Judas vendidit & Judæus „ emit, tu acquiſiiſti. Exulta, exulta Spon-„ ſa Eccleſia, quia niſi iſta in Chriſto fa-„ cta eſſent, tu ab illo formata non eſſes. „ Venditus redemit te; occiſus dilexit te: „ & quia plurimum te dilexit, mori vo-„ luit propter te. O magnum myſterium „ hujus Sponſi & hujus Sponſæ! non ex-„ plicabitur digne humanis verbis. De „ Sponſo Sponſa naſcitur, & ut naſcitur „ ſtatim illi conjungitur: & tunc Sponſa „ nubit, quando Sponſus moritur: & tunc „ ille Sponſæ conjungitur, quando a mor-„ talibus ſeparatur. Quando ille ſuper cæ-„ los exaltatur, tunc iſta in omni terra „ fœcundatur. „ *Hæc S. Auguſt.* Itaque filiæ Myſticæ Jeruſalem, animæ ſcilicet fideles appoſite prænuntiantur e latere Chriſti ſurrecturæ, ut pote, quæ ex perforati ejus lateris vulnere de peccato ad gratiam ſurrexerint.

[a] *lib. 2. de Symbolo ad Cathecumen. c. 6.*

§. VI.

Ex EZECHIELIS *capite I. verſ.* 10.

ET *facies Aquilæ deſuper ipſorum quatuor*. Deleri poſſet vox, *deſuper*, inquit Alexander, ſic planior eſſet ſenſus & convenientior Hebræo: eam enim vocem non habent LXX. Interpretes, nec Chaldaica Paraphraſis, nec Arabicus Alexandrinus. *Verum* cum illam retineant Codices Arabicus Antiochenus, Syrus & Latini omnes cum veteres, tum recentiores, eamque habeant & interpretentur S. Hieronymus, uti & S. Gregorius, aliique Latini Interpretes, nec expungendam cenſuerint Bibliorum Correctores auctoritate Pontificia, videat æquiſſimus Lector, an unius Critici judicium adverſus totius Eccleſiæ Latinæ hanc vocem retinentis & legentis ſententiam, tot tantiſque momentis firmatam, præſcribere debeat. Rectius hauddubie & in hac parte erga Vulgatum Interpretem religioſius cenſuerunt Proteſtantes, qui hanc vocem & retinuerunt & explicarunt, præſertim Grotius, qui approbata Vulgati Interpretis lectione, eam ſic illuſtrat: Forma Aquilæ una ex quatuor erat in alis protenſis, hoc eſt in ſublimiori illorum animalium parte. *Accedit* quod ex hac Aquilæ ſupra cæteras facies eminentia, SS. Patres & Interpretes S. Joannis Evangeliſtæ æternam divini Verbi generationem enarrantis, in alios Apoſtolos & Evangeliſtas præcellentiam colligant; præ cæteris vero S. Hieronymus, qui hanc viſionis Propheticæ partem ſic expendit: „ Facies, principia dedit Evange-„ liorum, a quibus homo & Leo, hoc eſt, „ nativitas Chriſti & Prophetæ vox tonan-„ tis in eremo dextras partes tenent. Vi-„ tuli autem id eſt victimarum & ſacerdo-„ tii Judæorum, in ſiniſtris eſt, quod abo-„ litum tranſivit ad Sacerdotium ſpirituale „ de quo dictum eſt: [b] *Tu es ſacerdos in* [b] *Pſalm.* „ *æternum ſecundum ordinem Melchiſedech*: 109. „ ita duntaxat, ut omnia ſibi hæreant, uno „ quoque corpore cenſeantur: Aquila au-„ tem, quæ & ſuper nativitatem & ſuper „ prophetiam eſt, quæ Domini expletur „ adventu, & ſuper ſacerdotium, quod „ præteriit & extra hæc omnia eſt, de na-„ tivitate referens ſpirituali, quomodo Pa-„ ter in Filio, & Filius in Patre ſit, de „ qua rectiſſime dicitur: „ [c] *Generationem* [c] *Joan. 1.* *ejus quis enarrabit. Hæc ille.* Cui præcla- *& Iſaiæ 53.* re præivit S. Auguſtinus, vel quiſquis eſt Auctor præfationis in expoſitionem illius ad Evangelium Joannis: *Inter ipſos*, inquit *Evan-*

Evangeliorum Scriptores Ioannes eminet in divinorum myſteriorum profunditate... Cæteri quippe Evangeliſtæ, qui temporalem Chriſti nativitatem, & temporalia ejus facta, quæ geſſit in homine, ſufficienter exponunt, & de divinitate pauca dixerunt, quaſi animalia greſſibilia cum Domino ambulant in terra: hic autem pauca de temporalibus ejus geſtis ediſſerens ſed divinitatis potentiam ſublimius contemplans, cum Domino ad cœlum volat. Qui enim ſupra pectus Domini in cœna recubuit, cæleſtis hauſtum ſapientiæ cæteris excellentius de ipſo Dominici pectoris fonte potavit. Vides quam aliena ſit Criticorum noſtrorum a mente Sanctorum Patrum & illuſtriorum Scripturæ Interpretum ſententia: tantum enim abeſt ut hi particulam illam *de ſuper* reſecandam eſſe cenſeant: quinimo eam ab Ezechiele ſtudio ſcriptam exiſtimant, ut Chriſti D. divinæ originis ſupra cætera illius myſteria, & S. Joannis illius enarratoris ſupra alios Evangeliſtas eminentiam diſtincte præſignaret.

Nec quenquam movere debet quod vox ועל *mehal* i. e. *deſuper* in Hebræo textu non compareat, veriſimile namque eſt illam ab eo excidiſſe, & forte ab aliquo Hebraizante poſtmodum e Codice LXX. Interpretum ſuiſſe expunctam, ne ea in ſententia ab Hebræo diſcordare videretur. Neque enim eam vocem ita conſtanter conſervaſſet Vulgatus Interpres, nec eam S. Hieronymus præclaris commentariis illuſtraſſet, niſi ætate ſua in fontibus Hebræis & Græcis illam legiſſent.

Plurima his ſimilia eſſe prætenſa σιφλήματα, in quibus Vulgatum Interpretem, etiam in Editione Novi Teſtamenti peccaſſe contendunt illius Critici. Verum quoniam illa, vel nullius ſunt momenti, & facili negocio ab erudito Lectore diſſolvi poſſunt: vel jam ab Heterodoxis pluries inculcata, a doctiſſimis Scripturarum Interpretibus Catholicis pleniſſime diſcuſſa ſunt & elucidata; Noſque cum ſermo erit de Scripturæ ſacræ apparentibus Antilogiis & locis obſcurioribus elucidandis, eos textus, aut ſaltem illorum præcipuos ſimus explanaturi: idcirco ne in hujuſmodi levioribus tricis & inanibus contentionibus benevolum Lectorem ingrate detineam, ab earum diſcuſſione ſuperſedebo ut ad impugnatos a Criticis ex N. Teſtamenti Editione Vulgata textus propugnandos & elucidandos ſermonem convertam, (67)

CAPUT NONUM.

De variantibus ab Hebræo Vulgatæ noſtræ lectionibus, quæ in libris Novi Teſtamenti reperiuntur.

Summarium omittitur.

§. I.

Ex capite V. verſu 23. Sancti Matthæi.

QUi *iraſcitur fratri ſuo, reus erit judicio.* Hic adiiciendam eſſe particulam *ſine cauſa*, timide poſt Brugenſem cenſet Natalis Alexander: neque enim conſtanter id audent aſſeverare; eorum vero conjecturæ fundamentum eſt, Quod in quibuſdam Codicibus Græcis ſcribatur particula εικῆ: Quod Syriaca verſio legat *temere*: Quod eam particulam enarrent veteres hujus textus Interpretes; inter Græcos quidem, Euthymius, Theophilactus, & Auctor operis imperfecti, atque etiam S. Chryſoſtomus. Inter Latinos vero S. Cyprianus, [a] Auguſtinus, [b] & Iſidorus Peluſiota. [c] *Verum*, S. Hieronymus, tam commentariis in hunc locum, quam lib. 2. adverſus Pelagianos, monet has voces, uti ſuperfluas & in textum inſtruſas expungendas eſſe, quod in optimis & antiquioribus Codicibus non occurrant. Cui poſtmodum re melius librata conſenſit S. Auguſtinus [d] & S. Anſelmus, dicens: SINE CAUSA *addunt quidam Codices: ſed in Græco non additur, nec eſt opus*; unde etiam Vaticanus Codex hodiernus hanc particulam omittit. Hujus autem prætermittendæ particulæ rationem hanc ſubiicit S. Hieronymus: *Quia*, inquit, *ne cum cauſa quidem iraſci debemus*: At ſi hæc ita ſint; cur igitur Apoſtolus dixit: *Iraſcimini & nolite peccare*: *Sol non occidat ſuper iracundiam veſtram*. q. d. ſi contingat vos iraſci, ne peccetis. Eſt igitur aliqua ira ſine peccato. Inſuper ſi de qualibet ira & quovis convitio accipienda eſſent præfata Evangeliſtæ verba, citra culpam non videretur a Chriſto dictum duobus Diſcipulis: *o ſtulti & tardi corde!* Et ab Apoſtolo: *o inſenſati Galatæ, quis vos faſcinavit? &c.* Unde non omnem iram hic proſcribit Salvator, ſed eam quæ fraternam charitatem & pacem ſolvit, atque erumpit in convicia.

Itaque cum hic ſit ſermo de ira charitati ac paci fraternæ & Evangelicæ adverſaria, fruſtra adiiceretur particula *ſine cauſa* cum hæc

[a] *lib. 3. Teſtimonior. ad Quirin.*
[b] *In Comment.*
[c] *lib. 2. epiſt. 239.*
[d] *lib. 1. Retract. cap. 19.*

(67) Auctoris noſtri conjectura quod vocula על *mehal* ex Hebraico exciderit confirmari ex eo poſſe videtur, quod Itala antiqua legeret = facies aquilæ deſuper illis quatuor = eam voculam retinet S. Ambroſius in Lib. de Virg. Aquila etiam, & S. Hieronymi exemplaria eamdem habent, ut Sabatierus teſtatur. (W)

hæc facile ſubaudiatur ex ſerie textus quem præclare hoc Commentario illuſtrat S. Auguſtinus his verbis: „ Gradus, *inquit*, ſunt „ in iſtis peccatis ut primo quiſquam iraſcatur, & eum motum contineat corde conceptum. Jam ſi extorſerit vocem indignantis ipſa commotio non ſignificantem „ aliquid, ſed illum animi motum ipſa eruptione teſtantem, qua feriatur ille cui iraſcitur, plus eſt utique quam ſi ſurgens „ ira ſilentio premeretur. Sin vero non ſolum vox indignantis audiatur, ſed etiam „ verbum quod jam certam ejus vituperationem in quem profertur deſignet, quis „ dubitet amplius hoc eſſe, quam ſi ſolus „ indignationis ſonus ederetur? Itaque in „ primo unum eſt, id eſt, ira ſola; in ſecundo duo, ira & vox quæ iram ſignificat; in tertio tria, ira & vox, & in „ voce ipſa certæ vituperationis expreſſio. „ Vide nunc etiam tres reatus Judicii, Concilii & Gehennæ ignis. Nam in judicio „ adhuc datur defenſioni locus. In Concilio autem quanquam & judicium eſſe ſoleat, tamen quia intereſſe aliquid hoc loco fateri cogit ipſa diſtinctio, videtur ad „ Concilium pertinere ſententiæ prolatio, „ quando non jam cum ipſo reo agitur „ utrum damnandus ſit, ſed inter ſe qui „ judicant, conferunt quo ſupplicio damnari oporteat quem conſtat eſſe damnandum. Gehenna vero ignis, nec damnationem habet dubiam ſicut judicium; nec „ damnati pœnam (*ſup.* habet dubiam,) „ ſicut Concilium: in gehenna quippe ignis „ certa eſt & damnatio & pœna damnati. „ *Hæc S. Aug.* (68)

§. II.

Ex Capite XXVI. verſ. 28.

HIc *eſt ſanguis meus qui pro multis effundetur.* Verti poſſet *effunditur* ſecundum Græcos Codices & Syriacam verſionem, inquit Alexander. *At* minus appoſite: Græci namque Codices ferunt: τὸ περὶ πολλῶν ἐκχυνόμενον. Quamobrem reſponderi poſſet primo vocem ἐκχυνόμενον hic non eſſe participium, ſed nomen participiale forma participii, huncque ad verbum reddere ſenſum, *Qui pro multis effuſus;* ita quod non adſignificetur tempus, ſed (ut loquuntur in ſcholis) rei forma. Igitur nihil opus eſſet hic confugere ad temporum ἀναλλαγάς, quando non tempus ſed res hic in primis ſpectanda eſt. Adjici poſſet ſecundo cum Grotio vocem illam ἐκχυνόμενον hic idem ſignificare ac *jam jam effundetur:* præſens pro proxime futuro, quod frequentiſſimum eſſe apud SS. Evangeliſtas variis exemplis confirmat. Ita Matth. cap. III. 10. ἐκκόπτεται, valet *jam jam excidetur*: & ὁ ὀπίσω μου ἐρχόμενος, *qui jam jam me eſt ſecuturus*; & V. 23. ἰδὲ ἤ προσφέρε, *ſi jam jamque ſis oblaturus*: VI. 6. ὅταν προσεύχῃ, *jam jam oraturus*: & XX. 22. βαπτίζομαι, i. e. *tingar*: Marci IX. 31. παραδίδεται, i. e. *tradetur*. Itaque, Vetus Interpres Latinus, & cum eo Canon Miſſæ, hoc ipſo loco ἐκχυνόμενον vertit *qui effundetur*: ac ſimiliter Marci XIV. 24. & quod de corpore Chriſti in hoc eodem argumento dicitur I. Cor. XI. v. 24. τὸ ὑπὲρ ὑμῶν κλώμενον, idem Interpres vertit, *quod pro vobis tradetur: ita Grotius*. Igitur ſi ad Codices Græcos attendas, perinde eſt, ſive *effunditur*, ſive *effundetur* legas quippe cum vox ἐκχυνόμενον, vel nullum determinatum tempus ſignificet, vel præſens pro proxime futuro denotet: ita ut revera pretioſiſſimus Chriſti Domini ſanguis cenſeatur effuſus in cœna & in cruce: illic quidem myſtice & incruente, hic vero cruenta & ſenſibili effuſione: utrobique autem pro nobis ſalubriter & in remiſſionem peccatorum. (69)

§. III.

Ex Capite XXVII. verſ. 9.

TUNC *impletum eſt quod dictum eſt per Ieremiam Prophetam, dicentem: Et acceperunt triginta argenteos, &c.* Quidam, inquit Lucas Brugenſis & ex eo Natalis Alexander, contendunt *Ieremiam* Scriptorum errore pro *Zacharia* poſitum. Janſenius nec *Iere-*

(68) Quamvis plures Sanctorum Patrum particulas illas *ſine cauſa* in ſuis habuerint Bibliorum codicibus; in multis nihilominus eorum debuiſſe teſtes ſunt Sancti Doctores a Fraſſenio laudati; eas ulterius non legebant Chromatius Aquilejenſis, & Presbyter Juvencus. Caſſianus etiam temere additas fuiſſe Sacris Codicibus opinatur. In Æthiop. pariter & Arab. Codicibus non leguntur; hinc Laurentio Valla meliores eſſe codices propugnanti, qui particulas *ſine cauſa* legunt, Revius aperte refragatur, contendens eaſdem in Hebræo non eſſe, neque haberi Epheſ. 4. Huic Grotius conſentit, qui licet non inficietur lectas ab Antiquiſſimis Patribus fuiſſe, credibilius tamen eſſe opinatur, quod ab iis fuerint adjectæ, qui metuebant ne hic omnis ira ex juſta aliqua cauſa procedens probari videretur. (W)

(69) In tempus futurum fuiſſe antiquitus etiam verbum *effundo* in hoc S. Mathæi loco deflexum non pauca veterum Patrum teſtimonia demonſtrant: *Effundetur* legit MS. S. Germani; ita legebat S. Cyprianus in Epiſtola 63. ita S. Hieronymus Lib. 4. Comment. in Matthæum, pari modo in Codice Biblico legitur ejuſdem S. Doctoris a Vallarſio ex antiquiſſimis MSS. edito; huic pariter lectioni favet S. Irenæus Lib. 5. Cap. 33. Eraſmus ipſe denique legi poſſe in futuro verbum Græcum ἐκχυνήσεται, ſicut & in futuro legitur ἐρχήσεται confitetur. (W)

Ieremiam, nec *Zachariam* ab Evangelista nominatum, sed absque alicujus Prophetæ nomine, ab eo, ut alias plerumque scriptum: *Tunc impletum est quod dictum est per Prophetam dicentem.* Quosdam olim Evangeliorum Codices hanc lectionem habuisse testatur S. Augustinus. [a] Legitur & in hunc modum apud Rupertum: Verum in commentariis, *Scriptorum*, ait, *incuria inolevisse, ut hic pro* ZACHARIA, JEREMIAS *nominaretur*. Hunc nodum ut solvant Interpretes, varii varia respondent. At ut omittam longas inquisitiones & expositiones quibus hunc textum nonnulli involvunt quatuor subjicio, ut, quam approbaverit Lector, ei adhæreat. Prima eorum est, qui Evangelistam ex Apocrypho quodam volumine Jeremiæ hoc desumpsisse testimonium censent: nam S. Hieronymus ostensum sibi ait a quodam Nazarenæ sectæ Hebræo librum, Jeremiæ titulum præferentem, in quo vaticinium hoc ad verbum fuerit descriptum; neque cuiquam absurdum & indignum videri debet ex Apocrypho volumine prolatum esse ab Evangelista Vaticinium, præsertim cum non sine Spiritus S. consilio hoc ipsum Evangelistam fecisse credendum sit. Idem quippe Apostolum Paulum fecisse verisimile est, dum II. ad Timoth. III. v. 8. ex Apocrypho quopiam de *Ianne* & *Mambre* exemplum adducit. Et rursus dum I. Cor. II. 9. ex Apocrypho Eliæ Pseudo dicta continente, hoc profert testimonium sicut scriptum est; *Quod oculus non vidit nec auris audivit.*

[a] *lib. 3. de consens. Evang. c. 7.*

Secundam expositionem, profert & confirmat Grotius, eamque approbat, & pene ad verbum exscribit Natalis Alexander, nempe Evangelistam Jeremiæ Oraculum non scripto, sed ore tenus traditum, historiæ suæ inseruisse: „ Pro certo enim haberi debet, inquit Grotius, multa apud Judæos „ Vatum veterum Oracula conservata fuisse, non scripto sed memoria; quanquam „ postea, qui a parentibus acceperant, ea „ privatim annotarunt..... Ita Ezechiel „ multa habet verbo tenus ex Jeremia desumpta, ut apparet collatis locis Jer. „ XXXI. 29. 30. Ezech. XVIII. 2. 3. 4 „ & alibi. Sic & in Apocalypsi Joannis „ multas πεμικοπὰς invenire est ex Ezechiele „ & Daniele. Et illud quod ex antiqua „ traditione, cujus Origenes meminit & „ post eum Hieronymus, ut Eliæ citavimus, „ ab Elia mutuatus est Esaias LXIV. 4. „ Imprimis autem Zacharias amat imitari „ locutiones Jeremiæ. Quis enim non videt „ quod apud eum est I. 4. sumptum ex Jerem. XVIII. 11. & XXXV. 15. quod „ est apud eum I. 6. ex Thren. Jer. II. 17. „ quod est III. 8. ex Jerem. XXIII. 5. „ atque alia ejusmodi. Quapropter dicere „ etiam solent Judæi spiritum Jeremiæ „ fuisse in Zacharia. Atque adeo Jeremiam „ eundem esse & Zachariam. Quare non „ video quid obstet quominus & dictum „ hoc de *triginta siclis* ab Jeremia primitus „ usurpatum hominumque memoria conser„ vatum, per Zachariam repeti Deus vo„ luerit; quod tamen hic a Matthæo cite„ tur primi auctoris nomine, quanquam in „ libris ab eo scriptis non extat... Quod „ autem quidam existimant ab audace libra„ rio adjectum nomen *Ieremiæ*, cum Mat„ thæus *Prophetam* nominasset, probare non „ possum, quia video jam ab Origenis tem„ poribus laboratum ut hic nodus solvere„ tur; qui labor supervacuus fuerat si quæ„ dam exemplaria caruissent nomine *Iere„ miæ*. Neque vero potuit unius exscripto„ ris error in omnia exemplaria manare: „ multo credibilius est a Syro id nomen „ omissum, quia constat in scriptis Jere„ miæ istud non reperiri. At agnoscit Arabs „ & Lat. & quidquid est Veterum. Di„ ctum autem hoc Jeremiæ, repetitum a „ Zacharia, in eorum est genere quæ pri„ mitus res illorum temporum significarent, „ ita tamen ut in Christi tempora etiam „ magis congruerent: quod Deus manifestum „ fecit singulari eventuum directione. *Hæc „ Grotius*.

Tertiam hujus textus conciliationem profert S. Augustinus loco supra laudato, quod secretiore consilio providentiæ Dei, qua mentes Evangelistarum sunt gubernatæ, actum esset, ut pro *Zacharia* Matthæus *Jeremiam* scriberet, quod sine illa dubitatione emendasset ab aliis admonitus, qui ipso adhuc in carne vivente hoc legere potuerunt, nisi cogitaret id Spiritu S. auctore a se scriptum fuisse, ut nempe exploratum haberemus omnes SS. Prophetas uno Spiritu locutos, mirabili inter se consensione constare, ut hoc multo amplius sit, quam si omnium omnia Prophetarum uno unius hominis ore dicerentur, & ideo indubitanter accipi debere quæcunque per eos Spiritus S. dixit, & singula esse omnium, & omnia singulorum.

Quartam ibidem profert, quod Vaticinium illud a S. Evangelista prolatum, partim ex Zacharia, partim ex Jeremia depromptum esse videatur; „ Est enim, *in„ quit*, apud Jeremiam, [b] quod emerit a„ grum a filio fratris sui, & dederit ei „ argentum, non quidem sub hoc nomine „ pretii quod positum est apud Zachariam, „ *triginta argenteis*; veruntamen *agri em„ ptio* non est apud Zachariam. Quod au„ tem Prophetam de *triginta argenteis* ad „ hoc interpretatus sit Evangelista, quod „ modo de Domino completum est, ut hoc „ esset pretium ejus, manifestum est: sed „ ad hoc pertinere etiam illud de *agro em„ pto* quod Jeremias dicit, hinc potuit mystice significari: ut non hic Zachariæ nomen poneretur qui dicit *triginta argen„ teis*, sed Jeremiæ qui dicit de *agro em„ pto*: ut lecto Evangelio, atque invento „ nomine Jeremiæ; lecto autem Jeremiæ, „ & non invento testimonio de *triginta ar„ genteis*, invento tamen de *agro empto*, „ admoneatur Lector utrumque conferre, „ & inde sensum enodare prophetiæ, quo„ modo pertineat ad hoc quod in Domino impletum est. Nam illud quod subjecit huic testimonio Matthæus cum ait,

[b] *Cap. XXXII. v. 9.*

„ *Quem*

„ *Quem appretiaverunt filii Iſrael, & de-*
„ *derunt eos in agrum figuli, ſicut conſtituit*
„ *mihi Dominus*: nec apud Zachariam, nec
„ apud Jeremiam reperitur. Unde magis
„ ex perſona ipſius Evangeliſtæ, accipien-
„ dum eſt, eleganter & myſtice inſertum,
„ quia hoc ex Domini revelatione cogno-
„ verat, ad hanc rem quæ de Chriſti pre-
„ tio facta eſt, hujuſmodi pertinere pro-
„ phetiam. Liber quippe *empti agri* apud
2 *Cap.* XXXII. *v.* 14. „ Jeremiam 2 jubetur mitti in vas fictile,
„ & emitur hic de pretio Domini *ager*
„ *figuli*, & hoc *ad ſepulturam peregrino-*
„ *rum*, tanquam ad perſuaſionem quietis
„ eorum qui in hoc ſæculo peregrinantes
„ conſepeliuntur Chriſto per baptiſmum.
„ Nam & illam emptionem agri hoc ſi-
„ gnificare Jeremiæ dicit Dominus, quia
„ erit permanſio de captivitate liberatorum
„ in illa terra. *Huc uſque S. Auguſt.*„

Quibus verbis indicat, inquit Janſenius, quod cum Zacharias de *pretio* mentionem faciat, nihil de *agro empto*, vel de eo, quod iſtud Dominus conſtituerit; Jeremias vero nihil de *pretio appretiati*, ſed de *agro empto*, & quod hoc eſſet *verbum*, ideſt, voluntas & conſtitutio Domini: Matthæus utramque prophetiam in unam conjunxerit, & uni attribuerit: eo modo, quo fecit & Marcus *cap. I. v.* 2. ubi tribuit Iſaiæ eadem arte contexendi Scripturas, prophetiam quandam Malachiæ, cui Iſaiam ſubjungit. Hoc autem eo magis fecit Matthæus, quod præmiſiſſet de *agro empto in ſepulturam peregrinorum*, ad quod multo magis ſpectat prophetia Jeremiæ quam Zachariæ: nam Jeremias propheta agrum illum emit ad ſignificandum, quod Judæi reverſuri eſſent e captivitate Babylonica, & habitaturi in agris Iſrael, quod ſublimius præfigurabat, Judæos in fine mundi reverſuros, velut peregrinos in Eccleſiam, tanquam agrum Chriſti occiſi pretio peregrinis comparatum. Vides igitur ex iis expoſitionibus, optime Jeremiæ vocem in ſacro textu poſſe conſiſtere, nec ab eo eſſe expungendam. (70)

§. IV.

Ex eodem Cap. verſ. 35.

UT *impleretur quod dictum eſt per Prophetam dicentem: Diviſerunt ſibi veſtimenta mea, & ſuper veſtem meam miſerunt ſortem*. Hanc ſententiam inſititiam eſſe plerique Interpretes contendunt, quibus ſubſcribit Natalis Alexander, quod plurima Evangelii Matthæi manuſcripta eam non habeant; quod ejus interpretationem prætermittant Veteres Scripturarum Commentatores, præſertim SS. Hieronymus & Hilarius; illiuſque non meminerit S. Auguſtinus Evangeliorum ſcripta inter ſe conferens: maxime vero quod in Codicibus Græcis & Syriacis non compareat. At eam lectionem eſſe germanam, hæc argumenta ſuadere videntur; Quod ſolis exceptis Complutenſibus exemplaribus Græcis, in aliis habeatur: Quod illam pariter ſententiam referant pleraque antiquiſſima MSS. præſertim perantiquum illud quod in bibliotheca hujus majoris noſtri Conventus extat. *Deinde* eam retinendam eſſe cenſuerunt non inferioris notæ Auctores, qui Bibliorum emendationi inſudarunt, maxime vero Latinæ Editionis ſub Pontificibus Sixto V. & Clemente VIII. *Accedit* quod eam pariter in textu proponat & in commentariis interpretetur S. Hieronymus. (71)

(70) Nomen Jeremiæ in hoc Evangelii textu antiquiſſima exhibent Manuſcripta Colbert. Corbejenſ. 2. SanGerman. Claromon. Cantabrigenſe, nec aliter habent, Græca ut Sabatierus in notis ad hunc S. Matthæi locum adfirmat, & *Jeremiam* legimus in Codice Biblico S. Hieronymi, eiuſque Commentariis; quamvis ibidem oraculum iſtud potius cum Zachariæ vaticiniis ſpeciem quamdam ſimilitudinis præſeferre fateatur. Si pariter Theophilactum audiamus, *Jeremiam* eſſe in Sacro textu legendum inveniemus; & unicam, ſi cum eo interſeramus copulam & inter *Jeremiam*, & *Prophetam*, adeo ut lectio inſtituatur = Tunc impletum eſt, quod dictum eſt per Jeremiam, & Prophetam (Zachariam) dicentem &c. = Statim oraculum a S. Matthæo prolatum a duplici Prophetis fuiſſe enunciatum inveniemus, ab Jeremia ſcilicet, Quod pertinet ad *emptionem agri*; a Zacharia vero, quod eſt *de triginta argenteis*. Verum unius Auguſtini defenſionem pro Vulgata noſtra ſuſcipiamus. S. itaque Doctor Lib. 3. *de Conſenſu Evangel.* Capite 7. poſtquam oſtendit fidei Evangeliſtæ *Jeremiam* ſcribentis derogari non poſſe in primis, quod non omnes codices eum Prophetam nominatim retineant, ſtatim ſubjungit „ Sed utatur
„ iſta defenſione, cui placet, mihi autem cur non
„ placeat hæc cauſa eſt, quia, & plures codices
„ habent *Jeremiæ* nomen, & qui diligentius in
„ Græcis exemplaribus Evangelium conſiderave-
„ runt, in antiquioribus Græcis, ita ſe perhibent
„ inveniſſe & nulla fuit cauſa cur adderetur hoc
„ nomen, ut mendoſitas fieret. Cur autem de
„ nonnullis Codicibus tolleretur, fuit utique cauſa,
„ ut hoc audax imperitia faceret, cum turbaretur
„ quæſtione, quod hoc teſtimonium apud Jere-
„ miam non inveniretur. Quid ergo intelligendum
„ eſt, niſi hoc actum eſſe ſecretiore conſilio pro-
„ videntiæ Dei, qua mentes Evangeliſtarum ſunt
„ gubernatæ? potuit enim fieri, ut animo Mat-
„ thæi Evangelium conſcribentis pro Zaccharia Je-
„ remias occurrerit, ut fieri ſolet: quod tamen ſine
„ ulla dubitatione emendaret, ſaltem ab aliis ad-
„ monitus, qui, ipſo adhuc in carne vivente,
„ hoc legere potuerunt, niſi cogitaret recorda-
„ tioni ſuæ, quæ S. Spiritu regebatur, non fru-
„ ſtra occurriſſe aliud, pro alio nomen Prophetæ,
„ niſi quia ita dominus hoc ſcribi conſtituit„
Aliquantulo hæc eſt Auguſtini prolixior auctoritas, ſed Vulgatæ noſtræ lectionem mirifice fulcit. (W)

(71) De verſiculo 35 Capitis 27. S. Matthæi maxima inter Catholicos etiam Auctores extitit controverſia, eum huic Evangeliſtæ aſſutum opinantibus plurimis; aliis vero ut genuinum Sancti Matthæi fœtum admittentibus, cum quibus Fraſſenius noſter; cujus argumentis adjungi poteſt, verſum hunc in MSS. Sangerman. 2. Claromont; & Cantabrig. reperiri, teſte Sabatiero; in pluribus

Quod vero ad S. Hilarium ſpectat, nihil mirum quod eam ſententiam prætermiſerit, ſiquidem obiter duntaxat myſticum horum verborum ſenſum: *Diviſerunt veſtimenta ejus, ſortem mittentes, &c.* explorat. Ad S. autem Auguſtinum quod attinet, cum ipſe in eo opere tantum incumbat conciliare in ſpeciem pugnantes Evangeliorum textus, ſuperfluum erat hunc commemorare in quo nulla apparet cum aliis oppoſitio; tametſi enim unus Evangeliſtarum quædam regerat, quorum alter non meminerit, non minus inter ſe cenſendos eſſe concordes docet ibid. S. Auguſtinus [a] ſcribit enim: *Jam quoniam omnium quatuor narratio in eo verſatur loco, in quo neceſſe eſt eos uſque in finem pariter ambulare, nec multum digredi ab invicem, ſicuti forte alius aliud commemorat, quod alius prætermittit; videtur mihi expeditius nos demonſtrare poſſe omnium Evangeliſtarum convenientiam, ſi ab hoc jam loco omnium omnia contexamus, & in unam narrationem faciemque digeramus.* Et infra, [b] poſtquam diſſeruit de veſtium Chriſti Domini ſciſſura & diviſione, ſic proſequitur: *Joannes autem diſtinctius hoc explicat quemadmodum geſtum ſit, Milites ergo, inquit, cum crucifixiſſent eum, acceperunt veſtimenta ejus, & fecerunt quatuor partes, unicuique militi partem & tunicam; Erat autem tunica inconſutilis deſuper contexta per totum. Dixerunt ergo ad invicem: Non ſcindamus eam, ſed ſortiamur de illâ cujus ſit, ut Scriptura impleretur dicens: Partiti ſunt veſtimenta mea ſibi, & in veſtem meam miſerunt ſortem.* Ubi vides, illum præfata verba tanquam Evangelica legere.

[a] *lib. 3. cap. 1.*

[b] *cap. 12.*

§. V.

Ex S. Marci *capite III. verſ.* 17.

ET *impoſuit eis nomina Boanerges, id eſt filii tonitrui.* Lectio mendoſa eſt, ait Natalis Alexander, Lucam Brugenſem ſecutus, legendumque putat *Benereem* ex S. Hieronymo Commentar. in Daniel. I. dicente, *Filii Zebedæi, appellati ſunt filii tonitrui, quod non ut plerique putant,* Boanerges, *ſed emendatius legitur* Benereem. Et in lib. de nominibus Hebraicis: Benereem, *filii tonitrui: quod corrupte* Boanerges *obtinuit.* Idem Iſaiæ LXII. *Filii quoque Zebedæi, quorum unus vocem tonitrui emittere poterat,* In principio erat Verbum, *&c. appellati ſunt Benereem, quod interpretatur filius tonitrui.* At etiamſi Latina Lectio Hebræo textui hodierno non concordet, (Hebraice enim legendum eſſet, non *Benereem*, ut vult S. Hieronymus, ſed vel *bane*, ut legebant antiquitus, vel ut jam legitur, *bene rabbam*; eſt enim hæc vox compoſita ex his duabus, בנ *bene*, i. e. *filii*: quæ eſt in ſtatu regiminis, & cujus plurale abſolutum eſt בנים *banim*, a ſingulari בן, id eſt, *filius, diſcipulus, parvulus*: coaleſcit pariter ex voce רם *rabbam*. i. e. *tonitru*, a רם *rabbam*, i. e. *tonare, fremere, iraſci.*) Attamen quoniam ב ab Hebræis ut ג ſeu *g*, a Græcis & Latinis proferri ſolet, & abjecta ultima litera ν, more Græco ε ſubſtitui, ut plurimis exemplis confirmant Eraſmus & Druſius; idcirco Syri, quibus a tempore Alexandri frequens cum Græcis fuerat conſuetudo, loco *bene rabbam*, legunt בנרגש *bene regeſch*. Porro Chriſtus Dominus more illius ævi, non Hebraice pure, ſed Syriace locutus eſt. Ut conſtat ex voce *Haceldama*, i. e. *ager ſanguinis*, quæ vox cum Hebræo hodierno nulla ratione concordat; ſiquidem in eo non reperitur vox *Hacel*, quæ *agrum* ſignificet. Quamobrem veriſimile videtur eum ut duos Zebedæi filios appellaret *filios tonitrui*, dixiſſe Syriace *bene regeſch*: quam vocem per elipſim detrita una litera (*e*) & mutato priori (*e*) in (*a*) juxta unam e Syriæ dialectis, Evangeliſta ſcripſerit *Banerges*. Cum vero apud Græcos (*a*) facile migret in (*o*) & loco *Banerges*, aliqui, ut Origenes, [c] legerent *Boanerges*; alii, ut Anſelmus, *Bonoarges*; Vulgatus noſter Interpres juxta antiquiores & fideliores Codices, legit Βοανηργές, Latine *Boanerges*. Quam vocem cum retineant ſelectiſſimi & vetuſtiſſimi Codices Græci, nihil a Vulgato Interprete Latino peccatum eſt, quod eam exſcripſerit. (72)

[c] *Homil. 1. in Geneſ.*

§. VI.

bus tamen deeſſe notat Vallarſius, quinimmo totam illam pericopen in nullo ex ſuis Codicibus adinveniri pronunciat. Id tamen ſolummodo noſtra intereſſe arbitramur, Verſiculum in quæſtione divinæ eſſe auctoritatis oſtendere; quod ex Cap. 19. S. Joannis ℣. 24. aperte convincitur. Cum autem S. Matthæus præ cæteris Evangeliſtis prophetias in Chriſto adimpletas indicare curaverit, non immerito videntur exiſtimare nonnulli hunc verſum eſſe Sancti Matthæi quamvis a pluribus exemplaribus exciderit. (W)

(72) Invehit in hunc S. Marci locum contra Vulgatæ noſtræ emendatores Eraſmus ſcribens = Eſto ex Syro vel Chaldaico deflexa ſit hæc vox, hac lingua tamen Chriſtus videtur fuiſſe locutus, quæ tum communi populo fuit quam maxime familiaris. Quod ſi Evangeliſta corrupit, non temere corrupit, neque nobis pro corrupto debet haberi, quod ſcripſit Evangeliſta a Chriſto prolatum, quodque Græce nobis dignatus eſt interpretari = S. autem Hieronymus ſolum ex Hebraica locutione corruptum eſſe nomen iſtud *Boanerges* aſſeverat, non autem quomodo ſcripſerit Evangeliſta teſtatur. Græca ferme omnia *Boanerges* præferunt, ita pariter MS. Cantabrig, SanGerman. 2. Corb. ambo S. Gab. S. Martini Turon; & in ipſo Codice Biblico S. Hieronymi *Boanerges* ſcriptum eſt. (W)

§. VI.

Ex S. Lucæ *cap. II. verſ.* 2.

HÆc *deſcriptio prima facta eſt a Præſide Syriæ Cyrino*. Hic in textum S. Lucæ errorem irrepſiſſe cenſent aliqui, & pro *Cyrini*, ſeu *Quirini*, reſtituendum eſſe nomen *Sentii Saturnini* tunc temporis Syriæ Præſidis, ut conſtat, inquiunt, cum ex Joſepho, [a] tum ex Tertulliano [b] cujus verba ſunt: *Sed & cenſus conſtat actos ſub Auguſto nunc in Judæam per Sentium Saturninum*. Non potuit autem, inquit Grotius, falli ea in re Tertullianus, cum ſolerent cenſus in tabulas referri, eæque tabulæ primum publice proponi, deinde ſervari in archivis, ubi inſpectandi erat copia. Unde ipſe Tertullianus tabularum hujus cenſus ſæpe meminit; addit enim alibi: *De cenſu denique Auguſti, quem teſtem fideliſſimum Dominicæ nativitatis Romana archivia cuſtodiunt*. Rurſum: *Ut nemo facile ignorare de genere potuiſſet, vel de recentibus Auguſtianis cenſibus tunc adhuc forte pendentibus*. Ubi illud *pendentibus* ad morem Romanum refert Acta publice ponendi, quomodo *Leges pendere fixas clavis ferreis* dixit Plautus. *Ita Grotius*. Hanc difficultatem ut elevent ſacri Interpretes, varia reſpondent; At præ cæteris placet ſententia eorum qui ſtatuunt duplicem a Cyrino ſeu Quirino factam fuiſſe deſcriptionem, & eum ad cenſus agendos in Syriam bis delegatum: primum quidem circa ortum Chriſti; deinde vero decem circiter poſt annis cum relegatus fuiſſet Archelaus. Hanc inquiunt, Joſephus commemorat loco ſupra laudato illam vero S. Lucas. Porro nihil mirum quod Joſephus illam prætermiſerit, quia cum tributorum exactio nondum acceſſiſſet, nihil in ea memorabile evenerat ex parte Judæorum, quorum hiſtoriam texendam Joſephus ſuſceperat. At vero poſterioris indictionis merito meminit, quia tum primum orta eſt ſeditio duce Juda Gaulonita, eorum qui negabant Alienigenis tributum poſſe ſalva religione perſolvi. Quamobrem S. Lucas ſignanter dixit. *Hæc deſcriptio prima*, ut non accipias ſimpliciter primam, ſed primam ſub illo indictam: ſecunda enim deſcriptio ut mox dictum eſt, facta eſt poſt decem annos cum Cyrinus miſſus eſt in Syriam ad illam peragendam: & ad bona Archelai, jam ab Auguſto damnati & in exilium pulſi, in fiſcum adſcribenda.

[a] *lib. 17. cir. fin.*

[b] *lib. 4. adverſ. Marcion. cap. 19.*

At, inquies, ſub ortum Chriſti Domini Cyrinus ſeu Quirinus non erat Syriæ Præſes, ſed Sentius Saturninus qui, teſte Joſepho, habuit ſucceſſorem Quintilium Varum. Itaque hæc interpretatio difficultatem non elevat. *Reſpondeo* quod etſi Cyrinus non fuerit Præſes ordinarius, potuit tamen eſſe extraordinarius per delegatam ſibi ad cenſum illum faciendum ab Imperatore Auguſto poteſtatem. Quamobrem loco vocis *Præſidis*, Græce legimus ἡγεμονεύοντος, i. e. *imperante*, ſcilicet per præfecturam extraordinariam.

Confirmari poſſunt iſta ex Tacito [c] narrante Quirinium mox a Conſulatu in Ciliciam miſſum expugnandis Homonadenſium caſtellis, quibus devictis, veriſimile eſt Quirinii virtutem nova honoris acceſſione auctam fuiſſe, & ei attributam Syriæ provinciæ non admodum remotæ a Cilicia præfecturam ab Agrippæ morte vacantem: talia enim & a Legatis Imperatorum, non tantum a Præſidibus provinciarum ſæpe geſta, ut ſimul plurium provinciarum præfecturam obtinerent.

[c] *lib. 3. Annal.*

At, inquies; alienum erat a conſuetudine Romanorum delegare Præfectos iterum in eaſdem provincias quas adminiſtrarant. *Reſpondeo* contrarium aperte colligi ex ipſiſmet Romanorum geſtis, nam Craſſum & Agrippam in Orientem, Tiberium in Pannonias; in Germaniam & Galliam multos ſæpius cum imperio miſſos, ſive eodem, ſive diverſo, ex hiſtoria Romana liquet. Tantum abeſt vero ut id abſurdum videri debeat; quin imo nihil ad politicam prudentiam magis conferebat, quam ejuſmodi homines, dummodo de illorum fide & probitate conſtaret, ad gravia negotia experienda in provincias remotas ablegari, quarum genium jam optime perſpectum & exploratum habebant.

Inſtabis iterum, non fuiſſe in more poſitum apud Romanos, viros Conſularis ordinis, qualis erat Quirinius, ad provinciarum præfecturam delegare. *Reſpondeo* iſtud ex Romanorum hiſtoria aperte redargui, ex ea namque conſtat Legatos primariæ dignitatis in provincias ſibi obnoxias fuiſſe miſſos cum certa poteſtate, qui cenſum agerent per provincias; ſic Druſus in Galliam miſſus eſt ab Auguſto, Germanicus a Tiberio, &c. ex Suetonio & Lapide Ancyrano compertum eſt. Non abſurdum itaque videtur Quirinium ab Auguſto ad idem munus; ut virum Conſularem & magni nominis, delegatum fuiſſe in Syriam potiuſquam alibi tum ob res non ita pridem præclare geſtas in Ciliciæ provincia non admodum remota.

Adiicies tandem præter morem Romanorum fuiſſe duos ſimul in eadem provincia habere præfectos. *Reſpondeo* id etiam ex hiſtoria Romana aperte falſum conſtare; nam, ut appoſite obſervat Baronius, [d] ſimul fuere in Syria Saturninus, Pedanius & Volumnius, [e] Joſepho auctore, cum diſpari tamen poteſtate, Saturninus, ut Præſes ordinarius, Pedanius ut Legatus Cæſaris, Volumnius ut Procurator.

[d] §. 88.

[e] *lib. 1. περὶ ἁλώσ. cap. 17.*

His ita explicatis, præſentis controverſiæ nodus ſolvi poteſt dicendo cum Keplero Quirinium bis præfuiſſe Syriæ, primo circa annum Julianum XXXVI. poſt Titum, in qua præfectura cœpta ἀπογραφὴ

Oecumenica, de qua S. Lucas, ob tria bella intra paucos annos feliciter confecta, Pannonicum a Tiberio, Germanicum a Druſo, & Thracicum a Piſone. Hæ victoriæ intra paucos annos a Romanis partæ, occaſionem dedere Senatuſconſulto de Jano Gemino claudendo; & Auguſto meditandi breviarium totius imperii, in quo opes publicæ continerentur, quantum civium ſociorumque in armis, quot claſſes, regna, provinciæ, tributa, aut victigalia, neceſſitates, largitiones, &c. Potuit itaque Quirinus, vel illo ipſo anno XXXVI. Juliano, vel ſequenti XXXVII. reſcriptum accepiſſe ab Auguſto deſcribendi provinciam, cui præerat, adeoque occaſionem dediſſe, promulgatis mandatis publicis, profectioni Joſephi & B. Virginis. Differri etiam potuit ἀπογραφὴ illa, ob novos motus Dacorum, Celtarum, Dalmatarum, Sicambrorum, & aliorum id genus populorum, exaſperatorum variis exactionibus, quorum excurſionibus fatigatus Druſus, & vexati Romani. Unde forte inſtitutum Oecumenicæ illius ἀπογραφὴς interruptum & dilatum, ne & aliæ provinciæ nova ſervitutis profeſſione efferatæ, reliquarum exemplo, diſtractis jam alibi Romanorum viribus, in Rempublicam inſurgerent. Qua cauſa ſublata, & domitis illis gentibus, urgeri potuit ἀπογραφὴ illa circa ultima Herodis tempora per Saturninum, tum alibi, tum ex Judæa, de qua Lucas. Sic erudite & commode rem explicat Kepplerus.

Poſſet etiam dici, deſcriptionem illam abſolutam quidem ac terminatam fuiſſe ſub Quirino Præſide poſt exilium Archelai, diu tamen antea cœptam eſſe ſub finem Herodis, quo tempore natus eſt Chriſtus. Hac ratione omnis inter Lucam ac Joſephum diſſenſio tollitur. Nam Evangeliſta deſcriptionem illam, quæ ſub ortum Chriſti, ſuperſtite adhuc Herode fieri cœpta eſt, vocat deſcriptionem Præſidis Quirinii, eo quod ſub Quirinio tandem terminata eſt. Hæc quidem, ait Henricus Valeſius, [a] commodiſſima eſt interpretatio loci illius ex Evangelio Lucæ; quippe quæ unam duntaxat deſcriptionem factam fuiſſe ſupponit. Tametſi vero hæ interpretationes non ſint demonſtrativæ, ſunt tamen probabiles & ſufficiunt ut Vulgatus Interpres ab errore vindicetur, (73)

[a] *Annot. in c. 5. lib. 1. hiſt. Euſeb.*

§. VII.

Ex S. Joannis *cap. I, verſ.* 28.

Hæc *in Bethania facta ſunt trans Jordanem.* Hic omnes pene Heterodoxi, quibus nonnulli Catholici Interpretes conſentiunt, exiſtimant ſcribendum eſſe *Bethabara*, qui locus revera erat trans Jordanem, ita dictus, ut putant, a tranſitu Iſraelitarum. Nam בית *beth*, ſignificat *Domum* עברה *hhabara*, ſignificationem habet *tranſitus*, a verbo עבר HHABAR, *tranſeo:* ita quod *Bethabara* idem ſit ac *domus* vel *locus trajectus*, quod videlicet per eam Jordanis partem Iſraeliticus populus trajecerat, ut colligitur ex libro Judic. cap. VII. 24. vel ex eo quod cymba eo in loco traiicerent flumen: *Bethania* vero non erat trans, ſed cis Jordanem, & prope Jeroſolymam ſtadiis fere quindecim, ut apparet infra cap. XI. v. 18. ac ſubinde, inquiunt, non potuit hic eſſe locus ubi Joannes baptizabat in Jordane, nam Jordanis aberat Jeroſolyma Orientem verſus itinere unius diei: Videtur etiam, inquit Grotius, & ex eo Natalis Alexander, aliqua ſubeſſe μυστικὰ ſeu myſtica ſignificatio, loco *Bethabara*: nam ubi Dei populus ex deſerto veniens, in terram promiſſam trajecit, ibidem editum eſt Joannis teſtimonium, quaſi trajectum faciens ex Lege in Regnum cæleſte. Mirari autem non debemus in multis Latinis Codicibus, pro *Bethabara* ſcriptum *Bethania*, cum inquiunt, frequens ſit ut nomen minus notum in notius a Librariis mutetur, ut videre eſt in Latina Verſione I. Samuel VI. 6. Cant. II. 17. & VI. 12. & VIII. 1. Unde Origenes S. Chryſoſtomus, Theophylactus, & Hieronymus, [b] pro *Bethania*, hic legunt *Bethabara*. S. autem Epiphanius [c] legit *Bethamara*: Quod fieri potuit, inquit Druſius, partim ex affinitate characterum, quæ tanta eſt in antiqua ſcriptura, *ut vix diſcerni poſſit* μῦ *a* βῆτα, & contra; partim quod alternatio *mem* & *beth*, in iſtis regionibus fuerit uſitatiſſima. Itaque, ajunt, hæc vox in Vulgato Interprete Latino videtur eſſe reſtituenda.

[b] *in locis Hebraicis.*

[c] *Hæreſ. 51.*

Verum cum vocem *Bethania* omnia exemplaria Latina, & plurima Græca etiam Vaticana, habeant, eamque retineant Editio Syriaca & Arabica, ac illam interpretentur Venerabilis Beda, Alcuinus, Lyranus & illuſtrioris nominis recentes Interpretes, veriſimilius dicendum arbitror duas fuiſſe Bethanias, alteram cis Jordanem & prope Jeroſolymam ubi erat Domus Lazari; quam nonnulli volunt Hebraice ſcriptam per עין נון בית *Beth-oni*. Alteram vero trans Jordanem quæ etiam *Bethabara* dicta eſt, de qua vide Lightfoot: hæc autem ſcribitur Sy-

(73) Cum variis poſſit in hypotheſibus nodus reſolvi, atque error a Vulgati lectione eliminari, quamvis Cyrini nomen in ℣. 2. Capitis 2. S. Lucæ retineamus, vale non dicendum videtur lectioni huic, quæ in tot vetuſtis continetur manuſcriptis Codicibus Corbejenſ. S. Gab. S. German. Cantabrig. in Græcis, & Syriacis, eamdemque retinuere S. Ambroſius Lib. 2. in Lucam, Auguſtinus Lib. 2. de conſenſu Evangeliſtarum, Presbyter Juvencus Lib. I. p. 56. Hieronymus Homil. XI. in Lucam, & tandem in ſuo ipſo codice Biblico, ſeu in novo Teſtamento a ſemetipſo correcto, & priſtinæ fidei reſtituto. (W)

Syriace per א & ן in fine, ut sit בית אניא *Bethonia*, i. e. *domus navis*; quia, inquiunt, cymba eo in loco traiiciebatur flumen. Quamobrem existimant eum locum, uti ad prædicandum & conferendum pœnitentiæ baptismum convenientiorem, præ cæteris selegisse S. Joannem, quod ibi numerosissima ad traiiciendum convenire soleret turba. At tametsi hujus conjecturæ fides sit penes Auctores, nihilominus propter prælibata momenta, Vulgatæ Editionis Latinæ lectio retineri potest. (74)

§. VIII.

Ex Cap. XXI. vers. 22.

SIc *eum volo manere donec veniam. Quid ad te.* Hic omnes Protestantes Evangeliorum Commentatores, quibus, cum nonnullis Interpretibus Catholicis, hac in parte consentiunt Lucas Brugensis & Natalis Alexander, existimant in Editione Vulgata Latina irrepsisse errorem, & pro adverbio *sic*, restituendam particulam *si*. Qui error, ait Erasmus, contigit, non Interpretis vitio, sed Librarii; siquidem apud Latinos facilis & proclivis prolapsus est a *si* in *sic* ob vocum affinitatem. Cæterum apud Græcos nihil simile est inter ἐὰν quod est *si*, & οὕτως quod est *sic*, ut hac occasione lapsus videri possit Interpres. Igitur hic error nihil minus quam ipsius est, sed alicujus qui vel in scribendo indiligenter, vel emendando temerarie, unam literam (*c*) adjecit, pro *si* faciens *sic*. In cujus rei confirmationem proferri possunt non solum vetustissima Evangeliorum Græca exemplaria; verum etiam Interpretes Cyrillus, Chrysostomus, Theophylactus, quin etiam S. Hieronymus [a] citat hunc locum juxta Græcam veritatem. Zegerus vero neutram Lectionem approbat, suspicaturque Evangelistam scripsisse ἐὰν οὕτως αὐτὸν θέλω μένειν, & Interpretem vertisse, *si sic eum volo manere*; sed utrumque postea Librariorum errore aut temeritate mutilatum. Probabile enim est, inquit, quod tum Latinus Scriba semidoctus; dum utrumque legeret *si* & *sic*, alterum putans superesse, quod rectius judicabat, descripserit, altero prætermisso tum etiam Scriba semigræcus, dum binas voces offenderet minimum dissimiles, præsertim si ita scribantur, ουτ', αὐτὸν, priorem similiter reliquerit quasi superfluam. Atque hoc pacto verisimillimum est natam esse inter Græcos & Latinos dissonantiam. *Hæc ille.*

Verum Vulgati Interpretis lectionem approbant & Commentariis suis illustrant S. Augustinus, Rupertus, S Thomas, Lyranus & nobilioris nominis Interpretes Catholici, quam etiam multis argumentis statuere conatur Georgius Tapezuntius, licet Græcus, libro ad summum Pontificem hac de re edito. Quamobrem Latinæ Editionis Correctores eam esse retinendam merito censuerunt; huic enim lectioni favent, non solum omnes pene Codices veteres Latini, sed etiam per illam Christus Dominus plenius satisfacere videtur interrogationi Petri, qui cum audisset Christum Dominum ipsi mortis genus prænuntiare in hæc verba, *Cum senueris extendes manus tuas & alius te cinget:* videns condiscipulum Joannem quem præ cæteris diligebat & noverat præ aliis a divino suo Magistro dilectum, rogavit quid de eo esset futurum, an videlicet simili modo Christum secuturus esset sicut ipse, & in cruce moriturus: quam curiositatem ut retunderet Christus Dominus reposuit dicens: *sic eum volo manere, donec veniam, Quid ad te*, hoc est, si bene conjicio, tibi non debet esse curæ, qualis sit illius sors futura; volo enim ut ipse *sic*, videlicet in vita præsenti, permaneat, *donec veniam*, nempe ad sumendam vindictam de incredulis & persequentibus me Judæis; quo sensu dixerat Matth. XVI. 28. *Sunt quidam de hic stantibus qui non gustabunt mortem donec videant filium hominis venientem in regno suo.* Quod [b] nequaquam intelligi potest de adventu ejus in ultimo judicio; Nam & non erit de astantibus vel unus eo usque victurus: nec de Resur-

[a] *lib. 1. adversus Jovinian.*

[b] *In locis Hebr. ad hunc locum.*

(74) Facillime conciliari videtur, quæ diu inter Criticos sacros de *Bethania* nomine controversia exagitata est, si eam Civitatem binominem fuisse dicamus, adeo ut, & *Bethania* diceretur, & *Bethabara*; sed Evangelistarum ætate communius fortassis in populo *Bethania* nomen circumferebatur, ea de causa, ne æquivocatio posset oriri, cum altera esset Bethania cis Jordanem, prope Jerusalem S. Joannes eo usus est adjuncto *trans Jordanem*, ut Zegerus animadvertit. Alii fortassis transcriptores altera via æquivocationem de duabus istis *Bethaniis* cavere satagerunt, adhibentes alterum nomen illius Civitatis, *Bethabara* nempe, quo etiam revera appellabatur. Cæterum *Bethania* nomen, seu lectionem tempore Origenis fuisse communem, & in omnibus ferme codicibus servatam testatur Calmetus, quam profecto optimæ editiones Græcæ eamdem custodiunt, sicuti & in codice S. Hieronymi, in Auctore Quæstionum ex utroque testam. Quæst. 107. adhuc habetur.

Alteram Casaubonus viam terit ad veterem lectionem retinendam, ait itaque „ per voculam „ illam *trans* non esse antiquam lectionem reiiciendam: nam vox περαν ex Hebræorum idiotismo, non semper ulteriorem ripam, sed simpliciter τὸν παραποταμίαν denotare potest; hoc „ est immorationem apud fluvium, vel incessionem ad latus fluvii) nam ita illi suum עבר *abar* „ usurpant, cujus rei manifestissimum est exemplum Matthæi 4. 15. Ergo hic quoque & infra 10. 40. περαν τῦ Ἰορδάνου commode fortassis „ possumus interpretari *secundum Jordanem*. Et „ sane prædicavit Joannes in eremo Judææ, sic „ proprie dictæ, cujus fines ultra Jordanem non „ pertinebat, nam in eo tractu patrem Zachariam habitasse recte viri docti adnotant ad Lucam 1. 40. ideo etiam dicuntur, qui ad Joannem veniebant, venisse ἐπὶ τὸν Ἰορδάνην nusquam „ facta trajecti ab iis mentione. „ Hæc Casaubonus, cujus opinione lectio antiqua Vulgatæ nostræ confirmatur, quidquid interim sit de illius opinionis veritate. (W)

Reſurrectione & Aſcenſione ejus, ut volunt quidam, nam fere omnes ibi tum aſtantes ad illud temporis pervenerunt: ſed de adventu ejus ad vindictam ſumendam de inimicis iſtis ſuis, qui noluerunt eum ipſis dominari, ut Lucæ XIX. 12. 27. Porro hoc ut prænuntiatum fuerat accidit; nam Petrus obiit ante Judæorum excidium & Chriſti vindicis ad eorum internecionem adventum: Joannes vero eo poſterior & ſuperſtes fuit.

Poſſet etiam adjici cum Zegero hunc eſſe verborum Chriſti Domini ſenſum: Nolo eum extingui tecum morte violenta, quemadmodum tu, Petre, ad exemplum mei, crucis es ſupplicio interimendus; ſed *ſuperſtitem eſſe* poſt tuum diſceſſum, donec veniam ipſius animam abſque martyrio ſuſcepturus. Item, *Volo eum manere* a te ſejunctum in Galilæa, Aſia & aliis regionibus, *donec veniam* illum ubi mihi viſum fuerit, ſimiliter probaturus per Domitianum & alios, & tandem quando & quo libuerit modo ad me accepturus. Ut ut ſit, certum eſt Chriſtum Dominum plenius ſolviſſe inquiſitionem Petri per lectionem Vulgati Interpretis, & adverbium *ſic*, quam per particulam *ſi*.

At, inquies, vox Græca ἐὰν Latine *ſi*, conditionalis eſt, ſubindeque jungi debuit cum ſubjunctivo modo verbi, non autem cum indicativo. *Reſpondeo* eam vocem interdum eſſe aſſertivam, &, teſte Trapezuntio Græco, plerumque conſtrui cum indicativo, ut efficiat ſenſum, non ſuſpenſivum, ſed aſſertivum: porro noſter Interpres in exemplari quo uſus eſt, particulam illam cum modo indicativo conjunctam haudubie reperit, non enim vertit *velim* aut *vellem*, ſed *volo*, ut hunc ſenſum efficeret: *ſic eum volo manere*; i. e. vere volo eum manere donec veniam. Neque etiam hic loquendi modus Latinis eſt inſolitus; nam, ut obſervat Gerardus Joannes Voſſius, [b] particulæ *ſi*, *ſin*, *ſiquidem*, *ni*, *niſi*, nunc indicativo junguntur, nunc ſubjunctivo; quin etiam dum *ſi* ſubjunctivo modo jungitur, interdum ſenſum non dubium aut conditionalem, ſed affirmativum reddit, ut idem ſit quod *vere*, *certe*. Quamobrem perinde eſt quod hic legatur *ſic* vel *ſi*, cum ex utraque idem ſenſus poſſit elici. Igitur a Vulgato Latino Interprete expungenda non eſt vox *ſic*. (75)

[b] *lib. de conſtruct. cap. 67. pag. 265.*

§. IX.

Ex ACTORUM, *cap.* VII. *verſ.* 15. & 16.

ET *deſcendit Iacob in Ægyptum, & defunctus eſt ipſe & patres noſtri: & translati ſunt in Sichem & poſiti ſunt in ſepulchro, quod emit Abraham pretio argenti a filiis Hemor, filii Sichem.* In his verbis duplicem antilogiam deprehendere ſe putant Vulgati Interpretis Latini Accuſatores; *primam* quod ſcripſerit, Judæorum patres ſeu Patriarchas translatos fuiſſe in Sichem; nam Abraham, Iſaac & Jacob ſepultos fuiſſe in Hebron, legitur Geneſ. XXV. 9. & L. 13. *Verum* hic nodus facile diſſolvitur; hic enim nomine *Patrum*, S. Stephanus intelligit, non Abraham, Iſaac & Jacob, quos revera conſtat in Hebron eſſe ſepultos, ſed duodecim Jacobi filios, totidem Tribuum capita, & Principes, qui cum in Ægypto obierint, primum translati ſunt in Sichem, inde vero in Hebron, uti diſerte docet Joſephus. [a] Nec id negat S. Hieronymus in Epitaphio S. Paulæ. Ibi enim tantum dicit, duodecim Patriarcharum ſepulchra adhuc ſua ætate oſtendi ſolita in Sichem: quia enim ibi primo ſepulti ſunt, hinc ſepulchra eorum ibidem manſerunt, & religioſe a poſteris aſſervata & frequentata ſunt, eſto ipſi deinde ex Sichem in Hebron translati ſunt, uti aſſerere videtur hic S. Stephanus.

[a] *lib. 2. Antiq. cap. 4.*

Alteram antilogiam ineſſe putant in his verbis: *quod emit Abraham pretio argenti a filiis Hemor, filiis Sichem.* Neque enim, inquiunt, Abraham agrum in Saræ ſepulturam emit a filiis Hemor, ſed ab Ephrone filio Seor, uti legimus *Geneſ. XXIII.* Hunc nodum ut ſolvant Interpretes, varias ſubjiciunt reſponſiones. *Primo* namque ſunt, ut Beda, Rabanus & Melchior Canus, quibus ex parte conſenſit Natalis Alexander, qui aſſerunt S. Stephanum totum alteri rei, nempe cauſæ ſuæ de Chriſto Meſſia intentum, hic lapſum eſſe memoria, & confudiſſe duas emptiones; ac in unam miſcuiſſe, ſcilicet eam quam fecit Abrahamus, cum illa quæ a Patriarcha Jacobo facta memoratur. S. vero Lucam in Protomartyris verbis nihil prorſus immutare voluiſſe, nec ejus memoriæ lapſum emendare. *Verum*, quis credat S. Stephanum plenum fide & Spiritu S. cuius ore divinus Spiritus oracula fundebant, in craſſam illam hallucinationem lapſum, præſertim coram illis eruditis Pontificibus, Scribis & Doctoribus Legis apud quos concionabatur, & Chriſti Meſſiæ, atque exorientis Chriſtianæ Religionis cauſam tractabat.

Se-

(75) Non ſolum S. Auguſtinus, Rupertus, aliique ab Auctore noſtro laudati particulam *ſic* retinuerunt in ſuis codicibus Bibliorum, ſed eamdem pariter conſtanter legit S. Ambroſius, ut patet ex ejus Lib. 7. in Lucam, & in Pſ. 45. & 118. S. autem Hieronymus Lib. 1. contra Jovinianum legebat: *Quid ad te ſi eum volo ſic eſſe*; quo ſiquidem modo Codex Cantabrig. pariter legit, mutata ſolummodo voce *eſſe* in *manere*, quod & in Codice Corbejen. factum teſtis eſt Sabatierus. Eodem modo, quo Hieronymus contra Jovinianum, præſeferunt omnia Vallarſii Manuſcr. ut ipſemet in nota ad eum S. Hieronymi locum adfirmat. Quamvis autem Græca veritas ἐὰν præſeferat, eidemque non parum ſit deferendum, majori tamen cum veneratione ſuſcipimus, quod a Catholica Eccleſia proponitur. (W)

Secundo, plurimi censent nomen *Abrahæ* hic patronymice sumi, ac idem esse quod *Abramides* seu Abrahæ filius, ut sit sensus; Jacob Abramides emit agrum in monumentum a filiis Hemor: ita quod Abraham Israelitarum parens censeatur hunc agrum emisse; non per se quidem, sed per nepotem suum vere Abramidem dictum, utpote cujus filiis solius Abrahæ benedictio, & repromissa terræ sanctæ hæreditas fuit attributa. Confirmari posset hæc solutio ex eo quod cum articulus nomini Ἀβραὰμ in Græco non præponatur, tam dativus subintelligi potest, quam nominativus, ut sensus sit: ὃ ὠνήσατο τῷ Ἀβραὰμ, *quod emerat* (scilicet Jacob, de quo versu præcedenti) *Abrahamo*.

Verum iste modus loquendi figurativus Poetas & Prophetas decet, quos metaphorica elocutio delectat, non vero historicos, qualis est in hac narratione S. Stephanus. *Deinde* hic ille loquitur de emptione sepulchri: *Positi sunt*, inquit, *in sepulchro quod emit Abraham*. Porro solus Abraham, Genes. XXIII. refertur emisse agrum in quo erat spelunca duplex ab Ephrone ad sepeliendam uxorem suam Saram vita functam: Jacob vero emit agrum, Genes. XXXIII. v. 19. a filiis Hemor patris Sichem, ut ibi figeret tabernaculum, & altare erigeret. *Denique*, adiicit S. Stephanus agrum illum in sepulturam emptum fuisse *pretio argenti*, quod utique soli Abrahæ convenit, legimus enim Genes. XXIII. 16. *Quod cum audisset Abraham, appendit pecuniam quam Ephron postulaverat, audientibus filiis Heth, quadringentos siclos argenti probatæ monetæ publicæ.* Jacob vero, loco mox laudato dicitur agrum emisse *centum agnis*. Itaque S. Stephanus hic loquitur de emptione agri, non a Jacobo sed Abrahamo. Unde omnes veteres Codices cum Græci tum Latini constanter habent, non *Jacobi* sed *Abrahami* nomen.

At inquies, solus Jacob dicitur emisse partem agri a filiis Hemor patris Sichem, Abraham vero ab Ephrone filio Seor; unde verosimilius videtur S. Stephanum hic memorare potius emptionem Jacobi quam Abrahami. *Respondeo*, non absimile esse Ephronis patrem fuisse binomium & dictum *Seor* Genes. XXIII. 8. & *Hemor*, ut in præsenti loco; Palæstinis enim varia fuisse nomina plurimis exemplis liquet in veteri Testamento. Porro Seor ille seu Hemor patrem habuit Sichem, non quidem illum a cujus filiis Jacob emit partem agri, sed alterum ipso longe antiquiorem; neque enim insolitum est in eadem prosapia reperiri varios patres & filios ejusdem appellationis. Quod autem hic Hemor Ephronis pater, alius sit ab eo cujus filii vendiderunt agrum Jacob, colligitur ex eo quod ille dicitur fuisse filius Sichem a S. Stephano; hic vero in Genesi pater Sichem asseritur. Itaque ut omnia cohæreant, dicendum arbitror, ut jam præmonui, patrem Ephronis dictum fuisse Seor & Hemor, qui cum plures habuerit filios, Ephron, uti major natu, nomine cæterorum fratrum sepulchrum veniit Abrahæ. Quamobrem nihil in Codicibus immutandum & innovandum esse censeo, sed benigna interpretatione cuncta esse concilianda. (76)

Nonnullas alias notulas ex Francisco Luca Brugensi & Grotio exscribit & subiicit Natalis Alexander, in quibus mendosum esse Vulgatæ Editionis Latinæ in Epistolis Apostolicis Codicem demonstrare se putat. At, quam prospero parum nisu, facile deprehendet Lector non solum ex Commentariis, sed etiam ex iis quæ hactenus dicta sunt: quamobrem in his, utpote nullius aut levioris momenti, referendis & refellendis operam & tempus non perdam. Nolim tamen quis existimet, me ea omnia quæ in Vulgatæ Latinæ Editionis vindicias disserui in alicujus invidiam & offensam scripsisse. Ego enim, Deo juvante, in hanc convitiandi palæstram nunquam me dabo; ita enim sentio pejorem esse conditionem convitium dicentis quam patientis; ad benedicendum enim nati & creati sumus, non ad maledicendum. Illud ostendere volui, Interpretem Vulgatum eis in locis, in quibus potissimum, erroris arguitur, aut ab omni prorsus labe immunem videri, aut benigne posse explicari. Atque ideo non minus probandam esse illius Lectionem, quam quæ a Novellis Criticis ex fontibus Hebræis aut Græcis profertur. Unde merito jure habet ipse quod

cum

(76) Quas, specie tenus, antilogias videtur præseferre locus iste Actorum cap. 7. facili negotio, feliciterque, ni fallor, Nortonus Knatchbull in suis animadversionibus conciliavit, quin vel erroris Vulgatam nostram; vel lapsus memoriæ S. Stephanum, quasi *Abraham*, pro Jacob pronunciaverit, incusaret; Sola Græci sermonis legitima constructione usus est, quam & Latinæ nostræ versioni aptari posse non ambigimus. Græcum itaque hunc textum: Καὶ μετετέθησαν εἰς Συχὲμ, καὶ ἐτέθησαν ἐν τῷ μνήματι ὃ ὠνήσατο Ἀβραὰμ τιμῆς ἀργυρίου, παρὰ τῶν υἱῶν Ἐμμὼρ τοῦ Συχὲμ ita sua constructione disponit, ut παρὰ τῶν υἱῶν Ἐμμὼρ τοῦ Συχὲμ non voci ὠνήσατο, sed voci ἐτέθησαν conjungat, adeo ut in Latino sermone sensus sit = Et translati sunt in Sichem (ex Egypto defuncti Patres Israelitarum) a Sichemis autem, sive a filiis Emor τοῦ Schem (hic accipitur Gens pro loco) translati sunt, & sepulti in Sepulchro, quod emit Abraham pretio argenti, scilicet ab Ephrone, unico excepto Joseph/o, quem in Sichemis sepelierunt. Præpositio παρὰ apud Græcos cum Genitivo, proprie significat motum a persona, ut laudatus Auctor observat, cui antea in hoc construendi modo textum Græcum præiverat vir inter primos doctus *de Dieu*. Alii profecto alias instituunt hypotheses, ut locum hunc divini textus exponant; videantur, si lubet, Masius in Versiculum 32. Capitis 24. Josue, Vatablus, Casaubonus, Grotius, sed præ aliis Benedictus Pererius disput. 2. in Cap. 23. Geneseos, apud quem erudite videntur expositæ plures Auctorum hypotheses, ut iste Actuum locus explicetur; Conjectura Frassenii, quod scilicet Ephronis pater fuerit binomius, nec improbanda prorsus videtur, nec irridenda, cum eadem plures alii doctissimi Scriptores sint usi ad exponenda S. Stephani verba præsertim S. Gregorius magnus, ut in fine laudatæ disputationis Pererius observat. Nos hoc unum adjungimus, in Codice Biblico videlicet S. Hieronymi, in Græcis Codicibus, & in Cantabrig; ut Sabatierus observat, eodem modo hunc locum haberi Actuum Apostolicorum, ac in Vulgata. (W)

cum Regio Vate conqueratur: {*Filii matris meæ pugnaverunt contra me: pro eo ut me diligerent detrahebant mihi: & odio habuerunt me gratis.*

At fortaſſe dicet aliquis, eandem ille potiori jure in nos regerere poſſet criminationem, utpote qui minus erudite & non ea qua par erat dignitate cauſam illius egerimus: quid enim aliud eſt Clientis alicujus ſegnis & otioſa defenſio, quam illius accuſatio manifeſta? nam qui negligenter alicujus cauſam agit, æquitati ſimul ac veritati plurimum detrahit, & quem valida & eleganti oratione propugnare debuerat, languenti & infirma impugnat. *Reſpondeo* me ultro quidem fateri mihi aliunde variis negotiis diſtracto & implicato, nec ſat temporis nec eruditionis adfuiſſe, ut cauſæ neceſſitati ac præſtantiæ, cujus patrocinium ſuſcepi, ex æquo facerem ſatis: Verum cum in rebus arduis etiam voluiſſe ſatis ſit, donec alia peritior & doctior manus occurrat quæ inculte a me delineatum opus perpoliat atque abſolvat; ad id ſaltem meus conducet labor, ut Criticorum in Vulgatum Interpretem criminationes ex parte amolliat Lectoremque ſtudioſum præmoneat, ne præcipiti & indeliberato ſenſu ad eorum partes & ſententiam declinet. Faciet etiam fortaſſis, uti confido, Deus, ut ex illo Criticorum grege aliquis hanc meam diſſertationem ægre ferens, pro innata ſua aliorum labores vellicandi & criminandi prurigine, ſuis ſcriptis, mihi tunc a tumultuantibus negotiis expedito & libero anſam præbeat novas & uberiores cudendi pro Vulgato Interprete vindicias; & ampliorem inde meis ſtudiis a viris Catholicis & Cordatis comparandi commendationem, quod meam omnem poſuerim operam in ea propugnanda ſacrorum Bibliorum Editione, quam ex decreto Concilii Tridentini univerſa approbat Eccleſia, omneſque Fideles & Catholici religioſe venerantur. Accedit interim ad vulgati Interpretis vindicias, quod non omnia quæ in una lingua efferuntur poſſint cum eadem energia & ſignificatione verborum in alia reddi. Iſtud præclare docet S. Hieronymus ad Pammachium, de optimo genere interpretandi, ex Præfat. ad Euſebii Chronic. a ſe verſum: *Difficile eſt*, inquit, *alienas lineas inſequentem, non alicubi excidere: & arduum ut quæ in alia lingua bene dicta ſunt, eundem decorem in translatione conſervent ſignificatum eſt aliquid unius verbi proprietate: non habeo, quo id efferam; & dum quæro implere ſententiam, longo ambitu vix brevis viæ ſpatia conſummo.* Idem Comment. in Epiſt. ad Epheſ. cap. I. *Multa verba ſunt*, inquit, *quæ nec de Græco in Latinum transferri valent, nec de Hebraico in Græcum; & reciproce nec de Latino in Græcum; nec de Græco in Hebræum.* Et ibidem in cap. IV. *Omnis metaphora, ſi de alia in aliam linguam transferatur ad verbum, quibuſdam quaſi ſenſibus orationis, ſenſus & germina ſuffocantur.* Quin & Aul. Gellius; [a] Tametſi Virgilium dicat Theocriti quiddam reliquiſſe, quod Græcum quidem mire quam ſuave ſit, verti autem neque debuerit neque potuerit; ſubjungit: *Habent linguæ ſingulæ appellationes, dictiones, phraſes formulas ſibi peculiares; quæ vix ulla alia feliciter ſatis parique vel elegantia, vel emphaſi exprimi poſſint.* De Latinis quibuſdam monuerunt hoc viri magni; vocabuli *Ineptus*, vim maximam eſſe Cicero affirmat, [b] nec poſſe Græca voce ulla vim hujus exprimi contendit multis Jul. Scaliger De Tito Imperatore dictum eſt: *Moriuntur deliciæ generis humani;* Græcos, qui exprimerent, fruſtra quæſiviſſe, obſervat Caſaubonus ad Suetonii Titum. Ita nec *ineptiarum*, quod in partem ſequiorem nec *deliciarum* vocabulum, quod in meliorem ſumitur, his Auctoribus Græci feliciter expreſſerunt.

a *Noct. Attic. lib. 9. cap. IX.*

b *Lib. 2. de Orat.*

CA-

CAPUT DECIMUM.

De aliis posterioribus Editionibus Latinis.

SUMMARIUM.

I. *Sanctes Pagninus versionem Bibliorum ex Hebraico textu adornat.*
II. *In quo reprehendatur ab aliquibus hæc Translatio.*
III. *Num Arias Pagnini versionem emendaverit.*
IV. *Cajetanus quam feliciter alteram ex Hebræo versionem adlaboraverit.*
V. *De Isidori Clarii editione.*
VI. *De versione Clarii judicium a censoribus factum.*
VII. *Sententia Melchioris Cani de novellis hisce versionibus Bibliorum.*
VIII. *Apostatæ Munsteri translatio.*
IX. *Editionis Tigurinæ qui, & quot Auctores.*
X. *Editionis Tigurinæ illustratio a Roberto Stephano facta.*
XI. *Aliæ Roberti Stephani Bibliorum editiones.*
XII. *Nova Sebastiani Castalionis Editio.*
XIII. *Hæreticorum de Castalionis editione judicium.*
XIV. *Sixti Senensis de eadem editione sententia.*
XV. *Emmanuelis Tremellii, & Francisci Junii Calvinistarum editio.*
XVI. *Aliorum Hæreticorum circa Sacrorum Bibliorum versiones studium.*
XVII. *Erasmi translatio novi Testamenti e Græco in Latinum, ejusdemque Translationis censura.*

I. A S. Hieronymo ad superius sæculum nullus alius innotuit sacrorum Bibliorum latinitate donatorum usus, quam Editionis aut Veteris, aut Hieronymianæ, aut ex utraque permixtæ, qualis nunc est Vulgata. At a centum aut paulo amplius annis, plurimæ aliæ Latinæ Editiones prodierunt, cum a Catholicis, tum ab Heterodoxis: illæque vel integræ, omnium scilicet sacrorum Librorum, vel partiales quorumdam duntaxat.

Primus e Catholicis qui ex textu Hebraico integra Biblia Latinitate donavit fuit *Sanctes Pagninus*, patria Lucensis, professione Dominicanus, qui anno M. D. XXVIII. Hebræum textum de verbo ad verbum fere Latine reddidit, cujus versionis, tametsi plures utilitates videantur, maxime quod, qui Hebraicam linguam minime callent, sacrum Hebræum textum cum Editione Latina Vulgata conferre valeant, hancque ex illo interdum firmare & elucidare; sunt tamen plurima quæ in ea desiderantur, quæque minus a viris eruditis & Catholicis probentur uti perdocte annotavit illustrissimus & linguarum peritissimus Genebrardus [a] gravissima hac censura: „ Sanctis Pagnini versio, „ *inquit*, (post Editionem Vulgatam) omnium prima: sed ut libere dicam, minus „ diligens, minus ambitiosa, minus curiosa, „ nimis Grammatica, nimium Rabbinicarum „ minutiarum æmula, quæque recentium „ præceptionum subtilitate noxam sinceritati, & sententiarum & rerum sæpiuscule afferat; unde nec satis interdum cohæret cum veterum Hebræorum doctrina, „ nec cum fidei Catholicæ mysteriis. Quin „ in propriis nominibus locorum, fluviorum, „ hominum, &c. parum fidelis est. *Hæc Geneb.*

[a] *proœmio in oper. Origen.*

„ Nec immerito quidem, ait appositè „ Jacobus Gretserus, [b] Quia, *inquit*, viro „ Christiano, præsertim religiosam vitam „ professo, parum est decorum a Rabbinis „ potius, quam ab Ecclesiæ Doctoribus in „ vera & genuina Scripturæ sententia „ eruenda, & legitima interpretatione in„ venienda pendere; quasi Spiritus sanctus „ perfidis Judæis, non Ecclesiæ Pastoribus „ & Doctoribus a Christo Redemptore no„ stro promissus fuerit. Quam indecens in „ vasto amploque opere sive versionem, „ sive annotationes & scholia spectes; aut „ nullam, aut rarissimam sanctorum Pa„ trum mentionem fieri; nec dicta, & trans„ lationem eorum dictis, & sententiis, sed „ Judæorum expositionibus, vel potius im„ positionibus, & sæpe non tam explica„ tionibus, quam implicationibus confirma„ ri. Quid veritatis apud Rabbinos, acer„ rimos Christiani nominis hostes, repe„ rias, quod ex SS. Patrum monumentis „ non liceat longe melius & tutius desu„ mere? Jure hic usurpavero illud Ter„ tulliani: [c] *Nobis etsi quærendum est adhuc & semper* (quæ sit Scripturæ legitima & „ germana sententia & versio Spiritus San„ cti menti consentanea) *ubi tamen quæri „ oportet? Apud Hæreticos* (& Rabbinos?) „ *ubi omnia extranea & adversaria nostræ „ veritati, ad quos vetamur accedere? „ Quis servus cibaria ab extraneo, ne di„ cam ab inimico Domini sui sperat? Quis „ miles ab infæderatis, ne dicam ab hosti„ bus regulis, donativum & stipendium ca„ ptat, nisi plane desertor & transfuga, „ & rebellis? Etiam anus illa intra tectum „ suum drachmam requirebat: etiam pulsa„ tor ille vicini januam tundebat: etiam vi„ dua illa non inimicum, licet durum judi„ cem, interpellabat. Nemo inde strui po„ test, unde destruitur. Nemo ab eo illumi„ natur, a quo contenebratur. Quæramus „ ergo in nostro, & a nostris, & de no„ stro, idque duntaxat, quod salva regula „ fidei potest in quæstionem devenire.*

[b] *Tract. de novis transl. cap. 2.*

[c] *lib. de præscript.*

II. Consultius itaque & sibi & nobis feciisset Pagninus, si limpidissimos Scriptu-

ræ ſacræ latices, ex puriſſimis ſacrorum Interpretum fontibus, potiuſquam ex cœnoſis plerumque delirantium Rabbinorum ſcatebris propinaſſet; atque etiam pleraque locorum & hominum nomina, non ſecundum rudem & jam pridem obſoletam Hebræorum barbariem, ſed juxta SS. Evangeliſtarum ac divinorum Scriptorum novi Teſtamenti emollitam ſcribendi & pronuntiandi rationem reddidiſſet. Quid enim obſecro opus erat, addit Gretſerus, ex Galilæa ubique cudere *Galil.* ex Jeſu *Jeſuah*; ex Maria, *Miriam*; ex Zebedæo, Zebadiah; ex Chriſto, Maſſiach; ex Emmanuel, Himmanuel; ex Zabulon, Zebulun; ex Salomone, Selomoh; ex Juda, Jehuda; ex Chananæa, Chenahanæa; ex Abel, Hebel; ex Barachia, Barachiah; ex Zacharia, Zechariah; ex Paſcha, Peſach; ex Jacob, Jahacob; ex Iſaac, Iſchac; ex Simeon, Simhon; ex Jordane, Jarden; ex Nathanael, Nethanel; ex Samaria, Semariiah; ex Matthia, Matthaniah; ex Gaza, Hazza; ex Iſaia, Jeſaihiah; ex Azoto, Azdod; ex Damaſco, Dammeſec; ut alia infinita hujus generis ſilentio præteream; quæ in omnibus prope pagellis novi Teſtamenti a Pagnino Latine facti occurrunt. Scilicet Evangeliſtæ & Apoſtoli, qui Græce ſcripſerunt, docendi erant, quomodo hæc & ſimilia vocabula ſcribere & pronuntiare debuerint; impellendique Chriſtiani, ut non amplius cum Apoſtolis & Evangeliſtis Servatorem noſtrum appellarent Jeſum, ſed Jeſuah: neque amplius dicerent: *Ave Maria gratia plena*: ſed cum Sancte; *Ave Mirjam, gratia affecta*. Nec cum Evangeliſta: *Ne timeas Maria*, ſed *Ne timeas Mirjam*. Nec dixit Maria ad Angelum; ſed *Mirjam*; *Quomodo fiet iſtud*. Nec Maria; ſed *Mirjam* dixit: *Magnificat anima mea Dominum*, &c. Hæc ille.

III. Hæc quidem Pagnini verſio emendata fuit a *Benedicto Aria Montano* (ſi tamen emendatio dici debeat, quæ errores erroribus adiicit) hic enim cum de verbo ad verbum Hebræum textum ſtudioſius reddere voluerit, & ipſas verborum ethymologias ſectari, Pagnini verſionem obſcuriorem & barbaram magis reddidit: plurima namque verba inaudita & inuſitata & vocum ſignificationes locis minus convenientes ſubſtituendo, miras obſcuritates peperit, ſic annotante Bonfrerio; [a] Geneſ. XIV. v. 20. verterat Pagninus: *Ipſe fuit pater inhabitantis tentorium, & pecudit*; non male, poteſt enim ea verſio intelligi: at quis ferat pro ea ſententia ſubſtitui; *Ipſe fuit pater ſedentis tentorium, & poſſeſſionis?* quo ſenſu, qua ſententiæ claritate? alii judicent. Sed nimirum verbum קנה Jaschab, *ſedere* ſignificat; ita eſt: verum annon etiam *inhabitare?* An non melius ea ſignificatio congruat? Verterat Pagninus Geneſ. XIII. v. 19. *Separa te nunc a me: ſi ieris ad ſiniſtram, dexteram tenebo; & ſi ad dextram ieris, ſiniſtram tenebo*. Plana minimeque obſcura hæc ſententia: eam vero ſic reddit Arias Montanus: *Separare nunc deſuper me: ſi ad ſiniſtram, & dextrabo; & ſi ad dextram, ſiniſtrabo*. Capite ultimo Geneſeos, pro eo quod aliquoties Pagninus reddiderat, *Condire aromatibus*; Arias repoſuit ad balſamandum, balſamare, balſamatores; ſuntque hujuſmodi non pauca alia. Probetur ſane hæc aliis verſio; mihi vero probari non poteſt tanta in vertendis divinis Oraculis verborum religio & ridenda barbaries. (77)

IV. Pagninum *Caietanus* æmulatus, ut ſibi ex Scripturæ ſacræ nova Editione (aliis prioribus improbatis) nomen faceret, auſu prorſus inſolito, ne dicam temerario, vir Hebraicæ linguæ penitus rudis, tentavit Hebræum textum de verbo ad verbum latine reddere & novam cudere verſionem, beneficio quatuor verſionum recentiorum ex Hebræo & opera duorum Judæorum, alterius baptizati, alterius baptiſmatis expertis. At, inquit Gretſerus, quis ſanæ mentis ſibi perſuadeat, Caietanum linguæ Hebraicæ rudem cum duobus ſuis Judæis, & quatuor recentiſſimis verſionibus; cumque omnibus quæ adhibenda curavit, vocabulariis non fuiſſe deceptum; deceptos autem Græcos & Latinos Interpretes, Hebraice ſcientiſſimos; omneſque Patres horum veſtigiis inſiſtentes, a vero Scripturarum ſenſu avios abiviſſe? Non fuerat, inquiebat Caietanus, ad ſua tempora [b] *Scripturæ ſacræ textus ſincere expoſitus, ſed Interpretum arbitrio compoſitus*. Scilicet SS. Patres non expoſuerunt textum Pſalmorum verum & legitimum, ſed textum, prout ab Interpretibus intellectus eſt. Scilicet tota Eccleſia Græca & Latina, Orientalis & Occidentalis, & tot Monachorum myriades non concinerunt uſque ad Caietanum, genuinum, ſincerumque Pſalterii textum; ſed Interpretum Græcorum & Latinorum. Bone Deus! quis ad pſallendum adigi poſſet, ſi pſallendi penſum ex Caietani translatione perſolvendum eſſet; qua nihil inſuavius & inſipidius, qui dum Pſalmorum verſionem quam maxime ſidam, hoc eſt, prorſus literalem, & ad verbum ex-

[a] *in prolog. cap. 18. ſect. 1.*

[b] *Præf. in Pſalmos.*

(77) Varia profecto extitere Eruditorum de Pagnini verſione judicia, alii eam cum Genebrardo, & Gretſero traducentes; alii autem ſummis eam laudibus commendantes, ut Bonfrerius in Prolog. Cap. 17. Sect. I. Serarius Quæſt. 3. Cap. 28. Prol. Joannes de la Haye ſect. 20. c. 1. Sed inter alios Theologi Salmantini in Præfat. ad Biblia Tigurina ex Salmantina editione, verſionem omnium doctiſſimam fatentur, quamvis obſcuriuſculam remanſiſſe non diffiteantur. Genebrardus pariter quamvis acriori cenſura eamdem aliquatenus perſtrinxerit, tamen ejus Auctorem Hebraicæ Linguæ peritiſſimum appellat ac fideliſſimum. Qui in eadem aliquos reperiere nævos, inde fortaſſis contigiſſe nonnulli opinantur, quod Pagnini verſionem percurrerint quæ poſt mortem Auctoris anno 1542 apud Hugonem a Porta Hæreticum excuſſa fuit, in qua ex Hæreticorum nequitia aliqua menda irrepſerunt, quamve ementito loci nomine pro Pagnini lucubrationibus publicarunt, ut tradit in ſuo *de Sanctis* Lugdunenſibus libro Theophilus Rainaudus. (W)

expreſſam dare voluit; ad Eccleſiæ quidem uſum prorſus inutilem reddidit; ut recte dixit Canus. [a] (78)

[a] *lib. 2. de locis Theolog. cap. 13.*

V. „ Isidorus Clarius Brixianus, primum Monachus Montis Caſſini, deinde „ Epiſcopus Fulginas non minus infœlicibus „ ſtudiis & laboribus novam Scripturæ ſacræ Editionem cudere aggreſſus eſt. Profeſſus quidem fuerat ſe Editionem Vulgatam Latinam in quibuſdam duntaxat „ textibus emendaturum. Sic enim in præfatione ſcribit: In his omnium Interpretum ſtudiis ac laboribus Editio illa qua „ totus Chriſtianus Orbis utitur, ac ſemper, ut facile conjecto, uſurus eſt, nondum ſquallorem ſuum depoſuerat, nec ei „ quiſquam errores, quibus innumeris pene ſcatebat, adimere adhuc curaverat; „ quæ res eo magis reprehenſione digna „ mihi videbatur, quo eorum major eſſet „ hac ætate copia, qui huic malo mederi potuiſſent. Alterum erat quod deſiderabam, ut ſcilicet ea loca quæ in „ utroque ſunt Teſtamento obſcuriora, & „ aliqua egent luce, ita plana fierent, „ atque ea brevitate explicarentur, ut nihilo „ minus uno volumine SS. Bibliorum opus „ claudi poſſet: quod non mediocri ſane „ futurum fuiſſet adjumento, non multitudini ſolum, cui minus ſuppeditat ea „ librorum ſupellex, verum iis etiam quibus locupletioris bibliothecæ copia eſt. „ Cum enim quis in promptu atque in „ ipſo divinorum librorum volumine habet „ unde ſe ſe ex incidentibus in litera difficultatibus explicet, tranquilliore tum „ animo, quaſi complanata via, & ſublatis offendiculis, conficit ſua ſpacia, & „ jucundius piis immorari meditationibus „ poteſt. Hanc ego geminam provinciam, „ & corrigendæ videlicet hujus Editionis, „ & lucis afferendæ locis difficilioribus, „ aggreſſus ſum. *Hæc ille.*

VI. Sed in operis progreſſu ita ſuæ promiſſionis videtur oblitus, ut ejus emendatio (inquit Canus mox laudatus) nihil aliud ſit, quam Interpretis veteris reprehenſio. Enimvero ſæpiſſime ſenſum evertit, plurima immutavit vocabula, quædam adjiciendo, nonnulla expungendo, ut Lector nihil aliud poſſit in locis ab eo correctis intelligere, quam aut veteris Interpretis errorem, aut veterum Codicum depravationem. Quamobrem merito jure librorum Cenſores auctoritate Clementis VIII. hoc de illa Editione decretum tulerunt: [b] *Ex Bibliis Iſidori Clarii Brixiani prologus & prolegomena præſcindantur: ejus vero textum, nemo textum Vulgatæ Editionis eſſe exiſtimet.* Tantum enim abeſt ut Scripturæ ſenſum in ſuis emendationibus fuerit aſſecutus; quinimo etiam ab Hebræo textu novis ſuis commentationibus ita plerumque exorbitat, ut aliud omnino dicere videatur, ſicut erudito Lectori facili negotio ex ejus Editionis lectione fiet compertum. (79)

[b] *in indice libror. prohib.*

VII. „ Appoſite igitur de his novellis „ Editionibus Latinis ſcripſit Canus, hujuſmodi earum a Vulgata Editione deviationes, detractiones, & mutationes, quæ „ curioſos homines ſæpe delectant, parentibus noſtris, ſi nunc viverent, futuras „ eſſe moleſtiſſimas. Id quod ex primo libro hiſtoriæ (quam vocant *Tripartitam*) „ colligere licet. Cum enim, ut ibi dicitur, „ multi Epiſcopi conveniſſent, & quidam eorum rogatus eſſet, ut faceret ſermonem „ populo, vir ſcilicet eloquio & ſapientia „ præditus, ille locus venit in medium. „ *Tolle lectum tuum & ambula:* ubi pro *lecto*, CUBILE dixit. Tunc Spiridion Cypriorum Epiſcopus, vir ſanctiſſimus, indignatus in eum, & exiliens de Cathedra Sacerdotali: *Tu melior es*, inquit, *eo qui* LECTUM *dixit, quia ejus verbis uti confunderis?* Hoc autem fecit populo conſpiciente, mediocritatem docens eum, qui „ eloquii ſupercilio prætumebat. Erat enim „ idoneus ad pudorem incutiendum cum eſſet venerandus, & operibus glorioſus, „ ſimulque presbyter ævo atque Sacerdotis „ officio. Quid hic faceret ſi Iſidori Clarii, „ quid ſi Eraſmi, quid ſi Caietani, quid ſi „ reliquorum tam varias & multas verſiones & inverſiones audiret? Quo putas „ animo ferret, cum in aliis libris, tum maxime in Davidis Pſalmis, Caietani lectionem & textum uſque adeo a noſtro „ diſcrepantem, ut vix poſſis agnoſcere, an „ idem liber ſacer, an alius ſit? *Hæc Canus*, (80)

(78) Contra Cajetani labores circa Sacra Biblia conſumptos nedum diverſorum Ordinum Viri perilluſtres ſcientia inſurrexerunt, ſed ex ipſo Cajetani Ordine infenſiſſimus extitit eiſdem Ambroſius Catharinus Compſanus Archiepiſcopus, ut in ejus *annotationum*, ſeu *invectivarum* libris videri poteſt. (W)

(79) Præciſis a Clarii verſione Prologo, & Prolegom. reſtituta fuit juſſu Tridentinæ Synodi, & Typis excuſa Venetiis an. 1564. (W)

(80) Aliorum etiam Interpretum nonnullæ circumferuntur Verſiones, Vatabli nimirum, Guarini, Malvendæ, Forerii, & aliorum, quos, ne nimii ſimus, omittimus. Quæ ſub Vatabli nomine edita fuit verſio divinarum Scripturarum, notatur a Genebrardo erroris, & impietatis; adeo ut Auctorem illius quem Vatablum extitiſſe negant Joannes de la Haye, Gravina, Gretſerus, Gordonus, Tirinus, aliique Scriptores, ſumma refertum malitia, aut hebraicæ linguæ ignoratione fuiſſe teſtetur ipſemet Genebrardus, qui dum eam percurrebat verſionem, atque cum hebraica conferebat in alio verſari mundo, & non Sacras literas, ſed fabulas e ſacris deductas literis legiſſe ſibi viſum eſſe aſſeveret. Salmantini Theologi nihilominus Franciſci Vatabli fœtum exiſtimantes verſionem iſtam, eamdem erroribus expurgare curarunt, & Typis edi anno 1584. Sed generalem nihilominus cenſuram in eamdem promulgarunt, qua editionem illam non eſſe juxta hebraicam Literam, ſed potius paraphraſticam cum quadam latini ſermonis, & orationis puritate conjunctam declararunt.

De Guarini editione pauca traduntur a Scriptoribus; concinnavit eam Guarinus ex verſionibus Vatabli, & Pagnini, atque Baſileæ publici fecit juris anno 1542. Altera Bibliorum editio a Guarino adornata, & de verbo ad verbum reddita, Antuerpiæ opera Roberti Shirrodii Conventienſis publicata, cum chaldaicis annotationibus in Margine

Nolim tamen quis existimet me his animadversionibus aditum eruditis viris, præcludere velle ad Hebræum textum aut Græcum. Peropto quidem id ab eis frequentari quibus datum est nosse mysteria regni Dei: ea tamen lege, ut plus antiquis quam novis interpretationibus deferant, & SS. Ecclesiæ Doctores, magis quam Synagogæ Rabbinos consulant & sequantur. Possunt equidem animo religioso & vere Catholico ex Hebræo & Græco textu novæ cudi versiones, velut Editionis Vulgatæ elucidationes, & quæ ad illius confirmationem & illustrationem, non vero despectum & impugnationem conferant, qualis fuit Heterodoxis in novis cudendis Editionibus Latinis sententia.

VIII. Ex Hæreticis qui vetus Testamentum ex integro Latine (si eos libros sacros excipias quos illi Apocryphos perperam putant) recenti versione dederunt, primus occurrit Apostata MUNSTERUS, qui Judaico animo, magis quam Christiano imbutus, plus Rabbinorum sententiis detulit, quam Veterum Doctorum Ecclesiæ interpretationibus: unde plerumque a genuino Scripturæ sensu longe deviat. „ *Accedit*, quod, „ ait Sixtus Senensis, [a] ubique horridus, „ senticosus & asper, usque adeo Hebraici sermonis horrorem secutus est, ut cum „ multa Latinis auribus molliter accommodare potuisset, omnes tamen Hebraici „ sermonis proprietates, ac phrases adeo „ servare studuit, ut nec ipsos Hebraicorum nominum stridores prætermittere voluerit: ingerens Latinis auribus ubique, „ pro Ozia *Uziihau*, pro Ezechia, *Jehizkiahu*; pro Ezechiele, *Jezebiel*, pro Cyro, „ *Choresch*; pro Dario, *Dariavesch*; pro „ Nabuchodonozore, *Nabuchednæzar*; pro „ Baltasare, *Beltezzer*; & multas alias ejusmodi voces, quas non sine ingenti spiritus ac linguæ nisu, nemo Latinus pronuntiare queat. „ *Hæc ille*. At quod in eo gravius piaculum est, plerumque hæreticis suis observationibus, argumentis & similibus decipulis ac laqueis ad exitium Lectoris instructis, hæreticum venenum propinat, & Scripturæ sensus ad errorum suorum patrocinium detorquet, ut inter cætera, videre est Malachiæ I. ubi Prophetæ Vaticinium de Sacrificio Missæ, & vera ac reali Christi Domini corporis in sacramento Altaris præsentia, elidere ac eludere tentat.

[a] *lib. 8. Biblioth.*

IX. Hunc excepit LEO JUDA, natione Helvetius, secta Zuinglianus, professione Tigurinorum Pseudo-Pastor, qui cum Hebraicæ linguæ peritiam sibi comparasset, novam ex Hebræo Editionem adornare suscepit: at morte præventus, cum adhuc supereſſent *octo postrema capita Ezechielis*, *Daniel totus*, *liber Jobi*, *Psalmi quadraginta ultimi*, *Ecclesiastes & Cantica Canticorum*: Theodorus Bibliander in laboris partem succeſſit, & sub adjuvantibus Conrado Pellicano & Petro Cholino, qui Græca (quæ Heterodoxi dicunt Apocrypha) Latine reddidit, opus inchoatum ad finem perduxit anno M. D. XLIV. Et quia Editio illa Tiguri adornata est & edita, vulgo etiam *Tigurinorum Bibliorum* nomine venit.

X. Hanc Leonis Judæ seu Tigurinorum versionem Robertus Stephanus anno M. D. XLV. junctim cum versione Vulgata per columnas edidit in 8°, appositis passim ad locos quosque difficiliores scholiis, quæ ut facilius incautos, Calvinisticis erroribus quibus erant inspersa, inescarent, ea in præfatione adscripsit Francisco Vatablo, literarum Hebraicarum tunc Parisiis Professori Regio, ac si ex ejus prælectionibus sublectum esset, quicquid in iis boni continebatur. Id quod etiam antea fecerat, quando ista scholia (eadem plane, nisi quod minus locupletia) ad textum Vulgatæ accommodata, ac cum ea sola impressa, vulgaverat. Ei Editioni præmittitur brevis præfatio ad Lectores in qua sic ait: *Constituveramus in tertia Bibliorum Editione annotationes, ut antea semel a nobis factum fuerat, in interiori margine ascribere...., Verum frustra. Tam magnum enim incrementum posteriores annotationes acceperunt, ut sola jam seorsim volumen etiam maximum sibi postulent... Eam accessionem nolim mihi acceptam ferri... Hoc tantum præstitimus, ut nonnulla ex iis, quæ Professorum Regiorum Auditores exceperant, ad vos.... Typographicæ nostræ artis beneficio fidelissime promanarent... Fruimini, utimini, jam nostris collectaneis, & ab iis uberiorem fructum expectate, quam a brevibus illis scholiis, quæ olim in marginibus Bibliorum excudimus.* Ex his satis apparet, non Vatablum, sed Stephanum esse Auctorem istorum scholiorum, quæ in Bibliis Vatabli (ita dictis, quia in præfatione Stephanus Vatablo scholia sua fert accepta) comparent.

XI. Sunt, autem ut observat Bootius [b], isto nomine duæ tresve Editiones inter se diversæ. Prima est illa in octavo, anni M. D. XLV. nihil habens præter Versionem Vulgatam ac Tigurinam cum scholiis Stephani marginalibus. Postea Biblia tetrapla (habentia textum Hebraicum, Versionem

[b] *in indice Auctor. Biblic.*

gine ad loca obscura adiectis traditur a Joanne de la Haye. Thomas Malvenda & Franciscus Forerius, ambo ex Prædicatorum Ordine novam Sacrorum Bibliorum versionem elaborare conati sunt. Viri fuerunt nedum linguarum orientalium peritissimi, sed & in aliarum facultatum scientia versatissimi. Horum neuter, morte præventi, opus suum explere potuit. Malvenda usque ad sextum decimum Caput Ezechielis suam translationem perduxit, in qua barbaries aliquando, solæcismi, & in grammatica defectus, verba inaudita, omnique sensu prorsus destituta, aliaque id genus sæpissime occurrunt. Hæc tamen Auctori de verbo ad verbum reddere volenti ex aliena lingua sermonem evenire docuit jam S. Hieronymus in Præfat ad Chronic. Eusebii.

Forerius autem Libros Job, Davidis, Salomonis, & Prophetarum ea de causa ex hebraica veritate de verbo ad verbum reddere curavit, ut Vulgatæ auctoritatem, legitimumque in eadem sensum haberi, ostenderet, atque firmaret. Libros a se conversis doctis illustravit Commentariis, in quibus verum, ac germanum literæ sensum aperire sategit. (W)

nem Græcam ex Editione Complutenſi, Latinam Vulgatam, & Latinam alteram, non jam illam Tigurinorum, ſed plane novam) prodierunt duobus voluminibus (adjuncto etiam tertio, Novum Teſtamentum continente) in magno quarto, cum iiſdem illis prioris Editionis annotationibus, ſed hic illic immutatis, Hebraicas allegationes, quæ nullæ in priori, paſſim habentibus. Eadem Editio, cum Auctioribus etiamnum ſcholiis, anno M. D. LXXXVI. ex officina Sanctandreana prodiit tribus voluminibus in folio cum hoc titulo: *Biblia ſacra Hebraice, Græce, Latine. Latina interpretatio duplex eſt, altera Vetus, altera Nova cum annotationibus Franciſci Vatabli. Omnia cum Editione Complutenſi diligenter collata, additis in margine, quos Vatablus in ſuis annotationibus nonnumquam omiſerat, idiotiſmis verborumque difficiliorum radicibus.* Neutri harum ulla præfatio additur, aut quicquam toto opere comparet, unde conſtet a quo hæc Editio adornata, aut nova iſta verſio profecta ſit. Nam quod in titulo ſcholia Vatablo rurſus attribuuntur, nihili eſt. Tantum enim abeſt, ut Vatablus ſecundis aut tertiis hiſce ſcholiis manum adhibuerit, ut ne prima quidem ab eo profecta ſint, eaque ſibi attribui indigne admodum tulerit, publiceque nihil illa ad ſe pertinere profeſſus ſit, teſte Genebrardo de hac Robertina Editione ſic ſcribente. [a] *Vatabli nomine nova Bibliorum verſio conditur, Genevenſibus multis in locis impurior & indoctior, quam nec Vatablus agnovit, nec qui leviter linguis tincti ſunt, probant. Beza in Iconibus, Leoni Judæ Helvetio tribuit. Ejus cauſa Robertus Stephanus Genevam ſontium receptatricem profugit.* Hæc ille. Hanc illius Calviniſtarum fautoris & patroni fugam ſic deſcribit Thuanus, [b] eodem Calviniſtico errore paululum ineſcatus: *Migrante*, inquit, *ad Deum optimo non ſolum Principe*, (de Franciſco I. loquitur) *ſed literarum fautore & parente eximio, indigna bene merito de patria civi* (Rob. Steph.) *tot editis Hebraicis Græcis & Latinis libris, gratia repenſa eſt, a Theologorum noſtrorum collegio* (Doctores Pariſienſes intelligit) *qui hominem Reipublicæ invigilantem, & quaſvis æquas conditiones accipere ſe paratum demonſtrantem, non deſierunt laceſſere, donec ille vexationum injuſtarum pertæſus, ex neceſſitate conſilium cœpit, & relicta patria, Genevam ad extremum ſe contulit, ubi tanta prudentia publicam ſimul & privatam rem curavit, ut quamvis tot adverſitatibus conflictatus & in commoditatibns, quæ ſolum vertentibus neceßario perferendæ ſunt; tamen in opere aſſiduus ad ultimum uſque vitæ ſpiritum, rei literariæ adjuvandæ propoſitum conſtanter tenuerit.*

Nihilominus tamen hanc Editionem Theologi Salmanticenſes anno M. D. LXXIV. in plurimis emendatam apud *Gaſparem Portonarum* typis mandari curarunt: extat etiam index expurgatorius Cardinalis Quirogæ excuſſus Matriti apud Gomeſium M. D. LXXXIV. nempe eo anno, quo facta eſt Editio Salmanticenſis, in quo notantur omnia quæ expurganda ſunt in Bibliis ſub ementito Vatabli nomine evulgatis.

XII. *Sebaſtianus Caſtalio* natione Sabaudus, ſecta Calviniſta, arte Græcarum literarum profeſſor, quas Genevæ XVIII. annos docuit, ubi novam Bibliorum interpretationem aggreſſus anno M. D. XLII. eam abſolvit anno M. D. L. hic autem omnem ſuam poſuit operam & diligentiam, ut, ait ipſe, [c] *fidelis & Latina, & perſpicua eſſet translatio, ne quem deinceps obſcuritas aut horriditas, aut etiam interpretationis infidelitas a ſacrorum librorum lectione revocaret, &c.* Porro hanc ejus Editionem tanti fecerunt quidam Proteſtantes, [d] ut Fredericus Furius Ceriolanus hos verſiculos in ejus laudem ſcribere fuerit auſus:

Neſcio quis Veterum voluit, ſermone Latino
Biblia cum priſcis ut loquerentur avis
Tentavit, fecitque ſuis pro viribus omnem
Conatum: at fantur Biblia barbarice.
Euſebius tentavit idem, tentavit Eraſmus;
Fruſtra opera eſt, fantur Biblia barbarice,
Pagninus tentavit idem cognomine Santes
Fruſtra opera eſt, fantur Biblia barbarice,
Tentarunt hoc idem alii, ſed non bene ceſſit
Fruſtra opera eſt, fantur Biblia barbarice,
En tibi Caſtalio tentat, cœlo auſpice: idipſum
Succeſſit, ponunt Biblia barbariem
O opus egregium! Latio ſermone loquuntur
Biblia nunc tandem Caſtalionis ope.

XIII. Verum non una eademque fuit Proteſtantium omnium de hac Caſtalionis Editione ſententia; Eam præ cæteris infectatus eſt libro integro Beza, ubi illam *indoctam, impiam, & a S. Spiritus ſententia prorſus diſcrepantem* nuncupat, ipſiuſque ingenium *ſuperbiæ & vaniſſimæ ambitionis pleniſſimum*; qui ut Ciceroniana, ſi Deo placet, faceret Biblia; Gentilium vocabula obtrudit; quare de eo Thuanus: [e] *Impuras*, inquit, *manus, multorum judicio, ad ſacra tractanda attulit, cum a rebus ad tantum opus neceßariis, homo imparatiſſimus, novam Bibliorum interpretationem, inſolenti temeritate molitus eſt.* Hanc etiam phaleratam & Ciceronianis lenociniis delibutam loquendi formulam a rebus ſacris eliminat Vagetius [f] his verbis: *Qui in arduis & grandiuſculis, Theologicis puta, ſtylo luxuriant, eaque verborum phaleris, aut quaſi tectorio incruſtant, adhibitis calamiſtris & fucatis candoris ac ruboris medicamentis, iis non videntur abſimiles, qui per plateas incedere cum deberent, tripudiant: aut iis etiam, qui obvium quempiam compellaturi cum clamore & cantu adoriuntur. Interim nihilominus hinc efficitur, licere Theologiam tam frigidis, imo ſordidis verbis ſimul ac ſententiis conſpurcare. Simplicitas ſermonis probe Theologum decet: ſpurcities æque minus ac ille quorumdam typhus & barbarus in verbis faſtus.*

XIV.

a *lib. 4. Chronolog.*

b *lib. 23. Hiſt. ad ann. 1559.*

c *in Epiſt. dedicat.*

d *in lib. de ſacris libris in linguam vernac. vertendis.*

e *lib. 86. hiſt. ad ann. 1563.*

f *de ſtylo Latin. diſquiſ. 4. ſect. 3. pag. 32.*

a lib. 8. Biblioth. titul. de translationib.

XIV. Audiendus est etiam Sixtus Senensis, a cujus verba tametsi paulo longiora, hic attexere non dedignabor, ut ex eis videat Lector, quale de hac Editione judicium ferre debeat. „ Castalio, *inquit*, ne„ scio an Paraphrasten potius, quam In„ terpretem appellem, ita est delicatus ac „ mollis, ut nihil, quod Hebraismum re„ doleat olfacere patiatur, nec vere se La„ tine loqui putet, nisi quam effœminatis„ sime loquatur, & citra omnem divinæ „ Scripturæ majestatem, ac divini Inter„ pretis gravitatem, singulasquasque sen„ tentias, meretricularum more fuco pin„ gat, & calamistris inurat, lasciva qua„ dam mollium verborum affluentia luxu„ rians, quemadmodum in Salomonis Can„ ticis fecit, in quibus quæcunque vetus „ Interpres de divinis Christi, & Ecclesiæ „ amoribus caste & graviter vertit, iste „ omni verborum lenocinio, atque omni„ bus muliercularum vocibus & affectibus „ usus, adeo impudice (ne dicam obscæ„ ne) transtulit, ac si meretricum ac le„ nonum colloquia editurus fuisset, tertio „ pene verbo diminutas quasdam, lubricas „ ac molliter tinnulas voculas inculcans: „ veluti illæ sunt: b *Huc ades o mea sororcula, mea amicula, mea columba, meum corculum, in petræ forulis, in coeleæ latibulis.* Et illud: *Quam bella es, o delicatula. Ostende mihi tuum vulticulum, fac ut audiam tuam voculam: nam & voculam habes venustulam, & vulticulum habes lepidulum.* Et illud: c *Capite nobis vulpeculas parvulas, vinearum vastatriculas.* Et rursum: *Ah te bellam! ab te formosam! Cerviculam habes eburneæ turriculæ persimilem. Capitulum habes Carmelo persimile, & cincinnulos regiæ purpuræ similes. Et columbinos habes ocellulos, cincinnulis interjectos. Similes mali punici putaminibus; habes genulas cincinnulis intersitas, & mammulas hinnulo formosiores.* Et illud: d *Aperi mibi mea sororcula, introducam te in meæ materculæ, in meæ genitriculæ domum.* Nec mirum „ si Castalio tam impudice in re divina, „ veluti cum Catullo de Lesbiæ passercu„ lo, & turgidulis puellæ ocellis, & au„ reolo malo luserit: quia, ut ipsemet in „ glossulis ad marginem adjectis, indicavit, „ nunquam credidit, in libro divino Can„ tico mystico Christi & Ecclesiæ amores „ describi, sed venereis, ac profanis Salo„ monis, ejusque amicæ Sulamitis, atque „ ejusdem fœminarum amoribus amatorium „ colloquium texi. Et sicut hunc Salomo„ nis librum inhonestis lenociniis contami„ navit, ita in omnem divinam Scriptu„ ram profanis, gentilibus ac impiis voci„ bus, locutionibus, ac sententiis profa„ navit semipaganus ac semigentilis iste In„ terpres, qui quasi puderet eum uti vo„ cibus, quibus Spiritus sanctus per ora „ Sanctorum usus est, nomen Dei, ac Pa„ tris Domini nostri Jesu Christi mutavit „ in *Jovem divum, Armipotentem, gradivum, ac cœlicolam:* divinam ejus charitatem appellans *cupidinem*, & ejus An„ gelos, *Jovis genios*, & Dei templum, „ *Jovis ædem fanumque;* & sedem Dei, „ *Augustale Jovis*; ponens ubique pro san„ ctis viris, *Heroas*; pro sancto Israele, „ *Augustinum Israelitanum;* pro sanctis „ Prophetis, *Vates atque fatidicos*; pro „ spiritu prophetico, *spiritum fatidicum*; „ & pro prophetare, *bachari*, item pro „ gigantibus, *Titanam sobolem*; pro Sole, „ *Phœbum & Appollinem*; pro fulguribus, „ *Jovinianum ignem*: pro inferno, *Orcum „ ac Tartarum;* pro habitatoribus inferni, „ *Manes*; & pro perditione inferni, *Plu„ tonem*; pro sanctificatione, *lustrationem*, „ & pro sacro cantu, *Pæana;* ac innu„ mera alia his similia, de media Gentilium impietate deducta, quæ nullus vere „ pius æquis auribus audiat. O nitto brevitati consulens, violentas & ambiguas „ locutiones materiam hæresibus præparan„ tes, veluti cum pro eo quod in Evange„ lio Joannis legit Ecclesia: *Et verbum „ caro factum est*: nescio an Latine potius „ quam Sarmatice verterit: *Et sermo cor„ poratus est:* quasi Divus Hieronymus „ aberrasset, cum illud, e καὶ ὁ λόγος σὰρξ ἐγένετο, vertit; *Et verbum caro factum est*, „ Et illud quod Petrus in Actibus de Chri„ sto dixit: f ὃν ὑμεῖς προσπήξαντες ἀνείλατε, hoc est, „ *Quem affigentes interemistis*: semigentilis „ hic Interpres, Romanæ linguæ columen „ transtulit, quem vos ad *palum deliga„ tum sustulistis*, &c. *Huc usque Sixtus*. „ Cui concinit Genebrardus g: Cæteræ ver„ siones, *inquit*, quas nobis Novatores pe„ perunt, ineptæ sunt, indoctæ, barba„ ræ, fastidiosæ, fidei sæpe & pietati no„ xiæ, corruptæ multis additionibus, de„ tractionibus, distorsionibus. Castalionis „ est affectata, plus habet pompæ & pha„ lerarum, quam rei & firmitatis: plus „ ostentationis quam substantiæ, plus fuci „ quam succi, plus hominis quam Spiritus, „ plus fumi quam flammæ, plus humana„ rum cogitationum quam divinorum sen„ suum, plus foliorum quam fructuum. „ Tot verbis vix adhuc explico hominis „ vanitatem, qui Dei Sacramenta sermo„ ne, non modo animo, se posse comple„ cti putavit. Elegantiam pollicetur, & „ tamen verba interdum usurpat alienis„ sima a Ciceronis puritate. Præterea tibi „ ex inferis suscitat Genios, Pollubra, & „ similia pagana vocabula, quæ pridem se„ pulta oportuit, nedum in Scripturæ con„ textum illata mysteria ex oculis subdu„ cit, submutatis verbis. Ubi DIXIT DEUS, „ FIAT FIRMAMENTUM, ille, JUSSIT DEUS, „ ne ullum divini VERBI; per quod omnia „ facta sunt, vestigium in prima rerum „ conditione appareat, &c. „

b Cantic. 2. v. 4.

c Cantic. 7. v. 2.

d Cantic. 5. v. 2.

e Joan. 1. 14.

f Act. 2. 3.

g in Epist. Dedic. operibus Origenis ab eo Latinis donatis præfixa.

XV. Eundem, conjunctis operibus, novum laborem susceperunt *Emmanuel Tremellius* primum Judæus, deinde Catholicus, item & Monachus, postmodum vero Calvinianus: & *Franciscus Junius Biturix* itidem Calvinista, Heidelbergæ uterque professor, quorum cum Junius a Tremellio

He-

Hebræam linguam, & Tremellius a Junio Latinam edidiciſſet, mutuas junxerunt operas, ut novam Bibliorum verſionem ederent; quam ex Rabbinorum commentis, verius quam commentariis, annotationibus & obſervationibus auxit Junius Emmanueli ſuperſtes. Eam Editionem plurimi fecerunt initio Proteſtantes, tametſi nonnulli doctiores ex eis multa in ea emendanda eſſe cenſuerint. Quamobrem Junius hanc Editionem ad incudem revocans plurimis in locis illam correxit, eam tamen adhuc multis erroribus & nævis ſcatere, ipſiſmet Heterodoxis teſtibus, certiſſimum eſt.

XVI. Plurimi ſunt alii Sectarii, qui cum univerſorum Bibliorum vertendorum onus ſuſcipere non fuiſſent auſi, eorum aliqui Vulgatam ediderunt cum adjectis annotationibus & additionibus aut detractionibus eis in locis quos emendandos eſſe cenſebant. Talis fuit *Lucæ* & *Andreæ Oſiandri* labor, qui Vulgatam Latinam Editionem, ut Hebræo textui magis concordantem exhiberent, eam, ut dicunt, plurimis in locis correxerunt, verius dixiſſent, corruperunt: fatentur in præfatione Editorum a ſe Bibliorum *in veteri Verſione quædam obſcure verſa, quædam addita, quædam non ad verbum ſed ad ſenſum; ſe hæc correxiſſe*. Verum quæ ipſi imaginantur σφάλματα non ſunt veteris Interpretis errata, ſed male affecti cerebri Hebraizantium ſomnia; uti agnovit etiam Paulus Eberus Paſtor Witembergenſis, qui cum ſimili ſtudio Vulgatam Editionem corrigere fuiſſet aggreſſus, ſcripſiſſetque in præfatione prolixa, ſe retinere antiquam verſionem Latinam, ubicunque eam Hebraicæ linguæ ſenſus ferri poſſit, tandem ingenue fatetur edita a ſe Biblia, *Nec amplius eſſe veterem Editionem quæ hactenus in ſcholis & templis uſurpata fuerat, in lectionibus & concionibus ſacris; neque novam merito cenſeri integram & perfectam; cui in locis obſcurioribus tuto fidere Lector poſſit*.

Alii vero ſacrorum librorum partem aliquam vertere voluerunt: ſic *Zuinglius* Latine dedit ex Hebræo Pſalterium, Iſaiam & Jeremiam. *Oecolampadius* Prophetas nova ex Hebræo verſione evulgavit. *Calvinus* ſimiliter Pſalterium non ſine nova verſione commentari voluit, uti fecerunt Wolffgangius Muſculus, Georgius Major, Henricus Mollerus, Fœlix Pratenſis & alii plurimi Recentiores, qui ſuo judicio alium in Pſalte Regio ſenſum, qui cæteros Interpretes hactenus latuiſſet, ſe deprehendiſſe gloriantur.

XVII. Novum Teſtamentum ex Græco Latine dedit *Beza* cum variis annotationibus nunc adjectis, nunc expunctis, aut mutatis. Ei præiverat *Eraſmus*, cujus Editionem plurimis in locis arguit etiam ipſe Beza, maxime præfatione in Novum Teſtamentum, ubi reprehendit eum quod Vulgatum noſtrum Interpretem tanquam a Græcis Codicibus diſſentientem taxaverit, *Diſſentiebat, fateor*, ait Beza, *ab iis exemplaribus, quæ Eraſmus nactus erat: ſed non uno loco comperimus aliorum Codicum, & quidem vetuſtiſſimorum auctoritate, eam interpretationem niti, quam ille reprehendit. Quin etiam aliquot locis animadvertimus, veteris Interpretis lectionem, quamvis cum noſtris Græcis exemplaribus interdum ea non conveniat: tamen ipſis rebus multo melius quadrare; nempe quod ille quiſquis fuit, emendatius aliquod exemplar nactus eſſet*. Hujus laborem præ cæteris egregie impugnavit, atque Vulgatum Interpretem propugnavit Jacobus Lopis Stunica, qui ſpeciali opere omnes Eraſmi a Vulgato Interprete deviationes arguit: in ejus autem præfatione inter cætera ſcribit „: Pervenit ad manus „ meas Eraſmicus ille Codex numeroſo „ præmiorum ambitu veluti ſatellitio præ„ munitus, perpulchris literarum figuris „ Græce & Latine deformatus, ac titu„ lum in fronte geſtans, qui & Auctoris „ nomen & operis argumentum, magnifi„ cis quidem verbis & admiranda quædam „ ac pene παράδοξα pollicentibus præ ſe ferre „ videbatur. Ut autem librum cœpi vol„ vere, traductionemque illam novam & „ annotationes a vertice, ut aiunt, ad cal„ cem diligentiſſime tranſcurri, audaciam „ hominis, qua ille pro ſapientia eo in „ opere uſus eſt, vehementer ſum admira„ tus. Cum enim in Gentilium Auctorum „ lectione fuerit ſemper verſatus, ſæcula„ remque eloquentiam ex parte inde didi„ cerit, elegantia illa dicendi qualicunque „ conſiſus omnia ſibi licuiſſe exiſtimavit. „ Quoniam vero non ex charitatis affectu, „ ut res ipſa plane indicat, neque ut S. „ Scripturarum ſtudioſis quoquomodo pro„ deſſet, ad id operis Eraſmus videtur ac„ ceſſiſſe, ſed laudis potius cupiditate du„ ctus, atque eo in primis animo ut vete„ rem Eccleſiæ traductionem ejuſdemque „ Auctorem captata occaſione libere poſſet „ reprehendere; neceſſarium mihi viſum „ fuit, ut ego Eccleſiaſtici Interpretis par„ tes tuendas ſuſciperem. Quod eo liben„ tius feci, quod videbam non ſolum im„ merito ab Eraſmo illum reprehendi, ve„ rum etiam contumelioſiſſime paſſim com„ pellari, atque ex eruditorum virorum „ corona penitus explodi; atque id nullo „ quidem jure, quantum ego arbitror, ut„ pote quem conſtet & Latine & elegan„ ter ſacros N. Teſtamenti Codices ex Græ„ co in Latinum traduxiſſe. Quod ſi ali„ quibus in locis a Græcis exemplaribus, „ quæ paſſim circumferuntur, veterem tranſ„ lationem diſcrepare Eraſmus ſenſerat; ſi „ quæ per librariorum aut incuriam aut „ inſcitiam errata progreſſu temporis Co„ dices noſtros ſubintrarunt reformanda vi„ debantur; extrarium id operis futurum „ erat: ſeorſum illa erant annotanda, non „ totum S. Scripturæ corpus denuo trans„ ferendum, non immutanda vetera, non „ quæ tandiu uſitata fuerant tam licenter „ invertenda, non denique, ut unica ora„ tione complectar omnia, tam aperte Ec„ cleſiaſtica traductio damnanda. Annon „ damnat qui Interpretem illius damnat?

„ qui

„ qui *dormitantem* appellat? qui *absurditatis affectatorem*, qui *Latinitati vim afferentem*, quique iisdem titulis ac cognominibus non veretur illum insignire, quibus ineruditi illiteratique homines ludibrii causa a doctoribus notari solent „?

Hactenus Lopis. Cui in omnibus assentior præterquam quod de elegantia Versionis nostræ dicit; nam ut versio illa est optima, ita fatendum est in ea desiderari Latinæ linguæ elegantiam.

CAPUT UNDECIMUM.

De Editione librorum sacrorum in linguam Vernaculam.

SUMMARIUM.

I. *Quid per linguam vernaculam significetur.*
II. *Biblia in linguam vernaculam edita posse utilia esse plures Catholici docuerunt.*
III. *Fœminis etiam & pueris Sacra Scriptura in vernacula lingua aliquando permissa fuit.*
IV. *S. Chrysostomus lectionem Scripturarum in lingua vernacula omnibus indiscriminatim concessisse videtur.*
V. *Scripturarum usus in lingua vernacula non videtur omnibus expedire.*
VI. *Scripturæ divinæ contemptus ex ejus in lingua vernacula usu omnibus concesso facillime provenire potest.*
VII. *Objectio ad præmissa, & ejus solutio.*
VIII. *Hujuscemodi usus Scripturarum de Pastorum Ecclesiæ consilio, & licentia etiam aliquibus indoctis concedi potest.*

I. VErnaculum dicitur quidquid nascitur domi, testibus Valla [a] & Aniano, [b] vocabulum deductum a *Verna*, qui est servus ex ancilla domestica natus, aut quod ita in usum omnium venit ac manibus teritur, ut omnibus etiam vernis & vulgaribus commune fit. Unde *vernaculas interpretationes* dicimus, eas quæ in linguas vulgares ac maternas fiunt. Hæ autem, inquit Serarius, [c] dupliciter possunt accipi, *Primo* quidem simpliciter, & sic Editiones Hebrææ, Græcæ, & Latinæ olim censebantur vernaculæ, quia Israelitis Græcis & Latinis erant perviæ. *Secundo* respective ad tempora, loca, populosve, itaut apud eos ea lingua censeatur vernacula, quæ ab ea distinguitur, quam in rebus sacris usurpant. Qua ratione tres apud Christianos habentur linguæ sacræ, illæ nimirum quas Christi Domini crucis titulus sacravit ac nobilitavit, Hebræam videlicet, Græcam, & Latinam; nam, Titulus ille, inquit S. Joannes, [f] *scriptus erat Hebraice Græce & Latine*. De his autem Vulgaribus Editionibus duo hic præcipue statuenda sunt: primum an illæ Christi Fidelibus sint utiles. An-ve earum usus promiscue permitti debeat.

[a] *lib. 1. Eleg. cap. 5.*
[b] *lib. 13 Cod. Th. de lustrali conlatione.*
[c] *Proleg. cap. 20. quæstionc. 1.*
[f] *cap. XIX. 20.*

§. I.

An & qualis utilitatis sit sacrorum Bibliorum in vernaculam linguam Editio.

II. CItra controversiam est Scripturarum sacrarum usum & frequentationem perutilem esse iis omnibus, qui religioso cultu & animo comparandæ doctrinæ cælestis nec plus volunt sapere quam oportet sapere, ei assuescunt, *Nemo enim*, inquit S. Augustinus, [d] *inde haurire non potest, quod sibi satis est, si modo ad hauriendum devote ac pie, ut vera religio poscit, accedat.*

Quamobrem recte S. Basilius [e] animadvertit, cum homini quæ naturæ necessaria sunt, quærenda ingenio & labore, ut opus esset, divinitus sit provisum, voluisse etiam Deum ad ingenii exercitamentum esse quædam intellectu difficiliora, ut mens humana his occupata a deterioribus avocetur; tamen versaturum eum in Scripturis citra offensam, dum ex iis quæ facile percipi possunt, ad difficiliora penetranda adjuvabitur, dummodo in difficillimis non offendatur. *Addit* autem ad id duo esse necessaria, nimirum vitæ puritatem & assiduam exercitationem, ut majestas divinorum verborum, eorumque sensus assidua meditatione animum cœlesti rore perfundat; inde concludit Serarius ratione diversarum personarum, temporum, locorum aliarumque circunstantiarum aliquando expedire vernaculas versiones fieri; quod probat triplici ratione. I. quia in quibusdam locis ac populis fuerunt aliquando Biblia omnino vernacula. Nam apud Hebræos initio cum Hebraice adhuc loquerentur omnes, alia non erant Biblia, quam Hebraica: apud Latinos in Italia, Africa & alibi, Latina. Sicque vel tradidit ipsemet Dominus, vel recepit & approbavit Ecclesia. II. quia cum linguæ istæ adhuc essent vernaculæ, invitabant & hortabantur Patres ad eas legendas, Laicum etiam populum, D. Chryso-

[d] *lib. de utilitat. credendi cap. 6.*
[e] *Proœm. expos. in Isa.*

sto-

stomus, [a] Origenes. [b] D. Augustinus: *Legite*, inquit, *Scripturas. Ideo voluit Deus ut scriberentur, ut nos consolaremur.*

III. D. Hieronymus fœminas eam ad rem commonet, non doctas modo Paulam & Eustochium, sed Celanciam quoque matrem familias, ut ex ejus ad hanc & illas patet Epistolis, & de iis quæ in Paulæ Monasterio Bethleemitico erant: *Non licebat*, ait, [c] *non quotidie aliquid de Scripturis sanctis discere*; atque ob diligentem hanc Scripturarum lectionem quantis effert laudibus Marcellam, Fabiolam, Suniam, Fretellam & alias? quin etiam de S. Servulo mendico S. Gregorius: [d] *Nequaquam*, ait, *literas noverat; sed Scripturæ sacræ sibimet Codices emerat, & religiosos quosque in hospitalitatem suscipiens, hos coram se studiose legere faciebat. Factum est, ut juxta modum suum plene sacram Scripturam disceret, cum, sicut dixi, literas funditus ignoraret.* De pueris Biblia quotidie legentibus scribit S. Joannes Calybita [e] quod cum a parentibus Evangeliorum librum peteret, hanc legitimæ postulationis rationem indicat: *Non possum præ pudore in Gymnasium ire, cum omnes, qui mecum una literas discunt, postquam res illas expedierint, quæ in gymnasio exercentur; secum habent Evangelia, & sedentes ea legant.* III. Legisse quosdam vernacula Biblia fructuose, monstravit in quibusdam olim experientia, verbi gratia in S. Birgitta, ut in ejus vita est: in S. Domna apud Metaphrasten: in Judæis quibusdam apud S. Epiphanium. [f] Et si S. Servulo profuit, ut Paulo ante narratum, audire quas alii ei prælegebant Scripturas, quidni & profuisset, si legisset ipsemet? *Hæc Serarius.*

IV. Quæ confirmare juvat his verbis S. Chrysostomi præfata *homilia 9. in Epist. ad Coloss.* Ubi inter cætera, quibus ad assiduam Bibliorum lectionem Auditores omnes hortatur, hæc habet: „ Audite, *inquit*, quotquot estis mundani, & uxoribus præstis ac liberis, quomodo & vobis potissimum præcipiat Scripturas legere; idque non simpliciter nec obiter, sed magna diligentia: Quemadmodum enim dives pecuniarum, damnum & noxam ferre potest, ita & dives dogmatum Philosophicorum, non solum paupertatem, sed & quasvis calamitates facile feret, illo etiam facilius. *Et paulo post:* Ne moreris alium Doctorem, habes oracula Dei, nemo te docebit quemadmodum illa: Alius tibi multa sæpe, sive per vanam gloriam, sive per invidentiam invidebit: Audite, obsecro, Sæculares omnes, comparate vobis Biblia animæ pharmaca: si nihil aliud vultis, vel novum Testamentum acquirite, Apostolorum Acta, Evangelia, continuos & sedulos doctores: Si acciderit molestia, huc veluti apothecam pharmacorum introspice: Hinc tibi sume solamen mali, sive damnum evenerit, sive mors, sive amissio domesticorum, imo non introspice solum, sed omnia iterum atque iterum versa menteque illa contine: Hoc demum malorum omnium cauta est, quod Scripturæ ignorantur. Sine armis bellum ingredimur, & quomodo servari possumus? Armati vincere servarique solent: inermes nequaquam: Non omnia in humeros nostros proiicite. Oves estis, verum non irrationales, sed rationales: multa & vobis committit Paulus. Qui ad instituendum mittuntur, non semper in eo commorantur ut discant, alioqui non addiscerent, si semper didiceris nunquam addisces. Non ita venias tanquam semper imbuendus, alioqui nunquam sciens eris, sed tanquam aliquando discendi finem facturus, aliosque in his artibus doctu-
„ rus, &c. „ *Huc usque S. Chrysost.*

[a] *hom. 9. in Epist. ad Coloss. homil. 3. in 2. Thess. homil. 2. in Matt. præfat. in Epist. Pauli homil. 10. in Ioan. & hom. 3. de Lazaro.*
[b] *Homil. 12. in Exod. & homil. 9. in Levit. hom. 2. in Isai.*
[c] *In expos. Psal. 33. seu concione 2.*
[d] *lib. 4. dial. cap. 14.*
[e] *Apud Metaphrasten, & Surium die 15. Ianuarii.*
[f] *Hæres. 30.*

§. II.

An Scripturarum usus in lingua vernacula sit omnibus concedendus:

V. ILlicitum est & valde periculosum rudiori plebi ac sæcularibus negotiis hominibus & mulierculis deditis, licentiam indiscriminatim facere sacros libros profanis & indoctis manibus involvendi. Primo quidem quia promiscua hæc licentia in multorum perniciem haud dubie cedet, siquidem ipsius Scripturæ divinæ cortex & sensus apparens plerumque legentes perimit: *Litera enim occidit*, ait S. Paulus, [g] *Spiritus autem vivificat.* Ubi per *literam* intelligit Apostolus ipsum literalem corticem, sive sensum grammaticalem, quem prima fronte verba offerunt. *Per Spiritum* vero intelligit genuinum Scripturæ sensum a Spiritu S. intentum, qui tametsi vivificet, quia tamen ex simplici lectione non apparet, multo labore quærendus est. Hæc egregie persequitur S. Hieronymus scribens in hunc modum: [h] Opera carnis, *inquit*, „ divinorum voluminum historia continet, „ non valde eos juvans qui sic eam intelligunt ut scripta est. Quis enim non docebitur servire luxuriæ, & fornicationem „ habere pro nihilo, cum Judam ad meretricem legerit ingredientem, & Patriarcha multas habuisse pariter uxores? Quomodo non ad idololatriam provocabitur, „ qui sanguinem taurorum, & cæteras Levitici victimas non plus quam quod in „ litera sonat, putaverit judicare? Quod „ autem inimicitias in aperto positus Scripturæ sermo doceat, & ex hoc loco probatur. Filia Babylonis misera, beatus „ qui retribuet tibi retributionem tuam „ quam retribuisti nobis. Beatus qui tenebit & allidet parvulos suos ad petram. „ Et ex illo: In matutino interficiebam „ omnes peccatores terræ, & cætera his „ similia. De contentionibus videlicet, æ-
„ mu-

[g] *2. ad Cor. 3.*
[h] *Comment. in cap. 5. ad Galat.*

„ mulatione, ira, rixis, diſſenſionibus. Ad „ quæ ſi non altius aliquid ſentiamus, pro„ vocant nos magis hiſtoriæ exempla quam „ prohibent. Hæreſes quoque magis de carnis Scripturæ intelligentia, quam de opere carnis noſtræ, ut plurimi exiſtimant, „ ſubſtituerunt.

„ *Et paulo poſt*: Quæritur quomodo ad „ veneficia & ad maleficas artes ſimplex „ Scripturæ divinæ ſermo (qui dicitur caro ejus) nos provocet, niſi ad ejuſdem „ Scripturæ Spiritum tranſcendamus? *Et „ poſt pauca*: Multorum ergo malorum occaſio eſt, ſi quis in Scripturæ carne permaneat. Quæ qui fecerint, regnum Dei „ non conſequentur. Quamobrem Spiritum „ Scripturæ fructuſque quæramus, qui non „ dicuntur eſſe manifeſti. Multo quippe „ labore & ſudore, & digno cultu in Scripturis fructus Spiritus invenitur. Unde „ arbitror Paulum diligenter & caute de „ Scripturæ ſenſibus dixiſſe carnalibus: Manifeſta autem ſunt opera carnis „. *Hæc S. Hieronymus*. Quæ cum ita ſint, nemo cordatus cenſebit Scripturam ſacram plebi imperitæ eſſe promiſcue committendam, ne ſpirituali ejus ſenſu ignorato, fiat eis Scripturæ litera in offendiculum & ruinam.

VI. *Inſuper* promiſcuus ille Scripturarum uſus facile ejus contemptum pareret; quæ enim in frequentem uſum veniunt, non adeo ſolent homines æſtimare. Hinc Julianus Auguſtus, quem paſſim Apoſtatam nuncupant, cum legiſſet ſacras literas ſibi miſſas, nec pie intellexiſſet, ſtulte eas contempſit, dicens: *Vidi*, *Legi*, *contempſi*. Cui tamen prudenter reſponſum eſt a S. Baſilio: *Vidiſti*, *Legiſti*, *non intellexiſti*: *ſi intellexiſſes*, *non contempſiſſes*. Itaque quod contigit Juliano, continget & rudi plebeculæ faciliter, ut ſcilicet ſacram Scripturam flocci-faciant, quam nec intelligere, nec ſententias quæ mutuo pugnare videntur, concordare poſſit. Quamobrem merito-jure queritur S. Hieronymus, [a] quod Scripturam ſacram, tametſi multiplici obſcuritate refertam, nec ſine Interprete & Doctore in plurimis intelligibilem, viliores tamen artifices uſurpent, cum tamen artes illas ſine prævio monſtrante non ediſcant: *Agricolæ*, inquit, *cæmentarii*, *fabri metallorum*, *lignorumque cæſores*, *lanarii quoque*, *& fullones*, *& cæteri qui variam ſupellectilem & vilia opuſcula fabricantur*, *abſque Doctore eſſe non poſſunt quod cupiunt. Quod medicorum eſt*, *promittunt Medici*, *tractant fabrilia fabri. Sola Scripturarum ars eſt*, *quam ſibi paſſim omnes vindicant. Scribimus indocti doctique poemata paſſim. Hanc garrula anus*, *hanc delirus ſenex*, *hanc ſophiſta verboſus*, *hanc univerſi præſumunt*, *lacerant*, *docent antequam diſcant*.

[a] *Epiſt. ad Paulinum.*

VII. At, dicet aliquis, idem omnino periculum emergit ex Editione Latina & Græca, ſunt enim plurimi Grammaticuli, Rhetorculi, Philoſophaſtri, aliique id genus ſcioli, vanique ac præſumptuoſi homines, qui ſacras literas arroganter & indigne tractant, perverſe interpretantur, & tanta efferuntur temeritate, ut etiam eruditiſſimis Theologis, qui præcipuum ſuum tempus & ſtudium in Bibliorum ſacrorum lectione & intelligentia poſuerunt, bellum inferre ac repugnare audeant.

Verum tametſi iſta revera frequentius eveniant, nihilominus tamen ibi facilius ad ordinem reſtringi poſſunt a viris eruditis, quam plebeii homines ac mulierculæ, quæ proprio genio nimium tribuentes, ubi ſemel errorem ex perverſa Scripturæ lectione & intelligentia ebiberint, vix ullis artibus & adhortationibus ab eo poſſunt revocari. Unde licet, inquit Serarius ſupra laudatus, nulla uſquam Eccleſiaſtica Lex, quæ ſimpliciter ac præciſe vernaculas Bibliorum translationes prohibeat, inveniatur; attamen non niſi magna præcautione hæc imperitæ plebi facienda eſt licentia, maxime hoc in noſtro erudito ſæculo, ubi plurimæ in dies prodeunt Bibliorum, vel integræ, vel partiales quædam verſiones ab Heterodoxis, aut viris ſchiſma molientibus elaboratæ, quæ cum a genuina & ab Eccleſia approbata Scriptura, vix a rudi plebecula poſſint internoſci, facile eam erroribus ineſcabunt, & quos jam ebiberint ex Scriptura prave concepta, pertinaciter tueri enitentur: Teſtes noſtrates, inquit Serarius, ex hodiernis hæreticis Sutores ac Sutrices, Caupones ac Cauponariæ, quæ diverſis hæreſibus ac ſectis cum diſſideant, e vernaculis tamen Bibliis omnes puram putam ſe veritatem ſequi jactitant. Plurimi vero novam ſibi ſuo e cerebro, prout ipſis libet, fidem cudunt, dicentes, ſe non Lutheranos, non Calvinianos eſſe: ſed ſolis adhærere, quas legunt, Scripturis.

VIII. Nolim tamen omnes indoctos & infimæ ſortis homines a ſacrorum Bibliorum lectione arceri; ſæpenumero enim fit, ut qui mundo contemptiſſimi ſunt, apud Chriſtum ob animæ puritatem & Evangelicam ſimplicitatem, ſummo ſint in pretio, eiſque divinus Spiritus, ſolito requieſcens ſuper humilem, Scripturarum arcana & myſteria ſublimius & ſplendidius referet, quam doctiſſimis & iteratiſſimis viris, ut ſignificat Chriſtus Dominus his verbis: *Confiteor tibi Pater quia abſcondiſti hæc a Sapientibus & prudentibus*, *& revelaſti ea parvulis*. Verum ea lectio promiſcue & indiſcriminatim uſurpari non debet, ſed ex Paſtorum & Directorum licentia, quorum eſt judicare an cibus ille fortium, etiam puſillis interdum conveniat. (81) CA-

(81) Optimam ab Eccleſia Catholica regulam circa divinarum Scripturarum lectionem in vernacula lingua ſuis filiis eſſe præſcriptam, ne ex vitæ fontibus, interitus poculum hauriant, quiſque præjudicata opinione minime abreptus judicabit. Sacras itaque, divinaſque literas in lingua materna iis legendi facultatem concedit, qui, juxta Parochi, vel Confeſſarii judicium ex hujuſcemodi lectione, non damnum, ſed fidei, atque pietatis augmentum deſumere ſibi poſſe creduntur. Conclamitant utique adverſus hanc Eccleſiæ Sanctionem Heterodoxi omnibus indiſcriminatim conceden-

dendam Scripturarum in propria nativa lingua lectionem, cum omnibus eam esse necessariam ad salutem contendant. Hac de causa Kemnitius in examine Concilii Trid. Sess. 4. *barbaram tyrannidem* dicit esse eam Scripturarum prohibitionem. Hunnius pariter Lib. 2. in Bellarminum Cap. 15. Calvinus, & Witakerus nullos esse a Scripturarum arcendos lectione quantumvis imperitos, neque Pontificibus potestatem inesse ut aliquos ab earum lectione dimoveant, propugnantur acerrime. Brentius progreditur adhuc, divinasque Scripturas nedum in patria lingua ubique vertendas, sed etiam in eadem publice in Ecclesiæ officiis, & ritibus esse legendas in Confess. Fidei Vuit, Cap. de Horis Canon. scribit. Alii alia hujus generis obgrunniunt, quibus tamen omnibus Catholici Scriptores refragantur, tum auctoritate freti Divinarum Scripturarum, tum perpetua Ecclesiæ praxi, qua cognoscimus Ecclesiæ ejusdem Pastoribus curam explicandi eloquia Dei populo eorum curæ concredito fuisse demandatam. Nunquid profecto omnes Apostoli? nunquid omnes Prophetæ? nunquid omnes Doctores? Quosdam quidem posuit Deus in Ecclesia Apostolos, quosdam Doctores, quosdam Prophetas; hoc in vetusta Hebræorum Synagoga pariter factum est, ut soli Sacerdotes, & Legis Doctores divinorum Librorum essent Scrutatores, & ab eis verba legis Populus audiret, atque perdisceret. Tempore etiam Apostolorum non qualibet lingua Evangelia, & Canonicæ Epistolæ scribebantur, sed Græce tantummodo, & fortassis nonnulla Hebraice, quamvis plurimæ essent aliæ populorum patriæ linguæ exaratæ creduntur. Diu in Ecclesia Dei usus triplicis illius idiomatis circa verbum Dei, hebraici nimirum, græci, & latini prævaluit. S. etenim Hieronymus Præf. 2. in Paralip. Solam LXX. Interpretum versionem in Oriente circumferri fuisse solitam animadvertit. In Africa versionem latinam, quæ dicebatur Itala, in usu fuisse ex Augustino Lib. 2. de doctrina Christ. Cap. 13. suscipimus. In toto Occidente pariter in Latino idiomate scripturam Sanctam Ecclesias habuisse, quamquam Vulgare id non esset certum est cum Isidorus hoc de Hispania, de Gallia Alcuinus, de Anglia V. Beda, de Italia Damasus Papa testentur: quæ lingua profecto hisce nationibus vernacula nequaquam tunc temporis erat. Hanc œconomiam egregie servandam curavit Ecclesia, cum scripturarum in linguam maternam conversio, earumque omnibus indiscriminatim permissa lectio magis in destructionem, quam in fidelium ædificationem vergere deberet omnino ut jam S. Hieronymus a Frassenio laudatus observaverat.

Nihili propterea facimus Hæreticorum in Sanctam Matrem Ecclesiam criminationes, quibus ejus detrahere nituntur consilio non permittendi omnibus in propria lingua scripturarum lectionem. Ajunt ergo ab Ecclesiæ Romano-Catholicæ Pastoribus ob quamdam in fideles tyrannidem exercendam violari prorsus Dei mandata, quibus, omnibus scripturarum lectio præcipitur. *Leges verba Legis hujus coram omni Israel, audientibus eis, & in unum omni populo congregato, tam viris, quam mulieribus, parvulis, & advenis, qui sunt intra portas tuas*; Scriptum est Deuteron. 31. 11. Neque hujuscemodi præceptum irritum fecit Dominus Christus, sed potius evidenter confirmavit. Joannis etenim 5. ℣. 39. loquens ad Judæos: *Scrutamini scripturas*, inquit, *& illæ sunt qui testimonium perhibent de me.* Tandem Apostolus Paulus ad Rom. cap. 15. ℣. 14. aperte pronunciavit ad nostram doctrinam scripta esse, quæcumque scripta sunt. Si autem in Sermone prorsus fidelibus impervio habeantur Scripturæ, ad quid scripta erunt, quæ in Sacris voluminibus continentur? quomodo scrutari poterunt verba vitæ, & salutis, si aut barbaro idiomate, aut ablata facultas erit legendi, quæ in Patria lingua conversa sunt divina exemplaria? hoc fraudibus est decipere fideles, & contra Dei mandatum prorsus defipere, ajunt Hetherodoxi.

Quam inepte, quam perverse contra inexpugnabilem veritatis murum arietant suis cavillis Ecclesiæ inimici! Nonne ex iisdem, quæ ab adversariis proponuntur oraculis, ipsimet jugulantur? Non unusquisque de populo legendi verba divinæ legis a Mose facultatem obtinuit, cum mulieres, parvuli, & reliquus populus auditores esse deberent. Sacerdotibus, & Senioribus Liber legis custodiendus, atque legendus, & explicandus traditus fuit, ut patet ex eodem Deuteronomii loco, versiculo 9. Testimonium autem Joannis, ut aliquid facesseret negotii Catholicis palam in eo positum esse deberet præceptum omnes omnino fideles perstringens ad Scripturas divinas perscrutandas, sicut efflagitare videntur Heterodoxi; & non potius mera Christi reprehensio ad incredulos Judæos, qui credere Christi operibus detrectabant. Jesus autem dixit eis non per modum imperandi, sed per modum indicandi = vos scrutamini Scripturas, quia putatis in ipsis vitam æternam habere: & illæ sunt, quæ testimonium perhibent de me. In hac expositione, quæ est S. Cyrilli Lib. 3. in Joannem cap. 4. & quæ ab ipsamet literali lectione prorsus descendit, quid præsidii ex illo oraculo suæ causæ præstolantur adversarii. Si tamen verum in illis verbis Christi præceptum contineri expostulaverint Hetherodoxi; iisdem demonstrandum incumbet adhuc non ad solos Pharisæos, & Principes populi, sed ad rudes omnes, atque plebejos hujuscemodi mandatum respexisse. Videant igitur nihil eorum opinioni prodesse verba Joannis. Multo minus suffragatur eisdem Apostoli ad Rom. auctoritas; cum ad omnium doctrinam scripta noscantur peroptime quæ in divinis leguntur libris, quamvis oves a Pastoribus, & rudes a Doctoribus, ut instruantur necesse sit. Ad quid Pastores, & Doctores in Dei Ecclesia positi dicuntur ab Apostolo Paulo, nisi ut panem cælestis doctrinæ frangant parvulis? nisi ut verbum Dei simpliciores edoceant? Dicant quæso Vulgaris Translationis defensores, adest ne præceptum a Christo impositum omnibus, & singulis fidelibus literas addiscendi? Negative respondere, jaculo veritatis percussi coguntur, qui literas ergo nesciunt quomodo legent etiam in vernaculam linguam sacros libros conversos? vident ne argumentorum, quæ proferunt levitatem?

Aliæ quæ ab hæreticis solent argutiunculæ proferri, vel ab exemplo majorum, qui Scripturam in patria lingua populis permisisse dicuntur, inter quos S. proponitur Hieronymus, qui in Sclavonicam linguam, sive Dalmaticam Sacros libros transtulisse ad illius gentis utilitatem ex ejus Epist. 134. ad Sophron. dicitur. S. Chrysostomus etiam ab Hæreticis in suæ adsertionis adducitur testimonium, eo quod pluribus in locis, sed præsertim in Homil. *de Lazaro* 3. postquam omnes Christi fideles ad sacrarum scripturarum lectionem fuerat cohortatus scribit „ Ne quis mihi dixerit: ego „ forensibus causis affixus sum, publica gero ne„ gotia, artificium exerceo, uxorem habeo, fa„ miliæ curam gero, mundanus homo sum, non „ est meum legere scripturas, sed eorum, qui mun„ do dixerunt vale, qui montium vertices occu„ parunt, qui vitam ejusmodi continenter agunt, „ Quid ais homo? non est tui negotii evolvere scri„ pturas, quoniam innumeris curis distraheris? „ immo tuum magis est, quam illorum; neque „ enim illi perinde scripturarum egent præsidio, „ atque nos in mediis negotiorum undis jactati „. Occurrit deinde S. Doctor eorum oppositioni, qui a Scripturarum lectione se excusari posse arbitrabantur, ex quo non intelligerent, quæ in libris sacris continentur, atque subjungit „ maxime qui„ dem etiam si non intelligas illic recondita, ta„ men ex ipsa lectione multa nascitur Sanctimo„ nia „ Hoc modo loquebantur, ajunt Hæretici, qui Dei Spiritu acti, non tyrannidem, sed Charitatem in Dei populos exercebant. Quinimmo posterioribus etiam temporibus, sed præsertim in Concilio Lateranensi primo sub Innocentio III. cautum est, ut per viros idoneos secundum diversitatem linguarum & rituum populorum, illis divina celebrentur officia. Hujus decreti executionem vir doctissimus Jacobus de Voragine Januensis Episcopus explevit piissime, quippe sacram scripturam in Italicum Idioma pro suis populis convertit. Diu antea Carolus magnus Imperator hanc suis Galliarum populis utilitatem curaverat, cum sacra Biblia in Gallicum idioma transferre

fategit. Et tandem divina in Ecclesiis officia, ac Missæ in vernacula populorum lingua a primis Christianismi sæculis celebrari consueverunt; multo ergo magis sacrarum Scripturarum lectiones in patria lingua fideles habuerunt.

Isti adversariorum cavilli dissolvuntur facillime, eum longe quam maxime distent a veritate. Nonnulli quidem ex Catholicis etiam Scriptoribus illam S. Hieronymi translationem Scripturarum in Sclavonicam linguam veram existimarunt; non pauci tamen etiam credlderunt oppositum, rem ergo adhuc sub judice nobis Hæretici in suæ assertionis firmamentum opponunt. Si negemus hanc translationem S. Hieronymi unquam extitisse, quid nobis reponent? In Epistola citata S. Doctoris id unum legimus, versionem nimirum LXX. Interpretum diligentissime emandatam olim suæ gentis hominibus a S. Hieronymo fuisse datam. Marius autem Victorius Latinos, non Dalmatas, suæ linguæ homines semper vocasse S. Hieronymum animadvertit in notis ad eam Epistolam. Et revera S. Pater in Epist. *ad Paul. & Eustochium* latinam Psalterii versionem Dalmatis dedisse, non Sclavonicam, de qua nulla in tota antiquitate legitur mentio, indicavit. Verum & si concedamus hanc in Sclavonicam linguam ab Hieronymo factam fuisse divinorum librorum versionem, convincemur ab adversariis fortasse adeo esse traditam a S. Doctore translationem hanc, ut publice in Ecclesiis legeretur, ut omnibus rudibus permitteretur, & fœminis? id ostendant nobis Hæretici, & postea, non unum ab aliquo, quocunque modo, perillustri homine sanctitatis, & doctrinæ fama gestum amplectemur nihilominus, sed quod Ecclesia Dei, quæ columna est, & firmamentum veritatis, decernit id amplectemur.

Non magis negotii quidpiam facessit, quam S. Chrysostomi opponunt, auctoritas; inter concionandum ea S. Patris verba proposita sunt, dum Populum suum Theatris, Spectaculis, aliisque oblectamentis quam maxime addictum, ab illis conabatur nugis avertere, atque ad meliorem vitæ frugem perducere. Hac de causa Scripturarum lectionem eidem proponit, ut ex historia Dominicæ Passionis, & Actuum Apostolicorum quænam Christianorum esse debeat conversatio, perdisceret. Cæterum per quamdam fuisse amplificationem locutum more oratorum Sanctum Patrem ex eo revincunt Catholici Doctores, quod Homil. 4. de Lazzaro pronunciaverit. *Non potest fieri ut quisquam salutem assequatur, ni perpetuo versetur* in *lectione spirituali*. Quis modo dixerit desperatos esse de æterna salute qui legendi artem ignorant? Sicut ergo ultima hæc Chrysostomi *verba in suppositione accommoda*, ut Scholæ loquuntur, non videlicet pro omnibus, & singulis possunt intelligi; ita pariter & præcedentia non omnes obligare credenda sunt, sed eos tantummodo, qui cum fructu Sacras lectiones peragere poterant.

Quid tándem præsidii, quæso, sibi Adversarii nostri ex Lateranensis Concilii decreto captare præsumunt, si ex facti historia cedere statim veritati cogentur? Tempore Innocentii a Latinis cum esset Costantinopolis subjugata, plerique cum Græcis ibi permixti Latini essent, ut duo in eadem Civitate constituerentur Episcopi, Summo Pontifici supplicatum est; qui tamen una cum Synodi Patribus, duos in eadem Civitate Episcopos esse non posse respondit, sed uni commisit Episcopo, ut idoneos pro Græcis Ministros Græcos, Latinos pro Latinis constitueret, ut quisque posset pro suæ gentis ritibus Sacra peragere, nunquam tamen cautum fuit, ut in vernacula lingua Sacræ Scripturæ ab omnibus legerentur; neque enim græca lingua tunc temporis erat vernacula Græcis, neque Latina Latinis, quamvis communes essent tunc temporis hujuscemodi linguæ; sicuti nostris hisce temporibus toti Occidenti lingua Latina communis est, nulli tamen vernacula.

Falso dicitur ab Hæreticis divina Scriptura in Italicum Idioma ab Jacobo de Voragine conversa, ut Innocentii decreto satisfaceret; Hic enim Episcopus peculiari suo genio protractus, laborem, diligentiamque in transferenda Scriptura consumavit. Omnium primus hic fuit, qui Italico Sermone divinam Scripturam converteret, nec id ante ipsum quispiam erat ausus. Floruit autem Vir iste præclarus ad Annum Christi 1290, cum Decretum sit editum in Lateranensi Concilio anno 1215. Credibile ne est nullum ex Catholicis alium voluisse sese Concilii statuto accomodare, nullumque in Vulgarem linguam Sacras Literas vertere, si id in Concilio mandatum fuisse, Catholicis suasum esset? Quam vero Junius commemorat in Francicam linguam translationem Scripturarum tempore Caroli Magni, fabulosam esse Catholici respondent, cum nullum ejus versionis in antiquitate vestigium sit invenire. Psalterium quidem, & Evangelium gallice olim legebantur, minime vero Libros alios, si versionem Hæreticorum Valdensium excipiamus, de qua Innocentius III. in Epistola 2. ad Metenses. Aliæ, quæ solent ab Hæreticis hac in causa proferri argumentationes facillime refelluntur. Si enim auctoritates Apostoli, aut alicujus Patris necessitatem legendi, & intelligendi Scripturam comprobantes proposuerint, eas vel ad Magistros, & Doctores Ecclesiæ, non ad plebejam gentem esse referendas reponemus, aut saltem de verbo Dei per Concionatores, & Pastores Christi fidelibus proponendo cum claritate, & intelligentia, esse exponendas hujuscemodi auctoritates declarabimus. Quot quot autem ultra a nobis indicatas proferuntur in vernaculas linguas Scripturarum translationes antiquitus factæ, sive in Africa, sive in Britannia, vel alibi, supposititiæ sunt prorsus; vel ab Ecclesia tandem merito interdictæ omnibus, & singulis, facta nihilominus aliis pro utilitate & necessitate, eas legendi facultate; Quia non levia ex hujuscemodi lectione inconvenientia, & animarum pernicies oriebantur.

Falsitatis denique eorum convincitur Hæreticorum assertio, qua in vernaculis linguis ab Apostolorum temporibus Missæ, & Officia in Ecclesiis fuisse celebrata proponunt. Certo quippe certius est in triplici solum lingua Sacra Mysteria terrarum ubique vetustis illis temporibus fuisse peracta, ut fuse demonstrat Honoratus a S. Maria *in secunda parte Dissertationis quarta Libri 5. suarum Animadversionum in Regulas Criticas*, apud quem quidquid a nobis gratia absolvendi disputationem omittitur, legi potest. Si aliquando autem a Romanis Pontificibus usum aliquibus Populis suæ vernaculæ linguæ in sacris etiam peragendis mysteriis concessum legamus, quemadmodum de Moravis testantur Historici, id justa de causa gestum nequaquam ambigimus, cum Sacri non invenirentur tunc temporis Ministri, qui latino sermone rem sacram perficere possent; & ex altera parte illius regionis incolæ, ea obtenta concessione, ad Sanctam Catholico-Romanam Ecclesiam facillime coadunarentur: Hujusmodi ergo quoties Ecclesia compellatur necessitate, vel, maxima accedente Fidelium aliquorum utilitate, expedire cognoverit Sacrorum Bibliorum in lingua patria lectionem, eam dubio procul concedet. (W)

CA-

CAPUT DUODECIMUM.

In quo de præcipuis cum veteribus, tum recentioribus divinorum Bibliorum in linguas Vernaculas translationibus.

SUMMARIUM.

I. *Nonnulli fuisse antiquitus in Vulgares populorum linguas divinæ Scripturæ factas editiones opinantur.*

II. *Aliquæ ante V. Bedæ ætatem in Britannia extitisse Bibliorum versiones in vernaculam linguam a nonnullis creduntur.*

III. *In Gothicam, & Gallicam linguas Sacra Biblia fuisse jam diu conversa, sunt qui narrant.*

IV. *Plures sequentibus temporibus in populares linguas factæ sunt Scripturarum versiones.*

V. *In Germanicam linguam Scripturarum conversio, quam fecit Lutherus, cujus fuerit conditionis?*

VI. *Calvinistarum Editio in Gallicam linguam.*

VII. *De duplici Scripturarum versione in linguam Hetruscam.*

VIII. *De Bibliorum in linguam Hispanicam, & in alia idiomata translatione.*

I. NOnnullas perantiquas fuisse versiones Vulgares cum Heterodoxis sentiunt Sixtus Senensis, [a] Andreas Schottus [b] & Petrus Galesinius, concedentes S. Chrysostomum N. Testamentum & Davidicos Psalmos in linguam *Armenicam*, ipsis Armenis tradidisse. Similiter S. Hieronymum utrumque Testamentum in linguam *Dalmaticam* suis popularibus Dalmatis tribuisse. Verum utraque hæc Editio omnino incerta est: neque enim S. Hieronymus Epistola ad Sophronium, quam in suæ assertionis patrocinium laudant Auctores illi, agit de Editione Bibliorum in linguam Dalmaticam, sed de Latina Psalterii emendatione a se excusa, quam ejus populares Dalmatæ approbabant & lectitabant, ut constat ex Epistola ad Paulam & Eustochium. Nemo pariter Veterum est qui asserat S. Chrysostomum Armenicam linguam calluisse, atque in ea lingua Bibliorum aliquam partem edidisse, tametsi id fieri potuerit S. Chrysostomi temporibus, ab aliquo erudito Armeno qui linguam Græcam calluisset, quemadmodum nonnulli factum fuisse suspicantur a *Mose* cognomento *Grammatico*; sed levioribus conjecturis hæc assertio nititur.

[a] *lib. 6. annotat. 152.*
[b] *In catalog. Interp. Script.*

Neque firmioribus momentis nixus Wittakerus, [c] asserit temporibus S. Augustini, translationem punicam extitisse; nullum siquidem illius apud S. Augustinum vestigium apparet: rem sane tanti momenti silentio non prætermissurum, præsertim libris de Doctrina Christiana & plurimis Scripturarum expositionibus, si revera Editio illa extitisset.

[c] *Contr. 1. cap. 5.*

II. Sunt qui affirmant ante venerabilis Bedæ tempora, quinque jam Bibliorum translationes vernaculas in Britannia viguisse: quod utique elici & confirmari videtur ex his Bedæ [d] verbis: *Hæc insula*, inquit, *in præsenti juxta librorum numerum, quibus lex divina scripta est, quinque Gentium linguis, unam eandemque summæ veritatis & veræ sublimitatis scientiam scrutatur & confitetur*, ANGLORUM *scilicet*, BRITONUM, SCOTORUM, PICTORUM, & LATINORUM, *quæ meditatione Scripturarum omnibus est facta communis*. Sed, inquit Serarius, hic aliud nihil dicit Beda, quam a quinque linguarum hominibus lectas fuisse in Britannia Scripturas; non tamen quod in singulas eas linguas versæ fuissent, sed quæ Latinæ tantum essent, & a Doctis in qualibet Angliæ parte ac lingua sic legerentur, & populo postmodum per conciones & catecheses vernacula lingua explicarentur; ideoque recte adjungit Beda; *Latinam linguam omnibus factam fuisse communem meditatione Scripturarum*, seu *per meditationem, lectionem, & expositionem Scripturarum*.

[d] *lib. 1.*

III. Ab *Ulphila* Gothorum Episcopo in linguam Gothicam versa esse sacra Biblia affirmant Socrates, [e] Sozomenus [f] & Valafridus Strabo; [g] eum enim omnia sacra Biblia in linguam Gothicam suis popularibus dedisse testantur. Serarius pariter loco laudato meminit duplicis antiquioris Britannicæ Scripturarum versionis, quarum primam dicit *Catholicam*, alteram vero *hæreticam* ab Wicleso elaboratam, teste Thoma Vvaldensi. [h] Meminit pariter Gallicæ translationis perantiquæ, quam, Auctoribus Vvaldensibus, seu Pauperibus de Lugduno, prodiisse constat ex Innocentio III. [i] & ex Reinerio illius temporis Scriptore. Recenset etiam Postellum [k] meminisse Gallicæ translationis quam curaverit Carolus Rex, sed an illa omnium sacrorum librorum, aut tantummodo aliquorum fuerit, & quis fuerit ille Carolus Rex, Postellus non explicat, imo neque dicit Caroli opera editos fuisse Gallice sacros libros, ejus enim verba sunt: *Rex ille Galliæ Carolus curaverat sacra in linguam Gallicam transfundi*: ubi per *sacra*, non tam Bibliorum libros, quam Ecclesiæ ritus & preces intelligere licet. Testatur tamen Tillius [l] Carolum V. dictum *sapientem*, curasse *sacros Bibliorum libros diligenter & vere transferri*, & ea in re usum fuisse opera Nicolai Oresmi

[e] *lib. 4. cap. 33.*
[f] *lib. 6. cap. 37.*
[g] *lib. de exordio & increment. rerum Eccles. cap. 7.*
[h] *lib. 2. cap. 7.*
[i] *Epist. ad Metenses.*
[k] *in lib. de Introduct. ad duodecim linguas, ubi de lingua Dalmatica.*
[l] *in Chronic. Reg. Francia anno 1380.*

Oresmi Lexovienſis Epiſcopi. Alia etiam Gallica Bibliorum Editio prodiit Lutetiæ Pariſiorum ann. 1543. in vico Elephantis apud viduam Franciſci Renolt, quam Auctor dicit ſe inſtituiſſe juſſu Caroli VIII. *Non*, inquit, *in uſum Clericorum, ſed Laicorum, &c.* habemus etiam in Bibliotheca noſtra hiſtoricos ſacros libros una cum Pſalterio Gallice elaboratos ad uſum filiæ S. Ludovici Regis.

IV. Noſtro vero & Patrum noſtrorum ævo, quamplurimæ verſiones Vulgares prodierunt, Gallicæ, Germanicæ, Hiſpanicæ, Italicæ, Belgicæ, Polonicæ, Anglicæ, &c. Eæque vel a Catholicis vel Heterodoxis adornatæ, Cum enim Lutheranorum & Calvinianorum hæreſis graſſaretur, illique pro ſuo genio Scripturam ſacram in plurimis interpolatam, atque in ſuorum errorum patrocinium depravatam, pro regionum diverſitate, in varias linguas ex fontibus Hebræis & Græcis edidiſſent, quo facilius mulierculas & plebeculam ſuis erroribus inſcarent; Catholicorum Paſtorum diligentia factum eſt, ut in variis etiam linguis vernaculis ſacra Biblia juxta Latinam Vulgatam Editionem ab Eccleſia probatam verterentur, ne ſi Ortodoxæ verſiones vernaculæ deeſſent, linguæ Latinæ & Græcæ rudes, ad Heterodoxorum verſiones declinarent.

V. Primus vero ex Heterodoxis, *Lutherus* ſacra Biblia elapſo ſæculo in Vulgarem linguam nempe Germanicam, edidit ex Hebræo Græcove textu, tametſi Hebraicæ linguæ leviter eſſet imbutus, de qua verſione hæc habet Cochlæus in actis ejuſdem, anno M. D. XXII. „ Quis ſatis enarrare „ queat, quantus diſſidiorum turbationum„ que & ruinarum fomes & occaſio fue„ rit hæc novi Teſtamenti (*& veteris*) „ translatio; in qua vir jurgiorum data opera, contra veterem & probatam Eccleſiæ „ lectionem, multa immutavit, multa decerpſit, multa addidit, & in alium ſenſum deterſit, multas adjecit in marginibus gloſſas erroneas atque cavilloſas, & in præfationibus nihil malignitatis omiſit, ut in „ partes ſuas traheret Lectorem. Inventi „ ſunt igitur ex Germanis qui ex ea trans„ latione admiſſos ab eo paſſim errores & „ mutationes collegerunt, alii ſupra mille, „ alii pauciores. Inter quos ſane Hieronymus Emſer præcipuam laudem promeruit, „ qui non ſolum notavit, ac populo edidit Lutheri errata in translatione, verum „ etiam propriam translationem, quæ probato & recepto Eccleſiæ textui Latino „ per omnia conſonaret, velut Antidotum „ contra Lutheri venena evulgavit, non „ ſine grandi Catholici populi conſolatione. Ex eo enim labore didicerunt Catholici, ubi erraſſet Lutherus, & gloriantes „ de ſuo Evangelio Lutheranos poterant „ cum fiducia refutare „.

Tametſi vero Germanica hæc Lutheri Editio plurimis nævis & erroribus fuerit referta, & etiam a doctoribus inter Proteſtantes reprobata; nihilominus tamen eam ſic inquinatam & inemendatam, ſuam in linguam verterunt Proteſtantes Sueci, Dani, aliæque Septemtrionales nationes Lutheranorum erroribus ineſcatæ; Conveniunt tandem Proteſtantium Paſtores in conventu Dordrectano congregati, an. M. DC. XVIII. Lutheri verſionem emendare, & ex ea Novam illam Belgicam cudere, quæ jam in Belgio communis eſt; eam vero Lutheranam Editionem præ cæteris inſectati ſunt & modis omnibus impugnarunt Bucerus, [a] Munſterus, [b] &c. affirmantes Lutheri lapſus in vertendis Scripturis manifeſtos eſſe & frequentiſſimos, quin etiam ipſemet Lutherus in recognitione Bibliorum a ſe editorum ingenue fatetur non ſolum Munſterum, ſed & ſe crebro erraſſe in vertendis Bibliis, quod Rabbinorum gloſſis nimium crediderit. Varios autem hujus Editionis errores colligunt Cochlæus [c] & Lindanus [d].

VI. *Robertus Olivetanus* Calvino ſicut errore ſic & ſanguine proximus; primus eſt qui ex Hebræo textu novam Gallicam verſionem aggreſſus eſt, quam typis mandavit anno M. D. XXXV. Eam pluries ad incudem revocarunt & emendarunt Prædicantes Genevenſes, quin etiam ipſe Calvinus, [e] illius emendationi plurimam poſuit operam, tum ut eam, inquit, elegantiorem redderet, tum ut Hebræo textui magis efficeret conformem, verius ut illam magis redderet difformem & ad ſuorum errorum patrocinium detorqueret. Hinc Genevenſes Miniſtri, quibus præerat Cornelius Bertrannus, hanc Calvinianam Editionem & emendationem ſummo ſtudio, & eodem animo hæretico reformarunt an. M. D. LXXXVIII. ea vero eſt quam Calviniſtæ hodierni manibus verſant. Siquidem ab eo tempore nonnulla duntaxat immutarunt vocabula jam antiquata. „ Hanc autem Editionem his „ coloribus depingit Genebrardus: Genevenſis (*interpretatio*) eſt rapſodia aſſuta „ a variis Santis, Munſteri, Vatabli & reliquorum centonibus & pannis. Si nihil „ in Theologia, ſi nihil in Dei verbo videre exactius velis, ſed nuda grammatica „ eſſe contentus, quam a Donato dudum „ debes didiciſſe, illam amplectere, in ea „ verſanda te exerce. Præterea in perpetuo „ ſis metu, ne ea falſa aliqua cogitatione „ tingant. Quin & in illa affectus dictantium & vertentium perſpicue notabis at„ que leges, &c. „.

VII. Prodiit etiam duplex *Italica tranſlatio* Bibliorum, una quidem Auctore *Brucciolo*, qui cum anno M. D. XXXVIII. Venetiis edidiſſet Biblia ſacra, ex lingua Hebraica in Hetruſcam ſeu Florentinam, alter Auctor, inquit Arnoldus Bootius, videns multa ibi aſperius ac obſcurius reddita, recognovit eam, paſſimque clariorem ac planiorem efficere anniſus eſt, ſecutus præ cæteris in hac Brucciolinæ translationis expolitione Robertum Stephanum (ſeu ut ipſe cum aliis vocat, Vatablum) & Pagninum. Altera Editio Italica, fuit adornata a Joanne *Diodati* Prædicante Genevenſi, anno M. DC. VII. cui Editioni ſcholia per mar-

[a] *Dialog. contr. Melanct.*
[b] *Præfat. in N. Teſtam.*
[c] *lib. de nevis Interpr.*
[d] *lib 1 dubitantii fol. 80. & ſeq.*
[e] *in præfat.*

margines adjuncta ſunt. Hanc poſtmodum Gallice dederunt Genevenſes.

VIII. Biblia in *linguam Hiſpanicam* primus e Chriſtianis convertit *Caſſiodoro de Regno*; cum ſuam quoque translationem habeant Hebræi Hiſpani, diu ante factam ac Ferrariæ impreſſam, ſed ſcabram admodum, ac inepte ſuperſtitioſum ubi agitur de Meſſia. Profitetur autem in præfatione Caſſiodorus, ſe paſſim ſequi translationem Sanctis Pagnini, ita tamen ut in locis difficilioribus proprio judicio uſus ſit, ac præcipue adjutus ab altera illa Judæorum translatione: fuiſſe autem ſe integros duodecim annos occupatum in Editione iſta adornanda.

Sunt & aliæ præter iſtas (ut notat Bootius [a]) Vernaculæ Editiones diverſæ, e linguis originariis factæ (de aliis enim non loquimur) puta *Polonica*, quam Nicolaus Radzivilius, Palatinus Vilnenſis, diverſos homines doctos adhibens, ac propriis ſumptibus ſuſtentans, fieri curavit, propriiſque expenſis imprimi fecit anno M. D. LXII. *Hungarica* translatio, a Gaſpare Carolo primum facta, poſtea ſecunda cura in lucem edita ab Alberto Molnar Szenzienſe Ungaro: *Islandica*, facta a variis viris doctis, Lutheri Germanicam præcipue ſecutis; cujus translationis hiſtoriam prolixe tradit Aragrimus, [b] ubi etiam docemur, linguam Islandicam eſſe veterem Norvegicam ſive Gothicam: *Cambrica*, *Britannica*, ſive *Wallica* quæ anno M. D. LXXXVIII. Londini prodiit: *Hibernica*, cujus novum Teſtamentum ante multos annos prodiit, quam Wuilhelmus Uſſerius, Dublinenſis, Eques Auratus, a viro docto quem domi alebat, fieri, ac propriis impenſis excudi curavit (82).

[a] *In indice auctorum Biblicorum.*

[b] *In deſcript. Islandiæ pag.* 155.

DISQUI-

(82) Quæcunque ſint Hæreticorum verſiones, maximam ſemper ſuſpicionem ingerant neceſſe eſt; nonnullos in primis Canonicos Libros reiiciunt, alios non Canonicos obtrudunt; ordinem Librorum invertunt, Rabbinos ſectantur, Superſtitioſi eſſe ſolent, & incoſtantes; nomina propria hominum, locorum, Regum, & Civitatum, Hebraiſmum affectantes, barbara prorſus interpretatione tranſcribunt. Quoniam autem eorum quilibet Magiſter incedit, abundat etiam in ſuo ſenſu, aliorumque criminatur translationes: Nulla propterea verſio apud ipſos tuta, ſed undequaque oriuntur ambages, omni ex parte animorum fluctuationes; quibus non parum jactatus Lutherus, in hæc tandem compulſus eſt prorumpere verba in Præfat. Tom. 3. lat. Witemb. Comment. „ Omnino me„ lius eſſet, omiſſo ſtudio Hebraicæ linguæ, fim„ pliciter retinere illam hactenus receptam, & „ uſitatam verſionem Bibliorum, quam tot novas „ verſiones æmulari, quibus nihil proficitur, niſi „ quod ſimilitudo, & diſcrepantia lectionum le„ gentium memoriam turbat, & ſtudium remo„ ratur, ac in multis locis incertiorem quam fue„ rat, dimiſerit „. Zuinglius Tom. 2. ad Luther. Lib. de Sacram. ait ab ipſomet Luthero eſſe adulteratum verbum Dei; qua de cauſa eum manifeſtum, & communem Scripturarum corruptorem, & perverſorem appellat. Lutherus ab oppoſito Zuinglianam explodit verſionem. Beza in Reſponſ. ad defenſionem Caſtalionis vocat OEcolampadii, & Baſileenſium verſionem impiam in multis locis, & a mente Spiritus Sancti prorſus alienam. Verſionem autem Caſtalionis ibidem ſacrilegam, impiam, & ethnicam nominat. Caſtalio autem viciſſim *in defenſ. translat. ſuarum par.* 18. innumeros eſſe in Bezæ verſione errores contendit. Nimius eſſem in omnium referendis Hæreticorum mutuis criminationibus circa Bibliorum verſiones, eæ igitur eorum Auctoribus relinquendæ. Non tamen iis aſſentimur Theologis, qui in verſionibus Hæreticorum, verbum Dei non contineri propugnant; Si etenim Vulgatæ noſtræ apprime reſpondeat alicujus Hæretici verſio, in eadem verbum Dei ſcriptum eſſe certum eſt; quamvis hujuſcemodi translatio non admitteretur ab Eccleſia, quatenus talis hominis fœtus eſt. (W)

DISQUISITIONUM BIBLICARUM

LIBER QUARTUS.

IN QUO

De variis Sacrorum Librorum Canonibus; de Scripturæ Sacræ partitione, integritate, auctoritate, obscuritate, diversisque ejusdem Scripturæ sensibus agitur.

PRÆLIBATIO GENERALIS.

Triplicem Scripturarum ordinem & seriem plurimi Patres Græci constituunt; Aliquas dicunt *Canonicas* ab omnibus Fidelibus summa religione recipiendas: alias *Apocryphas* penitus reiiciendas: cæteras *dubias* ac velut inter utrasque constitutas, quas aliquæ particulares Ecclesiæ admittant, aliæ repudient; non quidem ut eas sicut Apocryphas abominentur, atque e templis & Fidelium cœtu eliminent; quinimo cum reverentia excipiant, & Cathecumenis ac plebi interdum legendas esse censeant. Ista edocemur ab Origene [a], Eusebio [b], Athanasio [c] & Gregorio Nazianzeno [d], seu, ut volunt aliqui, Amphilochio Iconii Episcopo, qui eos omnes libros, quos aliqui sacros existimant, recensens, alios dicit esse *genuinos* ac legitimos: alios vero *supposititios*, quos appellat νόθους & adulterinæ monetæ comparat: cæteros vocat *medii ordinis*, qui ad veros illos ac genuinos proxime accedant. Ejus verba sunt:

a *ad cap. 4. Ioan. v. 22.*
b *lib. 1. hist. cap. 3. 25. & 31.*
c *in epist. Festal.*
d *Carmin. ad Seleuc. Iamb. 3. pag. 194.*

..... οὐχ ἅπασα βίβλος ἀσφαὴς.
Η σεμνὸν ὄνομα τῆς γραφῆς κεκτημένη.
Εἰσὶν γάρ, εἰσὶν ἀλλ' ὅτι ψευδώνυμοι
Βίβλοι. Ἰστὲ μὲν ἔμμετοι καὶ χείτονες
(Ὡς ἄν τις εἴποι) τῆς ἀληθείας λόγων.
Αἱ δ' ἂν νόθοι τε καὶ λίαν ἐπισφαλεῖς,
Ὡς σπάνιμα καὶ νόθα νομίσματα.
Ἃ βασιλικὸν μὲν τὴν ἐπιγραφὴν φέρει.
Κίβδηλα δ' ἐστὶ, ταῖς ὕλαις δολούμενα.

Non tutus omnis est liber, sacri libri
In fronte nomen quisquis augustum gerit.
Sunt namque, falsum qui gerant nomen, libri,
Sunt medii, ab illis dissiti haud sane procul,
Quos esse veros nullus est qui deneget.
Ac rursus alii sunt nothi atque noxii,
Adulterinos cernere est numos velut:
Inscriptionem regiam qui cum gerant,
Nothi tamen sunt, ære non auro editi.

Verum a cæteris, imo & ab eisdem Patribus tam Græcis quam Latinis duo solum Scripturæ genera statuuntur, nimirum *Canonicæ*, cujus dictator sit Spiritus S. & *Apocryphæ*, cujus Auctor solus homo. Sic S. Cyrillus Hierosolym. e τῶν διαθήκων καὶ παρὰ πᾶσιν ὁμολογουμένων, & ἀπορρήτων καὶ ἀμφιβαλλομένων. Sic etiam Gregorius Nazianz. f θεῖοι seu γνήσιοι, *Sacrorum* seu *legitimorum*, & παρεισγράπτους seu μὴ γνησίους, *ascititiorum*, seu *non legitimorum*. Sic pariter Eusebius in eadem Historia Ecclesiastica g, quibus consentiunt Latini Patres, præsertim S. Hieronymus in prolog. galeat. & alibi sæpe [h], & Innocentius I. [i] qui texens indicem Scripturarum meminit duntaxat *receptarum in Canone*, ac *repudiandarum*. Similiter S. Augustinus [k] qui cum dixisset Scripturarum libros duplicis esse generis, alios quidem *Canonicos*, alios *Apocryphos*, subiicit Canonicos eos censeri, qui vel ab omnibus accipiuntur Ecclesiis Catholicis; vel a pluribus & gravioribus; vel a paucioribus minorisque utilitatis; vel forte a pluribus, at non gravioribus; aut denique forsan a gravioribus, sed non pluribus: unde non omnimode, aut majoris, aut æqualis auctoritatis censeri debent: quam auctoritatis inæqualitatem Judæis non fuisse inauditam erudite colligit Doctissimus Joannes Baptista Cotelerius [l] ex Philone, *lib. de vita contemplativa*, Josepho, *lib. 1. contra Apionem*, atque Hieronymo, *in Præfationib. ad libros Reg. Tobiæ, Iudithæ, Salomonis & Danielis*. Similiter Apocryphi libri gradus obtinent, pro ut ad veritatem ac pietatem; falsitatem ac impietatem magis aut minus inclinant.

e *Cateches. 4.*
f *Carm. 33.*
g *lib. 3. cap. 3.*
h *Epist. 129. & in cap. 2. Epist. ad Tit.*
i *Epist. 3. cap. 7.*
k *lib. 2. de Doctr. Christ. cap. 8.*
l *in notis ad Epist. S. Barnabæ.*

Apocryphos libros sic nominatos quidam existimant a voce κρύπτω, quod videlicet libri illi tametsi pietatem ac legitimam do-

ctrinam plurimum redolentes, cum aliis sacris libris, præsertim Mosaicis, non essent ad latus Arcæ fœderis Domini reconditi, sicut præceperat Moses. [a] Ita præ cæteris censuit S. Epiphanius [b], qui libros Sapientiæ & Ecclesiastici quamvis utiles, e Canonicorum albo seclusos fuisse ait, quod *in Aaron reposiți non sunt, hoc est, in Arca fœderis*. Cui subscribens S. Damascenus, ait: *Panaretus, hoc est, Sapientia sermonis & Sapientia Jesu, egregia quidem virtutis præcepta continent & pulchri sunt libri; sed non numerantur, neque in Arca habentur.* Verum quam gratis quæsita sit & conficta hæc vocis Apocryphi ethymologia, apparet ex eo vocabulo unde eam derivatam esse volunt. Quis enim unquam *Arcam* vocavit κρύπτον? Accedit quod ea ratione soli libri Mosis dicendi essent *Canonici*, cæteri vero omnes, præsertim libri Prophetarum, *Apocryphi*; eorum enim plerosque post illatam Babylonis cladem scriptos, citra controversiam est: at fœderis Arcam, cum Hierosolyma a Babyloniis excinderetur, in spelunca fuisse a Jeremia absconditam, legimus in lib. II. Machab. cap. II. Non potuerunt igitur illi Prophetici libri ad latus Arcæ fœderis, quæ jam diu ablata erat, cum Mosaicis recondi.

a *Deut.* 31. 24.

b *lib. de ponder. & mens. cap.* 4.

Verosimilior meo judicio eorum sententia est, qui vocis *Apocryphi* originem derivant a verbo κρύπτω, quod est *occulto, abscondo*. Unde vulgata nostra habet [c]: *In quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi*; Græcus profert: Ἐν ᾧ εἰσὶ πάντες οἱ θησαυροὶ τῆς σοφίας καὶ τῆς γνώσεως ἀπόκρυφοι. Quamobrem primaria, eaque genuina hujus vocis apud Veteres acceptio denotat librum arcanum, & reverentiæ causa, inaccessum & reconditum; tales erant Tyriorum & Ægyptiorum Annales sacri, qui διακεχωρισμένα βίβλοι & ἀπόκρυφοι passim appellantur. Reperimus etiam apud Suidam, quo loco loquitur de Paphrodito Grammatico, aitque eum triginta millia διακεχωρισμένων βίβλων possedisse, interpretari ἀποκρύφων.

c *ad Coloss.* 2. v. 3.

At quoniam in more positum fuit apud veteres Ecclesiæ Pastores & Doctores, ut libri illi quorum origo vel erat incerta, vel auctoritas dubia, vel doctrina ex parte periculosa Fidelium plebi interdicerentur, nec in Ecclesiis legerentur publice, nec in omnium usus venirent, sed in abscondito servarentur, ut duntaxat essent pervii Doctioribus, qui eorum aut inanitatem, aut dogmatum perversitatem deprehenderent & refellerent; occasione reconditorum illorum librorum factum est ut vox *Apocryphus* male sonaret, significaretque libros aut spurios & interpolatos, aut perversa redolentes dogmata, aut quorum incerta esset origo & dubia auctoritas. Hoc sensu vocem illam accipit S. Hieronymus *Epist. ad Lætam*, ubi inter cætera quæ ad filiæ institutionem præcepta præscribit: *Caveat*, inquit, *omnia Apocrypha. Et si quando ea non ad dogmatum veritatem, sed ad signorum reverentiam legere voluerit, sciat eorum esse, quorum titulis prænotantur, multaque his admixta vitiosa, & grandis esse prudentiæ, aurum in luto quærere.* Et alibi [d] enarrans illud Isaiæ: A SÆCULO NON AUDIERUNT, &c. *Paraphrasim*, inquit, *hujus testimonii quasi Hebræus ex Hebræis, assumit Apostolus Paulus de Authenticis libris in epistola quam scribit ad Corinthios, non verbum ex verbo reddens, quod facere omnino contemnit, sed sensuum exprimens veritatem, quibus utitur ad id quod voluerit roborandum: unde Apocryphorum deliramenta conticeant, quæ ex occasione hujus testimonii ingeruntur Ecclesiis Christi, de quibus vere dici potest, quod sedeat Diabolus in insidiis cum divitibus in Apocryphis, ut interficiat innocentem.* Et iterum [e]: *Insidiatur in Apocrypho, quasi leo in spelunca sua, insidiatur, ut rapiat pauperem.*

d *in Commentar. Isaiæ. cap.* 64.

e *Psalm.* 9.

Hieronymo concinit Augustinus [f], qui sermonem faciens de scriptis nonnullorum Patriarcharum, præsertim de libris Enochi nomine evulgatis, scribit: *Omittamus*, ait, *earum Scripturarum fabulas, quæ* APOCRYPHÆ *nuncupantur, eo quod earum occulta origo non claruit Patribus, a quibus usque ad nos auctoritas veracium Scripturarum certissima & notissima successione pervenit. In his autem* APOCRYPHIS *etsi invenitur aliqua veritas; tamen propter multa falsa, nulla est Canonica auctoritas.* Et paulo post de libris & scriptis Enochi nomine vulgatis, subdit: *Cur non sunt in Canone? nisi quia ob antiquitatem suspectæ fidei indicata sunt, nec utrum hæc essent, quæ ille scripsisset, poterat inveniri; non proferentibus ea talibus, qui ea per seriem successionis reperirentur rite servasse.*

f *lib.* 15. *de Civit. cap.* 23.

Augustinum excipit Gelasius Summus Pontifex, qui in Concilio Romano librorum Apocryphorum indicem scribens; ait: APOCRYPHA *dicimus, quæ ab Hæreticis sive Schismaticis conscripta & prædicata sunt, & quæ nullatenus recipit Catholica & Apostolica Ecclesia Romana.* Plenius rem effert Joannes de Janua: APOCRYPHA, inquit, *proprie dicuntur illa scripta, quorum origo ignoratur: & quamvis ibi sint multa vera, tamen non habentur in auctoritate propter plura falsa quæ ibi continentur.* Sic etiam Bernaldus Presbyter Constantiensis [g]: APOCRYPHA *autem dici Ecclesiastici Doctores tradunt, non quia omnia mentiantur, sed quia dubiæ & suspectæ auctoritatis esse videantur. Nam sæpissime multa Canonica suis næniis interserunt; quæ nequaquam Catholici cum eisdem næniis refutare debebunt.*

g *lib. de reconcil. lapsor. pag.* 258

Unde vero factum fuerit, ut vox *Apocryphus* quæ initio rem arcanam, & venerationis causa reconditam significabat, pravum in sensum fuerit deflexa, difficile dictu est. Crediderim ego id ortum habuisse a Judæis; qui post adventum Messiæ, videntes clara de eo haberi testimonia in nonnullis Sibyllarum versibus, quos antea pro arcanis & sacris habebant, eos proscripserunt, & in numerum *Apocryphorum* redegerunt, detorta a vera significatione vocis natura; sed hæc non sunt hujus loci, & alibi fusius tractari poterunt, unum monere

re

re sufficiat Judæis non fuisse difficile hanc, quam attigi, mutationem efficere, propterea quod publico jam cautum erat edicto, ne quis legeret Sibyllinos alioſque fatidicos libros continentes adventum Regis.

Canonici vero libri sunt qui ab Ecclesia probantur, & publicam in ea auctoritatem obtinent, deserviuntque ad stabiliendas fidei sanctiones & morum regulas: *Canonem* enim, inquit Papias, id appellant Græci, quod Latini *regulam* dicunt: est autem Regula instrumentum a quo fabri lineamenta artis petunt, velut a norma & Lege quadam, ut discernant rectum ab obliquo & inflexo. Unde per metaphoram ea vox translata est ad Leges, quibus aliquid præscribitur; *Lex enim* (ait Chrysippus) *regula justorum & injustorum est*. Quamobrem status & ordo quisque, sive Ecclesiasticus, sive civilis, suum *Canonem* habet, secundum quem componere se debeat. Hinc
a *cap.* 32. Capitulare primum Caroli Magni [a] incerti anni, decernit: *Ut Abbates Canonici*, CANONES *intelligant*, & CANONES *observent*; *& Clerici Canonici secundum* CANONES *vivant*. Quid vero per *Canonem* hic intelligat, distinctius explicat capite seq. *Ut Abbates regulares & Monachi* REGULAM *intelligant & secundum* REGULAM *vivant*.

Est etiam alia hujusce vocis *Canonis* significatio, nimirum pro certo rerum quarundam indice, distributione & solutione: sic enim vocatus fuit *Canon frumentarius*
b *in Heliogabal.* apud Lampridium [b]; & *Canon aurarius*
c *in Severo.* apud Spartianum [c]. Unde forte Clerici, qui ex Ecclesiasticis stipendiis menstruis victitabant, dicti sunt *Canonici* a *Canone frumentario*, seu distributione bonorum temporalium Ecclesiæ, quæ *consueta Clericorum stipendia* dicta sunt in Concilio Valentino
d *cap.* 2. [d], Agathensi [e], & Narbonensi [f]: Nam
e *cap.* 36.
f *ann.* 589. universa Ecclesiarum substantia in quatuor
Can. 10. & 12. partes dividebatur, *quarum unam Episcopus sibi retinebat*, *alteram Clerici pro officiorum sedulitate obtinebant*, *tertia fabricis*, *quarta pauperibus & peregrinis erogabatur*, ut est in Epistola Gelasii PP. ad Episcopos Lucaniæ, in Canonibus Silvestri PP. (si tamen illi genuini sint) in Resp. Sancti Gregorii PP. ad Augustinum Anglor. Episcopum, &c. Ludit in hoc Ecclesiastici & civilis *Canonis* ambiguo vocabulo Wol-
g *homil. de zizania.* cuinus Abbas [g], cum ait, sane eleganter juxta ac severe: *Rara avis in terris hodie Canonicus est a* CANONE VITÆ; *unde ergo? audi*, *unde*. *Est namque* CANON VITÆ, *& est* CANON PECUNIÆ: *videlicet alicujus pensionis certæ; unde solet dici*: *Solve mihi* CANONEM *meum*, *id est*, PENSIONEM *meam*. *Eia ergo*, *o Canonice*, *inveniamus* CANONEM *tuum*, *a quo derivaris*. *Id est*, *a* CANONE PECUNIÆ, *non a* CANONE VITÆ: *idest a Canone regionis*, *non a Canone religionis*.

Porro Canonis vocem, quatenus *indicem Ecclesiæ Ministrorum* significat, usurpatam habes in Concilio Nicæno [h], Calh *Can.* 16. cedonensi [i] & Antiocheno [k], ubi legimus; i *Can.* 2. k *Can.* 2. *Si quis deprehensus fuerit Episcopus aut Pre-*

sbyter aut Diaconus, *aut alius qui de* CANONE *sit*, *cum Excommunicatis communicans*, *&c.* Hinc Fidelium defunctorum, præsertim Episcoporum indices seu Catalogi a singulis Ecclesiis antiquitus conscribi soliti, dicuntur *Canones Ecclesiastici* apud Nice-
l *lib.* 14. *cap.* 25. phorum [l] illa quoque Liturgiæ pars in qua Sanctorum conscripta nomina pronuntiantur, quorum opem Sancta Ecclesia ante & post mysticam consecrationem invocat, ex antiqua denominatione *Canon* dici solet, voxque ipsa *Canonizandi*, ortum inde habere videtur; *vel quia* in Missæ *Canone* nomen addebatur ejus quem in Ecclesia
m *lib.* 1. *adverſ. Parmeni.* vindicabat, ut loquitur Optatus [m], hoc est, Sanctorum numero recenter adscribebat; *vel quia* sanctus defunctus, cujus publice colendi & invocandi nova per Ecclesiam potestas fiebat, *Canoni*, hoc est, Sanctorum Catalogo inscribebatur, ut nullus publico cultu honoraretur, aut invocaretur, qui non publico illo albo esset inscriptus.

Juxta hanc utramque *Canonis* acceptionem Scriptura Sacra a SS. Patribus *sacer Canon* appellatur, & *Scriptura Canonica*: primo quod maxime proprium est regulæ, hoc habet perfectissime, ut semper recte ducat, & normam vivendi ac credendi præscribat inflexibilem. Unde S. Irenæus [n], n *lib.* 4. *cap.* 69. Scripturam esse dicit, τὸν κανόνα τῆς ἀληθείας ἀκλινῆ, *regulam veritatis indeclinabilem*. S. o *Homil.* 13. *in* 2. *ad Cor.* Chrysostomus [o], ἀκριβῆ ζυγὸν ἁπάντων, καὶ γνώμονα, καὶ κανόνα, *exactissimam omnium rerum trutinam*, *normam & regulam*. A S. Basilio [p] p *Epist. ad Eust. Medicum.* etiam dicitur νόμος καὶ κανὼν τῆς ἰσθῆς λόγου, *regula recti normaque veri*. A S. Augustino [q] q *lib.* 2. *de bapt. cont. Donat. cap.* 6. autem vocatur STATERA; *Adferamus*, inquit, *divinam* STATERAM *de Scripturis Sanctis*, *tanquam de thesauris Dominicis*. Varinus autem ait partem illam in trutinis quæ in medio librilis consistit, indicem vel excessus, vel defectus, vel æquilibrii, *Canonem* appellari. Quæ utique appellatio aptissime Scripturæ sacræ convenit. Hæc enim est æqui rectique regula, ex qua potissimum fidei ac vitæ Christianæ documenta petenda sunt. Præterea cum Catalogus certa sit regula & norma ad eos dignoscendos qui in illo recensentur: ita Scripturæ sacræ librorum Catalogus rectissime *Canon* appellatur, cum sit index eorum librorum qui pro sacris haberi debeant. Unde sanctus Augustinus: *Salubri vigilantia*, inquit, *Canon Ecclesiasticus constitutus est*, *ad quem certi Prophetarum & Apostolorum libri pertineant*, *quos omnino judicare non audeamus*; *& secundum quos de cæteris vel Fidelium*, *vel Infidelium libris libere judicemus*.

Duplici itaque ratione sacri libri dicuntur *Canonici*, nimirum quia fidei ac pietatis regulam & normam præscribunt; & insuper in divinorum librorum Catalogum ac numerum sunt relati. A quo autem hic editus ac præscriptus sit sacer *Canon*, quive sint utriusque Testamenti veteris & novi Canones & sacri libri revera Canonici, definiendum est in sequentibus capitibus.

CAPUT PRIMUM.

De Canonibus Sacrorum librorum utriusque Testamenti.

SUMMARIUM.

I. *Quid sit Canon Scripturarum.*
II. *Quot, & qui fuerint Canones Librorum in veteri Synagoga Hebræorum.*
III. *Auctoris opinio de Canonibus Sacrorum Librorum apud Hebræos.*
IV. *Nehemias Librorum Canonem post Esdram constituit.*
V. *Judas Machabæus Sacrorum Librorum Canonem composuit.*
VI. *De Canonibus Sacrorum Librorum post Christum Dominum conditis.*
VII. *Græci Patres, inter quos Melitho Sardensis Episcopus Canonem Librorum Sacrorum constituerunt.*
VIII. *Origenes suum Librorum Sacrorum Canonem concinnavit.*
IX. *Sanctus Athanasius pariter indicem Sacrorum Librorum confecit.*
X. *De Sancti Gregorii Nazianzeni, sive Amphilochii Canone divinorum Librorum.*
XI. *S. Cyrillus Hierosolymitanus suum Librorum Canonem composuit.*
XII. *Sancti Epiphanii recensio Sacrorum Librorum veteris Testamenti.*
XIII. *Sancti Joannis Damasceni Canon Sacrorum Librorum refertur.*
XIV. *Nicephori Constantinopolitani Canon divinorum Librorum.*
XV. *Canones Sacrorum Librorum a præcipuis Ecclesiæ Latinæ Patribus confecti recensentur.*
XVI. *Indices divinorum Librorum a Conciliis, & Summis Pontificibus constituti.*
XVII. *Canon Sacrorum Librorum a Synodo Laodicæna præscriptus, in quo nonnulli Sacri Libri prætermittuntur, & quare.*
XVIII. *Innocentius I. Pontifex Sacrorum Librorum Canonem præscribit.*
XIX. *Synodus Carthaginensis Indicem divinorum Librorum statuit.*
XX. *Synodus Nicæna Librorum Sanctorum Canonem decrevit.*
XXI. *Cuinam Auctoritas statuendi Librorum Canonem ex S. Augustino conveniat.*
XXII. *Hujus Sancti Doctoris sententiam frustra concutiunt Hetherodoxi.*
XXIII. *Sancti Ecclesiæ Patres certitudinem divinorum Librorum veteris testamenti non ex solo Synagogæ Canone derivarunt.*

I. VOce *Canonis*, Sacrorum librorum collectionem ac catalogum legitimo Synagogæ vel Ecclesiæ consensu atque decreto determinatum & comprobatum, hic intelligendum esse ex dictis liquet. Qui vero fuerint istius collectionis Auctores cum apud Judæos, tum apud Christianos, non adeo compertum est. Quamobrem ut huic quæstioni cum utili per sese, tum ad institutum nostrum valde opportunæ, pro modulo nostro facere satis, usurpata hactenus methodo tentemus, in præsenti capite tria proponimus determinanda: *Primum* quot, & a quibus conditi fuerint Sacrorum librorum veteris Testamenti Canones Hebræi: *Secundum* quinam fuerint ab Ecclesiæ primordio ad nos usque constituti eorundem librorum Canones Ecclesiastici: *Tertium denique* quotuplex fuerit vetus & recens sacrorum illorum Codicum in partes distributio, quæ singula sub diversis titulis & paragraphis expendemus.

§. I.

Quot & qui fuerint Sacrorum librorum veteris Testamenti Canones Hebræi.

II. QUæstionem hanc virorum eruditorum studio & ingenio dignam versant plurimi; at non una illis eadere sententia est: triplicem enim a Judæis constitutum sacrum Canonem affirmat Genebrardus [a], *Primum* adscribit Synodo magnæ quam quintam appellat: Prophetis, *inquit*, succedit Synagoga magna, cujus Principes Esras, Neemias, Mardochæus, Zorobabel, Josue „. Hi præfuerunt Concilio, quod centum viginti homines, quorum alii nobiles, alii plebeii erant, de emendandis libris sacris, eorumque constituendo Canone juxta præscriptum Cabbalæ inierunt, ubi & sanxerunt Josuam ita fuisse edoctum a Mose, a Josua Seniores, a Senioribus Prophetas. Concilii Notarius sive Scriba (sic enim vocatur Ezræ VII.) fuit Ezras; cui etiam interfuisse, aut potius præfuisse tradunt Danielem, Ananiam, Azariam, Misaelem, Aggæum, Zachariam & Malachiam „. *Hæc ille*. Ita etiam testantur Elias [b] & R. Moses [c], nec non Talmud. [d] *Secundum Canonem* tribuit Hierosolymitanæ Synodo sextæ, quam fuisse coactam vult anno Mundi 3860.

[a] *lib. 2. Chronol. ad ann. Mundi 3658.*

[b] *præf. 3. Massor. Hammasor.*
[c] *præfat. in Sepher. Mizuhoth.*
[d] *Tract. de Votis.*

3860. pro sacris Codicibus Hebræis & Interpretibus qui illos Græce redderent, ad Ptolemæum Philadelphum mittendis: in eum autem Canonem insertos fuisse putat libros sacros qui post quintam Synodum prodierant, puta Tobiæ & Judithæ historias, Ecclesiasticum & Sapientiam, quos per utriusque Synodi intervallum editos censet. *Tertium Canonem* conditum fuisse existimat in septima Synodo coacta circa annum Mundi 3952. ad probandos Pharisæos, quorum duces Sammai & Hillel; damnandos vero Sadoch & Barjethos Saducæorum Principes: ubi, inquit, libri Machabæorum videntur primum inter sacros relati, & tertius Hebræorum Canon constitutus.

a *cap.* 8. *quæstion.* 16.
b *in appendice Controvers. quæst.* 13.

Serarius a & Guillelmus Bailius b, aliique viri literati, geminum tantum Hebræum Canonem admittunt; priorem ab Esdra confectum & a Synodo magna probatum: posteriorem vero a Synodo magna, vel cum mittendi essent ad Regem Ptolemæum sacri Codices & LXX. Interpretes; vel certe quando cœpit agitari Saducæorum contra Pharisæos controversia: Huetius c vero cum plurimis Heterodoxis, maxime Riveto, Hottingero, &c. putat unicum duntaxat apud Judæos fuisse sacrorum librorum Canonem, eum videlicet quem Esdras edidit & Synagoga magna probavit. In hac sententiarum diversitate, quid verisimilius tenendum mihi videatur paucis aperio.

c *Propos.* 4. *p.* 262.

III. Primo Scripturarum Canonem temporibus Esdræ sacrorum librorum restitutoris editum fuisse, manifestum facit in primis Septuaginta Senum interpretatio & Codex ille sacer aureis literis exaratus, quem Eleazarus Pontifex una cum LXX. illis eruditissimis Senibus ad Ptolemæum Philadelphi Regem transmisit: hauddubium namque videtur jam collectos esse libros sacros & in eo aureo Codice ea serie ordinatos, qua illos a LXX. Interpretibus Græce descriptos habemus. *Præterea* Sapientes illi Senes non solum Mosis Pentateuchum, ut gratis fingunt aliqui, Græce reddiderunt: sed etiam cæteros libros veteris Testamenti, ut antea a nobis probatum est: Oportuit itaque eos prius fuisse collectos & ordinatos, constitutumque eorum Canonem, ne spurias pro genuinis, & Apocryphas pro authenticis Scripturas ingererent. *Denique* Syracides Ecclesiastici libri Scriptor, non obscure significat sua ætate Scripturæ sacræ libros eadem serie compactos fuisse, qua jam extant; is enim cum plerosque sanctos veteris Testamenti viros celebrare instituisset cap. XLIX. postquam Isaiam, Jeremiam & Ezechielem commendavit, servato Judaici Canonis ordine, duodecim minores Prophetas, subjungit: *Et duodecim*, inquit, *Prophetarum ossa pullulent de loco suo, nam corroboraverunt Iacob & redemerunt se in fide virtutis*. Quibus cum statim annumeret Zorobabelem, Jesum Josedech & Nehemiam Principes Synagogæ magnæ, indicium est jam sua ætate sacros libros, tunc eo quem nunc habemus ordine, fuisse collectos; præcedunt enim Prophetæ majores, illos autem qui Minores dicuntur, subsequuntur. Itaque eo tempore jam editus erat Hebræus Canon, non ab alio certe quam ab Esdra, Patriæ, antiquitatis, Hebraicorum rituum sacrarumque literarum peritissimo.

IV. Esdræ diligentiam ac circa sacra volumina recensenda & discutienda, eorumque constituendum Canonem imitatus est Nehemias, qui diutissime vixit, quippe cum (ut volunt aliqui) vitam traduxisse videatur ab Artaxerxis ævo, non Mnemonis, ut contendit Scaliger d, sed Longimani ad Darium Codomannum, de quibus inferius, quo temporis decursu, cum post Esdrinum constitutum Canonem plures alii libri fuissent conscripti, novam sacrorum voluminum seriem & collectionem instituit, ut apparet ex iis secundi libri Machabæorum verbis cap. II. 19. *Inferebantur autem in descriptionibus & commentariis Nehemiæ hæc eadem; & ut construens bibliothecam, congregavit e regionibus libros, & Prophetarum, & David, & Epistolas Regum, & de donariis, &c.* Quibus significatur Nehemiam sacros libros magna diligentia conquisivisse; & rerum ab Israelitis & a se gestarum commentarios edidisse, quos in sacrum Canonem approbante Synagoga magna retulerit. Quamobrem liber ejus nomine inscriptus hauddubie continebatur in exemplari ab Eleazaro Pontifice ad Ptolemæum Philadelphum transmisso, siquidem cum reliquis voluminibus sacris a LXX. Senibus Græce fuit transcriptus.

d *in Proleg. lib. de Emend. temp.*

V. Alteram sacrorum voluminum collectionem & recensionem fecisse Judam Machabæum annis centum circiter & viginti post sacros Codices Græca interpretatione donatos, refert ibidem mox citatus Machabæorum liber his verbis: *Similiter autem & Judas, ea quæ deciderant per bellum quod nobis acciderat, congregavit omnia, & sunt apud nos. Si ergo desideratis hæc, mittite qui perferant vobis.* Ubi Judæis in Ægypto commorantibus, apud quos ista verba scribunt, significant, quod etsi libros quosdam sacros haberent, tamen multo plures esse Judæos Hierosolymis & in Palæstina degentes. Conducit ad hujus veritatis illustrationem, religiosum Judæorum studium, quo post publicas bellorum calamitates & vexationes, sacris libris colligendis & ex integro restituendis invigilabant, cujus piæ consuetudinis meminit Josephus e scribens, ut cum ingruissent bella, Sacerdotes pace reddita, sacros libros recensere solitos: *Neque*, inquit, *unicuique de rebus sacris scripta in vulgus edere fas erat, sed solummodo Prophetis, qui Dei instinctu præterita ac præsentia norunt, & quæ suorum sunt temporum facta palam conscribunt.* Porro sanctos libros misere vexatos ac dissipatos fuisse Machabæorum temporibus liquet ex lib. I. cap. I. v. 59. ubi inter impias & sacrilegas Antiochi ejusque nefariorum ministrorum in Judæos grassationes, legimus quod *Libros Legis Dei combusserunt igni scindentes eos & apud quemcunque inveniebantur libri Testamenti Domini, & quicum-*

e *lib.* 1. *cont. Appion. pag.* 1056.

eumque conservabat Legem Domini, secundum edictum Regis trucidabant eum. Itaque nemini dubium esse debet Judam Machabæum ejusque fratres, erga Legis observantiam & Judaicæ Legis restaurationem studiosissimos, omnem suam posuisse operam in colligendis ac restituendis sacris libris, & novo eorum Canone restituendo. Cui præcipuam firmitatem contulisse Joannem Hyrcanum Simonis filium mihi argumentum est, nedum diuturna illa pax, qua devictis Judæorum hostibus potitus est, sed etiam zelus ardentissimus quo in restituendis priorem in modum rebus sacris assidue flagravit.

Triplex itaque ex his colligenda videtur Hebræi Canonis institutio: *Prima* quidem ab Esdra: *Secunda* a Nehemia: *Tertia* a Machabæis, quos verosimile est in sacrum Canonem adjecisse eos libros sacros qui post Esdram fuerant conscripti, puta librum Tobiæ, Judith, Ecclesiastici, & duos Machabæorum priores, qui tametsi parem cum illis qui in Esdrino Canone inserti fuerant, apud Judæos auctoritatem non obtinerent, nihilominus revera ut libri sacri habebantur; qua de re audiendus est Josephus scribens quoscunque libros ab Artaxerxe Longimano ad suam ætatem conscriptos, non æqualem prioribus fidem esse consecutos (*ejus verba sunt*) infiniti libri non sunt apud nos discordantes & „ sibimet repugnantes: sed solummodo duo „ & viginti libri, habentes temporis to„ tius conscriptionem: quorum juste fides „ admittitur: Horum ergo quinque quidem „ sunt Moseos, qui nativitates continent, „ & humanæ generationis traditionem ha„ bent usque ad ejus mortem. Hoc tem„ pus de tribus millibus annis paululum „ minus est. A morte vero Moseos usque „ ad Artaxerxem Persarum regem, qui „ fuit post Xerxem, Prophetæ suorum tem„ porum res gestas conscripserunt in tre„ decim libris. Reliqui vero quatuor hy„ mnos in Deum, & vitæ humanæ præ„ cepta noscuntur continere. Ab Artaxerxe „ vero usque ad nostrum tempus singula „ quidem conscripta, non tamen priori si„ mili fide sunt habita eo quod non fue„ rit certa successio Prophetarum. Palam „ namque est ipsis operibus, quemadmo„ dum nos propriis literis credimus: tanto „ namque sæculo jam præterito neque adii„ cere quicquam aliquis, nec auferre, nec „ transformare præsumpsit. „ *Hæc ille.*

2 Quod autem illi posteriores libri, etiam uti sacri a Judæis haberentur, testis est ipsemet Josephus qui tanquam Scripturam Sacram, & velut sententiam ex divinis libris mutuatam citat quod legitur Eccles. XLII. *Iniquitas viri melior est, quam mulier benefaciens.* (1) [a] *lib. 2. contra Appion.*

§. II.

Quando & a quibus conditi fuerint Sacrorum librorum Canones Ecclesiastici.

VI. PRimum Ecclesiastici sacrorum Librorum Canonis specimen exhibet Canon 85. seu ultimus eorum omnium qui Apostolis tribuuntur, ubi ita sancitum legimus: „ Sint vobis omnibus, Clericis & „ Laicis, libri venerandi & sancti, veteris quidem Testamenti, Mosis quinque, „ Genesis, Exodus, Leviticus, Numeri, „ Deuteronomium. Jesu Nave, unus; Judicum, unus; Ruth, unus; Regnorum, „ quatuor; Paralipomenon, id est, derelictorum, duo; Esdræ, duo; Esther, „ unus; Macchabæorum, tres; Job, unus; „ Psalterium, unus; Salomonis, tres; Proverbia, Ecclesiastes, Cantica Canticorum; Prophetarum XII. unus; Isaiæ, „ unus; Jeremiæ unus; Ezechiel, unus; „ Daniel, unus; Extrinsecus autem a vo„ bis intelligatur, debere vestros adolescen„ tes discere sapientiam eruditissimi Sy„ rach. Nostra autem I. novi Testamenti „ Evangelia quatuor, Matthæi, Marci, „ Lucæ, Joannis; Pauli epistolæ, quatuor„ decim; Petri Apostoli, duæ; Joannis, „ tres; Jacobi, una; Clementis Epistolæ „ duæ & ordinationes vobis episcopis per „ me Clementem in octo libris editæ, quæ „ non sunt omnibus divulgandæ propter „ ea quæ sunt in eis mystica, & Actus „ nostri Apostolorum.„

Verum tametsi octoginta quinque illi Canones sexto ineunte sæculo ab Orientalibus Ecclesiis recepti & approbati videantur, ut constat tum ex Constitutione Justinia-

(1) Triplicem Sacrorum Librorum Canonem in veteri Synagoga fuisse institutum, quorum primum ab Esdra, de quo nemo dubitat, Alterum ad annum Mundi 3860. num. 10. & tertium tandem ad annum 3952. Genebrardus tuetur, in quibus Libros Judith, Tobiæ, & duos Machabæorum primos repositos fuisse arbitratur. Huic opinioni alii refragantur contendentes hujuscemodi Libros, ab Hæbreis, alicujus auctoritatis quidem fuisse habitos, sed nusquam ab eorum Concilio positive aut receptos fuisse aut reprobatos. Antiquiores profecto Ecclesiæ Patres, ut Hieronymus in Prolog. Galeato, Nazianzenus, Isidorus, aliique viginti duos tantummodo ex Hæbreorum Canone Libros constanter recensuerunt, videlicet Genesim, Exodum, Leviticum, Numeros, Deuteronomium, Josue, Judices, & Ruth; Libros quatuor Regnorum, duos Paralipomenon, Job, Psalterium, Proverbia, Ecclesiasten, Cantica, Isaiam, Jeremiam, Ezechielem, Danielem, Librum duodecim Prophetarum Minorum, Esdram cum Nehemia, & Esther. Alios autem Libros veteris Testamenti, Judithæ nimirum, Sapientiæ, Ecclesiastici, Tobiæ, nec non primum, & secundum Machabæorum in Canone Hebræorum fuisse aliquando conscriptos est incredibile, inquit Huetius, cum S. Hieronymus eos extra divinorum Librorum Canonem apud Hebræos extitisse palam affirmet. Quidquid sit tamen nobis de Canone Librorum a Catholica Ecclesia conscripto cura esse debet. (W)

a *Can.* 2. stiniani Augusti, tum ex Trullana Synodo [a]; quin etiam in Ecclesia Latina priores quinquaginta aliquid auctoritatis habuerint, & in causis Ecclesiasticis judicandis interdum deservierint; tamen eos Canones ut ementitos & Apocryphos reprobavit Gelasius b *Anno* 494. summus Pontifex in Concilio Romano. [b] Quapropter S. Isidorus Hispalensis, referente Gratiano, [c] scripsit; *Canones qui dicuntur Apostolorum, nec sedes Apostolica recepit, nec SS. Patres illis assensum præbuerunt, pro eo quod ab Hæreticis sub nomine Apostolorum compositi dignoscantur; quamvis in eis utilia inveniantur; tamen auctoritate Canonica atque Apostolica, eorum gesta constat esse remota; atque inter Apocrypha reputata,* At quidquid sit de illis Canonibus Apostolicis, certum est postremum supra scriptum Apocryphum & subreptitium esse, tum quod Scripturarum Canoni adiiciat libros aliquos, puta Constitutiones & Epistolas Clementis, communi Conciliorum & SS. Patrum sententia rejectas; tum quod in eo Canone non referantur libri *Esdræ, Judith, Tobiæ, Sapientiæ, Ecclesiastici* & *Apocalypsis Joannis*, qui tamen ab antiquissimis Patribus, Dionysio, Irenæo, &c. inter sacros numerantur. Neque his obstat, quod LXXXV. Canones illi admittantur a Synodo Trullana; hanc enim non ut legitimum Concilium approbat Ecclesia, sed veluti Conciliabulum reprobat. Itaque aliunde quærendus est sacrorum utriusque Testamenti voluminum Ecclesiasticus Canon. Quod ut ordine prosequamur, *Primum* proferemus SS. Patres Græcos qui sacrorum librorum sua ætate ab Ecclesia probatorum seriem & indicem texuere: *Deinde* subiiciemus Latinos Patres idem statuentes; *Demum* summos Ecclesiæ Pontifices & Concilia.

c *dist.* 16. *cap.* 1.

Canon Sacrorum Librorum ex Patribus Græcis.

VII. PRimus occurrit Melito Sardensium Episcopus, qui referente Eusebio, [d] in Epistola ad Onesimum summo fidei ardore cupientem accurate cognoscere numerum & ordinem librorum veteris Testamenti, scribit, *Ego igitur cum in Orientem profectus essem & ad locum ipsum pervenissem, in quo hæc & prædicata & gesta olim fuerunt, veteris Testamenti libros diligenter didici, eorumque indicem infra subjectum ad te misi. Est autem ejusmodi. Mosis libri quinque, Genesis, Exodus, Leviticus, Numeri, Deuteronomium. Jesus Nave, Judices, Ruth, Regnorum libri quatuor. Paralipomenon duo. Psalmi Davidis. Salomonis Proverbia quæ & Sapientia; Ecclesiastes; Canticum Canticorum. Job. Prophetarum, Esaiæ; Hieremiæ: & duodecim Prophetarum liber unus. Daniel: Ezechiel: Esdras. Ex his igitur excerpta collegi, quæ in sex libros a me distributa sunt.* Ubi vides, ab eo prætermitti libros *Tobiæ, Judith, Ecclesiastici, Machabæorum*, nec non est &, *Sapientiam Salomonis*, tametsi enim hujus vocis meminerit, attamen ea solum Proverbia, quæ a plurimis Patribus Græcis itidem *Sapientia* dicuntur, designat.

d *lib.* 4. *hist. Eccles. cap.* 28.

Prætermittit etiam indicem novi Testamenti, quia ea de re non fuerat ab Onesimo requisitus. „ Hunc vero profert Eu-
„ sebius; [e] Primo, *inquit*, collocanda est sa-
„ cra Evangeliorum quadriga (Matthæi,
„ Joannis, Lucæ & Marci) quam deinde
„ consequuntur Actus Apostolorum; post
„ hos numerandæ sunt Pauli Epistolæ, in-
„ de prior illa Joannis; ac similiter Petri
„ Epistola suscipienda; Postremo adjungen-
„ da est, si ita videbitur, Joannis Reve-
„ latio: & hæc quidem communi omnium
„ consensu recepta sunt. Ex iis vero quæ
„ in dubium revocantur, a multis tamen
„ commemorari videmus, est Epistola quæ
„ dicitur Jacobi, & quæ Judæ, & secun-
„ da Petri; Joannis item altera & tertia,
„ sive illæ ab ipso revera Evangelista, sive
„ ab altero ejusdem nominis compositæ
„ sunt. Pro spuriis habendi sunt etiam
„ Actus Pauli, & liber Pastoris titulo in-
„ scriptus, & revelatio Petri: Barnabæ
„ item Epistola, & quæ dicuntur Institu-
„ tiones Apostolorum. His adjunge, si lu-
„ bet, Joannis Revelationem: quam non-
„ nulli, ut superius dixi, ex albo Scriptura-
„ rum expungunt; alii inter libros omnium
„ consensu probatos annumerant. Sed &
„ in eundem ordinem jam a quibusdam re-
„ latum est Evangelium secundum He-
„ bræos, quo maxime delectantur Hebræi
„ illi qui Christi fidem susceperunt: atque
„ hi sunt libri qui in dubium revocantur. „
Ita Eusebius. Ubi etiam adiicit quosdam libros Apocryphos nominibus Apostolorum inscriptos, & ab Hæreticis confictos, ut Petri, Thomæ, Matthiæ, & quorumdam aliorum Evangelia, nec non & Actus Andreæ, Joannis, alioruinque Apostolorum, vera hæreticorum figmenta; *Quocirca*, inquit, *nec inter spurios collocandi sunt hi libri, sed tanquam absurdi & impii prorsus repudiandi.*

e *lib.* 3. *cap.* 25.

VIII. Melitonem excipit Origenes, qui, referente eodem Eusebio, [f] libros utriusque Testamenti recenset; nam in expositione primi Psalmi librorum veteris Testamenti indicem exhibet, ita scribens ad verbum: „ Sciendum est, *inquit*, veteris Testamenti
„ libros duos esse ac viginti, sicut ab He-
„ bræis traditur: qui numerus etiam lite-
„ rarum apud eos habetur. *Et paulo post*
„ *subdit*: Sunt autem viginti duo libri juxta
„ Hebræos hi. Primus qui a nobis Genesis
„ dicitur, ab Hebræis autem ex ipsius libri
„ initio desumpta appellatione vocatur *Be-*
„ *resith*, quod idem est ac in principio.
„ Exodus deinde, Hebræis, *Velleſmoth*, id
„ est, hæc sunt nomina. Tertius, Levitico, Hebræis *Vaicra*, id est, & vocavit.
„ Quartus; Numeri, Hebræis *Hammisphe-*

f *lib.* 6. *Hist. Eccl. cap.* 25.

co-

„ *codim*. Quintus, Deuteronomium, He-
„ bræis *Ellehabdabarim*, id est, Hæc sunt
„ verba. Sextus, Jesus filius Nave, He-
„ braice *Jehosve ben Num*. Septimus Judi-
„ ces & Ruth, unico volumine apud He-
„ bræos comprehensi, quod appellant *So-*
„ *phetim*. Octavus, Regnorum liber primus
„ & secundus: qui apud eos unicum vo-
„ lumen constituunt, quod dicitur *Samuel*,
„ hoc est, vocatus a Deo. Nonus, Regno-
„ rum liber tertius & quartus, quos ipsi
„ etiam in unum volumen redigunt, &
„ *Vammelech David* indigitant, hoc est, &
„ Rex David. Decimus Paralipomenon li-
„ ber primus & secundus, uno apud illos
„ contenti volumine, quod vocant *Dibre*
„ *hajamim*, hoc est, verba dierum. Unde-
„ cimus, Esdras primus & secundus, qui
„ apud eos unicum conficiunt librum quem
„ vocant *Esra*, id est, adjutor. Duodeci-
„ mus, liber Psalmorum, Hebræis *Sepher*
„ *Tehillim*. Decimus tertius, Proverbia Sa-
„ lomonis, Hebræis, *Misloth*. XIV. Eccle-
„ siastes, Hebræis *Coheleth*. XV. Canticum
„ Canticorum. Hebræis *Sirhasirim*. XVI.
„ Esaias, Hebræis *Jesaia*. XVII. Hieremias
„ cum Lamentationibus & epistola, in
„ unum compactus volumen, quod ipsi vo-
„ cant *Irmia*. XVIII. Daniel, Hebræis *Da-*
„ *niel*. XIX. Ezechiel, apud Hebræos *Ieez-*
„ *chel*. XX. Job, eodem apud Hebræos no-
„ mine insignitus. XXI. Esther, quomodo
„ etiam Hebræi vocant. Extra horum cen-
„ sum sunt libri Machabæorum, qui inscri-
„ buntur *Sarbet Sarbaneel*. Hæc ille. Ubi
„ eosdem prætermittit libros quos Melito
„ siluit. Subjecit Eusebius.

„ In primo autem libro expositionum in
„ Evangelium Matthæi, Ecclesiastico insi-
„ stens Canoni, quatuor duntaxat Evan-
„ gelia esse testatur his verbis: Sicut ex
„ traditione, *inquit*, accepi de quatuor
„ Evangeliis, quæ sola in universa Dei
„ Ecclesia quæ sub cœlo est, citra contro-
„ versiam admittuntur: Primum scilicet
„ Evangelium scriptum esse a Matthæo,
„ prius quidem Publicano, postea vero Apo-
„ stolo Jesu Christi, qui illud Hebraico ser-
„ mone conscriptum Judæis ad fidem con-
„ versis publicavit. Secundum fuisse acce-
„ pimus Evangelium Marci, qui pro ut
„ Petrus ipsi exposuerat, in literas retulit.
„ Atque idcirco Petrus in Epistola Catho-
„ lica eum filium suum agnoscit his verbis:
„ *Salutat vos electa Dei Ecclesia quæ est*
„ *Babylone, & Marcus filius meus*. Tertium
„ Evangelium Lucæ, quod a Paulo com-
„ mendatur in gratiam Gentilium conscri-
„ ptum. Postremum vero Evangelium Joan-
„ nis.

„ Idem porro in libro quinto expositio-
„ num in Evangelium Joannis, de Epistо-
„ lis Apostolorum ita scribit: Is vero quem
„ Deus idoneum reddidit, qui novi Testa-
„ menti minister esset, non litera & verbis
„ tenus, sed spiritus ipsius: Paulus scili-
„ cet, qui ab Hierosolymis & finitimis lo-
„ cis, usque ad Illyricum Evangelium adim-
„ plevit, non omnibus Ecclesiis quas do-
„ cuerat, scripsit. Sed & iis quibus scrip-
„ sit, paucas admodum lineas exaravit. Pe-
„ trus autem cui tanquam fundamento su-
„ perstructa est Ecclesia Christi, adversus
„ quam, nec ipsæ Inferorum portæ præva-
„ luræ sunt, unam duntaxat omnium con-
„ sensu receptam reliquit epistolam. Con-
„ cedamus vero & secundam ejus esse. De
„ hac enim ambigitur. Jam vero quid di-
„ cendum est de eo qui in sinu Christi re-
„ cubuit, Joanne? Qui quidem unum re-
„ liquit Evangelium, tametsi fateatur tot
„ se libros scribere potuisse, quot nec Or-
„ bis ipse terrarum posset continere. Scripsit
„ præterea Revelationem: jussus silere, nec
„ septem tonitruum voces perscribere. Scrip-
„ sit etiam Epistolam admodum brevem.
„ Sed concedamus si placet, & secundam
„ & tertiam ab illo scriptas esse. Neque
„ enim has genuinas illius esse omnes con-
„ sentiunt. Ambæ tamen vix centum ver-
„ sus continent. Denique de Epistola ad
„ Hebræos in Homiliis quas in eandem epi-
„ stolam conscripsit, ita sentit: stylum epi-
„ stolæ quæ inscribitur ad Hebræos, carere
„ illa sermonis rusticitate, quæ propria est
„ Apostoli, quippe qui rudem & imperi-
„ tum se se confitetur in sermone, id est,
„ in forma atque ratione dicendi. Verum
„ Epistola illa, & in verborum composi-
„ tione majorem præfert Græci sermonis
„ elegantiam, ut fatebitur, quisquis de styli
„ differentia perite judicare potest. Et præ-
„ terea sententias continet admirabiles, nec
„ scriptis Apostolicis ullatenus inferiores.
„ Atque id verissimum esse assentientur,
„ quicunque Apostolorum scripta attente
„ perlegerint „. *Hæc Origenes*. Ubi non
meminit SS. Judæ & Jacobi Epistolarum;
neque an sint Canonicæ, an non, explicat.

IX. Origenem sequitur S. Athanasius, si tamen ille sit Auctor synopsis Scripturæ sacræ, inter ejus opera recensitæ ubi legimus: Omnis nostra, qui Christiani sumus, Scri-
ptura, „ *ait*, divinitus inspirata est, libros
„ habet non infinitos, sed finitos, ac certo
„ Canone comprehensos. Et veteris qui-
„ dem Instrumenti sunt isti, Genesis cuius
„ initium est: *In principio fecit Deus cœlum*
„ *& terram:* similiter in cæteris addit:
„ Exodus, Leviticus, Numeri, Deutерono-
„ mium, Jesus filius Nave, Judices, Ruth,
„ Regum primus & secundus in unum com-
„ putantur volumen, Regum tertius &
„ quartus, & ipsi pro uno connumerantur
„ volumine, Psalterium Davidicum habens
„ Psalmos 151. Parabolæ Salomonis, Ec-
„ clesiastes ejusdem, Canticum Canticorum
„ ejusdem, Job, duodecim Prophetæ uno
„ volumine comprehensi; sunt autem isti,
„ Oseæ primus; Deinde Amos, Michæas,
„ Joel, Abdias, Jonas; Nahum, Abacuc,
„ Sophonias, Aggæus, Zacharias, Mala-
„ chias. Hi sunt duodecim Prophetæ, uno
„ volumine comprehensi. Sequuntur reli-
„ qui quatuor, quorum cuique proprium
„ adnumeratur volumen, & sunt hi: Esaias,
„ Hieremias, Ezechiel, Daniel.

„ Sunt

„ Sunt itaque Canonici veteris Instrumenti libri viginti duo, literis Hebraicis numero pares. Totidem enim apud Hebræos sunt literarum elementa. Præter istos autem sunt adhuc alii ejusdem veteris Instrumenti libri non Canonici, qui Catechumenis tantum leguntur: Sapientia Salomonis, Sapientia Jesu filii Sirach, Esther, Judith, Tobias. Isti sunt libri veteris Instrumenti non Canonici. Quidam vero ex Veteribus, apud Hebræos pro Canonicis reputari dixerunt, librum Esther, & historiam Ruth, quem cum historiis Judicum uno libro comprehendi: Esther vero ad aliud quoddam volumen Canonicum pertinere atque ita numerum XXII. Canonicorum librorum apud illos compleri volunt. Et tot quidem sunt & ejusmodi, cum in Canone, tum extra Canonem veteris Instrumenti libri.

„ Novi vero determinati & Canonici sunt isti; Secundum Matthæum, secundum Marcum, secundum Lucam, secundum Joannem, Acta Apostolorum; Catholicæ epistolæ variorum Apostolorum, omnes numero septem, uno comprehensæ volumine; Jacobi una, Petri duæ, Joannis tres, Judæ una, Pauli Apostoli Epistolæ quatuordecim, in unum redactæ volumen: prima ad Romanos, ad Corinthios duæ, quarta ad Galatas, quinta ad Ephesios, sexta ad Philippenses, septima ad Colossenses, octava prior ad Thessalonicenses, nona posterior ad Thessalonicenses, decima ad Hebræos, undecima ad Timotheum prior, duodecima ad Timotheum posterior, tertia decima ad Titum, quarta decima ad Philemonem. Est præterea, & Apocalypsis Joannis Theologi, a priscis Sanctis, & Spiritu Dei imbutis Patribus, velut quæ illius sit, accepta & approbata „. *Hæc ille.* Qui ut vides juxta Hebræorum sententiam in Canone veteris Testamenti libros Sapientiæ Salomonis, Ecclesiastici, Esther, Judith, Tobiæ, non accenset: neque meminit etiam librorum Machabæorum, quod illi apud Judæos Protocanonici non haberentur; neque ullum de eis adhuc extaret certum Ecclesiæ Judicium.

X. Subnectendus hic Gregorius Nazianzenus, seu, ut volunt aliqui, Amphilochius Iconiensis Episcopus, tametsi phrasis S. Gregorii Cothurnum plane sapiat, qui sacrorum librorum indicem texuit versibus Jambicis, [a] quos sic Latine reddidit Jacobus Billius:

[a] *Iambico 3. ad Seleucum pag. 194.*

Ipse ergo sacri Codicis pandam tibi
Omnes libellos, quoque noscas planius,
Primum vetusti Fœderis dicam libros.
In Pentateucho Genesim habes, & Exodum
Leviticumque, (sede qui media est situs)
Numeros; secunda lex locum alterum obtinet.
His adde Jesum. Mox sequuntur Judices,
Ruth deinde; Regum quatuor libri simul,
Paralipomenon adiice his libros duos.
At geminus Esdræ sequitur hos statim liber.
Tum quinque versu conditos libros habes,
Job (cui Palestræ plurimæ cingunt caput)
Et mentis ægræ pharmacum Psalmos sacros,
Salomonis etiam tres libros, Parœmias,
Ecclesiasten, Canticorum Cantica.
His ter quaternos junge, jam Vates simul,
Oseam & Amos, atque Michæam insuper,
Quartumque Joel, Abdiam, Jonam (typum
Reversi ad auras tertio a letho die)
Naum Abacucque, qui loco nono insidet,
Sophoniam & Aggæum, Zachariam, ultimum,
Nomen duplex, cui est, Angelum Malachiam,
Post hos Prophetæ disce qui sint quatuor.
Non trepidus ore primus est Esaias,
Alter Jeremias, condolens & mysticus.
Ezechiel inde, & ultimo Daniel loco,
Rebusque, dictis & simul mire sagax.
Sunt qui libellum his copulent sanctæ Estheris.
Nunc jam recentis audias pacti libros.
Evangelistas quatuor solum cape.
Matthæus omnes anteit, Marcus statim
Lucasque sequitur, quarta Joanni datur
Sedes. At aliis est prior, si dogmata
Spectes. Vocatur jure nam tonitrui
Proles. Dei nam maxime insonuit λόγον.
Lucæ quoque librum jungito his rursum alterum,
Apostolorum gesta qui fuse canit.
Electionis adde vas, Apostolorum,
Qui præco celebris Gentium hic semper fuit,
Scripsitque scite literas quatuordecim
Ad Christianos, civibus Romæ unicam,
Bimaris Corinthi scripsit ad cives duas.
Galatis & unam misit, unamque incolis
Ephesi, Philippis & Colossis unicam,
Thessalonicæ civibus binas, duas
Timotheo, & unam cum Tito Philemoni,
Unamque Hebræis denique, atque hanc ultimam.
Quidam licet sint qui notham hanc esse asserant,
Errore ducti: tota nam Paulum sapit.
Restat Catholicas literas dicam ut tibi.
Has esse septem dictitant quidam: negant
Debere quidam suscipi plures tribus,
Joannis unam, Petri & Jacobi unicam.
Joannis alii tres volunt, binas Petri
Recipi, & Judæ septimam. Rursum librum
Arcana rerum detegit qui plurima,
Quidam inserendum Codici sacro asserunt;
Nothum esse major pars ait rursum altera.
Canon hic sacrati certus est voluminis.

XI. Nazianzeno æqualis fuit Cyrillus Hierosolymitanus, aut saltem paulo inferior, qui præmissa prius narratione translationis LXX. Interpretum, describit Canonem librorum sacrorum quos e Veteri Testamento duos atque viginti recenset: „ Hos solos, *inquit*, studiose meditare, „ quos & in Ecclesia secure tutoque recitamus. Multo prudentiores te erant Apostoli, veteresque illi Episcopi, Eccle-

„ siæ Antistites, qui hos tradiderunt. Tu „ ergo filius Ecclesiæ cum sis, ne Leges in„ stitutaque Patrum evertas corrumpasve. „ Ac veteris Instrumenti quidem, sicut dixi„ mus, viginti duos libros meditare, quos „ si dicendi studio teneris, me nominatim „ enumerante, da operam ut memineris. „ Legis enim primi Mosis quinque libri „ sunt, Genesis, Exodus, Leviticus, Nu„ meri, Deuteronomium. Deinde Jesus „ Nave, Judicum una cum Ruth, liber „ septimus numero: reliquorum autem hi„ storicorum librorum primus & secundus „ Regnorum, unus liber est Hebræis: unus „ item tertius & quartus: similiterque „ apud eos Paralipomenon primus & se„ cundus, unus est liber. Esdræ etiam pri„ mus & secundus, unus reputatur. Esther „ duodecimus liber est, & hi quidem hi„ storici sunt. Scripti autem versibus sunt „ quinque, Job, liber Psalmorum, Pro„ verbia, Ecclesiastes, & Canticum Can„ ticorum, qui liber est septimus ac deci„ mus. Accedunt ad hos quinque Prophe„ tici, duodecim Prophetarum liber unus; „ Esaiæ unus, & Jeremiæ cum Baruch, „ Lamentationibus & Epistola: deinceps „ Ezechiel; tum Daniel, qui vicesimus se„ cundus est veteris Testamenti. Novi au„ tem Testamenti sunt, quatuor Evange„ lia: nam cætera falso inscripta sunt & „ noxia. Scripserunt & Manichæi secun„ dum Thomam Evangelium: quod Evan„ gelicæ appellationis fragrantia coloratum, „ simpliciorum animos corrumpit. Accipe „ autem & duodecim Apostolorum Acta: „ & insuper Catholicas Epistolas septem, „ Jacobi, Petri, Joannis & Judæ: deinde „ quod obsignat omnia, postremumque est „ discipulorum opus, Pauli quatuordecim „ Epistolas. Reliqua omnia extranea, se„ cundoque loco habeantur: & quæ in „ Ecclesiis non leguntur, ea omnia neque „ per te legas, quemadmodum audisti.„ *Hæc ille.* Omittit Cyrillus Tobiam, & Judith (non Esther;) item Sapientiam, Ecclesiasticum & Machabæos in veteri Testamento; & in Novo, Apocalypsim.

XII. S. Epiphanius lib. 1. adversus hæreses, [a] etiam librorum veteris Testamenti Canonem scribit, quem pluribus verbis effert *libro de mensuris & ponderibus*, [b] ubi cum dixisset ab Adamo ad Jacob generationes esse duas & viginti, subiicit: „ Un„ de & viginti, duæ sunt apud Hebræos „ literæ: secundum quas perinde XXII. li„ bros numerant, licet XXVII proprie sint. „ Verum quoniam quinque apud illos li„ teræ duplicantur, fiuntque quodammodo „ XXVII. quæ in XXII. contrahantur; ideo „ XXVII. quoque libros in XXII. conferunt. „ Primus est *Bereshith*, qui Geneseos appel„ latur. Tum *Elleseomoth*; qui est Exodus, „ hoc est, egressio filiorum Israel ex Ægy„ pto. *Vaiicra*; qui est Leviticus. *Vajedab„ ber*, hoc est, Numerorum liber. *Elledebarim*, Deuteronomium. Liber Jesu filii „ Nave. Job. *Sophetim*, id est, Judicum, „ Ruth, *Sepher Tehillim*, hoc est, Psalterium. *Dibre haiiamim*, sive primus Paralipomenon liber. *Dibre haiiamim*, secundus Paralipomenon liber. Samuelis primus, sive Regnorum primus. Samuelis, sive Regnorum secundus; *Melachim*, sive Regnorum tertius: *Melachim*, sive Regnorum quartus. *Mischle*, sive Proverbiorum liber. *Coheleth*, hoc est, Ecclesiastes. *Sirhassirim*, Cantica Canticorum. *Dathariasara*, hoc est, XII. Prophetæ. Esaias Propheta: Hieremias, Ezechiel, Daniel. Liber primus Esdræ. Liber secundus Esdræ. Esther. Hi sunt septem & viginti libri: qui cum numero literarum exæquantur, literis quinque geminatis, ut supra monuimus. Est & alius quidam exiguus liber, qui *Cinoth* inscribitur, hoc est, Lamentationes Jeremiæ, qui extra numerum ad Hieremiam adjungitur. Cæterum viginti duorum iste numerus ubique reperitur, ac diversis in rebus cernitur; velut in viginti duobus operibus, quæ Deus sex illis diebus, qui in mundi fabricationem insumpti sunt, elaboravit. Tum in viginti duabus generationibus, quæ ab Adamo ad Israelem intercedunt. Item in viginti duabus literis ab Aleph, ad Thau. Postremo in duobus & viginti libris, qui ab Genesi ad Esther usque censentur.

XIII. Epiphanio adjungitur Damascenus, sacrorum librorum indicem conficiens in hunc modum; [c] „ Sciendum est, *inquit*, duos & viginti libros esse veteris „ Testamenti, totidem nempe quot Hebraicæ linguæ elementa. Hebræis enim duo „ & viginti elementa sunt, ex quibus quinque duplicantur, atque ita septem & „ viginti fiunt, duplex enim est litera Caph, „ & Mem, & Nun, & Phe & Tsade. „ Quo fit, ut libri quoque eodem modo, „ duo quidem & viginti numerentur, cæterum septem & viginti reperiantur, „ quinque videlicet ex ipsis duplicatis. Sequitur liber Ruth, una cum Judicum libro copulatur, atque apud Hebræos pro „ uno libro recensetur. Primus item & secundus liber Regum, liber unus est, tertiusque item, & quartus Regum liber, unus „ liber, Tum primus, & secundus Paralipomenon unus liber, ac denique primus, & „ secundus Esdræ liber unus, Ad hunc modum libri omnes in quatuor quinquerniones compinguntur, ac duo alii supersunt. Libri porro hoc Testamento comprehensi, sic se habent; Legales quinque „ sunt: Genesis, Exodus, Leviticus, Numeri, Deuteronomium. Hic primus quinquernio est: qui etiam Legis institutio „ dicitur. Sequitur alter quinquernio, quem „ πεντατευχον, nonnulli autem Hagiographa vocant. Est autem hujusmodi: Jesus Nave, Judices una cum Ruth liber unus, „ Regum primus cum secundo liber unus, „ tertius item cum quarto liber unus, demum duo Paralipomenon liber unus. „ Habes secundum quinquernionem. Tertius porro librorum quinquernio versibus „ constat, nempe liber Job, Psalterium, „ Pro-

[a] *Mariss.* 8. *Num.* 6.
[b] *cap.* 28.
[c] *lib.* 4. *de fide Orthod. cap.* 18.

„ Proverbia Salomonis, ejusdem Ecclesiastes, & Cantica Canticorum. Jam quartus quinquernio Prophetarum libros complectitur. Duodecim enim Prophetæ librum unum efficiunt: tum Esaias, Jeremias, Ezechiel, & Daniel. His accedunt libri duo Esdræ, qui uno libro connectuntur, & Esther. Paranetus autem (quasi dicas, omni virtutis genere refertus) hoc est, Sapientia Salomonis, & Sapientia Jesu (quam a Sirachi patre Hebraica lingua editam, ipsius nepos, ac Sirachi filius, postea in Græcam convertit) tametsi alioqui præclari & elegantes libri sint, non tamen aliis adnumerantur, neque in Arca siti erant. Jam vero hi novi Testamenti libri sunt quatuor Evangelia, nempe secundum Matthæum, secundum Marcum, secundum Lucam, secundum Joannem, Acta Sanctorum Apostolorum Auctore Luca Evangelista, septem Catholicæ Epistolæ, una Jacobi, duæ Petri, tres Joannis, Judæ una, Pauli Apostoli quatuordecim, Joannis Evangelistæ Apocalypsis, Canones denique Sanctorum Apostolorum per Clementem concinnati. Sed Postremus hic liber a Damasceno fere solo, inter Canonicos recensetur, ut ex Canonibus cæteris patet; neque nunc inter Canonicos ullum locum habet.

XIV. Patrum & Scriptorum Græcorum qui indicem sacrorum Bibliorum confecere agmen claudet Nicephorus Patriarcha Constantinopol. qui, referente Anastasio sanctæ Romanæ Ecclesiæ Bibliothecario, ad finem Chronologiæ suæ scripsit: „ Hæ sunt divinæ Scripturæ quæ recipiuntur ab Ecclesia & Canonizantur, quarum & numerus versuum est ut subiicitur. I. Genesis, vers. IIII CCCC. II. Exodus, vers. II DCCC. III. Leviticus, vers. II DCC. IV. Numeri vers. III D. V. Deuteronomium, vers. III C. VI. Jhesus, vers. II C. VII. Judices & Ruth, vers. II CCCCL. VIII. Regnorum primus & secundus, vers. II CCXL. IX. Regnorum tertius & quartus, vers. II CCCXXX. X. Prætermissorum primus & secundus, vers. V D. XI. Esdras primus & secundus, vers. V D. XII. Liber Psalmorum, vers. V D. XIII. Proverbia Salomonis, vers. I DCCVIII. XIV. Ecclesiastes, vers. DCC. XV. Cantica Canticorum, vers. CCLXXX. XVI. Job, vers. I DCCC. XVII. Hesaias, vers. IIII DCCC. XVIII. Hieremias, vers. IIII XIX. Baruch, vers. DCC. XX. Jezechiel, vers. II DI. XXI. Daniel, vers. II. XXV. Duodecim Prophetæ, vers. III DCCC. Simul veteris Testamenti sunt libri XXII.

„ Hi autem sunt novi Testamenti, I. Evangelium secundum Matthæum, vers. II D. II. Evangelium secundum Marcum, vers. II. III. Evangelium secundum Lucam, vers. II DC. IV. Evangelium secundum Joannem, vers. II DCCC. V. Actus Apostolorum, vers. II DCCC. VI. Pauli Apostoli Epistolæ XIV. vers. * CCC. * VII. Catholicæ Epistolæ, Jacobi una: Petri duæ: Joannis III. Judæ una: simul septem, versus vero I CCC. Simul veteris quidem Testamenti libri XXII. & Novi VII. ut supra monstratum est.

„ Et qui Veteris sunt quibus contradicitur, & non recipiuntur ab Ecclesia I. Machabaici tres, vers. VII CCC. II. Sapientia Salomonis, vers. I C. III. Sapientia Jhesu Syrac, vers. II DCCC. IV. Psalmi & Cantica Salomonis, vers. II C. V. Esther, vers. CCCVIII. VI. Judith, vers. I DCC. VII. Susanna, vers. D. VIII. Tobe & Tobias, vers. DCCC.

„ Et quibus Novi Testamenti contradicitur I. Apocalypsis Johannis, vers. I V. II. Apocalypsis Petri, vers. I V DCCC. III. Barnabæ Epistola, vers. I CCCVI. IV. Evangelium secundum Hebræos, vers. II CC.

„ Et quæ sunt Apocrypha Veteris; I. Enoch, vers. I V. II. Patriarchæ, vers. IIII DCCC. III. Oratio Josephi, vers. V C. IV. Testamentum Moysi, vers. I C. V. Assumptio Moysi, vers. IIII C. VI. Abraham, vers. CCC. VII. Elad & Modab, * VIII. Heliæ Prophetia, vers. CCCXVI. IX. Sophoniæ Prophetia, vers. DC. X. Zachariæ patris Joannnis, vers. D. XI. Baruch, Abacuch, Ezech. falsa scripta.

„ Et quæ Novi sunt Apocrypha; I. Itinerarium Pauli vers. III DC. II Itinerarium Petri, vers. II DCCC. III Itinerarium Joannis, vers. II D. IV Itinerarium Thomæ, vers. I DC. V. Evangelium secundum Thomam, vers. I CCC. VI Doctrina Apostolorum, vers. CC. VII Clementis 32. vers. II DC. VIII Ignatii, Polycarpi, Pastoris. „ Vides plures ab eo extra Canonem Ecclesiasticum libros reiici, quorum tamen nonnullos pridem probaverat Ecclesia in Conciliis Laodiceno & Nicæno, ut apparebit in eorum infra adjecto indice. Quamobrem, aut interpolatus est Nicephori index, aut inconsulto, nec accurate satis ab eo fuit editus.

Index sacrorum librorum ex Patribus Latinis.

XV. PRimus ex SS. Patribus Ecclesiæ Latinæ, qui sacrorum librorum indicem confecere, occurrit S. Hilarius, is enim [a] veteris Testamenti librorum solummodo Catalogum scripsit „: In viginti duos „ libros, *inquit*, Lex Testamenti veteris de„ putatur, ut cum literarum numero con„ veniant. Qui ita secundum traditiones „ Veterum deputatur, ut Mosi sint libri „ quinque: Jesu Nave sextus, Judicum & „ Ruth septimus, primus & secundus Re„ gnorum in octavum; tertius & quartus „ in nonum: Paralipomenon duo in deci„ mum sint: Sermones dierum Esdræ in „ unde-

[a] *Præfat. in Psal.*

„ undecimum: liber Psalmorum in duodecimum: Salomonis Proverbia, Ecclesiastes, Canticum Canticorum, in tertiumdecimum, & quartumdecimum & quintumdecimum: duodecim autem Prophetæ in sextumdecimum. Esaias deinde & Jeremias cum Lamentatione & Epistola, sed & Daniel, & Ezechiel, & Job, Esther, viginti & duum librorum numerum consument. Quibusdam autem visum est, additis Tobia & Judith, viginti quatuor libros secundum numerum Græcarum literarum connumerare. Non addit tamen Hilarius de his duobus suam sententiam „: de Sapientia quoque, Ecclesiastico & Machabæis omnino tacet.

Hilarium sequitur S. Hieronymus qui in Prologo galeato, & in epistola ad Paulinum, sacrorum librorum indicem scribit; qui cum adiiciatur in omnibus Bibliis, & facile in omnium manus veniat, hic prætermittitur.

Succedit S. Augustinus, qui lib. 15. de Civit. Dei cap. 25. & lib. 2. de Doctrina Christ. cap. 8. sacrorum voluminum Canonem refert in hunc modum „: Totus Canon, *inquit*, Scripturarum in quo istam considerationem versandam dicimus, his libris continetur, quinque Moseos, id est, Genesi, Exodo, Levitico, Numeris, Deuteronomio, & uno libro Jesu Nave, uno Judicum, uno libello qui appellatur Ruth, qui magis ad regnorum principia videtur pertinere, deinde quatuor Regnorum, & duobus Paralipomenon, non consequentibus, sed quasi a latere adjunctis simulque pergentibus. Hæc est Historia, quæ sibimet annexa tempora continet, atque ordinem rerum. Sunt aliæ tanquam ex adverso ordine, quæ neque huic ordini, neque inter se connectuntur, sicut est Job, & Tobias, & Esther, & Judith, & Machabæorum libri duo, & Esdræ duo, qui magis subsequi videntur ordinatam illam historiam, usque ad Regnorum, vel Paralipomenon terminatam. Deinde Prophetæ, in quibus David unus liber Psalmorum, & Salomonis tres, Proverbiorum, Cantica Canticorum, & Ecclesiastes. Nam illi duo libri, unus qui Sapientia, & alius, qui Ecclesiasticus inscribitur, de quadam similitudine Salomonis esse dicuntur. Nam Jesus filius Sirac eos scripsisse constantissime perhibetur. Qui tamen, quoniam in auctoritatem recipi meruerunt, inter Propheticos numerandi sunt. Reliqui sunt eorum libri, qui proprie Prophetæ appellati sunt, duodecim Prophetarum libri singuli, qui connexi sibimet, quoniam nunquam sejuncti sunt, pro uno habentur: quorum Prophetarum nomina sunt hæc: Ozee, Joel, Amos, Abdias, Jonas, Michæas, Nahum, Habacuc, Sophonias, Aggæus, Zacharias, Malachias. Deinde quatuor Prophetæ sunt majorum voluminum, Esaias, Jeremias, Daniel, Ezechiel. His quadraginta quatuor libris veteris Testamenti terminatur auctoritas. *Novi* autem quatuor libris Evangelii, secundum Matthæum, secundum Marcum, secundum Lucam, secundum Joannem: quatuordecim Epistolis Pauli, ad Romanos, ad Corinthios duabus, ad Galatas, ad Philippenses, ad Thessalonicenses duabus, ad Colossenses, ad Timotheum duabus, ad Titum, ad Philemonem, ad Hebræos: Petri duabus, tribus Joannis, una Judæ, & una Jacobi, Actibus Apostolorum libro uno, & Apocalypsis Joannis libro uno. In his omnibus libris timentes Deum, & pietate mansueti, quærunt voluntatem Dei „.

Augustino subscripserunt Junilius Afer, [a] Antiquus Interpres apud Cassiodorum: [b] Cassiodorus ipse, [c] Rhabanus Maurus, [d] Isidorus, [e] & alii quorum indices hic non exscribo, ne prolixior videar, & Lectorem frustra detineam.

a *lib. 1. Instruct.*
b *lib. de divinis lectionib. cap. 12.*
c *lib. 1. Inst. divin. cap. 13.*
d *lib. 12. de Instit. Cleric.*
e *lib. 1. de Eccles. off.*

Index sacrorum librorum a Conciliis & summis Pontificibus.

XVI. NEque initio nascentis Ecclesiæ, nec in duobus primis subsequentibus sæculis legitur conditus aliquis index Ecclesiasticus, in quo sacri & Canonici libri ab Apocryphis & spuriis secernerentur, sed qui Canonici essent Ecclesiæ usu, atque continua Traditione, a Fidelibus religiose accipiebantur. Quamobrem S. Augustinus, loco supra laudato, Theologum edocens quomodo se circa libros sacros gerere debeat, scribit: *In Canonicis Scripturis Ecclesiarum Catholicarum quamplurium sequatur auctoritatem, inter quas sane illæ sunt, quæ Apostolicas sedes habere, & epistolas accipere meruerunt. Tenebit igitur hunc modum in Scripturis Canonicis, ut eis, quæ ab omnibus accipiuntur Ecclesiis Catholicis, præponat eis, quas quædam non accipiunt. In eis vero quæ non accipiuntur ab omnibus, præponat eas, quas plures graviores que accipiunt, eis quas pauciores, minoris que auctoritatis Ecclesiæ tenent. Si autem alias invenerit a pluribus, alias a gravioribus haberi, quanquam hoc invenire non possit, æqualis tamen auctoritatis eas habendas puto.* Quibus verbis significat sua ætate nullum adhuc extitisse sacrorum librorum indicem, qui ab omnibus omnino Ecclesiis probaretur. Non diffitetur tamen S. Augustinus, jam ab Ecclesia præscriptos fuisse divinorum librorum indices, scribit enim: [f] *Salubri vigilantia ab Ecclesia constitutus est Canon Ecclesiasticus, ad quem certi Prophetarum & Apostolorum libri pertineant; quos omnes judicare non audeamus, & secundum quos de cæteris vel Fidelium vel Infidelium libris libere judicemus.* A quibus autem, & quando conditus fuerit, ille Canon, non explicat S. Augustinus.

f *lib. 2. contr. Crisc. cap. 31.*

XVII.

XVII. Nihilominus tamen certum est ante Augustini ætatem jam conditos fuisse sacrorum librorum Canones: Nam Concilium Laodicænum antiqua nobilitate celeberrimum, circa annum cccxix. celebratum, Præside Nunechio Phrygiæ Metropolitano, cum statuisset *Canone ult.* non oportere ab idiotis Psalmos compositos & vulgares in Ecclesiis dici, neque libros qui sunt extra Canonem legere, nisi solos Canonicos novi & veteris Testamenti, statim eorum seriem subiicit: *Quæ autem oporteat legi, & in auctoritatem recipi, hæc sunt: Genesis mundi, Exodus Egypti, Leviticus, Numeri, Deuteronomium, Jesu Nave, Judices, Ruth, Regnorum lib.* IV. *Paralipomenon libri duo, Esdræ duo, liber Psalmorum* 150. *Proverbia Salomonis, Ecclesiastes, Cantica Canticorum, Job, Esther,* XII. *Prophetæ, id est, Osee, & Amos, Joel, Abdias, Jonas Michæas, Nahum, Habacuc, Sophonias, Aggæus, Zacharias, Malachias. Item Isaias, Jeremias, Ezechiel, Daniel. Novi autem Testamenti: Evangelia quatuor, secundum Matthæum, secundum Marcum, secundum Lucam, secundum Joannem, Actus Apostolorum; Canonicæ Epistolæ septem; Jacobi una, Petri duæ, prima & secunda; Joannis tres prima secunda & tertia; Judæ una; Epistolæ Pauli Apostoli, quatuordecim: ad Romanos, ad Corinthios prima, & secunda; ad Galatas, ad Ephesios, ad Philippenses, ad Colossenses una, ad Thessalonicenses, prima & secunda; ad Timotheum, prima & secunda; ad Titum, ad Philemonem, ad Hebræos.* Ubi vides prætermissos nonnullos sacros libros, cum ex veteri, tum ex novo Testamento, quos temporum decursu, postmodum in suum Canonem admisit Ecclesia, quos idcirco Synodus Laodicæna tacuit, quod tunc temporis in illis Ecclesiis dubiæ adhuc essent auctoritatis. Hinc librum Judith in Laodiceno Canone prætermissum, teste S. Hieronymo, [a] generalis Nicæna Synodus in numero sanctarum Scripturarum computavit. Unde etiam argumentum est sacrorum librorum Canonem, a Concilio Nicæno fuisse editum, quem tamen excidisse, quemadmodum & alias ejusdem Synodi sanctiones docet Baronius, [b]

[a] *epist. 3. & præfat. in lib. Judith.*

[b] *tom. 3. ad ann. Christi 325.*

XVIII. Hinc circa annum cccciv. Innocentius primus summus Pontifex *Epist. ad Exuperium Tolosæ Episcopum*, (quem Ausonius Burdegalensem, & inter ejus temporis claros Oratores enumerat, S. vero Hieronymus, [c] plurimis encomiis, uti dignissimum Tolosæ Episcopum celebrat) ampliorem Scripturarum Canonem statuit sanctione 7. his verbis: *Qui vero libri recipiantur in Canone sanctarum Scripturarum, brevis adnexus ostendit. Hæc sunt ergo quæ desiderata moneri voce voluisti. Moysis libri* V. *id est, Genesis, Exodi, Levitici, Numeri, Deuteronomii: & Jesu Nave unus, Judicum unus. Regnorum libri* IV. *simul & Ruth. Prophetarum libri* XVI. *Salomonis lib.* V. *Psalterium. Historiarum Job liber unus, Tobiæ unus, Esther unus, Judith unus, Machabæorum duo, Esdræ duo. Paralip. duo. Item novi Testamenti Evangeliorum libri* IV. *Apostoli Pauli Epistolæ* XIV. *Epistolæ Joannis* III. *Epistolæ Petri duæ. Epistola Judæ, Epistola Jacobi, Actus Apostolorum, Apocalypsis Joannis, Cætera autem quæ vel sub nomine Matthiæ, sive Jacobi minoris, vel sub nomine Petri & Joannis, quæ a quodam Leucio scripta sunt; vel sub nomine Andreæ, quæ a Xenocharide & Leonida Philosophis; vel sub nomine Thomæ, & si quæ sunt alia, non solum repudianda, verum etiam noveris esse damnanda.*

[c] *Epist. ad Exuper.*

XIX. Eundem sacrorum librorum indicem jam confecerat Concilium Carthaginense III. anno Christi cccxcvii. cui subscripsit S. Augustinus; sic enim decernit can. 47. *Item placuit ut præter Scripturas Canonicas, nihil in Ecclesia legatur sub nomine divinarum Scripturarum. Sunt autem Canonicæ Scripturæ; Genesis, Exodas, Leviticus, Numeri, Deuteronomium, Jesus Nave, Judicum, Ruth, Regnorum libri quatuor, Paralip. libri duo, Job, Psalterium Davidicum, Salomonis libri quinque, libri duodecim Prophetarum, Isaias, Jeremias, Ezechiel, Daniel, Tobias, Judith, Esther, Esdræ libri duo, Machabæorum libri duo, Novi autem Testamenti Evangeliorum libri quatuor, Actuum Apostolorum liber unus, Pauli Apostoli Epistolæ tredecim, ejusdem ad Hebræos una: Petri Apostoli duæ, Joannis Apostoli tres, Judæ Apostoli una, & Jacobi una, Apocalypsis Joannis liber unus.*

XX. Similem sacrorum librorum Canonem, ut diximus, præscripserat Concilium Nicænum, ut colligitur ex S. Hieronymo, qui *præfat. in libr. Judith* scribit: *Apud Hebræos liber Judith inter Hagiographa legitur, cujus auctoritas ad roboranda illa, quæ in contentionem veniunt, minus idonea judicatur, Chaldæo tamen sermone conscriptus, inter historias computatur. Sed quia hunc librum Synodus Nicæna in numero sanctarum Scripturarum legitur computasse, acquievi, &c.* (2) Extabat igitur temporibus S. Hieronymi Canon sacrorum librorum a Patribus Nicænis editus, in quo plures libri, antea forte ab aliquibus Ecclesiis pro Canonicis non excepti, in sacrum Canonem recepti sunt, ut constat ex libro Judith, quem sicut & nonnullos alios priores, Patrum Græcorum, nec non & Concilii Laodiceni indices non complectuntur. Cæterum illum

(2) Mirum est, adeo Hebræorum Canoni adhæsisse præcipuos Græcæ Ecclesiæ Patres Athanasium, Gregorium Nazianzenum, Cyrillum Hierosolymitanum, Epiphanium, aliosque Sanctos Doctores, ut in recensendis Divinarum Scripturarum Libris in suis Canonibus, Judithæ historiam prorsus omiserint, quæ inter divinas Scripturas per Nicænam Synodum cooptata fuisse traditur ab Hieronymo. Credibilius fortassis est quod universalis illius Synodi Patres nonnullas ex Judithæ Libro auctoritates recitaverint veluti ex Scriptura divina depromptas, ex traditione majorum firmiter tenentes prædictam historiam inter sacros Libros esse adnumeratam; qua de causa S. Hieronymus scripserit a Nicænis Patribus in numero Sanctarum Scripturarum esse computatam. (W)

illum Carthaginensis Concilii veteris ac Novi Testamenti librorum indicem approbarunt, non solum summi Pontifices, Innocentius primus supra laudatus, & Gelasius in Concilio Romano LXX. Episcoporum; necnon & Latini Patres S. Augustinum sequuti, sed etiam Concilia, Florentinum *in decreto Eugenii* & Tridentinum *Sess.* 4. ubi recensitis supra memoratis libris sacris, Canonem sic claudit: *Si quis autem libros istos integros cum omnibus suis partibus, prout in Ecclesia Catholica legi consueverunt, & in veteri Vulgata Latina Editione habentur, pro sacris & Canonicis non susceperit, & Traditiones prædictas sciens, & prudens contempserit, Anathema sit.* (3)

XXI. Ex his apparet non aliunde certo constare, quinam sint *libri Canonici*, & revera sacri; qui vero *Apocryphi* & spurii, quam

(3) Divinarum Scripturarum Canonem ab OEcumenica Tridentina Synodo universam Catholicam Ecclesiam repræsentante statutum, integrum omnino, legitimum, atque perfectum esse, quem semper inviolabili traditione Ecclesia Catholica retinuit ab ipsamet sui institutione, quilibet Fidelis confiteri tenetur sub æternæ salutis discrimine, quomodocumque suis cavillis excusari, seque tueri præsumant Hetherodoxi. Non utique inficiamur de aliquibus horum Librorum in Tridentino Canone recensitorum, fuisse aliquando a nonnullis etiam Sanctis Doctoribus dubitatum an divinæ essent auctoritatis? Sed illis nondum satis perspecta fuit Ecclesiæ traditio, nondum agnoverant quænam esset universalis Ecclesiæ circa eosdem Libros sententia? qua tamen declarata, & expressa impium omnino est eidem refragari, eo vel maxime quod nil novum, sed quod in Scripturis Sanctis, vel in Apostolica Divinis traditionibus continetur, per suas dogmaticas definitiones credendum suis Filiis proponit S. Mater Ecclesia. Immerito propterea adversum Scripturarum Canonem in Tridentina Synodo constitutum debacchantur Hæretici. Dicant nobis unde nam quadraginta quatuor Africani Episcopi in Synodo Carthaginensi tertia congregati anno Christi 397. suam illam hausere doctrinam, quod Canonicæ Scripturæ eæ solummodo existimarentur, quæ in Cathalogo ab ipsis præscripto continebantur? in quo siquidem, iidem prorsus numero Libri accensentur, qui in Tridentino Canone computantur.

Firmiter ergo Africanæ illæ Ecclesiæ eumdem Sacrorum Librorum censum, quem modo Romana Ecclesia custodit, amplectebantur. Quonam modo septem circiter annis post Carthaginensis illius Concilii celebrationem poterat Innocentius I. Romanus Pontifex in Epistola ad Exuperium Episcopum Tolosanum absque prorsus ulla oscitantia definire in divinarum Scripturarum censu contineri eosdem omnino Libros, quos postea in Canone posuit Synodus Tridentina, nisi in Ecclesia Romana certa fide hujuscemodi libros divinos esse tunc temporis judicaretur? quod quidem judicium ab inviolata Majorum traditione descendisse oportebat. Eumdem Innocentii I. Canonem confirmavit Gelasius Papa cum Episcopis septuaginta anno Christi 494.

Ut autem ob suam pertinacem Ecclesiasticis definitionibus resistentiam suffundantur rubore Hetherodoxi, si fieri possit, videant, & intelligant ex solius Ecclesiæ Dei auctoritate descendere quod Libri inter divinas Scripturas computentur, vel ab earum numero explodantur. Canon Librorum apud Hebræos nonne a Synogoga fuit constitutus? & quotquot ab eadem admissi sunt inter Canonicos Libri, omnes recipiuntur, atque venerantur. Ecclesia Christi, quæ majoris excellentiæ, atque dignitatis prærogativa Synagogæ successit, minoris ne erit in suis definitionibus conditionis, & auctoritatis? Si ita: unde noverunt Hæretici eorum novi Testamenti Librorum, qui proto-Canonici dicuntur, auctoritatem, atque divinitatem? Si autem infallibilis Ecclesiæ auctoritas est, quæ hunc, vel alium Librum esse divinum decernit; cur nonnullos admittunt, alios spernunt, si eadem Ecclesiæ auctoritate omnes ut sacri, & divini publicantur? Si vero omni Spiritui privato fides habenda, jam cur Manichæos totum vetus Testamentum abominantes refellere nituntur Ecclesiæ Reformatores? Vertant ergo quo se velint Hetherodoxi, id, si veritatis cultores haberi optant, quod semper quod ubique in Ecclesia retentum est, amplectantur oportet.

Nullius prorsus momenti oppositiones contra Synodi Tridentinæ Canonem, quæ ab Hæreticis confinguntur, habendæ sunt. Scimus ab Apostolo Paulo Rom. 3. ℣. 3. dictum esse de Hebræis: *Credita sunt illis eloquia Dei*, ex quibus inferunt non alios esse recipiendos veteris Testamenti Libros, quam viginti duos in Judæorum Canone descriptos; eo vel maxime quod hujuscemodi Libros tantummodo in suis Canonibus admiserint Athanasius in *Synop.* Nazianzenus in *Metris*, in Cathech. 4. Cyrillus Hierosolymitanus, & Hieronymus in *Prol. galeato*. Quis enim sibi suadeat ab Ecclesia Judaica, quæ vera Dei Ecclesia ante Christum erat, exclusas fuisse, & rejectas Scripturas, in quibus verbum Dei revelatum continebatur? Nonne statim a fide descivisset quæ tunc temporis visibilis erat Ecclesia? proindeque Ecclesiam ipsam defuisse necesse erit. Hoc autem nolunt audire Communionis Romanæ Theologi; dicendi sunt ergo Dei verbum non comprehendisse Libri illi, quos a suo Canone rejecit Ecclesia vetus; cur ergo in Tridentino Conventu veluti divini habiti sunt, qui nunquam revera fuerunt? Christus & Apostoli siluissent pro tanto facinore Synagogæ, si sacros Libros agnoscere noluisset. Hæc sunt Hæreticorum argumenta in Canonem Tridentinæ Synodi confecta.

Ad primum quod attinet, videant quæso quam levis, quam futilis sit eorum argumentatio! Si eloquia Dei Hebræis fuere concredita, cæteris autem omnibus ita denegata, ut nulli prorsus genti exhibita sint, Novum Testamentum profecto ex divinarum Scripturarum canone erit eliminandum, cum nunquam a Synagoga tanquam Dei verbum sit receptum. Dabunt ne reformatores nostri hanc consequentiam? Apostolus ergo scribit ad Romanos, quod Deus singulari quadam benevolentia fuerat Judæos prosecutus, cum illis, præ gentibus aliis legem, & prophetas concesserit; non tamen omnia, & singula Dei eloquia hominibus revelata, Judæis fuisse donata, tradit Apostolus. Verum concedamus etiam omnia Dei eloquia fuisse Judaicæ genti, quæ ad Testamentum vetus pertinebant, concredita, ubi revera contigit; quod si Hebræi, veluti divina eloquia noluerunt assumere? Christi Evangelium, quod ipsemet ore suo prædicavit noluit admittere Synagoga, desinet propterea esse verbum Dei revelatum? Creditum utique est illis, sed quia non receptum ab illis, in Canone Ecclesiæ non debebit admitti? Idipsum de Libris Tobiæ, Judith, Sapientiæ &c. quos non admisit Synagoga, dicendum est.

Quod autem insigniores etiam Ecclesiæ Patres in oppsitione laudati subdubitaverint olim de aliquorum Librorum divinitate, inde, ut jam diximus, repetendum, quod iis non satis esset explorata universalis Ecclesiæ traditio, quæ postea, diligentius inquisita in Patrum Synodis veritate, satis palam facta, pro divinitate eorum Librorum decretum est.

Neque clamitent Hetherodoxi non potuisse a Synagoga Scripturas divinas excludi, quia tunc temporis erat vera Dei Ecclesia aliud quippe est aliquem librum non esse divinum per Ecclesiæ decretum decernere; aliud profecto librum illum, cujuscunque sit conditionis, extra Canonem Scripturarum relinquere nil prorsus de eodem definiendo. Si primum Synagoga præstitisset, decepta utique foret, atque in rebus fidei deliquisset: minime tamen extra suum Canonem libros aliquos relinquendo, quorum divinitatem nondum satis perspectam, ita Deo disponente cum non haberet

non

quam ex Ecclesiæ judicio: Quamobrem egregie scripsit S. Augustinus: [a] *Ego vero Evangelio non crederem, nisi me Catholicæ Ecclesiæ commoveret Auctoritas.* Quibus verbis in solum Ecclesiæ judicium librorum sacrorum γνωστότητα refundit. Hanc Augustini pietate & doctrina dignam revera sententiam, ut elevent, aut eludent Hæretici, varia respondent: Calvinus [b] namque, ait S. Augustinum ita loquutum fuisse pro eo tempore, quo Manichæorum erroribus adhuc inquinabatur, nondum cognito Christo. Addit Witakerus [c] eum ita sensisse, dum equidem adhuc esset Hæreticus, veri tamen cupidissimus. Plessæus pro eo tempore quo fluctuabat inter Manichæos & Orthodoxos. Musculus [d] Augustinum non in propria, sed in hominis infidelis persona fuisse locutum. Gomarus [e] denique omnium ineptissime; *Ut una*, inquit, *hyrundo non facit ver, sic nec Augustini exemplum regulam generalem.*

[a] *lib. contra Epist. fundam. cap. 5.*

[b] *lib. 1. institut. cap. 7. §. 3.*

[c] *Controvers. 1.*

[d] *in locis commun.*

[e] *in Anti Costero lib. 2.*

XXII. At quam hæc omnia commenta aliena sint à mente Augustini, apparet ex ipso argumento quod ibidem tractat; disputat enim eo loco S. Augustinus contra Manichæos, qui maxime tuum fulciebant errorem auctoritate Epistolæ Fundamenti, quæ sic incipiebat: *Manichæus Apostolus Jesu Christi, providentia Dei Patris, &c.* Ubi S. Augustinus quærit quomodo & qua ratione persuasuri sint Manichæi, *Manetem* revera fuisse Christi Apostolum; sic enim eos urget; *Quæro ergo*, inquit, *quis sit ille* MANICHÆUS? *Respondebitis, Apostolus Christi. Non credo. Jam quid dicas aut facias, non habebis: promittebas enim scientiam veritatis, & nunc quod nescio, cogis ut credam. Evangelium forte mihi lecturus es, & inde Manithæi personam tentabis asserere. Si ergo invenires aliquem, qui Evangelio nondum credit, quid faceres dicenti tibi, non credo?* EGO VERO EVANGELIO NON CREDEREM, NISI CATHOLICÆ ECCLESIÆ COMMOVERET AUCTORITAS. *Quibus ergo obtemperavi dicentibus, Credite Evangelio, cur eis non obtemperem dicentibus mihi, Noli credere Manichæo? Elige quid velis. Si dixeris Crede Catholicis, ipsi me monent ut nullam fidem accommodem vobis. Quapropter non possum illis credens, nisi tibi non credere, Si dixeris, Noli Catholicis credere: non recte facies per Evangelium me cogere ad Manichæi fidem, quia ipsi Evangelio Catholicis prædicantibus credidi. Si autem dixeris, Recte credidisti Catholicis laudantibus Evangelium, sed non recte illis credidisti vituperantibus Manichæum: usque adeo me stultum putas, ut nulla reddita ratione, quod non vis non credam? Multò quippe justius & cautius facio, si Catholicis, quoniam semel credidi, ad te non transeo, nisi me non credere jußeris, sed manifestissime scire aliquid feceris. Quocirca si mihi rationem redditurus es, dimitte Evangelium. Si ad Evangelium te tenes, ego ad eos me teneam, quibus præcipientibus Evangelio credidisti: Et his jubentibus tibi omnino non credam.* Ubi vides eum omnem suam de Evangelio fidem ad Ecclesiæ Catholicæ judicium referre: quod utique infra confirmat: Cum enim dixisset Manichæi nomen in Evangelio inter Apostolorum nomina non recensen subiicit: *In locum autem traditoris Christi, qui successerit, in Apostolorum Actibus legimus; cui libro necesse est me credere, si credo Evangelio, quoniam utramque Scripturam similiter mihi Catholica commendat auctoritas.*

XXIII. At, inquiunt, cæteri Patres, præsertim Hilarius, Hieronymus, Nazianzenus, imo & Synodus Laodicena omnem vete-

non male se gessit circa eos libros, dum negative se habuit, nil definiendo pro illis; unde ista de causa neque a Christo, neque ab Apostolis potuit exprobari Synagoga, quam tamen objurgassent, si, cognita illarum Scripturarum canonicitate, noluisset divinæ revelationi acquiescere sicuti multoties Christus Scribas redarguit, & Pharisæos, quod non satis Mosem, & Prophetas, aliasque Scripturas perscrutarentur, ut suæ doctrinæ veritatem quam prædicabat, intelligerent.

Neque reponant ulterius Libros Deutero-Canonicos veteris Testamenti nunquam a Christo, ejusque Apostolis fuisse citatos, quod signum evidens esse opinantur Hæretici revelatam doctrinam in eis non contineri; Multoque minus nos urgebunt adversarii si dixerint, ut solent, Canonem divinorum Librorum semper constantem, & invariatum extitisse, quod quidem de Synodi Tridentinæ Canone adfirmari non potest cum in eo recenter oppositi sint Libri, quos antea Ecclesia Christi, ut divinos non agnoscebat, nunquid efficere poterit Ecclesiæ declaratio, ut evadat Dei verbum revelatum, quod antea non erat?

Quis absque stomachi resolutione hasce Adversariorum nænias substineat? Innumeri sunt in antiquo fœdere versus, & Capita, quæ numquam a Christo, & ab ejus Apostolis laudata conspiciuntur in novi Testamenti Scripturis; quis tamen spondeat nunquam fuisse libros Deutero-canonicos a Christo in prædicando laudatos? non omnia quæ Christus fecit, & dixit scripta sunt, ut testatur S. Joannes; quid ergo ex negativo argumento sibi concludent Hetherodoxi? Verum neque Cantica Canticorum, neque Abdiæ, neque Sophoniæ Prophetias Christum, & Apostolos citasse legimus, & tamen a Canonicorum Librorum Censu neque Hebræi, neque Adversarii nostri easdem excludunt, neque revelatam doctrinam in eis contineri inficiantur; sæpe tamen Ecclesiastici, & Sapientiæ Libros tum in Evangeliis, cum etiam in Scriptis Apostolicis laudatos videmus.

Ad alteram argutationem respondemus, verbum Dei revelatum, semper in se, & *intrinsece*, ut Scholæ loquuntur, summæ auctoritatis est idoneum propterea, quod ab Ecclesia tanquam divinum recipiatur; sed extrinsece, ut ajunt, sive respectu fidelium, non prius inter divina oracula potest haberi, quam ab Ecclesia divini Spiritus fulgore illustrata edoceamur verbum illud esse a Deo traditum, proindeque more divinarum Scripturarum recipiendum. Ecclesiæ autem non simul omnes Sacrarum Scripturarum Libri, tanquam divini a Deo palam facti sunt; sicut non omnes insimul a Spiritu Sancto per suos Amanuenses conscripti, sed opportunis temporum circumstantiis juxta sapientiæ, & voluntatis divinæ placitum; hinc omnes Canonis nostri Libros semper ad Canonem pertinuisse cognoscimus, semperque divinos fuisse confitemur, quamquam non simul uniuscujusque divinitas discussa sit ab Ecclesia, &, Spiritu Sancto eidem assistente, comperta: Non semper Ecclesiæ declarationem evadit Verbum Dei, quod antea non erat revera in se, proponitur ut tale ab Ecclesia, & extrinsece cognoscitur a nobis, atque recipitur. (W)

veteris Testamenti librorum certitudinem repetunt ex Canone Judæorum, & Synagogæ judicio; non ergo censent, ex sola Ecclesiæ sententia dignosci quinam pro Canonicis libris admittendi sint, qui vero tanquam spurii reiiciendi. Accedit quod etiam ipsemet S. Augustinus huic sententiæ subscribere videatur, non enim alia ratione Judæos appellat Christianorum *Librarios*, [a] *Capsarios* [b] *& Scriniarios*, [c] quam quia ex eorum judicio Christiani genuinos veteris Testamenti libros, spuriis rejectis habuerunt.

a *in Psal.* 89.
b *in Psal.* 40.
c *lib.* 12. *contra Faust. cap.* 23.

Respondeo falsissimum esse SS. Patres laudatos, non alium sacrorum veteris Testamenti librorum Indicem; quam ex Synagogæ judicio, ratum habuisse, quinimo nullus eorum cum Hebræo Canone consentit. Nam S. Hilarius dicit quosdam admittere libros Judith & Tobiæ, nec ipse contradicit: hi tamen duo in Hebræo Canone ab Esdra confecto, quem solum genuinum agnoscunt Hebræi hodierni & Heterodoxi, non inseruntur; Nazianzenus & Athanasius non habent librum Esther a Judæis, ut genuinus habitus. Hieronymus vero, qui *in prologo galeato* scribit librum Judith inter Hagiographa a Judæis reputari, nihilominus, ut dictum est, eum librum a Synodo Nicæna inter Canonicos computatum esse disertissime adfirmat. Ad S. Augustinum quod attinet, dico illum eis in locis significare ex peculiari Dei providentia factum esse, quod Judæi, tametsi Christianis summopere infensi, nihilominus cum per universum pene terrarum Orbem dispersi fuerint, etiam ubique sacra deportarunt Biblia, quibus Christianæ religionis dogmata & mysteria a Prophetis pridem antea vaticinata, facilius suaderentur Ethnicis, atque Judæorum error & obfirmata cæcitas efficacius revinceretur. Id præclare explicat S. Augustinus, ubi cum dixisset in Christianis impletum esse istud Dei vaticinium, [d] MAJOR SERVIET MINORI. *Modo*, inquit, *impletum est: modo fratres nobis serviunt Judæi: tanquam* CAPSARII *nostri sunt, studentibus nobis Codices portant.* Subiicit: *Apud illos sunt Prophetæ & Lex, in qua Lege, & in quibus Prophetis Christus prædicatus est. Quando agimus cum Paganis, & ostendimus hoc evenire, modo in Ecclesia Christi, quod ante prædictum est de nomine Christi, de capite & corpore Christi: ne putent nos finxisse illas prædictiones ex his rebus quæ acciderunt, quas existimant nos conscripsisse, quasi futuræ essent, proferimus Codices Judæorum. Nempe Judæi inimici nostri sunt, de Chartis inimici convincitur adversarius.... Si aliquis perstrepit inimicus & dicit, Vos vobis Prophetias finxistis: proferantur Codices Judæorum, quia Major serviet minori. Ibi legant ista prædicta, quæ modo videmus impleta.* Quod autem S. Augustinus censuerit, Ecclesiam quosdam libros pro Canonicis habere, tametsi in Hebræorum Canone non contineantur, diserte significat: *Libros*, inquit, [e] *Machabæorum, non Judæi, sed Ecclesia pro Canonicis habet.* Et alibi: [f] *Non sunt omittendi & hi libri, quos quidem ante Salvatoris adventum constat esse conscriptos, sed eos non receptos a Judæis; recepit tamen ejusdem Salvatoris Ecclesia.*

d *in Psalm.* 40. *circa fin.*

e *lib.* 18. *de Civit. cap.* 36.
f *In speculo.*

Ut autem præfatæ objectiones, eisque similes diluantur, advertendum est cum Serario [g], Melchiore Cano [h], Driedone [i], &c. nonnullos veteres Patres revera solum priorem Canonem agnovisse, quia, inquit Serarius, eum vel ab Ecclesia Judæorum posteriore, vel certe a Christiana nescierunt auctum & amplificatum: idque vel quia de priore illo tantum loquebantur illius temporis Judæi, vel quia unde posteriorem Judæorum Canonem, aut Christianum jam amplificatum certo perspicerent, librum ac traditionem non habebant. *Accedit* quod eundem priorem Judæorum Canonem recitant interdum Patres, non ut suam asserant sententiam, sed Judæorum; eodemque modo libros qui extra eum sunt, vel non Canonicos, vel Apocryphos interdum appellant; ut S. Epiphanius [k] & S. Hieronymus ubi de hymno trium puerorum & aliis, quæ Danieli (extra Hebræum textum) adduntur: *Non*, ait, *quid sentirem, sed quid Hebræi contra nos dicere soleant, explicavi.*

g *cap.* 8. *quæstione.* 18.
h *lib.* 2. *cap.* 13.
i *lib.* 1. *cap.* 4.
k *lib. de prædest. & lib.* 1. *hæres.* 8. *& in Apolog.* 2. *contra Ruffin.*

His etiam adiicere licet quod cum prioribus Ecclesiæ sæculis nondum editus fuisset publicus sacrorum librorum Canon ab universali Ecclesia probatus, inde est quod Ecclesiæ particulares sicut & SS. Patres, diversam de libris Canonicis ac plerumque fluctuantem sententiam habebant. Unde alii plures, alii pauciores libros in Canone scribebant, tametsi eos omnes quos pro Canonicis jam habemus, revera ut sacros & ad mores Fidelium probe instituendos conducentes faterentur,

CA-

CAPUT SECUNDUM.

De divisione sacrorum librorum utriusque Testamenti.

SUMMARIUM.

I. *Generalis Bibliorum distributio apud veteres Hebræos quænam fuerit.*
II. *Quomodo dividatur vetus testamentum a Talmudistis.*
III. *SS. Epiphanii, & Damasceni partitio veteris testamenti.*
IV. *S. Gregorius Nazienzenus Libros veteris testamenti diversimode distribuit.*
V. *S. Hieronymus divisionem alteram Sacrorum librorum proponit.*
VI. *Altera Sacrorum Bibliorum divisio.*
VII. *Frasseni distributio Sacrorum Bibliorum.*
VIII. *Aliæ distributiones Bibliorum proponuntur.*
IX. *Minutiores Scripturæ divisiones recensentur.*
X. *Quis fuerit Auctor distinctionis Bibliorum in versus & Capita apud Hebræos.*
XI. *Aliæ etiam in Sacris Bibliis habentur distinctiones.*
XII. *Judæi publicam lectionem veteris testamenti quomodo distribuant.*
XIII. *Veteres Ecclesiæ Græcæ Patres diversam a nostra habuere divinorum Bibliorum distributionem.*
XIV. *Apud Latinos etiam varia fuit Bibliorum distributio.*

I. VEteris Testamenti librorum divisio quæ nunc obtinet, multum ab ea differt, quæ primitus fuerat recepta, nec quemquam scio Aquila Proselyto vetustiorem, qui hujus quam habemus divisionis mentionem fecerit. Enim vero apud veteres Hebræos a soluta captivitate Babylonica & restauratione sacrorum librorum per Esdram, alia vigebat librorum distributio: dividebantur enim in XXII, juxta numerum literarum Alphabeti Hebraici, uti plures non solum Rabbini, sed etiam Ecclesiæ Patres tam Græci quam Latini testantur. Quam opinionem hausisse videntur ex Josepho, cujus locus ex I. Lib. contra Appionem desumptus, quem etiam refert Eusebius, [a] sic habet: *Apud nos*, inquit, *nequaquam innumerabilis est librorum multitudo dissentientium atque inter se pugnantium: sed duo duntaxat & viginti libri, totius præteriti temporis historiam complectentes, qui merito creduntur divini. Ex his quinque quidem sunt Mosis, qui & Leges continent & seriem rerum gestarum, a conditu generis humani usque ad ipsius Mosis interitum. Atque hoc spatium temporis tria propemodum annorum millia comprehendit. A Mosis autem interitu ad imperium usque Artaxersis, qui post Xersem regnavit apud Persas, Prophetæ qui Mosi succesere, res sua ætate gestas tredecim libris complexi sunt. Quatuor reliqui Hymnos in Dei laudem & præcepta vitæ hominum exhibent utilissima. Cæterum ab imperio Artaxersis ad nostram usque memoriam, sunt quidem singula literis mandata: sed nequaquam tantam fidem auctoritatemque meruerunt, quam superiores ii libri, propterea quod minus explorata fuit successio Prophetarum &c.* Idem Josephus asserit sacros libros in viginti duo volumina pro Hebraicarum literarum numero fuisse divisos, nimirum quinque Mosaicos nomine *Legis* expressos, tredecim *Propheticos* & quatuor *Hymnorum* seu recte vivendi admonitionum. Quam distributionem, uti suo tempore receptam confirmasse nonnullis videtur Christus Dominus *Lucæ* XXIV. 44. cum Discipulis diceret: *Necesse est impleri omnia quæ scripta sunt in Lege Moysi, & Prophetis & Psalmis de me*, Tametsi quis reponere posset, quod etiam mihi verosimile videtur, Christum Dominum ibi sacris libris historicis & quibusdam Hagiographis prætermissis, duntaxat commemorare libros Mosis, Prophetarum & Psalmorum, quod luculentiores in eis extent prædictiones de venturo Messia?

[a] *lib. 3. histor. Eccles. cap. 10.*

At quidquid sit de Christi Domini sententia, non levis est difficultas in exponenda præfata Josephi distributione, quam & attingit B. Hieronymus [b] cum in Codice Hebræo, non tantum XXII. sed XXXVIII. libri inveniantur. Qui igitur fieri potuit ut antiqui Hebræi Canonem sacrorum librorum in XXII, libros diviserint, cum nunc XXXVIII. contineat? Hanc difficultatem solves, si receptæ apud pleraque Gentes consuetudinis memineris, qua non in Codicibus, sed in voluminibus & in continuatis pellibus libros suos describunt. Hoc pacto non multam, ut mihi quidem videtur, operam ponemus in explicanda antiqua illa Hebræorum divisione, nam si volumen capiamus pro eo quod in continuatis pellibus sine incommodo contineri poterat, hanc inibimus rationem, quam magna, ut ego quidem autumo, verisimilitudo consequitur. Libri Moysis quinque continebant volumina; tredecim Prophetici seu Historici libri, Historici namque Propheticis sunt accensendi, ut pote a Prophetis conscripti. Josue, Judices & Ruth unum conflant volumen. Quatuor libri Regum & duo Paralipomenon, sex efficiunt volumina. Esdras, Nehemias & Esther volumen unum componunt: Esaias, Ezechiel & Daniel, singuli singula constituunt volumina: his si addas duodecim Prophetas Minores, qui omnes unum volumen conficiunt,

[b] *in Prolog. Gal.*

ficiunt, habebis tredecim volumina Propheticorum librorum. *Insuper* Hymni & libri qui vitæ rectè ducendæ præscripta tradunt, veluti Job, Psalmi, Proverbia, Ecclesiastes & Canticum Canticorum, quos hoc pacto distinguendos puto, nimirum ut Job unum volumen conficiat, Psalmi duo, reliqua vero Salomonis scripta quartum constituant volumen. Si hanc, quam dixi, in sacris dividendis libris rationem teneamus, viginti duo volumina facile inveniemus, propterea que Danieli eam quæ ipsi debetur auctoritatem tribuemus, librum ejus inter Propheticos annumerando, cum nova illa distributione Daniel extremum pene in Hagiographos locum sortiatur.

II. Talmudici Doctores malunt dinumerare XXIV. dicentes in scriptis suis: *Libri Biblici sunt viginti & quatuor*. Ob id quidam priorem numerum seu angustiorem, re numeranda, repudiant, aientes non esse necesse, tot tantum adferere libros, quot sunt literæ in Alphabeto. Sed dissensio hæc levicula est, illi enim librum Ruthæ cum Judicum & Threnos Jeremiæ cum ipsius Prophetia conjungunt, quos hi separatim enumerant. Et illi numerationem suam ex literis Hebræis demonstrare nituntur. Ita potissimum Aben-Esra & David Kimchi qui sacros libros veteris Testamenti viginti quatuor recensent juxta eundem literarum numerum, tamen repetita litera jod in honorem divini nominis. Solent enim Judæi nomen illud Dei quadriliteram, quod apud ipsos, propter Dei reverentiam lingua & voce proferre nefas est, triplicata litera י jod Chaldaico more conscribere hoc modo יי.

„ Hanc postremam Talmudistarum par-
„ titionem, *inquit Sixtus Senensis*, non-
„ nulli veterum Græcorum, quod aptis-
„ sime conveniret numero viginti quatuor
„ Græcarum literarum, susceperunt, &
„ Latinorum plerique, tam Prisci quam
„ Recentiores, pari studio complexi sunt,
„ respicientes ad mysticum illum numerum
„ viginti quatuor Seniorum, quos Joan-
„ nes in Apocalypsi induxit, adorantes
„ Agnum aperientem librum obsignatum
„ septem sigillis, *quem nemo aperire potuit, neque in cælo, neque in terra, & exclamantes: Dignus es Domine aperire librum, & solvere signacula ejus.* Rursus He-
„ bræorum nonnulli, viginti septem libros
„ numerare consueverunt, juxta numerum
„ viginti septem characterum Judaicorum,
„ resultantem ex viginti duobus simplici-
„ bus elementis; quibus constat totum He-
„ braicum Alphabetum & ex quinque fi-
„ nalibus, seu repetitis, seu duplicibus li-
„ teris. Quinque enim sunt apud Hebræos
„ geminatæ, sive biformes literæ, qua in
„ fine dictionum aliter scribuntur, quam
„ in principio & in medio videlicet כ Caph,
„ מ Mem, נ Nun, פ Phe, צ Tzade; quæ in
„ fine dictionum his figuris notantur ך
„ Caph, ם Mem, ן Nun, ף Phe, ץ Tza-
„ de. *Hæc Sixtus.*

III. Tertiam veteris Testamenti distributionem proferunt SS. Epiphanius [a] & Joannes Damascenus [b], siquidem eos omnes digesserunt in quatuor quinarios, videlicet *Legalem*, *Hagiographum*, *Carmineum*, *Prophetitium*, & præter hos *Binarium unum*, *Legalium*, *quinarius primus*, Genesis, Exodus, Leviticus, Numeri, Deuteronomium. *Hagiographon quinarius secundus*, Josue, Judicum & Ruth, Regnorum primus cum secundo, Regnorum tertius cum quarto, Paralipomenon duo. *Carminum quinarius tertius*, Job, Psalterium, Proverbia, Ecclesiastes, Cantica. *Prophetarum quinarius quartus*, Prophetæ minores duodecim, & Isaias, Jeremias, Ezechiel, Daniel. *Binarius*, Esdras, Esther.

[a] *lib. de partibus divi. script.*
[b] *lib. 4. de fide Orthodoxa. c. 18.*

IV. Quartam subministrat S. Gregorius Nazianzenus distribuens libros veteris Testamenti in tres classes, nimirum *Historicos*, *Poeticos*, & *Propheticos*. *Historici* libri duodecim. Genesis, Exodus, Leviticus, Numeri, Deuteronomium, Josue, Judicum, Ruth, Regum primus & secundus, Regum tertius & quartus, Paralipomenon, Esdras. *Poetici* seu *Carminei* libri quinque, Job, David, Proverbia, Ecclesiastes, Cantica. *Prophetici* libri quinque. Prophetici duodecim minores, Isaias, Jeremias, Ezechiel, Daniel. Addit ab aliquibus etiam adiici librum Esther. (4)

V. S. Hieronymus [c] eos libros distribuit ex sententia Hebræorum pariter in tres classes, nimirum in *Legem*, *Prophetas*, & *Hagiographa*, seu *scripta sacra*, ubi nomine *Legis* quinque Mosis libros complectitur: sub *Prophetis* vero comprehendit libros Josue, Judicum, Regum, Isaiæ, Jeremiæ, Ezechielis, & duodecim Prophetarum: sub *Hagiographis* numerat libros Job, Davidis seu Psalmorum, tres Salomonis, nimirum Ecclesiasten, Canticum Canticorum, Proverbia, Paralipomenon. Duos priores Esdræ, Estheris; cæteros vero

[c] *in Prologo Galeato.*

(4) Distributio Librorum a S. Gregorio Nazianzeno hoc eleganti modo ex Græcis in Latinos versus translata conspicitur apud Josephum Mariam de Turre Institut. Tract. 1. quæst. 3. art. 1.

Suscipe Sanctorum numerum, nomenque Librorum,
Et primum Historicos bis senos ordine quorum
Primus adest Genesis, dein Exodus, atque Levites
Et Numeri, legisque iterum repetita voluntas.
Hos Jesus, Critaque: & Ruth Moabita sequuntur.
Hinc nonus, decimusque tenent gesta inclyta Regum,
Undecimo annales veniunt, & Ultimus Esdra.
Sunt quoque Carminis quinque, horum primus Job est
Proximus est huic David Rex; & tres Salomonis,
Scilicet Ecclesiastes, Proverbia, Cantus.
Post hos Sanctorum mox quinque volumina Vatum:
Ex quibus bis sex libro retinetur in uno,
Oseas, & Amos, Micheas, Joelque, Jonasque,
Abdias, & Nahum, Abacuch, & Sophonias,
Aggeus letus, Zacharias, & Malachias,
Hi primum librum tenent, Isaia secundum.
Post hos Irmejas Matris de ventre vocatus
Ezechiel Domini robur, Danielque supremus.
Hæc veteris septem, ac ter quinque volumina pacti
Bina, & viginti Solymorum elementa figurant.

(W)

ro nempe Sapientiam, Ecclesiasticum, Judith, Tobiam, & Machabæos habent Judæi pro Apocryphis, quod in Canone Esdræ, utpote illo posterius scripti, inserti non fuerint. Hic autem velim a benevolo Lectore duo notanda *primum* quod dum inter Prophetas libros Regum indiscriminatim hic recenseo, hac voce *Regum*, etiam comprehendi duos libros Samuelis, quos *primum* & *secundum Regum* appellamus; qui dubio procul a duobus aliis libris debent hac in recensione sejungi, alioquin dumtaxat essent septem libri Prophetici, cum tamen octo S. Hieronymus recenseat. Similiter inter hagiographa etiam annumerandus est Daniel, quem in eo ordine sextum numerat S. Hieronymus: *Atque ita*, inquit, *fiunt veteris Legis libri viginti duo, idest Moysi quinque, & Prophetarum octo, hagiographorum novem, &c.*

Alterum quod observari cupio, istud est, S. Hieronymum interdum voces *Apocrypha* & *Hagiographa* indiscriminatim usurpare; nam librum, Judith quem in Prologo Commentarii in eum, inter hagiographa constituit, hic inter apocrypha recenset; cum enim dixisset se ex Hebræo Latine dedisse omnes libros quos Judæi in Canone habent, ut scire valeamus quidquid extra hos est inter apocrypha esse ponendum: subiicit *igitur Sapientia quæ vulgo Salomonis inscribitur, & Jesu filii Sirach liber, & Judith & Tobias & Pastor non sunt in Canone, &c.* Ubi vides hic librum Judith extra Hebraicum Canonem, proindeque inter apocrypha recenseri quem alibi inter hagiographa constituit.

VI. Sunt etiam qui singulos libros utriusque Testamenti distribuant in tres sectiones, quarum prima continet πρωτοκανονικα id est, *Canonica primi ordinis* scripta: secunda δευτεροκανονικα, idest, *Canonicas secundi ordinis* scripturas: tertia ἀπόκρυφα sive omnia incertæ auctoritatis Scripturarum additamenta. *Protocanonicos* libros, seu Canonicos primi ordinis, numerant *Ex veteri Testamento*, Genesim, Exodum, Leviticum Numeros, Deuteronomium, Josue, Judices & Ruth. Samuelis primum & secundum, Malachiæ primum & secundum, Paralipomenon libros duos, Esdræ duos libros, Job, Psalterium, Proverbia, Ecclesiasten, Cantica, Isaiam, Jeremiam cum Threnis, Ezechielem, Danielem, Prophetas duodecim. *Ex novo* autem *Testamento*, Matthæum, Marcum, Lucam, Joannem, Actus Apostolorum, ad Romanos, ad Corinthios primam, ad Corinthios secundam, ad Galatas, ad Ephesios, ad Philippenses, ad Colossenses, ad Thessalonicenses primam, ad Thessalonicenses secundam, ad Timotheum primam, ad Timotheum secundam, ad Titum, ad Philemonem, Petri Epistolam primam, Joannis Epistolam primam.

Deuterocanonicas seu secundi ordinis Scripturas, dicunt Esther, Tobiam, Judith, Baruch, Jeremiæ Epistolam, Sapientiam, Ecclesiasticum, Additionem Danielis, ideſt, Orationem Azariæ, Hymnum trium puerorum, Susannæ historiam, Belis historiam. Machabæorum primum, Machabæorum secundum. *Ex novo autem Testamento*, Marci caput ultimum, Historiam de Christi agonia & Angeli consolatione. Ex S. Joanne de Muliere adultera historiam. Item Epistolam ad Hebræos, Epistolam Jacobi, Epistolam Petri secundam, Epistolam Joannis secundam, Epistolam Joannis tertiam, Epistolam Judæ, Apocalypsim.

Apocryphæ Scripturæ dicuntur, quæ sunt extra Canonem seu Hebræum seu Ecclesiasticum, puta Appendix Paralipomenon, Esdræ liber tertius & quartus, Machabæorum tertius & quartus, Evangelium Hebræorum, Bartholomæi, Petri, &c.

VII. Censerem ego universum Bibliorum Codicem luculentius distribui posse, *Primo* ratione *temporis* & *manifestationis* in Vetus & N Testamentum. *Vetus* est antiquissima illa solemnis dispositio, qua Deus populo Israelitico e captivitate Ægyptiaca educto, inter fulgura & tonitrua universam tum Religionis cum politiæ administrationem, certa rituum ac Legum seu constitutionum forma scriptum in Monte Sinai, Angelorum ministerio, per Mosen primum tradidit: demum vero per Scriptores Hagiographos, seu divino Spiritu illustratos confirmavit, ampliavit & propagavit ad Christum usque. *Novum Testamentum* est recens ac perpetua Evangelica dispositio, qua Deus per proprium Filium non unam duntaxat nationem, sed omnes totius terrarum Orbis Gentes voluit æternum sibi fœderatas per novam Evangelicæ doctrinæ promulgationem & dispensationem.

Quæ duo Testamenta invicem discrepare constat, non solum variis ipsiusmet Scripturæ textibus, [a] sed etiam reipsa, uti luculenter demonstrat S. Paulus Epist. ad Hebr. I. ratione *consecrationis & confirmationis*; Vetus enim sancitum fuit sanguine animalium [b]: Novum vero ipsius Christi sanguine. [c] II. ratione *promulgationis*: illud enim promulgatum est duntaxat beneficio Angelorum & Mosis opera; hoc vero ipsius Filii Dei oraculis evulgatum, operibus & exemplis insinuatum, & confirmatum innumeris prodigiis & miraculis. III. ratione *durationis*; illud enim abrogatum est quantum ad cæremonias, ritus, & præcepta legalia; hoc autem permanet in perpetuum, uti diserte demonstrat S. Paulus [d] IV. ratione *dignitatis*, Novum enim Veteri præstantius esse luculenter ibidem declarat S. Paulus [e], tum ex parte Promulgatoris, cum ratione effectuum; illud enim solis servis præscriptum erat, hoc Filiis Dei insinuatum; illud suppliciorum terrore erat implendum, hoc beneficiorum promissione est amore perficiendum.

a *Ierem.* 31. *v.* 39. *Matth* 26. *v.* 28. 2. *Cor.* 3. *v.* 6. *ad Gal.* 4. *v.* 24. *Hebr.* 7. *v.* 22. & *ibid. sæpe.*
b *Exod.* 24. 5.
c *Zach.* 9. 11.
d *Hebr. cap.* 8. *v.* 13.
e *cap.* 7. 22.

VIII. *Secundo* ratione *auctoritatis*, utriusque Testamenti libri distribuuntur in *Canonicos* & *Apocryphos*: *Canonici* sunt, qui divini Spiritus instinctu conscripti, ab Ecclesia probantur & Fidelibus proponuntur, ut exactissima regula tam fidei, quam vitæ Christianæ, sive trutina & amussis pure

credendi & vivendi. *Apocryphi* autem ii censendi sunt, quorum auctoritas obscura est & dubia, nec ab Ecclesia proponuntur ad confirmanda & illustranda fidei dogmata, ac stabiliendam certam pie vivendi regulam. Horum ex utroque Testamento plurima inferius exempla dabimus.

Tertio ratione *dispositionis*, convenientissime utrumque Testamentum dividi possunt in libros *Legales*, *Historiales*, *Doctrinales* & *prophetales*. Veteris Testamenti libri Legales, sunt quinque Mosaici, quos Judæi nuncupant *quinque quinquerniones Legis*, quia tota Lex dicitur *quinquernio*, & unusquisque Legis liber hoc nomen sortitur, quorum cum sint quinque, resultat inde quinquernio πενταπλοῦς, quasi dicas, volumen quintuplex, vel quinque partitum. Horum librorum specialissimam nomenclationem Hebræi desumunt a vocibus initialibus, quibus quisque inchoatur, præfixa voce ספר *sepher*. Quam inscribendi rationem quidam modestiæ & religioni Veterum tribuunt; qui noluerint sibi tantum sumere, ut titulos, aut nomina imponerent libris, quos ipsi Auctores reliquissent anonymos.

Græci vero petierunt eorumdem appellationem a rebus, ut Lectorem docerent, de qua præcipue re in unoquoque libro agatur. Sic primus liber Mosis vocatur *Genesis*, i. e. *generatio;* quia in illo libro agitur de exordio & generatione totius mundi. Secundus liber denominatur *Exodus*, i. e. *exitus;* quia describit exitum populi Israelitici ex servitute Ægyptiaca. Tertius liber appellatur *Leviticus*, quia in illo libro Levitarum ministeria, sacrificia, Leges, cæremoniæ, variique ritus enarrantur. Quartus liber olim vocabatur *Arithmi*, sed vulgo Latina voce *Numeri* nominatur; quia in hoc libro egressæ Tribus ex Ægypto dinumerantur, & numerus quadraginta duorum annorum, quibus in deserto Israelitæ oberrarunt, recensetur. Quintus & ultimus liber Deuteronomium, hoc est, *secunda Lex* vocatur, quia in illo libro Lex repetitur; *Deuteronomium* enim est quasi repetitio & renovatio antecedentium librorum, quæ renovatio propter illos est facta, qui primæ recitationi Legis in monte Sinai per ætatem interesse non potuerunt.

Historiales sunt XVII. scilicet Josue, Judicum, quatuor Regum, duos Paralipomenon, Job, Tobias, Esther, Judith, Esdræ primus & secundus, Machabæorum item primus & secundus. *Doctrinales* sunt quinque, Proverbia, Ecclesiastes, Cantica, Sapientia, Ecclesiasticus. *Prophetales* sunt septemdecim, David, Isaias, Jeremias cum Threnis, Ezechiel, Daniel, & duodecim Prophetæ minores.

Similiter novi Testamenti *libri Legales* sunt quatuor Evangelia, Matthæi, Marci, Joannis, & Lucæ. Quibus præcepta ac præscripta Legis Evangelicæ continentur. *Historialis* liber unus, nimirum Actus Apostolorum. *Doctrinales* libri duo, videlicet quatuordecim Epistolæ S. Pauli & Catholicæ septem, duæ Petri, tres Joannis; una Judæ; altera Jacobi. *Prophetalis* vero liber unus, nimirum Apocalypsis S. Joannis.

IX. Insuper hic observandum est, varias in sacris Bibliis tam Hebraicis quam Græcis & Latinis usitatas esse distinctiones, maxime in Capita, Versus & Numeros: refert autem Elias Levita [a] ex Rabinorum sententia, totam Legem ac sacram Scripturam veterem, initio instat פסוק *Passuk* seu unius contextus fuisse, absque intersectione & distinctione ulla; cujus rei indicium est, quod in omnibus textibus qui in novo Testamento ex veteri leguntur & citantur, capitis aut versus nulla fit mentio, quod vix ubique omissum fuisset, si per capita tunc temporis omnes libri sacri fuissent distincti. Neque ea duntaxat vera esse de Editione Hebræa, sed etiam de versionibus Græcis & Latinis, facit ut suspicemur, quod vetustiores utriusque linguæ Scriptores Ecclesiastici, ubi id maxime fieri commodum fuisset, capita Scripturæ non notant, saltem aliquo cum numero; neque enim apud eos reperies unquam primum aut secundum alicujus sacri libri caput ab eis citatum: si vero aliquando capitulorum obiter meminerint, nihil videntur aliud intellexisse, quam partes aliquas Scripturæ, quas pro faciliori intelligentia ac explicatione, ipsi ab aliis distinxerant. Ideo S. Augustinus [b], cum indicare vellet, quousque processisset ejus interpretatio in librum Geneseos, quia eo tempore cum nondum esset Scripturæ distinctio in capita, nec proinde significare posset, se ad tertium usque caput interpretationem suam produxisse; scripsit se de Genesi libros duodecim edidisse, ab ejus exordio, donec de paradiso dimissus est Adam, &c. *Similiter* sanctus Gregorius *Prolog. in primum librum Regum*, ait se explicasse a principio libri usque ad Davidis Regis historiam. At certe multo distinctius, si tunc capitum usus fuisset, potuisset dicere se commentatum esse priora quindecim capita. Cum itaque omnes libri sacri initio, uno tenore scripti fuerint, primum in capita, postea in versus ad majorem & faciliorem intelligentiam & recordationem, posteris distinguere visum fuit. Quod etiam in aliis libris legimus factum: nam de Ennii annalibus, & Nævii bello Punico refert Suetonius [c], quod cum unico volumine, & continua scriptione initio fuissent confecti, postea in multos libros distincti fuerunt & divisi.

[a] *in Pref. 3. Massoreth.*

[b] *lib. 2. retract. cap. 24.*

[c] *lib. de Grammat. cap. 2.*

X. Quomodo autem, quando & a quibus excogitata fuerit illa sacrorum voluminum distinctio, non plane liquet: certum est tamen in hac re maximam operam posuisse Massorethas, ut jam diximus agendo de Massora. Quanquam enim Buxtorfius existimet distinctionem versuum in Scriptura Auctorem habere Esdram, ac subinde illam Massorethis esse antiquiorem; nihilominus citra controversiam est, Massorethas diutissime ac operosissime in hisce rebus adlaborasse.

Habent autem Judæi divisionem librorum in capita duplicem, ea qua nunc utimur

mur vetustiorem, & apud eos in citationibus & sermonibus frequentius usitatam. Prior ea est qua totam Legem seu Mosis Pentateuchum, in majores partes quam sunt nostra capita dividunt, earumque quamlibet vocant, aut סדר *Seder*, ideſt *sectionem*, vel *ordinem*; aut פרשה *Paraschah*, id est, *distinctionem* aut *distributionem*: sicque in quinquaginta tres lectiones, quinque libros Mosis distribuunt, & singulas singulis Sabbatis in Synagoga legunt, itaut singulis annis Legem absolvant. Has autem *Paraschah* seu *sectiones* non per ordinem numerorum, sicut nos capita librorum, designant, sed per primam voculam, aut per illustriores inter primas illius libri voculas; sic primam *Geneſis* sectionem vocant *Bereschit* a prima illius libri voce: & hæc sectio complectitur quinque capita, nec non & partem capitis sexti, nimirum ad illius versum nonum, secundum distinctionem apud nos usitatam: secunda vocatur *Noach*, non a primo quidem illius vocabulo, sed nobiliori inter primas illius voculas.

XI. Præter autem magnas illas distinctiones, habent etiam minores sectiones, quas etiam aliqui vocant *Paraschah*; frequentius tamen appellant *Sedarim*, hoc est, *ordines*. Earum unaquæque tribus ut minimum versibus constat, multæ pluribus, ut significat Elias Levita [a], „ *Verum est*, „ inquit, *Auctores Hammasoreth, distinxis-* „ *se jam libros singulos in certas quasdam* „ *subdivisiones, vocasseque istarum quamli-* „ *bet* SEDER. *Et præterquamquod distinxe-* „ *runt quinque Legis libros in* LII. PARA- „ SCHOTH: *partiti quoque sunt illos in quos-* „ *dam* SEDARIM, *dicentes, verbi causa, li-* „ *brum* GENESEOS *habere duodecim* PARA- „ SCHOTH *&* XLIII. SEDARIM: *Librum* „ *Exodi* PARASCHOTH XI. SEDARIM „ XXIX. *Idem sentiendum de aliis. In* „ *hunc quoque modum diviserunt reliquos* „ *Bibliorum libros in* SEDARIM. *Verbi gra-* „ *tia, Josue in* XXIV. SEDARIM: *Jeremiam* „ *in* XXI. *& sic de aliis; eorum quamli-* „ *bet pro ipsius magnitudine aut parvitate,* „ *in plures aut pauciores* SEDARIM *dividen-* „ *do*. Hæc ille. „

[a] *in præf. Bachur.*

XII. Legentibus autem Hebræum textum notandum est, majores *Paraschas* seu *sectiones*, distingui per tria majuscula פפפ in medio paginæ posita, & interdum per tria ppp ut Genes. XXVIII. 10. & Genes. XLVII. 28. & alibi. Litera פ est prima litera vocis פתוחה *Sethuchah*, i. e. *clausa*, vel סמוכה *Semucah* i. e. *conjuncta*: פ vero est prima litera vocis פתוחה *Petuchah*, i. e. *aperta*: insuper פ significat sectionem *clausam*, vel *conjunctam*; פ vero denotat sectionem *apertam*. *Sectio clausa* vel *conjuncta*, quæ litera פ denotatur, sic denominatur, quia illud spatiolum, in cujus medio est פ, utrinque eadem linea clauditur. *Sectio aperta* sic vocatur, quia ab initio lineæ incipit. In Pentateucho sunt quinquaginta quatuor tales maximæ sectiones, quæ tribus פ, vel tribus פ communiter distinguuntur: in *Geneſi* sunt duodecim sectiones majores: in *Exodo* undecim: in *Levitico* decem: in libro *Numerorum* decem: & in *Deuteronomio* undecim, quæ simul collectæ faciunt quinquaginta quatuor. Hæ singulæ sectiones nomina sortiuntur a prima voce sectionis, vel a prima voce maxime emphatica: & propterea quinquaginta quatuor diversi tituli, si non ab utraque parte pagellæ, saltem a parte sinistra, Pentateucho Hebraico superscribuntur. Ultima quidem sectio libri *Geneſis* quæ incipit a cap. XLVII. 28. non notatur triplici *Samec*, sed unico minusculo, quod *clausam sectionem* indicat; forte quia in eo continetur benedictio Jacobi, qua vaticinatur venturum Messiam qui foret clavis & sigillum omnium Prophetarum; quia vero cum tempus illius arcanum esset, nec ab ullo intelligeretur, ideo hæc *Paraschah* seu *sectio*, sine majori distinctione continuo adnectitur præcedenti, estque *clausura* quia nemo eam intelligit.

XIII. Quod vero ad Editionem Græcam attinet, observat Sixtus Senensis [b] olim aliam fuisse divisionem sacrorum voluminum ab ea, quæ hoc nostro tempore in usu est, diviserunt enim quidam Græci sacra scripta in partes numeratim distinctas. *Primum* quidem *in titulos*, tanquam in partes majores. *Deinde* titulos ipsos *in capita*, tanquam in partes minores. Simili ratione qua Hebræi *in Paraschoth & Sedarim*: sic enim Euthymius, sive ut quibusdam videtur, Oecumenius, distribuit Evangelium Matthæi *in titulos* LXVIII. quorum primum inscripsit *de Magis*: secundum, *de pueris interfectis*: tertium, *de prædicatione Joannis, &c.* Quidam vero capitula a titulis separantes, dissecuerant volumina *in titulos*, atque iterum titulos *in capita* subdiviserunt, quod sectionis genus apud vetustiores Græcos fuit, & diu permansit; nam ejus rei vestigia apud Suidam supersunt, dum ait, Matthæum habuisse *titulos* LXVIII. *cap.* CCCLV. Marcum *titulos* XLVIII. *cap.* XXXV. aut potius (nam mendum esse apparet) uti legit Sixtus Senensis, CCXXXV. Joannem vero *titulos* XVIII. cap. autem CCXXXII. Non tamen existimat idem Sixtus ab Ammonio Alexandrino, Tatiano & aliis, fuisse capitula illa numerata, ut nobis certam Scripturarum partitionem instituerent; sed ad hoc solum, ut locos indicarent Evangelicæ Harmoniæ, in quibus Evangelistæ inter se consona dixerant. Ejus sententiam confirmat, quod in libris Testamenti veteris, vel in Apostolorum Epistolis, talem institutam fuisse partitionem non legimus.

[b] *lib. 3. Biblioth. sacræ Methodo 4. de Partit.*

XIV. Apud Latinos qui ab anno Salutis millesimo ad hæc nostra tempora scripserunt, notat idem Sixtus duplicem inveniri *capitum* enumerationem, alteram quæ ut vetustior, ita & numerosior est, juxta quam Evangelium secundum Matthæum continet *capita* XCIV. Evangelium Lucæ *cap.* CVII. Epistola ad Romanos capita L. Alteram recentiorem & contractiorem paucioribusque capitibus comprehensam, quæ ad hoc usque tempus in usu est, cujus Auctorem pri-

primum fuisse volunt Hugonem Cardinalem, circa annum Domini M. CCLIV. ut notat in sua Chronologia Genebrardus, qua statim usi sunt Alexander Alensis, Albertus Magnus, SS. Bonaventura & Thomas Aquinas, cæterique Theologiæ Scholasticæ Principes, imo etiam recentiores Judæi, ut videre est apud R. Davidem Kimchi, & Eliam Levitam *in præfat. libri sui Bachur*, ubi hanc distributionem a Christianis observatam plurimum laudat, eamque usurpat in suis Commentariis.

A nobis ergo *capitum distributionem* Hebræi acceperunt, nos ab illis *versuum sectiones*; nam Judæi jam a multis sæculis distinctionem versuum quæ nunc in Bibliis Hebræis conspicitur, habuerunt: tantumque circa illam sectionem fuit eorum studium, ut ad libri cujusque finem, omnium qui in toto libro sunt, summa & supputatio versuum perscribatur; ut quod *in Genesi* sint *versus* 1534. *in Exodo* 1209. hos *Pesuchim* vocant quasi duas *cessationes*, quia sententiam terminant ac finiunt. Certum est etiam apud veteres, Ecclesiasticos Scriptores fieri mentionem *versuum* a Latinis, a Græcis vero στίχων nam sic Hieronymus [a], *Discat Græcorum* VERSUUM *numerum*. Et alibi [b]: *De Scripturis sanctis habeto fixum* VERSUUM *numerum. Istud pensum Domino tuo redde.* Et iterum [d]: *Nemo*, inquit, *cum Prophetas* VERSIBUS *viderit esse descriptos, metro eos existimet apud Hebræos ligari, & aliquid simile habere de Psalmis & operibus Salomonis: sed quod in Demosthene & Tullio solet fieri, ut per cola scribantur, & commata, qui utique Prosa & non* VERSIBUS *conscripserunt, nos quoque utilitati legentium providentes, interpretationem novam, novo scribendi genere distinximus.* Ubi S. Hieronymus, *Distinctionem* sacrorum voluminum, tanquam novum scribendi genus commemorat, quia forte talis non erat *versuum* apud Hebræos distinctio, qualis postmodum a Christianis facta est, & ad nos propagata. Quod vero attinet ad consignationem numerorum singulis versiculis, sunt qui existiment illam a Roberto Stephano excogitatam & præfixam, dum opus majorum Concordantiarum moliretur. Verum nihil aliud iste præstitit, quam substituendo *numeros* loco *literarum Alphabeticarum* quas singulis versiculis præfixerat Hugo Cardinalis, cum indicem seu Concordantiam sacrorum Bibliorum conficeret.

[a] *in Epist. ad Latam.* [b] *in Epist. ad Turiam.* [d] *præf. in Isaiam.*

CAPUT TERTIUM.

De integritate sacrorum Bibliorum.

SUMMARIUM.

I. *Ex veteri Testamento plures libros intercidisse affirmant plurimi Rabbini, maxime Aben-Esra, Abarbinel, Levi ben Gerson.*

II. *Confirmant SS. Patres, præsertim Chrysostomus, Origenes, Athanasius, Augustinus, Eucherius. Quibus illustriores Auctores ex Recentioribus, non solum Catholicis, sed etiam Heterodoxis subscribunt.*

III. *Eadem veritas suadetur ex recensione plurium librorum, qui tametsi in variis Scripturæ locis memorentur, nullibi comparent.*

IV. *Proponuntur ac solvuntur variæ quorumdam exceptiones adversus istam assertionem.*

V. *Hos libros in Hebræo Canone fuisse insertos, negare videtur S. Augustinus: cui sententiæ subscribunt nonnulli Recentiores.*

VI. *Omnes quas illi proferunt rationes solvuntur.*

VII. *Qua ratione libri potuerint intercidere.*

I. PRæsentis controversiæ sensus est, utrum aliqui sacri libri V. Testamenti intercideriut; illi maxime qui in sacro Canone fuerant consignati. Priorem partem affirmant celebriores Judæi, confirmant plurimi SS. Patres, quibus non solum ex Catholicis, sed ex Heterodoxis illustrioris nominis Auctores consentiunt. Ex Judæis istud diserte edocet Aben-Esra in cap. 21. Num. [c] v. 24 nam exponens hæc verba [c], *Unde dicitur libro bellorum Domini*, ait: *Liber iste erat separatus, in quo scripta erant bella Domini propter timentes eum. Consentaneum autem est a diebus Abrahæ fuisse: multi enim libri perditi sunt, nec amplius reperiuntur apud nos, sicut libri Nathan & Addo & Chronica Regum Israel & Cantica Salomonis, & Proverbia ejus.* Cui subscribit Levi ben Gerson idem sentiens de libro Justi, cujus meminit Auctor libri Josue cap. X. v. 13. Et concinit Abarbinel de libris Nathan Prophetæ & Ahiæ Silonitis, & Addo videntis, exponens versum 29. Cap. IX. II. Paralip. cujus verba infra referemus. Mitto alios ejusdem opinionis, ut Christianos hanc sententiam comprobantes proferam.

[c] *in cap. 21. Num. v. 14.*

Occurrit in primis S. Chrysostomus, qui [e] expendens hæc verba; *Nazaræus vocabitur*, ait: *Multa ex Prophetis periere monumentis, quod de historia Paralipomenon probare possibile est. Desides enim cum essent Judæi: nec desides modo, sed etiam impii, alia quidem perdiderunt negligenter; alia vero tum incenderunt, tum perdiderunt.* Idem docet hom. 7. in priorem ad Corinthios. Præiverat autem Origenes, ubi commemorans istud lib. III. Regum cap. IV. *Locutus est Salomon tria millia Parabolarum: & fuerunt carmina ejus quinque millia*, Cum dixisset

[e] *homil. 9. in Matth.*

xisset ista jam non extare, subdit, *Operosum esse & procul ab opere proposito, si velimus nunc inquirere quam multorum librorum commemoratio fiat in Scripturis divinis, quorum lectio nulla nobis omnino est tradita. Sed neque apud Judæos baberi quidem usum, hujusmodi reperimus lectionem, quæ sive pro eo quod aliqua supra humanam intelligentiam continebant; placuit Spiritui Sancto auferri de medio, sive quod essent de Scripturis his quæ appellantur* APOCRYPHÆ, *pro eo quod multa in eis corrupta, & contra fidem veram inveniuntur a Majoribus tradita, non placuit eis dari locum, nec admitti ad auctoritatem: supra nos est pronuntiare de talibus.* Idem sentiunt SS. Athanasius, a, Augustinus b, & Eucherius c, qui scribit: *Multa volumina quæ Scriptura quidem probat, constat hodie non esse. Vastata namque a Chaldæis Judæa, etiam Bibliotheca antiquitus congregata inter alias Provinciæ opes, hostili igne consumpta est, ex qua pauci, qui nunc in sancta Scriptura continentur libri, postmodum Esdræ Pontificis & Prophetæ sunt industria restaurati.*

a *in fine Synops. script.*
b *quæst. 42. in Num.*
c *ad fin. lib. 3. Reg.*

His accedunt innumeri recentiores Ecclesiastici Scriptores, quos tædiosum ac supervacaneum esset referre. Neque plurimi Heterodoxi diffitentur: hoc enim diserte concedit Beza d: *Multos autem*, inquit, *libros sacros intercidisse nemini dubium esse potest, qui vetus Testamentum legent, quales isti sunt, liber Bellorum Domini, quem citat Moses, Numer. XXI. 14. liber Justi, Jos. X. 13. liber Nathan, liber Gad, liber Semeiæ, liber Addo, liber Ahiæ, liber Jehu filii Hannani, qui in Paralipomenis citantur.* Wittakerus confidentius ista pronuntiat e; *Canonica quædam periisse, credo esse neminem qui dubitet.* Similiter Drusius Commentario ad difficilia loca Pentateuchi, &c.

d *in epist. Jude. v. 14.*
e *Controv. 1. quæst. 3. cap. 4.*

III. Confirmatur vero hæc sententia ex indice plurium librorum, qui in sacris literis citantur & referuntur, qui tamen de facto non extant: tales sunt. *Primo* Prophetia Enoch, citata a Juda Apostolo in Canonica Epistola. *Secundo* Liber Bellorum Domini, Num. XXI. v. 14. *Tertio* liber Justorum; Josue X. v. 13. & II. Reg. I. v. 18. *Quarto* liber Verborum dierum Salomonis, III. Reg. XIV. 19. *Quinto* liber Verborum dierum Regum Israel, III. Reg. XIV. v. 19. & alibi sæpius. *Item* liber sermonum dierum Regum Juda, ibidem v. 29. & alibi in Regum libris sæpius. *Sexto* liber Regum, II. Paralip. XXIV. vers. ult. & liber Regum Juda & Israel, eodem lib. cap. VI. 25. 27. 28. 32. 35. 36. & liber Regum Israel, ibidem cap. XXXIII. 18. qui idem & unicus videtur liber, variata nonnihil appellatione, *Septimo* liber Samuelis Videntis, I. Paralip. ult. vers. 29. *Item* alium librum scripsit idem, continentem Legem Regni, seu quomodo se Rex gerere deberet in administrando populo, & populus se habere deberet erga Regem; qui quia repositus fuisse dicitur coram domino seu Arca fœderis, hoc ipso indicatur fuisse sacer, & Deo dictante & approbante scriptus, I. Reg. X. v. 25. *Octavo* libri Nathan Prophetæ, I. Paralip. ult. v. 29. & II. Paralip. IX. v. 29. *Nono* liber Gad Videntis, II. Paralip. ult. v. 29. *Decimo* liber Ahiæ Silonitis, II. Paralip. IX. v. 29. *Undecimo* liber vel visio Addo Videntis, II. Paralip. IX. v. 29. & cap. XII. v. 15. & cap. XIII. vers. ult. *Duodecimo* liber Semeiæ Prophetæ, II. Paralip. XII. v. 15. *Decimotertio*, liber Jehu filii Hanani, II. Paralip. XX. v. 34 *Decimoquarto*, Sermones Hozai, II. Paralip. XXXIII. 19. *Decimoquinto*, Sermones sive res gestæ Osiæ Regis Juda, conscripti ab Isaia Propheta, de quibus nihil habetur in Prophetia Isaiæ, II. Paralip. XXVI. v. 22. *Decimosexto*, tria millia Parabolarum Salomonis, III. Reg. IV. v. 32. liber enim quem habemus Salomonis Parabolarum, seu Proverbiorum, longe abest ab hoc numero. *Decimoseptimo*, Canticorum ejusdem quinque millia, ut libri plurimi habent, vel potius, ut Sixtina habent Biblia, quinque & mille: ibidem III. Reg. IV. v. 32. *Decimo-octavo*, ejusdem Salomonis Naturalia de plantis, arboribus, & omni animalium genere: ibidem vers. sequenti. *Decimonono*, Jeremiæ descriptiones II. Machab. II. v. 1. *Vigesimo*, Joannis Hircani liber dierum: I. Machab. ult. v. ult. *Vigesimoprimo*, libri Jasonis Cyrenæi, II. Machab. II. v. 24 ex quo Scriptor II. Machab. libri suam sumpsit historiam, eam redigendo in compendium. Addi potest ex Athanasio in Synopsi, qui ex Josepho accepit, duos Ezechielis Prophetiæ libros, cujus unum tantum habemus. *Denique* adiici possent literæ Eliæ Prophetæ, missæ ad Joram Regem Juda, II. Paralip. XXI. cujus item fragmentum ibi recitatur. Ista tametsi plurimis certissima videantur: nihilominus pleraque ex eis mihi dubia, imo gratissime conficta apparent, maxime vero *liber Enoch*, quem omnino suppositicium esse cap. II. supra demonstravimus. Idem potest esse judicium de libro *Bellorum Domini*, nam ut pariter antea diximus, vox ספר *sepher* quatitur Moses, omnino ambigua est, & significat quandoque *recensionem* aliquam, seu *narrationem* ore tenus, non autem *ullo scripto propagatam*.

IV. Sunt etiam qui respondeant *librum Regum, Juda & Israel*, qui toties citatur lib. II. Paralip. esse tertium & quartum librum Regum quos habemus, At, inquit Bonfrerius f, contrarium probari potest, *Primo* quia in eo *libro Regum* a II. *Paralip.* citato, dicitur *cap.* XXIV. haberi de filiis Joas, deque summa pecuniæ quæ sub eo collecta fuerat: *At* de his utriusque *lib.* IV. *Regum*, *cap.* XII. quod in rebus Joas narrandis totum est, nullus habetur sermo. *Rursum*, cap. XXVII. dicitur in illo libro Regum narrari pugnas Regis Joathan: *At* in nostris libris Regum ne verbum quidem est de præliis ejus. *Deinde* obsecratio Regis Manassæ, *cap.* XXXIII. *lib.* II. *Paralip.* dicitur esse scripta in sermonibus Regum Israel: *At* nihil tale habetur in nostris

f *in præloq. sect.* 4.

ſtris libris Regum. *Item* cap. ult. IV. Paralip. habetur in iſto libro Regum Juda & Iſrael fuiſſe ſcriptas abominationes quas operatus eſt Rex Joakim: *At* in noſtris libris Regum nihil iſtiuſmodi legitur. Ex quibus omnibus manifeſte concludo, librum illum, qui paſſim citatur lib. II. Paralip. ſub nomine Regum Juda & Iſrael, eſſe plane alium a libris Regum quos habemus.

Rurſum ſuſpicari quis poſſet, & vero ita cenſuerunt nonnulli, *Librum Dierum verborum Regum Juda & Iſrael*, qui paſſim citatur in libris *Regum* III. & IV. eſſe libros Paralip. *At* id dici non poſſe, his argumentis probatur: nam *cap.* XVI. *lib.* III. *Regum v.* 5. dicitur in illo libro dierum verborum Regum Iſrael, referri prælia Baaſa. *Item* paulo poſt eodem capite v. 20. dicitur in eodem libro narrari res Zambri, inſidias ejus & tyrannidem: *At* de his nihil habetur in libris Paralipomenon, imo de Zambri ne mentio eſt quidem. *Item* quod paulo poſt verſic. 27. dicitur de Amri & præliis ejus, nihil eorum in Paralipomenis habetur, ubi ne nominatur quidem Amri. *Item* ejuſdem libri cap. ult. v. 39. habetur, in eodem libro verborum dierum Regum Iſrael haberi de domo eburnea ab Achab Rege ædificata: *At* nihil tale habent libri Paralipomenon. *Rurſum* de Jehu & ejus fortitudine, vix quidquam habetur in libro Paralip. cum tamen ejus geſta & ipſius fortitudo dicatur eſſe ſcripta in libro Verborum dierum Regum Iſrael, cap. X. lib. IV. Regum. Et de Joachaz filio Jehu dicitur IV. Reg. XIII. ejus ſermones & fortitudinem haberi ſcripta in libro Sermonum dierum Regum Iſrael: *At* nihil iſtorum habetur in libris Paralip. imo ne tangitur quidem verbo tempus Regni Joachaz. *Item* de Jeroboam filio Joas dicuntur ejus geſta & fortitudo, qua præliatus eſt, & quomodo reſtituerit Damaſcum & Emath Judæ in Iſrael ſcripta in libro Sermonum dierum Regum Iſrael lib. IV. Regum cap. XIV. *At* hujus Jeroboam ne mentio quidem eſt in libris Paralip. *Idem* dici poſſet de Regibus Iſrael, Phaceia, Phacee, Oſee ultimis Regibus Juda, quorum geſta dicuntur ſcripta eſſe in eodem illo libro Sermonum dierum Regum, & tamen de his nihil habent libri Paralipomenon, niſi paucula obiter & ex occaſione de Phacee. Ex his manifeſte conficitur iſtum *librum verborum dierum Regum Juda & Iſrael*, plane eſſe alium a libro Paralipomenon, & forte is non eſt alius a libro illo Regum Iſrael & Juda, cujus toties in libro Paralipomenon fit mentio. Hæc paulo fuſius ex Bonfrerio qui rem acu tetigiſſe mihi videtur, aliorum eſto judicium.

Idem videtur aſſerendum de libris Samuelis, Nathan, & Gad Prophetarum nam I. Paralip. cap. ult. legimus: *Geſta autem David Regis priora & noviſſima, ſcripta ſunt in libro Samuelis Videntis, & in libro Nathan Prophetæ, atque in volumine Gad Videntis: univerſique regni ejus & fortitudinis & temporum quæ tranſierunt ſub eo, ſive in Iſrael, ſive in cunctis Regnis terrarum.* Quæ poſtrema verba aperte indicant librum Samuelis, cujus hic fit mentio, non eſſe primum aut ſecundum Regum qui Samuelis dicuntur. Quæ enim in externis regni geſta ſunt, in libris Regum nuſquam reperiuntur. Quanquam enim in eis fiat aliqua de externis mentio, puta cum narrantur victoriæ Davidis, quas in Moabitas reportavit, ſicut & in Ammonitas, Philiſtæos, Amalecitas, & in Syriam Damaſci; nemo eſt qui fingere poſſit hæc tantum deſignari in poſtremis verbis prolati textus; tum quod iſta non ſint cuncta regna terrarum: tum quod non referant res geſtas ſecundum temporum ſeriem in eis regnis. Licet enim verba iſta rigide non ſint accipienda, quaſi Prophetæ illi ſcripſerint hiſtoriam & Commentaria rerum omnium, quæ temporibus Davidis contigerunt in ſingulis mundi regnis; veroſimile tamen eſt eos id præſtitiſſe, de regionibus & regnis quæ Iſraelitis erant contermina, quorum res eo tempore notatu dignas iſti Prophetæ in ſuos Annales retulerint, quemadmodum factum videmus in pleriſque Hiſtoricis, qui cum narrationem abſolverint eorum quæ contigerunt in eis regnis, quorum Commentaria ſcribunt, nonnihil de regnis adjacentibus enarrant.

Rurſum quæ dicitur ſcripſiſſe Addo Videns, non eſſe ea quæ in libris Regum habentur, probari poteſt; quia II. Paralip. cap. IX. v. 29. legimus: *Reliqua autem operum Salomonis priorum & noviſſimorum, ſcripta ſunt in verbis Nathan Prophetæ, & in libris Ahiæ Silonitis; in viſione quoque Addo Videntis contra Jeroboam filium Nabat*: Viſio autem iſta nuſquam habetur in libris Regum. Neque enim dici poteſt id intelligi de prædictione illius Prophetæ qui venit ad Jeroboam in Bethel vaticinaturus contra altare, quod Rex ibi extruxerat, ut narratur III. Reg. XIII. nam ibid. legimus Prophetam iſtum, quod contra Dei juſſum comediſſet panem, & bibiſſet aquam in eo loco occiſum fuiſſe in itinere a leone. Addo autem diutiſſime poſt Jeroboamum vixit: ſiquidem is non tantum ſcripſit res Salomonis & viſionem illam contra Jeroboam; ſed etiam res geſtas Roboam, & Ahiæ filii ejus; *Reliqua autem Sermonum Ahiæ, viarumque & operum ejus, ſcripta ſunt diligentiſſime in libro Addo Prophetæ*; Ahiam autem ſupervixiſſe Jeroboamo ibidem a narratur. Ex his itaque probabiliſſimum fit plurimos libros ſacros, & a viris Propheticis conſcriptos, amiſſos eſſe.

a II. Paralip. cap. XIII. v. 22.

Iſta omnia præclare explicat Abarbinel, qui loco citato commentans præfatum textum b, ſcribit: „ Hæc ſignificant de geſtis „ Salomonis duos libros ſcriptos eſſe, „ unum de ejus geſtis prioribus, hoc eſt, „ de ædificiis ejus, de gloria, ſplendore, & „ proſperitate ejus. Hæc omnia ſcripſit „ Nathan Propheta, eo quod facta ſunt „ ipſius tempore. Alterum autem de ejus „ geſtis poſterioribus, id eſt, de iis quæ contigerunt in ſenectute ejus, de amoribus

b 2. Paralip. cap. 9. v. 29.

„ ejus

„ ejus in mulieres, de iis quæ cor ipsius „ perverterunt, de idolis quæ fecerunt, de „ Prophetis & verbis divinitus ad Prophe„ tas factis in ipsius punitionem, de Ad„ versariis qui in senectute ipsius insurre„ xerunt adversus eum, & de malis quo„ rum in Israele causa fuerunt. Hæc omnia „ scripsit Ahias Silonites in libro de pec„ catis Salomonis, & calamitatibus quæ „ contigerunt in novissimis illis diebus. De „ iisdem etiam rebus scribitur in libro alio, „ quem composuit Addo Videns de rebus „ gestis Jeroboam filii Nabat. In eo enim „ necesse fuit gesta Salomonis enarrare, quæ „ conjuncta erant gestis Jeroboam. Si igi„ tur ita est, tres isti Prophetæ, Nathan, „ Ahia & Addo non scripserunt omnes „ unum librum, neque convenerunt in una „ narratione, sed unusquisque scripsit li„ brum suum, ut jam dixi. Interpretes „ alio modo ista explicant, qui mihi non „ probantur, & ideo eos præterii. *Huc „ usque Abarbinel*, quæ paulo fusius ex il„ lo, quia rem non inutilem scitu recte „ distinxisse, & acu tetigisse mihi videtur „.

V. Unum superest hic discutiendum, utrum illi libri deperditi, fuerint aliquando in Canonem Hebræum relati. Negant plerique ex Recentioribus tam Catholicis, quam Hæreticis, idque innuere videtur S. Augustinus a: *In ipsa*, inquit, *Regum Juda & Israel historia, quæ res gestas continet, de quibus eidem Canonicæ Scripturæ credimus, commemorantur plurima quæ ibi non explicantur, & in libris aliis inveniri dicuntur, quos Prophetæ scripserunt, & alicubi eorum quoque Prophetarum nomina non tacentur; nec tamen inveniuntur in Canone, quem populus Dei recipit. Cujus rei, fateor, causa me latet, nisi quod ego existimo, etiam ipsos quibus ea quæ in auctoritate Religionis esse deberent, Sanctus utique Spiritus revelabat; alia sicut homines historica diligentia, alia sicut Prophetas inspiratione divina scribere potuisse; atque hæc ipsa fuisse distincta, ut illa tanquam ipsis, ista vero tanquam Deo per ipsos loquenti judicarentur esse tribuenda: ac sic illa pertinerent ad ubertatem cognitionis, hæc ad Religionis auctoritatem, in qua auctoritate custoditur Canon.* Hæc ille. Quibus significat Prophetas potuisse multa scribere, vera quidem & de quibus essent certi, sed extra S. Spiritus motum & inspirationem, ac humano spiritu & diligentia.

a *lib.* 18. *de Civit. cap.* 38.

Ad hujus sententiæ confirmationem Salmeron b varia profert argumenta, *Primo* si Canonici ejusmodi libri extitissent, & deinde excidissent, Ecclesia non fuisset depositi sibi a Deo traditi fidelis custos, juxta illud I. ad Timot. VI. *O Timothee depositum custodi*. Cumque liber Canonicus nihil aliud sit, quam certa regula credendi, & vitam Legi Dei conformem instituendi; facere jacturam unius libri Canonici, nihil aliud esset, quam regulam vivendi juxta Dei præceptum amittere. *Secundo* posset hoc incommodum non sine ratione retorqueri in Spiritum Sanctum, Ecclesia Dei in necessariis custodem & protectorem, qui cum potuisset in Ecclesia Dei conservare Scripturam illam, quam pro fidei & morum Canone concesserat, eandem tamen amitti permisisset. *Tertio* ex omnium consensu constat Esdram restituisse omnes sacros libros post captivitatem Babylonicam: cum itaque hos qui dicuntur periisse, non restituerit, signum est eos pro Apocryphis habitos esse. *Denique* ex illis libris nihil legimus citatum, nec usurpatum ab Apostolis & Evangelistis in novo Testamento; cum ex cæteris omnibus aliis, quos Canonicos habemus, aliquid prolatum inveniamus. Quod apertum argumentum est, eos libros non fuisse Canonicos, neque aliquid de rebus ad Messiam & ad novum Testamentum spectantibus habuisse.

b *Prolog.* 9. *Can.* 4.

VI. *Verum* omnes istæ rationes facili negotio dissolvi possunt ac refutari. *Prima* quidem quia citra Ecclesiæ Judaicæ culpam, potuit aliquis e sacris libris intercidere, nimirum vel persecutione tyrannorum, qui librum aliquem, cujus rara essent exemplaria, diligenter quæsitum igni combusserint, quemadmodum de Antiocho Epiphane refertur I. Mach. cap. I. v. 59. Vel forte a Synagoga reiici, quod in plurimis corruptus esset & interpolatus. Quid enim sacratius fuit in veteri Ecclesia tabulis lapideis Decalogi, vel Arca Testamenti? illas tamen confringi jussit Deus, quippe Moses nihil nisi Dei motu agebat; hac cum posterioribus Legis tabulis voluit Deus Ecclesiam Judæorum carere, multis etiam post Christum sæculis. Itaque, tametsi id futurum nusquam existimem, ut Ecclesia Christiana careat aliquando uno aut altero e libris sacris quos pro Canonicis habet; attamen id Deum permisisse in Ecclesia Judæorum non video cur quis possit inficiari.

Ad secundum, *Respondeo* cum Bonfrerio c, Dei providentiam plurimis de causis posse permittere ut aliquis e sacris libris pereat. *Primo* quia vel illius utilitas, vel necessitas desiisset; quemadmodum enim non fuit Ecclesiæ necessarium, nec ad divinam providentiam spectabat, ut omnes certe libri uno eodemque tempore scriberentur: multis enim annis Ecclesia caruit Apostolicis Epistolis, Actibus Apostolorum, Apocalypsi & Evangelio S. Joannis, sine quibus sanctissime Christiani vivebant; ita fieri potuit, ut aliqui libri sacri, ad breve tempus judicati sint a Deo Ecclesiæ suæ utiles, & postea necessarii esse desierint. *Secundo* quia qui posterius scripti sunt, res easdem, sed plenius ac planius quam veteres libri referebant. *Tertio* quia forte Deus prævidebat multos iis libris abusuros ad hæreses excogitandas & stabiliendos errores. *Denique* quid mirum si Deus habuerit justas causas, ut hosce libros perire sineret, nec ad ejus providentiam pertinuerit hoc impedire; cum similes causas habuerit, cur multa quæ ipse locutus fuerat per Prophetas Eliam, Elisæum, Samuelem, & alios plurimos, qui dicuntur ad Reges vel populum missi, ut Dei voluntatem illis insi-

c *Sect.* 7.

nuarent, ſcribi noluerit? Cui dubium eſſe poteſt, innumera alia quæ egit dixitque Chriſtus, de quibus Joannes *cap. ult. v. ult.* potuiſſe eſſe uſui Eccleſiæ ſi ſcripta fuiſſent: *Item* ultima Pauli Acta, cæterorumque Apoſtolorum ubivis terrarum geſta, potuiſſe Fidelibus, ad fidei morumque inſtructionem inſervire, quæ tamen omnino Deus ſcribi noluit? Concludo itaque, ſicuti non fuit contra divinam providentiam, ut multa a Chriſto, a Spiritu Sancto per Prophetas, Apoſtolos, viros divino Spiritu plenos prolata, ſtatim cum ipſa fere voce perirent, nec ulla deinceps eorum ſupereſſet memoria; ita non fuit contra divinam providentiam, ut qui jam tempore aliquo ſteterant libri, exciderent. *Hæc ille.*

Ad tertium reſponderi poteſt Eſdram hoſce reſtituiſſe libros, qui ante captivitatem erant in Hebræorum Canone, non autem eos qui jam diu ante fuerant deperditi, quales cenſendi ſunt illi omnes qui in ſacris libris jam extantibus memorantur nec amplius comparent.

Ad quartum dico nihil mirum quod nec Evangeliſtæ, nec Apoſtoli aliquid ex deperditis illis libris in ſacra ſua ſcripta retulerint, id enim conſulto factum eſt, tum ne falſitatis arguerentur, cum textus ſacros proferrent, qui in divinis Codicibus illo tempore extantibus non reperirentur; tum forte quia in eis libris nihil continebatur quod ad Chriſtum & res novi Teſtamenti ſpectaret, ſed eorum plerique eſſent tantum rerum ab Iſraelitis geſtarum recenſiones & commentaria.

VII. Probabilior itaque apparet ſententia S. Chryſoſtomi ſupra dicentis, multa ex monumentis Propheticis periiſſe, hoc eſt, plurimos ex libris Propheticis, qui auctoritatem apud Iſraelitas obtinebant, cujus perditionis quatuor afferuntur cauſæ. *Prima* quod illi forte corrupti eſſent & adulterati. *Secunda* quam profert S. Chryſoſtomus, fuit deſidia & impietas Judæorum, qui alios quidem, inquit, libros perdiderunt negligenter, alios vero tum incenderunt, tum conciderunt. Veriſimile enim eſt Manaſſem, & ſimiles Reges impios, cum in Dei cultum & cultores ſævirent, idololatriamque apud Judæos invehere niterentur, etiam ſacros libros facta diligenti inquiſitione combuſſiſſe. Unde fieri potuit ut illi, quorum rara eſſent exemplaria, eo tempore prorſus exciderent. *Tertia* fuit incuria & negligentia Judæorum, qui propter varias ſuas tranſmigrationes & captivitates, minus curarunt libros ſacros, eos maxime qui rerum tantum geſtarum commentaria referebant. *Quarta* tandem fuit urbis ac templi a Chaldæis devaſtatio & exuſtio: quanquam enim plurimi e ſacris libris incendium iſtud effugerint, non eſt improbabile aliqua eorum authographa periiſſe, ac plurima illorum exemplaria; ſi quæ vero ſuperfuerint, poſtmodum fuiſſe penitus neglecta aut rejecta, quod innumeris nævis & interpolationibus ſcaterent. (5)

CA-

(5) Plurimos excidiſſe veteris populi Judaici libros invictis prorſus oſtendit Auctor noſter momentis ſub Num. III. hujus Capitis recenſitis, cujus opinioni quiſque, ni decipior, aſſentietur. Difficultas inextricabilis omnino permanere conſpicitur, circa eorum, qui defecerunt, Librorum divinitatem; vix enim quiſpiam ſibi ſuadere poterit verba Dei excidere potuiſſe, cujus miranda fuit olim in Populi Judaici viciſſitudinibus providentia, circa Librorum divinorum cuſtodiam; quoniam autem Threnorum Librum comburi mandavit Rex Joachim, ut patet ex Cap. 22. Libri 4. Regum, Spiritus Sanctus, ut iterum ab Hieremia conſcriberetur diſpoſuit, ut ex Cap. 36. ipſius Prophetæ monemur. Quis unquam oſtendere queat omnia, quæ vir Propheta dicit, aut ſcribit ex divini Spiritus flamine, aut ſpeciali adſiſtentia enunciare? Non ſemper homines Dei œſtro divino abrepti ſunt, ſed cum Dei revelationem excipiunt atque conſcribunt. Paulus Apoſtolus meminit in Epiſtola ad Coloſſenſes alterius ſuæ Epiſtolæ ad Laodicenſes datæ, quam tamen canonicam non fuiſſe multi opinantur, ſicut & alias, quas Apoſtolus aliis probabiliter ſcripſit. Pari modo, qui deeſſe citantur Veteris populi Libri, quomodocumque ab Iſaia, Nathan, Abdo, aliiſque Prophetis dicantur, & ſint revera conſcripti; cum ſit indefinibile an ſola ſcientia humana, vel potius divino afflante Spiritu, ejuſque ducto exarati ſint, poterit quiſquam pro libito nullos defeciſſe ſacros, & divinos Libros problemmatice ſubſtinere; ſicuti, & in oppoſitum opinantes Graſſeni ſententiam defendere. Hæc tamen omnia in Scholis exercitationis cauſa inquirenda, & examinanda relinquimus. (W)

CAPUT QUARTUM.

De Auctoritate ac Veritate sacrorum librorum cum Veteris, tum Novi Testamenti.

SUMMARIUM.

I. *Scripturæ Sacræ veritas & dignitas petitur ab intrinseco, & extrinseco.*
I. *Primo ex ejusdem Scripturæ qualitatibus.*
III. *Petitur ab extrinseco Scripturæ veritas & dignitas.*
IV. *Ecclesia universa divinam Scripturam semper venerata est.*
V. *Ex Scriptorum pietate & sinceritate.*
VI. *Scriptores etiam extranei fidem, & auctoritatem fecere Scriptoribus Sacris.*
VII. *Sacrorum Librorum sinceritatem nulla temporum injuria labefactare potuit.*
VIII. *Hæreticorum insania contra veteris Testamenti libros debacchata est.*
IX. *Ea confringitur Christi Domini & Apostolorum Oraculis.*
X. *Manichæorum cavillationes in vetus Testamentum proferuntur, & Sancti Augustini adversus easdem responsiones.*

SI Judæorum aut Christianorum trutina præsens quæstio librareturr, facilis esset illius resolutio; fatentur enim illi libros omnes qui in veteri Testamento & Instrumento continentur, citra dubium divinæ esse dignitatis & auctoritatis, utpote, conscriptos a viris Propheticis & divinitus afflatis: eademque constantissima est de Libris, novum Dei cum hominibus fœdus, ac pactum, seu Testamentum continentibus, Christianorum sententia. *Verum* quoniam lis esse potest non solum cum ejusmodi hominibus, sed etiam cum illis qui vel Religionem omnem ejurant, atque tradita a Majoribus divina præcepta, ac documenta, velut inania commenta rident & reiiciunt; vel solo rationis & luminis a natura insiti, affulgente splendore, in rebus etiam divinis investigandis, duci volunt ac dirigi; ideo statuenda est divina sacrorum Bibliorum dignitas & majestas, non solum argumentis & rationibus ab auctoritate divina quæsitis, sed etiam momentis ab ipso rationis naturalis lumine petitis; atque etiam a receptis, apud homines tantillum cordatos, constitutionibus & placitis, res est constituenda duobus in sequentibus paragraphis: in quorum primo, sacrorum Bibliorum constantissimam veritatem & divinam auctoritatem universim demonstrabimus. In secundo vero qualis & quanta librorum veteris Testamenti apud Christianos etiamnum vigeat auctoritas, explosis ac refutatis impiis cum veterum, tum recentium Manichæorum dogmatibus, fiet manifestum.

§. I.

Constantissima est sacrorum Librorum divina auctoritas & veritas.

I. TAmetsi in hujus operis exordio argumentum præsens jam ex parte delibaverimus, nihilominus tamen quoniam res est maximi momenti, ne eam gratis & absque argumentorum prægnantium pondere dixisse videamur, majori numero producenda sunt probationis monumenta, quibus huic constantissimæ & piissimæ sententiæ lucem inferamus clarissimam. Illa vero non sunt unius generis, sed alia dici possunt *intrinseca* ex ipsarum Scripturarum apertissimis locis & oraculis elicita; Scriptura namque cum sit veritatis sacrarium, de semetipsa ut competens judex & arbiter, ac rectissime fert judicium: alia vero *extrinseca* vel ab ipso lumine naturali, vel ex receptis apud homines placitis conquisita, quæ omnia cum ad eundem scopum colliment, concatenata serie ordine proferemus.

Auspicor itaque confirmandam divinam Bibliorum auctoritatem & veritatem ab ipsiusmet Scripturæ definitione; cum enim illa nihil aliud sit quam Verbum Dei literis exaratum, nemini cordato dubium esse potest, quin omnia quæ complectitur verissima sint. Enimvero *rectum est Verbum Domini*, ait Regius Vates [a], ideoque excludit omne obliquum, quod a recti & veri tramite periculose deviat. Quamobrem Adorandus Salvator divinum Patrem alloquens, Joannis XVII. v. 7. aiebat: *Sanctifica eos Pater in veritate, sermo tuus est veritas.* Hæc & similia dicta quæ Dei Verbum esse verissimum contestantur, manifestissime declarant a Scriptura Dei Verbo omnem falsitatem & obliquitatem esse alienissimam.

[a] *Psal.* IV.

Hoc argumentum confirmare licet variis momentis I. *a Majestate divini Auctoris.* Scriptura enim sacra est Verbum Dei, a Prophetis, Evangelistis & Apostolis immediato S. Spiritus afflatu perscriptum. Hinc S. Petrus Epist. II. cap. I. v. 19. diserte pronuntiat: *Habemus firmiorem propheticum*

ſermonem (βεβαιότερον λόγον) *cui benefacitis attendentes quaſi lucernæ lucenti in caliginoſo loco, donec dies illuceſcat, & Lucifer oriatur in cordibus veſtris*, v. 20. *Hoc primum intelligentes, quod omnis Prophetia Scripturæ propria interpretatione non ſit* (ἰδίας ἐπιλύσεως) v. 21. *Non enim voluntate humana allata eſt aliquando prophetia, ſed Spiritu S. inſpirati* (ὑπὸ πνεύματος ἁγίου φερόμενοι) *locuti ſunt ſancti Dei homines*: ut ex illorum libris cæleſtis veritas perſpicue cognoſcatur, atque hac ratione ab illis erudiamur ad vitam æternam. Unde S. Joannes Evangelium ſuum concludens, ait: *Hæc ſcripta ſunt ut credamus quod Jeſus eſt Chriſtus Filius Dei*. Cum itaque ſacri libri, inſpirante Deo, conſcripti ſint ad noſtram ſalutem ſtabiliendam; cumque Deus immutabilis ſit & veraciſſimus, imo veritas ipſa; neceſſum eſt ut in Scripturis ejus afflatu conditis, nihil diſſonum aut falſum inveniatur: a ſumma namque veritate, nihil niſi verum procedere poſſibile eſt.

II. *Ab ipſius Scripturæ dignitate*, quam commendat *Primo antiquitas*, clariſſime namque ſupra demonſtratum eſt Moſaicos libros omnium Gentilium ſcriptis, hiſtoriis, & monumentis aliquot ſæculis eſſe priores; & ex illis quidquid a Philoſophis de unico ſupremo totius mundi Opifice & Rectore, deque rerum omnium conditarum exordio in libros relatum eſt, fuiſſe collectum; quidquid a Mithologiſtis de mentitis Numinibus confictum; quidquid denique a Legiſperitis rectiſſime conſtitutum, ab illis fuiſſe delibatum. *Secundo doctrinæ ſublimitas cum eleganti ſimplicitate ſermonis;* nemo enim eſt qui Sacra Biblia attenta mente & religioſa pervolvat, quin divino lumine irradiatus, protinus ex ipſa lectione non deprehendat cæleſtem doctrinam in eis comprehenſam, atque miranda de Dei majeſtate, conſiliis, decretis & operibus documenta, quibus ſimilia in aliis cujuſque ſapientiſſimi ac celebratiſſimi Philoſophi libris nuſquam deprehendet. Quod vero mirandum magis, ipſa doctrinæ ceiſitas ita ſermone ſingulari enarratur, ut cum peculiari gravitate ac efficaciſſima dicendi facilitate & energia, ſancta ſimplicitate deliniatur. *Tertio omnium partium conformitas*, tametſi enim diverſis plane temporibus ſinguli ſacri libri Bibliorum codice comprehenſi, conſcripti ſint, omnes tamen ita inter ſe concordant, ut ad eandem ſimplicem veritatem, ſeu præfixum ſcopum harmonice collineent. *Quarto hujus doctrinæ* (quam continent) *propagatio*, quod enim Chriſtus, inquit Walterius [a], ſanctis Apoſtolorum laboribus doctrinam Evangelii cunctis ſub Sole nationibus Ethnicis prius inauditam, Orbi terrarum citra omne præſidium invexit; quod idololatriam tot ſæculorum vetuſtate firmatam ex hominum animis atque cordibus extirpavit funditus; quod idolorum ſacra verbo illo, haud aliter divino cæleſtique fulmine dejecta conciderunt & evanuerunt; quod Gentes rebus & modis omnibus diſcrepantes ſuperſtitionibus idololatricis æternum abjuratis, hanc crucis concionem, quantumvis coram mundana ſapientia ſtultam ac ſtolidam, pro indubitata veritate receperunt & ad Jeſu Chriſti vexilla ſeſe concitatiſſimo accurſu aggregarunt; quod denique totius mundi regiones atque inſulæ vix cujuſque paſſibus aut remigum beneficio celerius perambulari potuiſſent, quam Apoſtolorum, non dicam peragratæ curſibus, ſed concionibus ſubactæ, regnantiſque Chriſti præliis, victoriis item, miraculis triumphis ſpoliiſque ſunt illuſtratæ: hæc, inquam, ſeorſim ſingula, & conjunctim univerſa, pleniſſimam nobis faciunt fidem, a Deo eſſe libros illos in quibus illa Evangelica doctrina vel prænuntiatur, vel declaratur, vel confirmatur & explicatur. Mitto cætera ejuſmodi argumenta ab ipſius Scripturæ ſacræ, dignitate atque præcellentiis elicienda; ut ea urgeam quæ a cauſis extrinſecis poſſunt depromi. (6)

[a] *in harmonia Script. S. libel. prioris cap. 1. §. 6.*

III.

(6) Non videtur magis evidens ad conciliandam Scripturæ divinæ auctoritatem, & fidem poſſe argumentum proferri, quam oſtendere in Scriptura ipſa nil humana induſtria, ſed omnia, Deo inſpirante, & præcipiente eſſe literis conſignata. Hoc autem facillime concluditur ſi Scriptorum Caracteres in primis attendamus eorumque methodum obſervemus. Quis non videat Moſis ſinceritatem, & fidem, & quod magis eſt Spiritum propheticum habuiſſe, dum ſuos libros conſcripſit? Sua propria, ſuæque familiæ narrat infanda prorſus facinora, Levi crimen incæſtuoſum enarrat, Fratris, ſororiſque ſuæ decori non parcit, dum in Deum peccaverunt; plurima de Chriſto tunc venturo prædicit, ſuique populi ruinam, captivitatemque vaticinatur, fame, ærumnis, aliiſque flagellis iri confectum enunciat ſi legem Dei non cuſtodiret, quæ omnia in Judaica lege, longo poſt tempore fuiſſe adimpleta ſatis palam faciunt Hiſtoriæ. Chriſtus etiam Dominus non ſemel, quæ de ſeipſo in Moſe Prophetis, & Pſalmis ſcripta erant, expoſuit Judæis, ſuiſque diſcipulis. Mira ſunt prorſus, quæ Iſaias de Templi excidio, & urbis; populique ſui Captivitate, deque Cyro Rege, a quo ſubigendi erant Chaldæi, populuſque Judaicus libertati reſtituendus, & Patriæ prædixit, quæ omnia prorſus contigiſſe centum plus annis poſt Iſaiæ mortem eventus monſtravit. Jeremias etiam aliquot annis priuſquam Populus Judaicus abduceretur poſt ſeptuaginta captivitatis annos exilium fore abſolvendum, atque manumiſſionem concedendam abſque ulla prorſus dubitatione prædicavit. Omittimus, quæ Ezechiel, quæ Daniel enunciarunt, quorum ultimus ad annum fere ſexcenteſimum poſt de rebus futuris ita prophetias contexuit, ac ſi de rebus geſtis, & paſſim nobis conſcriberet. Cujus ergo erit impudentiæ negare, quod ex Dei ore quidquid iſti ſcripſere audierint. Ejuſdem prorſus charakteris cæteri ferme omnes alii divini Scriptores reperiuntur, cur ergo num divinæ auctoritatis ſint, quæ in Scripturis ſanctis legimus, ambigitur, ſi omnia ex ore Dei proceſiſſe revincuntur? ita teſtati ſunt ipſimet ſancti ſcribentes, quæ legimus; Dei juſſu Moſen ſcripſiſſe, Prophetaſque locutos non ſemel in eorum libris perlegimus; & tandem id peremptorie definit Apoſtolus Paulus ad Rom 3. ℣. 3. *Credita ſunt illis eloquia Dei*, ſcribens, & ad Timoth 3. ℣. 16. *omnis ſcriptura divinitus inſpirata*, ſubjungit; indubium eſt ergo, quod ſcriptura ſancta divinam auctoritatem, proindeque veracitatem præſeferat. Hac de cauſa S. Auguſtinus Lib. 13. contra Fauſtum cap. 14. & in Epiſt. 3. ad Voluſianum ſcripſit „ Nullis prudentius credimus, vel de præteritis quæ olim facta ſunt, „ vel de futuris, quæ nondum facta ſunt, quam

„ eis

III. *Primo* itaque libri illi revera ſacri ac divini cenſendi ſunt, in quibus ſolius veræ atque divinæ Religionis præcepta & documenta continentur, nihilque comprehendunt quod a ſincera pietate, veroque Dei cultu ſit alienum. *At* ita eſſe de hiſce libris conſtantiſſimum eſſe debet, quippe cum contineant univerſa Chriſtianæ Religionis inſtituta, quam unicam eſſe veram, non ſolum infinitis propemodum argumentis, ſed ipſamet etiam experientia teſtatiſſimum fit, ut alibi evidentiſſime probavimus; non eſt ergo cur horum librorum dignitas & ſanctitas in controverſiam vertatur. (7)

At forte, inquies, tametſi gratis concedam Religionem Chriſtianam ſolam eſſe legitimam; undenam conſtabit illius Leges & inſtituta, in hiſce libris comprehendi? Operoſum non erit ſcrupulum hunc elevare: tametſi enim aliunde nulla ad id occurrerent argumenta: Unicum ſatis eſſet ea de re Chriſtianorum omnium judicium; inique enim faciet, ſi quis negat illis libris eam Religionem contineri, ſicut Chriſtiani omnes affirmant; cum omnis ſectæ, ſive bonæ, ſive malæ, æquum ſit credi in eo quod aſſerunt, hoc aut illo libro ſua dogmata comprehendi; nemo enim fidem denegat Muhammedanis affirmantibus ſuæ Religionis inſtituta Alcorano contineri. Cum ergo aliunde ſupponamus evidenter probatum, Chriſtianæ Religionis veritatem & ſanctitatem, ſimulque conſtet illius inſtituta in hiſce libris conſcribi, ſatis vel hoc ſolo adſtruitur illis libris ſua auctoritas. *Accedit* quod ſi quis eam in dubium revocet, magiſque ſpeciatim ſibi demonſtrari poſtulet, ei primum incumbet onus afferendi argumenta fidem ſcriptis derogantia; enimvero uſitata eſt & recepta apud æquos judices omnes regula, ut qui impugnare velit ſcriptum aliquod multa per ſæcula receptum, proferre debeat momenta, quibus illius auctoritatem labefactare, ac elevare poſſit, ut docent Baldus [a] & Gailius, [b] aliique ab eo prolati.

IV. *Repones iterum* non eandem apud omnes Chriſtianos fuiſſe de his libris ſententiam, plures enim ex eis a veteribus nonnullis Eccleſiæ Doctoribus, tanquam Apocryphi rejecti ſunt, & aliqui in dubium vocati. *Reſpondeo* quod etſi eorum librorum aliquot, non ſtatim ab initio, pariter in ſacrum Canonem ab univerſali Eccleſia fuerint recepti; nihilominus tamen, nulli eorum Eccleſiæ publico & generali edicto repudiati ſunt, ſed a multis Eccleſiis, etiam ab initio tanquam ſacri ſunt habiti, ut colligere eſt ex libris SS. ac Veterum Patrum, qui eorum teſtimonia, veluti ſacra ac divina uſurparunt, ſicut apparebit cum ſingulorum librorum Auctorem & auctoritatem inveſtigabimus. Unde ſi quæ Eccleſiæ particulares, ſtatim ab initio eos libros veluti ſacros & Canonicos non habuerint, credibile eſt illas eo tempore horum librorum auctoritatem nondum ſatis habuiſſe perſpectam, poſtea autem de rei veritate edoctas, ad exemplum cæterarum Eccleſiarum, quibus nota erat horum librorum auctoritas, ita probaſſe, ut jam de eis addubitare ſit nefas.

Inſtabis rurſus, etiamſi hi libri omnes ab Eccleſia ſemper fuerint probati, inde non eſſe conſequens, quæ in eis narrantur, eſſe conſtantiſſimæ veritatis; quot enim in dies ſub pietatis obtentu, obtruduntur hiſtoriarum commenta, ad ineſcandos rudis plebeculæ animos? *Reſpondeo*, eorum, quæ hiſce in libris referuntur, veritatem ſatis eſſe compertam, ex eorum Auctoribus, qui ſi Vetus Teſtamentum ſpectes, fuerunt aut veri Dei Prophetæ, aut viri ſumma pietate & præclaris facinoribus eximii, ac ſubinde fide digniſſimi, quales fuerunt Machabæi, nec non & Eſdras, qui eos omnes libros in unum volumen collegit, quo tempore adhuc Prophetæ vivebant, Aggæus, Malachias, Zacharias.

V. Idem eſto judicium de libris novi Teſtamenti, conſcriptis a Viris qui non ſolum ſingulari pietate & ſapientia divinitus indita, ſed & virtute miraculorum edendorum fuerunt illuſtres; quique nihil in libros ſuos retulerunt, niſi aut ea quorum fuerant teſtes oculati & auriti, vel ab ipſiſmet teſtibus exceperant. Quamobrem ſi Tacito & Suetonio, aliiſque Hiſtoricis melioris notæ credimus, etiam in iis, quæ ante ſuam ætatem eveniſſe narrant; quanto divinis his Scriptoribus æquius eſt fidem dare, & humanum aſſenſum, (nam de aſſenſu fidei ſupernaturalis hic cum Infideli diſputantibus, nobis non eſt ſermo) quanto, inquam, æquius ac rationabilius eſt eis credi, qui ſe divinitus afflatos in ſcribendo fuiſſe teſtantur; neque aliud quam quæ, vel a Deo revelante ac demonſtrante, vel ab homine Deo Chriſto Domino, aut ejus dictorum vel factorum oculatis, aut auritis teſtibus acceperunt.

At, inquies, quo argumento probabitur eos in ſuis ſcriptis plurima ex proprio genio non fuiſſe commentos? *Demonſtrabo certe* primum ex vita eorum, atque eximia ſanctimonia, quæ nullius unquam mali facinoris, ne ab inimiciſſimis quidem accuſata: quis autem in animum inducat viros ſanctitate conſpicuos plura mendacia fuiſſe con-

[a] *in rubrica de fidei inſtr.*

[b] *lib. 11. obſerv. 149. n. 6.*

„ eis, qui nobis fidem verborum ſuorum, in tam „ multis, & tam magnis, quæ ab eis prædicta „ jam facta ſunt, probavere. Itaque ſicut præ„ ſens ex futuro, ita ex præſenti præteritum fi„ dem habet, & futurorum, quæ implenda ſu„ perſunt tota fides eſt ex impletis; unde ſacræ „ literæ a S. Spiritu inſpiratæ merito dicuntur„ Omittimus interim in noſtræ adſertionis confirmationem, quæ poſſent ex aliis Patribus, Irenæo Lib. 2. cap. 7. Origene Homil. 2. in Jerem. Gregorio Magno in Prologo ad Lib. Regum. Angelico Doctore variis in locis, proferri, qui omnes Deum habent ſcripturæ divinæ auctorem. (W)

(7) Librum Fraſſenus compoſuit, cui Titulus *ſcutum fidei contra quoslibet Religionis Chriſtiana Adverſarios*. Lucem nondum, quod ſciamus, vidit; viſurum tamen optamus, & in quantum poſſumus, ſi adhuc ſuperſit, ut publicetur operabimur. (W)

confarcinatos, ut hominibus illuderent, cum aliunde nulla ſuppetat cauſa hujuſmodi commenta concinnandi; ea enim ſi quæ fuiſſet, maxime aut commodi conſequendi, aut evitandi periculi, aut aucupandæ inanis gloriolæ, aut tandem ex innata prurigine fabellas excogitandi: neutrum vero illorum hic occurrit; neque enim voluntatem habere potuerunt mentiendi propter conſequendum commodum aliquod, quippe cum propter eorum narrationem & aſſertionem plerumque Auditores habuerint infenſiſſimos, & iniquos; plurimi namque Prophetæ, omneſque quotquot fuerunt librorum novi Teſtamenti Scriptores, & Chriſti Domini Apoſtoli & Diſcipuli, propter tradita a ſe dogmata, & recenſita myſteria, Judæorum, atque Ethnicorum animos in ſui odium concitarunt; neque tamen eos deterruit, quod ſcirent propter promulgata a ſe dogmata, diriſſima quæque ſupplicia ſibi eſſe deſtinata. At neque etiam quis ſibi perſuadere poterit illos ea narraſſe, ut apud Auditores & Lectores futuros ſibi præclarum nomen compararent: nam ſi ea ratione vel minimum fuiſſet in eis malæ fidei, non ipſi ſuas culpas, ſuoſque defectus æternæ memoriæ prodidiſſent, quemadmodum fecit Moſes, qui ſe ab ingreſſu terræ promiſſionis a Deo prohibitum recenſet, quoniam non ea qua debuerat animi conſtantia, Dei cauſam egerat adverſus obmurmurantem populum ad aquas contradictionis. [a] Sic & cæteri Prophetæ, ſi quæ ſuis in Prophetiis admiſerint errata, diſertiſſime publicarunt, ut conſtat potiſſimum exemplo Jonæ. Sic & Evangeliſtæ recenſuerunt Chriſti in eos cæteroſque Apoſtolos objurgationes & reprehenſiones propter defectum fidei, conſtantiæ, intelligentiæ & fortitudinis, ut de omnium fuga in Chriſti comprehenſione, de Petri trina negatione, &c. Paulus etiam ſuam, in Chriſti Cultores & Diſcipulos ſævitiem, ac perſecutionem non tacuit; neque graves in ſe carnis & Dæmonis infeſtationes, aliunde Dæmonum ipſe victor & expugnator, ſilentio præterire voluit; non eſt ergo unde quis coniiciat, eos habuiſſe mentiendi animum.

a *Deut.* xxxii. 51.

VI. *Accedit* quod eorum fidelitati ac veracitati Deus ipſe illuſtria teſtimonia reddiderit, editis innumeris prodigiis, ut conſtat non ſolum ex eorum narratione, ſed etiam ex recenſione Exterorum; nam Phlegon Adriani Imperatoris libertus, edita a S. Petro miracula commemoravit in Annalibus ſuis, [b] teſte Origene. [c] *Inſuper* ipſi Chriſtiani in ſuis libris apologeticis, in quibus fidei ſuæ ac Religionis, Imperatoribus & Magiſtratibus rationem proferunt, prodigia hæc a ſuis edita, tanquam notiſſima, conſtantiſſime referunt, ut videre eſt apud Origenem, & Tertullianum, [d] qui inſuper aſſerit ejuſmodi prodigia plurima, Senatus juſſu & cura, in acta publica fuiſſe relata. *Adde quod* ſi Scriptores illi ſacri falſum quid narraſſent, facillime a Magiſtratibus cum ipſorum pudore ac ſupplicio potuiſſent revinci; quod tamen ne etiam fingere auſi ſunt eorum Inſectatores & Adverſarii, tametſi plurima horrenda crimina mendaciſſime eis affingerent. Taceo quod illi ſacri Scriptores in plurimis ſuis narrationibus aſſertores & adſtipulatores habeant, etiam ſibi infenſos Scriptores Ethnicos; nam ut de Moſe jam commemorata ſileam, plura de Davide ex Eupolemo nobis profert Euſebius; [e] mentionem etiam illius, ſicut & Salomonis celebrem fecerunt annales Phæniciæ, [f] nec non & Menander Epheſius. [g] Unde Tertullianus: [h] *Reſeranda*, inquit, *antiquiſſimarum etiam Gentium archiva, Ægyptiorum, Chaldæorum, Phœnicum: advocandi etiam Municipes, per quos notitia ſubminiſtrata eſt, aliqui* MANETHON ÆGYPTIUS, ET BEROSUS CHALDÆUS: *ſed & Hieronymus Phœnix Tyri rex: Sectatores quoque eorum Medeſius Ptolemæus, & Menander Epheſius, & Demetrius Phalereus, & Rex Juba, & Appion, & Thallus, & qui iſtos aut probat aut revincit, Judæus Joſephus Antiquitatum Judaicarum vernaculus vindex.* Qui plura in hujus argumenti confirmationem deſiderat, conſulat ſancti Juſtini, Athenagoræ, Tatiani, Theodoreti, & Cyrilli Alexandrini libros contra Julianum, nec non & Auguſtini librum 22. de Civit. Dei cap. 8. neque prætermittat lib. 3. doctiſſimi Grotii in quo argumentum iſtud erudite pertractat.

e *lib.* 4. *præp. Evang. cap.* 30.
f *apud. Joſeph. lib.* 8. *Antiq. cap.* 2.
g *lib. priore cont. Apion.*
h *in Apolog. cap.* 19.

VII. *Repones iterum*, quod etſi libri illi ab hominibus divinitus affiatis primum deſcripti, nihil quicquam erroris aut mendacii admixtum habuerint, nihilominus jam tales non eſſe, quales fuerant ab initio. Ut enim aliis libris, ita his quoque accidere potuit, ut ex Scriptorum vel incuria, vel perverſa induſtria, plura mutata ſint, vel omiſſa, vel adjecta.

Verum etiamſi libenter concedam Scriptorum oſcitantia literas quaſdam pro literis, & ſyllabas pro ſyllabis, imo & verba pro verbis in ſacrum textum interdum irrepſiſſe, ut apparet ex exemplarium diverſitate; unde toties Eccleſiæ decreto, ſummo ſtudio laborandum fuit, ut ſacri Codices repurgarentur, ac priſtino ſplendori, atque primævæ puritati reſtituerentur: nihilominus ea qualiſcunque immutatio horum divinorum librorum auctoritati ac dignitati non officit; quippe cum mos & ratio poſtulet, ut quod plurima & antiquiſſima exemplaria oſtendunt, id cæteris, accedente Eccleſiæ judicio, præferatur. *Accedit* quod illi omnes qui occurrere poſſunt nævi leviores ſint, nec hiſtoriæ veritati, aut textus tenori præjudicium faciant. Neque enim probari poteſt fraude, aut perverſa communi hominum inſpiratione, omnes ſacros Codices fuiſſe vitiatos, in iis præſertim quæ ad dogma, aut inſigne aliquod hiſtoriæ caput pertinerent, quippe cum nulla ſint inſtrumenta, neque teſtes fide digni, qui iſtud doceant.

b *lib.* 13.
c *lib.* 2. *contr. Celſum.*
d *in Apolget. cap.* 120.

Inſuper ſi inſignis in aliquibus facta fuiſſet mutatio, hæc proculdubio ab Interpolatore ſpecialem in finem fuiſſet quæſita, nempe velut ſacris Codicibus illuderet: vel

ut

ut disseminato a se dogmati, ex sacris libris auctoritatem faceret, uti fieri solet ab Hæreticis. Neutrum vero recte potest affirmari; nam, ut perdocte ait Grotius; [a] „ Ut primum Apostolorum aliquis, aut „ virorum Apostolicorum aliquid edidit, „ dubium non est, quin Christiani magna „ diligentia, uti ipsorum pietatem & studium conservandæ propagandæque ad „ posteros veritatis decebat, exemplaria „ sibi inde plurima sumpserint, quæ proinde sparsa sint, quam late patebat Christianum nomen per Europam, Asiam & „ Ægyptum, quibus in locis Græcus sermo vigebat: imo & archetypa nonnulla, ut jam ante diximus, ad annum usque „ ducentesimum servata sunt. Non potuit „ autem liber aliquis in tot exempla diffusus, custoditus non privata tantum singulorum, sed & communi Ecclesiarum „ diligentia, falsariam manum recipere. „ *Adde jam*, quod proximis statim sæculis „ versi sunt hi libri in sermonem Syriacum, „ Æthiopicum, Arabicum, Latinum, quæ „ versiones etiamnum extant, & a Græcis libris in nulla alicujus momenti re „ discrepant. Jam vero habemus & scripta eorum qui ab Apostolis ipsis, aut ab „ eorum Discipulis instituti fuerunt, qui „ loca non pauca ex his libris adferunt, „ eo quem nos nunc quoque legimus sensu. Neque vero quisquam fuit in Ecclesia tantæ auctoritatis per illa tempora, cui mutare quicquam enitenti parcitum fuisset; quod satis ostendunt Irenæi, „ Tertulliani & Cypriani liberæ dissensiones ab iis, qui in Ecclesia maxime eminebant. *Hæc ille.* „ Itaque concludendum est sacros libros puros & invariatos etiamnum subsistere. (8)

[a] *lib.* 3. *de verit. Relig.*

§. II.

(8) Plures ulterius oppositiones adversus divinarum Scripturarum auctoritatem, & veritatem cum ab Ethnicis, tum ab Hæreticis solent institui. Ajunt in primis ex nullo capite, quod Deus Scripturarum sit Auctor, posse revinci; si enim Scripturarum ad hoc testimonia proferantur; statim inquiri poterit unde testimoniorum, quæ proferuntur, veracitatem auspicemur? si ab alia scriptura? jam de ipsius auctoritate expostulabitur. Si vero ad assertionem Auctorum, qui sacros libros composuere, recurramus, ubique clamantium; *hæc dicit Dominus*: cur Gentilium, & Hæreticorum Pseudoprophetis idipsum de se testimonium perhibentibus fides denegabitur? cur inter Propheticos, & divinos libros saltem Sibyllarum oracula non adscribentur, quibus futura prædicta, & de Christo plurima fuisse enunciata convincimur? Sanctitas Auctorum nequaquam divinæ locutionis indicium est, cum Deus per Balaam etiam futura prædixerit; & quæ scripserunt homines, vitæ sanctitate clarissimi inter scripturas sacras non reputantur, ut patet de sanctis Doctoribus Ecclesiæ Christianæ, & de pluribus etiam veteris Testamenti Historicis, atque Rabbinis. Non ergo ex veracitate eorum, quæ narrantur in Libris, non ex Auctorum sanctitate, non ex ipsius Scripturæ testimoniis demonstrari posse videtur Scripturæ, quam *sacram* appellamus summa auctoritas, atque veracitas. Hæc summa argumentorum, quæ congeri posse videntur in Scripturæ auctoritatem existimatur.

Falsitatis attamen, & insubsistentiæ hujusmodi cavillationes summa cum facilitate revincuntur. Diversis utique principiis cum Ethnico, diversisque cum Hæretico de auctoritate scripturarum, ipsarumque veracitate summa disputandum. Primum per naturalia motiva eo ducendum esse cognoscimus ut prudenter negare non possit quidpiam in scripturis sanctis, cœlitus revelatum, fuisse conscriptum, quod de oraculis Prophetarum evidentioribus, jam adimpletis inficiari non poterit, quæque diu antequam complerentur, tradita fuerant hominibus, ut universa Judæorum gens sponte confitetur, quanquam a Christianis ad ejusdem gentis redarguendos errores proponantur. Non enim concederent Hebræi, nisi veritatis splendore victi, ante Christum Prophetarum vaticinia, quæ de Christo sunt fuisse enunciata, cum per eadem a Christianis Jesum Nazarenum, a Judæis ante faciem Pilati negatum, mortisque reum incusatum, verum fuisse Prophetam, expectatumque a Patriarchis Messiam revincantur, proindeque infandi criminis rei, sanguinisque innocentis impie diffusi redarguuntur. Prophetica igitur hujusmodi oracula, cum prudenter negare nequeat Ethnicus prius divulgata fuisse, postea adamussim impleta, a solo Deo, qui futura cognoscit enunciari potuisse fateri cogetur. Hoc autem semel dato, ex summa, quam ad invicem connexionem habent scripturæ divinæ, cum veteris; tum novi Testamenti, tum etiam Libri ipsi utriusque fœderis; paulatim omnes in Canone ascripti iidem Libri, quod ex fonte divinæ veritatis sint hausti ita demonstrabitur, ut prudenter Catholicæ assertioni assensum mentis denegare non possit; ergo quonam modo ex aliquibus scripturarum textibus, quorum divinitas ex factis, ratione naturali, naturalibusque motivis perspecta est, aliorum postea textuum veracitatem, summamque auctoritatem demonstramus, quin vel *petitionem principii*, ut ajunt, vel circulum vitiosum in hac disputatione committamus. His, si doctrinæ a scriptura nostra propositæ, cum lumine rectæ rationis cohærentiam adjungamus, vim hominis ingenui intellectui ita faciemus, ut veritati prorsus subjugari compellatur.

Si cum Hæreticis causam habeamus ipsi convincuntur facilius, cum aliquos divinarum scripturarum Libros a Spiritus Sancti afflatu, atque regimine suffultis Auctoribus tribuendos dubio procul confiteantur; discretio autem Librorum hujusmodi ab spuriis, vel apocryphis, ab iis videlicet, qui speciali divini Spiritus adsistentia conscripti non sunt, non aliunde expectari potest quam, vel ab Judice in definiendis rebus fidei inerrantiæ dono munito, vel ab ipsomet Deo miris suis, & ineffabilibus modis, seu prodigiis auctoritatem divinam, ac veracitatem prædictorum Librorum commonstrante. Dicant nobis hæretici unde Librorum, quos *Canonicos* appellant & ipsi, seu *divinos* summam veracitatem, & auctoritatem hauserunt? a recensione fortassis illorum in Canone per veterem Hebræorum Synagogam confecta? Synagogæ ergo inerrantiæ donum tunc temporis habuisse fateri tenentur; alioquin, nisi suorum Librorum canonicitatem aliunde desumpserint, librum aliquem, Deo non dictante conscriptum, fortassis, ut divinum venerantur, quod est in fide turpiter hallucinari. Si autem veteri Synagogæ in definiendo de Libris sacris inerrantiæ donum concedunt, qua fronte, qua audacia simile donum Ecclesiæ Christi, quæ Synagogæ successit, quæque nobiliores, excellentioresque infallibilitatis promissiones a Christo consecuta est circa res fidei denegare præsumunt? Si vero non a Synagogæ judicio, non ab Ecclesiæ definitionibus dependent in discernendis sacris Libris ab aliis dicant nobis quæso unde discernunt? & nullum, ut opinamur, nobis argumentum proponent pro suis Canonicis Libris Hetherodoxi, quod pro omnibus etiam a Catholico-Romana Ecclesia in suo Canone adscriptis non urgeat, si quid roboris habeat.

Catholici vero Librorum divinitatem cum non a solo eorum scriptore clamante: *Hæc dicit Dominus:* non a scriptoris sanctitate; sed a doctrinæ in Libris traditæ veracitate, ab Judicis in definitionibus fidei decipi nescientis, quem Ecclesiam

Dei

§. II.

Quam auctoritatem libri veteris Teſtamenti obtineant apud Chriſtianos,

VIII. HÆretici illi omnes, qui ore ſacrilego duos commenti ſunt Deos, ſeu duo rerum omnium principia, bonum unum, malum alterum, diverſos etiam ſtatuerunt utriuſque Teſtamenti veteris & novi Auctores: *Novum* quidem adſcripſerunt Deo Optimo, hominumque Reparatori ac Salvatori; *Vetus* autem Deo malorum omnium principio, quem, ſicut Legis Moſaicæ, ſic & veteris Teſtamenti librorum præcipuum dicebant artificem. Ut autem cum Feuardentio noſtro Sadducæos & quoſdam alios Synogogæ deſertores ac perfugas, propheticorum librorum adverſarios miſſos faciam; Dæmonis inſtinctu afflatuque, Eccleſiæ Chriſtianæ exordio *Simon Magus*, ut conſceleratа & nefaria Commenta ſua hominibus ſuaderet, negavit Prophetas a Deo miſſos, aut edoctos fuiſſe, ideoque nec admittendos, nec ullomodo curandos *Saturninus* & *Baſilides* ut ſuos conſtabilirent errores, prius oracula Prophetarum partim a quibuſdam intelligentiis, partim ab ipſo Cacodæmone inſpirata eſſe & fuſa, a ſe deluſis & faſcinatis (eodem Auctore) perſuaſerunt. His ſucceſſit *Cerdon*, qui & ipſe univerſam Legem veterem repudiavit & Prophetis bellum indixit. *Marcion* quoque adeo a Sanctis Patriarchis & Prophetis abhorruit, ut ſanctiſſimos quoſque eorum in ſuis concionibus ac libris veluti incredulos, inferis manciparet: inſuper in ipſorum odium Cain, Sodomitas, Ægyptios, Judam Proditorem, alioſque omnibus flagitiis contaminatos fœlices ac beatos prædicaret, atque in cœlos efferret. *Appelles* loco veterum Prophetarum haberi cupiens, illos contrario ſibi Spiritu fuiſſe inſpiratos, & idcirco ut ſecum pugnantes reiiciendos eſſe dictitabat. *Montanus* arreptitios, atque ſecreta dæmonum virtute exagitatos blaſphemabat, ut pro Spiritu Sancto Paracleto idem ipſe haberetur. Veteres *Gnoſtici*, incredibilia portenta de Noe, Abraham, Moſe, Samuele, Iſaia, Jeremia, aliiſque ſacris vatibus confinxerunt, ut eorum monumentis nullus fidem haberet. Quis autem crederet *Manichæos* tam maledice & contumelioſe de univerſo Patriarcharum choro loquutos eſſe, niſi Auguſtinus ſententiæ ac opinionis eorum aliquando particeps, eadem & ſcriptis mandaſſet & retuliſſet? *Priſcilianiſtæ*, *Meſſaliani*, *Euchitæ*, *Pſallitani*, *Satanæani*, *Enthuſiaſtæ*, Marcionis & Manetis furores ad tempus ſepultos, ex inferis excitarunt & inſtauraverunt. Ut poſtmodum Bogomili in Oriente, ſic & Albigenſes in Occidente, contra ſacros veteris Teſtamenti libros bellum redintegrantes, eoſdem de Scholis, de Diſputationibus, de Sacris Concionibus, de manibus Chriſtianorum excutere, ac propellere ſtuduerunt. Hæc ex parte præclare explicat S. Auguſt. *Hi autem*, inquit S. Auguſtinus, [a] *cæperunt eſſe poſt Aſcenſionem duntaxat in cœlum Domini noſtri Jeſu Chriſti, ab illo* SIMONE MAGO, *quem legimus in Actibus Apoſtolorum baptizatum. Poſt hunc autem fuerunt nonnulli diſcipuli ejus in eadem impietate poſteriores, prioribus ſuccedentes: quorum in ſucceſſione quartus extitit* BASILIDES; *qui primus auſus eſt dicere, Deum quem Gens Judæa coluit, non fuiſſe verum Deum. Poſt iſtos fuit quidam etiam* CARPOCRATES, *qui negavit iſtum viſibilem mundum a ſummo Deo creatum, ſed a quibuſdam virtutibus dæmoniorum. Negans etiam Legem quæ per Moyſem data eſt, Deum dediſſe.* CERDON *poſtea ſurrexit, qui primus invenitur dixiſſe duos Deos, unum bonum, & alterum malum, longe antequam hæreſis Manichæorum emerſiſſet, quorum in hoc furioſo deliramento error eſt notior. Hujus Cerdonis* MARCION *diſcipulus fuit.* APELLES *quoque talia docuit. Fuerunt etiam a quodam* IDATRICIO *nonnulli Patriciani, qui ſunt ſimiliter adverſantes divinis veteribus libris. At omnes apertiſſime contra Deum ſentiunt Legis & Prophetarum, hoc eſt, Deum verum, a quo factus eſt mundus.* Adverſus quas peſtes animoſe decertarunt e veteribus Eccleſiæ Doctoribus plurimi; præſertim vero Irenæus, [b] Epiphanius, [c] Tertullianus, [d] omnium autem pleniſſime S. Auguſtinus, *in libris contra Fauſtum & contra Adimantum Ma-*

[a] *lib. 2. contr. adverſ. Legis cap. 12.*

[b] *lib. 1. haſ. 10. & 11.*

[c] *lib. adverſ. hareſ.*

[d] *lib. 4. adverſ. Marcion.*

Dei eſſe confitemur, auctoritate, qui Libros eos, ut divinos recipiendos proponat, auſpicentur; quid mirum ſi neque Sibyllarum Libros, neque Pſeudoprophetarum, Hæreticorum videlicet, ſcripta, ut divina recipiunt, ſed potius inter apocryphas, damnabileſque doctrinas amandant? Neque Sanctorum cum veteris, tum novæ Eccleſiæ Doctorum plurimos Libros, tanquam Canonicos admittunt, quamvis laudabiles ſint, quia ſpeciali ſancti Spiritus afflatu conſcriptos eſſe non conſtat. De libris Sibyllarum nil dicimus, cum innumeris inveniantur erratis aſperſi, ſive hiſtoriam, ſive Cronologiam, ſive Theologiam conſulamus, ſi autem quid in illis de Chriſto legimus, id fortaſſis ex Iſaiæ, aliorumque Prophetarum Libris excerptum eſt; neque enim Sibyllarum Libris eam concedimus vetuſtatem, quam nonnulli exhibuere, licet aliquanto Chriſti Nativitatem præceſſerint. Prophetiam Balaam ex Dei impulſu, ipſo etiam reluctante Pſeudopropheta, fuiſſe enunciatam refert ſacer Libri Numerorum ſcriptor, cujus auctoritati prorſus acquieſcimus, quia divina eſt. Cæterum non quælibet in Libris enunciata veritas ſatis eſt, ut Libri ipſi habeantur Canonici, ſed veritas ordinis ſupernaturalis, quod in eis continetur oportet, quæ nimirum ex Dei revelatione ſit hauſta; & quod ulterius infallibili conſtet judicio de ipſamet Dei revelatione. Alia, quæ ſolent a divinarum ſcripturarum initiis proponi argumenta ad earum auctoritatem elevandam ſummamque veracitatem, inferius, ubi de ſingulis divinorum Bibliorum diſputabitur Libris, excutientur præcipue; nonnulla autem adhuc in ſequenti nota proponentur. (W)

Manichæos, nec non & *in libro contra Adversariam Legis*, qui omnes veteris Legis & Testamenti sanctitatem & divinam auctoritatem, apertis Christi Domini, ejusque Apostolorum oraculis comprobant.

IX. Enimvero Christus testatur se non venisse Legem solvere, sed adimplere, quapropter juxta Legis præscriptum, circumcisus fuit in templo, a parentibus deportatus & oblatus; diebus festivis in templum ascendebat, ut secundum Judæorum consuetudinem & Legem, Deum adoraret. *Similiter* agnum paschalem comedebat cum discipulis, cæteraque Legis mandata exactissime implebat, ita ut *jota unum, aut unus apex non præteriret a Lege, donec ab eo omnia fierent*: Unde merito colligit Tertullianus loco mox laudato, [a] Christum novi Testamenti Conditorem, non alienum esse a Creatore & Auctore Legis & Prophetarum; *si administraverit dispositiones ejus, si impleverit Prophetias ejus, si restauraverit virtutes ejus, si sententias restauraverit, si mores, si proprietates expressérit*. Quamobrem Apostolus *ad Romanos* VII. contestatur: *Lex quidem sancta & mandatum sanctum, & justum & bonum*. Et iterum; [b] *scimus autem quia bona est Lex, si quis ea legitime utatur*. Hinc Concilium Toletanum [c] merito jure decrevit: *Si quis dixerit vel crediderit alterum Deum esse priscæ Legis, alterum Evangeliorum, Anathema sit*. Quapropter Concilium Tridentinum; [d] ubi de Canonicis Scripturis, statuit, *Omnes libros tam veteris, quam novi Testamenti, cum utriusque unus Deus sit Auctor.... Pari pietatis affectu ac reverentia, suscipit ac veneratur sacrosancta* Synodus.

Quoniam vero Mosaica Lex per Evangelicam abrogata, obligare desiit; ita docentibus & definientibus Apostolis in Synodo Hierosolymitana, [e] his verbis: *Visum est Spiritui S. & nobis, nihil ultra imponere vobis oneris quam hæc necessaria, &c.* Quod etiam diserte probat S. Paulus *ad Rom.* VI. & *ad Galat. capitib.* II. III. V. nec non *ad Hebræos cap.* VII. quoniam, inquam, Mosaica Lex per Evangelicam fuerat evacuata, inde inferebant Marcionistæ & Manichæi Veteris Testamenti libros, nullius jam apud Christianos esse auctoritatis & pretii, idque suadere nitebantur variis argumentis, quæ in libris supra laudatis refert ac egregie refellit S. Augustinus, quorum præcipua capita, (ne ex ea parte deficiat hic noster labor) colligere & attexere consentaneum duxi.

X. *Obiiciebant itaque primo*, libri illi a Christianis ad vitam æternam & cælestem hæreditatem anhelantibus reiici debent ac reprobari, in quibus non nisi corporea & terrena bona in mercedem & præmium fidelibus Dei mandatis obsequentibus repromittuntur: at, inquiebat Faustus apud S. Augustinum, [f] ita est de libris veteris Testamenti, ac subinde a Christianis omnibus sunt reiiciendi.

„ *Respondet S. Augustinus*, Temporalium „ quidem rerum promissiones Testamento „ veteri contineri, & ideo vetus Testamen„ tum appellari, nemo nostrum ambigit, „ & quod æternæ vitæ promissio, regnum„ que cælorum ad novum pertinet Testa„ mentum, sed in illis temporalibus figu„ ras fuisse futurorum, quæ implerentur in „ nobis in quos finis sæculorum obvenit, „ non suspicio mea, sed Apostolicus intel„ lectus est, dicente Paulo, cum de talibus „ loqueretur. *Hæc omnia figuræ nostri fue„ runt*. Et iterum: *Hæc omnia in figura „ contingebant illis, scripta sunt autem pro„ pter nos, in quos finis sæculorum obvenit*. „ Non ergo vetus Testamentum ad conse„ quendas illas promissiones, sed ad intel„ ligendas in eis novi Testamenti prænun„ ciationes accipimus, veteris quippe testi„ ficatio, fidem novo conciliat. Unde Do„ minus posteaquam resurrexit a mortuis, „ seque non solum intuendum discipulorum „ oculis, sed etiam contrectandum mani„ bus obtulit: ne quid tamen cum suis „ mortalibus, & carnalibus sensibus falla„ citer agi arbitrarentur, magis eos de ve„ terum librorum testificatione firmavit, „ dicens: Oportebat impleri omnia quæ „ scripta sunt in Lege Moysi & Prophetis „ & Psalmis de me. Non itaque spes no„ stra in temporalium rerum promissione „ defixa est, quandoquidem nec ipsos illius „ temporis sanctos & spiritales viros Pa„ triarchas & Prophetas his terrenis rebus „ fuisse deditos credimus: intelligebant „ enim revelante sibi spiritu Dei, quid tem„ pori illi congrueret, & quibus modis „ Deus per illas omnes res gestas & dictas „ futura figuranda & prænuntianda decer„ neret, magisque desiderium eorum de no„ vo Testamento erat „.

Instabat Faustus; eos libros reiicere debeo, in quibus exarantur præcepta, quorum observatio Christianis interdicitur; at veteris Testamenti libri varia continent præcepta, quæ Christianis observare non licet: itaque libri illi, nullius jam usus & æstimationis esse debent.

„ *Respondet S. Augustinus*, g Manichæos „ ista obiicientes omnino nescire, quid in„ terfit inter præcepta vitæ agendæ, & „ præcepta vitæ significandæ. Exempli gra„ tia, *Non concupisces*: præceptum est agen„ dæ vitæ. *Circumcides omnem masculum „ octavo die*: præceptum est significandæ „ vitæ. Ex hac quippe imperitia Manichæi, „ & omnes quibus displicent literæ veteris „ Testamenti, quicquid Deus mandavit prio„ ri populo ad celebrandum, umbram futu„ rorum non intelligentes, & ea modo non „ observari animadvertentes, ex more præ„ sentis temporis illa reprehendunt, quæ „ utique illi tempori congruebant, quo ista „ quæ nunc manifesta sunt, ventura signi„ ficarentur. Sed quid dicturi sunt adversus „ Apostolum, qui ait; Hæc omnia in figu„ ra contingebant illis, scripta sunt autem „ propter nos, in quos finis sæculorum ob„ venit? Ecce ipse aperuit cur illæ literæ „ accipiantur a nobis, & cur illa rerum si„ gna jam necesse non sit ut observentur „ a no-

[a] 2 *cap.* 6.

[b] *I. ad Timoth.* I.

[c] *in Confess. Fidei.*

[d] *Sess.* IV.

[e] *Act.* XV.

[f] *lib.* 4. *adversus eum. cap.* I.

[g] *lib.* 6. *cap.* 2.

„ a nobis. Cum enim dicit, *Scripta sunt*
„ *propter nos*: proculdubio demonstrat, quan-
„ ta nobis cura legenda & intelligenda,
„ & in quanta auctoritate habenda sint:
„ quia propter nos utique scripta sunt.
„ Cum vero dicit, *Figuræ nostri fuerunt*,
„ *& in figura contingebant illis*: ostendit
„ jam non opus esse, ut cum res ipsas ma-
„ nifestatas agimus, figurarum prænuntian-
„ tium celebrationi serviamus. *Paulo post*:
a *Cap. 4.* „ a Cessationem vero Sabbatorum jam
„ quidem supervacuam ducimus ad obser-
„ vandum, ex quo spes revelata est nostræ
„ quietis æternæ: non tamen ad legendum
„ & intelligendum, quia Propheticis tem-
„ poribus cum essent ista; quæ nobis hoc
„ tempore patefacta sunt, non tantum ser-
„ monibus, sed & actionibus præfiguranda
„ & prænuntianda, illo signo quod legi-
„ mus, res ista prænotata est quam tene-
„ mus.

Pergebat Faustus, Qui sub novo Testa-
mento militat, & veteris jugum excussit,
huic nulla ratione rursum subjici debet &
consentire; veteri enim & novo non con-
b *Matth. 9. v. 16.* venit ut Evangelium testatur: b Nam pan-
c *Luca 5. v. 36.* num, *inquit*, novum nemo assuit vestimen-
to veteri, alioquin major scissura fiet. c Quia
ergo majorem, sicuti vos scitis, scissuram
faceret, caveo Christianam novitatem He-
braicæ vetustati commiscere. Quis enim non
etiam sordidum judicet, vestimentis novis
indutis, non donare inferioribus vetera?
Quapropter ego etiam si natus essem Ju-
dæus, ut fuerunt Apostoli, dignum tamen
erat me novo accepto Testamento vetus re-
pudiare, ut fecerunt ipsi. Nunc vero & na-
turæ beneficio consequutus, ut sub servi-
tutis jugo non nascerer, & Christo mihi
protinus occurrente cum pleno munere li-
bertatis, quam miser & stultus & insuper
ingratus ero, si me ultro addixero servi-
d *Gal. 5. v. 12.* tuti? Quippe Paulus d inde Galatas arguit,
quod in circumcisionem relabentes, ad in-
firma repedarent, & susciperent egena ele-
menta, quibus denuo servire vellent. Quo-
modo ergo id ego admittam, in quo alium
videam reprehendi: Turpe est redire in ser-
e *lib. 8. cap. 2.* vitutem, sed turpius ire.

Respondet S. Augustinus, e Christianos
tenere auctoritatem veteris Testamenti, non
ad Judaicæ servitutis imitationem, sed ad
Christianæ libertatis testificationem. „ Ne-
f *1. Cor. 10. v. 11.* „ que enim, *inquit*, mea, sed Apostoli f
„ vox est, quia omnia hæc in figura con-
„ tingebant illis: scripta autem sunt pro-
„ pter nos in quos finis sæculorum obve-
„ nit. Quapropter non in servitute facimus
„ quæ jussa sunt ad nos prænuntiandos,
„ sed in libertate legimus, quæ scripta sunt
g *Galat. 5. v. 11.* „ ad nos confirmandos. g Quis itaque jam
„ non intelligat, unde Galatas revocat Apo-
„ stolus non religiose Scripturam circum-
„ cisionis legentes, sed jam superstitiose
h *Mar. 9. v. 16.* „ circumcidi volentes? h Unde non pan-
„ num novum vestimento veteri assuimus,
„ sed erudimur in regno cœlorum, ad si-
i *Matt. 13. v. 52.* „ militudinem illius patrisfamilias, quem
„ commemorat Dominus i proferentem *de*
„ *thesauro suo nova & vetera*. Ille autem
„ assuit pannum novum vestimento veteri,
„ qui continentiam vult habere spiritalem,
„ & nondum deposuit spem carnalem.
„ Nam legite diligenter, & videte de je-
„ junio Dominum interrogatum, respon-
„ disse, *Nemo assuit pannum novum vesti-*
„ *mento veteri*. Adhuc enim Discipuli k Do- k *Marc. 2.*
„ minum carnaliter diligebant, quodoqui- *v. 11.*
„ dem etiam ne occisum amitterent, for-
„ midabant „.

Adiici potest, Christum Dominum hac metaphora docere discipulos suos non debuisse gravari jejuniis & severioris vitæ præceptis, donec tandem in disciplina Dominica evasissent firmiores.

Urgebat Faustus, Si Apostolis licuit excutere veteris Testamenti observantiam, qui sub eo nati fuerant, quidni mihi licitum erit reiicere libros in quibus exaratur, quippe qui a nativitate istis legibus non tenear. Omnes quippe Gentiles nascimur, non Judæi, non denique Christiani: sed alios ad se ex eadem Gentilitate Testamentum vetus adducit, facitque Judæos: alios novum, & initiat Christianos: tanquam si duæ arbores, dulcis & amara, radicibus suis unius terræ in se vim transferant, immutandam qualitatibus suis. Apostolis ergo in dulcem transeuntibus ex amaro, quam demens ero ego, si in amaram convertar ex dulci.

Respondet Augustinus, l ex præmissa sen- l *lib. 9. cap. 2.* tentia Apostoli, m de rescissis Judæis ab oleæ m *ad Rom. 11. 13.* radice, & insertis Gentibus; ut fierent participes pinguedinis oleæ, summopere timendum Manichæis, qui in radice Christi inseri nolunt, sicut carnalis & impius populus Judæorum, sed in oleastri amaritudine remanere, quippe qui Gentium instar Christum in Sole & Luna adorarent. Unde eos admonet, ut cedant sequentibus Apostoli verbis, quibus Judæos provocat ad fidem, significatque Christianis ex Gentilibus conversis de sua vocatione non esse gloriandum: Nam, *inquit*, si Deus naturalibus ramis non pepercit, neque tibi parcet... „ Similiter, si tu ex naturali exci-
„ sus oleastro & contra naturam insertus
„ es in bonam olivam, quanto magis illi
„ qui secundum naturam sunt, inserentur
„ suæ olivæ... Qui ergo in vobis sunt,
„ quos inde fregit impietas, redeant, &
„ rursus inserantur: qui autem nusquam
„ ibi fuerunt, veniant a naturali sterilita-
„ te præcisi, participes fœcunditatis futuri.

Prosequitur Faustus, Libri illi frustra leguntur a Christianis, imo non nisi cum fidei & spei Christianæ periculo, in quibus præceptorum observantia, & bonorum operum merces promittitur, aliena, certe ab ea quæ in Evangelio proponitur. Porro ita est de veteri Testamento; Enimvero, *inquit*, divitias promittit, & ventris saturitatem, & filios & nepotes, vitamque longam, & cum his Cananitidis regnum: sed omnia hæc circumcisis & observantibus Sabbata, & immolantibus sibi, & abstinentibus a porcina, & hujusmodi cæteris: quæ quia ego negligo, & Christianus omnis, ut

inepta ſcilicet, & ad ſalutem animi minime pertinentia, idcirco nec quæ promittit, ad me jam ſpectare cognoſco: memorque quia ſit mandatum, *Non concupiſces aliena*; Judæis bona ſua habere, libens volenſque permiſi, ſolo ſcilicet Evangelio, & regni cœlorum ſplendida hæreditate contentus; nam ut Judæo ſi ſibi Evangelium uſurparet, jure increpitans dicerem; Improbe, quid tibi cum eo eſt, cujus præcepta non ſervas? Sic vereor ne mihi eadem Judæus increpitet, tenenti Teſtamentum vetus, cujus mandata contemnam.

a *lib.* 10. *Reſpondet S. Auguſtinus* [a], Hujus argumenti ſolutionem ex jam dictis eſſe repetendam; Judæo, *inquit*, dicenti mihi, „Cur „ tenes vetus Teſtamentum, cujus præce„ pta, non ſervas? Reſpondeo, ſervari a „ Chriſtianis etiam ex ipſis libris præcepta „ vitæ agendæ: præcepta vero vitæ ſigni„ ficandæ tunc recte obſervata, tum præ„ nuntiabantur iſta, quæ nunc revelata „ ſunt. Quapropter etiam ipſa ſic non ob„ ſervo ad religionem, ut teneam tamen „ ad teſtificationem: ſicut & promiſſa car„ nalia, quæ ibi continentur, unde pro„ prie vetus dicitur Teſtamentum. Quam„ vis enim mihi æterna ſperanda revelata „ ſint, & illa tamen atteſtantia lego, quæ „ in figura contingebant illis: ſcripta ſunt „ autem propter nos, in quos finis ſæcu„ lorum obvenit.

Adiicit Fauſtus, Si ſuſcipiendi eſſent a Chriſtianis Prophetarum libri, maxime propter teſtimonia quæ de Chriſto præfati ſunt. At ego quidem, *inquit*, nulla inveni, quamvis attentius eos & curioſiſſime legerim. Accedit quod enervis fidei confeſſio eſt, in Chriſtum ſine teſte & argumento non credere. Si vero teſtis requiratur, quis fidelior eſſe debet, quam Deus ipſe de Filio ſuo, qui non per Vatem, nec per Interpretem, ſed ultro cœlitus erupta voce, cum eum mitteret ad terram dixit, *Hic eſt Filius dilectiſſimus, credite illi*. Nec non & ipſi de ſe, *a Patre meo proceſſi, & veni in hunc mundum*. Denique tametſi Prophetæ veteris Teſtamenti aliquid de Chriſto fuerint vaticinati, nihili tamen facienda ſunt eorum dicta, utpote qui flagitioſe vixerint, & in ipſos dici poterit, id quod Paulus de Gentium Sapientibus conteſtatur, quia cum agnoviſſent Deum, non ut Deum clarificaverunt, &c. Itaque ſuſcipiendi non ſunt libri Prophetici, cum neque quicquam de Chriſto prænuntiaverint; neque ſi prænuntiarunt, eorum teſtimonia nobis prodeſſe poſſunt, maxime cum non juxta teſtimoniorum veritatem vixerint.

b *lib.* 12. *Reſpondet S. Auguſtinus*, [b] Primo falſiſſimum eſſe Hebræos Prophetas nihil de Chriſto pronuntiaſſe, cujus contrarium innumeris veteris & novi Teſtamenti textibus aperte revincitur, quod in primis probat teſtimonio S. Pauli ad Rom. I. *Paulus*, inquit, *ſervus Jeſu Chriſti, vocatus Apoſtolus, ſegregatus in Evangelium Dei, quod ante promiſerat per Prophetas ſuos in Scripturis ſanctis de Filio ſuo*. „ Quibus „ verbis, *inquit S. Auguſtinus*, evidentiſ„ ſimum Prophetis Hebræis teſtimonium „ perhibetur, per eum Apoſtolum, cujus „ auctoritate ſuperborum iſtorum colla fran„ guntur. Unde Chriſtus ipſe Joannis V. 46. *Si crederetis Moyſi, crederetis & mihi, de me enim ille ſcripſit*. Lucæ XXIV. 44. *Neceſſe eſt impleri omnia, quæ ſcripta ſunt in Lege Moyſi, & Prophetis, & Pſalmis de me*. Eandem veritatem per varias allegorias, nec non & plurima Prophetarum oracula ibidem fuſiſſime confirmat.

Unde *lib.* 16. *cap.* 11. Fauſtum ſic compellat: O plene omni fallacia, cum Dominus in Evangelio dixerit [c], „ *Si credere-* c *Ioann.* 5. „ *tis Moyſi, crederetis & mihi: de me enim* v. 46. „ *ille ſcripſit*: nihil eſt, quod te in ingenti æſtu poſitum fingas, & cogi videaris „ in alterum e duobus, ut aut falſum pro„ nunties capitulum hoc, aut mendacem „ Jeſum. Sicut enim hoc capitulum ve„ rum eſt, ita & verax eſt Jeſus. Rectius „ viſum eſt, *inquit*, Scriptoribus adſcri„ bere falſitatem, quam veritatis Auctori „ mendacium. Ita ne tu Chriſtum credis „ veritatis Auctorem, quem prædicas car„ nis & mortis, & vulnerum & cicatri„ cum ſimulatorem? Volo mihi oſtendas, „ unde Auctorem veritatis didiceris Chri„ ſtum, ſi eis qui de illo ſcripſerunt, quo„ rum auctoritas recenti memoria commen„ data atque firmata, in poſteros emana„ vit, audes adſcribere falſitatem. Non „ enim vidiſti Chriſtum, aut quemadmo„ dum cum Apoſtolis locutus eſt tecum; „ aut de cœlo te, ſicut Saulum vocavit. „ Quid de illo ſentire, quid credere poſ„ ſumus, niſi quod Scriptura teſtatur? Por„ ro ſi mendax eſt Evangelium diſſemina„ tum & notum omnibus Gentibus, & „ ab initio prædicationis nominis Chriſti in „ Eccleſiis omnibus in tanto ſanctitatis cul„ mine collocatum: quæ Scriptura proferri poteſt, cui de Chriſto fides habenda „ ſit? Quid poteris proferre ſcriptum, „ quod non ille, qui hoc non vult crede„ re, dicat eſſe confictum, ſi tanta Evan„ gelii notitia venit in dubium?

„ *Ad ſecundum vero objectionis caput*, „ nempe enervis eſſe fidei, de Chriſto non „ ſine teſte credere, reponit: Vellem iſti „ mihi reſponderent, quinam ipſi de Chri„ ſto credidiſſent, an illam vocem de cœ„ lo audierunt: *Hic eſt Filius meus* [d]. Ei d *lib.* 12. „ quippe voci potius Fauſtus nos jubet *cap.* 45. „ credere, qui de Chriſto non vult teſti„ bus hominibus credi, quaſi ad nos etiam „ ejuſdem vocis notitia, ſine homine teſte „ pervenerit, cum & manifeſtum ſit ſic „ eam perveniſſe, ut Apoſtolus dicat [e], e *Rom.* 10. „ Quomodo autem invocabunt, in quem 14. „ non crediderunt? Aut quomodo credent „ ei quem non audierunt? Quomodo au„ dient ſine prædicante? Aut quomodo „ prædicabunt, ſi non mittantur? Sicut „ ſcriptum eſt, Quam ſpecioſi eorum pe„ des qui annuntiant pacem, qui annun„ tiant bona. Videtis certe quemadmodum „ prædicationem doctrinæ Apoſtolicæ, Pro„ phe-

„ pheticum teſtimonium comitetur. Ut enim „ non contemnerentur, neque fabuloſa du„ cerentur quæ Apoſtoli annunciabant, de„ monſtrabantur hæc a Prophetis ante fuiſ„ ſe prædicta: quia etſi atteſtabantur mi„ racula, non defuiſſent, ſicut etiam nunc „ quidam muſſitant, qui magicæ potentiæ „ cuncta illa tribuerent, niſi talis eorum „ cogitatio, conteſtatione Prophetica vin„ ceretur. Magicis enim artibus longe an„ tequam naſcerentur, Prophetas ſibi con„ ſtituere a quibus prænuntiarentur, ne„ mo utique diceret.„

Ultimum objectionis caput, refellit [a] hoc Abacuc & Apoſtoli teſtimonio: *Juſtus ex fide vivit*. [b] *Credidit autem*, inquit, *Abraham Deo, & deputatum eſt illi ad juſtitiam* [c]. *Prævidens enim Scriptura, quia ex fide juſtificat Gentes Deus, prænuntiavit Abrahæ, dicens: Quia in ſemine tuo benedicentur omnes Gentes*. „ Apoſtoli verba ſunt, *inquit*, ad „ cujus tam claram, tamque omnibus no„ tiſſimam vocem, ſi a veſtris fallaciſſimis „ ſomniis evigilaretis, ſequeremini veſtigia „ Patris noſtri Abraham, & in ejus ſemi„ ne benediceremini cum omnibus Genti„ bus. Ipſe enim accepit, ſicut dicit Apo„ ſtolus, ſignum Circumciſionis, ſignacu„ lum juſtitiæ fidei, quæ eſt in præputio, „ ut ſit Pater omnium credentium per præ„ putium, ut deputetur & illis ad juſti„ tiam, ut ſit Pater Circumciſionis, non „ his ſolum qui ex Circumciſione ſunt, „ ſed & iis qui ſequuntur veſtigia, quæ „ eſt in præputio fidei Patris noſtri A„ braham. Cujus ergo juſtitia fidei nobis „ ad exemplum imitanda propoſita eſt, ut „ & nos juſtificati ex fide, pacem habea„ mus ad Deum, intelligere debemus quem„ admodum vixerit, non reprehendere: ne „ ante per abortum labamur ex utero ma„ tris Eccleſiæ, quam per ſtabilem conce„ ptum formati perfectique naſcamur.

Urgebat Fauſtus, Libri Chriſtum Dei Filium qui noſtræ ſalutis cauſa pependit in ligno diro denotationis convitio laceſſentes, ab omnibus Chriſtianis execrandi ſunt & reſpuendi: at Moyſes omnium Prophetarum Princeps Chriſto Domino maledixit, ait enim Deuter. XXI. *Maledictus omnis qui pendet in ligno*; perperam ergo tu vis ut hunc accipiam, huic ut credam: ſi enim divinus fuit, conſtat eum ſcientem volentemque maledixiſſe Chriſto; ſi vero nolens, neſcienſque maledixerit, conſtat eum non fuiſſe divinum. Tu ergo elige utrumvis, aut Moyſem Prophetam non fuiſſe, & imprudentia peccaſſe, ut dum aliis ex more ſuo maledicit, neſciens blaſphemaverit & Deum; aut fuiſſe quidem divinum, nec futura hæc ignoraviſſe, ſed invidentem tamen noſtræ ſaluti, quæ futura erat ex ligno, in ejus Auctorem maledici oris ſui venena prompſiſſe.

Reſpondet S. Auguſtinus, [d] Primo quidem Manichæos perperam hæc obtrudere, quippe cum Moſis maledictum ad Chriſtum, qualiter ipſi fingunt, non pervenerit: „ Si „ enim Chriſtus, *inquit*, pependit in ligno, clavis utique affixus eſt. „ Unde etiam ipſas „ cicatrices poſt reſurrectionem Diſcipulo „ minus credulo demonſtravit. Quod ſi ita „ eſt, utique vulnerabile atque mortale „ corpus habuit, quod iſti nolunt fateri. „ Si ergo & illa vulnera, & illæ cicatri„ ces falſæ erant, falſum eſt & quod pe„ pendit in ligno. Non itaque potuit ad „ eum illa maledictio pervenire; non eſt „ quod ſuccenſeant ei, a cujus ore pro„ ceſſit. Itaque ſi ipſi iraſci ſe fingunt ei, „ qui maledixerit falſæ morti Chriſti (quod „ ſecundum ipſos dixerim) quomodo fu„ giendi ſunt, qui non maledicunt Chri„ ſtum, ſed quod eſt execrabilius, crimi„ nantur? Si enim non eſt accipiendus, qui „ maledictum ingerit mortalitati, quomo„ do eſt deteſtandus qui fallaciam obiicit „ veritati?

Reſpondet ſecundo, [e] Mortem hominis eſſe ex pœna peccati, unde & ipſa peccatum dicitur: non quia peccat homo dum moritur, ſed quia ex peccato factum eſt ut moriatur. Sicut alio modo dicitur lingua proprie caro, alio modo dicitur lingua quæ intra dentes ſub palato movetur, & loquium quod per eam fit, unde alia dicitur lingua Græca, alia Latina; ſic peccatum non tantum opus malum, quod pœna dignum eſt: ſed etiam ipſa mors quæ peccato facta eſt, peccatum appellata eſt. Illud itaque peccatum quo reus eſſet mortis, non commiſit Chriſtus: „ illud autem alterum, „ id eſt mortem, quæ peccato inflicta eſt „ humanæ naturæ, ſuſcepit pro nobis. Hoc „ ſuſpendit in Ligno, hoc maledictum eſt „ per Moyſem: ibi mors damnata eſt ne „ regnaret, & maledicta eſt ut periret. Qua„ propter per Chriſti tale peccatum damna„ tum eſt & noſtrum peccatum, ut nos li„ beraremur, ne regnante peccato nos da„ mnati remaneremus. Quid ergo miratur „ Fauſtus maledictum eſſe peccatum, male„ dictam eſſe mortem, maledictam eſſe mor„ talitatem carnis ſine peccato Chriſti, ex „ peccato tamen hominis etiam in Chriſto „ factam? Ex Adam quippe corpus aſſum„ pſit, quia ex Adam Virgo Maria, quæ „ peperit Chriſtum. Dixerat autem Deus „ in Paradiſo, qua die tetigeritis, morte „ moriemini: hoc eſt maledictum quod pe„ pendit in ligno. Ille neget Chriſtum ma„ ledictum, qui negat & mortuum: qui au„ tem confitetur mortuum, & negare non „ poteſt mortem de peccato eſſe: & ob „ hanc etiam ipſam peccatum vocari, au„ diat Apoſtolum dicentem, Quoniam ve„ tus homo noſter ſimul cum illo crucifixus „ eſt: & intelligat quem maledictum Moy„ ſes dixerit. Ideoque ſecurus ait Apoſto„ lus de Chriſto, [f] *Factus eſt pro nobis ma„ ledictum*: ſicut non timuit dicere, *pro „ omnibus mortuus eſt*; hoc eſt enim, mor„ tuus eſt, quod maledictus: quoniam mors „ ipſa ex maledicto eſt, & maledictum eſt „ omne peccatum, ſive ipſum quod fit, ut „ ſequatur ſupplicium, ſive ipſum ſuppli„ cium, quod alio modo vocatur peccatum, „ quia fit ex peccato. Suſcepit autem Chri„ ſtus

[a] *ibid. cap.* 47.
[b] *Cap.* 2. *v.* 4.
[c] *Rom.* 1. 17.
[d] *lib.* 14.
[e] *Rom. v.* 10.
[f] *Coloſſ.* 12. 13.

„ ftus ſine reatu ſuppliciu:n noſtrum, ut „ inde ſolveret reatum noſtrum, & finiret „ etiam ſupplicium noſtrum.... Cur ergo „ timeret Moyſes dicere, maledictum, quod „ Paulus non timuit dicere, peccatum? „ Plane hoc Propheta & prævidere debuit „ & prædicere, paratus ab Hæreticis cum „ Apoſtolo reprehendi. Quiſquis enim re„ prehenderit Prophetam dixiſſe, maledi„ ctum: cogitur reprehendere Apoſtolum „ dixiſſe, peccatum; nam utique maledi„ ctum comes peccati eſt „.

Addebat Fauſtus, Libri illi omnino repudiandi ſunt, in quibus viri Patriarchæ aut Prophetæ laudantur, qui immanium flagitiorum rei fuere; at ita eſt de libris veteris Teſtamenti, referunt enim quæ exſcribere pudet. Neque enim, inquit, illa nos ſcripſimus de Abraham, quod habendæ prolis inſana flagrans cupidine, & Deo qui id jam ſibi de Sara conjuge promiſerat, minime credens, cum pellice volutatus ſit, ſub conſcientia, quod ſit inhoneſtius, uxoris: ſimiliter quod matrimonii ſui infamiſſimus nundinator, idem avaritiæ ac ventris cauſa duobus regibus Abimelech, & Pharaoni diverſis temporibus memoratam Saram conjugem ſuam, ſororem mentitus, quia erat pulcherrima in concubitum venditavit, nec quod Loth ipſius frater de Sodoma liberatus, cum duabus filiabus ſuis in monte concubuit, qui honeſtius arſiſſet in Sodoma ictu fulminis, quam in monte flagravit inconcuſſæ flamma libidinis. Sed nec quod Iſaac eadem patri ſuo geſſit, ac paria erga Rebeccam conjugem ſuam, fingens & ipſe eam ſororem, quo per ipſam viveret turpiter. Nec quod Jacob filius ejus inter Rachel & Liam duas germanas ſorores, earumque ſingulas famulas quatuor uxorum maritus, tanquam hircus erraverit; ut eſſet quotidie inter quatuor ſcorta certamen, quænam eum venientem de agro, prior ad concubitum raperet, interdumque etiam mercedibus in noctem ad invicem conducerent eum. Nec quod Judas filius ejus cum Thamar nuru ſua dormierit, poſt unius & alterius nuptias filii, deceptus, ut aiunt, habitu proſtitutionis, in quem ſe transformaverat eadem, quæ ſocerum ſuum bene noſſet, cum hoc genere feminarum ſemper habuiſſe commercium. Nec quod David, poſt tot numero uxores, mulierculam quoque Uriæ militis ſui mœchatus ſit, ipſumque perdiderit in bello. Nec quod Salomon filius ejus trecentas uxores, & ſeptingentas concubinas habuerit, & Regum filias ſine numero. Nec quod Oſee Prophetarum primus de fornicaria muliere filios fecerit: cui turpitudini, quod ſit deterius, adſcribitur & conſilium Dei. Sed nec illud, quod Moyſes homicidium fecerit, quod ſpoliaverit Ægyptum; quod bella geſſerit; quod crudelia multa & mandarit & fecerit; quod ne ipſe quidem uno contentus matrimonio fuerit. Hæc, inquam, & horum ſimilia quæ in diverſis eorum habentur libris, nihil a nobis ſcriptum, nihil dictatum eſt: ſed aut Scriptorum veſtrorum iſta commenta ſunt falſa, aut Patrum crimina vera. Vos utrum vultis, eligite: nam nos & hos, & illos pariter deteſtari neceſſe eſt, quia tam malos, & turpes odimus, quam mendaces.

Reſpondet S. Auguſtinus, [a] „ Sicut De- [a] *lib.* 22. *cap.* 23.
„ um non illum verum & ſummum quem „ colimus, ſed alium neſcio quem falſum con„ fingitis, quem nos colere, vel arbitra„ mini vel calumniamini, qui tamen etiam „ ipſe multo eſt melior Deo veſtro: ambo „ enim non ſunt, & a vobis ambo fingun„ tur: ſed meliorem fingitis eum, quem „ tanquam noſtrum accuſatis, quam eum „ quem veſtrum adoratis. Sic & Patriar„ chas & Prophetas non tales vitupera„ tis, quales honorantur a nobis, ſed qua„ les libris noſtris non intellectis, malevo„ la vanitate finxiſtis, &c. „ Deinde facta deſcriptione & expoſitione peccati & Legis æternæ cap. 27. his verbis: *Peccatum eſt factum, vel dictum, vel concupitum aliquid contra æternam Legem*. Lex vero æterna, eſt ratio divina vel voluntas Dei, ordinem naturalem conſervari jubens, perturbari vetans.

Cap. 30. Demonſtrat Abraham nihil quidquam peccaſſe, cum habendæ prolis cupidine, conſentiente Sara tunc ſterili, ancillam duxit uxorem, & filium genuit; quippe Legi æternæ & voluntate Dei creaturarum omnium Conditoris, & ſaluti generis proſpicientis per propagationem prolis inſerviebat. Neque etiam in eo conſenſu ullatenus peccavit Sara, quæ prolem quam de ſe habere non poterat, de ancilla habere voluit; ex eo tamen ſemine, ex quo & de ſe, ſi poſſet, habere debebat, nam illa naturali ordine filios volens, ſeque ſterilem ſciens, Ancillaris uteri fœcunditatem in uſum juris ſui poteſtate licita vendicavit; non cedens viro concupiſcenti, ſed jubens obedienti. Nunquam autem faceret mulier, ſi in corpore viri carnali concupiſcentia teneretur; zelaret enim potius pellicem, non faceret matrem: nunc vero propterea ſic propagandæ voluntas pia fuit, quia concumbendi voluptas libidinoſa non fuit.

At, inquiebat Fauſtus, Saltem infidelitatis reus eſt Abraham non credens Deo qui ſibi jam prolem de Sara promiſerat,

Reſpondet S. Auguſtinus, [b] „ Aſſumptum [b] *lib.* 22. *cap.* 32.
„ eſſe aperti ſſime falſum, [c] Recenſeant [c] *Geneſ.* xii.
„ enim, *inquit*, Scripturæ arcana, qui vo„ lunt, inveniant ſemini Abraham jam „ quidem fuiſſe promiſſam terram, & in„ numerabilis multitudinis abundantiam; „ nondum tamen fuiſſe patefactum, quo„ modo illius ſeminis eſſet futura propa„ gatio, utrum ex carne Abrahæ, ſi de ſe „ ipſe generaret; an ex voluntate, ſi ali„ quem forte adoptaret. Deinde ſi de car„ ne ipſius, utrum ex Sara, an ex alia „ prorſus, nondum manifeſtum fuit... Ita„ que Abraham, cum ſibi videret non na„ ſci filios, & tamen ſemini ſuo factam „ promiſſionem teneret, primo de adoptio„ ne cogitabat. Hoc indicat, quod cum

„ Deo

„ Deo loquens, ait de vernaculo ſuo, „ Hic hæres meus erit: tanquam diceret, „ quia de meipſo mihi ſemen non dediſti, „ in iſto comple quod meo ſemini promiſiſti. Tunc ergo Abraham audivit a Domino, Non hic hæres tuus, ſed qui exibit de utero tuo, ipſe erit hæres tuus. „ Jam tunc adoptionis cogitatione ſublata, „ cum de ſeipſo ſemen ſperaret Abraham, „ reſtabat incertum, utrum ex Sara, an „ ex alia, quod illi Deus occultare voluit, donec prius ex Ancilla vetus Teſtamentum figuraretur. Quid ergo mirum, ſi videns Abraham ſterilem uxorem, cupientem ſibi prolem, quam parere ipſa non potuit, ex famula ſua & „ ex marito provenire, non ſuæ carnali „ cupiditati ceſſit, ſed conjugali poteſtati „ obtemperavit: credens hoc Saram ex Dei „ nutu voluiſſe, qui jam ex ſeipſo illi hæredem promiſerat, ſed ex qua fœmina „ non prædixerat? Fruſtra igitur Fauſtus „ ad obiiciendum hoc crimen inſanus inſiluit, tanquam infidelem Abraham infideliter arguens. Cætera enim cœcitate non „ credendi nec valuit intelligere, hoc autem libidine calumniandi neglexit & legere. „

Ad cætera objectionis capita ſigillatim reſpondebimus in ſecundo noſtri operis volumine ad Librum Geneſis. Interim univerſim reſpondet S. Auguſtinus ibidem cap. 45. in ſacris libris fideliter referri quæ Patriarchæ geſſerint, non univerſim approbari & laudari quæ fecerint. „ Cum, *inquit*, in literis, quas iſti reprehendunt, „ Deus huic facto nullum juſtitiæ teſtimonium perhibuerit, qua dementia temeritatis hinc illas literas accuſare contendunt, cum aliis earum locis apertiſſime „ inveniantur divinis præceptis iſta prohiberi? Unde in illa re geſta de opere filiarum Loth narrata iſta ſunt, non laudata: quædam vero enunciato judicio „ Dei, quædam tacito narrari oportuit: „ ut quando promitur quid inde judicaverit Deus, inſtruatur noſtra imperitia; „ quando autem tacetur, vel exerceantur „ peritia, ut quod alibi didicimus, recolamus: vel excutiatur pigritia, ut quod „ nondum novimus, inquiramus. Deus ergo, qui novit & de hominum opere „ malo facere opera bona, gentes quas „ voluit, ex illo ſemine propagavit: non „ Scripturas ſuas propter hominum peccata damnavit. Prodidit quippe iſta, non „ fecit: & cavenda admonuit, non imitanda propoſuit. *Addit cap.* 62. Quod „ nobis Fauſtus, vel ipſa Manichæa perverſitas arbitratur adverſum, quaſi nobis in illius Scripturæ veneratione dignoque præconio, vitia hominum, quæ „ illa commemorat, neceſſe ſit approbare: „ quin potius neceſſe eſt, ut quanto illam „ religioſius accipimus, tanto fidentius illa „ culpemus, quæ per eius veritatem certius culpanda didicimus. Ibi enim fornicatio & omnis illicitus concubitus divino jure damnatur: ac per hoc, cum „ talia quorundam facta commemorat, de „ quibus eo loco ſuam taceat ſententiam, „ judicanda nobis permittit, non laudanda „ præſcribit. *Deinde concludit cap.* 65. inaniter ergo Fauſtus in ſeipſum potius dente ſacrilego ſæviens, ſanctam Scripturam, quam totus jam mundus merito „ veneratur, accuſat: quæ, ut ſupra dixi, „ tanquam ſpeculi fidelis nitor, nullius accipit adulandam perſonam, ſed & laudanda & vituperanda hominum facta, „ vel ipſa judicat, vel legentibus judicanda proponit: nec ſolum homines ipſos „ vel vituperabiles vel laudabiles intimans: „ verum etiam quadam in vituperabilibus „ laudanda, & in laudabilibus vituperanda non tacens.

Tandem ſæpius inculcabat Fauſtus, ideo maxime a Catholicis, ut juſtam & bonam approbari Moſaicam Legem, & pios eſſe libros illam referentes aut confirmantes, quia Chriſtus Matth. V. 19. teſtatur ſe non veniſſe ſolvere Legem & Prophetas, ſed adimplere. At per Legem & Prophetas, non intelligebat Moſaicam Legem, nec Prophetas Judæos: Sunt enim, inquiebat, Legum genera tria: unum quidem Hebræorum, quod peccati & mortis Paulus appellat: aliud vero Gentium, quod naturale vocat. *Gentes enim*, inquit, *naturaliter quæ Legis ſunt, faciunt:* & ejuſmodi Legem non habentes, ipſi ſibi ſunt Lex, qui oſtendunt opus Legis ſcriptum in cordibus ſuis. Tertium vero genus Legis eſt veritas, quod perinde ſignificans Apoſtolus dicit: Lex enim Spiritus vitæ in Chriſto Jeſu liberavit me a lege peccati & mortis. Tribus ergo exiſtentibus Legibus, & Jeſu aſſeverante nobis, quia non venit ſolvere Legem, ſed adimplere: non parva cura ac diligentia opus eſt, de qua earum dixerit intelligere. Item Prophetæ, alii ſunt Judæorum, alii Gentium, alii veritatis. Sed de Judæorum quidem nullus quæſiverit, notum eſt enim. De Gentium vero ſi quis ambigit, audiat Paulum, qui ſcribens ad Titum de Cretenſibus, dicit: *Dixit quidam proprius eorum Propheta, Cretenſes ſemper Mendaces, malæ beſtiæ, ventris pigri*. ac per hoc dubitandum non eſt, & gentes ſuos habere Prophetas. Nec non & veritatem habere Prophetas ſuos, tam idem Paulus ſignificat, quam etiam Jeſus. Et Jeſus quidem, ubi dicit: Ecce mitto ad vos Sapientes & Prophetas, & ex ipſis interficietis in ſingulis locis. Paulus vero cum dicit: ipſe Dominus conſtituit primum Apoſtolos, deinde Prophetas.

Lege ergo tripartita, & tripartitis Prophetis, de quonam eorum Jeſus dixerit, non ſatis liquet, eſt tamen coniicere ex conſequentibus. Etenim ſi circumciſionem ſtatim nominaret, & ſabbatha ac ſacrificia & obſervationes Hebraicas, inque eas aliquid adimpletionis gratia protuliſſet, dubium non erat quia de Judæorum Lege dixiſſet & Prophetis, quin eos non ſolvere venerit, ſed adimplere. Ubi vero horum quidem nihil memorat, ſola vero recenſet antiquiora

præ-

præcepta: ideſt, non occides, non mœcaberis, non pejerabis: hæc autem erant antiquitus in nationibus, ut eſt in promptu probare, olim promulgata per Enoch & Seth & cæteros eorum ſimiles juſtos, quibus eadem illuſtres tradiderint Angeli temperandæ in hominibus gratia feritatis, cui non videatur hoc eum de veritatis dixiſſe Lege, & ejus Prophetis. *Denique* etiam adimpletio probatur ejus circa hæc eadem, quæ promiſit. Quid enim dicit? *Audiſtis dictum eſſe antiquis: non occides: ego autem dico, vobis, ne iraſcamini.* Equidem adimpletio eſt. Audiſtis dictum eſſe: Non mœchaberis: ego autem dico vobis, ne concupiſcatis: Equidem adimpletio eſt. Dictum eſt, Non pejerabis: ego autem dico, ne juretis quidem: æque adimpletio eſt. In his enim & priora roborat, & quod defuit, adiicit. Ubi vero Judæorum quædam viſus eſt nominaſſe, illa quidem nec adimplevit, ſed etiam penitus eradicavit præceptione contrariorum. Quid enim ſequitur? *Audiſtis dictum eſſe, oculum pro oculo, dentem pro dente: ego autem dico vobis, qui te percuſſerit in maxillam, præbe illi & alteram*: hoc jam deſtructio eſt, &c.

[a] lib. 19. cap. 7.

Reſpondet S. Auguſtinus, [a] Manifeſtum eſt & luce clarius, hoc etiam novi Teſtamenti Scriptura ſæpe teſtatur, quam Legem & quos Prophetas Chriſtus non venerit ſolvere, ſed adimplere. Ipſa eſt enim Lex, quæ per Moyſem data, gratia & veritas per Jeſum Chriſtum facta eſt. Ipſa eſt, inquam, Lex per Moyſem data, de quo Chriſtus ait Joan. V. v. 47. *De me enim ille ſcripſit*,.. *Porro ait cap.* 8. Legem implevit; Lex enim, quæ prævaricatores abundanti reatu concludebat, in eam fidem, quæ poſtea revelata eſt, gratia facta eſt per Jeſum Chriſtum, per quem ſuperabundavit gratia: ac per hoc impleta eſt per gratiam liberantem, quæ non implebatur per literam jubentem, *Inſuper addit. cap.* 13. Prima Sacramenta quæ obſervabantur & celebrabantur ex Lege, prænuntiativa erant Chriſti venturi: quæ cum ſuo adventu Chriſtus impleviſſet, ablata ſunt, & ideo ablata, quia impleta: non enim venit ſolvere Legem, ſed adimplere: & alia ſunt inſtituta virtute majora, utilitate meliora, actu faciliora, numero pauciora, tanquam juſtitia fidei revelata, & in libertatem vocatis filiis Dei, jugo ſervitutis ablato, quod duro & carni dedito populo congruebat.

Plurima itidem adverſus veteris Teſtamenti libros effutiebat Adimantus Manichæi diſcipulus, ut Moſis & Prophetarum ſcripta velut Evangelicis & Apoſtolicis libris adverſantia & contradicentia demonſtraret, quorum præcipua capita, cum nobis propoſitum ſit expendere in ſecundo hujus Operis Volumine, idcirco ab iis hic attexendis ſuperſedendum eſſe conſulto judicavimus. *Interim* his accenſendæ eſſent nonnullæ a Juliano Imperatore Apoſtata; adverſus hoſce veteris Teſtamenti libros excogitatæ rationes, quas refert & refellit S. Cyrillus in libris contra eundem Julianum editis. At harum objectionum & reſponſionum præcipua capita maxime adverſus libros Moſis recenſentur inferius Capite I. Libri Quinti. (9)

CA-

(9) Veteris teſtamenti Libros non ſolum Manichæi conati fuerunt expungere; ſed innumeri prorſus aliarum factionum Hæretici tum ante Manichæorum ſectam, cum poſt illius extinctionem, aut omnes, aut nonnullos veteris Scripturæ divinæ Libros oppugnare tentarunt. Omnium primi adverſus præfatos Libros Simoniani, Baſilidiani deinde, & Marcionitæ inſurrexerunt, de quibus agit S. Irenæus Lib. 1. Capp. 20. 22. & 29. Eadem pice inquinati fuere Cerdon, Cajani, Gnoſtici, Valentiniani, Ptolemeitæ, Apellitæ, Albanenſes poſtea ſequentibus ſæculis, & Albigenſes. Iſtorum aliqui, ſed præſertim Apelles malo Spiritu Prophetas abreptos prædicabat, nihilque propterea in ſcriptis eorum, quod veritatem oleret adinveniri, cujus deliria Ethnicorum plures amplexi ſunt, quos omnes eloquenter Lactantius Lib. 1. divinar. Inſtitut. Cap. 4. & Euſebius in Proœmio Libri 5. Demonſtrat. Evangel. egregie refellunt. Horum olera ſerpentino dente Lutherus tondere viſus eſt, dum ajebat, referente Stanislao Reſcio, ſe nolle Moſem audire, cum ſoli Judaico Populo Moſes ſit datus, non iis autem, qui ex Gentibus ſunt ad Chriſtum converſi; unde non ſemel Sanctum illum Legis promulgatorem, Chriſti hoſtem appellare non timuit. Ex hujus Hæreſiarchæ lumbis Witembergæ nati ſunt alii Divinarum veteris Teſtamenti Scripturarum hoſtes, qui a Flacco *Antinomi* appellabantur. Blaſphemabant iſti non eſſe divinam Moſis legem, quæ verbum Dei appellaretur. Iſtorum veſtigia premebat Brantsfellus, librum legis inter Scripturas Sacras accenſere detrectans, quod meras chabaliſticas relationes contineret. Scripturis Sacris fidendum non eſſe Muntzeriani, Syencfeldiani pariter, ac Servetiani Scripturæ divinitatem elevabant, ut Lindanus in *Dubitantio* Dialog. 2., & Reſcius in Centuriis adfirmant. In Anglia horum errores, veluti totidem Hydræ ad annum Chriſti 1640. viſi ſunt extollere caput, cum, referente Bruodino Lib. 4. Cap. 10. nonnulli ibidem Sectarii contra univerſum Dei verbum ſcriptum ſive antiqui ſive novi Teſtamenti prædicare ſint auſi quod in Sacris Libris minime verbum Dei contineatur; illis propterea non magis, quam ſcriptis humana induſtria elaboratis eſſe fidem habendam, nihilque Scripturam intereſſe Chriſtianorum, quinimmo nec ab ipſis legendam; aut ſi legatur, id tantummodo credendum, quod rectæ rationi congruere adinvenitur. Iſtorum deliramenta ex iis, quæ dicta jam ſunt facillime refutantur, & apud Theologos Dogmatiſtas eorum confutationes habentur. (W)

CAPUT QUINTUM.

De obſcuritate divinæ Scripturæ,

SUMMARIUM.

I. *Hetherodoxi perperam Scripturæ Sacræ claritatem in ſingulis textibus venditant; eis quippe contradicunt Patres Græci, & Latini.*

II. *Varias proferunt obſcuritatis rationes,*
III. *Unde proveniat Scripturæ Sacræ obſcuritas.*
IV. *Hæreticorum objecta, & ad ea reſponſiones.*

I. DUbio procul Hetherodoxi cum ſuis Anteſignanis in ſingulis divinæ Scripturæ textibus clarum adeo, & manifeſtum ſenſum, affirmant ut ſola lectione ad ejus intelligentiam ſit opus. *Eſſe*, [a] inquit Lutherus, *in Scriptura quædam abſtruſa & non expoſita, invulgatum eſt per impios Sophiſtas* (ita appellat Theologos Scholaſticos) *ſed nunquam unum articulum prodere poſſunt, quo ſuam hanc inſaniam probent. Item quid faciunt, quæ prædicant? Aliq nova declaratio. Quis illam declarabit? Ita fiet progreſſus in infinitum. Summa, ſi Scriptura eſt vel ambigua, quid illam opus fuit nobis divinitus tradi? Annon ſumus ſatis obſcuri & ambigui, niſi de cælo nobis augeatur obſcuritas & tenebræ?* Similiter Calvinus [b] aſſerit: *Non obſcuriorem veritatis ſuæ ſenſum ultro Scripturam præ ſe ferre, quam coloris, res albæ & nigræ; ſaporis, ſuaves & amaræ.* (10)

[a] *Lib. de ſervo arbit.*

[b] *lib. 1. Inſtitut. cap. 7. num. 2.*

Ve-

(10) Sicuti inconſtantiſſima eſt Hæreticorum fides, quæ pro aura inſufflante arundinis inſtar modo in lævam, in dexteram modo flectitur partem, ſic etiam adſertiones incoſtantes, ſibi contradicentes, aperteque mendaces quam ſæpe reperiuntur. Lutherus itaque pro rerum viciſſitudine negabat, ſi ſuæ cauſæ judicabat expediens, quod ſumma prius audacia defenderat. Adfirmat in loco ab Auctore noſtro citato Scripturæ Divinæ claritatem, facilitatemque proclamat = Nullam, ſubiungit ibidem Lutherus, nullam partem Scripturæ volo dici obſcuram. Stat ibi quod ex Petro retulimus, lampadem lucentem nobis eſſe verbum Dei in loco caliginoſo; quod ſi pars hujus lampadis non lucet, potius pars caliginoſi loci, quam ipſius lampadis erit = In Proœmio Aſſert. pariter ſcripſit Scripturam eſſe per ſe certiſſimam, facillimam, aptiſſimam: ſui ipſius interpretem, omnium omnia probantem, judicantem, illuminantem =. In loco autem ſuperius citato concludit, poſtquam dixerat: Si quid obſcuritatis in Scripturis inveniatur, id non ex rerum majeſtate, ſed ex Vocabulorum, & Grammaticæ ignorantia eſſe derivandum =. Quod ſi multa manent obſcura, hoc non fit Scripturæ auctoritate, ſed illorum cœcitate, & ſocordia, qui non agunt ut clariſſimam videant veritatem =. Hanc Lutheri inſaniam Brentius in Prolog. contra Petrum a Soto, Kemnitius in Cenſura Colonienſi, Witakerus, Hunnius, aliique plures ſectantur Reformatores, qui poſtea, ut Fraſſenus advertit ſub finem numeri 111. rejecta opinione iſta, contrariam prorſus tuentur. Sociniani etiam Hæretici eamdem cum Lutheranis: de Scripturarum claritate ſententiam propugnarunt; adiicientes ulterius in verbis ad ſalutem neceſſariis adeo eſſe perſpicuam, ut ſola rationis ope ſalubriter, dempta etiam præveniente Sancti Spiritus illuſtratione, poſſit a quopiam intelligi.

Adverſus inſignem hanc Hæreticorum ſuperbam ignorantiam ipſæmet Scripturæ Divinæ reclamant; Proverb. enim 25. ℣. 2. legimus: *gloria Dei eſt celare verbum*. Jeſus autem Math. 13. ℣. 13., *ideo in parabolis*, ajebat, *loquor eis*, quia *videntes non vident, & audientes non audiunt, neque intelligunt*. Lucæ 24. ℣. 45. Diſcipulis aperti fuiſſe ſenſus dicuntur, ut Scripturas intelligerent: & denique Eunucho Iſaiam legenti Philippus dixiſſe narratur Actor. 8. ℣. 30. *Putas ne intelligis qua legis?* Cui Eunuchus: *& quomodo poſſum intelligere, ſi aliquis non oſtenderit mihi?* Quid plura? Apoſtolus Petrus Cap. ultimo Epiſtolæ 2. ℣. 15. ita, ad rubore fundendam Hæreticorum veſaniam, ſcripſit =. Propter quod Chariſſimi hæc expectantes, ſatagite immaculati, & inviolati ei inveniri in pace: & Domini noſtri longanimitatem, ſalutem arbitremini, ſicut & chariſſimus noſter Paulus ſecundum datam ſibi Sapientiam ſcripſit vobis; ſicuti & in omnibus Epiſtolis, loquens in eis de iis, in quibus ſunt quædam difficilia intellectu, quæ indocti, & inſtabiles depravant. &c. = Audiunt ne illuminati Eccleſiæ Reformatores quid de S. Pauli Epiſtolis ſenſerit S. Petrus? quomodo ergo de tanta facilitate, & claritate Scripturarum ſibi blandiuntur Hetherodoxi? Ne ſe extollant, cum ſibi tam manifeſto Scripturarum oracula refragentur. Præter Scripturarum oracula, univerſalis adeſt Catholicæ Eccleſiæ conſenſus, quæ firmum ſemper, ratumque habuit dogma iſtud de Scripturarum Sanctarum obſcuritate: ita præcipui cujuslibet ævi Doctores contextati ſunt, quorum plures a Fraſſeno proponuntur, quibus adiungere fas eſt Auctorem Libri de Cœleſti Hierarchia, qui S. Dionyſius Areopagita creditus fuit, ita Cap. 2. ſcribentem. „ Hoc occultis Scripturis eſt digniſſi-
„ mum, & conſentaneum maxime abditis ſacriſ-
„ que obſcuritatibus involvi, nec patere aditum
„ pleriſque ad divinam, & occultam divina-
„ rum mentium veritatem = Juſtinus etiam in Dialogo adverſus Jud. = Scis, inquit, Prophe-
„ tas omnia, quæ dixerunt, ac fecerunt ſimi-
„ litudinibus, ac figuris adumbraſſe, ut non faci-
„ le plurima a quibusvis intelligi poſſint, occul-
„ ta eorum veritate, ita ut etiam iis, qui eam
„ quærant multum operæ in ea inveniendæ, di-
„ ſcendaque conſumant „. S. Athanaſius non minus aperte Scripturarum obſcuritatem fatetur in Epiſt. de Synodo Arimin. ſcribens „ Quod non intel-
„ ligimus in Scripturis, non abdicamus, ſed re-
„ quirimus ab illis, quibus dominus revelaverit, &
„ ab eis diſcere cupimus „. S. Athanaſio conſonat Cyrillus Alexandriæ Patriarcha, qui *in Joann.* ita loquitur = Pleni ſunt Libri Moſaici figurarum, quæ ita latent, ut ſine magno labore, & ſtudio, addam, etiam (ſine) gratia Salvatoris, interpretari recte non poſſint =. Subiungit deinde Lib. 3. in eumdem Joannem Cap. 36. = Solet Chriſtus ænigmatice quodammodo, non aperte nimium myſteria exponere, ne res divinæ ſceleſtis etiam hominibus pateant = His adiungimus S. Damaſcenum Lib. 4. Fidei Orthod. Cap. 13.

Cum Latinis Patribus a Fraſſeno laudatis poſſumus Gregorium Magnum *Præf. in Marc.* Iſidorum Lib. 11. de *ſumm. Bono*, Angelicum Magiſtrum Quodlib. 7. quæſt. 6 art. 14. conſociare, qui unanimi conſenſu in Scripturis divinis obſcuritatem quamdam ſemper agnovere. (W)

Verum eorum errorem diſertiſſime profligant SS. Patres, qui omnes uno calculo pronuntiant, Scripturam ſacram in pleriſque locis obſcuriſſimam eſſe, idcirco opus eſſe Interprete, qui reconditum & involutum illius ſenſum aperiat; ſic in inprimis Clemens Alexandrinus [a] ait Scripturam ſacram plures interdum myſticos ſenſus involvere, qui varias expoſitiones admittant: & rurſum [b]: *Si autem*, inquit, *Prophetæ & Apoſtoli artes non norant, per quas oſtenduntur exercitationes quæ ſunt in Philoſophia: at mens Propbetici, & docentis ſpiritus occulte loquens propterea quod non ſint aures omnium intelligentes, artificioſas doctrinas exigit ad explicationem. Secure enim noverant illarum ſenſum Prophetæ & ſpiritus Diſcipuli. Ex fide enim, & quam dici non poteſt facile, dixit Spiritus, ſed non tam facile percipere poſſunt ii qui non didicerunt.* Et iterum [c]; Exponens illud Pſalmi [d]: *Quis ſapiens, & cuſtodiet hæc? & intelliget miſericordias Domini? quoniam rectæ viæ Domini*, inquit Propheta, ſignificans eum ſolum, qui eſt præditus cognitione, poſſe ea intelligere quæ abdite dicta ſunt a Spiritu. *Et qui intelligit, in tempore illo ſilebit*, inquit Scriptura, ab enunciando ſcilicet indignis. Quoniam, inquit Dominus, *qui habet aures ad audiendum audiat*, dicens non eſſe quorumvis audire & intelligere. Jam vero David dicit [e]: *Tenebroſa aqua in nubibus aeris. A fulgore coram ipſo nubes tranſierunt grando & carbones ignis*: abditos eſſe docens ſanctos ſermones, & iis quidem qui ſunt cognitione præditi, claros & perſpicuos, tanquam grandinem innoxiam, ſignificat demitti divinitus: vulgo autem obſcuros, tanquam qui ex igne extincti ſunt carbones, quos niſi quis accenderit & ſuſcitarit, non ardebunt, neque illuminabuntur: *Dominus ergo*, inquit [f], *dat mihi linguam diſciplinæ: ut ſciam in tempore; quando oporteat loqui ſermonem, non ſolum in ferendo teſtimonio, ſed etiam in interrogando & reſpondendo. Et diſciplina Domini aperit os meum.* Eſt ergo ejus qui & cogitatione præditus, ſcire uti ſermone, & quando, & quomodo, & apud quos oportet. *Hæc Clemens.*

Clementem præceptorem excipit diſcipulus Origenes [g] ſcribens: *Diebus ac noctibus obſervandus eſt ut veniat Agnus de Tribu Juda; & ipſe librum ſignatum dignetur aperire.* Et rurſum [h] *Ænigma dicitur ſermo figuratus: ænigmatiſtæ ergo dicuntur qui figurate loquuntur. Et quis eſt alius, qui in figura locutus ſit niſi Lex & Prophetæ? audi enim quomodo David dicit:* [i] *Aperiam in Parabolis os meum, loquar propoſitiones ab initio ſæculi. Sed & Iſaias: quia Ænigmata ſunt quæ ſcripſit; hoc modo declarat: Et erunt vobis, inquit, verba libri hujus, ſicut verba libri ſignati. Signatus autem dicitur liber, pro eo quod figuris implexus eſt, & ænigmatibus involutus.* Et iterum [k]: *Alii quoque*, ait, *viri cordati ſcrutando Scripturam, intellectum ejus invenire potuerunt, licet revera multis locis ſit obſcura.*

Eandem veritatem egregie confirmat S. Baſilius [l] qui cum dixiſſet, non eſſe divinæ Scripturæ vitio vertendum, quod ea in pleriſque locis obſcura ſit, & intellectu difficilis, ſubiicit: *Quemadmodum opifex noſter haudquaquam invidens nobis, vitæ commoditates non paſſus eſt eodem modo naſci, quo brutis, ſed rerum neceſſariarum inopiam, data opera addidit nobis, velut ingenii exercitamentum: itidem & in Scripturæ ſtudio voluit eſſe obſcuritatem, ad utilitatem Mentis humanæ, ſuam ipſius indicans virtutem atque efficaciam. Primum quidem, ut his occupata a deterioribus avocetur: deinde, quod quæ labore parata ſunt, ea neſcio quo pacto magis amantur, quæque longo tempore contingunt, conſtantius permanent. Porro quæ facilius parantur his non perinde avide fruimur: negligitur enim rerum obviarum copia, neque ulla cuſtodia dignas ducit qui poſſidet.* Vide etiam Epiſtolam 75.

Favet etiam S. Epiphanius [m] qui Scripturam intellectu difficilem & velut obſignatam, ex Commentariis Origenis ad Pſal. 1. his verbis edocet; *Clauſas*, inquit, *obſignataſque eſſe Scripturas ſacras, divina teſtantur Oracula, idque Davidis clave, ac forſitan & ſigillo, de quo ſcriptum eſt:* FIGURA SIGILLI, SANCTITAS DOMINO. *Quod de virtute Dei, quia ea largitus eſt, intelligi debet, quæ ſcilicet per ſigillum adumbratur. Etenim clauſas atque obſignatas eſſe Scripturas, Joannes in Apocalypſi declarat his verbis:* ET ANGELO ECCLESIÆ, QUÆ PHILADELPHIÆ EST, SCRIBE, &c. Necnon apud Iſaiam [n]: *Et erunt vobis verba hæc omnia ſicut ſermones libri hujus obſignati, &c. Hæc enim non ad Apocalypſim ſolum Joannis, aut Iſaiæ vaticinia pertinere putandum eſt; ſed de univerſa Scriptura ſacra penitus accipienda ſunt. Quod ſane apud illos in confeſſo eſt, qui divinarum literarum notitiam, vel mediocriter aſſecuti ſunt. Quæ quidem ænigmatum involucris, ac parabolis, tenebroſiſque ſermonibus, ac diverſis aliis obſcuritatis generibus, quæ hominis ingenio difficile comprehenduntur, refertæ ſunt. Quod & Salvator oſtendere volens, clavem apud Scribas & Pharisæos eſſe dixit, qui ut viam ad aperiendum invenirent, minime contenderent.* Et VÆ VOBIS, *inquit*, LEGISPERITIS; QUONIAM TULISTIS CLAVEM SCIENTIÆ, NEQUE IPSI INTRASTIS, ET INTRANTES NON PERMITTITIS INGREDI.

Rem eandem explicat S. Chryſoſtomus [o]: *Non ſunt*, inquit, *Scripturæ clauſæ, ſed obſcuræ quidem, ut cum labore inveniantur; non autem clauſæ, ut nullo modo inveniantur.* Et alibi [p] exponens illud Chriſti Domini dictum, *Scrutamini Scripturas; Non dixit*, inquit, *legite Scripturas, ſed* SCRUTAMINI, *divina enim ſumma indigent diligentia: in umbra enim majoribus illis non abs re locutus eſt, idcirco effodere profundius jubet, ut quæ alte deliteſcunt, invenire poſſimus; non enim rem in ſuperficie, & promptu poſitam effodimus, ſed quæ tanquam theſaurus profunde reconditur, qui enim ejuſmodi quærit, niſi ſummam adiiciat dili-*

a *lib.* 1. *Stromat. pag.* 285.
b *Pag.* 292.
c *lib.* 6. *pag.* 671.
d *Pſal.* 106.
e *Pſalm.* 18.
f *Eſa.* 50.
g *Homil.* 11. *in Exod.*
h *Homil.* 13. & 27. *in lib. Num.*
i *Pſal.* 77.
k *lib.* 7. *contr. Celſ.*
l *in Proœm. comm. in Iſaiam.*
m *hæreſ.* 64. *quæ eſt Origenianor. num.* 6.
n *Iſa.* 29. *v.* 11.
o *homil.* 44. *in cap.* 33. *S. Matth.*
p *homil.* 40. *in Joan.*

gentiam & laborem, nuſquam quæſita inveniet.

Patribus Græcis conſentiunt Latini Patres: Ambroſius namque [a] exponens illud: *Da mihi intellectum ut diſcam mandata tua*, ſcribit: *Propheta ille accepit Spiritum Sanctum, poſtquam unctus eſt in Regem, unctus eſt in Prophetam Pſalmum centeſimum decimum octavum ſcribens, intellectum dari ſibi poſcit, ut mandata Dei intelligat; & ſcit, niſi a Domino acceperit gratiam, intelligere ejus ſe mandata non poſſe.* Quamobrem merito ait alibi [b]: *Mare eſt Scriptura divina, habens in ſe ſenſus profundos, altitudinem Propheticorum ænigmatum.*

a *Serm.* 10. *in Pſal.* 118.

b *Epiſt.* 44. *ad Conſantium.*

Totus eſt in ea veritate confirmanda S. Hieronymus, præcipue Epiſtola ad Paulinum [c]: *Totum*, inquit, *quod legimus in divinis libris, nitet quidem & fulget, etiam in cortice, ſed dulcius in medulla: qui edere vult nucleum, frangat nucem.* REVELA, *inquit David* [d], OCULOS MEOS, ET CONSIDERABO MIRABILIA DE LEGE TUA. *Si tantus Propheta tenebras ignorantiæ confitetur, qua nos putes, parvulos, & pene lactentes inſcitiæ nocte circumdari? Hoc autem velamen, non ſolum in facie Moyſi, ſed & in Evangeliſtis & Apoſtolis poſitum eſt. Turbis Salvator in parabolis loquebatur, & conteſtans myſticum eſſe quod dicebatur, aiebat:* QUI HABET AURES AUDIENDI, AUDIAT. *Niſi aperta fuerint univerſa, quæ ſcripta ſunt ab eo, qui habet clavem David, qui aperit & nemo claudit: claudit & nemo aperit, nullo alio reſerante claudetur.* Et iterum de omnibus Scripturæ divinæ libris [e]: *Eſaiam, Hieremiam, Ezechielem, & Danielem quis poteſt vel intelligere, vel exponere? Ezechiel principium & finem habet tantis obſcuritatibus involuta, ut apud Hebræos iſtæ partes cum exordio Geneſeos, ante annos triginta non legantur, &c. Jacobus, Petrus, Joannes, Judas, ſeptem epiſtolas ediderunt, tam myſticas, quam ſuccinctas & breves pariter, & longas: breves in verbis, longas in ſententiis: ut rarus ſit, qui non in earum cæcutiat lectione. Apocalypſis Joannis tot habet ſacramenta, quot verba.*

c Cap. 4.

d *Pſal.* 118.

e *Epiſt.* 103. *ad Paulinum. cap.* 7.

Ipſi concinit S. Auguſtinus [f]: *Tanta eſt Chriſtianarum profunditas literarum, ut in eis quotidie proficerem, ſi eas ſolas, ab incunte pueritia, uſque ad decrepitam ſenectutem maximo otio, ſummo ſtudio, meliore ingenio conarer addiſcere: non quod ad ea, quæ neceſſaria ſunt ſaluti, tanta in eis perveniatur difficultate: ſed cum quiſque ibi fidem tenuerit, ſine qua pie recteque non vivitur, tam multa, tamque multiplicibus myſteriorum umbraculis opaca intelligenda proficientibus reſtant, tantaque non ſolum in verbis, quibus iſta dicta ſunt, verum etiam in rebus, quæ intelligendæ ſunt, latet altitudo ſapientiæ, ut annoſiſſimis, acutiſſimis, flagrantiſſimis cupiditate diſcendi hoc contingat, quod eadem Scriptura quodam loco habet:* CUM CONSUMMAVERIT HOMO, TUNC INCIPIT, &c. Unde alibi exclamant [g]: *Mira profunditas eloquiorum tuorum! quorum ecce ante nos ſuperficies blandiens parvulis: ſed mira profunditas Deus meus! mira profunditas, horror eſt intendere in ea, horror honoris, & tremor amoris.* Neque certe aliunde quærendum eſſe hujuſce veritatis argumentum, quam ex ipſomet Scripturæ textu; nam idem pene de omnibus Scripturis videtur ferendum eſſe judicium, quod ipſe S. Petrus [h] protulit de Epiſtolis S. Pauli: *In quibus*, inquit, *ſunt difficilia quædam intellectu, quæ indocti & inſtabiles depravant, ſicut & cæteras Scripturas, ad ſuam ipſorum perditionem.*

f *Epiſt.* 3. *ad Voluſian.*

g *lib.* 12. *Confeſſ. cap.* 14.

h *Epiſt.* 2. *cap.* 3.

II. Variam hujus Scripturarum obſcuritatis rationem proferunt SS. Patres; Primo inquit S. Auguſtinus [i]: *Ne utilitate vileſceret ſunt in Scripturis ſanctis profunda myſteria, quæ ad hoc abſconduntur, ne vileſcant; ad hoc quæruntur, ut exerceant; ad hoc aperiuntur, ut paſcant.* Et rurſum [k], loquens de Scripturarum lectione, ait: *Ita obſcure quædam dicta, denſiſſimam caliginem obducunt, quod totum proviſum divinitus eſſe non dubito, ad edomandam labore ſuperbiam, & intellectum a faſtidio revocandum, cui facile inveſtigata plerumque vileſcunt.* Ipſi ſubſcribit S. Gregorius: [l] *Magnæ*, inquit, *utilitatis eſt ipſa obſcuritas eloquiorum Dei, quia exercet ſenſum, ut fatigatione dilatetur, & exercitatus capiat quod non poteſt capere otioſus. Habet quoque aliud majus, quia ſi Scripturæ ſacræ intelligentia in cunctis eſſet aperta, vileſceret; quæ in quibuſdam locis obſcurioribus, tanto majori dulcedine reficit inventa, quanto majori labore fatigat animum quæſita.*

i *in Pſal.* 140.

k *lib.* 2. *de Doct. Chriſt. cap.* 4.

l *Homil.* 6. *in Ezechiel.*

Secundo hæc Scripturarum obſcuritas, divini auxilii cæleſtiſque illuſtrationis neceſſitatem & exigentiam perſuadet, noſque ſtimulat ad deprecandum Deum, quatenus librum illum ſignatum ſigillis ſeptem aperire dignetur, ut cum Pſalmiſta [m] dicamus, *Da mihi intellectum & ſcrutabor Legem tuam, & cuſtodiam illam in toto corde meo.* Et iterum: *Revela oculos meos & conſiderabo mirabilia de Lege tua.* Unde S. Bernardus [n] præclare admonet: *Quo ſpiritu Scripturæ factæ ſunt, eo ſpiritu legi deſiderant: ipſo etiam intelligendæ ſunt. Nunquam ingredieris in ſenſum Pauli, donec uſu bonæ intentionis in lectione ejus, & ſtudio aſſiduæ meditationis, ſpiritum ejus imbiberis. Nunquam intelliges David, donec ipſa experientia ipſius Pſalmorum affectus indueris.* Has & alias ſimiles Scripturarum obſcuritatis rationes ſic explicat S. Baſilius: [o] *Primum quidem*, inquit, *ut his occupata* (mens noſtra) *a deterioribus avocetur: deinde quod quæ labore parta ſunt, neſcio quo pacto magis amantur, quæque longo tempore contingunt, conſtantius permanent. Porro quæ facile parantur, iis non perinde fruimur: negligitur enim rerum obviarum copia, neque ulla cuſtodia dignas ducit qui poſſidet.* Et infra: *Denique accedit huc, quod vitæ quoque puritas requiritur, ut ad moralis virtutis exercitationem pertineat, quod in Scripturis obvolutum eſt, dijudicare. Requiritur autem præter puritatem, aſſidua in Scripturis exercitatio, ut majeſtas atque arcanum divi-*

m *Pſalm.* 128.

n *Epiſt. ad fratres de monte Dei.*

o *proleg. in Iſaiam.*

divinorum verborum perpetua meditatione animo imprimatur.

a *lib.* 11. *de Civit. Dei. cap.* 19.

His adiicit S. Auguſtinus a ſapienti Dei ordinatione proviſum eſſe, ut obſcurus eſſet ac latens Scripturæ ſenſus, quatenus plures ad majorem Fidelium inſtructionem & commendandam ipſius divinæ Scripturæ fœcunditatem, ab Interpretibus erueretur: *Divini*, inquit, *ſermonis obſcuritas ad hoc utilis eſt, quod plures ſententias veritatis parit, & in lucem notitiæ producit, dum alius eum ſic, alius ſic eum intelligit.* Et iterum: b *Utile eſt ut autem de obſcuritatibus divinarum Scripturarum, quas exercitationis noſtræ cauſa Deus eſſe voluit, multæ inveniantur ſententiæ, cum aliud alii videtur, quæ tamen omnes ſanæ fidei doctrinæque concordent.* Rem paucioribus verbis explicat S. Gregorius: c *Plerumque*, inquit *in ſacro eloquio, ideo aliquid obſcure dicitur, ut diſpenſante mirabiliter Deo, multipliciter exponatur.* Idipſum ſignificaſſe videtur Angelus Danieli Dicens: d *Tu autem Daniel claude ſermones & ſigna librum, uſque ad tempus ſtatutum; plurimi pertranſibunt, & multiplex erit ſcientia*; i. e. ex hoc tuo vaticiniorum perobſcuro & clauſo libro, ab Interpretibus ſequentis ætatis, multiplex ſenſus elicietur.

b *Epiſt.* 59. *ad Paulin.*

c *Homil.* 10. *in Ezech.*

d *Daniel.* 12.

III. Difficilem vero, atque obſcuram inter alia Scripturam ſacram efficiunt myſteria, humanum captum naturalem excedentia, quæ illa complectitur: tum phraſes & modi loquendi, ut antiquitate, ſic & ſingularitate ſua noſtris multum diſſimiles. Idiotiſmi Hebraici & Græcanici pene ubique occurrentes, Parabolæ, Adagia, Tropi, Contradictiones in ſpeciem frequentes, nomina urbium, Regionum exſoleta; arbores, fructus, herbæ, aromata, gemmæ, lapides, animalia, quorum ſpecies vix occurrunt. Quis enim abſque ingenti ſtudio jam explicet, quid fuerint Trajelaphus, Pygargus, Orix, Camelopardalus, Gryps, Alieætus, Ixion, Larus, Porphyrion, Onocrotalus, Chariadrius, quæ memorantur Deuteronom. cap. XIV. Quis, inquit Tirinus, e ex ſimplici Scripturæ lectione, intelligat ex Pſalmis, quid ſit *ille Draco quem formavit* Deus *ad illudendum ei;* cujus *caput contribulavit & confregit in aquis, deditque eum eſcam populis Æthyopum?* Quid ſibi velit; *Rex virtutum dilecti dilecti, & ſpeciei domus dividere ſpolia? Si dormiatis inter medios cleros, pennæ columbæ deargentatæ, & poſteriora dorſi ejus in pallore auri: dum diſcernit cæleſtis Reges ſuper eam.* Ex Jeremia, quæ iſta *tam* terribilis *columba*, *a* cujus *facie gladii* fugiendum ſit? Quod *cornu filius olei*, ex Iſaia, *in quo vinea fuit* Sponſi? Quæ *cornua*, qui *fabri*, quis *murus igneus*, Quis *lapis ſtanneus* Zachariæ? *& duo filii olei? duæ ſpicæ olivarum juxta duo roſtra aurea, in quibus ſuffuſoria ex auro?* Quis Jobi *Leviathan?* Quis *Behemoth?* Et poſſunt alia ejuſmodi proferri millena ex Canticis, de *ferculo Salomonis ex lignis Libani, cujus columnæ argenteæ, reclinatorium aureum, aſcenſus purpureus, media charitate conſtrata. Corona* Sponſæ *de Capite Amana, de vertice Sanir, de cubilibus leonum, de montibus pardorum.* De *quadrigis Aminadab: equitatu in curribus Pharaonis.* De *acervo tritici*, de *cratere tornatili*, de *binnulo capreæ*, de *turre eburnea*, de *piſcinis Heſebon*, de *turre Libani reſpiciente Damaſcum*, de *purpura vincta canalibus*; & alia, quibus ſponſæ *venter*, *umbilicus*, *ubera*, *collum*, *oculi*, *naſus* & *coma capitis* comparantur. (11)

e *in Præfat. Comment.*

Neque etiam hanc veritatem aperte abnegant Heterodoxi: tametſi enim ſolito deblaterent Scripturam per ſe apertiſſimam & clariſſimam eſſe, ideoque, viliſſimis etiam quibuſque hominibus eam enucleandam ac dijudicandam permittant, nihilominus tamen dum concertandum eſt cum Adverſariis, aliter cantillant. Unde Lutherus ipſe cum Pſalmos Davidicos explicare ſuſcepiſſet, primo ſtatim initio, tam difficiles, tam obſcuros expertus eſt, ut publice fateretur, ſe ſuſcepto operi parem non eſſe: atque inter alia: *Nolim*, inquit, *ab illo id de me præſumi, quod nullus adhuc præſtare potuit* etiam *ſanctiſſimorum, id eſt Pſalterium in omnibus ſuo legitimo ſenſu intelligere & docere. Sat eſt aliquos* Pſalmos, *& eoſdem ex parte intellexiſſe. Multa ſibi reſervavit Spiritus ſanctus, quibus nos ſemper diſcipulos habeat: multa ſolum oſtendit, ut alliciat: multa tradit, ut afficiat.* Et infra: *Scio eſſe impudentiſſimæ temeritatis, eum qui audeat profiteri, unum Scripturæ librum a ſe in omnibus partibus intellectum.* At multo uberius & apertius iſtud alibi pronuntiat g *In ſcripturis*, ait, *vix ſcimus A, B, C, & adhuc non recte.* Et rurſum: h *Dei Verbum eſt inſcrutabile. Unicum ſa-*

f *Præfat. in Pſal.*

g *in Sympoſiac. cap.* 1. *fol.* 2.

h *fol.* 3.

(11) Facilius divinæ Scripturæ obſcuritatem percipere quiſque poterit ex quadruplici cauſa, materiali videlicet, formali, efficiente, & finali eſſe derivandam, ſi vel tantiſper ad finem, cujus gratia ſacra celantur myſteria in divinis Literis contenta, ad rerum, de quibus in Scriptura fit ſermo, excellentiam, & dignitatem; ad Deum, qui per Scripturas Sanctas loquitur nobis; ad formam tandem, methodumque dicendi in ſacris eloquiis obſervatam, animum ſuum convertere voluerit. Cauſæ finales jam ab Auctore noſtro ex SS. Patrum doctrinis propoſitæ ſunt. Materialis etiam, formaliſque cauſa ſatis a Fraſſeno ſub num. III. indigitantur; quis enim myſteria a Prophetis enunciata præſumat humana intelligentia perdiſcere? quis Pauli doctrinam de Prædeſtinatione, & gratia Dei, ſi eam tantæ ſublimitatis agnovit S. Hieronymus, ut in Epiſt. 10. ad Edilium, eam imperceptibilem prorſus ſine auxilio Spiritus Sancti prædicaverit? Plura ulterius Symbola ſunt, & Enigmata, quorum ſignificatio adhuc, poſt tantas Sanctorum Patrum Commentationes imperitia eſt. Animalia in Ezechiele recenſentur, & Apocalypſi Joannis, ut de iis, quæ in Cantico Canticorum leguntur, fileamus, quorum ſignificatio abdita ſemper extat. Si modo hiſce cauſam efficientem Scripturarum Sanctarum, Deum ſcilicet ſumme Sapientem, qui brevi ſermone plura ſignificare omnem ſenſum humanum exuberantia neſcius non eſt, adiunxerimus; unde Scripturarum obſcuritas ſit derivanda, peroptime quiſque dignoſcet. (W)

ſacræ Scripturæ verbum perſcrutari, & e profundo eruere, omnium ἀδυνάτων *eſt. Nego eruditos & Theologos, etſi vel maxime velint, id poſſe. Quia enim Spiritus ſancti verba ſunt, ideo ſupra hominis ſunt. Et qui recens in Chriſto geniti ſunt Chriſtiani, habent primitias, tantum, non decimas. Volui aliquoties Decalogum meditari, & quando illa prima verba:* EGO SUM DOMINUS DEUS TUUS, *cæpi hæſitare in pronomine illo primo,* EGO: *& hoc* EGO, *nondum recte poſſum intelligere.* Addit Joannes Aurifaber, Lutheri diſcipulus, qui hujus rei ocularis teſtis fuit, ipſum biduo ante mortem (ne etiam eo in tremendo judicii periculo ridicule jocari ceſſaret) ea quæ ſequuntur ſcripſiſſe manu. I. *Virgilium in Bucolicis nemo intelligere poteſt, niſi fuerit quinque annis Paſtor.* II. *Virgilium in Georgicis nemo poteſt intelligere, niſi quinque annis agricola.* III. *Ciceronem in Epiſtolis, nemo integre intelligit, niſi xx. annis ſit verſatus in Republica aliqua inſigni.* IV. *Scripturas ſanctas ſciat ſe nemo deguſtaſſe ſatis, niſi centum annis cum Prophetis, ut Helia & Eliſæo, Joanne Baptiſta, Chriſto & Apoſtolis Eccleſiam gubernarit.* Magiſtro ſubſcribunt Brentius, [a] Kemnitius, [b] Centuriatores, [c] & alii, præſertim Joſephus Scaliger, [d] Tot ac tanta (inquit pag. 28.) in ſcriptura ἄπορα occurrunt, quot & quanta, ne in omnibus quidem exoticæ hiſtoriæ Scriptoribus animadvertere eſt. Et confirmat alibi: [e] Unde & minime contemnendum non inelegantibus verſibus dat idem Scaliger monitum: [f]

Ne curioſus quære cauſas omnium,
Quæcunque libris vis Prophetarum indidit,
Afflata cælo, plena veraci Deo
Nec operta ſacri ſuppare ſilentii,
Irrumpere aude, ſed prudenter præteri
Neſcire velle, quæ Magiſter maximus
Docere non vult, erudita inſcitia eſt.

a *in ſua confeſſ. Wittemb. cap. de S. Script.*
b *in Exam. 4. ſeſſ. Trid.*
c *Cent. 1. lib. 2. cap. 4.*
d *in Pareæna Edit. Chronolog. Elencho 2.*
e *pag. 73.*
f *pag. 38.*

IV. Nihilominus tamen obiiciunt varios ipſius Scripturæ textus, quibus ea intellectu facilis, ejuſque genuinus ſenſus omnibus obvius declaratur, ſic Deuteron. XXX. v. 1. *Mandatum quod ego præcipio tibi hodie, non ſupra te eſt, neque procul poſitum, nec in cœlo ſitum, nec trans mare: ſed juxta te eſt ſermo valde in ore tuo, & in corde tuo.* Ubi juxta Phraſim Hebraicam, verba illa, *ſupra te & procul*, ſignificant rem difficilem, ac ſubinde eorum negatio, rei facilitatem oſtentat. II. Ipſa Scriptura ſacra ſeu Dei Verbum ſæpe vocatur [g] *Lux, lucerna, præceptum lucidum illuminans oculos.* [h] Lux autem obſcuritatem omnem atque tenebras abigit. III. Apoſtolus, cum hominum alios malos & reprobos, alios vero juſtos & prædeſtinatos dixiſſet, ſtatim adiicit; [i] *Quod ſi opertum eſt Evangelium noſtrum in iis qui pereunt eſt opertum, in quibus Deus hujus ſæculi excæcavit oculos Infidelium, ut non fulgeat eis illuminatio gloriæ Chriſti,* Igitur cenſet Apoſtolus Evangelium Fidelibus non opertum ſed apertum eſſe ac manifeſtum. IV. Denique ſi Scriptura eſſet ita intellectu difficilis, Chriſtus Dominus Judæos ſciſcitantes, utrum revera eſſet Meſſias, non relegaſſet ad Scripturæ lectionem, neque enim dubia ſolvuntur per æque dubia ac ignota; dixit autem eis; [k] *Scrutamini ſcripturas, quia vos putatis in ipſis vitam æternam habere, & illæ ſunt quæ teſtimonium perhibent de me.* Itaque Scriptura non eſt obſcura ſed manifeſta.

k *Joann. 5. v. 39.*

Verum iſta leviſſima ſunt, atque facili negotio diſſolvuntur. *Primum* quidem, in eo namque ſacro textu non agitur de ſenſu & intelligentia Scripturæ, ſed de divinorum præceptorum obſervantia, quam revera facilem, non quidem ſolis naturæ viribus, ſed gratia vegetatis ac roboratis Moſes affirmat, *Ad ſecundum dico*, Verbum quidem Dei lucidum eſſe, ac mentem noſtram cæleſti lumine perfundere, dum recte intelligitur; ſecus vero, cum perverſe. Porro eoſdem Scripturæ textus, perverſe ſimul ac recte poſſe a diverſis accipi, argumentum eſt ipſa de pleriſque ſacris textibus, Catholicorum & Heterodoxorum controverſia, cujus anſam præbent alii ejuſdem Scripturæ textus, qui eum de quo controvertitur, juxta cujuſque ſententiam, videntur explanare. Unde lux quidem ſeipſam prodit, nec tenebras patitur, niſi obvia ſint impedimenta, quæ lucis ad videntis oculos diffuſionem præpediant. Porro etiamſi Scriptura per ſe ſit lucida, nihilominus ſi ab erronea ſententia jam imbutis, interdum evolvatur, fieri non poteſt, ut ipſis non obſcura appareat, cum jam erroris caligine obtenebratam habeant mentem, nec poſſint genuinum illius textus ſenſum deprehendere, quo illorum error profligatur. Adde quod Scripturæ ſacræ obſcuritatem efficiant metaphoræ, locutiones figuratæ, & cætera omnia, ex quibus jam diximus difficilem ejus intelligentiam fieri.

Ad tertium dico Apoſtolum ibi de Scriptura ſacra non univerſim pronuntiare, ſed tantum de Chriſti per Evangelium manifeſtatione, quæ quidem credentes fidei lumine perfundit; incredulos vero, ſuis tenebris, offuſcatos abiicit. *Ad quartum dico* Chriſtum remittere, non ad ſimplicem Scripturæ lectionem, ut ſupra dicebat S. Chryſoſtomus, ſed ad inveſtigationem & ſeriam perſcrutationem, atque ita hoc ipſo indicat eam eſſe obſcuram, nec genuinum ejus ſenſum ex ipſa ſimplici lectione omnibus eſſe obvium.

Proferunt etiam aliquos e SS. Patribus qui Scripturæ ſacræ facilem intelligentiam declarant, ſic S. Auguſtinus; *Magnifice*, ait, *& ſalubriter Spiritus S. ita Scripturas modificavit, ut locis apertioribus, fami occurreret, obſcurioribus autem faſtidia detegeret; nihil enim fere de illis obſcuritatibus eruit, quod non planiſſime alibi dictum reperiatur.* Similiter S. Chryſoſtomus, [l] cum diviſſet Gentiles Philoſophos obſcure locutos eſſe: ſubjungit; *Apoſtoli vero & Prophe-*

g *Pſalm. 18. & 118.*
h *Proverb. 6. & 2. Petr. 1.*
i *2. Cor. 3.*
l *Homil. 3. de Lazar.*

phetæ omnino contra fecerunt, & quæ expoſuerunt, tradiderunt nobis veluti communes Orbis Doctores, ut per ſe quiſque diſcere poſſit ea quæ dicuntur ex ſola lectione. Accedit etiam S. Hieronymus, qui exponens illud Ezechielis: [a] *Porta hæc clauſa erit, &c.* Scribit: *Priuſquam Salvator humanum corpus aſſumeret, & humiliaret ſe, formam ſervi accipiens, clauſa erat Lex & Prophetæ, & omnis ſcientia Scripturarum: clauſus erat paradiſus. Poſtquam autem ille pependit in cruce, & locutus eſt ad Latronem, Hodie mecum eris in Paradiſo: Statim velum templi ſciſſum eſt, & aperta ſunt omnia; ablatoque velamine dicimus, nos autem revelata facie gloriam Domini contemplantes, transformamur a gloria in gloriam.* Itaque cenſent SS. Patres Scripturam non obſcuram eſſe, profundam, ac intellectu difficilem, ſed pellucidam, planam, & intelligentiæ facillimæ.

a *cap.* 44. *v.* 2.

Reſpondeo SS. illos Patres non denegare Scripturam ſacram plerumque eſſe perobſcuram, ut apparet ex ſupra laudatis eorum ſententiis, ſed innuere volunt vel ejus quorumdam textuum obſcuritatem non eſſe tantam, quin per alios textus pleniores poſſit removeri: Vel quod plana ſit ac perſpicua in præceptis & dogmatibus moralibus, quæ planiora ſunt nec obſcure propoſita, non vero de cæteris textibus in quibus myſteria & res ab humano uſu & ſenſu remotæ ſcribuntur: Vel denique eorum ſententia eſt, faciliorem eſſe Scripturæ intelligentiam poſt Incarnationem Chriſti, utpote, cum plurima Scripturarum vaticinia antea perobſcura, plana facta ſint ac evidentia, per eorum a Chriſto impletionem: venit enim Chriſtus Dominus non Legem ſolvere, ſed adimplere. Fateor itaque in Scriptura ſacra plurima eſſe plana & aperta, atque intellectu facilia, ex quibus interdum quæ obſcura ſunt percipiuntur & explicantur, ut præclare mox docebat S. Auguſtinus: [b] *Magnifice*, inquit, *& ſalubriter Spiritus S. ita Scripturas ſanctas modificavit, ut locis apertioribus fami occurreret, obſcurioribus autem faſtidia detergeret. Nihil enim fere de illis obſcuritatibus eruitur, quod non planiſſime dictum alibi reperiatur.* Et rurſum [c] *Modus autem*, ait, *dicendi, quo ſancta Scriptura contexitur, quam omnibus acceſſibilis, quamvis pauciſſimis penetrabilis: ea quæ aperta continet, quaſi amicus familiaris, ſine fuco, ad cor loquitur indocti, atque Doctorum: ea vero quæ in myſteriis occultat, nec ipſa eloquio ſuperbo erigit, quo non audeat accedere mens tardiuſcula & inerudita, quaſi pauper ad divitem; ſed invitat omnes humili ſermone, quos non ſolum manifeſtis paſcat, ſed etiam ſecreta exerceat veritate.*

b *lib.* 2. *de Doct. Chriſt. cap.* 6.

c *Epiſt.* 3. *ad Volusian. circ. fin.*

Inſtant Hæretici, fidei myſteria quæ in Scriptura ſacra proponuntur, ab omnibus Fidelibus credenda ſunt, quippe cum ad omnium ſalutem ſpectent. Igitur non involucris, aut difficilibus verborum ambagibus, ſed planis ac ſimplicibus verbis erant præſcribenda.

Reſpondeo, Myſteria fidei ad omnium ſalutem ſpectare, itaut ab omnibus ſuſcipi & firmiter teneri debeant, quantum ad eorum entitatem (ut loquuntur Theologi) Non vero quantum ad modum quo peracta ſunt, & Fidelibus ipſis nota fieri debent & diſpenſari. Quemadmodum enim ſacramenta, licet ad omnium ſalutem ſint inſtituta, eorum tamen adminiſtratio & diſpenſatio non ex æquo ad omnes pertinet, ſed ad Eccleſiæ miniſtros, qui ad id auctoritate donantur. Sic Verbum Dei, tametſi ad omnium ſalutem ſit neceſſarium: attamen ſalubriter non niſi per miniſtros diſpenſatur. *Accedit* quod ſicut inter ſacramenta quædam omnibus conveniunt; ut Baptiſmus, Euchariſtia, Pœnitentia, Confirmatio & Extrema-Unctio; alia vero quæ a quibuſdam tantum poſſint ſuſcipi, ut Ordo & Matrimonium; ita & in ſacris literis quædam ad omnes ſpectant, illæ potiſſimum quæ divina mandata ab omnibus ſervanda complectuntur: quædam vero quæ ad perfectionem & conſilia diriguntur; has autem ad omnium ſalutem ſpectare nemo dixerit, maxime cum non ab omnibus ſervari debeant, ſed ab iis duntaxat qui eis obſervandis ſe ſe liberrime devoverunt. Itaque verum non eſt Scripturam univerſim acceptam, ad omnium ſalutem ſpectare, quaſi omnibus aperta eſſe deberet & conſpicua.

Urgent inſuper, ſpondet Dominus per Iſaiam, [d] nec non & per S. Joannem, Erunt omnes docibiles Dei. Quamobrem idem S. Joannes [e] Fideles alloquens, ait: *Non neceſſe habetis, ut aliquis doceat vos; ſed ſicut unctio ejus docet vos de omnibus.* Dixerat antea, v. 20. *Vos unctionem habetis a ſancto & noſtis omnia.* Itaque Fideles non egent Doctore & Interprete Scripturarum.

d *cap.* 54.

e *Epiſt.* 1. *cap.* 2.

Reſpondeo, in aſſenſu fidei quem myſteriis in Scriptura propoſitis adhibere tenentur Fideles, duo eſſe diſtinguenda, alterum *interius*, quo homo ad credendum allicitur ac ſuadetur, propter internum Dei lumen & cæleſtem unctionem, quo fit, inquit Chriſtus Dominus Joannis VI. ut; *Omnis qui audivit a Patre & didicit venit ad me.* Alterum vero *exterius*, nempe propoſitio & explicatio eorum quæ fide tenenda ſunt, atque ea ratione credenda quæ ab Eccleſia proponuntur & explicantur. Primum Deus per ſeipſum largitur iis quos fidei dono illuſtrat, ſecundum vero per Eccleſiæ miniſtros maxime Paſtores & Doctores, quos, ait S. Paulus, [f] Ipſe dedit, *Ad conſummationem ſanctorum in opus miniſterii, in ædificationem corporis Chriſti.* De quibus dictum eſſe vult S. Auguſtinus, [g] Suſcipiant montes pacem populo, & colles juſtitiam. Quæ verba ſic exponit. Excellenti ſanctitate eminentes in Eccleſia, montes ſunt, qui idonei ſunt & alios docere; ſic loquendo ut fideliter inſtruantur, ſic vivendo ut ſalubriter imitentur. Colles autem ſunt illorum excellentiam ſua obedientia ſub-

f *ad Epheſ.* 4. *v.* 2.

g *in Pſal.* 70.

ſubſequentes. Priori modo Fideles ſunt *Docibiles Dei*, quia a ſolo divino Spiritu interius illuminantur: poſteriori vero, egent Paſtorum & Doctorum opera. (12)

CA-

(12) Aliæ plures ſolent ab Hæreticis cavillationes ultra ab Auctore noſtro recenſitas proponere, quæ tamen ex ſe cadunt, quia ejus eſt veritatis indoles, ut errorum tenebras per ſe diſpergat. Opponere itaque ſolent varia Scripturæ ipſius oracula, ut illud S. Petri Epiſt. 2. Cap. 1. ℣. 19. ubi Dei verbum ab Apoſtolo lucernæ in caliginoſo loco lucenti comparatur; ſi ergo verbis Scripturarum jubemur attendere quaſi lucernæ illuminanti, non poteſt quid obſcuritatis includere, quin vicem extinctæ lucernæ locum habeat. Inutilis omnino deinde eſſet Scriptura divina, quoties non eſſet cuicunque legenti apprime conſpicua, ſi etenim quæcunque in ipſa continentur, ad noſtram doctrinam ſcripta fuere, ut monet Apoſtolus Roman. 15. ℣. 4. quomodo per eamdem erudiemur, ſi imperceptibilia contineat? Quanam ulterius de cauſa verbum Dei ſcriptum obſcuritatis tenebris involutum ſupponunt Catholici Theologi? vel quia nimirum Spiritus Sanctus clariori non potuit locutione ſua nobis ſenſa proponere? vel quia noluit? Quis autem horum unum ſine piaculo dabit? ſi enim noluiſſe conceſſerit, jam Deum hominibus illudentem prædicabit, cum mentem ſuam per ſigna imperceptibilia eiſdem ſignificet, & inſimul velit, præcipiatque ut eamdem intelligant. Si vero alterum amplectatur, quaſi ſcilicet Dei Spiritus majori claritate ſe exprimere non potuerit; jam id hominibus Scripturam explicantibus conceditur poteſtatis, quod ore blaſphemo divino Spiritui non tribuitur.

Quis non miretur Lutheri, aliorumque Hæreticorum nænias? Quidnam obgarrire auderent ſi non lucernæ, ſed ſoli Sanctam Scripturam comparaſſet S. Petrus? Lucerna itaque ſcriptura eſt, ſed viæ ſtatu durante, in caligniſo loco ſplendores ſuos diffundit, proindeque non quaslibet tenebrarum umbras eliminare poteſt, quia per ſpeciem, & in ænigmate viatores quod ambulent neceſſe eſt. Ad Scripturam nihilominus jubemur attendere, ut veritatibus in ea propoſitis hæreamus firmiſſime, nec omni vento doctrinæ ſinamus nos circumduci; Hoc autem optime conſequi poſſumus, eſto in Scriptura obſcuritatem quamdam ſemper confiteamur. Quod ut intelligatur facilius animadvertamus oportet Scripturam poſſe duplici modo conſiderari, & quantum ad ſe totam videlicet; & quantum ad aliquas ſui partes, in quibus vel generalia quædam dogmata omnibus omnino adultis abſolute neceſſaria, vel præcepta generalia, & monita bene vivendi, aut denique hiſtorica quædam facta referuntur. Hæc ſiquidem clara ſunt & manifeſta, & veluti lucernæ in caliginoſo lucentes loco haberi poſſunt. Si tamen aliis ſenſus a literali diverſi, ſi pariter allegoriæ etiam in hiſtoricis factis a Scriptura narratis exquirantur, ſtatim pelagum immenſæ extenſionis ingredimur, humanam intelligentiam longe excedens; quod ut palam fiat, mente recolamus obviam, & naturalem hiſtoriam de duobus Abrahæ Filiis, quorum unum ex Ancilla, ex libera alterum ſuſcepit. Quis in hujuſcemodi narratione indicata fuiſſe duo Teſtamenta potuiſſet unquam excogitare, niſi Apoſtolus Paulus, qui arcana Dei verba conſpexit, nos edocuiſſet in Epiſt. ad Galat. Cap. 4. 22. ſi modo in aliorum etiam indagine myſteriorum progredi datum eſſet, quæ in Abrahæ Filiis ſignificabantur, quis quot, & quam mira fortaſſis in iis claudebantur, ſcire queat? Facilis ne, & omnibus obvia eſt Scriptura Sancta, ſi quantum ad ſe totam conſideretur? Minime certe. Nec tamen inutilis dici debet, cum ad noſtram doctrinam, & eruditionem, omnia quæ continet ſcripta ſint, ut optime ad Romanos ſcripſit Apoſtolus; ſed ad intelligentiam illius explicatio requiritur per Eccleſiæ Doctores, & Patres; labia quippe Sacerdotis cuſtodient ſcientiam, & legem requirent ex ore ejus, ſcriptum eſt Malachiæ 2. v. 7. Non ergo inutilis, quamvis obſcura Scripturæ lectio, cum nemini media congrua adhibere volenti utilem, & neceſſariam intelligentiam Scripturarum denegari videamus.

Ad alteram oppoſitionem reſpondetur potuiſſe quidem Dei Spiritum evidentiori modo Scripturarum myſteria proponere, ſed in ſtatu viæ expedire id minime judicavit, rerum quippe ordo hoc expoſcit ut per ſpeculum, & in ænigmate plura noſcantur, donec dies illa eluceſcat, in qua facie ad faciem Deum intueamur, qui finis eſt, & principium omnium, quæ in Scriptura ſunt aliquatenus adumbrata. Non omnes omnino fideles in Dei Eccleſia eſſe poſſunt Paſtores, non omnes Doctores, non omnes Prophetæ; ex ovibus, & Paſtoribus Chriſti grex componatur oportet, & in hac Æconomia Scriptura Divina quæ pabula continet vitæ ſpiritalis non omnibus tota in patulo eſſe poteſt, ut ex rei natura ſatis conſtat. His ſi adiungamus hominum mentes, cum limitatæ plurimum ſint, non poſſe abſque lumine extraordinario, & ſupernaturali plura, quæ in Scripturis habentur percipere, non a veritate longe aberrabimus; quis enim eo præſumptionis ſuperbæ deveniat ut Verbi, & Spiritus Sancti Divinitatem in ſubſtantiæ unitate cum Perſonarum diſtinctione ſibi promittat addiſcere? Quis ſapientiæ divinæ vias inveſtigabiles in ordine prædeſtinationis, & gratiæ? quis in unitate perſonæ duarum naturarum in Incarnatione divini Verbi unionem intelligat? quæ tamen omnia in Scripturis divinis enarrantur. Poſuit igitur Spiritus Sanctus generalia quædam principia credendi, & operandi omnibus neceſſaria, ſub intelligibilibus verbis; alia plura ſub abditis ſimilitudinum, & Ænigmatum clauſit, quia præſenti rerum ordini id erat neceſſe. (W)

CAPUT SEXTUM.

De sensibus Scripturæ sacræ.

SUMMARIUM.

I. *Qua ratione vox* sensus *a rebus corporeis ad intellectualia deflexa sit.*

II. *Duplex universim statuitur* Scripturæ sensus, *nimirum* literalis & spiritualis; *qui rursus in diversas species dispescuntur.* Literalis *namque alius est* proprius, *alius* metaphoricus.

III. *Definitur* sensus mysticus & spiritualis, & *illustratur.*

IV. *Tres in partes distribuitur, nimirum* Anagogicum, Tropologicum & Allegoricum.

V. *Cujus divisionis Auctor videtur S. Augustinus.*

VI. *Plures textus Scripturæ S. nullum habere* sensum literalem, *multi cum Origene affirmant.*

VII. *At verosimilior apparet opposita S. Augustini sententia.*

VIII. *Hic tamen* literalis sensus *non ubique plenus est & apertus.*

IX. Sensus spiritalis *aliquando præstat* literali, literalis *tamen nonnunquam* spiritali *anteponitur.*

X. *Utrum Scriptores sacri* sensum literalem *intendentes, etiam* Spiritalem *a Spiritu S. intentum, distincte semper intellexerint, non est adeo compertum.*

XI. *Qualis* sensus literalis *reperiatur in rebus metaphoricis.*

XII. Sensum mysticum *singulis Scripturæ textibus ineße, quidam non adeo recte cum Origene affirmant.*

XIII. *Periculosum enim est in omni Scripturæ textu* Mysticum *venari.*

XIV. *Plures* sensus literales *eidem Scripturæ textui ineße verosimilius est, quicquid in contrarium nonnulli Catholici & Heterodoxi opponant.*

XV. *Quid sentiendum sit de* sensu Accommodatitio, & *quæ ipsius utilitas.*

XVI. *Ex eo quidem elici potest argumentum ad mores informandos, non autem ad confirmanda fidei dogmata.*

XVII. *Summa cautione opus est, ut Scripturæ textus ad* allusiones *detorqueantur.*

XVIII. *Qua ratione* sensus literalis *secundum Tichonii regulas, in quolibet textu possit deprehendi.*

XIX. *Aliæ utiliores Regulæ ad literalem sensum investigandum colliguntur.*

§. I.

I. TAmetsi vox *sensus* ex primaria sua significatione denotet operationem facultatum corporearum, quam sensationem dicunt Philosophi; nihilominus tamen usurpata est ad mentis conceptum, sive sententiam repræsentandam, qua ratione eam accipit Sapiens [a], cum ait [b]: *Terrena inhabitatio deprimit* SENSUM *multa cogitantem.* Nec non & S. Lucas: *Aperuit illis* SENSUM *ut intelligerent Scripturas.* Hinc factum est, ut etiam traduceretur ad exprimendam animi sententiam, quam Auctores, vel sacri, vel profani, suis in libris consignarant. Sic Cicero [c]: *Quod autem*, inquit, *erat sensu comprehensum, idipsum* SENSUM *appellabant.* Et Quintilianus [d]: *Sententiam Veteres, quod animo sensissent, vocaverunt... Non raro tamen & sic locuti sunt, ut* SENSA SUA *dicerent: nam sensus corporis videbantur. Sed consuetudo jam tenuit, ut mente concepta* SENSUS *vocaremus: lumina autem, præcipueque in clausulis posita,* SENTENTIAS. Qua in significatione scripsit Sapiens cap. VIII. *Optavi & datus est mihi* SENSUS; i. e. divinorum intelligentia. *Similiter* Ecclesiasticus cap. XVII. v. 6. de primis parentibus scribit: *Creavit illis scientiam spiritus, &* SENSU *implevit cor illorum.* Et Apostolus I. Cor. II. *Nos* SENSUM *Christi habemus.* Unde jam apud omnes usus invaluit, ut vox *sensus* genuinam alicujus dicti vel scripti intelligentiam denotaret (13).

[a] *Cap. 9.*
[b] *Cap. ult.*
[c] *in Academic. quæst. lib. 1.*
[d] *lib. 8. cap. 5.*

Juxta

(13) Sensus divinæ Scripturæ generatim sumptus definiri posse videtur ex communi Doctorum sententia = Veritas, sive sententia, per verba Sacra literis consignata ex intentione Spiritus Sancti immediate, vel mediate significata = Hæc utique definitio, quam in *Tract. 3. quæst. 2. art. 1. suarum institutionum* proposuit Vir Clarissimus Joseph Maria de Turre rejici non posse videtur, cum rei definitæ naturam apprime significet, & exponat. Certum profecto est nullam in Scripturis Sanctis propositionem adinveniri, in qua veritas a Spiritu Sancto dictante non fuerit intenta; quamvis hujuscemodi veritas homines latere possit, & alium diversum sensum in Scripturæ verbis, ab eo, quem Spiritus Sanctus intendebat ab iisdem supponi queat. Sensus autem Divini Spiritus aliquando immediate, mediate quandoquidem significatur per verba; cum enim ea sit supremi Numinis in manifestandis suæ divinæ mentis conceptibus hominibus, ut non solum per voces, sed per res etiam vocibus importatas eosdem revelare queat; hinc immediate propositionum divinæ Scripturæ veritas dicitur patefieri, dum per voces, seu locutionem immediate proponitur; mediate autem cum ipsamet veritas non a vocibus, sed a rebus per voces indicatas significatur. De his Auctor noster sub num. II., & III. satis agit. (W)

Juxta quam acceptionem reſolvendum occurrit, *quotuplex, quid & qualis ſit Scripturæ ſacræ* SENSUS.

II. Communis jam eſt Doctorum & Interpretum ſententia, duplicem univerſim eſſe Scripturæ ſenſum, *Literalem* videlicet, & *Spiritualem*: qui rurſus varias in claſſes diſtribuuntur; *Literalis* namque, alius dicitur *proprius*, alius *metaphoricus*: *proprius* eſt, cum res ſignificantur per voces, juxta conſuetam earum ſignificandi vim, & primariam hominum inſtitutionem: *Metaphoricus* vero cum voces traducuntur ad ſignificandum aliquid præter propriam earum inſtitutionem & ſignificationem. Sic Chriſtus Dominus dicitur metaphorice, *Vitis*, *Agnus*, *Leo*, *Petra*, *&c.* nec enim *ſenſus literalis* eſt tantum, quem verba quoquomodo exprimunt, ſed quem verba ſive propria, ſive tropica exprimunt proxime & immediate ex intentione dicentis. In omni namque ſermone & oratione dicitur is eſſe *ſenſus literalis*, quem voces, vel ſecundum primam impoſitionem proprie, vel ſecundum orationis contextum, improprie ſive tropice ſignificant.

III. *Senſus vero Myſticus* ſeu *Spiritualis*, is eſt qui per verba remote ac mediate ſignificatur; proxime vero per res ipſas quas propinque & immediate ſignificant. Neque enim tantum vocibus, ſed etiam interdum rebus ipſis ad alias res indicandas utitur Spiritus S. ut apparet ex variis Parabolis, quas tum Prophetæ, tum ipſemet Chriſtus Dominus frequenter uſurpant, ad declarandum, aut aperte aut obſcure, quæ mente conceperant: unde proprie *ſenſus Myſticus* eſt qui non tam ſignificatur per verba, quam per res verbis deſignatas; ſive qui mediate tantum reſultat ex intentione dicentis; & ad myſterium aliquod declarandum ſecundario demum & mediante alio refertur. Cujus rei illuſtrandæ applicari poteſt exemplum quod extat I. Reg. XX. 36. de Jonatha ſagittas tres ejaculante, & Armigerum ſuum alloquente, ut ſagittas illas tolleret: quemadmodum enim hoc facto duo deſignabat, unum quod loquebatur, aliud quod intendebat; illud reſpectu Armigeri, iſtud reſpectu Davidis: ut videlicet per hoc ſignum, ei notum faceret ſalutem eſſe fuga quærendam. Sic Spiritus S. Scriptorem ſacrum velut Amanuenſem ſuum dirigens, duo ſæpe intendit, unum *ad literam*, alterum *myſtice*; unum *in typo*, alterum *in Antitypo*.

Ut vero, inquit Fredericus Spanhemius [a], Jonathas minus principaliter ſagittarum collectionem intendebat, magis principaliter autem id quod ſignificatum volebat Davidi, etſi quoad literam de ſagittis potius, quam de alia re loqui videretur: ſic pari ratione, etſi ſæpe quoad literam de hac vel illa re tantum loquutus videatur Spiritus S. tamen aliud quid etiam ſimul intendere potuit, & primaria quidem intentione, etſi id obſcurum ſæpe fuerit Patribus & Prophetis veteris Teſtamenti, ut hoc loco; tum quia innuebatur res futura, tum quia ejuſmodi verbis enarrabatur, quæ alio poterant referri. Ut ergo Armiger quidem de mente Jonathanis non edoctus, alteram verborum ſignificationem haudquaquam intellexit; David vero optime illam aſſequutus eſt: ſic dubio procul ſacri Evangeliſtæ & Apoſtoli, pleniori Sancti Spiritus lumine perfuſi, ipſius mentem forte ignotam Prophetis, & myſterium ſub literæ cortice abſconditum intellexerunt, & *ſpiritualem ſenſum* ſub *literali* latentem, diſtincte expreſſerunt.

IV. Hic autem *ſpiritualis* & *Myſticus*, qui, ait Philo Judæus [b], in *hiſtorico* & *literali*, velut anima in corpore continetur; Triplex jam diſtinguitur. I. *Allegoricus*, cum nimirum hiſtoria veteris Teſtamenti aliquid ſignificat gerendum in Novo, v. g. Exaltatio Serpentis a Moſe, quæ deſignabat Chriſtum in Cruce exaltandum. II. *Tropologicus* ſeu *Moralis*; cum ex hiſtoria veteris Paginæ, ad componendos noſtros mores provocamur. III. *Anagogicus*, ſeu *ſurſum evehens*; cum v. g. futuræ vitæ beatitudo, per introitum in terram promiſſionis deſignatur. Hi omnes ſenſus, ut docet Caſſianus [c], unica voce *Jeruſalem* manifeſti fiunt; *Eadem enim Jeruſalem*, inquit, *quadrifariam poteſt intelligi: ſecundum* HISTORIAM, *civitas eſt Judæorum; ſecundum* ALLEGORIAM, *Eccleſia Chriſti; ſecundum* ANAGOGEN, *civitas illa cœleſtis, quæ eſt mater omnium noſtrum; ſecundum* TROPOLOGIAM, *anima hominis, quæ frequenter cum homine, aut increpatur aut laudatur a Domino. De his quatuor interpretationum generibus, beatus Apoſtolus ita dicit; Nunc autem, Fratres, ſi venero ad vos linguis loquens; quid vobis prodero, niſi vobis loquar, aut in* REVELATIONE, *aut in* SCIENTIA, *aut in* PROPHETIA, *aut in* DOCTRINA. Subiicit poſtea revelationem *Allegorico ſenſui*, ſcientiam *Tropologico*, Prophetiam *Anagogico*, doctrinam autem *Hiſtorico*.

Adiicit Salmeron [d], in eodem quoque hoc Pauli contextu [e]: *Abraham duos filios habuit, unum de Ancilla, & unum de libera*, quatuor illos ſenſus deprehendi; *Literalem* quidem in illa facti recenſione: *Allegoricum* vero cum ſubdit: *Quæ ſunt per* ALLEGORIAM *dicta; hæc enim ſunt duo Teſtamenta*, &c. *Tropologicum* autem cum ſubjungit: *Sed quomodo tunc is qui ſecundum carnem natus fuerat, perſequebatur eum qui ſecundum Spiritum, ita & nunc.* Inſuper *Moralem*, dum colligit: *Non ſimus concupiſcentes malorum, ſicut & illi concupierunt.* Poſtremo *Anagogicum* cum ſubiicit; *Illa autem quæ ſurſum eſt Jeruſalem libera eſt, quæ eſt mater noſtra.* Quos omnes ſenſus his duobus verſibus complexus eſt Lyranus noſter:

LITERA *geſta docet: quid credas*, ALLEGORIA.
MORALIS *quid agas: quid ſperes* ANAGOGIA.

[a] *in Dubiis Evang.* 66. *&c.*

[b] *in libro de Eſſæis.*

[c] *Collat.* 14. *cap.* 8.

[d] *Prolog.* 7.

[e] *ad Galat.* IV.

Hos

Hos verſus alii fuſius & ſignificantius expreſſerunt, his quatuor ſequentibus:

Dicitur HISTORICUS, *quem verba expreſſa deſignant:*

Et ALLEGORICUS, *priſcis qui ludit in umbris:*

MORALIS, *per quem vivendi norma tenetur:*

Quid vero ſperes, ANAGOGICUS *altius effert.*

V. Hic vero quadruplex Myſticus & Spiritualis Scripturæ ſenſus, primum videtur diſtinctus a S. Auguſtino [a], dum ſcripſit ſuper Geneſim ad literam: *In libris omnibus ſacris intueri oportet, quæ ibi æterna intimentur, quæ facta narrentur, quæ futura prænuntientur, quæ agenda præcipiantur, vel moneantur*, hoc eſt ANAGOGICUM, HISTORICUM, ALLEGORICUM & MORALEM. Primus, inquam, iſtam Myſtici ſenſus diſtributionem approbaſſe videtur S. Auguſtinus; qui enim eum anteceſſerunt Doctores ſacri, tot S. Scripturæ ſenſus non videntur agnoviſſe. Nam S. Dionyſius, [b] & Origenes [c], duplicem tantum Scripturæ ſenſum diſtinguunt, *Literalem* videlicet & *Spiritualem*. Quibus omnes pene Veteres ſubſcribunt. [d] Origenes tamen quatuor alios Scripturæ ſenſus inſinuat, quos totidem Mundi partibus aſſimilat „: Divina ſiquidem Scriptura, inquit, Mundus quidam „ eſt intelligibilis, ſuis quatuor partibus veluti, quatuor elementis conſtitutus, cujus „ terra eſt veluti in medio imoque inſtar „ centri Hiſtoria: circa quam aquarum ſimilitudine abyſſus circumfunditur Moralis intelligentiæ, quæ a Græcis Ethica „ ſolet appellari, circa quas, Hiſtoriam „ dico & Ethicam, veluti duas præfati „ Mundi inferiores partes, aere ille naturalis circumvolvitur. Quam naturalem „ dico ſcientiam, Græci vocant *Phyſicam*. „ Extra autem omnia & ultra, æthereus „ ille igneus ardor Empyrei cœli, hoc eſt „ ſupernæ contemplationis divinæ naturæ, „ quam Græci *Theologiam* nominant, circumglobatur, ultra quam nullus ingreditur intellectus „. Sanctus vero Cyrillus [e], tres ſenſus conſtituit, *Hiſtoricum*, *Moralem* & *Myſticum*. Cui conſentiunt S. Gregorius [f] & Hieronymus [g] exponens illud Oſeæ: *Ego dabo vobis ſluporem*. Diſtinctius vero Epiſtola ad Hedibiam [h]: *Triplex*, inquit, *in corde noſtro deſcriptio & regula Scripturarum eſt.* PRIMA; *ut intelligamus eas juxta Hiſtoriam:* SECUNDA, *juxta Tropologiam:* TERTIA, *juxta Intelligentiam ſpiritualem. In Hiſtoria, eorum quæ ſcripta ſunt, ordo ſervatur. In Tropologia, de litera ad majora conſurgimus; & quidquid in priori populo carnaliter factum eſt, juxta Moralem, interpretamur locum, & ad animæ noſtræ emolumenta convertimus. In Spirituali ſupla, ad ſublimiora tranſimus; terrena dimittimus, de futurorum beatitudine, & cœleſtibus diſputamus, ut præſentis vitæ meditatio, umbra futuræ beatitudinis ſit.* Illa tamen S. Auguſtini quadruplex ſenſus ſpiritualis partitio, ab omnibus pene Doctoribus & Scriptoribus Catholicis probatur.

Nec eſt quod hic effutiant Rhetores & Grammaticuli, *Allegoriam* eſſe ſpeciem Tropi, ſubindeque non recte diſtribui Scripturæ ſenſum in *Tropologicum* & *Allegoricum*. Hanc enim argutationem diſſolvit S. Auguſtinus [i], dicens *Allegoriam* eſſe *duplicem*, nempe *Allegoriam hiſtoriæ*, ſeu facti: & *Allegoriam ſermonis*, ſeu ſacramenti. Priori modo Allegoria communis eſt ſacris & Prophanis Scriptoribus: poſteriori vero tantum ſacris Literis eſt propria.

His opponunt nonnulli Heterodoxi unicum duntaxat eſſe in Scriptura ſacra *ſenſum*, nempe *literalem*. At negari nequit illum eſſe genuinum Scripturæ ſenſum quem Spiritus S. ejus Auctor proponit, & quem Scriptores θεόπνευστοι declarant, ſed præter ſenſum literalem Myſticus a Spiritu S. & Amanuenſibus ejus frequentiſſime proponitur in novo Teſtamento, v. g. in exemplo de non comminuendis oſſibus Agni Paſchalis, in verbis, *Ero ei in Patrem & erit mihi in Filium;* in *Melchiſedecho;* in *uxoribus Abrahæ;* in *æneo Serpente*, in *conjunctionibus Adami & Evæ;* in *Jona*, *mari rubro; manna; ſacrificiis* & ritibus veteris Legis. Duplex ergo ibi ſenſus intentus a Spiritu S. Litteralis in typo, & myſticus in antitypo.

Urgebit forſan aliquis, utrumque *ſenſum* eis in locis videri *literalem*, ut enim, v. g. literaliter non comminuta fuere oſſa Agni Paſchalis, ſic nec Chriſti.

Reſpondeo de verbis non eſſe litigandum, modo conſtet de re. Interim vero inſtantia peccat elencho malæ definitionis; neque enim, ut diximus, ſenſus literalis eſt, quem verba quoquomodo exprimunt, ſed quem verba ſive propria, ſive tropica exprimunt *proxime & immediate ex intentione dicentis*, quæ neceſſario attendenda, ne in locutionibus tropicis hæreatur rudis verbis. Sic *ſenſus myſticus* eſt, qui non tam ſignificatur per verba, quam per res verbis deſignatas, ſive qui *mediate* tantum reſultat ex intentione dicentis, & ad myſterium aliquod declarandum, ſecundario demum & mediate alio refertur. Unde liquet prohibitionem illam de non comminuendis oſſibus Agni, *ſenſu literali* de Agno Paſchali, *in Myſtico* vero de Meſſia intelligendam eſſe. Sic vero explicato *ſenſu* utroque, cum *literali*, tum *myſtico*, neuter a Theologis Orthodoxis reiicitur, etiam fatente Frederico Spanhemio. Tametſi enim, ait, quidam unum tantum & ſimplicem locorum Scripturæ ſenſum agnoſcant, tamen id urgent tantum in locis illis ubi Spiritus S. nullum myſterium nobis inveſtigandum proponit. *Adde*, illos ipſos, qui unum tantum

[a] *lib. 1. cap. 1.*

[b] *lib. de Cæleſt. Hierarch. cap. 2.*

[c] *lib. 4. Periarchon. cap. 2.*

[d] *Homil. 2. in diverſ.*

[e] *lib. 5. in Levit. Comment. 1.*

[f] *lib. 16. Moral. cap. 10.*

[g] *lib. 2. in Oſeam cap. 4.*

[h] *Epiſt. 150. quæſt. 12.*

[i] *lib. de vera Relig. cap. 50.*

ſenſum urgent, fateri illum quandoque eſſe *compoſitum*, & referendum partim ad typum, partim ad Antitypum, quod eodem recidit cum ſenſu duplici, *literali* & *myſtico*, quamvis diverſum quid docere videantur. (14)

§. II.

Si Scripturam Divinam, multiplicem pati ſenſum, vel intelligentiam concedamus, jam hominum mentibus non ſplendidiſſimæ veritatis lucem, ut illuminentur, ſed confuſionem, tenebras, atque caliginem offundat neceſſe erit; quis enim quid ſibi Deus velit per illa ſua verba dignoſcet, ſi variis modis eadem intelligi queant? Quidnam diſcriminis inter æquivoca Sathanæ oracula varios ſenſus implicantia, & divinarum Scripturarum verba intercedet, ſi & hæc ipſa multimode poſſint exponi, & intelligi? Ne igitur in Dei verbum ſimus iniurii, unicum in eoſdem ſenſum admittamus oportet.

Ad hujuſcemodi argumenta, quæ ab Auctore noſtro etiam indicantur ſub num. XIV. hujus Capitis, quamvis de ſolis Literalibus ſenſibus ipſe loquatur, reſpondemus: & ad primum quod attinet, dicimus cum S. Thoma 1. p. q. 1. art. 10. ad 1 quod = multiplicitas ſenſuum in Scriptura Divina non facit „ æquivocationem, aut aliam ſpeciem multiplici- „ tatis, quia præfati ſenſus non multiplicantur pro- „ pter hoc, quod una vox multa ſignificet, ſed „ quia ipſæ res ſignificatæ per voces, aliarum re- „ rum poſſunt eſſe ſigna, & ita nulla confuſio ſe- „ quitur in Sacra Scriptura, cum omnes ſenſus „ fundentur ſuper unum ſenſum literalem. Facillime propterea quid ſibi Deus vult per ſua verba, unuſquiſque dignoſcet, ſi de iis, quæ ad ſalutem neceſſaria ſunt, ſermonem faciamus; reliqua autem Eccleſiæ Magiſtris, & Doctoribus ſcrutanda relinquit; quos, dum opus ſit, ſua gratia illuminat, atque perfundit, ne Eccleſiæ ſuæ opportuna divinarum Scripturarum deſit intelligentia; Chriſtus etenim promiſit ſe permanſurum cum Eccleſiæ Paſtoribus uſque ad ſæculi conſummationem, ne in fidei, & morum intelligendis veritatibus in Scriptura contentis decipiantur.

Mirum profecto eſt non erubuiſſe Adverſarios infandam inſtituere comparationem inter Dei obloquentis oracula, in quibus nulla vocum æquivocatio, nulla perplexitas, confuſio nulla, ſed ſumma, certiſſimaque ſemper veritas continetur, quamquam non omnibus perſpecta, cum æquivocis, amphibologiarum ambagibus implexis Sathanæ reſponſis, in quibus nulla determinata veritas continebatur, ſed ad diverſos, qui poterant effectus contingere, applicari poterant; nullum ex Sathanæ oraculis determinatum mentis conceptum poterant audientes ſibi confingere, quod profecto auditis, attentiſque Scripturis id minime evenit, cum ſemper ex ipſis aliqua determinata veritas percipiatur.

Contra noſtram, & S. Thomæ reſponſionem inſtare poſſe videntur Adverſarii hoc pacto: Reſponſiones propoſitæ implicatiorem difficultatem efficiunt; In hoc enim argumenti ſolutio ex S. Thoma videtur conſiſtere, quod ſenſuum multiplicitas in Scripturis non ex vocum ſignificatione æquivoca, ſed ex vi ſignificandi, quam res ipſæ per voces indicatæ in ſe continet, oriatur; ſed hoc ſemel dato ita incerti, æquivoci, atque perplexi Scripturæ divinæ ſenſus redduntur, ut ſub omnimoda incertitudine magis quam oraculorum Sathanæ ſenſus conſtituantur; igitur &c. Quis revera neſcire poteſt innumeras in re qualibet per vocem importata ſignificationes adinveniri, ob diverſas proprietates, & attributa, cuilibet rei convenientia? ponamus rem v. g per hanc vocem *Leo* importatam: animal ſtatim robuſtum, magnanimum, iracundum, rapidum, ſanguineum, inſanum, furens menti noſtræ obverſatur; hinc ſi ponamus vocem iſtam *Leo* in Scripturis, atque ſenſum non a voce ipſa ſed a re velimus exquirere, poterit ſignificari Chriſtus, diabolus, peccatum, vir eroicus, Tyrannus, Homicida, inſanus &c. Majores ergo æquivocationes, & amphibologiæ in Scripturis Sanctis invenientur, ſi alios ſenſus ultra literalem in eiſdem admitti, atque a Spiritu Sancto eoſdem intendi potuiſſe concedamus, quam inveniri in Sathanæ oraculis potuerint. Quis itaque lecta voce *Leo* in ſcriptura poterit unquam quid per eam ſibi voluerit Spiritus Sanctus certo cognoſcere, ſi quidquid

per

(14) Ethnicorum, Apoſtatarum, & Hæreticorum caterva, cui Eraſmum adjungimus in præſenti controverſia de variis Scripturæ divinæ ſenſibus, eo protendit omni fermè ætate, ut unicum literalem, ut ajunt in Sacris Literis ſenſum, cæteris quibuslibet rejectis, propugnarent. Hac de cauſa Porphyrius Origenem objurgabat, ut tradit Euſebius Lib. 3. Cap. 7. quod Scripturas Sanctas per Myſteriorum allegorias eſſet interpretatus. Saubrandus Cap. 10. Witakerus quæſt. 5. Cap. 2. unicum in Scriptura ſenſum agnoſcunt, quamvis varie accomodari queat, & ex eo varia colligi poſſint. Lutherus in Pſal. 22. Rullus diſput. 5. de verbo Dei Cap. 277. *Scholaſticorum figmentum* appellant eam de quadruplici Scripturarum ſenſu opinionem. Bartholomæus Kelermannus in 1. Syſtemat. Theolog Cap. 9 *primum Pontificiorum errorem* appellat *plures in Scriptura Sacra ſenſus admittere*. Eraſmus denique in Præfat. paraph. ad Imperatorem ſcribit = Veteres Eccleſiæ Doctores in allegoriis partim variant, partim ſic agunt, ut mihi ludere videantur =. Studium Sanctorum Patrum deinde in explicandis myſticis Scripturarum ſenſibus vocat *otioſorum hominum ludum*.

Impii tamen, perverſique homines iſti volentes, nolentes, alium a literæ ſenſu diverſum in Scripturis Sacris compelluntur cognoſcere eo ipſo, quo Deum Scripturæ Sanctæ Auctorem, & nullo modo per ſe, aut per alium mentiri poſſe fateantur; vel ſi nolint veram Dei ideam Ens perfectiſſimum exhibentem prorſus invertere. Quoties enim literæ ſenſum cavere compellimur in Scriptura, ne erroribus jam diu proſcriptis implicemur? Manibus, oculis, pedibus, hominum affectibus, Deum ipſum quam ſæpe in Sacris Literis præditum legimus! Hæc autem omnia Enti perfectiſſimo ex intrinſeco prorſus repugnant, cum ſtatim mutabilem, limitibus circumſcriptam, non omnia ſcientem, ſi Scripturæ literam teneamus, confiteri oporteret. Omittimus interim allegoricos ſenſus ab Apoſtolo Paulo, & ipſomet Jeſu Salvatore explicatos; Hiſtoria etenim Filiorum Abrahæ duo Teſtamenta ſignificavit ex Apoſtolo ad Galat. 4. Quod legitur Deuteronomii 25. =Non ligabis os bovis triturantis = exponitur a S. Paulo in 1. Chorinth. 9. de Prædicatoribus Evangelii, quibus neceſſaria naturæ deneganda non ſunt. In ſerpente æneo a Moſe exaltato num. 21. Chriſtus Dominus ſuam in Cruce exaltationem fuiſſe adumbratam exponit Joannis 3. ℣. 14. Jonæ pariter commoratio in ventre Cæti per tres dies, & todidem noctes, manſionem filii hominis in corde terræ indicavit, quemadmodum Chriſtus Matth. 12. ℣. 40. declaravit. Quid ergo clamitant veritatis inimici adverſus Catholicos plures in Scripturis Sanctis ſenſus admittentes?

Sanctorum cujuſque Sæculi Patrum auctoritates referre in noſtræ Catholicæ aſſertionis confirmationem, opportunum non arbitramur, cum in eoſdem invexerint Hetherodoxi, ob Myſticas, quas laborarunt Scripturæ divinæ expoſitiones. Legantur, ſi lubet, S. Irenæus Lib. 2. Cap. 46., Clemens Alexandrinus Stromat. Lib. 5. Origenes Homil. 7. in Iſaiam, Gregorius Nyſſenus, Chryſoſtomus, Hieronymus, Auguſtinus, Gregorius Magnus, Eucherius, Bernardus, Thomas Aquinas, apud quos innumeris in locis hanc veritatem quiſque poterit invenire.

Adverſus communem Catholicorum ſententiam variis argumentis inſurgunt Hætherodoxi, & ex Catholicis etiam Toſtatus quæſt. 57. in Cap. 2. Matth. nec non quæſt. 28. in ejuſdem Evangeliſtæ Caput 13. contendens ſenſum ſpiritalem utiliter quidem a Sacris Doctoribus eſſe excogitatum, minime tamen ut ſacrum, & divinum, atque a Spiritu Sancto intentum, eſſe rejiciendum. In hoc ergo uno ab Hæreticis iſte recedit; quod illi ſenſus myſticos veluti inutiles rejiciunt, atque contemnunt, Abulenſis autem utiles, & laudabiles, quamvis ab hominibus invectos exiſtimat. Audiamus itaque præcipua eorum, quæ in nos inſtitui poſſunt, argumenta.

§. II.

Utrum sensus litteralis in quolibet Scripturæ textu inveniatur.

VI. ANxie hic disputant sacri Interpretes, utrum in omnibus Scripturæ textibus occurrat *sensus literalis*.

Negat Origenes [a], asserens: *In Scripturis divinis, non semper Historialem consequentiam stare posse, sed nonnunquam deficere, ut cum dicitur*, SPINÆ NASCENTUR IN MANU EBRIOSI, &c. Ubi per *historialem consequentiam* aperte intelligit *sensum literalem*, quem etiam plerique Patres *historicum* appellarunt, communem & generica rationem sensus speciei particulari attribuentes; omnis enim historia est sensus literalis, non contra. *Similiter* S. Ambrosius [b]: *Si intellectus*, inquit, *simplicis formæ compugnat, Spiritualem quæramus figuram.*

[a] *homil. 2. in Genes.*

[b] *lib. 5. in Luc.*

per illud animal significari potest intendisse etiam Dei Spiritum non repugnat? unicum ergo tantummodo literæ sensum a Deo potuisse intendi concedamus oportet; alios autem esse hominum figmenta Scripturis Sanctis applicata. His omnibus alterum adjungimus inconveniens ex Catholicorum sententia necessario descendens, Si diversos a literali sensus intendi a Spiritu Sancto potuisse concedatur, jam nullum ex Prophetarum oraculis, etiam de Messia enunciatis adimpletum adhuc esse demonstrari potest; quis enim divinabitur an sensus a Catholicis applicati Scripturæ verbis, quibus demonstrare nituntur adversus Judæos Christum jam venisse, sint revera sensus a Dei spiritu intenti, dum oracula Sacris Scriptoribus dictitabat? quot alia objecta a Christo diversa, si mysticos sensus in Prophetis exquiramus significari possunt? Quam facile Judæi Catholicorum eludent argumenta, si eisdem ad mysticos, & spiritales sensus Scripturam Sanctam aliquando perducere liceat? Facillime hujuscemodi argumentorum lemures evanescere conspicientur, si eisdem Angelici præceptoris, & Sancti Augustini doctrinæ lumen objiciamus. Scribit itaque S. Thomas loco jam superius citato hæc verba = Nulla confusio sequitur in Sacra Scriptura (ex sensuum multiplicitate) cum omnes sensus fundentur super unum, scilicet literalem, ex quo solo potest trahi argumentum, non autem ex his, quæ secundum allegoriam dicuntur, ut dicit Augustinus in Epistola contra Vincentium Donatistam. Non tamen ex loco aliquid deperit Sacræ Scripturæ, quia nihil sub spirituali sensu continetur fidei necessarium, quod Scriptura per literalem sensum alicubi manifeste non tradat = Quæ ergo Fidei, & morum doctrinam respiciunt clare in sensu literali juxta S. Thomam continentur, nequaquam propterea decipi homines poterunt eorum respectu, quæ necessario scire tenentur; alia autem mysteria, quæ immutabilem veritatem dubio procul includunt, atque per figuras, & allegorias in Scripturis occlusa sunt non cuilibet datum est noscere, sed cui Deus voluerit revelare; quis dixerit in Ezechielis visione, quæ Capite ejus primo describitur, profunda quidem, sed verissima pariter non esse signata mysteria? Quis verissima non esse indicata objecta, occulta siquidem adhuc, in Apocalypsi Joannis, per septem candelabra, per Seniores viginti quatuor, per librum signatum sigillis septem, per equum album, & per alias hujuscemodi figuras, quæ sensum literalem prorsus effugiunt adfirmare præsumpserit? Nullus certe, qui de Verbo Dei Scripto Catholice sentiat. Aliud est ergo Mysticos, & spiritales Scripturæ sensus non intelligere, aliud quod in Sacris literis non reperiantur, & quidem sub veritate determinata, quam Spiritus Sanctus intendebat, licet occulta respectu nostri. Falsum pariter est, quod idem Scripturæ verbum, Christo, & Diabolo, justo, & impio possit, si cum aliis ejusdem sententiæ, aut integræ locutionis verbis junctum considereturapplicari; quodlibet autem integræ propositionis, aut sententiæ verbum cum ab aliis sejunctum est diversis objectis tribui posse non ambigimus, sicut nomen *ignis* potest verum ignem, ignem amoris, ignem febris, & ignem iracundiæ denotare, modo adjunctum aliquod eidem concedatur, per quod ad varias significationes determinetur; postquam autem ad unam *ex adjunctis* significationem limitatur, in ipsa locutione alteram significationem exprimere nequaquam poterit; ita est in Scripturis Sanctis vox *Leo*, aut quælibet alia similis; dum *ex adjunctis* ab ipsa Christum significari cognoscimus, nequaquam in eadem locutione, quomodocunque figurata ad Diabolum significandum protrahetur. Hujus generis Sathanæ oracula nequaquam fuerunt; ad nullum quippe conceptum determinatum, sive quoad se, sive quoad homines, qui contingere poterant, ob multiplicem propositionis sensum ex æquivoca terminorum dispositione provenientem, applicabantur. Videant ergo facillime posse ab hominibus divinarum Literarum peritis cujuslibet vocis sensum a Spiritu Dei intentum, in iis, quæ necessaria sunt ad salutem, ex ejusdem vocis *adjunctis* comprehendi, eum non ex unica voce, sed ex integritate sententiæ, vel propositionis scripturarum legitimus sensus sit auspicandus. Alterum vero inconveniens nobis oppositum, quod scilicet incerti erimus de quarumcumque prophetiarum complemento, nullius omnino roboris est, eo quod posita S. Thomæ regula jam superius enarrata, = nil scilicet ad fidem necessarium sub spiritali sensu contineri, quod alibi in scriptura per sensum literalem manifestius non explicetur = jam quidquid de Christi adventu credenda a fidelibus sunt, quæque a Prophetis præfigurata erant, atque prædicta satis in Evangelio sunt per sensum literalem ipsius explicata, atque firmata. Judæos autem facillime convincimus, ostendendo in Christo Nazareno omnes omnino Characteres adinveniri, sub quibus a Prophetis tum quoad tempus, tum quoad gesta illius præsignabatur Messias. Quidquid ergo dicant adversarii nostri, plures in divinis literis sensus adinveniri certissimum est, quinimmo Spiritus Sanctus aut alterum a literali diversum, aut simul literalem, & spiritalem intendere potuit, cum id nihil repugnet, dummodo veritas determinata saltem quoad se, licet occulta quoad nos, in iisdem sensibus contineatur; exhibeamus clarum hujus rei testimonium. Exodi duodecimo cap. ℣. 46. scriptum est = Nec os illius confringetis =. Hæc verba de Agno paschali semper intellecta fuere, donec Joannes Evangelista divino illustratus spiritu in suo Evangelio Cap. 19. ℣. 36. de Christo prædicta fuisse significavit. Dicant modo Adversarii nostri in unico literali sensu scripturæ intelligentiam sistere oportere; dicant, plures sensus a Spiritu Sancto non posse intendi, si audeant. Quid tandem invenient Hæretici in lege Mosis, in Psalmis, in Prophetis de Christo Salvatore ad literam pronunciatum? Et tamen Veritas incarnata de semetipsa palam Lucæ ultim. ℣. 44. adfirmavit = Necesse est impleri omnia, quæ scripta sunt in lege Moysi, & Psalmis, & Prophetis de me = Quæ autem de Jesu iis in Libris dictata sunt a Spiritu Sancto, quamvis in sensu a literali diverso, profecto ab ipsomet divino Spiritu præcipue intendebantur.

Objicere iterum solent: Propositiones, sive locutiones Dei summam, & indeficientem veritatem, quod habeant necesse est; si autem in divinis literis sensum non a vocibus, sed a rebus, per

ram. Ubi *intellectum simplicis formæ* appellat, quem alii *Literalem* seu *Historicum* dixerunt. Consentit etiam S. Hieronymus exponens [a] illud Josue cap. V. Quod *Cum populus Israel venisset in Galgala, ibi secundo est circumcisus;* sic scribit: *Hoc si juxta literam accipimus, penitus stare non potest. Si enim duplex haberemus præputium, vel excisa pellicula iterum nasceretur, recte secunda circumcisio haberet locum. Nunc autem hoc significatur, quod Jesus cultello Evangelii populum, qui per desertum venerat, circumcidit.* Et alibi [b]: *Quæritur itaque*, inquit, *puella de universis finibus Israel Abisag Sunamitis, quæ cum Rege dormiret, & senile corpus calefaceret, Nonne tibi videtur, si occidentem sequaris literam, vel figmentum esse de Mimo, vel Atellanarum ludiera? Frigidus senex obvolvitur vestimentis, & nisi complexu adolescentulæ non tepescit: vivebat adhuc Bersabee; supererat Abigail, & reliquæ uxores ejus, &c.* Eis subscripsit Cassianus [c] dicens: *Quædam esse in Scriptura, quæ si Allegorica explanatione extenuata non fuerint, & spiritualis ignis examinatione mollita, nullo modo ad salutarem hominis cibum, sine corruptionis labe pervenient.* Ubi sentire videtur, quosdam Scripturæ textus, ita *Allegorice tantum* intelligendos esse, ut non possint juxta *literam* intelligi, nisi cum animæ salutis præjudicio; proinde nullum sensum habere literalem. Ejusdem quoque sententiæ erant illi, qui apud S. Augustinum [d], repudiata historica veritate de confectione Arcæ Noe, & animalium in eam introniissione, atque subsequente Diluvii inundatione, contendebant ea omnia tantum *figurative* & *allegorice* esse dicta, ad significandum præfigurandam esse Ecclesiam, quæ in suum sinum Gentes omnes simul & Judæos, mundos videlicet & immundos erat complexura. Hanc sententiam præcipue tuetur Lyranus [e], contendens textus Scripturæ, in quibus est *Metaphora* seu *Parabola*, sensu literali carere, Alias, *inquit*, sensus Scripturæ in multis falsus esset & absurdus in iis

[a] *lib. 1. adversus Jovinian.*

[b] *Epist. ad Nepotian.*

[c] *Collat. 8. cap. 3.*

[d] *lib. 15. de Civit. cap. 27.*

[e] *Prolog. 3. postillis Bibliorum.*

præsertim textibus, in quibus, ex propria vocum significatione, quam solam literalem putat, aliquid præciperetur absonum & injustum; ut cum Matth. V. *v.* 30. Christus Dominus ait: *Si manus tua scandalizat te, abscinde eam, &c.*

VII. *Verum*, ut ibidem docet S. Augustinus, sensus Mysticus *Literalem* non excludit, sed ut arbor radicem, & domus fundamentum præsupponit. Unde sermone de Abraham & immolatione Isaac, *Admonemus*, inquit, *& in quantum possumus, præcipimus; ut quando audistis exponi Sacramentum Scripturæ mandantis quæ gesta sunt, prius illud factum esse credatis sic gestum, quomodo lectum est, ne substracto fundamento rei gestæ, quasi in aere quæratis ædificare.* Verosimilius itaque est, omnibus, si paucos excipias, Scripturæ textibus inesse aliquem *Literalem sensum*, tametsi plures ad *Mysticum* denotandum ordinentur. Cujus utique aperta ratio est, quod *sensus literalis* sit fundamentum aliorum *sensuum* qui ex illo eruuntur, & in eo stabiliuntur. Quamobrem Sixtus Senensis [f] carpens eorum pruriginem (qui rejecta expositione literali, tanquam ludente in re leviissimi momenti, & grammaticis potius, ut aiunt, quam Theologis digna, ex singulis Scripturæ locis coactas quasdam ac insulsas Allegorias eliciunt, & destructa Historiæ veritate, ridiculas cogitationes venditant, tanquam magna & arcana Ecclesiæ Sacramenta) eos obtestatur, ut confiderent *literalem expositionem*, non esse rem usque adeo vulgarem, vilem, ac protritam, & omnibus, ut ipsi jactitant, puerorum pædagogis perviam: sed esse expositionem omnium difficillimam ac maxime operosam, propter inusitatas & abstrusas linguæ sanctæ proprietates, & propter copiam rerum difficillimarum, artium videlicet, scientiarum & disciplinarum omnium, quæ sub historico Scripturæ sensu comprehenduntur.

[f] *lib. 3. Biblioth. sanct.*

VIII. Testes hujus rei sunt duo clarissima Ecclesiæ Latinæ lumina, SS. *Hieronymus & Augustinus*, qui non nisi jam natu gran-

per voces importatis indicatum intendere potuisset Deus per scripturas loquens, jam propositiones, seu locutiones Dei summam habere veritatem non possent; quandoquidem propositio, seu locutio vera, vel falsa, secundum sensum, quem exhibent verba dici solet, non secundum sensum per res enunciatas significatum; ergo solum literalem sensum intendere potest Spiritus Sanctus, isque solummodo veluti necessarius ad veritatem divinæ locutionis habendam potest admitti.

Hujuscemodi oppositioni solent respondere distinguendo ultimum Antecedens. Propositio dicitur vera secundum sensum, quem exhibent verba immediate, vel mediate, concedunt, semper immediate, negant. Satis esse inquiunt ad propositionis veritatem, quod verba mediate sensum significent, ut in propositionibus contingit, quæ mysticos sensus includunt. Nos autem dicimus ad veritatem locutionis satis est quod sit vera narratio eorum, quæ proferuntur, quamvis deinde per res prolatas aliud quidpiam significetur; in Prophetia Ezechielis, V. G. in Apocalypsi Joannis, & in alia quacumque divinæ Scripturæ parte, in qua sub verbis innumera ferme continentur Mysteria, ad locutionis, seu propositionum veritatem habendam, satis est, quod veræ narrentur visiones, quod Prophetæ ea revera conspexerint, quocumque modo id contigerit, quæ a se visa fuisse describunt, quidquid postea fuerit de significatione visionum, sive de eo, quod Deus innuere intendebat; non in qualibet ergo divinæ Scripturæ propositione requiritur intrinseca ejusdem propositionis veritas, ut locutiones Dei veræ dicantur sed satis est veritas enunciationis hoc est, ut vera sint, quæ referuntur; variis in Scripturæ locis referuntur aliquorum hominum mendacia, aut astutiæ, quibus alterum decipiebant, referuntur, & gravia alicujus hominis scelera; propositiones ab homine mentiente prolatæ intrinsecam veritatem nequaquam habebant, sed verissima tamen est Scriptura divina, a qua referuntur, quia verissima est historica narratio, quod illæ propositiones mendaces enunciatæ fuerunt. Jam ex his quisquis intelligit veritatem summam narrationis, seu enunciationis in quibuslibet Dei locutionibus per Scripturam Sanctam expressis contineri; ideoque falsitatis easdem incusari minime posse, quamquam Spiritus Sanctus principalius intenderet non sensum in litera expressum, sed sensum per res vocibus importatas significatum. (W)

grandes auſi ſunt admovere manum Hiſtoricæ explanationi, poſtquam multos annos in explanationibus myſticis, veluti ſtudiis facilioribus conſumpſiſſent. Unde præclare Sanctus Hieronymus [a]: *Si Apoſtolus*, inquit, *proficit & quotidie præteritorum obliviſcens, in priora ſe extendit, &c. Quanto magis ego mereri debeo veniam, quod in Adoleſcentia mea provocatus ardore & ſtudio Scripturarum*, ALLEGORICE *interpretatus ſum Abdiam Prophetam, cujus* HISTORIAM (ideſt, ſenſum literalem) *neſciebam. Addebat animus cognitione myſtica, &c. Literas ſæculi noveram, & ob id putabam me librum legere poſſe ſignatum.* Poſtquam autem narraſſet commentarium ſuum a Lectoribus fuiſſe laudatum: *Fateor*, inquit, *miratus ſum quod quantumvis aliquis male ſcripſerit, invenit lectorem ſimilem ſibi. Ille prædicabat, ego erubeſcebam. Ille ferebat in cœlum, ego demiſſo capite confiteri meum pudorem prohibebar.* Et tandem: *Libere profiteor*, inquit, *illud fuiſſe puerilis ingenii, & hoc quod nunc ſcribo, maturæ ſenectutis.* Concinit S. Auguſtinus? In primo Retractationum volumine. *Cum de Geneſi duos libros contra Manichæos*, inquit, *condidiſſem, quoniam ſecundum* ALLEGORICAM EXPOSITIONEM *verba tractaveram, non auſus naturalium rerum tanta ſecreta* AD LITERAM *exponere, ideſt, quomodo poſſent ſecundum hiſtoricam proprietatem, quæ ibi dicta ſunt, accipi; volui experiri in hoc quoque negotioſiſſimo ac difficillimo opere, quid valerem. Sed in Scripturis exponendis tyrocinium meum ſub tantæ ſarcinæ mole ſuccubuit, & nondum perfecto uno libro, eo, quem ſuſtinere non poteram, labore conquievi.* Hæc Auguſtinus. Ex quibus perſpicuum fit, inquit Sixtus Senenſis, Hiſtoricam explanationem non eſſe ab Expoſitoribus noſtri ſæculi negligendam, quaſi ignobilem, trivialem, & ineruditam, cum ipſa omnes fere *expoſitiones Myſticas* nobilium ac doctiſſimarum rerum præſtantia antecellat.

[a] *Præfat. in Comment. ad Abdiam.*

IX. Non abnuo tamen *ſenſum ſpiritualem* directe ex *literali* elicitum, dignitate hunc antecellere; *litera enim ſimplex occidit, ſpiritus autem vivificat.* Unde *ſenſus literalis* prior eſt *prioritate ordinis*, Myſticus vero *prioritate dignitatis*; & ratione intentionis præcipui Auctoris Scripturæ ſacræ, ſive ob naturam ſubjecti, quod longe dignius eſt & illuſtrius. Verba enim Scripturæ ſacræ conſiderari poſſunt, vel *ratione dictorum*, vel *ratione dicentis*: ſi ſpectentur ratione dictorum & literæ, certum eſt ſenſum literarium Myſtico eſſe priorem. Si vero habeatur ratio dicentis & intentionis Auctoris primarii, dubium non eſt quin primario ab illo intendatur deſignatio ſenſus Myſtici, cum typus non proponatur, niſi propter antitypum & ſimilitudinem quam ad illum habet. Sic v. g. *ſecundum literam* & *prioritate ordinis*, prius ſermo eſt de Agno Paſchali, de æneo Serpente, de Davide, de Salomone, de Jona in vaticiniis typicis, & eis quæ circa ſubjecta illa contigere: ſecundum vero *intentionem dicentis* & *dignitatem ſubjecti*, dubium non eſt quin primario ad antitypum reſpexerit Spiritus S. ob quem, propter quem, & ad quem deſignandum, tantum typi illi ſunt præmiſſi, & hæc vel illa circa typos illos adminiſtrata.

Unde ſicut v. g. ſi verba Jonathæ ad Armigerum. *I. Reg. XX. 36.* attendantur ſecundum ſe, illa primo referenda ſunt ad ſagittarum emiſſarum collectionem: ſin reſpiciatur intentio & ſcopus Jonathæ, hæc primo dicta ſunt a Jonatha, ut fugiendum eſſe Davidi denuntiaret. Nec ob id minus ſcopus ille intentus erat a Jonatha, quod id verba non innuere videantur, nec ab Armigero ita fuerint intellecta & expoſita; ſufficit enim quod reſponderint intentioni dicentis & conventioni Davidis & Jonathæ. Sic Spritus S. Scripturæ ſacræ primarius Auctor, quoties in Scripturæ verbis, aut rebus geſtis myſterium aliquod prænuntiare voluit, primo & præcipue intendit ſignificare illius complementum & revelationem; tametſi Amanuenſis quo uſus eſt ad Scripturam conſignandam, forte in illis locis typicis, obſcurioribus præſertim, ad myſteria illa ſemper non reſpexerit, quæ Spiritus S. vel verbis innuit, vel rebus geſtis.

X. Licet enim eximium fuerit lumen iſtud Propheticum, quo illuſtrati fuere ſacri Scriptores; tamen incertum eſt, quando rem aliquam adimpletam recenſuerunt, utrum ſemper diſtincte ſubintellexerint, complementum myſticum adhuc aliud ſupereſſe & verbis illis innui. Tametſi mihi certiſſimum ſit eos iſtud interdum intellexiſſe: indubitanter enim credi poteſt. Oſeam v. g. illis verbis; *Ex Ægypto vocavi filium meum*, præter rem geſtam in Iſraelitis etiam intendiſſe deſignare evocationem Chriſti ex Ægypto, ſuo tempore adimplendam. Egregia enim eſt inter typum & antitypum Analogia, ut notat Fredericus Spanhemius, [b] I. Sicut Iſrael coactus & compulſus in Ægyptum migravit, & ibi exulavit; ſic Chriſtus pari ratione ille fame, iſte gladio Herodis, uterque metu mortis, quod bene obſervavit Chryſoſtomus. II. Ut circa Iſraelis migrationem in Ægyptum, & conſervationem ejus in Ægypto, extraordinaria Dei providentia ſe exeruit; ſic circa fugam Chriſti. III. Ut Iſrael in Ægypto ſalutem & conſervationem externam reperit; ſic Chriſtus in eadem regione tutum receptum habuit. IV. Ut per Iſraelis migrationem in Ægyptum Deus innotuit Genti illi; ſic dubitari non debet, quin mora Chriſti in Ægypto, innotuerit Deus Iſrael Ægyptiis, vel ſolius Joſephi & Mariæ præconio. V. Ut ſervitus Iſraelis in Ægypto typus fuit ſervitutis populi Dei, quam ſæpe ſubire cogitur in hoc Mundo; ſic & fuga Chriſti in Ægyptum eandem Eccleſiæ ſortem deſignavit, id commune futurum membris, quod commune fuit capiti. VI. Ut Iſrael in Ægypto nutritium habuit & propinquum quidem ex ſua gente; ſic & Chriſtus Joſephum & Mariam.

[b] *in Dubiis Evang. 66. &c.*

VII.

VII. Ut Iſrael ſpeciali Dei ductu ex Egypto evocatus; ſic & Chriſtus. VIII. Ut Iſrael ſubſtitit in Ægypto donec educeretur a Deo, ſic & Chriſtus. IX. Ut Iſrael ductus per Angelum alloquentem Moſen in rubo, & eum vocantem ad liberationem populi ſui, ſic Chriſtus Angeli monitu Ægypto exceſſit. X. Ut populus poſt egreſſum ex Ægypto introductus fuit in terram ſanctam, & in terram quam ante incoluerant Patres ejus, ſic & Chriſtus. XI. Ut Iſrael, ſic Chriſtus eductus ex Ægypto Rege infanticida ſublato, Iſrael ſublato Pharaone; Chriſtus ſublato Herode. XII. Ut introductio Iſraelis in Ægyptum, & liberatio ejus ex Ægypto, argumentum eximium fuit amoris quo Deus complectebatur populum illum: ita ex ſpeciali indicio, & de fuga in Ægyptum capeſſenda, & de reditu in Judæam inſtituendo, amor Dei ſingularis erga filium documento eximio comprobatus fuit.

XI. At, inquies, nullus ſenſus literalis ineſſe poteſt in metaphoricis orationibus, & locutionibus figuratis, paſſim in Scriptura occurrentibus; in iis præſertim, quæ de Deo aut Chriſto Domino enuntiantur, ut cum ait Pſalmiſta; *Oculi Domini ſuper Juſtos*. Et Chriſtus Dominus: *Ego ſum Vitis vera, & Pater meus Agricola eſt.* Quæ ſi ad literam explicare quis velit, neceſſum erit, ut Deo concedat membra corporea, & Chriſtum non hominem, ſed plantam vitigeniam fateatur.

Reſpondeo duplicem eſſe ſenſum Literarium, nempe *proprium & figuratum;* ſive, ut loquitur, Bellarminus, alium *ſimplicem*, qui conſiſtit in proprietate verborum: alium *figuratum*, quo verba transferuntur a naturali ſignificatione ad alienam, cujus tot ſunt genera, quot genera figurarum. In exemplum profert hæc Joannis verba: *Alias oves habeo, quæ non ſunt ex hoc ovili, &c.* Ubi, inquit, ſenſus literalis eſt, ſed *figuratus*, alios homines præter Judæos, congregandos in Eccleſiam Chriſti, quod diſtincte & proprie declaratur cap. ſequent, v. 52. his verbis: *Ut filios Dei qui erant diſperſi, congregaret in unum.* Itaque omnis figurata Scripturæ locutio, duo ex æquo deſignat, nempe rem cui ſignificandæ primo vox impoſita eſt; & rem ad quam deſignandam, hæc veluti poſterior fit nominis impoſitio, vel extenſio a re cui primum vox impoſita eſt ad aliud ſubjectum, cui propter quandam ſimilitudinem & Analogiam attribuitur. Eſt enim natura Metaphoræ ſeu translationis, ut verbum a propria ſignificatione in alienam transferatur ob ſimilitudinem: ſiquidem in qualibet Metaphora tria ſpectantur, nimirum *ſignificatio propria*, *appropriata*, & *ſimilitudo*. Unde etſi propria ſignificatio, v. g. hujus vocis *Vitis*, non conveniat Chriſto Domino, appropriata tamen ſeu translata ei proprie convenit, propter varias ipſius cum *Vite* ſimilitudines & Analogias.

Utrum autem vox illa *Vitis*, in illa Metaphora proxime & immediate plantam viniferam ſignificet; remote vero & immediate Chriſtum, quæſtio eſt potius Grammatica & Rhetorica, quam Theologica, in qua plures ſacros Interpretes video anxios immorari; qua de re tamen ſi judicium noſtrum quis requirat, cenſerem vocem hanc *Vitis*, juxta Grammaticam & ſimplicem ſignificationem, primo denotare plantam viniferam, ſecundum autem ſignificationem Metaphoricam & complexam, ſimul & plantam & Chriſtum denotare; quia Metaphorica ſignificatio non attenditur penes unam dictionem, ſed penes totum complexum orationis, quo ſenſu utrumque illa ex æquo proxime deſignat, nempe & rem cui proprie vox attribuitur, & ſubjectum cui illa propter ſimilitudinem appropriatur.

XII. Quæritur inſuper, utrum ſicut omnis ſacræ Scripturæ locus ſenſum habet literalem, vel proprium, vel figuratum; ſic etiam habeat ſenſum Myſticum. Negant SS. Patres, præſertim S. Hieronymus, qui Origenem ſæpiſſime reprehendit, quod Allegorias ubique inquirat, & quidem ita, ut hiſtoriæ veritatem ſæpe videatur tollere: ut videre eſt in Epiſtola ad Avitum; Item in Epiſtola ad Pammachium & Oceanum. Item ad Amabilem in decem viſiones Iſaiæ: *Origenes*, inquit, *ingenii ſui acumina putat Eccleſiæ eſſe ſacramenta.* Similiter S. Auguſtinus [a] ea de re invehitur in Philonem Judæum: *Philo*, inquit, *vir liberaliter eruditiſſimus, unus eorum cujus eloquium Græci, Platoni æquare non dubitant.... Qui Arcam diluvii, ſecundum rationem humani corporis fabricatam volens intelligi, tanquam membratim omnia pertractat: at ubi ventum eſt ad oſtium, quod in Arcæ latere factum eſt, omnis humani ingenii conjectura defecit. Ut tamen aliquid diceret, inferiores corporis partes, per quas urina & fimus egeruntur, illo oſtio ſignificari auſus eſt credere, auſus & dicere, auſus & ſcribere.*

[a] *lib. 12. contr. Fauſt. cap. 39.*

XIII. Ex qua una, ut cæteras non minus exorbitantes Philonis Alluſiones & Allegorias præteream, conjicere licet, quam turpiter plerumque hallucinentur, qui in detorquendis Scripturis ſacris ad Metaphoras & Allegorias, omne ſuum ſtudium ponunt. Ita ſiquidem non Scriptoris auctoritas, ſed Interpretis arbitrium & genium in Scriptura ſacra penſandum eſſet. Qua pernicioſa ſententia ſemel introducta facile erit, ut non male colligit Rivetus, [b] Evam ex coſta Adæ fabricatam negare, quia hoc Cardinali Cajetano ineptum apparet: & Paradiſum, Paradiſique fontem, ex quo quatuor flumina magna oriuntur, nequaquam hiſtorice, ſed ſpiritualiter tantum recipere, quod Origeni ita viſum eſt. Eadem licentia, Samſonis fictam fabulam reputabimus, ut eam vocarunt quidam, & totum librum Job eſſe Tropologicum, quod aſſeruit non nemo, & Judæis etiam quibuſdam viſum fuit eſſe parabolam. Jonæ etiam ipſius prodigium in piſcis ventre, ſervati, per viſionem non per hiſtoriam contigiſſe cenſebimus,

[b] *cap. 15. Iſagog. ad Script.*

bimus. *Deinde* cum iſta Tropologia vel Allegoria, Scripturam in moralitates transformabimus, & quod minus in ea arriſerit, evertemus. Recte igitur monet Adamus Sasbout, [a] Literam & Hiſtoriam, eſſe baſim & fundamentum Allegoriæ; propterea volenti Scripturam interpretari Allegorice in primis curandum eſſe, ut Literam ad unguem teneat, quia puerile eſt, ſtultum, imo nihil offendiculo magis poteſt eſſe Judæo, quam quod quis de ſpirituali ſenſu diſputet, non ante intellecta litera. Ille enim abuſus Scripturæ eſt maximus, tam libere pro cuiuſque ingenio & phantaſia, confingere Allegorias; hoc namque modo Scriptura ſacra eſſet quaſi lesbia regula, & eam quo quiſque vellet detorqueret. An autem tota Scriptura & ejus verba exponenda ſint ſecundum Allegoriam dubium eſt, vel potius dubium non eſt, quia hoc minime ſolidum eſt. *Præterea* totam Scripturam tractare ſecundum triplicem ſenſum, nec hoc ſolidum eſt; nec ſolum quia difficile eſt cohærentia dicere, ſed etiam quia neceſſe eſt ſæpe multa confingere, quod utique periculoſum eſt in tanto theſauro, cui illam debemus reverentiam, ne quid facile comminiſcamur. *Hæc ille*, quem Bellarminus Recognit. operum ſuorum pag. 25. Accuratiſſimum Scripturæ Interpretem appellat.

[a] *Præfat. in Iſaiam.*

XIV. Quæritur tandem an plures ejuſdem textus Scripturæ ſacræ poſſint eſſe ſenſus Literales. Reſpondeo ea de re triplicem eſſe univerſim Auctorum ſententiam; *Quidam* prorſus negant, ut Michael Medina, [b] Ribera, [c] & Alii: Quibus conſentiunt omnes pene Heterodoxi: *Aliqui* præciſe affirmant: *Cæteri* vero cum limitatione concedunt ſenſus Literales plures poſſe cenſeri, qui per quandam rerum Analogiam ac ſimilitudinem cohæreant; ita Vaſques, [d] & Hieronymus Prædus. [e] Harum vero ſententiarum, ſecunda mihi veriſimilior apparet, eamque tuentur cum S. Thoma, [f] Abulenſis, [g] Salmeron, [h] & plures alii Recentiores, quibus præivit S. Auguſtinus, [i] ubi cum dixiſſet plures ſenſus, uni Literæ competere poſſe, ſubjungit: *Cum alius dixerit, hoc ſenſit quod ego: & alius, imo illud, quod ego: religioſius me arbitror dicere, cur non utrumque potius, ſi utrumque verum eſt? Et ſi quid tertium, & ſi quid quartum, & ſi quid omnino aliud verum quiſpiam in his verbis videt, cur non illa omnia vidiſſe credatur, per quem Deus unus ſacras literas vera, & diverſa viſuris multorum ſenſibus temperavit? Ego certe, quod intrepidus de corde meo pronuntio, ſi ad culmen auctoritatis aliquid ſcriberem, ſic mallem ſcribere, ut quod veri quiſque de his rebus capere poſſet, mea verba reſonarent, quam ut unam veram ſententiam ad hoc apertius ponerem, ut excluderem cæteras, quarum falſitas me non poſſet offendere. Nolo itaque, Deus meus, tam præceps eſſe, ut hoc illum virum de te meruiſſe non credam. Senſit ille omnino in his verbis, atque cogitavit, cum ea ſcriberet, quicquid hic veri potuimus invenire: & quicquid nos non potuimus, aut nondum poſſumus, & tamen in eis inveniri poteſt.*

[b] *lib. 6. de recta in Deum fide cap. 25.*
[c] *in cap. 2. Oſee.*
[d] *1. part. q. 1. a. 10. diſp. & cap. 3.*
[e] *in Ezechiel. ſect. 9.*
[f] *1. part q. 1. a. 10. & alibi.*
[g] *in cap. 2. Matth.*
[h] *Proleg. 8.*
[i] *lib. 12. confeſſ. cap. 31.*

Ad hanc autem ſententiam accedit quoque S. Hieronymus, [k] de Apocalypſi ſcribens: *Apocalypſis Joannis*, inquit, *tot habet ſacramenta, quot verba: parum dixi pro merito voluminis, laus omnis inferior eſt: in verbis ſingulis multiplices latent intelligentiæ.* Ubi loqui videtur de ſenſu Literali; nam quod attinet ad alios ſenſus, plures illis abundant hiſtoriæ Veteris Teſtamenti, in eis namque frequentiores ſunt ſenſus Anagogici & Myſtici. Quamobrem alibi admonet, *Singuli ſermones*, ait, *ſyllabæ, apices & puncta in divinis Scripturis plena ſunt ſenſibus.* Idem videtur ſentire Melliſluus Doctor S. Bernardus, [l] dum ait, „ Quemadmodum aqua pluribus uſibus utilis eſt, ſic & in pluribus ſenſibus utilis „ eſt Scriptura quæ licet de ſenſu Myſtico „ cum Literario conjuncto vera ſint, non „ minus propterea etiam de pluribus ejuſdem Literæ ſenſibus poſſunt accipi, quemadmodum ſecundum eaſdem qualitates juxta Pindaricum calculum, *optimum eſt aqua.* Unde Medina, fatetur huic ſententiæ ſubſcribere ſanctiſſimos ac doctiſſimos viros, atque communiorem eſſe Theologorum ſententiam.

[k] *Epiſt. 103. ad Paulin.*
[l] *ſerm. 51. in Cant.*

Rationes quoque huic veritati adminiculantur, quarum prima peti poteſt ab infinitate, & incomprehenſa Dei ſapientia, quæ ita fœcunda eſt, ut quemadmodum unice ſuæ divinæ mentis Verbo, ſe, & infinita alia exprimit, ita uno Verbo ſcripto multa ſimul ſignificare poſſit. Unde S. Auguſtinus: [m] *Quid*, inquit, *in divinis eloquiis largius & uberius potuit divinitus provideri, quam ut eadem verba pluribus intelligantur modis, quos alia non minus divina conteſtantia faciant approbari.* Neque hujus rationis vim elevant Adverſarii, reponentes quod etſi Deus ita fœcundus ſit intelligentia, ut poſſit uno verbo multa, & maxime diverſa exprimere; nemo tamen aſſerere poteſt idipſum facere voluiſſe, quia utitur Scriptura ſacra ut nobiſcum loquatur, & res geſtas ſeu myſteria ſignificet; debet autem ſignificatio penſari, non ex fœcunditate loquentis, ſed ex audientium capacitate; alias qui ſe non accommodaret audientibus, fruſtra eis loqueretur. *Hæc inquam reſponſio* præfatum argumentum non extenuat. Enimvero tametſi plures in eadem litera ſint ſenſus, non minus ſingulis eam legentibus aut audientibus ſeſe accommodat, quippe cum uni hunc ſenſum aperiat, alterum vero aliis. Quis enim dixerit Deum non ſeſe accommodaſſe capacitati audientium Apoſtolos in die Pentecoſtes concionantes: licet enim unica lingua Syriaca ſibi vernacula loquerentur, nihilominus Parthi & Elamitæ, Græci & Arabes, &c. audiebant & percipiebant ea quæ ab iis dicebantur, tanquam ſi propria cujuſque lingua fuiſſent locuti, Deo ſcilicet unicum Apoſtolorum ſermonem ita multiplicante, ut ad ſingulorum aures pro cujuſque

[m] *lib. 2. de doct. Chriſt. cap. 21.*

juſque captu pertingeret. Quidni pariter dicendus ſit ſingulorum Interpretum aut Scripturam legentium capacitati ſe ſe accommodare, dum pro cujuſque captu, ex eadem litera varium ſenſum ſuggerit.

Accedit in hujus rei confirmationem, quod ſi iiſdem omnino ſignis, plura eaque diverſa & minime cohærentia proxime ac immediate ſignificari poſſint, id videtur vocibus & Scripturæ non eſſe denegandum. Porro certum eſt eadem ſigna, nempe manuum motiones, nutus, capitis inflexiones, &c. apud diverſas Gentes varia denotare: imo voces eædem, vel in diverſis, vel in jiſdem linguis, plura caſu, arte ac aſtu interdum ſignificare compertiſſimum eſt iis qui linguas callent præcipuas, ut docet S. Auguſtinus [a], qui ſermonem faciens de Dæmonum ludificatione, qua per eadem ſigna, variis hominibus peſtifera curioſitate, cruciante ſollicitudine, & mortifera ſervitute eis fœderatis, diverſos rerum eventus ſignificant, ſcribit: *Sicut enim, verbi gratia, una figura literæ quæ decuſſatim notatur, aliud apud Græcos, aliud apud Latinos valet, non natura, ſed placito, & conſenſione ſignificandi: & ideo qui utramque linguam novit, ſi homini Græco velit aliquid ſignificare ſcribendo, non in ea ſignificatione ponit hanc literam, in qua eam ponit cum homini ſcribit Latino. Et beta uno eodemque ſono, apud Græcos literæ, apud Latinos oleris nomen eſt. Et cum dico,* LEGE, *in his duabus ſyllabis, aliud Græcus aliud Latinus intelligit. Sicut ergo hæ omnes ſignificationes pro ſuæ cujuſque ſocietatis conſenſione animos movent: & quia diverſa conſenſio eſt, diverſe movent: nec ideo conſenſerunt in eas homines, quia jam valebant ad ſignificationem: ſed ideo valent, quia conſenſerunt in eas. Sic etiam illa ſigna, quibus perniciosa Dæmonum ſocietas comparatur, pro cujuſque obſervationibus valent.* Hæc S. Auguſtinus, qui diverſam ſignificationem in iiſdem vocibus deprehendit, maxime autem in hac voce, *lege*, quæ Græcis λέγε, ſignificat *deſine, ceſſa*, aut *dic*; Latinis vero *lege*, ſive imperativus, ſive ablativus ſit, lectionem aut legem. Quidni ergo pari ratione poterit Deus, ſi velit, ex inſtituto iiſdem Scripturæ ſacræ verbis, plures ſenſus indere, quos varii Lectores & Interpretes pro ſuo captu eruere valeant.

[a] *lib. 2. de Doct. Chriſt. cap. 24.*

Confirmat iſta Scripturæ ſacræ plurimis in locis obſcuritas, ex qua fit ut ex eiſdem textibus intellectu difficilibus, plures ſenſus eruantur. Quod utique ſignificaſſe videtur Daniel, cum refert Angelum ſibi dixiſſe [b]: *Tu autem, Daniel, claude ſermones, & ſigna librum uſque ad tempus ſtatutum: plurimi pertranſibunt, & multiplex erit ſcientia.* Ubi ait Hieronymus: *Præcepit ut involvat ſermones, ſignet librum; ut legant plurimi, & quærant hiſtoriæ veritatem, & propter obſcuritatis magnitudinem diverſa opinentur.*

[b] Cap. XII.

Denique probatur hæc ſententia variis Scripturæ textibus, in quibus multiplicem ineſſe literalem ſenſum ex ipſamet Scriptura deducitur; ſic ex verbis illis Davidis: *Dominus dixit ad me filius meus es tu, Ego hodie genui te:* ſanctus Paulus eruit triplicem ſenſum literalem: nam ad Hebræos I. in his ſignificari vult æternam Chriſti generationem. Actorum vero XIII. vult his verbis intelligi glorioſam Chriſti ex mortuis reſurrectionem. Ad Hebræos autem V. eadem uſurpat, ut Chriſtum a Patre ad Sacerdotium æternum promotum fuiſſe demonſtret. Ubi vides unam eandemque ſententiam, etiam S. Pauli teſtimonio, tres admittere ſenſus, eoſque diverſos & non *Myſticos*, ſed *Literales*, Proferri etiam poteſt illud Caiphæ dictum [c], *Expedit vobis ut unus homo moriatur pro populo, & non tota gens pereat.* Quæ verba, ut notant Salmeron [d] & Serarius [e], duplicem habent ſenſum, unum *Politicum*, quem animo tenebat, & ſuis proponebat Senatoribus Caiphas Pontifex alterum *Theologicum* ac Propheticum; quem illius ore ſignificabat Spiritus Sanctus, ut ibidem ſubditur v. 51. Et horum ſenſuum prior manifeſte eſt proximus & immediatus. Idemque de poſteriore ſentiendum, quia non ſubeſt priori; ut ſubeſt in Myſtico ſenſu res ultimo ac mediate verbis ſignificata, quæ verbis primo ac immediate ſignificatur. Uterque igitur literarius eſt. Ita Serarius. [f] Subiicit Alphonſus Toſtatus, vulgo Abulenſis, multa eſſe hujuſmodi in Scriptura, quæ duos habent ſenſus literales, unum intendere Scripturam magis principaliter, alterum minus. Neminem tamen illorum eſſe Myſticum, ut liquet Exod. XII. *Os non comminuetis ex eo.* Illud enim intelligendum eſſe ad literam & de Agno Paſchali & de Chriſto. Sic quod dicitur II. Samuel VIII. *Ero ei in patrem, & erit mihi in filium*, de Salomone ad literam dici, & tamen idem ad literam intelligendum eſſe de Chriſto Hebr. I. Sic dictum Oſee intelligi de Chriſto ad Literam, tum quia eſt Filius Dei, tum quia vocatus eſt ex Ægypto. *Hæc ille*; At quam bene alii judicent.

[c] Joan. XI. v. 50.

[d] Proleg. 8.

[e] Proleg. cap. 21. quæſt. 12.

[f] quæſt. 57. in Matth.

His opponunt Adverſarii, maxime Rivetus [g]: Si in eiſdem Scripturæ verbis, plures eſſent literales ſenſus diverſi, eſſet illa multiplex, ambigua, fallax, flexiloqua, ut ea ſolent eſſe orationes quæ ex homonymis conſtant, quæ amphibologicæ ſunt, & fraudulentis illis Dæmonum oraculis ſimiles, quæ duos prædicabant eventus, ſicque incautos decipiebant, qualia fuerunt oracula ἀμφίβολα. Apollinis λοξία talia fuerunt hæc:

[g] in Iſagoge ad Script. ſacr. cap. 14.

Aio te Æiacida Romanos vincere poſſe,
Cræſus Halym ingreſſus diſperdet plurima regna.

Reſpondeo ſermonem fieri multiplicem, ambiguum & fallacem, quando qui eum profert, unum tantummodo in illo ſenſum percipi vult ab audiente ut decipiatur: ſecus vero, quando idem ſermo plures ſenſus literales complectitur, nec qui illius eſt

Auctor

Auctor, unicum, ſed plures illos ſenſus vult percipi, ſcilicet ut per eos omnes erudiantur, ut in Scriptura ſacra occurrit; in eis namque Deus voluit inesſe plures literales ſenſus, ut plenius ad noſtram inſtructionem conferrent. Porro illa ſenſuum multiplicitas Scripturæ divina Oracula, non ut Apollinis incerta & dubia efficit; ille enim, ut futurorum eventuum prorſus ignarus, ita callide temperabat ſermonem, ut ſimul affirmaret & negaret. Divina autem Scriptura non affirmat ſimul & negat, ſed eum aut illum ſenſum diſtincte exhibet, quem Deus voluit ab hoc aut illo Interprete & Lectore deprehendi.

Inſtant Adverſarii, ſi multiplex in eadem Scripturæ litera ſit ſenſus, nullum argumentum firmum ex aliquo Scripturæ textu deduci poterit ad fidem conciliandam aut firmandam; termini enim erunt vel ſemper eſſent ambigui, vel multiplices, quod in omni argumentatione vitioſum eſt.

Reſpondeo quod etſi multiplex ſit Scripturæ ſenſus, nihilominus efficaciter deſervire poterit ad fidem ſtabiliendam & firmandam; quippe ex Eccleſiæ judicio conſtat quis genuinus ſit literalis ſenſus illius textus, qui in argumentum & probationem aſſumitur, ac ſubinde ipſius non nutat auctoritas, nec anceps & dubia illius eſſe debet acceptio.

Urgent iterum, in una eademque ſententia plus uno, verum eſſe nequit. Verum enim & unum convertuntur. Jam vero in Scripturæ verbis & ſententiis ſumma proponitur veritas. Una ergo tantum unius loci eſt veritas.

Diſtinguo majorem, in una ſententia pure humana, & quæ hominem tantum habet Auctorem, plus uno verum eſſe nequit, *concedo*: Quæ divina eſt, & procedit ab Auctore ita fœcundo intelligentia, ut uno mentis ſuæ verbo multa & maxime diverſa exprimere poſſit, *nego*. Porro Scriptura ſacra hominem quidem habet Amanuenſem, Auctorem vero Deum, qui utitur ſacro Scriptore, tanquam inſtrumento ratione & intelligentia prædito, qui ea ſcripto ſignificet & exprimat, quæ dictante & regente Spiritu S. ſuggeruntur. Itaque tametſi ſacer Scriptor ea quæ mente a Deo dictante intelligit, more hominum ſcripto ſignificet, nec forte niſi unicum denotare intendat; nihilominus Spiritus S. varios in eadem ſententia ſenſus potuit intendere, quos aliquando diverſis lectoribus & Interpretibus erat revelaturus. Ut præclare docet S. Auguſtinus [a], ubi cum dixiſſet plures ſenſus ex eadem ſententia poſſe elici, ſubjungit: *Poſtremo Domine, qui Deus es, & non caro, & ſanguis, ſi quid homo minus videt, nunquid & ſpiritum tuum bonum, qui deducet me in terram rectam, latere potuit quidquid eras in eis verbis, tum ipſe revelaturus legentibus poſteris; etiam ſi ille, per quem dicta ſunt unam fortaſſis ex multis veris ſententiam cogitavit?* Exiſtimat tamen S. Thomas ſacros Scriptores illos, etiam varios ſenſus literales forte agnoviſſe, cum Spiritui S. pro Amanuenſibus inſervirent, ſcribit enim [b]: *Non eſt incredibile, Moyſi, & aliis Scripturæ Auctoribus hoc divinitus eſſe conceſſum, ut diverſa vera, quæ homines poſſent intelligere, ipſi cognoſcerent, & ea ſub una literæ ſerie deſignarent, ut ſic quilibet eorum ſit ſenſus Auctoris. Unde ſi etiam aliqua vera ab Expoſitoribus ſacræ Scripturæ literæ aptentur, quæ Auctor non intelligit, non eſt dubium quin Auctor Spiritus S. intellexerit, qui eſt principalis Auctor Divinæ Scripturæ. Unde omnis veritas, quæ ſalva literæ circunſtantia, poteſt divinæ Scripturæ aptari, eſt ejus ſenſus.* (15)

[a] *lib.* 12. *Confeſſ. cap.* 31.

[b] *quæſt.* 4. *de potent. art.* 1.

(15) In præcedenti Nota plures divinæ Scripturæ textibus, varioſque poſſe ſenſus convenire conati ſumus oſtendere, diverſi tamen generis eoſdem ſupponebamus, literales, nimirum, & ſpiritales. Modo cum Auctore noſtro, aliiſque Eccleſiæ Patribus plures ejuſdem etiam generis, nempe literales ſenſus eidem textui congruere poſſe ſentimus; nec tantiſper movemur a nonnullis, quæ in oppoſitum inſtitui poſſunt, argumentis; quæ de æquivocatione verborum divinorum opponebantur, ſi multiplicem ſenſum concedamus eiſdem, facillime jam ex S. Thomæ doctrina rejecimus, cum ſpiritalem ſenſum, non verba, ſed res per verba importatas ſignificare dixerimus. Difficilius tamen, ubi de ſenſuum literalium pluralitate eidem textui appoſita fiat ſermo, ſicut in præſens, nodus reſolvi poſſe videtur, quandoquidem voces æquivocæ neceſſario ſint, quæ plura diverſi generis objecta ſignificant, quælibet autem in dicendo æquivocatio a Deo ſumma veritate cum ſit eliminanda; plures literales ſenſus in Scriptura admitti non poſſe videntur. Et ſane ſi pro rei veritate loquamur, inquiunt adverſarii, nullum Scripturæ locum proferre quis poterit, in quo duplex literalis ſenſus reperiatur, cum per ſenſum ſpiritalem, quidquid in eo continetur præter literalem ſignificationem, explicari queat, quo ſiquidem pacto legentibus tollitur erroris occaſio, quam profecto, pluribus admixtis in litera ſenſibus ejuſdem ſpeciei, Scriptura divina ſe legenti exhiberet; hoc autem verbo Dei prorſus indignum eſt, ut in eo errandi occaſionem conſtituamus.

Primum argumentum non parum negotii Theologis omnibus faceſſere ſolet, hinc varii varias excogitare reſponſiones conati ſunt, ut multiplicitatem literalis ſenſus in Sacro textu ſine æquivocatione ſervarent, quod tamen an quis eorum præſtiterit alii videant. Alphonſus Salmero ad finem prolegomeni 8 nullum eſſe inconveniens adfirmat literalem ſenſum ex ambiguitate, aut æquivocatione vocum multiplicari; ſicuti enim, inquit, vox univoca unum ſenſum efficit, ita ambigua plures, qui ſi veri ſint, & literæ conſoni, & inter ſe non repugnent, admitti debent. Eodem modo tricas hujus argumenti reſolvit Bannez 1. p. q. 1. art. 10. ad *ſecundum*, contendens æquivocationem admitti in Sacris literis poſſe, ſicuti plures eiſdem ſenſus literales conceduntur. Nos tamen cum ex determinatione voluntatis divinæ ſupponamus quod dependeat verborum ſignificatio in Scripturis Sanctis, hinc dum Spiritus Dei plures ſenſus literales eidem propoſitioni affigere voluit, non voces æquivocas adhibere ſategit, ut varia earum ſignificatione adjuvaretur, ſed libere, & ſponte, quibus ſibi pro libito fuit, etiam univocis vocibus multiplicem ſignificationem adjunxit; exemplo unico res ſit palam. Movit Deus Caiphæ linguam Joan. 11. ℣. 50. Sicque prophetare eum fecit = Expedit vobis ut unus moriatur pro populo, & non tota gens pereat = Hujuſcemodi propoſitio duplicem ſenſum literalem præſefert, ut per ſe patet, alterum nempe politicum, & iſte intendebatur a Caipha, alterum propheticum de ſalute totius mundi per Chriſti mortem

§. III.

De sensu Accommodatitio.

XV. PRæter sensum literalem & mysticum, solent Interpretes, Theologi, atque Concionatores alterum adstruere, quem *Accommodatitium*, seu per accommodationem appellant, quando nimirum Scripturæ verba per extensionem quandam tribuuntur eventui aut personæ propter aliquam similitudinem, præter sacri Scriptoris scopum & mentem. Hoc primum usum, verius dicam abusum fuisse Theodorum Mopsuestenum fatetur Turrianus, in lib. secundum Constitutionum Apostolicarum capite V. qui quæcunque de Christo Domino, & ejus mysteriis in veteri Testamento κατὰ λέξιν proxime, vel remote prædicta sunt, omnia interpretabatur κατ' ἔκβασιν, idest, secundum rei eventum, aut prout rei exitus dedit. Quam accommodandi rationem, Cajetanus *sensum transumptivum* appellavit. Exempla hæc ex Profanis affert Serarius [a]; si quis interrogare vellet cujusnam parochiæ, aut parochi sunt hi, quos videt homines, & dicat: *Dic mihi Damoeta cujum pecus?* Vel si monere mali proximi vellet aliquem, ei dicat: *Tua res agitur, paries cum proximus ardet*, ejusmodi est, si quis parentis alicujus de filio curam, his Virgilii verbis commendaret,

[a] *Prolog. 27. quæst. 14.*

Omnis in Ascanio cari stat cura parentis,

Porro certum est quod Scripturæ verba, quemadmodum & aliorum librorum per accommodationem citra injuriam & irreverentiam possint ad alias res præter Scriptoris institutum transferri. Videmus enim id passim tam in SS. Patribus, præsertim in S. Bernardo, quam ab Ecclesia fieri: nam quod de Noe dicitur Ecclesiast. XLIV. *Inventus est justus, & in tempore iracundiæ factus est reconciliatio.* Et de Isaac, *Benedictionem omnium Gentium dedit illi Dominus*, &c. Et cap. XLV. de Mose: *Similem illum fecit in gloria sanctorum*, &c. Et de Aarone: *Statuit ei testamentum æternum, & dedit illi sacerdotium Gentis*, &c. Transfert Ecclesia ad celebranda encomia sanctorum Confessorum, Imo Scriptura ipsa interdum aliquos textus per accommodationem alteri attribuit: nam Apocalyp. XI. v. 14. de duobus venturis testibus, usurpatur per accommodationem seu allusionem, quod Zachar. IV. v. 14. de Jesu summo Sacerdote, & Zorobabele populi Ductore, dictum fuerat; *Isti sunt duo filii olei, qui assistunt Dominatori universæ terræ.* Non enim dubium videri potest, Zachariam & Joannem, de diversis eadem verba usurpasse, ac proinde aliquam accommodationem ibi subesse. Nam S. Joannes, ut placet SS. Ambrosio, Gregorio, Prospero, intelligit Enoc & Eliam: vel Moysem & Eliam, ut contendit Maldonatus. Ab Ecclesia vero ea verba appropriantur SS. Martyribus, Joanni & Paulo die XXVI. Junii; Petrus Damianus autem ea [b] transfert ad SS. Petrum & Paulum. Similiter verba illa Amosi VIII. v. 10. *Convertam omnes festivitates vestras in luctum, & omnia Cantica vestra in planctum.* Tobiæ II. v. 6. & I. Machab. I. v. 41. accommodantur ad tempora similia. Quæ verba, etiam quovis tempore, a Fidelibus usurpari possunt, quotiescunque afflictionibus premitur Ecclesia ingravescente persecutione. Sic Christus Dominus illa Isaiæ verba cap. XXIX. v. 13. de Israelitis tunc viventibus: *Populus hic labiis me honorat*, &c. accommodat Scribis & Pharisæis sui temporis Matth. XV. v. 18. sicut & illa ejusdem Prophetæ verba cap. VI. v. 9. *Audite audientes & nolite intelligere*, &c. Usurpat Matth. XIII. v. 14. ad carpendam suorum Auditorum pervicaciam.

[b] *Sermon. 27.*

Possunt autem Scripturæ verba per accommodationem ad alios traduci bene & religiose, vel male & impie, *Religiose* quidem, puta si quis in concionibus ad populum, Scripturæ verba suis intermiscat, & ex ea connexione sententias concinnet; dummodo id apte fiat, & non solum verba verbis, sed etiam res significatæ rebus con-

tem reparanda. Voces illius propositionis æquivocæ non sunt, & duplicem tamen sensum literalem important. Altera etiam propositio de Agno paschali Exod. 12. enunciata, quod ejus os non deberet confringi, ejusdem est conditionis: Non ergo æquivocatione laborant divinæ locutiones, quæ literalem multiplicem sensum includunt sed ex ignorantia eas legentis, vel audientis descendit, quod integram significandi vim a Divino Spiritu eis inditam, non assequitur. Falsum est autem quod nullum Scripturæ textum possimus adferre, cui multiplex sensus literalis conveniat; duo quippe jam adlati ex 12 Exodi, & 11. Joannis ostendunt oppositum; alios profert Abulensis Quæst. 28. in Caput 13. S. Matth., in quibus plures literales sensus agnoscere impellitur, quod ab Apostolo ad fidei doctrinam comprobandam assumuntur; statuerat autem Tostatus solos literales sensus idoneos esse ad argumenta fidei statuenda. Multiplicitas autem istorum sensuum occasionem errandi esse non potest nisi volentibus; ut enim laudatus Abulensis observat non pro hominis cujuslibet arbitrio, in quacumque Scripturæ auctoritate sunt confingendi, sed in iis solummodo textibus, in quibus alii Scriptores canonici, contineri declararunt. (W)

conveniant: ita enim verba Scripturæ, miram quandam gravitatem & energiam præ se ferunt, & ad persuadendum sunt accommodatissima: Sic S. Bernardus qui omnes suos tractatus, omnes Epistolas, omnes conciones, verbis ex divina Scriptura mutuatis sæpe compingit.

Irreligiose autem & male fieri potest hæc illa appropriatio, primo quidem ab iis qui parum curantes quid a Scriptoribus sacris propositum fuerit, Scripturæ verba passim & ad libitum assumunt. Qua de re S. Hieronymus [a] graviter conqueritur his verbis: *Taceo*, inquit, *de mei similibus, qui si forte ad Scripturas sanctas, post sæculares literas venerint; & sermone composito aurem populi mulserint, quicquid dixerint, hoc Legem Dei putant: nec scire dignantur, quid Prophetæ, quid Apostoli senserint. Sed ad sensum suum incongrua aptant testimonia, quasi grande sit, & non vitiosissimum docendi genus, depravare sententias, & ad voluntatem suam, Scripturam trahere repugnantem. Quasi non legerimus Homerocentonas & Virgiliocentonas: ac non sic etiam Maronem sine Christo possimus dicere Christianum, quia scripserit:* Jam redit & virgo, redeunt Saturnia regna, jam nova progenies cœlo demittitur alto. *Et Patrem loquentem ad filium*, Nate meæ vires mea magna potentia solus. *Et post verba Salvatoris in Cruce.* Talia perstabat memorans fixusque manebat: *Puerilia sunt hæc, & circulatorum ludis similia.* Hæc S. Hieronymus. Quibus verbis carpit non tantum eos, qui ejusmodi allusiones jactitant, veluti Literarium aut Mysticum sensum, sed etiam eos qui illis indulgent, nec inquirere dignantur quid Scriptores sacri senserint. Gravius peccant qui verba Scripturæ ad facetias & spurcitias transferunt, quos gravissime carpit Tridentina Synodus sub finem Sessionis IV. *Sancta*, inquit, *Synodus temeritatem illam reprimere volens, qua ad profana quæque convertuntur & torquentur verba & sententiæ sacræ Scripturæ, ad scurrilia scilicet, fabulosa vana, adulationes, detractiones, superstitiones impias, & diabolicas incantationes, divinationes, sortes, libellos etiam famosos, mandat & præcipit ad tollendam ejusmodi irreverentiam & contemptum, ne de cætero quisquam, quomodolibet Scripturæ sacræ ad hæc & similia audeat usurpare, &c.* Ubi etiam ejusmodi homines, *temeratores & violatores Verbi Dei* appellat.

[a] *Epist. ad Paulin.*

XVI. Ex hoc sensu Accommodatitio elici quidem potest argumentum a simili vel ab exemplo ad mores informandos. Sic S. Paulus Romanor. XV. v. 3. Ut persuaderet unumquemque proximo suo placere debere in bonum, adducit exemplum Christi: *Etenim*, inquit, *Christus non sibi placuit, sed sicut scriptum est; Improperia improperantium tibi ceciderunt super me.* Christi autem exemplum nobis inservit per accommodationem: nam, ait S. Petrus: [b] *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus.* Unde S. Paulus ibidem subjungit: *Quæcunque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt, ut per patientiam & consolationem Scripturarum spem habeamus.*

[b] *I. Petri II. v. 21.*

Ex illo autem accommodatitio sensu elici nequit efficax argumentum, ad fidei confirmanda dogmata, & profligandos Hæreticorum errores. Unde S. Hieronymus [c], explanans parabolam de fermento, quod abscondit mulier in farinæ satis tribus; postquam hanc similitudinem adorando Trinitatis mysterio adaptasset, subjungit: *Pius quidem sensus; sed nunquam parabolæ & dubia ænigmatum intelligentia potest ad auctoritatem dogmatum perducere.* Similiter S. Augustinus [d] invehens in Donatistas, qui Ecclesiam in sola Africa, eorum patria, illæsam & intactam permansisse suadere volebant ex illo Canticorum I. *Ubi pascas ubi cubes in meridie:* postquam hujus textus pravam usurpationem mirum in modum ventilasset & expugnasset, subjungit: *Quis autem non impudentissime nitatur aliquid in Allegoria pro se interpretari, nisi habeat & manifesta testimonia, quorum lumine illustrentur obscura?* Quamobrem S. Bernardus, alias Scripturarum concinnationibus diffluens, longe alio stylo eas profert, cum Abailardi errores insequitur, aut Gilberti Porretani: *Seria sunt hæc*, inquit, *quæ fidem tangunt, neque admittunt ludendi licentiam illam, quam minime respuit fide bene fundata devotio, aut etiam eruditio liberalis.* Quibus permittit quidem Scripturarum appropriationem Verbi divini Concionatoribus, non autem fidei dogmatum Assertoribus. Dum enim de fide agitur, & cum Hæreticis manus sunt conserendæ, & ipsæ Scripturæ ad quidvis vel confirmandum vel refellendum expromuntur, procul abesse debet omnis facilitas accommodandi Scripturam; serio agendum est, & ipsi sensui literario inhærendum.

[c] *lib. 2. in Matth.*

[d] *Epist. 48.*

XVII. Nihilominus admonet [e], non nisi summa cautione Scripturæ Allusionibus utendum esse, dum videlicet veritati & charitati Allusiones illæ concordant: *Non sane a prudente de diversitate sensuum judicabor, dummodo veritas utrobique nobis patrocinetur, & charitas cui Scripturas servire oportet, eo ædificet plures, quo plures ex eis in opus suum veros erudierit intellectus. Cur enim hoc displiceat in sensibus Scripturarum, quod in usibus rerum assidue experimur? In quantos (verbi causa) sola aqua nostrorum assumitur corporum usus? Ita unus quilibet divinus sermo non erit abs re, si diversos pariat intellectus, diversis animarum necessitatibus & usibus accommodandos.* Quibus, ut vides, agnoscit laudem omnem & decorem Allusionum in duobus consistere; quorum primum est, ut pietati proficiant: secundum, ut inserviant stabiliendæ veritati. Hinc graviter peccant Concionatores illi, qui inanis gloriolæ fumum ambientes, & plus Auditorum delectationi, quam emendationi ac ædificationi studentes, frivola multa, inania fereque ridicula effundunt, & Scripturæ sacræ majestatem suis profanis allusionibus labefactant.

[e] *Sermone 51. in Cant. num. 5.*

[a] *Prolog. in Script. ſacr. quæſt. 8. ſect. 3.*

Qua de re merito conqueritur Marius [a], ubi cum dixiſſet SS. Patres divinum Verbum ad populum facientes, aliquando a vero Scripturæ ſenſu, ad quandam accommodationem abire, ſubjungit. „ Quod tamen juniores Concionatores in Patribus „ potius venerari debent, quam imitari; „ etſi, proh dolor! hodie eo delapſi fere ſimus, ut quod Patres illi & raro fecerunt, „ & reverenter; id nunc & frequentiſſime, & pene ridicule fiat non ſine graviſſima Verbi divini violatione, dum potius ad populi laſcivum pruritum ex talibus accommodationibus admiratio populi, & laus ipſius Concionatoris quæritur, quam inſtructio populi & Dei laus. „ Et facerent Epiſcopi in diœceſibus ſuis „ magnum operæ ſuæ fructum, ſi in promptulos & temerarios iſtos divini Verbi „ tractatores, inſtituerent Ephoros & Cenſores a quibus formam Catecheticæ & „ gravis inſtructionis diſcerent, reſtricta inutili illa & pampinoſa verborum garrulitate, quæ cum abundantiſſime luxuriaverit, nihil fructus adfert. *Hæc ille* „.

Hic autem ſenſus *Accommodatitius*, alius dicitur *per Extenſionem*, qua verba Scripturæ determinata ad unam perſonam, ad aliam etiam extenduntur, ſic v. g. verba Pſalmi LXVIII. *Improperia improperantium tibi, ceciderunt ſuper me.* Quæ David de ſeipſo protulit, Paulus ad Romanos cap. XV. extendit & uſurpat ad ſignificandam Chriſti paſſionem & Chriſtianorum perſecutionem, unde ſubdit: *Quæcunque ſcripta ſunt, ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt, ut per patientiam & conſolationem Scripturarum ſpem habeamus.* Et alius *per Alluſionem*, cum Scripturæ verba alteri tribuimus & accommodamus, licet nulla inter eas res per ſe interveniat ſimilitudo naturalis aut moralis, v. g. ſi quis hæc verba Pſalmi LXII. adaptaret hominibus litigantibus, *Introibunt in inferiora terræ*, ideſt, detrudentur in carceres; *tradentur in manus gladii*, ideſt, Apparitores violentas in eos manus iniicient: *Partes vulpium erunt*, ideſt, eorum bona ac divitiæ a Procuratoribus & Patronis dilapidabuntur.

§. IV.

De Regulis ad Senſum literalem inveſtigandum.

XVIII. QUoniam autem ſenſus literalis præ cæteris ſpectandus eſt, uti aliorum radix & fundamentum, quo nutante, cæteri firmiter conſiſtere nequeunt; idcirco omni ſtudio hic eſt inveſtigandus. At, inquies, qua via in tanta verborum ambiguitate, tot dubiis, tot parabolis ac figuratis locutionibus, conſtare nobis poterit de vero & genuino Scripturæ ſenſu, quem Spiritus S. intenderit?

[b] *lib. 3. de Doct. Chriſt. ca. 30.*

Reſpondet S. Auguſtinus [b], Septem ex Ticonio Donatiſta regulas proponi, quibus, ait S. Auguſtinus, quaſi clavibus divinarum Scripturarum aperirentur occulta, Quarum *Prima* eſt de Domino & ejus corpore, quando ſcilicet tam ille quam hoc, velut una perſona accipiuntur, & quæ tribuuntur uni, etiam attribuuntur alteri. *Secunda* eſt de Domini corpore myſtico ac permixto, ſeu ſimulato, ideſt, de iis qui vere Domino, tanquam corpus in æternum adhærent, ut prædeſtinati & juſti; & de aliis qui Chriſto adhærere videntur, neque tamen veram cum eo habent conjunctionem, ut hypocritæ & mali Chriſtiani ſine bonis operibus mortuam fidem habentes. Sæpe enim fit, ut Scripturæ verba quæ ad hos diriguntur, etiam de aliis videantur accipienda propter temporalem commixtionem & communionem Sacramentorum, quo ſenſu accipienda ſunt hæc verba Canticorum v. 5. *Nigra ſum ſed formoſa, ſicut tabernacula Cedar, ſicut pelles Salomonis*, Non dicit, inquit Ticonius, *Fuſca ſicut tabernacula Cedar; & ſpecioſa ſum, ut pelles Salomonis: ſed utramque eſſe dixit propter temporalem unitatem intra una retia piſcium bonorum & malorum.*

Tertia regula eſt de promiſſis & Lege, ſeu de Spiritu & litera, vel de gratia & mandato, ut videlicet utrumque eſſe a Deo credatur. Nec Legem ſine gratia quicquam proficere; *Quam regulam non intelligentes Pelagiani*, inquit S. Auguſtinus cap. 33. *vel condiderunt ſuam hæreſim, vel auxerunt. Laboravit quidem in ea diſſolvenda Ticonius, bene, ſed non plene: diſputant enim de fide & operibus, opera dixit a Deo dari merito fidei: ipſam vero fidem ſic eſſe a nobis, ut nobis non ſit a Deo.*

Quarta regula eſt de ſpecie ac genere, ſeu de parte ac toto. Sæpe enim tranſit Scriptura ab una Gente ad univerſitatem nationum, tametſi unus orationis contextus appareat.

Quinta regula eſt de temporibus, aut per Tropum Synecdoches, quo a parte ad totum, aut a toto ad partem fit tranſitus. Sic S. Lucas IX. 28. *Poſt dies octo factum* dicit, quod S. Matthæus XVII. 1. *Poſt ſex dies: nempe quod facies Domini ſicut Sol reſplenduit, & veſtimenta ejus facta ſunt alba ſicut nix.* Utrumque enim verum eſſe non poſſet, quod de numero dierum dictum eſt, niſi ille qui dixit, *poſt dies octo*, intelligatur partem noviſſimam diei, ex quo id Chriſtus prædixit futurum, & partem primam diei, quo id oſtendit impletum, pro totis diebus duobus atque integris poſuiſſe: is vero qui dixit *poſt dies ſex*,

ſex, integros omnes & totos, ſed ſolos medios computaſſe. Hoc modo locutionis quo ſignificatur a parte totum, etiam illa de reſurrectione Chriſti ſolvitur quæſtio. Pars enim noviſſima diei, quo paſſus eſt, niſi pro toto die accipiatur, ideſt, adjuncta etiam nocte præterita, & nox in cujus parte ultima reſurrexit, niſi totus dies accipiatur, adjuncto ſcilicet die illuceſcente Dominico, non poſſunt eſſe tres dies & tres noctes, quibus ſe in corde terræ prædixit futurum. Legitimos autem numeros dicit, quos eminentius divina Scriptura commendat, ſicut ſeptenarium, vel denarium, vel duodenarium, & quicunque alii ſint, quos legendo ſtudioſi libenter agnoſcunt. Plerumque enim hujuſmodi numeri pro univerſo tempore ponuntur, ſicut, *Septies in die laudem dixi tibi:* nihil eſt aliud quam, *Semper laus ejus in ore meo.* Tantundem valent, & cum multiplicantur ſive per denarium, ſicut ſeptuaginta & ſeptingenti, unde poſſunt & ſeptuaginta anni Hieremiæ pro univerſo tempore ſpiritualiter accipi, quo eſt apud alienos Eccleſia: ſive per ſeipſos, ſicut decem per decem, centum ſunt; & duodecim per duodecim, centum quadraginta quatuor: quo numero ſignificatur univerſitas Sanctorum in Apocalypſi.

Sextam regulam Ticonius *Recapitulationem* vocat, quando ſcilicet ad id quod prius poſitum, aut prius ponendum fuerat redditur; ſic enim dicuntur quædam, quaſi ſequantur in ordine temporis, vel rerum continuatione narrentur, cum ad priora, quæ prætermiſſa fuerant, latenter narratio revocetur. *Septima* tandem regula eſt de Diabolo & ejus corpore, ut ſunt impii quorum eſt caput: plerumque enim fit ut ipſi tribuantur, quæ ejus corpori conveniunt, & e contra de impiis efferantur, quæ de illo fuerant enunciata. Sic quod ſcriptum eſt apud Iſaiam XIV. *Quomodo de cœlo cecidiſti Lucifer, &c.* Quæ ſub figura Regis Babylonis ad eandem perſonam dicta ſunt, de Diabolo utique intelliguntur, & tamen quod ibi dictum eſt, *Contritus eſt in terra, qui mittit ad omnes Gentes*, non ſolum ipſi capiti congruit; nam etſi mittat ad omnes Gentes Diabolus Angelos ſuos, tamen in terra corpus ejus, non ipſe conteritur; niſi quia ipſe eſt in corpore ſuo quod contritum fit ut pulvis quem proiicit ventus a facie terræ.

His ſeptem regulis, quas etiam habet S. Iſidorus [a], jactabat Ticonius diſſolvi poſſe quaſcunque difficultates. Verum nemo eſt in Scriptura verſatus, qui non videat illas nec ad id eſſe ſufficientes, nec ad omnem genuinum ſenſum literalem detegendum pleniſſime conferre.

[a] *lib. 1. de ſummo bono cap. 20.*

XIX. Quamobrem has ſequentes ſubiicio: quibus genuinus Scripturæ ſenſus poſſit deprehendi. *Primo* Scripturæ ſacræ verba, ut ſonant, accipienda ſunt, neque ad metaphoras aut ſenſus improprios ſunt inflectenda, niſi ex eiſdem proprie acceptis, ſenſus aliquis abſurdus eliceretur, ut docet S. Auguſtinus [b] ſupra laudatus: *Modus*, inquit, *inveniendæ locutionis, propria, an figurata ſit: & iſte omnino modus eſt, ut quicquid in ſermone divino, neque ad morum honeſtatem, neque ad fidei veritatem proprie referri poteſt, figuratum eſſe cognoſcas.* Et infra [c]: *Servabitur in locutione figurata regula hujuſmodi, ut tandiu verſetur diligenti conſideratione quod legitur, donec ad Regnum charitatis interpretatio perducatur. Si autem hoc jam proprie ſonat, nulla putetur figurata locutio. Si præceptiva locutio eſt, flagitium aut facinus vetans, aut utilitatem, aut beneficentiam jubens, non eſt figurata. Si autem flagitium aut facinus videtur jubere, aut utilitatem, aut beneficentiam vetare, figurata eſt.* Unde etiam Juriſconſulti *non aliter*, De Legatis & Fideicommiſſis, tradunt: *Non aliter a ſignificatione verborum recedi oportere, quam cum manifeſtum eſt aliud ſenſiſſe Teſtatorem.*

[b] Cap. 10.

[c] Cap. 15.

Secundo ex ſcopo & intentione Scribentis ſæpe colligitur mens & ſenſus verborum illius, maxime ſi attendatur, Quorſum, quibus, contra quos, ex cujus perſona, & quo in loco ſcripſerit. Quam utique Regulam tradit & approbat S. Hieronymus [d]: *Perſonarum mutatio*, inquit, *& maxime in Prophetis difficilem intellectum facit: quæ ſi ſuis locis & cauſis, temporibuſque reddantur, plana fient, quæ videbantur obſtura.* S. vero Cyrillus [e] propius ad ſcopum noſtrum admonet, *Ante omnia, quando locum Scripturæ aliquem recte intelligere volumus, tria diligenter conſideranda ſunt: tempus quando ſcriptum eſt quod dicitur: perſona quæ dicit, vel per quam aut de qua dicitur: & res propter quam, aut de qua ſcribitur: ſic enim abſque errore ſenſum poterimus verum inveſtigare.*

[d] *lib. 2. in Hierem. cap. 8.*

[e] *lib. 8. theſauri cap. 2.*

Tertio colligi certiſſime poteſt ſenſus literalis ex Conciliorum decretis, a quibus plerumque Canones conditi ſunt, ad certos Scripturæ locos explanandos; ſic in Concilio Sardicenſi, locus ille, *Pater major me eſt*, explicatus eſt de Chriſto quatenus eſt homo. In Milevitano illa Apoſtoli verba Rom. III. *Omnes peccaverunt*, ad peccatum originale definita ſunt. Sic in Tridentina Synodo plures Scripturarum loci ſunt illuſtrati, & quis eorum ſit genuinus ſenſus, per hujus Concilii Sanctiones & Decreta innotuit. *Accedunt* etiam ad eum ſcopum ſummorum Pontificum Decretales Epiſtolæ, quas magna veneratione ſuſcipiendas eſſe tradit Gelaſius Papa in Concilio Romano. Confert maxime ad iſtud Eccleſiæ traditio in SS. Doctorum ſcriptis conſulenda. Sic S. Auguſtinus [f]: *Multa in Scripturis ſacris interpretandis dici poſſunt, quæ improbanda non ſunt: ſed eligo in his verbis hoc eligere, quod omnis, vel pene omnis frequentat Eccleſia.* Vides quanti Auguſtinus facit Eccleſiæ ſenſum? Audi quoque Bernardum [g] ad Canonicos Lugdunenſes: *Nulla Eccleſiæ ratione placebit contra Eccleſiæ ritum præſumpta novitas, mater temeritatis, ſoror ſuperſtitionis, filia levitatis.*

[f] *Epiſt. 59. quæſt. 5.*

[g] *Epiſt. 154.*

Quarto, dum locus aliquis ſubinde obſcurus occurrit, dilucidari poteſt ex antece-den-

cedentibus & conſequentibus, ubi ſi omnia recte cohæreant, ſenſum habebis genuinum & literalem; contingit etiam ut idem textus interdum alibi per clariora verba proponatur, ad quæ recurrendum eſt, ut prior elucidetur. (16)

DISQUI-

(16) Plures ſolent a Sacris Commentatoribus regulæ præſcribi, quibus genuinum Scripturæ ſenſum a Spiritu Sancto intentum poſſimus addiſcere. Videri hac de re poſſunt Joſeph Maria de Turre Tract. 3. Quæſt. 3. Inſtitut. Artic. 12., nec non ad finem ejuſdem tractatus III. Alphonſus Salmero in Prolegomenis a nona videlicet uſque ad vigeſimum. Petrus Annatus in ſuo Apparatu ad Theolog. Tom. 1. Lib. 2. Artic. 8., & ſeqq. Præcipui autem, quos ad intelligendos divinæ Scripturæ ſenſus debemus conſulere proponuntur a Sixto Senenſi Lib. 3. Suæ Bibliothecæ Sanctæ veluti Duces, & Magiſtri; S. Hieronymus pro ſenſu literali: pro allegorico S. Ambroſius, & Origenes: pro morali SS. Chryſoſtomus, & Gregorius: pro anagogico denique S. Auguſtinus: quibus Lirinenſis Expoſitionem adjungit. Cum ſtudio, & diligentia, ut Scripturam optime intelligamus, animi puritatem, & cordis humilitatem adjungamus oportet. (W)

DISQUISITIONUM BIBLICARUM

LIBER QUINTUS.

IN QUO

De ſingulis libris Canonicis V. Teſtamenti eorumque Auctoribus.

DUplicem ſacrorum librorum Auctorem, *primarium* unum, *ſecundarium* alterum, pluries jam diximus. *Primarius* eſt *Spiritus S.* cujus irradiatione & afflatu dixerunt & ſcripſerunt Scriptores ſacri, qui *ſecundarii* Auctoris nomen & officium geſſerunt, quod divini Spiritus, velut Amanuenſes, ea literis exterius conſignarent, quæ ipſe interiori lumine & dictamine inſtillabat. Hic autem ſermo non eſt de ſacrorum librorum Auctore primario, quem citra controverſiam omnes divinum Spiritum eſſe fatentur.

Verum de Auctore ſecundario cujuſque libri Canonici, res non ita eſt explorata: neque enim de ſingulis idem ferendum eſt judicium. Siquidem ſunt aliqui libri Canonici, qui ſuum Auctorem manifeſte præ ſe ferunt: illi videlicet, qui ejus inſcribuntur nomine, cujus Oracula, recenſiones aut geſta enarrant. Sic nemini dubium eſt, Iſaiam, Jeremiam, Ezechielem & alios Prophetas, Auctores eſſe librorum ſacrorum, qui eorum nomine vulgantur. Nam eos, ut Auctores, libri illi profitentur, quemadmodum etiam de Epiſtolis SS. Pauli, Petri, Jacobi & Judæ compertum eſt. Sunt etiam, qui tametſi nullius determinati Auctoris nomine inſcribantur, nihilominus tamen conſtans ac perpetua Eccleſiæ traditio, libros iſtos certis Auctoribus adſcribit: ſic indubitatum fuit quavis ætate Canticum Canticorum & Proverbia Salomoni eſſe adſcribenda. Similiter quatuor Evangelia quæ Matthæi, Marci, Joannis, Lucæ nominibus circumferuntur, revera eorum eſſe genuina opera. Libri qui probabiles duntaxat determinatos habent Auctores; illi ſunt de quorum Scriptoribus varii, varia opinantur, cujuſmodi ſunt plurimi, ut apparebit ex diverſis ſententiis ac judiciis de libris Pentateuchi, Joſue, Regum, Pſalmorum, &c. *Denique* libri illi cenſentur incertos ac omnino dubios habere Scriptores, de quibus vel nihil ſtatui poteſt; vel ſi quid affirmetur, id ita fit levi & nutanti fundamento, ut res plane maneat incerta; aut ſi ex parte appareant argumenta, quæ librum alicui certo adjudicare videantur, ſunt etiam in contrarium ita urgentia, ut vix poſſis quidquam in alterutram partem definire; cujus generis ſunt Auctores libri Judicum, Ruth, Paralipomenon, &c. Quid autem veroſimilius de ſingulorum librorum Auctoribus nobis videatur, proferemus in ſequentibus capitibus, ubi nonnulla de omnibus libris Canonicis Veteris Teſtamenti ſigillatim delibabimus, eo ordine quo in ſacris Bibliis referuntur.

CAPUT PRIMUM.

Moſes revera Pentateuchum ſcripſit.

SUMMARIUM.

I. *Quinam ex Neotericis Moſem Pentateuchi Auctorem inficiantur.*

II. *Eorum error revincitur, ex ipſius Moſis & Pentateuchi oraculis.*

III. *Nec non ex aliis ſacris libris veteris Teſtamenti.*

IV. *Imo & plurimis Novi Teſtamenti textibus.*

V. *Proponuntur ac ſolvuntur eorum fundamenta, & declaratur cur Moſes ſcripſerit, ſe verba feciſſe ad Iſraelitas* trans Jordanem.

VI. *Quare in tertia perſona de ſe loquatur, propriaſque laudes & facta recenſeat.*

VII. *An ipſe mortem ſuam & ſepulturam, ſpiritu Prophetico ſcriptis mandarit.*

VIII. *Quare ſcribatur Chananæum tunc fuiſſe in ea regione, in qua peregrinabatur Abraham.*

IX.

IX. *Civitas Hebron ante Moſem ſuum nomen obtinuit.*
X. *Qua ratione ſcribere potuerit Moſes, Iſdraelitas manducaße Manna, donec obtinerent terram ſibi promißam, cum eo tempore non fuerit in vivis.*
XI. *Utrum ipſe* Reges Edom *& ejectionem* Horreorum, *ab Idumæis a Monte Seir ſcribere potuerit.*
XII. *Qualiter referre potuit, adhuc videri lectum ferreum* Og Regis Baſan *poſtremi Gigantum.*
XIII. *Quis fuerit* liber Bellorum Domini & liber Fœderis.
XIV. *Juliani oppoſitiones referuntur, & ex S. Cyrillo refelluntur.*
XV. *Quo tempore Moſes Pentateuchum ſcripſerit,*

I. QUerebatur olim Euſebius [a], quod vetus Moſis hiſtoria, quanquam omnium aures mortalium impleviſſet, a plurimis tamen, inſtar fabulæ belle excogitatæ, haberetur: at eandem querelam, hac noſtra ætate refricandi, juſtior ſane occurrit occaſio; prodeunt enim non raro e tenebris in infauſtam lucem (maxime eis in regionibus, ubi graſſanti hæreſi, ſapit id omne quod peſſimum eſt) opuſcula plurima, quibus homines nedum a fide Catholica, ſed etiam a Chriſtiana Religione & pietate prorſus alieni, de rebus fidei philoſophandi, ac ſentiendi libertatem affectantes, ut pietatis & fidei jugum excutiant, ejus fundamenta, nempe Scripturæ ſacræ divinam auctoritatem, convellere nituntur. Præcipuam vero ſuam ponunt operam adverſus Moſis Pentateuchum, cujus ut omnem auctoritatem elevent, aut ſaltem dubiam efficiant, incertum illius Auctorem eſſe profitentur.

[a] *lib. 1. de vita Conſtant. cap. 12.*

Ea fuit non ita pridem Thomæ Hobbeſii in ſuo *Leviathan* [b] peſtilens doctrina; qua etiam imbutus eſt La Peirere Auctor Syſtematis Theologici ex *Præadamitarum hypotheſi*, dum adhuc ineſcaretur Calviniſtarum erroribus, quos poſtmodum ad Eccleſiam Catholicam veritatis columnam confugiens, una cum ſuo libro ejuravit [c]. Eorum autem impia dogmata conſectatus eſt Spinosa Auctor tractatus titulo *Theologo polytici*, qui Anteceſſorum venena colligens, & ut ait Tertullianus [d], *Aſpis a vipera venenum mutuatus*, omnem Scripturæ ſacræ divinam auctoritatem elidere tentat; eamque in plurimis, maxime in Pentateucho nec Deum inſpiratorem, nec hominem divinitus afflatum Auctorem habere blaſphemat. Ut autem adverſus iſta & ſimilia venena paremus antidotum, ſit. (1)

[b] *cap. 33.*
[c] *lib. 4. cap. 1.*
[d] *lib. 2. adverſ. Marc. cap. 8.*

§. I.

(1) Thomas Hobbes in ſuo Leviathane Part. 3. Cap. ab Auctore noſtro citato *Libros Moſis* non ab Auctore, ſed ab objecto, non ſcilicet quod a Moſe conſcripti ſint ſed quod de Moſe agant, fuiſſe nominatos contendit. Non tamen inficiatur fieri poſſe, ut ea ſcripſerit, quæ his libris ab eo ſcripta eſſe narrantur, nimirum Librum legis, qui ut videtur Cap. XI. Deuter. uſque ad Caput XXVII. contineatur.

In Auctore fabulæ præadamiticæ ea inſedit opinio, quod Moſis Libri, quibus enarraverat Judæorum ſuorum faſtos, ab Adamo ſanguinis Judaici originario fonte ad ſua uſque tempora, nec non rerum omnium Geneſim ante Adamum conditum, perierint omnes, ſi nonnulla ex iis excerpta, & Schediaſmata quædam tumultuaria excipiamus.

Spinoſa, quamvis fateatur omnium ferme Antiquorum fuiſſe ſententiam, ut Moſes Pentateuchi Scriptor extiterit, laudat nihilominus Aben-Ezram, quod omnium primus hoc animadverterit præjudicium, quamvis mentem ſuam palam oſtendere auſus non fuerit. Ea itaque eſt Spinoſæ ſententia, quoſcumque videlicet libros, res ante ætatem Eſdræ recenſentes alium non habere auctorem, quam Eſdram ipſum, qui primum omnium Deuteronomium ſcripſerit, in quo Leges Patriæ continentur, quibus maxime populus indigebat. Studium deinde in integra Judæorum Hiſtoria elaboranda potuiſſe, cui poſtea Deuteronomium antea conſcriptum inſeruit. Primus autem ſuæ Hiſtoriæ quinque libros nomine Moſis vocaviſſe authumant, quod illius Ducis vitam, & geſta principalius, continerent. Ut autem impius Spinoſa quamcumque ferme auctoritatem, & fidem, præter quam humanam Pentateuchi libris detraheret, hæc de iis ſcribit in Cap. 9. ſui Trac. Hiſtorico-politici = Neque aliud feciſſe (Eſdram ait) quam Hiſtorias ex diverſis Scriptoribus colligere, & quandoque nonniſi quam ſimpliciter deſcribere; atque eas nondum examinatas, neque ordinatas poſteris reliquiſſe: denique omnia hæc promiſcue collecta, & coacervata fuiſſe, ut poſtea facilius examinarentur, & in ordinem redigerentur = Sequitur deinde, atque variis exemplis, & argumentis oſtendere aggreditur Eſdræ Commentarios mancos, mutilos, multiſque fœdatos mendis, omnes propterea non levi correctione indigentes ad nos perveniſſe.

Eamdem ferme cum Spinoſa ſententiam de abjudicandis Moyſi Pentateuchi libris tuetur Ricardus Simonius in ſua Hiſtor. Crit. veter. Teſtam. Lib. I. Cap. II. quamvis de illorum librorum Auctore diverſimode cogitet. Concedendum in primis exiſtimat, quoſdam a Moſe publicos fuiſſe Actuarios conſtitutos, qui, juxta Egyptiorum morem in aula Pharaonis a Moſe deprehenſum, quanta diligentia, ac fide poterant acta Iſraelitici populi literis conſignarent; ex quorum voluminibus poſtea, ea, quæ penes nos ſunt, Scripta Sacra ſint compilata. Hoc autem a variis factum eſſe contendit ex eo, quod Hiſtoriæ male junctæ ad invicem, & crebræ repetiones otioſæ, atque odioſæ in hiſce libris reperiantur. Concludit propterea priſci mundi, & Iſraelitici populi antiquiſſimam hiſtoriam non a manu Moſis, ſed ex quibuſdam Scribarum Commentariis ab hominibus variis modico præditis judicio, quibus tamen, per ludicrum certe, Spiritus Sancti ductus attribuitur, eſſe compilatam.

Joannes Clericus tandem quamvis irrideat Simonii ſcribas in hoc tamem cum ipſo conſentit, quod Pentateuchi Conſcriptionem abroget Moſi. Opinatur ergo vir hic eruditus Pentateuchi libros ab eo fuiſſe Sacerdote exaratos, qui e Babylone ad incolas Palæſtinæ Dei cultum, & religionem edocendos miſſus fuit. Hic itaque Sacrificus, inquit Clericus, ſive ſolus, ſive adjutus ab aliis, ut rudes illos populos ab inſana πολυθεΐας opinione abduceret, hiſtoriam de mundo unius Dei virtute condito, & epitomen Hiſtoriæ Judaicæ uſque ad legem molitus eſt, ut palam fieret nonniſi unum eſſe Deum, eum videlicet, quem Iſraelitæ colebant. In hac hypotheſi Criticus iſte quaſcumque convelli difficultates criticas circa Pentateuchi Auctorem arbitratur. Hæc ferme omnia ex Cap. 14. Libri 1. Miſcellaneorum Sacrorum Hermanni Witsii collegimus, ut eorum opiniones, qui Pentateuchi Auctorem Moſen inficiantur extitiſſe, facilius innoteſcant. (W)

§. I.

Ex Scriptura ſacra aperte colligitur Moſem, Deo jubente, ac inſpirante, Pentateuchum ſcripſiſſe.

QUalis quantuſque vir fuerit Moſes & quam eximia ſanctitate atque ſapientia præditus, luculentiſſimis oraculis teſtatur Scriptura ſacra: illo præcipue ipſius Dei pro Moſe adverſus Aaronem & Mariam ipſius impugnatores elogio: a *Si quis fuerit inter vos Propheta Domini, in viſione apparebo ei, vel per ſomnium loquar ad illum: At non talis ſervus meus Moyſes, qui in omni domo mea fideliſſimus eſt: ore enim ad os loquor ei, & palam, & non in ænigmate, & per figuras Dominum videt.* Et quod eodem capite Spiritus ſanctus ſcribi voluit: b *Erat enim Moſes vir mitiſſimus ſuper omnes homines, qui morabantur in terra.* Neque tamen illa morum comitas & manſuetudo quidquam ejus animi magnitudini & fortitudini detrahebat: Apoſtolus enim illum inter primos fidei ac veræ religionis heroes recenſet; c *Fide*, ait, *Moyſes grandis effectus, negavit ſe eſſe filium filiæ Pharaonis, magis eligens affligi cum populo Dei, quam temporalis peccati habere jucunditatem; majores divitias æſtimans theſauro Ægyptiorum improperium Chriſti.* Fuit itaque in eo manſuetudinis ac fortitudinis eximia conjunctio; ut quem manſuetudo populum Iſraeliticum, imo & fratrem Aaronem ac Mariam ſororem adverſum ſe murmurantes & rebellantes leniter patientem nec redarguentem exhibuerat, eundem fortitudo adverſus truces atque barbaras Pharaonis & Ægyptiorum intentatas minas, imperterritum atque conſtantem efficeret: ut videlicet hac utraque eximia virtute, (quas Regum duas manus, duoque brachia, apud Xenophontem, appellabat Cyrus) Moſes ad ſummum Iſraelitici populi imperium promoveretur. Quæ omnia egregie explicat Eccleſiaſticus his verbis: d *Dilectus Deo & hominibus Moyſes: cujus memoria in benedictione eſt. Similem illum fecit in gloria Sanctorum, & magnificavit eum in timore inimicorum, & in verbis ſuis monſtra placavit. Glorificavit illum in conſpectu Regum & juſſit illi coram populo ſuo, & oſtendit illi gloriam ſuam*, &c.

Inde eſt quod ſingulari Dei beneficio ſelectus eſt, ut eſſet ætate ſua viſibilis mediator Deum inter & homines. Unde populus Iſraeliticus ei dicebat; e *Loquere tu nobis & audiemus; non loquatur nobis Dominus ne forte moriamur.* Quare quæ ipſe vel in monte, vel in ſacro tabernaculo a Domino audiebat, deinceps populo renuntiabat, ita conſtituente Deo Exod. XVIII. 19. *Eſto tu populo in iis quæ ad Deum pertinent, ut referas quæ dicuntur ad eum.* Imo etiam medius Aaronem inter & Deum veluti ſequeſter ſtabat, ut apparet ex iis Dei ad illum verbis Exod. IV. 1. *Loquere ad eum* (Aaronem) *& pone verba mea in ore ejus, & ego ero in ore tuo, & in ore illius; & ipſe loquetur pro te ad populum, & erit os tuum: tu autem eris ei in iis quæ ad Deum pertinent.* Habebat etiam iſtud cum Aarone fratre ſingulare privilegium, ut Dei ſummus Sacerdos exiſteret dicente Pſalmiſta; f *Moſes & Aaron in Sacerdotibus ejus.* At ipſo Aarone fratre in eo videbatur ſacerdotio & pontificatu præſtantior, quod non ab hominibus, ſed ab ipſo Deo fuiſſet inauguratus, non ſolum in Sacerdotem, ſed etiam in Regem. Unde Philo Judæus, & S. Clemens Alexand. g egregie eum Sapientem, Regem & Legislatorem appellant. ἦν δ' ὁυτ ὁ μὲν Μωσῆς σοφὸς, βασιλεὺς, νομοθέτης. *Erat autem Moſes quidem ſapiens, Rex, Legislator.* Addit Philo *Sacerdotem & Prophetam.* Neque eximius ille virtutum omnium in Moſe concentus Ethnicos Sapientes latuit; nam ait S. Cyrillus, h Diodorus Siculus qui res Ægyptiorum curioſe perquiſivit, ait ſe de Moſe ex illorum Sapientibus audiviſſe, quod *poſt antiquum vivendi apud Ægyptios morem, qualem ſub Diis & Heroibus fuiſſe illic fabulantur, primo multitudinem legibus ſcriptis uti & vivere perſuaſam ferunt a viro magni animi, & novo genere vitæ apud Judæos, omnium quot unquam fuerant, maxime ſuſpiciendo, qui Moſes Deus vocaretur: cum enim omni virtute conſpicarentur Moſem, Deum ipſum appellarunt: quem nonnulli, ut opinor, apud Ægyptios colerent, inſuper gnari ſupremum Deum ei hæc dixiſſe: Ecce dedi te Deum Pharaoni.* At de his iterum erit ſermo.

Ipſius pariter divinam Sapientiam commendat S. Stephanus dicens: i *Eodem tempore natus eſt Moyſes, & fuit gratus Deo, & eruditus in omni ſapientia Ægyptiorum, & erat potens in verbis & operibus ſuis.* Quod plenius declarat Philo Judæus; k

„ Nactus, *ait*, educationem regiam Moſes, nequaquam puerorum more delectabatur blanditiis, jocis, aut luſibus, „ quamvis indulgenter haberetur ab educatoribus; ſed jam tum modeſtiam gravitatemque præferens, malebat audire „ ſpectareque utilia. Confeſtim itaque acceſſerunt aliunde Præceptores quidam „ ſponte venientes ex proximis Ægypti „ Præfecturis; alii magnis pretiis invitati „ e Græcia: eos autem puer intra modicum tempus ſuperavit, nativa docilitate inſtitutionem præcurrens; ut reminiſci „ videretur, non diſcere: in rebus difficilioribus de ſuo comminiſcens aliquid; „ quippe præclara ingenia multa novant „ circa ſcientias.... Itaque Numeros & „ Geometriam, univerſamque Muſicam, tum

a *Numer.* XII. 6. 7. 8.

b *Ibid.* v. 3.

c *Hebr.* XI. 24.

d *Cap.* XLV.

e *Exod.* XX. 19.

f *Pſalm.* LXXXVIII.

g *lib.* 2. *ſtrom. p.* 367.

h *lib.* 1. *contr. Julian. pag.* 15.

i *Act.* VII. 20. 22.

k *lib.* 1. *de vita Moſis.*

„ tum practicam, tum contemplativam ac-
„ cepit ab Ægyptiis Doctoribus: & inſu-
„ per occultam Philoſophiam deſcriptam li-
„ teris, ut vocant, Hieroglyphicis, hoc
„ eſt, notis animalium, quæ ipſi vene-
„ rantur pro Numinibus. Reliquas libera-
„ les artes Græci docebant. Ex propinquis
„ autem regionibus vocati Aſſyrii, ſuas li-
„ teras, & Chaldæi ſyderalem ſcientiam
„ tradebant. Obſervabat autem Moſes,
„ quid inter eos conveniebat, & quid dif-
„ ferebat: intactuſque a contentionibus,
„ veritatem tantum quærebat: multo ſe-
„ cus quam plerique, qui accepta ſemel
„ qualiacunque dogmata obſtinate defen-
„ dunt, ſive proba fuerint, ſive improba;
„ more videlicet Cauſidicorum mercenario-
„ rum, litibus ferendis & protelandis pro-
„ pter lucrum gaudentium, jus vero &
„ æquum negligentium. *Hæc Philo.* Simi-
a *lib. 1. Strom.* „ lia habet Clemens Alexandrinus. a

Verum lapſi in eo videntur, quod Moſem a Græcis præceptoribus edoctum & inſtitutum aſſerant. Tametſi enim omnem ſapientiæ palmam per omnes ætates Græci ſibi vendicare fuerint auſi: certum eſt tamen, eorum Sapientes (ut ſupra in capite 3. Libri primi demonſtravimus Moſe longe eſſe poſteriores; nam primi illi Græciæ Sapientes, ante quos nulla pene apud Græcos eruditio fuit, non niſi circa Olympiadem quinquageſimam floruerunt, id eſt, plus mille annis poſt Mo-
„ ſem. „ Tempore noſtrorum Prophetarum,
b *lib. 18. de Civit. cap. 37.* „ *inquit S. Auguſtinus*, b quorum jam ſcripta
„ ad omnium fere Gentium notitiam pervene-
„ runt, Philoſophi Gentium nondum erant,
„ qui hoc etiam nomine vocarentur, quod
„ cœpit a Samio Pythagora, qui eo tempore,
„ quo Judæorum ſoluta eſt captivitas, cœpit
„ excellere atque cognoſci. Multo ergo ma-
„ gis cæteri Philoſophi poſt Prophetas repe-
„ riuntur fuiſſe. Nam ipſe Socrates Athe-
„ nienſis, Magiſter omnium, qui tunc maxime
„ claruerunt, tenens in ea parte, quæ mora-
„ lis vel activa dicitur, principatum, poſt Eſ-
„ dram in Chronicis invenitur. Non mul-
„ to poſt etiam Plato natus eſt, qui longe
„ cæteros Socratis diſcipulos anteiret. Qui-
„ bus ſi addamus etiam ſuperiores, qui non-
„ dum Philoſophi vocabantur, ſeptem ſci-
„ licet Sapientes, ac deinde Phyſicos, qui
„ Thaleti ſucceſſerunt in perſcrutanda natu-
„ ra rerum, ſtudium ejus imitati, Anaxi-
„ mandrum ſcilicet, & Anaximenem, &
„ Anaxagoram, alioſque nonnullos, ante-
„ quam Pythagoras ſe Philoſophum primus
„ profiteretur; nec illi Prophetas noſtros
„ univerſos temporum antiquitate præce-
„ dunt: quandoquidem Thales, poſt quem
„ cæteri fuerunt, regnante Romulo emi-
„ cuiſſe fertur, quando de fontibus Iſrael
„ in eis literis, quæ toto Orbe manarent,
„ Prophetiæ flumen erupit. Soli igitur illi
„ Theologi Poetæ, Orphæus, Linus, Mu-
„ ſæus, & ſi quis alius apud Græcos fuit,
„ his Prophetis Hebræis, quorum ſcripta in
„ auctoritate habemus, annis reperiuntur
„ priores. Sed nec ipſi verum Theologum
„ noſtrum Moſem, qui unum verum Deum
„ veraciter prædicavit, cujus nunc ſcripta
„ in auctoritatis Canone prima ſunt, tem-
„ pore prævenerunt: ac per hoc, quantum
„ ad Græcos attinet, in qua lingua literæ
„ hujus ſæculi maxime efferbuerunt, nihil
„ habent, unde ſapientiam ſuam jactent, quo
„ religione noſtra, ubi vera ſapientia eſt, ſi
„ non ſuperior, ſaltem videatur antiquior.

Ita S. Auguſtinus. Cui ea in ſententia præiverunt omnes Chriſtianæ fidei Aſſertores Juſtinus Martyr, tam in Exhortatione ad Gentes, quam in Apologia ſua ſecunda; Clemens Alexandrinus in Libris Stromatum; Theophilus, & cæteri a nobis ſupra recenſiti.

Neque diffitentur Veteres ipſi Græcorum Sapientes, quippe Plato omnium poſt Socratem Græcorum Sapientiſſimus, de Solone refert, c quod cum apud Ægyptios ſcien- c *in Timæo.*
tiæ capeſſendæ cauſa peregrinarentur, ab Ægyptio quodam jam grandævo Sacerdote audivit: *O Solon, Solon, Græci ſemper eſtis pueri, ſenex vero Græcus nemo eſt; juvenes ſiquidem animis omnes, nullam habetis in vobis antiquam opinionem, neque diſciplinam tempore confirmatam: ſed vos fallit quod per multas ætates literarum expertes ac muti fueritis. Ex quibus*, inquit S. Cyrillus, d *facile*, d *lib. 1. contra Julian. pag. 15.*
ut reor, quiſpiam deprehenderit antiquiſſima eſſe Chriſtianorum dogmata: nondum enim apud Græcos literarum erat ſcientia, vixque Cadmus eas e Phœnicia ipſis attulerat, cum jam ſcripta Moſis extarent.

Neque vero ſapientia Ægyptiorum, inquit S. Auguſtinus, e tametſi Græcorum ſapien- e *loco ſupra laudato.*
tia antiquior, *ſapientiam Prophetarum noſtrorum tempore antecedere potuit*, quandoquidem *& Abraham Propheta fuit, quid autem ſapientiæ potuit eſſe in Ægypto, antequam eis Iſis, (quam mortuam tanquam Deam magnam colendam putaverunt) literas traderet? Iſis autem Inachi filia fuiſſe proditur, qui primus regnare cœpit Argivis, quando Abrahæ jam nepotes reperiuntur exorti.* Unde cap. 39. generatim concludit Ægyptiorum ſapientiam in qua eruditum Moſem teſtatur S. Stephanus, non aliam fuiſſe quam Aſtronomiam: *Nam*, inquit, *quod attinet ad Philoſophiam, quæ ſe docere aliquid profitetur, unde fiant homines beati, circa tempora Mercurii, quem vocaverunt Triſmegiſtum, in illis terris ejuſmodi ſtudia claruerunt: longe quidem ante Sapientes vel Philoſophos Græciæ, ſed tamen poſt Abraham, Iſaac, & Jacob, & Joſeph: nimirum etiam poſt ipſum Moſem. Eo quippe tempore, quo Moſes natus eſt, fuiſſe reperitur Atlas ille magnus Aſtrologus Promethæi frater maternus, avus Mercurii majoris, cujus nepos fuit Mercurius iſte Triſmegiſtus. Fruſtra itaque vaniſſima præſumptione garriunt quidam dicentes, ex quo rationem ſyderum comprehendit Ægyptus, amplius quam centum annorum millia numerarii: in quibus enim libris iſtum numerum collegerunt, qui non multum ante annorum duo millia literas magiſtra Iſide didicerunt? Non enim parvus Auctor eſt in hiſtoria Varro, qui hoc prodidit, quod a literarum etiam divinarum veritate*

non

non diſſonat. Ex his itaque apertiſſime conſtat, Moſem ſæculis omnibus commendatiſſimum ac celeberrimum fuiſſe, tum ob eximiam ſanctitatem, tum propter ſingularem ſapientiam, qua cæteris, tam ſacris, quam prophanis Sapientibus præluxit, uti pleniſſime jam a nobis demonſtratum eſt. Unde merito Theodoretus [a] eum appellat *Sapientiæ Oceanum, a quo alii fluvii emanarunt,* Nunc vero probandum incumbit eum revera eſſe Auctorem librorum illorum, qui *Pentateuchi* nomine circumferuntur.

[a] *lib. 2. de curandis Græc. affect.*

II. Moſem aliquos libros ſcripſiſſe, tot Scripturæ ſacræ textibus teſtatum habemus, ut omnem fidem & religionem exuiſſe neceſſum ſit, quiſquis iſtud in dubium & controverſiam revocaverit; id etiam ultro concedunt Novatores illi, quos jam impugnandos ſuſcipio. At controverſiæ præſentis cardo in eo maxime vertitur, utrum Pentateuchus, ſeu quinque illi libri ſacri, qui Moſis nomine circumferuntur, revera ab eo ſint editi. Fatentur equidem Adverſarii omnes, quæ in eis libris divinæ ſunt Leges, maxime Decalogus, a Moſe Deo mandante, fuiſſe conſcriptas; id enim ſinguli pene libri ſacri apertiſſime referunt. Sic ſcriptum habemus in Exodo, quod cum Moſes divina mandata in monte accepta Iſraelitico populo, Dei juſſu, ſignificaſſet, [b] *Scripſit Moyſes univerſos ſermones Domini.* Et paulo poſt: *Aſſumenſque volumen fœderis, legit audiente populo.* Et rurſum. [c] *Scribe tibi verba hæc, quibus, & tecum, & cum Iſrael, pepigi fœdus.* Et in Deuteronomio, [d] *Scripſit itaque Moyſes Legem hanc, & tradidit eam Sacerdotibus filiis Levi, qui portabant arcam fœderis Domini, & cunctis Senioribus Iſrael.*

[b] *Exod. cap. 24. 4. & 7.*

[c] *Exod. cap. 34. 27.*

[d] *Deut. 31. 9.*

Præterea, Joſue in libro ipſius nomine inſcripto, dicitur mandata eſſe executus. *Quæcunque a Deo Moſi tradita fuerant;* id autem, ut accurate fieri poſſet, deſcriptum eſſe oportuit. Confirmatur ex his verbis Dei ad Joſue: [e] *Confortare igitur, & eſto robuſtus valde, ut cuſtodias, & facias omnem Legem, quam præcepit tibi Moyſes ſervus meus: ne declines ab ea ad dextram, vel ad ſiniſtram, ut intelligas cuncta quæ agis. Non recedat volumen Legis hujus ab ore tuo, ſed meditaberis in eo diebus ac noctibus, ut cuſtodias & facias omnia quæ ſcripta ſunt in eo.* Sequitur ergo Legem Moſis, temporibus Joſue, ſcriptam extitiſſe.

[e] *Joſue 1. 78.*

III. Eandem veritatem confirmant innumeri alii Scripturarum textus, ex quibus compertum ſit Moſem Legem & præcepta a Deo accepta, ſcriptis mandaſſe: ſic præſertim III. Reg. cap. II. David Salomonem filium admonet; *Obſerva cuſtodias Domini Dei tui, ut ambules in viis ejus, ut cuſtodias cæremonias ejus, & præcepta ejus, & judicia, & teſtimonia, ſicut ſcriptum eſt in Lege Moyſi.* Sic XXI. Reg. cap. IV. *Si cuſtodierint univerſam Legem, quam mandavit eis ſervus meus Moyſes:* Et illa e XXIII. cap. libri ejuſdem de Joſia Rege: *Similis non fuit ante eum Rex qui reverteretur ad Dominum in omni corde ſuo, & in tota anima ſua, & in univerſa virtute ſua, juxta omnem Legem Moyſi.* Sic pariter apud Eſdram, plerumque fit mentio Legis, & voluminis Moſis.

Id ipſum etiam aperte a Prophetis traditum & aſſertum habemus; ſic Baruc Deum alloquens, commemoranſque ejus beneficia in Iſraelitas, ac judicia, ait: [f] *Feciſti in nobis Domine Deus noſter, ſecundum omnem bonitatem tuam, & ſecundum omnem miſerationem tuam illam magnam, ſicut locutus es in manu pueri tui Moyſi, in die qua præcepiſti ei, ſcribere Legem tuam, coram filiis Iſrael, dicens; ſi non audieritis vocem meam, multitudo hæc magna convertetur in minimam inter Gentes, &c.* Quæ habentur Levit. XXVI. 14. 15. 16. Inſigne eſt etiam illud Malach. IV. *Mementote Legis Moyſi ſervi mei, quam mandavi ei in Oreb, ad omnem Iſrael, præcepta & judicia.* Similiter Jeſus Syracides Auctor Eccleſiaſtici cap. 45. Moſem celebrat ex eo quod, *Dederit illi* (Deus) *coram præcepta, & Legem vitæ & diſciplinæ, docere Jacob teſtamentum ſuum, & judicia ſua Iſrael.* Plurima denique in libris Machabæorum Moſaicæ Legis fit commemoratio: præſertim lib. II. cap. VII. 6. & 30. ubi ſeptem fratrum Martyrum junior tyrannum interpellans, conſtanter ait: *Quem ſuſtinetis? non obedio præcepto Regis, ſed præcepto Legis quæ nobis data eſt per Moyſem,* qui prohibet edendas carnes porcinas, ad quarum eſum contra præſcriptum Legis provocabantur.

[f] *Cap. 2.*

Adverſus iſta non reclamant adverſarii: At, inquit Spinoſa, hic liber Legis, quem ſcripſit Moſes, quemque Sacerdotibus tradidit, ut ipſum certo tempore omni populo publice legerent, non erat Pentateuchus integer; quandoquidem in una concione, ita perlegi poterat, ut ab omnibus intelligeretur: ſed *vel* aliquis Legum Moſaicarum codicillus, quem Auctor Pentateuchi ſuo operi ordine inſeruit; *vel* certe Deuteronomii capitula quædam, ea maxime quæ Leges Iſraelitis a Moſe præſcriptas comprehendunt; quæque Joſue deſcripſit in Ara Hebalitana confecta ex duodecim lapidibus, quos de medio Jordanis alveo in caſtra deferri juſſerat; ſic enim legimus in ejus libro: [g] *Et ſcripſit ſuper lapides Deuteronomium Legis Moyſi, quod ille digeſſerat coram filiis Iſrael.*

[g] *cap. 8. v. 31.*

Verum quam abſurde hic argutator hallucinetur, & quiſquis cum eo ſapit, apparet ex ipſo Moſis Deuteronomio, maxime cap. XXXI. v. 9. Ubi Moſes nedum hujus libri quorumdam capitum, ſed omnium ſcriptor perhibetur his verbis: *Scripſit itaque Moyſes Legem hanc, & tradidit eam Sacerdotibus filiis Levi.* Aliorum itidem Librorum Pentateuchi Moſem Auctorem fuiſſe plurima demonſtrant. Iſtud præcipue Exodi XVII. 24. Ubi Moſes aſſerit ſibi a Deo mandatum fuiſſe, ut res a populo Dei geſtas, præſertim expugnationem & victoriam Amalecitarum in literas referret; *Scribe hoc ob monumentum in libro & trade auribus Joſue.*

Sequitur ergo hiſtoriam illam, & Legem Moſis, temporibus Joſue, ſcriptam extitiſſe: Nec *Legem* ſolum *ſecundam*, quæ Deuteronomium eſt: ſed priorem etiam quæ cæteros Moſis libros complectitur ac poſteriore amplior eſt; id enim neceſſum fuit, ut univerſis Moſis præceptis Joſue obtemperaret, & Iſraeliticum populum in eorum obſequium flecteret. Unde etiam ante latum Deuteronomium, Joſuam præceptis inſtruit Moſes, quæ quoque ipſe a Deo acceperat, ut legimus in libro Numerorum, [a] *Fecit Moyſes, ut præceperat Dominus: cumque tuliſſet & Joſue ſtatuit eum coram Eleazaro Sacerdote, & omni frequentia populi, & impoſitis capiti ejus manibus, cuncta replicavit quæ mandaverat Dominus.* (2)

a *cap.* 27. 22. 23.

Accedunt ad hujus veritatis confirmationem utriuſque Teſtamenti innumeri textus, in quibus varia referuntur oracula ex Pentateucho excerpta, velut a Moſe conſcripta, [b] Sic, ut mox diximus, Baruc Deum alloquens, enarranſque ejus beneficia in Iſraeliticum populum, ait: *Feciſti in nobis Domine Deus noſter, ſecundum omnem bonitatem tuam, & ſecundum omnem miſerationem tuam illam magnam, ſicut locutus es in manu pueri tui Moyſi, in die qua præcepiſti ei ſcribere Legem tuam coram filiis Iſrael, dicens: ſi non audieritis vocem meam, multitudo hæc magna convertetur in minimam inter Gentes, &c.* quæ habentur [c] *Levitici XXVI.* 14. 15. 16. Plurima etiam recenſentur *Nehemiæ II.* ex Lege Moſaica quæ ſane in Deuteronomio non reperiuntur; ac ſubinde deprompta ſunt ex aliis Pentateuchi libris, maxime vero ex Levitico, ut conſtat. Sic enim invicem convenientes Iſraelitarum Principes & Optimates inierunt fœdus quo pollicentur ſe ſervaturos univerſa Dei præcepta, præſertim de non contrahendis matrimoniis cum alienigenis, de ſervandis Sabbato, anno ſeptimo, oblationibus, primitiis, ac decimis; & ut ligna inferrentur in domum Domini, arderentque ſemper ſuper ejus altare, ſicut ſcriptum eſt in lege Moyſi.

b *Cap.* 2.

c *Eſdræ* 2. *cap.* 10.

Similiter non pauca deprompta animadvertere licet in II. Paralip. cujuſmodi eſt illud cap. 30. v. 15. & 16. *Immolaverunt autem Phaſe quarta decima Die menſis ſecundi. Sacerdotes quoque, atque Levitæ tandem ſanctificati obtulerunt holocauſta in Domo Domini. Steteruntque in ordine ſuo juxta diſpoſitionem & Legem Moyſi hominis Dei.* Et cap. ſequenti. [d] *Pars autem Regis erat, ut de propria ejus ſubſtantia offerretur holocauſtum, mane ſemper & veſpere; Sabbatis quoque, & Calendis, & ſolemnitatibus cæteris, ſicut ſcriptum eſt in lege Moyſi. Et* cap. 35. v. 11. 12. *Et immolatum eſt Phaſe, aſperſeruntque Sacerdotes manu ſua ſanguinem, & Levitæ detraxerunt pelles holocauſtorum, & ſeparaverunt ea, ut darent per domos, & familias ſingulorum, & offerrentur Domino, ſicut ſcriptum eſt in libro Moyſi.* Ritus autem celebrandi Phaſe præſcribitur non in Deuteronomio ſed Exodi XII. Levitici XXIII. & Numer. XXVII. Quæ vero ſpectant ad holocauſtorum immolationem & ſervandas ſolemnitates, præcipiuntur in Levitico: neceſſum eſt ergo hos libros a Moſe fuiſſe conſcriptos, quippe cum ei in divinis illis oraculis adſcribantur.

d *Cap.* 31. *v.* 3.

IV. Plurimi ſunt itidem Novi Teſtamenti ſacri textus quibus eadem veritas confirmatur: Sic Lucæ 2. *Poſtquam impleti ſunt dies purgationis Mariæ, ſecundum legem Moyſi, tulerunt Jeſum in Hieruſalem ut ſiſterent eum Domino, ſicut ſcriptum eſt in lege Domini, &c.* Ubi lex Domini dicitur etiam lex Moſis, quoniam a Moſe pronuntiata & ſcripta: iſta vero habentur Exodi 13. & 34. & Numer. 8. Similiter Chriſtus Dominus plerumque in Evangelio affirmat, Moſem fuiſſe Legis Scriptorem: ſic Joannis V. v. 45. alloquens Judæos incredulos, quod eum in promiſſum a Prophetis maxime a Moſe admittere renuerent, ait: *Nolite putare, quia ego accuſaturus ſum vos apud Patrem, eſt qui accuſat vos Moyſes, in quo vos ſperatis: ſi enim crederetis Moyſi, forſitan crederetis & mihi, de me enim ille ſcripſit. Si autem illius literis non creditis, quomodo verbis meis credetis.* Unde cap. 1. v. 45. Philippus dicit ad Nathanael, *quem ſcripſit Moyſes in lege & Prophetæ, invenimus Jeſum filium Joſeph a Nazareth*: illa autem oracula quibus Meſſias prænuntiatur a Moyſe venturus, extant Geneſ. 49. v. 10. & Deuter. 14. v. 18. Vides itaque revera Moſem verbis Evangelicis affirmari Pentateuchi ſcriptorem. Id ipſum confirmat S. Petrus [e] ubi ſermonem faciens de lege Moſaica, per Evangelicam abrogata, nec ab Ethnicis ad Chriſtianam fidem receptis ſervanda, ait: *Moyſes enim a temporibus antiquis habet in ſingulis civitatibus, qui eum prædicent in Synagogis ubi per omne Sabbatum legitur.* Cui concordat S. Paulus qui ſermonem faciens de Judæis excæcatis ait: *Uſque in hodiernum diem cum legitur Moyſes velamen poſitum eſt ſuper cor eorum.* Cenſent igitur Moſem eos ſcripſiſſe libros qui a Judæis publice in ſuis Synagogis eo tempore legebantur. Hi autem præcipue erant quinque libri, Moſis vulgo

e *Act.* 15. *v.* 21.

Pen-

(2) Nedum Amalechitici belli Hiſtoriam præciſe, ſed quidquid ad ipſum relationem aliquam dicere potuit literis conſignaſſe Moſem fateamur oportet; qua nimirum ratione, & occaſione in deſertum ad confinia Amalechitarum Iſraelitæ progreſſi ſint, qua de cauſa inter ipſos, & Amalec bellum exarſerit, & quinam denique ipſi fuerint Amalecitæ, niſi Hiſtoriam mutilam prorſus, & detruncatam, poſteris penitus imperceptibilem a Sapientiſſimo Viro conſcriptam velimus adſerere, quod tanto Auctore eſſet indignum. Verum lis dirimitur prorſus, ſi quæ Numer. Cap. 33. ℣. 1. Scripta leguntur attendamus. = Hæ ſunt manſiones filiorum Iſrael, qui egreſſi ſunt de Egypto per turmas ſuas in manu Moyſi, & Aaron, quas deſcripſit Moyſes juſta Caſtrorum loca, quæ Domini juſſione mutabant = Egreſſus igitur populi ex Egypto, ejuſdemque in Deſerto Manſiones, & quidquid in ipſis propterea contigit a Moſe literis conſignata ſunt; non ergo ſola legis breviſſima compilatio Moſi poteſt attribui. (W)

Pentateuchus dicti, ut probatum eſt ſupra cap. 4. libri primi. (3)

His accedit receptiſſima ac perpetua traditio, qua hos quinque libros Moſi ſemper a Majoribus adſcriptos fuiſſe conſtantiſſimum eſt; Neque enim aut Pagani, aut Judæi, aut Chriſtiani unquam moverunt controverſiam, utrum libri iſti Moſi eſſent adjudicandi: ſed eos ut a Moſe exaratos indubitate ſupponentes, ex illis teſtimonia plurima deprompſerunt, quibus Judaicos ritus jam antiquatos Chriſtiani, & Chriſtianum dogma Judæi ac Ethnici impugnarunt, ut videre eſt apud S. Juſtinum, Athenagoram, Irenæum, alioſque veteres Chriſtianæ religionis Apologiſtas & Aſſertores. Adde quod ea traditio conſtanter ac religioſe Judæorum animis inſita fuerit, ut eum anathemate proſcribendum ſanxerint, qui eam veritatem inficiaretur, ut videre eſt in Talmud. *tract. Sanhedr.* & apud Rambam *tract. de pœnitent.* Concludendum itaque hos libros Moſi eſſe aſcribendos; ſiquidem uſitata eſt apud æquos omnes judices regula, ut libri qui certum nomen ſemper prætulerunt, ejus cenſeantur eſſe Scriptoris, cujus titulo inſigniuntur. Nemo namque ſanus dubitat Platonis, Ariſtotelis, Homeri, Virgilii, Ciceronis, &c. eſſe opera, quæ eorum nominibus inſcribuntur, ob perpetuum Græcorum & Latinorum de iſtis teſtimonium,

Simili argumento, quem dicunt ad hominem perſtringebat S. Auguſtinus Fauſtum Manichæum: [a] *Sicut ergo*, inquit, *ego credo illum Librum eſſe Manichæi, quoniam ex ipſo tempore, quo Manichæus vivebat in carne, per diſcipulos ejus certa ſucceſſione Præpoſitorum veſtrorum, ad veſtra uſque tempora cuſtoditus atque perductus eſt: ſic & iſtam Librum credite eſſe Matthæi*, (idem eſto judicium de cæteris Libris ſacris) *quem ex illo tempore, quo Matthæus ipſe in carne vixit, non interrupta ſerie temporum, Eccleſia certa connexionis ſucceſſione, uſque ad tempora iſta perduxit.*

a *lib.* 28. *cap.* 2.

Pergit S. Auguſt. eoſdem Manichæos urgens iterum: [b] *Platonis*, inquit, *Ariſtotelis, Ciceronis, Varronis, aliorumque ejuſmodi Auctorum libros, unde noverunt homines quod ipſorum ſint, niſi eadem temporum ſibimet ſuccedentium conteſtatione continua? Multi multa de literis Eccleſiaſticis conſcripſerunt, non quidem auctoritate Canonica, ſed aliquo adjuvandi ſtudio, ſive diſcendi: unde conſtat quid cujuſque ſit, niſi quia his temporibus quibus ea quiſque ſcripſit, quibus potuit inſinuavit atque edidit, & inde in alios atque alios continuata notitia, latiuſque formata, ad poſteros etiam, uſque ad noſtra tempora pervenerunt; ita ut interroganti cujuſquiſque liber ſit, non hæſitemus quid reſpondere debeamus.*

b *lib.* 33. *adverſ. Fauſt. cap.* 6.

Reponet fortaſſe Adverſariorum aliquis, venerandum Moſis nomen, ab aliquo interpolatore, hiſce libris fuiſſe adſcriptum, ut ſub antiquitatis, & celeberrimi Auctoris obtentu, eis auctoritatem & pretium faceret. At quiſquis iſtud effutiet, rem dicet minime credibilem, ut pote, quam nemo veterum Sapientum, per tot ſæcula huc uſque deprehenderit: nullus etiam, aut Judæis, aut Chriſtianis quantopere infenſus, ſerio objecerit unquam.

Adiiciet iterum, frigidam omnino hanc exceptionem eſſe: quis enim neſcit, Mercurii, Enochi, Zoroaſtris, Sibyllarum, & alios innumeros ejuſmodi libros, quos pro genuinis ſuſcipiebat & venerabatur ſapiens antiquitas, vere ſpurios ac ſuppoſititios a Recentioribus viris oculatioris indaginis fuiſſe deprehenſos? Quidni eadem de Moſis Libris ferenda ſit ſententia? *Reſpondeo*; fieri non potuiſſe ut Libri illi, quorum tota veritas & dignitas maxime pendet ab auctoritate & certitudine Scriptoris aſſerentis, ſe nihil aliud referre, quam quæ Deo, vel cooperante, vel dicente geſſerat aut audierat, ſuppoſititii cenſeri poſſint; præſertim cum Judæi impenſe ſtudere ac inquirere debuerint utrum Libri illi, a quibus univerſa pendebat eorum Religio & Moderatio revera a Moſe, ut ferebant, eſſent editi. Nemo enim neſcit totam Judaicam religionem, originem & hiſtoriam, ab his libris præcipue repeti, & unice pendere.

Inſtabit rurſus, tametſi libentiſſime concedatur, ea omnia quæ in his libris referuntur, a Moſe revera geſta fuiſſe vel dicta, inde non eſſe conſequens, hos libros ab eo fuiſſe conſcriptos: enimvero potuit re-

(3) Cum evidentibus Chriſti, & Apoſtolorum auctoritatibus ita perſtringerentur ii Critici, qui aliquid a Moſe Scriptum inficiantur, ut nullam elabendi rimam ſibi ſupereſſe dignoſcerent, ſuſpectam ipſius Salvatoris, & diſcipulorum ejus in rebus, quæ ad criticam attinent, teſtificationem habere veriti non ſunt. Hanc audaciſſimam temeritatem palam de ſeipſo facere Joannes Clericus non erubuit, dum in hæc prorupit verba = Dicat forſ„ taſſe aliquis Jeſum Chriſtum, & Apoſtolos Pen„ tateuchum ſæpius citare ſub nomine Moſis, eo„ rumque auctoritatem majoris ponderis habendam eſſe, quam omnes noſtras conjecturas. Re„ ſpondeo cum Jeſus Chriſtus & Apoſtoli non ve„ nerint in Mundum, ut Judæos Criticam docerent, mirum non eſt ſi loquantur ſecundum opi„ nionem vulgarem. Parum referre credebant an „ Moſes Pentateuchi auctor ſit an quivis alius; mo„ do hiſtoria pro vera agnoſcatur: & cum vulgares „ illæ opiniones non officerent pietati, non id ſibi „ operæ datum eſſe exiſtimarunt, ut Judæos avo„ carent ab iſthoc errore = Cujus hominis, religioſi quam valde non dixerim, ſed fidelis tantummodo, vultus non concidat, cor, animuſque ad tantam Critici immoderati petulantiam non contremiſcat; qui ſuas conjecturas Chriſti, & Apoſtolorum auctoritati præponere non formidat? Quid? Veritatis doctores, & Magiſtri, non Apoſtoli, non ipſemet Chriſtus? paſſi ne ſunt per communem errorem, aut Procerum auctoritatem, vel aſtum ſibi imponi aliquando? Vulgi errores amplecti, ſuaque fovere auctoritate venerat Chriſtus? Plura non dicam! Satis Critici oppoſitio ex ſe ſuam imbecillitatem non minus, quam profanitatem oſtendit. Quod autem pertinet ad opinionem eorum, qui vel ab Ezra, vel a Sacerdote in Palæſtinam Babylone demiſſo Pentateuchum fuiſſe conſcriptum arbitrantur, nihili facimus, cum diu ante iſtorum tempora Moſis libros in Judaica gente extitiſſe ex auctoritatibus a Fraſſenio ſub num III. propoſitis, ſatis ſit manifeſtum. (W)

recentior aliquis Judæus, longe poſt Moſis obitum, ea omnia, quæ ex Majorum traditione acceperat, ad Gentis ſuæ gloriam, Moſis nomine in libros referre, quo nobiliorem apud poſteros, & etiam exteros Judaicæ Gentis exiſtimationem pareret. Verum quiſquis hæc obtrudet, mente captum & a recta ratione ſe alienum eſſe demonſtrabit: etenim ſi hæc ita eſſent, concedendum eſſet pariter, Arcam Fœderis & Tabernaculum, quæ præcipua ſunt Moſaicæ Legis fundamenta & argumenta, nonniſi diu poſt vita functum Moſem, atque etiam poſt hujus libri evulgationem confecta fuiſſe: ſiquidem, ut antea prænotatum eſt, Moſes hos libros, in quibus divina Lex a Judæis ſervanda continebatur, tradidit Sacerdotibus, juſſitque reponi ad latus Arcæ Fœderis, ut ſingulis annis ea Lex populo Judaico in feſto Tabernaculorum legeretur. Notavimus etiam in his libris referri qualiter Deus Moſi pluries præſcripſerit, ut quæ divinitus geſta aut dictata fuerant, referret in libros. Quæ cum ita ſint, ſi Judæi tantum vivæ vocis oraculo, non ſolum Legem Decalogi, ſed etiam cætera præcepta, ſacroſque ritus & cæremonias a Moſe accepiſſent, qua ratione, quave religione, potuiſſent excipere librum, tot tamque putidis mendaciis ſcatentem; quique referret peculiare Dei mandatum de ſcribenda Lege, a Moſe divino ſuo Legislatore, neglectum ac prætermiſſum.

Deinde, omnes ſacri Ritus, omniaque Judaicæ Legis præcepta, quæ in hiſce libris referuntur, aut revera Moſem habent Auctorem, & eo vivente, apud Iſraelitas fuerunt in uſu: aut a privato quodam homine poſtmodum excogitata ſunt, & a Judæis pro ſacra Lege ſuſcepta. Si primum admiſeris, etiam fatearis neceſſe eſt, ea Moſis ætate fuiſſe conſcripta: quippe ingens illa ac numeroſa Mandatorum, Rituum ac Cæremoniarum congeries (quæ non niſi cum gravi peccato, & plerumque ſub mortis interminatione, prætermitti non poterant) propagari, nec exacte ſervari potuerunt, niſi perpetuo obverſarentur oculis, & in libros fuiſſent relata. Si ſecundum affirmes, neceſſum etiam erit fateri, Judæorum Gentem omnino fuiſſe ſtolidam, nec ullum apud Iſraelitas adeo fuiſſe oculatum & mentis ac rationis compotem, ut poſſet deprehendere & arguere ſubdolam impoſtoris illius vafritiem, qui Moſis nomine, Legem illam obtruderet. Quis vero credat Judæos tot Prophetis divinitus afflatis, tot ſapientiſſimis Pontificibus, Regibus ac Ducibus illuſtres, ita excordes fuiſſe ut paterentur tam apertum mendacium, & ſarcinam innumerabilium præceptorum, atque ſeveriſſimæ Legis onus ſibi imponi ab homine privato, nullaque divina virtute, cœleſtibus ſignis, ac miraculis conſpicuo? Qui fieri potuit ut Judæi omnes, omnibuſque ſæculis, tanta religione, tantaque animi firmitate ac conſtantia ſibi traditæ Legis obſervationi ſtuduerint, ut extrema quæque maluerint pati quam leviſſimam etiam illius obſervationem prætermittere, niſi quia illam a Deo per Moſem traditam compertiſſimum habebant. Hujus rei præclarum exemplum profert Joſephus [a] agens de obſidione Jeroſolymæ a Pompeio, ubi ſcribit: *Pompejus Judæorum tolerantiam & in aliis admiratus eſt: & præcipue, quod nihil Cæremoniarum, inter media tela verſantes, intermiſerunt. Sed velut in alta pace Civitas ageret, quotidie ſacrificia & victimas omnemque Dei cultum diligentiſſime celebrarunt: nec vel in ipſo excidio, cum ad aram in dies ſingulos trucidarentur, legitimis religionis ſuæ muneribus abſtinuerunt... Plurimi Sacerdotum, quanquam hoſtes ſtrictis gladiis irruentes videbant, intrepidi tamen in peragendis rebus divinis perſeverabant: & in ipſo libandi, templumque adolendi miniſterio mactabantur, ſaluti quoque præferentes Religionis obſequium.*

[a] *lib. 1. de bello Jud. cap. 5.*

Urgebis. Judæos facili negotio iſtud ſibi ſuaderi permiſiſſe, quod animadverterent, quæ narrantur in eis libris, plurimum conducere ad Gentis ſuæ gloriam; maxime quod in eis dicerentur Dei peculium, ab eo præ cæteris ſelectus populus, divinis illius beneficiis undique refertus, & multis prodigiis ac miraculis nobilitatus. Verum ſi hæc ita ſint, cur ergo paſſi ſunt in eis libris exarari, ac poſteritati in perpetuum conſignari horrenda Majorum ſuorum ſcelera, puta pluries iteratas in Deum, & Moſem ejus fidelem ſervum, illorum in deſerto perduelliones, querimonias, obmurmurationes, vituli aurei cultum, & idololatriam, etiam eo tempore quo eorum Dux & Legislator cum Deo in monte Sinai eorum cauſam agebat? Quid conducebant ad illius Gentis ſplendorem, ſeveriſſimæ illæ Dei in ingratam & rebellem Gentem animadverſiones, increpationes, atque terribiles minæ, quæ in his libris paſſim occurrunt? Nonne longius præſtabat ea perpetuo ſilentio committere, quam ad univerſas Gentes his ſcriptis in perpetuum evulgare? Videat ergo quiſquis iſta cogitat, quantum hallucinetur, dum ludicris iſtis perſuaſionibus, veritatem luce meridiana ſplendidiorem offuſcare nititur; & tam ludicro fundamento vult abjudicare Moſi eos libros, quos ei Sapientes quique, non ſolum e Judæis & Chriſtianis, ſed etiam ex Ethnicis conſtantiſſime omnibus ſæculis adſcripſerunt.

Si quis tamen, ait Grotius, [b] hanc veritatem magis ſpeciatim ſibi monſtrari poſtulet, hanc ei proponam receptiſſimam juris regulam: ut qui oppugnare velit ſcriptum aliquod, multa per ſæcula receptum, ei incumbat onus afferendi argumenta fidem ſcripto derogantia: ut videre eſt apud Baldum, [c] & Gailum [d] & alios quos ibi profert: quod ſi id facere nequeat, ſcriptum illud, ſeu liber iſte hauddubie eius erit, cujus nomen præ ſe fert. Porro, quam invalida ſint quæ nugatores nonnulli adverſus hanc conſtantiſſimam veritatem obtrudere ſolent, apparebit ex ſequenti paragrapho.

[b] *lib. 3. de Verit. Relig.*

[c] *in rubrica de fide inſtrum.*

[d] *lib. 11. obſ. 149. Num. 6. & 7.*

§. II.

§. II.

Proponuntur ac refelluntur argumenta oppoſitæ Sententiæ.

V. PLURIMA momenta ex ipſo Pentateucho colligunt & congerunt Adverſarii, ut ipſum alteri a Moſe Auctori & Scriptori adjudicent.

a *Deut.* 11. Primum repetunt ex his verbis. a *Hæc ſunt verba quæ locutus eſt Moyſes ad omnem Iſrael trans Iordanem;* oportet igitur inquiunt, ut Deuteronomii Auctor, dum iſta ſcriberet, fuerit in Terra Sancta, cujus habita ratione campeſtria Moab, ubi iſta Moſes protulit, ſunt trans Jordanem: at Moſes vadato Jordane, terram repromiſſam non eſt ingreſſus, ut conſtat ex Deut. III. 27. & XXXIV. 5. non ergo ille hæc ſcripſit; alioqui ſcribere debuiſſet, non *trans*, ſed *cis* Jordanem.

b *in hunc locum.* At hujus argumenti levitas vaneſcit in fumos, nam ait Vatablus b Hebræi eadem utuntur dictione, ſive *ultra Jordanem*, ſive *citra Jordanem* velint dicere, ut nonniſi ex loco loquentis & audientis, judicare poſſis, *ultra* ne, an *citra* dicendum ſit. Siquidem, ait Buxtorfius, vox עבר *Eber* non ſolum *trans* & *ultra*, ſed & *cis* & *citra* ſonat. Cum autem Deuteronomium legendum eſſet ſeptimo quoque anno in feſto tabernaculorum, coram Iſraelitis in terra ſancta jam exiſtentibus, ut præcipitur *Deuter.* XXXI. merito vulgatus Interpres, non ſcripſit *cis*, ſed *trans*; ne forte rudis & imperita Judaica plebecula exiſtimaret, Moſem contra Dei prohibitionem, vadato Jordane, in terram ſanctam intraſſe. (4)

VI. *Arguunt II.* Quoties Moſes ſua geſta narrat, de ſe ex propria loquitur perſona, nempe *Dixi vobis, &c. Dixit Dominus ad me, &c.* At Scriptor totius Pentateuchi, de Moſe quaſi de aliena perſona plerumque differit: *Sic*, inquit, *Deus cum Moyſe locutus eſt, &c. Deus loquebatur cum Moyſe facie ad faciem, &c. Iratuſque eſt Moyſes principibus exercitus, &c.*

Præterea Auctor ille, quiſquis eſt: perſæpe Moſis laudes & encomia celebrat: ſic Numer. XII. 3. *Erat Moyſes vir mitiſſimus ſuper omnes homines, &c.* Et Deut. XXXVI. 10. *Non ſurrexit ultra Prophetа in Iſrael, ſicut Moyſes, quem noſſet Dominus facie ad faciem, &c.* Hæc autem omnino aliena videntur ab eximia Moſis ſanctitate, & ſubinde humilitate & modeſtia, quæ proprias laudes refugit, & ab omni jactantiæ faſtu, ac fumo abhorret. *Denique* circa finem Deuteronomii, non ſolum mors & ſepultura Moſis refertur, ſed etiam luctus ingens ac ejulatus, quem per triginta dies continuos ediderunt Iſraelitæ, ob ejus obitum, ut hac funebri ac diuturna pompa, tanto Prophetæ parentarent. Quis autem, inquiunt, niſi vigilando ſomnians, hæc a Moſe ſcripta cogitabit?

At operoſum non erit iſta refellere. Nam quod ſpectat *ad primum* & *ſecundum* objectionis caput, nemo Eruditorum eſt qui neſciat, inſolitum non eſſe hiſtoricis aliqua geſta referentibus, quorum ipſi maxima pars fuerunt, de ſe veluti aliena perſona narrare, ſuaque ſicut & aliorum præclare geſta recenſere. Id enim familiare eſt Cæſari in ſuis commentariis bellicis; ſicut & Joſepho in libris de bello Judaico, & recenſione oppugnationis urbis Jotaparæ, cujus defenſioni præerat. Nullus tamen propterea eorum ſcripta ſugillavit, nec eis adjudicavit. Cur ergo eam ob rem a Moſe Pentateuchum detrahes? Nec obſtat, quod ubi verba quæ ipſe locutus eſt, recenſet, propriam ſemper perſonam induat; ſcribenti enim alienam quidem aſſumere perſonam interdum licet, loquenti nuſquam. Hinc Moſes paſſim, maxime in Deuteronomio, de ſe nunc in prima, nunc in tertia perſona narrat. Sic cap. XXXI. *Abiit itaque Moyſes & locutus eſt omnia verba hæc ad univerſum Iſrael, & dixit ad eos, centum viginti annorum ſum hodie, non poſſum ultra egredi, &c.* Iſta belle explicat & confirmat S. Gregorius Magnus: c *Moris Scripturæ ſacræ eſt*, inquit, *ut ipſi qui ſcribunt, ſic de ſe in illa quaſi de aliis loquantur. Hinc eſt enim quod Moyſes ait, erat Moyſes vir mitiſſimus ſuper omnes homines, qui morabantur in terra. Hinc Joannes dicit, diſcipulus ille quem diligebat Jeſus. Hinc Lucas ait:*

c *præfat. in Iob. cap.*

(4) Tradita a Fraſſenio reſponſio variis poteſt exemplis illuſtrari, & confirmari, compertum eſt enim vocem בעבר *be Eber* ſignificare *in tranſitu*, ſive *ad tranſitum*, & עבר *Eber*, *locum*, vel *partem juxta poſitam*. Lib. 1. Regum Cap. 14. ℣ 40. ita legimus dixiſſe Saul: *ſeparamini*, ſive *eſtote in partem unam*, ſeu ad latus unum לעבר אחד *le Eber Echad*; & ego cum Jonatha filio meo ero in parte altera לעבר אחד ſive *ad latus alterum*. Eiſdem libris Regum, nempe in III. Cap. 4. ℣. 24., in quo legimus Salomonem eſſe dominatum בכל-עבר הנהר *be col-Eber ha nahar*, ideſt, ut vertunt aliqui, *in tota citeriori parte fluminis*, & in omnes Reges, עבר הנהר *eber ha nahar*, qui erant circa ipſum flumen, videlicet Euphratem; imperium quippe Salomonis ultra flumen iſtud minime protendebatur. Liber Joſue ſcriptus creditur poſtquam Iſraelitæ Jordanem tranſiviſſent; conſtat pariter Reges in Cap. 5. ℣. 1. & in Cap. 9. ℣. 1. commemoratos ad eam Jordanis partem regnaſſe, ubi tunc Iſraelitæ morabantur, & tamen iidem Reges dicuntur fuiſſe בעבר הירדן *be Eber ha Jarden* unde neceſſario vertenda ſunt Hebraica verba *in tranſitu Jordanis*, aut *cis Jordanem*; ſi ſupponamus Joſue hujuſcemodi facta abſolute narraſſe, & abſque ulla relatione ad præcedentia, quæ geſta erant; ſi etenim ad illa relationem quamdam habuiſſe hiſtoricam narrationem Joſue ſupponamus ſcribere optime poterat non *cis*, ſed *trans* Jordanem; narrato quippe tranſitu Jordanis, atque aliis geſtis, non inordinate ſequitur Hiſtoricus, ſi dixerit: his auditis contremuerunt quotquot Reges trans Joardanem habitabant; hac etenim expreſſione, non locum ubi narrat, & ſcribit, ſed res antea geſtas reſpicere intendit. Quidquid ſit tamen de iſtis hoc unum concludimus, quod vox *eber*, æquali modo *cis*, & *ultra* ſignificat. (W)

ait: quod ambularent duo ex diſcipulis in via, Cleophas & alius. Deinde: *Scriptores igitur ſacri eloquii, qui impulſu Sancti Spiritus agitantur, ſic de ſe in illo teſtimonium, quaſi de aliis proferunt.* Dum vero Moſes virtutes ſuas jactare alicubi viſus eſt, minime id arroganter fecit, ſed pro ſuo candore, quo fit ut errata etiam ipſe ſua alias ingenue agnoſcat.

VII. *Ad ultimum objectionis caput*, nempe Moſis ſepulturam, Hebræorum per menſem luctum, & encomia hominis illius Dei-fici, quæ ad calcem Deuteronomii attexta ſunt, peryulgata eſt ſacrorum Interpretum ſententia, iſta non a Moſe, ſed ab aliquo poſteriore Scriptore adjuncta fuiſſe: ſive is fuerit Joſue, vel Synagoga magna, vel ipſemet Eſdras, qui ut loco ſuo demonſtrabimus, poſt ſolutam captivitatem Babylonicam & reverſos in patriam Iſraelitas, ſacros Libros recenſuit, & forte nonnulla quibus clarior, ac intellectu facilior fieret narratio, divino inſtinctu adjunxit. At hæc ſolutio, ut paulo poſt dicemus, nimium favet Adverſariis.

Verius ſentire videntur qui exiſtimant Moſem ſpiritu prophetico mortem ſuam in literas retuliſſe; ne fortaſſis eum propter egregias virtutes & præclara facinora, inſtar Patriarchæ Enoch, a Deo raptum, & in paradiſum viventem conſtitutum, Iſraelitæ opinarentur: quæ fuit Philonis & Joſephi ſententia, a qua non multum diverſus eſt Maimonides, [a] ſcribit enim Philo. [b] *Mirari convenit finem ſacrorum, quæ* (Moyſes) *reliquit voluminum, quæ ſunt caput juris totius: jam enim aſſumendus, & in ipſis ſtans carceribus, unde ad cæleſtem metam erat evolaturus, tunc quoque afflatus divinitus, vivens adhuc prophetavit de ipſo tanquam mortuo, ante obitum narrans ſe mortuum ſepultumque inſpectante nemine; videlicet manibus, non mortalium, ſed immortalium Virtutum, ne majorum quidem monumentis illatum; quippe cui monumentum contingit eximium haud cuiquam homini notum.* Concinit etiam Joſephus. [c] *In ſacris voluminibus*, inquit, *ſcripſit ſe mortuum, veritus ne propter excellentem ejus virtutem a Deo raptum prædicarent, & ipſum ut Numen colerent.*

a *in tract. de precib.*
b *lib. 3. de vita Moſis circa finem.*
c *lib. 4. antiq. circa fin.*

VIII. Tertium argumentum conficiunt ex iis verbis Geneſis, *Pertranſivit Abraham terram uſque ad locum Sichem, uſque ad convallem illuſtrem: Chananæus autem tunc erat in terra.* Quæ poſtremæ particulæ indicant, dum hæc ſcriberentur, Chananæum terram illam, quam incoluit Abraham, non occupaſſe; Nam ſi adhuc ibi extitiſſet, quorſum Scriptor illas particulas de præterito, *tunc erat*, adjeciſſet. At Moſis tempore nondum patria pulſi erant Chananæi; ſubindeque hæc a Moſe ſcribi non potuerunt.

Fuligine obducit oculos ut in meridie cæcutiat, quiſquis tam levibus momentis Pentateuchum Moſi abjudicat; quippe nemo eſt qui non videat, Moſem merito hoc commate, ſignificare voluiſſe Chananæos jam tum terram illam incoluiſſe, quando illuc primum venit Abraham; ut omnem obſcuritatem & ambiguitatem a ſua narratione removeret. Enimvero niſi adjecta fuiſſent hæc verba, quaſi per parentheſim (*Chananæus tunc erat in terra.*) haud dubie lector anceps & dubitandus hæſiſſet, quænam terram illam, ad quam pergebat Abraham, Gens occuparat; niſi præmonitus fuiſſet eam fuiſſe Chananæorum Gentem, cum qua deinceps victurus eſſet Abraham. Unde tantum abeſt, ut illa verba dubiam faciant Moſis ſcripturam, quinimo eam confirmant, quia ſi deeſſent, obſcura & implicata foret narratio.

Obiiciunt quarto. Pentateuchi Scriptor varia refert quæ non niſi diu poſt Moſis mortem contigerunt: nec non & aliqua quæ ultra ejus vitæ terminum producuntur. Primo namque commemorat aliqua Urbium & Regionum nomina, quæ poſt Moſis obitum indita ſunt. Sic in primis Geneſ. XIV. v. 14. legimus, quod cum Abrahamus audiviſſet nepotem ſuum Loth in captivitatem abduci a Regibus illis, qui expugnato Sodomorum Principe, debellatiſque Regibus ei fœderatis, regionem vaſtaverant, aſſumptis ſecum trecentis vernaculis ſuis, noctu in victores irruit; eoſque fugientes perſecutus eſt uſque DAN. Conſtat autem ex XVIII. *cap. libri Judicum*, longe poſt Abrahamum, & Moſem etiam, nomen *Dan* urbi huic & regioni inditum fuiſſe; ab iis videlicet ſexcentis viris de Tribu Dan, qui expugnata urbe Lais, eam ſuæ Tribus nomine, *Dan* appellaverunt. Itaque Moſes cenſeri non poteſt Auctor eorum librorum in quibus iſta narrantur.

Ut hanc difficultatem emolliant aut diſſolvant aliqui, reponunt vocem illam *Dan*, hoc Geneſeos loco, vel e margine in contextum intruſam ab imperito Scriptore; vel adjectam ab Eſdra, qui dum Libros ſacros, poſt ſolutam captivitatem Babylonicam, recognoſceret, vocabulum *Lais* ſua ætate propter vetuſtatem & deſuetudinem ignotum, trita & uſitata voce *Dan* mutarit. Plurimas namque voces, (inquiunt cum Andrea Maſio eruditiſſimo libri Joſue interprete) ſicubi ſe darent obſcuriores & difficiliores loci, ſecundum temporis oportunitatem & rerum variationem de ſuo in ſanctos libros, majoris claritatis ac facilioris intelligentiæ gratia, adjecit Eſdras.

Verum iſta reſponſio nimium tribuit Adverſariis, neque modicum favet eorum ſententiæ, qui Pentateuchum integrum Moſi abjudicant. Inde namque latiſſima patet via exiſtimandi, non ſolum voculas, ſed & ſententias integras; imo & narrationes alienas a Moſis hiſtoria, libris ejus nomine vulgatis, ab Eſdra fuiſſe inſertas. *Inſuper*, aperte profligatur a Joſepho lib. 1. contra Appionem, pag. 1037. ubi ſcribit: *Nos propriis literis credimus; tanto namque ſæculo jam præterito neque adjicere quidquam aliquis, nec auferre, nec transformare præſumpſit. Omnibus enim inſertum mox ex prima generatione Judæis, hanc divina dogmata nominare, & in his utique permanere:*

re: & propterea, ſi oporteat, mori libenter. Jam itaque multi captivorum frequenter tormentis affecti ſunt, & mortes varias in theatris ſuſtinuere, ne ullum verbum contra Leges admitterent aut conſcriptiones avitas violarent. Quibus perpenſis, quis in animum inducet, Eſdram Scripturæ ſacræ integritatem ac puritatem ſuis additamentis temerare auſum fuiſſe.

Hinc aliam ſolutionem ſubiicit Huetius [a] nempe vocem *Dan* aliunde quam a Danitis eſſe quærendam, ſcilicet ex fonte *Dan*. Ex duobus fontibus, *inquit*, & rivulis *Jor & Dan*, Jordanis flumen & nomen coaluiſſe, opinio eſt S. Hieronymi & Philoſtorgii apud Joannem Antiochenſem. Id ſi ſit, certe antequam urbi Lais nomen Dan indidiſſent Danitæ, alter fontium Jordanis, Dan nomen habuit; nam Jordanis nomen, Dane urbe vetuſtius eſt. Unde colligit fontem Dan ſignificaſſe Moſem, cum diceret, Abrahamum hoſtes perſecutum fuiſſe *uſque Dan?* Verum, forte Huetio, cum hæc ſcriberet, non venit in mentem longiſſima diſtantia fontem Jordanis inter & regionem Sodomæ vicinam, ubi illa celebris Abrahæ victoria contigit. Enimvero non minus quinquaginta leucis diſtat regio Sodomitica ab illa Jordanis ſcaturigine, ut norunt omnes ſacri Geographi, atque terræ ſanctæ Luſtratores & Peregrini. Quis autem in animum inducat, Abrahamum cum invalida & modica domeſticorum armatorum manu, ex inopinata irruptione territos atque confractos quinque Regum exercitus, tanto temporis ad id requiſito ſpatio, atque ad tantum locorum intervallum fuiſſe inſecutum; neque tot devictos hoſtes, adverſus proſequentes ſe imbelles adverſarios, agmine iterum coacto, atque viribus reſumptis, auſos fuiſſe repugnare?

[a] *lib. demonſt. Evang. pag.* 143.

Neque ejus conjecturæ favet quod Abraham dicatur inſecutus devictos hoſtes, *uſque Hoba, quæ eſt ad lævam Damaſci:* coniicerem enim voce *Damaſci*, hic non ſignificari Damaſcenam civitatem, quam non longe a Jordanis fontibus conſtituunt Geographi ſacri: ſed *agrum Damaſcenum* vicinum convalli Mambre, & Hebroni viculo, ubi tabernaculum ſuum ſtatuerat Abraham dum audiit captum Loth nepotem ſuum. Ut legimus *Geneſ. XIII. v.* 18. Iſti autem loci non longe diſtabant a regione Sodomitica.

Si in re perobſcura cuique conjectari liceat, veroſimilius dicendum arbitrarer, duplicem eſſe diſtinguendam civitatem *Dan*, Alteram quæ *Joſue XV. v.* 49. dicitur *Danna*, ſita inter Socoth & Cariath-Senna, quæ quarta deſcribitur in Regione ſive parte ſexta Tribus Juda; non longe diſſita a ſpelunca Odolam, nec multum diſtans a regione Sodomitica, & convalle Mambre ac Hebrone, ubi tunc temporis morabatur Abraham, cum captum audiit Loth nepotem ſuum: Alteram vero ſimplici nomine *Dan*, cui a Tribu ſua, ut refertur in objectione, Danitæ nomen fecerunt: hæc in parte extrema Septentrionali totius terræ promiſſæ ſita eſt, illa vero in Meridionali, quemadmodum & Berſabee. Unde tota terræ promiſſæ longitudo, ab hac civitate Dan, quæ prius Lais dicebatur, uſque Berſabee protenditur. Hinc Judicum XX. v. 1. *Filii Iſrael... congregati ſunt, quaſi vir unus de Dan uſque Berſabee* I. Reg. III. 20. *Cognovit univerſus a Dan uſque Berſabee, Iſrael quod fidelis Samuel Propheta eſſet Domini.* I. Paralip. XXI. v. 2. *Dixit David ad Joab & ad principes populi, ite & numerate Iſrael, a Berſabee uſque Dan,* & II. Paralip. XXX. v. 5. *ut mitterent nuntios in univerſum Iſrael, de Berſabee uſque Dan, ut facerent Phaſe Domino in Jeruſalem.* De priori autem civitate, nempe *Danna*, intelligendus videtur locus Geneſis, non vero de poſteriori; ſiquidem veroſimile non ſit, Abrahamum fugitivos hoſtes perſequentem, tot vaſtas excurriſſe regiones, quot interjacent a loco certaminis, ubi Reges prius victores proſtravit, ad illam civitatem Lais a Danitis occupatam. Hæc enim ab Hebrone & Regione Sodomitica, ubi Reges illi ab Abrahamo victi ſunt, diſtat pluſquam quinquaginta leucis: quis autem credat Abrahamum cum trecentis tantum armatis vernaculis ſuis quinque Regum devictos exercitus ad tantam locorum diſtantiam fuiſſe inſecutum?

Nec obſtat quod Geneſ. XIV. v. 15. dicatur eos perſecutus *uſque Hoba quæ eſt ad lævam Damaſci*: Nam, ut mox dicebam, voce *Damaſci* non hic intelligenda venit Damaſcena civitas, Syriæ totius aliquando maxima a Rege Davide capta, & in Tributum cenſita, quam non longe a Jordanis fontibus & civitate Lais conſtituunt Geographi ſacri; eadem enim recurreret difficultas: ſed alia cenſenda eſt urbs a qua ager Damaſcenus, Hebroni proximus, nomen obtinuit, & Eliezer ſervus Abraham dictus eſt *Damaſcus* Geneſ. XV. v. 2.

Neque etiam obeſt, quod viculum *Hoba* conſtituant Geographi e regione civitatis Damaſcenæ juxta fontes Jordanis. Hic enim apparet eorum lapſus, quod illam inter hanc urbem & locum certaminis & victoriæ Abrahamiticæ diſtantiam, accurate ſatis non fuerint meditati, nec adverterint iſta cum vulgari civitate Damaſcena non poſſe cohærere.

Hæc ut evidentiora fiant, advertendum eſt, cum Aria Montano in tabulis ſacris Geographicis, Tribum Dan duplicem eamque diſſitam occupaſſe regionem, alteram ſibi conceſſam in diſtributione terræ Chanaam quam Iſraeliticis Tribubus in ſortem & hæreditatem diviſit & aſſignavit Joſue: alteram armorum vi conquiſitam. Conceſſa ea regio dicitur quæ ſorte ipſis obtigit. Nam *Joſue XIX. v.* 40. legimus *Tribui filiorum Dan per familias ſuas egreſſa eſt ſors ſeptima, & fuit terminus poſſeſſionis ejus Sara & Eſthaol &c.* Habuerunt ergo Danitæ partem ſuam in terra Chanaam cum cæteris Iſraelitis. Quod inſuper confirmatur ex cap. XXI. ubi recenſentur civitates, quas ſingulæ Tribus,

ex aſſignata ſibi portione Levitis conceſſerunt; nam v. 23. iſta habentur: *De Tribu quoque Dan, Elthece & Gabathon, & Ajalon & Gethremmon; cum ſuburbanis ſuis civitates quatuor*, Unde quæ Judicum XVIII. v. 1. Legimus. *In diebus illis non erat Rex in Iſrael, & Tribus Dan quærebat poſſeſſionem ſibi, ut habitaret in ea: Uſque ad illum enim diem inter cæteras Tribus ſortem non acceperat*: non ſic intelligenda ſunt, quaſi nulla omnino ſors in diſtributione terræ Chanaam eis obveniſſet: ſed quod ea, qua potiebantur, anguſtior eſſet, quam quæ omnibus ſufficeret. Hinc alio non migravit univerſa Tribus Dan: ſed ſolum ſexcenti viri, qui juxta relationem exploratorum, perrexerunt ad urbem Lais civitatem quieſcentem & quaſi ſecuram, ut eam armorum vi occuparent; & partim interfectis, partim fugatis incolis, ſibi & civitatem & regionem vendicarent in poſſeſſionem.

Porro quam longe diſſita eſſet hæc civitas Lais ab ea regione quam in funiculo diſtributionis obtinuerat Tribus Danitica, apparet non ſolum ex tabulis Geographicis quæ inter utramque, conſtitutam exhibent dimidiam Tribum Nephtali & Manaſſes, & integram Tribum Aſſer; ſed etiam ex itineris linea quam confecerunt ſexcenti illi viri Daniticæ Tribus, ut ad civitatem Lais pertingerent: nam v. 12. egredientes de Saraa & Eſthaol aſcenderunt in Cariath-hiarim, inde tranſierunt in montem Ephraim, & tandem plurimo confecto itinere pervenerunt ad civitatem Lais. Itaque hæc civitas, cui poſt expugnationem ex Tribu ſua nomen fecerunt Danitæ, remotiſſima erat ab illa regione Tribui Daniticæ in ſortem a Joſue conceſſa. Igitur ut verbo concludam, locus ille Dan, cujus meminit Auctor Pentateuchi, cum refert Abrahamum inſequentem hoſtes uſque Dan, non idem erat, ſed omnino diverſus, ac longiſſime diſſitus a civitate Lais, quæ a Danitis nomen Dan poſtmodum obtinuit: & ut notat Auguſtinus Lubin in ſua Geographia, poſtea dicta eſt *Paneas*, deinde *Dioſpolis*, poſtmodum *Cæſarea Philippi*. Siquidem eandem eſſe Dan, ac Cæſarem Philippi, & Paneadem, certa eſt & indubitata S. Hieronymi ſententia; nam in Comment. ad Ezechiel. XXVII. *Ex nomine*, inquit, *Patriarchæ Dan, & Tribus, & locus in quo habitavit, nomen accepit; ubi hodie Paneas, quæ quondam Cæſarea Philippi vocabatur*. Idem habet in Amos VIII. ſimiliter & Matthæi XVI. *Philippus eſt iſte frater Herodis Tetrarcha Trachonitidis Regionis, qui in honorem Tiberii Cæſaris, Cæſaream Philippi, quæ nunc Paneas dicitur, appellavit*. Tandem *Neronias*, juxta fontes Jordanis fluvii in finibus Cœleſyriæ, & ad montis Libani radices ſita; nunc exciſa, vulgo *Belina*, ſeu *Belenas*, a quibuſdam *Bolbec* dicta: ſubindeque evanidum prorſus ac elumbe eſt hoc Argutatorum noſtrorum argumentum.

IX. Sed non majoris roboris & efficacitatis eſt, quod *Objectione quinta*, ex voce *Hebron*, cujus pluries meminit Pentateuchi Scriptor, colligere ſe putant; ſic enim argutantur. Pentateuchi quiſquis fuerit Auctor, ſæpius meminit civitatis Hebron, maxime Geneſis cap. XXIII. v. 2. & cap. XXXV. v. 27. At inquiunt, ea civitas, quæ antea vocabatur Cariath-arbe, nomine Hebron donata fuit ab Hebrone Calebi filio, poſt mortem Moſis, ut colligere licet ex his verbis Joſue XIV. v. 14. *Benedixit ei Joſue: & tradidit ei Hebron in poſſeſſionem, atque ex eo fuit Hebron Caleb filio Iephone Cenezæo uſque in præſentem diem: quia ſecutus eſt Dominum Deum Iſrael. Nomen Hebron ante vocabatur Cariath-arbe:* igitur Moſes meminiſſe non potuit ejus vocis & appellationis, quæ diu poſt ejus obitum facta eſt; nec proinde cenſendus eſt ſcripſiſſe libros in quibus Civitatis Hebronicæ fit mentio.

At quantumcumque in hujus argumenti vi & acumine glorientur Adverſarii, difficile non erit eam argutationem in fumos reſolvere: ſiquidem tantum abeſt ut civitati *Cariath-arbe* nomen *Hebron* fecerit Caleb ex nomine unius e ſuis filiis, ut hariolantur Adverſarii. Quinimo conjicere licet, civitatem illam antiquiſſimam, quæ a ſuo Conditore dicta fuerat Cariath-arbe; poſtmodum vero, ſed ante Iſraelitarum in Terram Chanaam adventum, ac ſubinde ante Moſem, Hebron fuerat appellata, nomen feciſſe uni ex filiis ſeu nepotibus Calebi: nam in II. cap. lib. 1. Paral. v. 43. inter Calebi nepotes recenſetur Hebron filius Mareſæ filii Caleb. Quod autem Hebron iſte nomen ſuum non indiderit civitati, quam armorum vi ab Enacibus extorſit Caleb; imo ipſe ab ea fuerit cognominatus (quemadmodum fieri ſolet a viris nobilitate illuſtribus, qui poſſeſſionum ſuarum nomina conſignant filiis ſuis) appareat ex eodem cap. Paralip. ibi namque animadvertere licet plurima familiarum capita appellata nominibus urbium, quæ eorum patribus ex ipſomet Calebo oriundis, in poſſeſſionem & dominium obtigerant. Legimus enim v. 50. & ſequent. *Hi erant filii Caleb, filii Hur, primogeniti Ephrata: Sobal pater Cariathiarim, Salma pater Bethlehem, Hariph pater Bethgader: fuerunt autem filii Sobal patris Cariathiarim, qui videbat dimidium requietionum. Et de cognatione Cariathiarim, Jethrei, & Aphuthei, & Samathei & Maſarei.* Ubi vides filium Salma vocatum Bethlehem; & filium Sobal Cariathiarim appellatum; nemo autem dixerit viros illos indidiſſe ſua nomina urbibus Bethlehem & Cariathiarim, quæ jam Iſaaci temporibus extabant & ita cognominabantur; [a] ſed potius illos earum urbium nomine fuiſſe donatos. Quidni igitur idem ferendum ſit judicium de Hebrone filio Calebi, qui ut ſuæ victoriæ gloriam & famam ad poſteros propagaret, voluit nepotem ſuum ex filio Mareſa, appellandum eſſe Hebron; nomine ſcilicet quo civitas a ſe expugnata temporibus iſtis appellabatur: antiquiſſimis vero temporibus & pridem ante Moſem dicebatur Cariath-arbe. Nam civitatis illius antiquitas appa-

[a] *Genes.* xxxv. 19.

apparet, ex Numer. XIII. 23. ubi legimus *Hebron ſeptem annis ante Tanim urbem Ægypti condita eſt*: Tanis vero Ægyptiarum urbium antiquiſſima celebratur ab auctoribus Ægyptiis, ut mirum non ſit quod civitas illa antiquiſſima, varias appellationes induerit; & quæ prius dicebatur Cariath-arbe, poſtmodum Hebron fuerit appellata ab aliquo forte Chananæorum principe, quorum tempore erat urbs Regia, ut videre eſt Joſue X. v. 23. Poſtea vero in Tribu Juda facta eſt civitas confugii ibid. cap. XXI. v. 13. & Levitis conceſſa. Tandem per ſeptem annos Davidis Regia; hodie vero ab incolis *Chalil* appellatur, Vides itaque quam inani ac levi fundamento nitantur Adverſarii, dum Pentateuchi libros Moſi abjudicant, quod illius Scriptor Hebronis quaſi recentioris appellationis meminerit.

X. *Proferunt ſexto* in ſuæ ſententiæ confirmationem iſtud Exod. XVI. v. 35. *Filii autem Iſrael comederunt manna quadraginta annis, donec venirent in terram habitabilem; hoc cibo aliti ſunt uſquequo tangerent fines terræ Chanaam.* Hæc autem, inquiunt, ſcribi non potuerunt a Moſe; quippe quandiu in vivis fuit, non alio pabulo quam Manna reficiebantur Iſraelitæ: neque cæleſtis hic cibus eis defuit, donec tranſmiſſo Jordane potiti ſunt frugibus terræ Chanaam, ut refertur Joſue V. v. 12. *Defecitque manna poſtquam comederent de frugibus terræ, nec uſi ſunt ultra cibo illo filii Iſrael; ſed comederunt de frugibus præſentis anni terræ Chanaam*, nonnullis videlicet poſt Moſis obitum annis. Itaque ea ab illo in literas referri non potuerunt: nec conſequenter cenſendus eſt Auctor librorum illorum in quibus iſta referuntur.

At qui iſta effutiunt, hauddubie aut diſſimulant, aut non advertunt Moſem ſingulari prophetica facultate a Deo donatum, iſta illiſque ſimilia ſpiritu prophetico prænuntiare potuiſſe, eique fuiſſe facillimum, quæ vi prophetica prænoverat, ſcriptis mandare. Si enim Deus ei revelavit, ut leginus *Num. XIV. v.* 33. Iſraelitas per annos 40. peregrinaturos in deſerto, antequam terra Chanaam ſibi in hæreditatem & poſſeſſionem repromiſſa potirentur; quidni etiam noſſe potuit, eos manna e cœlo depluente, tandiu divinitus alendos, donec optatam illam terram fuiſſent adepti, cum aliunde loci ſterilitas cibum denegaret.

At, inquies, Scriptor ille non ſolum quæ eventura ſint prænuntiat, neque duntaxat vatem agit, ſed hiſtoricum; non enim eventura prædicit, ſed quæ jam contigerint narrat. Cum autem iſta poſt Moſis obitum impleta ſint, non potuerunt ab eo recenſeri.

Neſcis ergo Prophetis eſſe præſentia quæ cæteris remotiſſima ſunt, & eos velut in proſpectu habere, quæ nonniſi plurimis poſtea temporibus accidere debeant; unde eorum vaticinia, non tam futurorum eventuum prædictio, quam præſentium intuitus & viſio, in Scriptura ſacra nominatur. Cum autem Moſes eximia prophetandi virtute polleret, noſſe potuit diſtinctiſſime quæ brevi poſtmodum tempore Judæis contingere debebant tranſmiſſo Jordane; ſic enim Deut. IV. & XXVII. plurima præſcribit ac prædicit Iſraelitis ab eis implenda cum vadato Jordane, terra Chanaam inciperent potiri. Potuit ergo etiam deſitionem cibi cæleſtis ſpiritu prophetico ſibi jam præſentem, tametſi revera aliis eſſet futura, in literas referre.

His adde quod priuſquam iſta ſcriberet, & vitam cum morte commutaret Moſes, jam Iſraeliticus populus potitus fuerat frugibus terræ Chanaam, cum jam expugnati & exterminati fuiſſent omnes Reges & populi Chananæi trans Jordanem, ut videre eſt *Deuter. III.* ſubindeque jam forte deſierat Manna, atque ejus ceſſationem ſcribere potuit primum Moſes, quam iterum Auctor libri Joſue commemoravit.

XI. *Proferunt ſeptimo* iſtud Gen. XXXVI. 31. *Reges autem qui regnaverunt in terra Edom antequam Regem haberent filii Iſrael, fuerunt hi, &c.* ubi Auctor recenſet nomina octo Regum poſterorum Eſau qui in Idumæa regnaverunt, deinde ſubiicit nomina undecim Principum, qui extinctis Regibus ibidem imperarunt, antequam Iſraelitæ Reges haberent: ubi ſine dubio refert hiſtoricus quos Reges & Principes Idumæi habuerint, priuſquam David eos ſubegiſſet, & in ipſa Idumæa conſtituiſſet Principes, ut videre eſt II. Regum cap. VIII. 14. Hæc autem cum plurimis poſt Moſis obitum annis contigerint, ab eo non potuerunt ſcribi.

Reponere ſolent Interpretes, Moſem divinitus prænoſſe potuiſſe, quinam apud Idumæos regnaturi eſſent, quemadmodum prænoverat futurum, ut aliquando Iſraelitæ ſibi Regem præficerent, ut videre eſt Deut. VII. v. 14.

At verius dicendum arbitror, Moſem eo loco non rem futuram prænuntiaſſe, ſed recenſuiſſe partim præteritam, partim præſentem: ſiquidem illi octo Reges ab Eſau Idumæorum parente ac primario principe ad Moſis tempora regnare potuerunt: ſunt enim plures quam 250. anni ab Eſau ad Moſem, quo ſane diuturno temporis ſpatio, non ſolum octo, ſed & viginti Reges invicem ſuccedentes imperare potuiſſe non inficias ibit quiſquis in memoriam revocaverit, quam modico temporis intervallo plurimi Imperatores anteceſſoribus extinctis, Romanis præfuerint.

At, inquies, poſt octo Reges, recenſentur undecim Principes, qui Idumæis præfuerunt, quod etiam declaratur I. Paral. V. 51. his verbis: *Adad autem mortuo, duces pro Regibus in Edom eſſe cæperunt, &c.*

Conſentio quidem, at Scriptura non affirmat illos undecim Principes, Regibus ſubſtitutos toti Idumææ ſingulos continuata ſerie præfuiſſe; neque prioribus extinctis, poſteriores ordine ſubrogatos, quemadmodum de regibus pronuntiat. Imo eos omnes eodem tempore regnaſſe, & ſuæ cuique re-

gioni, ac provinciæ, Duces extitiſſe non obſcure ſignificat, cum eos abſque ordine, Idumæorum Principes recenſet. Exiſtimarem ergo, Idumæis Regibus extinctis, Principes qui dignitate & auctoritate præpollebant, Idumæum regnum, in varias provincias diſtribuiſſe, quas ſinguli occuparunt, & veluti ditionem ac poſſeſſionem propriam, ſuis poſteris tradiderunt: quemadmodum imperio Romano accidit; excuſſo enim unius Imperatoris jugo, qui provinciarum Duces erant ac Præfecti, ſuis in regionibus ſummum jus ac dominatum uſurparunt. Itaque facili negotio potuit Moſes nomina, non ſolum Regum Idumæorum, ordine ſibi ſuccedentium, ſed & Principum ac Ducum ſimul imperantium, recenſere.

Proferunt octavo iſtud Deut. II. 12. *In Seir habitaverunt Horræi, quibus expulſis atque deletis, habitaverunt filii Eſau; ſicut fecit Iſrael in terra poſſeſſionis ſuæ.* Quibus, inquiunt, ſignificatur Horreos, ab Idumæis de Monte Seir pulſos, quemadmodum ab Iſraelitis ipſi Idumæi poſtmodum ejecti ſunt temporibus Davidis: unde colligunt Pentateuchum Auctorem habere Davide recentiorem.

At ne verbulum quidem ibi reperies, quo deprehendas Idumæos finibus ſuis ab Hebræis fuiſſe depulſos; unde iſtud eſt mera Præadamitici Auctoris hariolatio. Si quis tamen prætendat legitimam eſſe comparationem, hic erit eorum verborum ſenſus: quod in montibus Seir habitarint pridem Horrei, quos filii Eſau vaſtaverunt, ſicut & Iſraelitæ expugnaverant omnes earum Provinciarum, & Regnorum Reges & incolas, qui eis ad terram repromiſſam euntibus, obſtiterant. Hæc autem ſcribere potuit Moſes, utpote, cum exterminatis Amorrhæis, eorum regionem in poſſeſſionem jam tradidiſſet filiis Ruben & Gad, ut legitur Num. XXII. v. 29.

XII. Octavum venantur argumentum, ex his verbis Deut. III. v. 11. *Solus Og Rex Baſan reſtiterat de ſtirpe Gigantum; monſtratur ejus lectus ferreus, qui eſt in Rabbath filiorum Ammon, novem cubitos habens longitudinis & quatuor latitudinis, ad menſuram cubiti virilis manus.* Contendunt autem hæc a Moſe non potuiſſe ſcribi. Quorſum enim, inquiunt, tunc Gigantis Ogi proceritatem, ex lecti ferrei magnitudine, probaſſet Iſraelitis, qui ipſum Ogum pugnantem, & mortuum, & humi jacentem, conſpexerant.

Vana ſane & futilis illatio: tametſi enim Iſraelitarum magna pars, ipſum Gigantem vivum & mortuum ſpectaverit, complures tamen ex ingenti eorum numero huic ſpectaculo forte non interfuerant, puta ægroti, ſenes, fœminæ & abſentes milites. *Præterea* non ſuæ ſolum ætatis viris Hebræis, ſed futuris etiam, hiſtoriam ſcribebat Moſes; ut autem poſteros de portentoſa Gigantis illius mole faceret certiores, quæ creditu difficilis videbatur, lectum ejus extare ait, in Rabbath filiorum Ammon, ut faciliorem inde ſuæ narrationi fidem conciliaret.

Quod autem addit Auctor tractatus Theologo-politici, hujus Gigantis lectum innotuiſſe primum tempore Davidis, qui Ammonitas expugnavit, & urbem Rabbath Judaicæ ditioni ſubjecit; ex quo infert, Scriptorem qui ea narrat, Davide eſſe recentiorem: inanis eſt conjectura, ac futile commentum; perinde ac ſi Og Rex Baſan, præliaturus adverſus Iſraelitas, quos plurium Regum & Gentium expugnatores ac victores audierat, eventum belli reformidans, domeſticam ſupellectilem, in tuto collocare non potuerit apud Ammonitas, quos forte noverat, ab Iſraelitis non expugnari. Accedit quod collecta ex Rege & regione Baſanitide ſpolia, vel Ammonitis vendere potuerint Hebræi; vel quæ eorum uſui non forent utilia abiicere: quæ poſt eorum exitum Ammonitæ colligerent; præcipue vero ingentem illum lectum ferreum, qui cum Iſraelitis nulli foret uſui, eum cives urbis Rabbath in ſuam civitatem, ad oſtentationem detulerint.

XIII. Inſtat iterum Auctor tractatus Theologico-politici; Pentateuchi, quiſquis eſt Scriptor, citat aliquos libros, puta *Librum Bellorum Domini*, & *Librum*, ſeu *Volumen fœderis*, quos haud dubie Moſes ſcripſit; nam Exod. XVII. v. 14. Mandat Deus Moſi, ut victoriam in Amalecitas ab Iſraelitis reportatam, ſcriberet ob monimentum in libro: at nullibi reperitur hæc ſcripta narratio; oportet igitur eam conſignaverit Moſes in eo libro, qui Numer. XXI. v. 14. dicitur *Liber Bellorum Domini*. Similiter Exod. XXIV. v. 4. Moſes ſcripſit librum *Pacti* ſeu *Fœderis*, quem coram Iſraelitis legit, quando primum cum Deo fœdus inierunt; itaque libri illi quos ſcripſit Moſes, alii ſunt a Pentateucho, quippe cum in eo laudentur.

Digna ſane male feriati argutatoris illatio! quaſi vero Moſes, tametſi eorum librorum revera cenſeretur Auctor, non potuiſſet eos in libris Pentateuchi poſterius ſcriptis citare? Vellem hariolator ille nobis indicaret, a quo coniectore audierit, Moſem aliam expugnationis Amalecitarum narrationem, ſcriptis commiſiſſe, quam quæ mox laudato Numeror. textu recenſetur? Quod enim ibi profert, inane porſus commentum eſt. Rem certe ſtudioſis omnibus gratiſſimam faceret, ſi certo nixus fundamento referaret, quis fuerit ille *Liber Bellorum Domini*, quidve in eo fuerit conſcriptum; nam ea in re Interpretes etiam oculatiſſimi, omnino cæcutiunt.

Sunt enim qui cum Clario exiſtiment, in libro iſto, deſcripta fuiſſe bella Abrahæ & aliorum Patriarcharum, ex quo ſumptus eſt textus a Moſe, ibidem memoratus: *Aliqui* cum Eugubino, plane nullum Librum in quo bella quædam peculiaria conſcripta ſint, intelligi exiſtimant: ſed quia ספר *Sepher*, non ſemper *Librum*, ſed & *enarrationem & commemorationem* alicujus rei ſignificat, propterea hunc locum ſic legunt, *ideo dicetur*, (eſt enim יאמר *Iamar* futurum) *in commemoratione Bellorum*, h. e. cum bella Dei recenſebuntur a poſteris, quæ pro Iſraelitis, in mari rubro

ſubro geſſerit, & quæ ad hos torrentes; hi duo loci, tamquam memorabiles, ab omni poſteritate commemorabuntur, quia in eis Deus pro Iſraelitis dimicavit, & prodigia cœleſtia oſtendit.

Quidem Hebræorum putant hunc librum eſſe librum Judicum, in quo multa deſcribuntur prælia, quæ geſſerunt filii Iſrael cum Amalec, quemve aliquando deſcribendum prænoverat Moſes. Abulenſi placet, ut *Liber Bellorum Domini*, idem ille ſit, qui Joſue x. v. 13. & 11. atque Reg. 1. v. 18. vocatur *Liber Juſtorum*. Rupertus vero & nonnulli alii, non materialem aliquem, ſed immaterialem librum & cœleſtem cenſent, in quo Moſes in raptu poſtea hanc Prophetiam legerit, ac exſcripſerit. Mitto varias aliorum Interpretum, de iſto libro ſententias: ut inde videat hariolator noſter, ſe nullo prorſus niti fundamento, dum *Librum Bellorum Domini* a Moſe conſcriptum, in quo deſcripſerit Iſraelitarum bella contra Amalec; alium a Pentateucho tam audacter pronuntiat.

Idem eſto judicium de libro *Pacti* ſeu *Fœderis*, quem coram Iſraelitis legit Moſes Exod. xxiv. 7. quem ſane alium augurari non licet, (tametſi nonnulli Hebræi aliter ſentiant) quam recenſionem omnium præceptorum, quæ Moſes præcedentibus capitibus xx. xxi. xxii. xxiii. Deo diſtante conſcripſerat, ut aperte ſatis indicant verba iſta capitis xxiv. ubi v. 3. & 4. poſt commemorata illa omnia præcepta legimus: *Venit ergo Moſes & narravit plebi, omnia verba Domini, atque judicia: reſponditque omnis populus una voce; Omnia verba Domini quæ locutus eſt faciemus.* En ſancitum fœdus inter Deum præcipientem & Iſraeliticum populum, obſequium & obedientiam ſpondentem. Unde ſtatim ſubjungitur. *Scripſit autem Moſes univerſos ſermones Domini*, quos videlicet, mox populo legerat; ut nempe ſignificaretur, ea præcepta non fuiſſe digito Dei, quemadmodum decem præcepta, in lapideis tabulis exarata: ſed tantum a Deo Moſi audienti & poſtmodum ea libris committenti pronuntiata: non fuit ergo liber ille Fœderis alius a Pentateucho, ut hariolatur argutator noſter: hæc enim ſi concederentur, ſequeretur Decalogum, necnon & præceptum Circumciſionis, extra Leges Fœderis Dei cum Iſraelitis cenſeri, quod falſiſſimum ex univerſa Scriptura apparet. (5)

§. III.

(5) Ne quid adverſus Fraſſeni adſertionem inſolutum videamur relinquere nonnullas adhuc Joannis Clerici argumentationes proponere nequaquam tædebit, quæ utut levis in ſe noſcantur momenti a celeberrimis tamen ætatis noſtræ Scriptoribus adhuc recenſentur, ut Moyſi Pentateuchum abjudicent; ita ſe geſſit Gallicanus ſcriptor in Dictionario Encyclopedico ad *verbum* gallice *Pentateuque*, *Pentateuchus*, cujus quidem conjectationes in editione Lucana refutatæ videntur in nota ad Articulum prælaudatum *Pentateuque* adjecta. Ait itaque Clericus. Primo

Geneſis Cap. 2. ℣. 11. & 12. Deſcribitur fluvius Phiſon, terra, quam ipſe alluit; & illius terræ mineralia, & lapides recenſentur; hoc hominis non erat longe ab eo Climate habitantis, ſicut Moſes fuit, deſcribere, ſed hominis potius, qui in Meſopotamia diu fuerit commoratus. Minus enim credibile eſt Deum eidem revelaſſe aurum illius terræ eſſe optimum, pluresque ibidem lapides pretioſos adinveniri. Quidnam ulterius Moſis intererat eſſe de Nembrodi geſtis ſolicitum adeo, ut ejus venationes, principium Regni, parvas Civitates, quarum jecit fundamenta, & præſertim Ninivem, quæ ducentis poſt Moſem annis a Nino denominata fuit, recenſere voluerit, ſi admodum generatim de cæteris nationibus locutus eſt in ſua Hiſtoria? homo ergo Meſopotamus ſuæ Patriæ, & gentis amore perculſus ea omnia ſolicite narrare curavit.

Secundo; nimium Moſe recentiorem ſe prodit Auctor Pentateuchi per ea, quæ ℣. 21. Capitis 35. Geneſeos deſcripſit = Egreſſus inde (ait de Iſraele) fixit tabernaculum trans turrim ederis, ſive gregis = Quis neſciat hanc eſſe unam ex turribus Hieroſolymæ? legatur Mich. Cap. 4. ℣. 8. & Nehem. Cap. 3. ℣. 1. Cum autem Jeruſalem diu poſt Moſis tempus Iſraelitæ conſtruxerint, Auctorem profecto, qui talia ſcripſit, poſt ædificationem Civitatis Sanctæ vixiſſe innegabile eſt.

Tertio: Auctor Libri Geneſis Cap. 40. ℣. 15. cum inducat Joſephum loquentem in carcere cum aliis eo in loco detentis; hæc ad eos dixiſſe refert = furtim ſublatus ſum de terra Hebræorum = quomodo autem Joſephus, vel Moſes poterant Cananitidem, *Hebræorum terram* nuncupare, ſi eorum ætate nil prorſus in ea mundi plaga poſſidebant Hebræi, præter ſepulchrum ſpeluncæ duplicis, quod antea Abrahamus emerat? Poſtquam ergo in Cananitidis poſſeſſionem venerunt Iſraelitæ, Geneſeos Scriptor floruiſſe videtur.

Quarto; Pentateuchi Scriptor Cap. 6. ℣℣. 25., & 26. poſt deſcriptam Moſis, & Aaronis Genealogiam, ita ſubjungit = Iſte eſt Aaron, & Moyſes, quibus præcepit Dominus &c. = Ea de hominibus adhuc in viris agentibus verba enunciari minime poſſe, bene autem de iis, qui multo antea tempore deceſſerint pro certo Joannes Clericus judicat. Huic alteram ſubtexit conjecturam, quod in Exodi Libro vox *Nabi*, *Propheta*, aliquoties inveniatur, quæ tamen multis poſt Moſen annis in uſu eſſe cœpit, ut ex Libro 1. Samuelis Cap. 9. ℣. 9. erudimur. Tandem Deuteronomii Cap. 3. ℣. 14; poſtquam hujus Libri Auctor narraverat totum tractum Argobi captum a Jaire Filio Manaſſis fuiſſe, ſubjungit = Vocavitque de nomine ſuo Villas Jair uſque in præſentem diem =. Quis non videat diuturnum percurriſſe tempus a Villarum Jair denominatione ad Scriptoris uſque ætatem talia referentis? Hæc omnia ex Clerico jam excerpſerat Hermannus Witſius; nos adhuc, quoad fieri potuit, brevi calamo perſtrinximus in legentium commoditatem, ut his ad ea, quæ Fraſſenius poſuerat, adjectis, nil ad præſentem diſputationem exoptandum novellis rerum harum ſtudioſis ſuperſit. Singula interim preſſa methodo convellenda ſuſcipimus.

Ad primum quod attinet argumentum: facillime Clerici difficultatem non ambigimus evaneſcere, ſi eidem non ſola Ægyptiorum Sapientia Moſem inſtructum, ſed Dei revelantis auxilio ſuffultum, dum Pentateuchum ſcripſit, reponamus fuiſſe.

Hoc facile Criticus dabit, niti per ſummam impietatem Sacros Scripturarum Textus parem cum Diodori Siculi Commentariis ſortitos auctoritatem, & fidem, blaſphemare noluerit. Quis autem hominum quomodolibet in Chaldæa verſatus ſcire poterat fluvium Phiſon ex Hedenis proceſſiſſe ad irrigandum Paradiſum, niſi id ex Cœleſti revelatione didiciſſet? Quonam pacto hæc noviſſe poterat Sacerdos ille Judæus Babylone ſub Salmanaſare, in Palæſtinam miſſus, quem hiſtoriæ hujus Joannes Clericus facit Auctorem? Moſes igitur fluvii Phiſon tractum, ejuſque in Mare deſcenſum, Terræ Hevilat mineralia facillime cognoſcere poterat, quod in aula frequentiſſima vicini Regis Ægypti humanis imbutus ſcientiis eſſet educatus, eſto, iniuria tamen, a divina revelatione ſejunctum vellemus ſupponere. His modo ſi intemeratam a ſuis Majoribus traditionem de rerum primordiis ſumma cum facilitate conſequi Moſem potuiſſe animadvertamus, adhuc facilius,

§. III.

Juliani Cavillationes referuntur, & a S. Cyrillo refelluntur.

XIV. JUlianus Imperator a fide & religione Chriſtiana Apoſtata obiiciebat quondam apud S. Cyrillum [a], Auctor Geneſis libri, quiſquis eſt, plura in rerum a Deo creatarum ſerie prætermittit, quæ tamen ad narrationis & hiſtoriæ integritatem & ordinem ſummopere conducebant; in his enim (*inquiebat Iulianus*) nec abyſſum factam ait a Deo, nec tenebras, nec aquam; tametſi, cum lucem Dei juſſu factam ſcripſiſſet; idem plane de nocte, abyſſo, & aqua dictum eſſe oportuit: veruntamen de illis, quaſi de rebus factis, nihil prorſus loquitur. Quid quod ne Angelorum quidem meminit, quomodo creati aut facti; nedum qua ratione producti fuerint; ſed corpora duntaxat commemorat, quæ cœlo aut terra continentur. Unde Auctor illius Libri ſentire videtur Deum, nullam rem incorpoream feciſſe, ſed materiam tantum ſubjectam diſgeſſiſſe.

[a] *lib. 2. contr. Julian. pag. 49.*

Reſpondet S. Cyrillus [b] *Primo* Moſem minute de rerum natura diſputare propoſitum non habuiſſe; aut de primis, ut vocant, principiis; aut de elementis, quæ ab iis oriuntur, verba facere: curioſiora enim iſta ſunt, & ejuſmodi, ut nonnullorum ingeniis nequeant capi. Sed ſcopus illi fuit, eorum qui tum erant hominum, mentem doctrina veritatis informare; eoſque a ſacrilego rerum, cum cœleſtium, tum terreſtrium cultu revocare, aperiens cuncta iſta

[b] *ibidem.*

ab

lius iſtum præ alio quocunque Geneſis hiſtoriam ſcribere potuiſſe convicti erimus, Adam hominum primus de Meſopotamico Climate, de terræ illius fœcunditate, de origine fluminis Phiſon, deque aliis in Geneſi commemoratis optime potuit eſſe inſtructus. Adam autem cum Mathuſala annis 242 vitam protraxit, iſte autem per centum integros annos cum Sem Noe Filio. Sem vixit cum Abraham annis 75. Ab Abraham deinceps qua cum facilitate horum omnium hiſtoria in ſuos Poſteros ad Moſem uſque potuiſſe deſcendere, quiſque dignoſcit. Non eſt ergo qua de cauſa Moſi Pentateuchum abjudicemus. Si autem Geneſeos Caput decimum perlegamus in deſcribendis nedum Chami Poſteris, ſed etiam aliorum Filiorum Noe totus eſt Sacer Hiſtoricus; Nembrodi autem dominatum, & Regnum fortaſſis enarrat, quia Moſis ætate Chaldæorum Imperium, cum præ cæteris præmineret in Orbe, illius initia recenſere non omiſit; quid ad nos ſi uni ex Civitatibus a Nembrod ædificatis, diu poſt Ninivis nomen ab aliquo ejus Principe impoſitum fuit, qui in ea regnaverit, eamque magnificentiſſime auxerit, & illuſtraverit? Hæc omnia hiſtoricæ veritati nequaquam obſtant.

Minoris quidem roboris, quod ſecundo loco proponitur, argumentum videtur. Reſpondet eidem Hermannus Witſius; =nihil eſſe quod credere vetet Jacobi ætate in eo tractu turrim aliquam fuiſſe, quæ a gregibus nomen haberet. Nihil eſſe quod credere jubeat turrim eam deſignari hoc Geneſis loco, quæ deinceps Hieroſolymæ ædificata eſt. Non eſt, inquit, a ratione alienum quod antiquum nomen turris vel eodem loci, vel in vicinia extantis, in ædificatione turris recentioris ad memoriam antiquitatis renovatum ſit=. S. Hieronymus tamen argumentum Critici facilius reſolveret, cum in Paulæ Epitaphio ſcribat *Turrim gregis* paululum a Bethelem diſtare, & hanc eſſe Turrim, de qua in Geneſis Cap. 35; non autem eſſe eamdem illam Turrim Hieroſolymitanæ Civitatis, de qua Michæas Cap. 4., & Nehem. Cap. 3. locuti ſunt.

Ad tertium reſpondemus aptiſſime a Joſepho hanc loquendi formulam *e terra Hebraorum ſublatus ſum* adhibitam fuiſſe, ſi vel tantillum ad Jacobi Altingii obſervationes mentem noſtram convertamus. Abraham omnium primus *Hebræus* dictus diu ante Joſephi ætatem Canaam appulerat cum florentiſſima, numeroſiſſimaque vernaculorum, & divitiarum familia, prope Hebronem habitaverat, ubi etiam Iſaac, & Jacob Sedes ſuas fixerunt, inſtar Peregrinorum quidem ibidem commorabantur; ſed veluti gens ab aliis diviſa Hebraica familia, ſuis legibus, ac religione peculiariter inſtructa, nulli ſubjecta exiſtimabatur; pacta, & fœdera cum privatis non ſolum, ſed & cum Regibus, & Civitatibus inibat ex Geneſis Capp. 21. ℣. 22., & 26. ℣. 26. Bellum ulterius pro Regibus Sodomæ, aliarumque Civitatum ſuſcepit Abrahamus, Jacobi Filii Sichem oppreſſerunt, ejuſque Populum in ore gladii percuſſerunt, qua de cauſa timorem vicinis Populis incuſſerunt; cum ergo hujuſmodi familia diu in Canaan habitaverit, ibidemque domicilium acquiſierit, quid mirum ſi Joſephus ſe e terra Hebræorum ſublatum ajebat? labitur ergo Adverſarii noſtri fundamentum tertio loco jactum.

Multo minoris invenitur firmitatis argumentum Critici noſtri loco quarto propoſitum; eccur non poterat de ſe ipſo, & Aarone Sacer Hiſtoricus enunciare *hic eſt Moſes, & Aaron quibus præcepit Dominus &c.* Nunquid hæc pro ſolis ævi ſui hominibus, & non potius pro iis, qui in ſera poſteritate venturi erant, ſcribebantur? Non eſt qui dubitet an Evangelium Joannis genuinus ſit illius Evangeliſtæ fœtus, quamvis in Cap. 21. ℣. 24. ſcriptum de ſeipſo reliquerit: *Hic eſt Diſcipulus ille, qui teſtimonium perhibet de his, & ſcripſit hæc, & ſcimus quia verum eſt teſtimonium ejus.* Quod autem dicebatur a Critico de voce *Nabi* tempore Samuelis inventa, non admittitur a diligentioribus rerum Sacrarum Veſtigatoribus; Compertum quippe ab ipſis eſt vocem hujuſcemodi ante Moſen diu in uſu fuiſſe receptam, ut patet ex Geneſis 20. ℣. 7. Tempore Moſis etiam adhibitam fuiſſe patet ex Cap. 7. Exodi ℣. 1; & num. XI. ℣. 29. Tempore ergo Samuelis vox *Nabi* minime cœpit uſurpari, ſed aliquantulum illius ſignificatio variata eſt; antiquioribus enim ætatibus *interceſſorem* apud Deum, ſeu *divinæ voluntatis Interpretem* ſignificabat, cum Samuelis tempore de ſoiis futurorum prænunciis, aut occultorum divinatoribus uſurpari cœperit. Potuit etiam Moſes ſcribere Deuteronomii 3. ℣. 14. tractum Argobi ab Jairo cœptum, fuiſſe appellatum *Villæ Jairi uſque in præſentem diem*, quia hæc dicendi phraſis poteſt de factis pronunciari, quæ aliquanto prius evenerunt; ita Sanctus Matthæus Cap. 27. ℣. 8. ſcripſit =vocatus eſt ager ille Haceldama uſque in præſentem diem=; & Cap. 28. ℣. 15. dixerat pariter =Et divulgatum eſt verbum iſtud apud Judæos uſque in hodiernum diem= Cum ergo ab Jairi facinore egregio aliquod effluxerit tempus donec Moſes Deuteronomium ſcripſerit non immerito ea poterat uti loquendi formula. Dici etiam poteſt hæc cum tribus aliis eſſe a ſeriori Manu Joſue ſcilicet, vel Eſdræ adiecta Moſaicis Libris ad clariorem reſtituendam earum rerum hiſtoriam, quæ temporis diuturnitate ob locorum, & Perſonarum variata nomina ſubobſcuriuſcula profecto legentibus evaſiſſet, ſi in ea alicujus nominis variatio non fuiſſet appoſita, appoſita factorum tamen, & rerum integra veritate permanente. Hujuſcemodi, tamen leviſſimæ variationes, ejus non ſunt roboris, ut Moyſi Pentateuchum abjudicare compellamur. (W)

ab uno rerum omnium Opifice, unice colendo, fuiſſe producta. „ Utiliſſime ergo
a *pag.* 50. „ (*ait S. Cyrillus*) a & ſane quam ſapienter nimiam iſtam ſubtilitatem ab oratione ſua removit, & ad ſcribendas res magis neceſſarias converſus eſt. Nam quid attinebat dicere, qualis ſit aquarum natura, aut quod primordium habuerit? Quid erat neceſſe abyſſos metiri, cœlique naturam; aut quomodo Angeli extiterint, curioſe inquirere? Quæ ſane cuivis eſſe explicatu difficillima neminem diffiteri puto. Quod ſi dante ſapientiam Deo explicari iſta potuiſſent; quis tandem idoneus auditor futurus; aut tantæ res ſubtilitatis, imo vero & ſupra intellectum poſitas, animo complexurus erat?..
b *pag.* 52. „ b Quis itaque Moſis induſtriam non admiretur, quæ nihil ſupervacaneum, aut nimis altum, ſive etiam intellectu difficile id ætatis hominibus loquitur, ſed ea potius per quæ poterant ad ſana conſilia redire, quæque eos ad inculpatam omnium Dominatoris gloriam dirigere poſſent? An vero puerorum magiſtros laudabimus, qui ſe ad eorum captum demittunt, & paulatim ad abſtruſarum rerum ſcientiam quaſi manu ducentes, nihil nimis elaboratum principio, & inacceſſi quodammodo aditus per initia proponunt: Moſem vero illum ſanctiſſimum qui hoc tam egregie præſtitit, non omni genere laudis proſequemur? c Cum vero dixit a Deo
c *pag.* 53. „ condita, cœlum & terram, item, Solem, Lunam, Aſtra, Lucem, Volucres, Piſces, & brutarum animantium ſpecies, ſicut & plantarum nitorem, & fructus, & herbas. Animadvertere ut errorem qui priſcos illos homines invaſerat, his verbis ſapientiſſime reſecet. Nunquid enim Jovem quidem nominant cœlum, Cererem autem, terram: Apollinem, Solem: & aureis ſagittis inſtructam, [illegible], hoc eſt, Dianam, Lunam indigetant? Et ut verbo dicam, rebus ſingulis quæ a Deo conditæ ſunt arbitrio ſuo conſecratis divinos honores tribuerunt?

d *ibid. pag.* 54. Addit *Secundo* d Moſem ſumma perſpicuitate & facilitate Libros de Mundi Creatione conſcripſiſſe, qui quam accurati ſint, quamque nihil ſuperflui habeant, apparet ex ipſo textu, *In principio creavit Deus cœlum & terram*. „ Non enim ipſe jam (*inquit S. Cyrillus*) ut quidam, materiam „ cum Deo principii expertem, coæternam, „ & ingenitam intelligi ſinit, & quod aliquando non erat cum æterno concurrere, „ ac ſimul exiſtere; & cum ſempiterno id „ quod in tempore ac vix tandem in ortum productum eſt: nec cum eo qui idem „ ſemper eſt, id quod mutatur: cum incorrupto id quod corruptioni ſubeſt: imo „ tempore ac principio vocante ad ortum „ res cratas definit, tanquam ex nihilo „ Dei voluntate, ut eſſent id quod ſunt, „ eductas. Neque ſcilicet dicit præjacentis „ & prius inventæ materiæ ornatorem & „ opificem tantum Deum fuiſſe, qui quod „ informe erat quoquomodo poſſet ſciretque, „ conformarit, eique qualitatum differentias magnitudinemque ac molem ſolum „ indiderit, ſed arcana quadam & ineffabili virtute, quod non erat, aut exiſtebat uſpiam, ad exiſtendi primordium adduxiſſe. Quomodo vero condiderit, aſſequi non poteſt noſtræ mentis infirmitas, cum longe orationem omnem exuperet. Etenim quæ cogitatione capi non poſſunt quo pacto dicendo quis explicet? „ Atqui ſupremæ eſſentiæ in inventa, & „ rei cujuſvis agendæ ratio, tantum res „ noſtras exuperant, quantum nos ipſa ſecundum naturam inferiores ſumus. Cum „ igitur Moſes ait: *In principio fecit Deus cœlum & terram*. Intellige ſummatim, „ ac velut in compendium collatis omnibus, univerſarum rerum creationem exponere, tum artificioſe progredi ad explicandum qua parte ſingula fuerint „ exornata, & ut unaquæque res creata „ exiſtentiam ſuam maxime fuerit adepta; „ nempe, Verbo potentiſſimo ipſum ait „ condidiſſe omnia. „ Ita S. Cyrillus.

Quibus, uno verbo, egregie docet conſulto prætermiſſum fuiſſe a Moſe creationem Abyſſi; quippe abyſſus, illa nihil erat aliud, quam terra initio inanis & vacua, tenebriſque ideo circumfuſa, quod Lux nondum adeſſet quæ tenebras diſſiparet. Itaque in terræ productione, abyſſi formationem expreſſit. Cum autem tenebræ ſint meræ privationes lucis, nec juxta Philoſophos ullam ſolidam entitatem, neque proinde cauſam efficientem, ſed tantum deficientem, nempe lucis defectum, habeant; non debuit earum commemorari productio quæ nulla erat. Siluit pariter aquæ formationem, quia una cum terra creata fuerat, & eandem cum ea maſſam ante ſejunctionem efficiebat.

Prætermitti etiam debuit a Moſe Angelorum creatio, utpote, cum rerum tantum aſpectabilium quas idololatræ in pretio habebant, atque divino cultu proſequebantur, originem enarrare ei propoſitum eſſet; quatenus homines ſcientes illas, a Deo rerum omnium Opifice conditas, ab earum nefario ac ſacrilego cultu revocarentur.

Pergebat Julianus, Auctor Libri Geneſis plura commemorat quæ inanem omnino fabulam ſapiunt, puta plantatum a Deo & conſitum Paradiſum ſeu hortum voluptatis, & effigiatum propriis ejus manibus Adami corpus; perinde ac ſi ſuprema & divina majeſtas ad abjecta hortulani & figuli munia ſeſe deprimeret. Annon puerile & ludicrum omnino commentum, quæ de formatione mulieris enarrat, referens Deum dixiſſe, *Non eſt bonum hominem eſſe ſolum, faciamus ei adjutricem ſimilem ipſi*. Egregia mehercle adjutrix quæ fuit hominum fœlicitatis ruina, & cauſa cur Adamus Paradiſi delitiis & immortalitatis beneficio excideret.

Reſpondet S. Cyrillus e Primo quidem per- e *lib.* 3. *pag.* peram iſta Julianum inanium Deorum cultorem cavillari, utpote, cum illa credibiliora, 75.

ſint,

ſint, quam quæ de primæ mulieris formatione Ethnici comminiſcuntur. „ Vin' „ tu, *inquit*, comparatis iis quæ de mundi ortu ſcripſit Heſiodus, cum Moſis „ Geneſi, ſcrutemur ea quæ tu, perinde „ ac tui majores, admiraris? Ille Muſas apprecatus, petitaque, ut ait ipſe, „ amabili cantione, putidas nobis & exoletas fabulas congeſſit. Natum quippe ſcribit e Terra & Cœlo Cœum & Hyperionem, & præter hos Japetum, ac Prometheum quendam hujus filium, qui niſi „ ignem ab Jove furatus eſſet, mulier in „ lucem haud prorſus edita fuiſſet, quam „ fabricatus eſt quidem utroque pede ille „ claudicans, hoc eſt Vulcanus: vario autem ornatu decoraſſe dicitur Pallas forti „ patre prognata, & pulchrum malum dediſſe mortalibus. At ſi fœmina defuiſſet, „ quam ab irato Jove, ut ipſi perhibent, „ habuimus, quomodo conſtitiſſet genus hominum? Aut quo pacto Dii Deorum aliqui fuiſſent opifices immortali mortale attexentes, ut Platoni viſum eſt? Hæc ſapientiſſimi Moſis ſcriptis opponere non „ exhorruerunt... Quid ergo vir egregie! „ formatam a Deo mulierem, quæque de „ illa ſcripta ſunt a Moſe, ut minus rationi conſentanea reiiciemus; Heſiodi vero „ Pandoram admittemus? „

Iulianus. At conficta ſunt quæ de illius a Deo formatione traduntur; facta ſiquidem dicitur, ut eſſet viro adjutrix futura; quæ tamen illi fuit in ruinam; utpote, cujus ſuaſione Adamus e Paradiſi deliciis excideret, & morti ac corruptioni fuerit addictus.

a *pag.* 77. *Cyrillus*. a „ Adjutrix quidem viro futura, formata eſt prima mulier; non quidem „ ad omnia; neque enim fœmina in partem conſilii aut deliberationem aſſumpta eſt, „ ſed ut procreandis liberis inſerviret. De „ ambobus enim dictum eſt; *Creſcite, & multiplicamini, & replete terram*. Quippe „ jam in ortum educta fuerant animalia cætera, terreſtria, volucria, & aquatilia. „ Adeoque ſpes erat in multitudinem innumeram eorum genus tandem propagatum iri; mas enim erant & fœmina: cæterum homini compar deerat, hoc eſt animal ei natura ſimile, cujus ope, ſicuti animalia reliqua, genus ſuum amplificaret. „ Itaque formata eſt mulier ut multiplicando & propagando humano generi inſerviret, non ut homini eſſet in noxam & offendiculum.

Cum autem mulier in lucem non fuerit edita ut eſſet natura immutabilis, & ejus ſtabilitatis conſtantiæque, qua nunquam a voluntate Domini poſſet deflectere; voluntariis quippe motionibus rationalis creatura regitur ad id quod rectum eſt, & ad contrarium libera propenſione fertur: mirum videri non debet b, ſi alterius ſuſurris inducta b *pag.* 78. „ eſt muliercula, ut patrare illicita vellet: „ ſane cum hominis animus rerum agendarum nactus ſit poteſtatem, eique conceſſum ſit, ut arbitrario motu feratur in „ quodlibet; cum id quoque recte ſe habere „ Deo rerum omnium Artifici viſum ſit; „ agendi enim arbitrio ratione præditam „ creaturam honeſtari decebat, & ſolertiam „ in bonis factis liberæ voluntatis fructum „ exhibere... c Propterea virtutum adeptio c *pag.* 80. „ penes nos eſt, neque inutiles ſunt, neque „ vanæ laudes aut vituperationes, nec ad „ meliora adhortationes, neque per melio„ rum rerum conſuetudinem ex Legibus „ educatio. Minime igitur dubitaverit ſa„ piens quiſquam, omni prorſus crimine va„ care Deum univerſorum, tanquam de „ hominis conditione non recte conſuluerit, „ licet prævaricati nonnulli ſint, nacti, ut „ dixi, motionis in quidlibet ac poteſtatis „ clavum, & ſponte delapſi in quippiam „ quod præter Legem eſſet, eique repugnaret. Si enim datam Legem ſervaſſet, prorſus ei licebat perpetua fœlicitate frui. „ Quando vero ad defectionem impulſus eſt, „ ſua illico ipſi ſpes decidit, & ad turpiora, imo vero in omnia quæcunque moleſtiæ ſunt, delatus eſt.

Julianus. Quorſum igitur Deus ipſis Legem præſcripſit quam prævidebat non fore ſervandam, niſi forte, ut haberet unde eos plecteret.

Cyrillus, d Generis noſtri Principibus a Deo data Lex eſt, non ut eſſet illis detrimento, ſed potius ſummæ utilitati; ut nempe obſervantiæ ſuæ haberent præmium, & fidelitatis exiberent argumentum, ſi voluntarie divinis mandatis paruiſſent. At, *inquies*, utilius fortaſſis fuiſſet in extremo Paradiſo arborem illam interdictam ſeponi, ne aſſiduo aſpectu cernentium cupiditates ad ſui appetitionem acueret. „ *Reſpondet* „ *Cyrillus*, Diſpenſatio erat, eaque provi„ dentiſſima, ſummæque ſapientiæ, qua „ Deus voluit, ne arbor illa vetita Proto„ parentes lateret. e Decebat enim, dece- e *pag.* 83. „ bat, inquam, ut cum ipſam arborem „ ſpectarent, eo ipſo in legis ſemper me„ moriam vocarentur, & Imperatoris ex„ cellentiam agnoſcerent; & Legislatorem „ eum ac Dominum eſſe non ignorarent. „ Et erat alioqui non inutile tam minutis „ rebus obedientiam ſubinde meditari, & „ ad temperantiam exercitari. Quin hoc „ quoque illis injungendum erat, ſiquidem „ æquiſſimum videbatur, ut dum plantam „ aſpicerent, & legem de ea non ignora„ rent, in jugem memoriam ejus qui man„ darat, revocarentur, neque ad divinum „ ejus aſpectum reſilirent; & abducta co„ gitatione a terreſtribus, quis & quantus „ eſſet qui præceperat attente reputarent. „ Dei autem contemplatione præcellentius „ fieri nihil poteſt; quando ſupremæ bea„ titatis res ea nos participes facit.... f f *pag.* 84. „ Nam inter animæ facultates, præſtantiſ„ ſima quæ in mente eſt, hæc operatio eſt. „ Contemplatio quippe, cognitio vera eſt „ eorum quæ in rebus ſunt optima: At „ omnium optima divina ſunt: in divino„ rum ergo cognitione fœlicitas nobis eſt. „ Quando ergo, ut vel ipſi aiunt, ejus „ opinionis ſocii & ſuperſtitionis popula„ res, in divinorum contemplatione bea„ titudo verſatur: quis eſt qui Deum uni-

„ ver-

„ verſorum non ſupra quam poteſt miretur
„ & amet, qui Dei contemplandi primis
„ hominibus legem de ligno dederit? quod
„ & in medio erat Paradiſo ſitum, quia
„ in legis recordationem ſubinde vocari
„ intuentes oportebat, perque legem certe
„ Latoris majeſtatem, & præcellentem pul-
„ chritudinem aſſidua cogitatione uſurpa-
„ re. Non ergo quantum ad Conditoris
„ conſilium attinet, damno cuiquam, aut
„ noxæ viro fuiſſe mulierculam quiſquam
„ putaverit. Neque vero dicimus futura
„ ignoraſſe ſinceram & rerum ſupremam
„ Mentem. Novit quippe omnia priuſquam
„ fiant: ire autem veluti ſecundo amne res
„ humanas ſinit, quia pendere a cujuslibet
„ arbitrio cernitur, ut agat quidlibet, aut
„ non agat „.

Inſtabat Julianus. Quid a fictis Græcorum fabulis diſcrepat illud Serpentis cum Eva colloquium?

a *pag.* 86. „ *Cyrillus*. a Compertum igitur habes
„ Græcorum myſteria fabulas eſſe & anicu-
„ larum garritus. Sed nos, o bone! nequa-
„ quam iſtud de ſancta & divinitus inſpi-
„ rata Scriptura dicimus; fabuloſum nam-
„ que in ea prorſus nihil: veritatis plena
„ ſunt omnia. Miror autem quod acutiſ-
„ ſimus licet, & intimarum, ut ipſe opina-
„ tur & prædicat, diſciplinarum non im-
„ peritus, & extra res ſenſuum mentem
„ aliquando attollens, non intelligat, im-
„ probi & malorum Principis Dæmonis ef-
„ ficacia factam eſſe vocem malignitatis ſuæ
„ prætextum ſerpentem obtendentis. Cum
„ enim rationis particeps, tum animal aliud
„ non eſſet, per nimiam ſimplicitatem rata
„ eſt muliercula, forſitan & aliis animalibus
„ datum eſſe vocis humanæ uſum. Porro
„ quod immundis ſpiritibus difficile non ſit
„ talia interdum moliri, vel ſola Moſis ver-
„ ba idonea ſunt quæ fidem pleniſſimam fa-
„ ciant „. Quia vero eis aſſentiri Julianus detrectat, res ex hiſtoriis quas approbat, eſt demonſtranda. Homerus igitur expugnatam a Grajis Trojam recenſens, ait Xanthum unum Achillis equorum mortem ei fuiſſe auguratum, & dixiſſe Achillem:

Χάνθε τί μοι θάνατον μαντεύεαι;
Xante necem quid mi præſagis?

„ Minime vero neglexit, ut ne mentiri
„ putaretur. Dixit enim:

Αὐδήσασ' ἆρ' Ἥρη λευκώλενος Ἥρη.
Vocem illi Juno formoſis invidit uluis.

„ Porphyrius etiam de Pythagora narrat,
„ quod cum Caucaſum flumen traiiceret,
„ illudque ſalutaſſet, fluvius magna voce
„ cunctis audientibus reſpondit ΧΑΙΡΕ ΠΥ-
„ ΘΑΓΟΡΑ. AVE PYTHAGORA, Ubi Dæmo-
„ nem loquutum eſſe, Pythagoræ præſti-
„ giis, nemo eſt qui non videat: nam Py-
„ thagoram Præſtigiatorem & Incantato-
„ rem fuiſſe, affirmat ipſemet Porphyrius,
„ ſcribit enim, Pythagoram verſari ſolitum
„ cum valentibus amice, & animo ægros
„ conſolari; hos quidem incantamentis &
„ magia, illos vero muſica. Quid? nega-
„ bis ſerpentem Dæmonis aſtu & artificio
„ locutum, Caucaſum vero fluvium magum
„ humana voce ſalutare non inficiaberis?
„ Memorabo etiam Dodonæam quercum,
„ quam & humana voce homines alloqui
„ ſolitam dicunt. Narrat etiam Philoſtra-
„ tus in vita Apollonii, quod dum hic cum
„ Gymnoſophiſtis congrederetur, Theſpe-
„ ſion ulmo vicinæ præcepiſſe, ut ſapien-
„ tem ſalutaret Apollonium; & arborem
„ eum quidem compellaſſe, uti juſſa eſt.
„ Sed & Citticus Iſigonus in Rhodo in-
„ ſula Jovis taurum ait humanæ vocis ex- b *pag.* 88.
„ pertem non fuiſſe. b Videſis igitur ut im-
„ poſtorum ludibria plane demonſtrent, na-
„ turæ Dæmonum ineſſe, ut efficere inter-
„ dum voces queant; neque e ſenſibus præ-
„ ditis modo animantibus, ſed & voce &
„ ſenſu expertibus, aqua dico & arbori-
„ bus. Cum ergo manifeſtum omnibus ſit,
„ non fuiſſe allocutum mulierem ſolum &
„ per ſe ſerpentem, qui naturæ ſit, neç
„ intellectu nec ratione præditæ; veruntа-
„ men ſubiiſſe ejus perſonam mali patrem
„ Satanam, cum datæ ipſi immortalitatis
„ munere ſpoliare vellet hominem: quis
„ non eum jure reprehendat ut qui hæç
„ non intellexerit, quæ ſceleſtum & im-
„ pium Draconem tantum non maximum
„ clamorem tollunt?

Urgebat Julianus. Idem Geneſis Auctor, omnino fabuloſam profert cauſam linguarum diverſitatis, videlicet illam inductam a Deo in ultionem nequiſſimi hominum conſilii, & infœliciter auſpicatæ molitionis turris, quæ ſuo vertice cœlum tangeret: quod quam inane ſit & ludicrum commentum, apparet ex eo quod, etſi homines omnes ejuſdem eſſent linguæ, ſimulque coirent, ut Turrim ad cœlum uſque pertingentem ædificare tentarent, quamvis univerſam terram in lateres decoquerent, ſuis tamen votis fraudarentur; infinitis enim lateribus opus erit univerſæ terræ, priuſquam ad Lunæ Orbes pertingerent. Hanc igitur fabulam adeo manifeſtam, ſcribere non potuit hominum ſuæ ætatis ſapientiſſimus Moſes, & divinitus eruditus.

Reſpondet S. Cyrillus c, Julianum cavil- c *lib.* 4. *pag.* 136.
lari ſolitum, iſta mentis a vero demotæ væcordiſque animi ſermones velut æſtu quodam effundere. „ Non enim dicimus, ſicut
„ ille nimirum exiſtimat, Univerſi Deum
„ multiplicitate linguarum eos qui civita-
„ tem ædificabant, aut Turrim excitabant,
„ quod illos reformidaret, conſcidiſſe: ſed
„ potius ut eis benefaceret, & a vanis la-
„ boribus revocaret. Cum enim omnes ho-
„ mines qui paulo ante illos vixerant, ob
„ plurimam impietatem immiſſa a Deo elu-
„ vione funditus periiſſent; idcirco veriti
„ ne ſimili caſu idem exitium rurſus pate-
„ rentur, indignis ac ſtultis conatibus ani-
„ mum abjecerunt. Divinis enim conſiliis
„ ſua velut opponentes, Turrim nubibus
„ excelſiorem ſibi ſtruere tentabant, impru-
„ denter id quidem miſeri. Putabant enim

„ forte ſe eluvionem ſuperaturos, ſi rurſus
„ illa, ut dixi, ingruente, in altum ſe re-
„ cipiſſent. Vides hominum temporis illius
„ peccatum, infecta conſilia, conatus irri-
„ tos, gloriæ divinæ contemptum. Nec
„ enim falſum eſſe poteſt omnino, quod a
„ Deo promiſſum eſt, eluvionem alteram
„ in Orbem non immiſſurum. Sic enim di-
„ vinum Noe alloquutus eſt: a *Non adiiciam ultra maledicere terræ propter opera hominum, quia intenta eſt cogitatio hominis ſtudioſe ad mala a juventute*. Alioqui fieri non poteſt, ut præpotentem Dei manum quidam effugiant, ſi punire ſceleſtos voluerit, Ne igitur relictis ſtudiis ad uſum neceſſariis, fruſtra ſudarent, diſſipavit illos Deus, & multiplicem vocem immiſit, pœnæ loco ac ſupplicii diverſæ linguæ excogitato remedio. Quod ſi Scriptura ſacra dicat temporis illius homines voluiſſe ad cœlum uſque Turrim excitare: non tamen omnino in animum illos induxiſſe dicimus, ut ad cœlum uſque ſubſtructionem hanc attollerent, id enim fieri nequaquam poteſt; ſed divinitus inſpirata Scriptura ſolet communi noſtro loquendi more, *in cœlum* dicere, pro, *in altum*. Ergo divinus David etiam hyperbolico orationis genere uſus canit de nautis in mari navigantibus, b *Qui deſcendunt mare in navibus, facientes operationem in aquis multis. Ipſi viderunt opera Domini, & mirabilia ejus in profundo: aſcendunt uſque ad cœlos, & deſcendunt uſque ad abyſſos*.

a *Geneſ.* VIII.

b *Pſal.* CVI.

Adiicit Julianus. Auctor Librorum, quos Moſi adſcribitis, ait Mundi opificem ſelegiſſe ſibi gentem Hebræorum, in peculium, & uni illi intentum eſſe, atque illius curam gerere; aliarum vero gentium quomodo aut quibus ſub Diis adminiſtrentur, mentionem ne vel minimam facit, quaſi illa ad Mundi opificis providentiam non ſpectarent. Hinc toties Deum Iſraelitarum appellat, eumque Deum Abraham, Deum Iſaac, & Deum Jacob pronuntiat, perinde ac ſi aliorum hominum Deus ipſe non eſſet cenſendus.

Reſpondet S. Cyrillus c, Moſem diſtincte Deum totius Mundi Auctorem & Rectorem aſſerere, dum ait illum in principio creaſſe cœlum & terram, & imperaſſe Soli & Lunæ, un præeſſent diei & nocti cæteriſque aſtris ut eſſent hominibus in ſigna & tempora & dies; reliquis quoque creaturis præſcripſiſſe ordinem, a quo ne minimum quidem a Mundi exordio deflexerunt. Qui „ ergo, *inquit S. Cyrillus* d, rebus creatis „ ineluctabile voluntatis ſuæ jugum impoſuit, potentiſſime mihi rerum univerſitati „ imperare videtur; nec aliis abjeciſſe ipſas „ & acerbos creaturis ſuis Dominos impoſuiſſe, falſos dictos Deos, hoc eſt, impuros Dæmonas. Ergo Auctorem Univerſi Deum nobis ſapientiſſimus Moſes introduxit. Videſis enim, vide, num ejus verbis res conſentiat. Dicit enim, Soli quidem conceſſum eſſe diei principatum: Lunæ vero eodem modo poteſtatem noctis repoſitam eſſe: enimvero & in tempora & ſigna, at ut luceret terreſtribus, aſtrorum chorum. Hæc porro qui ſcripſit, non aliis potius Diis, neque ſane creaturis cultum vult adjungere, ſed juſſit uni addictos eſſe Opifici univerſorum. Ait enim e; *Neque reſpiciens in cœlum, & videns Solem, & Lunam, & Aſtra, & cœli ornatum univerſum, errore ductus adores ea, quæ tribuit Dominus Deus tuus Gentibus quæ ſub cœlo ſunt*. Deinde cur Deum univerſorum neglexiſſe quidem dicit cæteram Gentium multitudinem, ſolis vero Iſraelitis imperare, eoſque propria providentia impertiri tametſi Gentibus omnibus quæ ſub cœlo ſunt, opificii utilitates attributas dicit, ſacrorum nobis librorum Scriptor...

c *lib.* 3. *pag.* 101.

d *Pag.* 102.

e *Deut.* IV.

„ f Si ad unam ſane Judæam Hebræorum Deus coercebatur, & ſceptrum habet demenſum, quomodo, age dic mihi, in terrarum incolas cœli cataractas immiſit, ac rurſus aquis univerſa fluctibus obruta terra, una omnes pœna condemnavit? At ſi non omnium dominabatur, ut ait; cur ſiluerunt Dii cæteri? oportebat enim ſuis eos cultoribus opem ferre, & quemlibet pro ſuo regno ſtrenue decertare. Sed neſcio quo pacto aut ſuos prodiderunt, aut in tuenda ſibi aſſignata ſorte ignavi fuerunt. Annon igitur ridicula iſta & aniles nugæ? imo non evidens demonſtratio eſt, dicendum non eſſe particularem Deum, unumque de falſis exiſtimandum, eum qui per Moſem Mundo prædicatus eſt. Mundi enim effectorem eum declaravit, & Dominum Univerſorum; ſed delectum habuiſſe genus Abrahæ, & veluti prærogativam cæterarum Gentium ab eo accepiſſe ad Dei cognitionem, omnes ſcilicet in iis qui prius vocati erant, veluti in radice, informante. „ *Ita S. Cyrillus*. Quæ rurſus confirmat variis Iſaiæ oraculis, quibus Deus dicitur totius Mundi Opifex & Moderator. Ex quibus infert; „ Quis jam, *inquit*, impune dicere auſit exiguum ipſi & reſtrictum imperium attributum eſſe? Quamvis univerſam creaturam in ortum eduxerit, & omnium Parens ſit ac Dominus. Quod ſi quis velit & illatas Ægyptiis plagas recordari, immenſum ejus robur, & quæ in ipſo eſt infinitam exuperantiæ vim admirabitur. Cuncta enim quodammodo creatura Imperatoris nutibus obediens, in eos armabatur, qui ipſum offendebant „.

f *Pag.* 103.

Hæc ſi ita ſint, *inquiebat Julianus*, qua de cauſa in Judæos quidem plurimum immiſerit Propheticum ſpiritum, & Moſem, & unctionem, & Prophetas, & Legem, & miracula, & prodigia fabularum; non vero ad cæteras Gentes? Si enim omnium noſtrum Deus eſt, & omnium æque conditor, cur aſpernatus nos eſt?

Reſpondet S. Cyrillus g, Falſiſſimum eſſe ſolam Judæorum Gentem divinis cumulatam eſſe beneficiis, cæteris vero abiectis & a Deo repudiatis: Nam, inquit S. Paulus, *An Judæorum tantum, Deus nonne & Gentium?* Siquidem unus Deus, alius autem præ-

g *lib.* 3. *pag.* 106.

præter ipſum nullus omnium Dominus fuerit, quia & omnium Opifex. Hinc Gentibus etiam Leges a natura voluit inſitas
a *Rom.* 11. eſſe, quas qui ſervarent, recte viverent [a]: *Gentes enim quæ Legem* (ſcriptam) *non habent, naturaliter ea quæ Legis ſunt faciunt; ejuſmodi Legem non habentes ipſi ſibi ſunt Lex, &c.* Sed, inquit S. Cyrillus, ſi Judæorum tantum eſſet, non autem & Gentium, & Deus & Opifex, quomodo qui Legem non habent, ipſi ſibi Lex ſunt inſita diſciplina eo pervenientes? Sua enim ſponte natura boni omnis cognitione dives eſt, Conditoris nutu hoc quoque conſecuta. Dignatur ergo providentia ſua, non eos modo qui ex ſanguine ſunt Iſraelis, ſed enim, ut dixi, & quibuſquam terrarum ſunt: unus enim eſt Dominus omnium. Neque eſt quod Gentes cauſentur Iſraelitas prius a Deo muneribus & beneficiis
b *pag.* 109. cumulatas: nam, „ *inquit* [b], prius vocato „ Iſraeli data illa ſunt, per quæ par erat „ eum inveteratis morbis liberatum melio„ ra amplecti, & Dei metu hilarem ſplen„ deſcere, & juſtitia Legis refertum æmu„ landum & admirandum videri. Indulgen„ tia vero, & proviſione ut congruo tem„ pore, Gentium quoque cætera multitu„ do ornata eſt. Vocata enim eſt per il„ los, & ſortem habent præcipuam, & „ primis illis potiores ſunt. Illi enim ſub „ lege ac pœna erant: hi autem ſub gra„ tia & venia: & illi quidem interprete ac intermedio famulo; hi autem per „ ipſum natura Filium. Et erat in illis „ quidem Spiritus ſervitutis: in nobis au„ tem liber & adoptionis: hoc eſt ſanctus: in ipſo enim clamamus, Abba, Pa„ ter. Si vero jam dicet, Quare Iſrael „ præiit? nemo eſt, opinor, qui non ira„ tus dicat: Mitte iſta, o bone, teipſum „ noris, ſi te dignum reputes, qui ſapien„ tis opinionem feras. Novit enim novit „ ſincera mens, tempus unicuique rerum „ conveniens. An medicorum experientiæ „ permittemus, uſu ſcilicet quodcunque fo„ re putent, & quo tempore velint, ægro„ tis exhibere, quod adjumento illis & „ auxilio futurum ſit: Et optimam ac ſu„ premam Mentem incuſabimus, & non „ recte ab illa, hoc puta, vel illud, fa„ ctum eſſe projecta audacia dicemus? At „ quam præſtet dicere, tantum ab eo nos „ ſapientia relinqui ac ſuperari, quanto „ interjecto ſpatio, ac per inſitas quidem „ naturis rationes disjungimur „.

Julianus tandem obiiciebat & ſacros Moſis libros, alioſque Scripturæ ſacræ divinos Codices ridebat ac reſpuebat, quod Scriptura ſacra vulgare, plebeium, ac protritum dicendi genus contineret: in quo certe longe inferior videbatur Græcorum ſcriptis; quæ ſuavitatem habent, ac præterea dicendi venuſtate abundant & gratia.

c *lib.* 7. *pag.* 233. „ *Reſpondet S. Cyrillus* [c], Hebræorum „ lingua Prophetas eſſe locutos. & ipſa „ Moſis ſcripta, ut omnibus inferioribus „ ac ſummis ingeniis nota eſſent, in fami„ liare loquendi genus, nec difficile captu „ fuiſſe translata. Quod ſi admodum ve„ nuſta & ſonora eſt Græcorum oratio, „ cum ſingulari verborum delectu; a de„ coro tamen videtur aliena, & veritate „ deſtituta. Multa enim Deorum millia „ comminiſcuntur, unum autem natura ac „ vere Deum prorſus ignorant. At quiſ„ quis ſapit, laudabit eum; non qui diſer„ te loqui, & elegantibus verbis uti no„ verit, eorumque ſolum ſplendorem ja„ ctet: ſed eum potius qui verba minus „ prompte & expedite quidem pronunciet, „ rectam vero de præpotente Deo ſenten„ tiam, & omne genus ſinceræ probitatis „ ac virtutis colat. Quapropter a divina „ Scriptura quivis ſeipſo melior fiet, & „ certe aliis quoque non inutilis futurus „ eſt. At qui e Græcis diſciplinis ornatam „ tantum & elegantem orationem fuerit „ conſecutus, nihil præterea commodi ca„ piet, ad ſanctitatem, & integritatem „ morum, modeſtiæque & gravitatis ſtu„ dium. Ut enim multoties jam repetii, „ apud illos reperio Deos nullum vitii ge„ nus averſari, ſed per fœdas & flagitio„ ſas voluptates omnem honeſtatem abiice„ re. Qualis autem demum iſte futurus ſit „ qui fœdiſſimorum criminum reos eſſe „ novit illos, quibus honores divini tri„ buuntur, omittam dicere. Quod ſi pal„ mam tribuit Græcorum ſcriptis, pro„ pterea quod multa urbanitate abundant, „ noſtra vero minime, percontanti reſpon„ deat: Si quis poculo aureo infundat hel„ leborum, alteri vero non auro quidem, „ ſed vel ex viliſſima materia confecto, „ mel, apum laborem iniiciat, tum pro „ poteſtate ſorbere jubeat utrum ex his li„ buerit; an qui hauſturus eſt, in mate„ riam intuens, deteriora præferet; an po„ tius recte judicans, ei quod natura no„ xium eſt, utile anteponet, licet viliſſimo „ vaſculo contentum.

d *lib.* 2. *pag.* 52. „ Quis itaque, *ait alibi* [d], Moſis indu„ ſtriam non admiretur quæ nihil ſuperva„ caneum, aut nimis, altum, ſive etiam „ intellectu difficile, id ætatis hominibus „ loquitur: ſed ea potius per quæ poterant „ ad ſana conſilia redire; quæque eos ad „ inculpatam omnium Dominatoris gloriam „ dirigere poſſent. An vero puerorum ma„ giſtros laudabimus, qui ſe ad eorum ca„ ptum demittunt, & paulatim ad abſtru„ ſarum rerum ſcientiam, quaſi manu du„ centes, nihil nimis elaboratum principio, „ & inacceſſi quodammodo aditus per ini„ tia proponunt: Moſem vero illum ſan„ ctiſſimum qui hoc tam egregio præſtitit, „ non omni genere laudis proſequemur?

Hinc, ut jam ex parte prælibavimus, omnes SS. Patres certatim in Moſis laudes excurrunt; in primis vero S. Ambroſius [e]: *In Moſe*, inquit, *fuit venturi Doctoris figura, qui Evangelium prædicaret, impleret Teſtamentum vetus, novum concederet, cœleſte populis alimentum daret. Hic Moſes humanæ dignitatem conditionis exceſſit eo uſque ut Dei vocaretur nomine*: Poſui, *ait*, te Deum Pharaonis. *Etenim victor paſſionum*

e *lib.* 1. *de Cain & Abel cap.* 2.

omnium, nec ullis ſæculi captus illecebris, qui omnem iſtam ſecundum corpus habitationem, cœleſtis puritate converſationis obduxerat, mentem regens, carnem ſubiiciens, & regia quadam auctoritate caſtigans, nomine Dei vocatus eſt, ad cujus ſimilitudinem ſe perfectæ virtutis ubertate formaverat. Ei concinit S. Gregorius Nazianzenus Orat. XXII. ubi *Moſem divinorum arcanorum Inſpectorem & Arbitrum; Iſraelitarum Antiſtitem & Legislatorem; Pharaonis Deum; principum Principem; & ſacerdotum Sacerdotem* appellat. *Moſem quis eſt, qui pro merito laudare poſſet,* (ait Conſtantinus Imperator a) *qui cum confuſam antea Judæorum multitudinem in certos ordines diſgeſſiſſet, eorumque animos obſequio & vereçundia exornaſſet, pro ſervitute quidem libertatem eis reddidit; pro mœſtitia vero hilaritatem.., Qui ipſum ætate præceſſerant, ſapientia uſque adeo ſuperavit, ut qui a Gentilibus plurimum celebrantur, ſive Sapientes, ſive Philoſophi, ſapientiæ illius æmulatores extiterint. Pythagoras certe ſapientiam ejus æmulatus, modeſtiæ cauſa tantopere celebratus eſt, ut Plato vir modeſtiſſimus, abſtinentiam illius, velut exemplum ſibi ad imitandum proponeret.* Ne prolixior ſim, unicum his adiiciam S. Auguſtinum b: *Moſem*, inquit, *famulum Dei fideliſſimum, hominem in recuſando tam magnum miniſterium, ſubditum in ſuſcipiendo, fidelem in ſervando, ſtrenuum in exequendo, in regendo populo vigilantem, in corrigendo vehementem, in amando ardentem, in ſuſtinendo patientem: qui pro iis quibus præfuit, Deo ſe interpoſuit conſulenti, oppoſuit iraſcenti. Hunc itaque talem, ac tantum virum abſit ut ex maledicto Fauſti ore penſemus, ſed ex ore plane veridici Dei.*

a Orat. ad Sanctorum Cœtum cap. 17.

b lib. 2. contra Fauſt. cap. 69.

Idem vero S. Auguſtinus (ut in ſcopum a quo paululum declinavit, iterum noſter incœptus Sermo collimet) propoſita quæſtione utrum Auctores noſtri, quorum ſcripta divinitus inſpirata, Canonem nobis ſaluberrima auctoritate fecerunt, ſapientes tantummodo, an eloquentes etiam nuncupandi ſint, „ Reſpondet, Hæc quidem quæſtio „ apud meipſum, & apud eos qui mecum „ quod dico, ſentiunt, facillime ſolvitur. „ Nam ubi eos intelligo, non ſolum nihil „ eis ſapientius, verum etiam nihil eloquentius mihi videri poteſt. Et audeo dicere, „ omnes qui recte intelligunt, quod illi loquuntur, ſimul intelligere non eos aliter „ loqui debuiſſe. Sicut eſt enim quædam „ eloquentia, quæ magis ætatem juvenilem „ decet; eſt quæ ſenilem; nec jam dicenda „ eſt eloquentia, ſi perſonæ non congruat „ eloquentia: ita eſt quædam quæ viros ſumma auctoritate digniſſimos, planeque divinos decet. Hac illi locuti ſunt, nec ipſos „ decet alia, nec alios ipſa: ipſis enim congruit, alios autem quanto videtur humilior, tanto altius non ventoſitate, ſed ſoliditate tranſcendit. Ubi vero eos non „ intelligo, minus quidem mihi apparet eorum eloquentia, ſed eam tamen non dubito eſſe talem, qualis eſt, ubi intelligo, „ Ipſa quoque obſcuritas divinorum ſalubriumque Doctorum tali eloquentia miſcenda fuerat, in qua proficere noſter intellectus, non ſolum inventione, verum etiam exercitatione deberet. Poſſem quidem ſi vacaret, omnes virtutes & ornamenta eloquentiæ, de quibus inflantur iſti, qui linguam ſuam noſtrorum Auctorum linguæ, non magnitudine, ſed tumore præponunt, oſtendere in iſtorum literis ſacris, quos nobis erudiendis & ab hoc ſæculo pravo in beatum ſæculum transferendis, providentia divina providit. Sed non ipſa me pluſquam dici poteſt in illa eloquentia delectant, quæ ſunt his viris cum Oratoribus Gentilium Poetiſve communia. Illud magis admiror & ſtupeo quod iſta noſtra eloquentia ita uſi ſunt per alteram quandam eloquentiam ſuam, ut nec eis deeſſet, nec emineret in eis; quia eam nec improbari ab illis, nec oſtentari oportebat: quorum alterum fieret, ſi vitaretur; alterum putari poſſet, ſi facile agnoſceretur. Et in quibus forte locis agnoſcitur, a doctis tales res dicuntur, ut verba quibus dicuntur, non a dicente adhibita, ſed ipſis rebus velut ſponte ſubjuncta videantur: quaſi ſapientiam de domo ſua, id eſt pectore ſapientis procedere intelligas, & tanquam inſeparabilem famulam etiam non vocatam ſequi eloquentiam. *Hæc S. Auguſtinus.* Cui concinit S. Bonaventura d: *Qui Scripturam habet*, inquit, *potens eſt tum eloquiis, & etiam, in venuſto ſermone. Unde B. Bernardus parum ſciebat: ſed quia in Scriptura multum ſtuduit, ideo locutus eſt elegantiſſime.*

d Sermon. 19. in Exhemeron.

Opponet tandem aliquis, in hiſce Moſis, ſicut & aliorum Prophetarum Libris plurima de Deo affirmari, quæ ſupremam divinamque ejus majeſtatem & naturam omnino dedecent, puta quod Deus, hominum inſtar, conſtet corpore, omnibuſque humanis membris, capite, facie, oculis, brachiis, manibus, &c. quæ certe alieniſſima ſunt a recta Platonicorum de Deo ſententia, qui ipſum naturæ omnino ſpiritualis & materiæ expertis eſſe cenſuerunt. Quamobrem admonet Porphyrius e: *Sacrificandum quidem eſſe Deo, at nihil ſenſile ei eſſe adolendum ac conſecrandum: Nihil enim*, inquit, *eſt ſenſibile ac materiale, quod ſi cum materiæ experte natura comparetur, non continuo ſit impurum. Ideo neque convenit ei ſermo qui voce effertur; neque interior, cum animi perturbatione fuerit inquinatus; ſed puro ſilentio, & ſanctis de illo cogitationibus ipſum colamus. Operæ pretium eſt igitur nos Deo conjunctos & aſſimilatos vitam ei noſtram, veluti ſacram victimam offerre, quæ ipſa & illi hymnus eſt, & nobis ſalus. Siquidem in perturbationum animi vacuitate & contemplatione Dei hoc ſacrificium peragitur. Vult ergo Deus ut ſe colamus, & per ſanctum vitæ genus animis noſtris inſcripta ejus pulchritudine ſpiritualiter ei conformetur. At quomodo hæc, amabo te, a nobis exigit, ſi nos aliis opificibus procreandos tantum non objecit, atque, ut ita dicam, ea qua per ſe*

e lib. 4. de Deſt. Chriſt. cap. 6.

e lib. 2. de abſtinent. animal.

reli-

reliqua procreavit, prærogativa conditionis orbavit?

a *lib. adverſus Anthropomorphit. cap.* 1.

Reſpondet S. Cyrillus [a], revera Deum eſſe omnino ſpiritualem, nec aliam de ejus divina natura Moſi atque Prophetis fuiſſe ſententiam: „ Non igitur, *inquit*, oculi vel „ aures, ut neque pedes & manus, aut „ alæ in Deo ſunt ſtatuendæ, etiamſi quiſ„ piam fortaſſe nolit hæc ipſa, ut in tan„ gibilibus craſſiſque corporibus imaginari, „ ſed tanquam in ſubtili & materiæ ex„ perte, juxta Dei naturam. Siquidem ab„ ſurdum plane fuerit, tale quid cogitare. „ Spiritus enim eſt Deus: atque hoc cum „ ſit, omnia novit, omnia ſpeculatur ac „ providet: nihil ipſum eorum quæ ſunt. „ Si vero partium ſive membrorum ſacra „ Scriptura meminit, de rebus divinis ad „ nos loquens: ſciendum eſt, quod ex iis „ quæ in intellectum noſtrum cadunt, & „ ex quibus conſtare ſolemus, nobiſcum „ loquitur. Neque enim aliter fieri pote„ rat, ut res divinas intelligeremus. Vera „ igitur cauſa atque occaſio cur Scriptura „ divino Spiritu afflata corporaliter de Deo „ nobiſcum loquatur, eſt & intellectus & „ linguæ in nobis inopia. Ineffabilia enim „ prorſus ſunt, quæ Dei ſunt. Neque fieri „ poterat, ut nos in craſſis & palpabili„ bus corporibus conſtituti, quæ neceſſa„ ria ſunt, intelligeremus, niſi exemplo„ rum loco noſtra ipſorum membra ſumen„ tes, vix tandem hoc pacto ad ſubtiles de „ Deo notiones eveheremur.

Hic prætermittenda non eſt quorundam Neotericorum erronea & abſurda ſententia, qui ut in ſpecie pugnantes Pentateuchi nonnullos textus concilient, imperite, ne quid acerbius dicam, aſſerunt diſſonantiam illam oriri ex varietate Annalium & Hiſtoriarum, ex quibus collectus & exſcriptus eſt Pentateuchus, veluti earum rerum Synopſis, quæ maxime ad Iſraeliticæ plebis eruditionem, & morum informationem conducerent. Quod ut aſtruant, quatuor ſupponunt. I. Priſcis temporibus ab ipſo Iſraeliticæ Reipublicæ exordio, fuiſſe Diaria & Annales, in quibus res geſtas & notatu ac memoratu digniſſimas, continua ſerie inſcribebant ii, qui ad id muneris deſtinabantur. Cum enim, inquiunt, Moſes a puero Ægyptiorum ritibus & doctrina fuiſſet imbutus, noviſſetque apud eos fuiſſe publicos Scriptores, qui res memorandas in publicas tabulas referrent, eam conſuetudinem æmulatus, ſuos etiam ſcribas & hiſtoricos habere voluit, qui Hebræorum caſus & eventus obſervantes, Annales & Diaria conficerent. II. Volunt ejuſmodi Scribas prophetico ſpiritu fuiſſe donatos, & nihil niſi divinitus inſpiratos ſcripſiſſe; vox enim Hebræa נביא *Navi*, qua Prophetam ſignificari volunt LXX. Interpretes, ex primaria ſua inſtitutione, non aliud quam Oratorem publicum aut Legatum deſignabat. Unde, inquiunt, Scribæ illi publici, merito dicti ſunt Prophetæ, cum fuerint Dei ad homines Oratores & Legati. III. Cenſent ejuſmodi Prophetarum ſeu Scribarum munus publicum fuiſſe, ſingulares Reipublicæ Judaicæ eventus, nec non & omnia Dei ad homines oracula & mandata, libris committere, e quibus poſtmodum expreſſi ac deſcripti ſunt, omnes quos nunc habemus, Libri Sacri, maxime illi, qui Hiſtoriales dicti ſunt. IV. Adiiciunt Annaliſtas illos ſpiritu prophetico donatos, apud Iſraelitas defuiſſe nuſquam; eoſque habuiſſe auctoritatem & facultatem, ad priorum Prophetarum ſcripta adiiciendi, vel ab eis reſecandi, quidquid oportunum judicarent, ad planiorem, pleniorem que hiſtoriæ intelligentiam. Unde colligunt, quod cum ejuſmodi Prophetæ & Scriptores, temporibus Moſis extiterint, ipſis tribuendum eſt quidquid ſpectat ad rerum geſtarum & eventuum recenſionem: Moſi vero, tanquam Hebræorum Legislatori, tribuendas Leges & edicta, quæ in Pentateucho occurrunt. Unde ſequitur, inquiunt, nec Moſem dicendum eſſe totius Pentateuchi, ſed minimæ duntaxat illius partis Scriptorem. Nec mirum, ſi nonnulla pugnantia in eo appareant, quippe cum Pentateuchus, ut nunc eſt, a plurimis iſtis Annaliſtarum libris, a Recentiore aliquo compendioſe fuerit expreſſus. *Hæc illi.* (6)

Vides, Catholice Lector, in quam horrendas errorum voragines miſere præcipites ruant, qui abjecta ſemel fidei ſimplicitate, ſpretiſque Majorum documentis, volunt ſapere pluſquam oportet ſapere. Verum cum omnia iſta inania & impia commenta, nullo nixi fundamento, ſed ex male feriato capite eructent, tam facile reiiciuntur, quam gratis proferuntur. Scio equidem, ut antea notavimus, S. Auguſtinum [b] aſſerere, Moſem Præceptores in populo Dei conſtituiſſe, qui docendis libris præeſſent, quos, *literarum Inductores* appellabant. At quam levi & incerto fundamento iſtud proferat, aperit alibi ſcribens [c], *Quos autem*, inquit, *dicat γραμματων εισαγωγεις, poſt Decuriones, non facile ſciri poteſt, quoniam hoc nomen in nullo uſu habemus, vel Officiorum, vel Magiſteriorum: nam quidam, Doctores, interpretati ſunt, ut intelligantur utique literarum, qui introducunt literas, ſicut reſonat Græcum vocabulum, &c.* At quidquid ſit de Græca illius vocis interpretatione, quam profert S. Auguſtinus; certum eſt, ait Voſſius, Hebræam

b *lib.* 18. *de Civit. Dei cap.* 39.

c *Queſt.* 69. *in Exod.*

(6) Qui ab Auctore noſtro hoc in loco Neoterici recenſentur, diverſimode a Simonio, de quo in Nota (1) hujus libri diſſeruimus, ſentiebant, cum ille nequaquam Spiritus Sancti ductum Scriptoribus rerum Iſraeliticarum concedere vellet. Demonſtrari hoc in loco poſſet Pentateuchi librum ſpeciali Divini Numinis adſiſtentia, ac inſpiratione fuiſſe exaratum; aſt hæc omnia Fraſenus diligenter eſt perſecutus in Cap. 4. Lib. 4. Diſquiſitionum, ubi pariter Manichæorum, objectis in ſacrum Pentateuchi librum ex S. Auguſtino reſpondit. Paucula itaque ſolummodo hoc in loco objectionum Capita, quæ ab aliquo Hæreticorum adhuc videntur objici poſſe, ſuperſunt. Sed & iſta ab Auctore noſtro in ſecundo Diſquiſitionum volumine diluta ſunt. (W)

hræam

bræam vocem סופרים *Sophrim*, potius ſonare *Apparitores* quam *Doctores*. Non abnuerem tamen aliquos libros ſacros qui *Hiſtoriales* dicuntur, ex amplioribus annalibus fuiſſe deſcriptos a viris divinitus inſpiratis, ut apparet ex libris Regum, Paralipomenon, & Machabæorum. Docet etiam Theodoretus [a], ubi ſcribit: *Plurimi fuerunt Prophetæ, quorum libros quidem non invenimus, nomina autem didicimus ex hiſtoria Paralipomenon. Horum unuſquiſque conſueverat ſcribere, quæcunque contingebat fieri ſuo tempore. Atque inde eſt quod primus Regnorum, & apud Hebræos, & apud Syros, nominatur Prophetia Samuelis. Quod ei facile eſt cognoſcere, qui prædictum librum legere voluerit. Qui ergo Regnorum libros ſcripſerunt, ex ſcriptis illis accepta occaſione, poſt plurimum tempus ſcripſerunt.* Et in II. Regum cap. IV. inquirens quis fuerit *Liber Juſtorum*, ſcribit: *Perſpicuum eſt quod liber Regnorum ſit conſcriptus ex multis libris Prophetici. Nam cum dixiſſet Scriptor de luctu, ſubjunxit. Ecce ſcripta ſunt hæc in libro recto.* At idem eſſe judicium de Pentateucho & libris Propheticis, nemo evincet umquam.

[a] *Præfat. in lib. Reg.*

§. IV.

Quo tempore & loco Moſes Pentateuchum ſcripſerit.

XV. CIrca utramque hanc difficultatem variant Auctores. Theodoretus [b] enim, Beda quoque, Toſtatus [c], Cornelius a Lapide, & alii, opinantur librum Geneſis ſcriptum poſt Ægypti exitum, & Legem Iſraelitis datam: eo ſcilicet tempore, quo in ſolitudine verſabatur. Pererius autem, Tena & alii, cenſent ante diſceſſum Hebræorum ab Ægypto librum Geneſis a Moſe confectum. Advocant autem in ſuas partes Euſebium [d], ubi dicit multis ante Moſem ſæculis, abſque Lege aliqua ſcripta, Hebræos pie ſanctæque vixiſſe, expeditam quandam ac liberam pietatis vitam tenentes: moribus quidem ita naturæ ductum ſequentibus præditi, nihil ut legum moderatione propter ſummam animi ab omni perturbatione vacui, æquitatem, indigerent: eorum vero notitiam, quæ de Deo ſentire oporteret, veram conſecuti. *Moſes igitur*, inquit, *eximius ille Theologus atque ex Hebræis Hebræus ipſe procreatus, cum Patriæ Gentis hiſtoriam accurate, ſi quiſquam alius, teneret, priſcorum Hebræorum vitas, quæ ſacris legibus, cujuſdam quaſi proœmii loco, viam munirent, poſterorum memoriæ commendare voluit, nulla unquam oblivione delendas. Iis porro, non ea tantum quæ divinitus acceperant beneficia, verum & nonullorum præterea, qui omnem cum Divinitate pietatis ſenſum abjecerant, mores ſimul ac pœnas intexuit; ratus iis qui legibus ſuis inſtituendi eſſent, genus id cognitionis apprime neceſſarium futurum, ut eos & ab improborum imitatione deterreret, & ad ſectanda proborum exempla ſtimularet. Tanti etiam erat, uti eos non lateret, Majorum quidem ſuorum quamplurimos, antequam ab ſeſe leges ſcripto latæ eſſent, recte unius rationis manum ſequutos, ad ſummam religionis, ac divini cultus laudem perveniſſe, &c.* Quibus verbis indicare videtur librum Geneſis, in quo exarantur Patriarcharum geſta, Hebræis ad animi ſolatium & virtutum exemplar propoſita, ante acceptam ac promulgatam Legem, fuiſſe conſcriptum.

Verum ſi quis attente Euſebii verba perſpexerit, intelliget eum ſignificare tantum prius a Moſe ſcriptum Geneſis librum, quam ſcriberet Legem ſibi a Deo traditam. Unde priorem ſententiam multo probabiliorem exiſtimo. Enimvero Geneſim non niſi poſt acceptam a Deo Legem fuiſſe conſcriptam, non levia momenta ſuadent. *Primo* namque in ejus libri exordio, nempe cap. II. fit mentio ſanctificationis Sabbati, quæ aliter non obſervabatur, quam vacando ab omni labore & opere ſervili, ut totos ſe ſe divino cultui eo die devoverent. Hæc autem in uſu duntaxat cœperunt eſſe apud Judæos, poſt Legem ipſis divinitus præſcriptam. Igitur cum hæc ſcriberet Moſes, proculdubio ſpectabat ad jam promulgatam Legem. *Deinde* Geneſ. cap. VII. v. 2, & 8. Et cap. VIII. v. 20. fit mentio pecorum & volucrum mundorum: illa autem diſcretio & diſtinctio mundorum animalium, ab immundis, tantum per Legem Hebræis innotuit. Videtur ergo liber iſte, ſolum poſt Legem latam editus.

Præterea tempore Captivitatis & ante exitum ab Ægypto, Judæi non ſolum patriæ linguæ videntur partim obliti, ſed & nullam habuiſſe literarum alphabeticarum peritiam: ſiquidem, ait S. Auguſtinus [e]: *Moſes cum eſſet in deſerto una cum Hebræorum multitudine, in populo Dei conſtituit, qui docendis literis præeſſent, priuſquam divinæ Legis ullas literas noſſent.* Cum itaque eo tempore Hebræorum populus, literarum adhuc rudis eſſet, prius eas docendus fuit, quam Moſes Geneſim ab eis legendam ſcriberet.

Cenſerem ergo cum Bonfrerio [f], Moſem ſcripſiſſe tam Geneſim, quam cæteros Pentateuchi libros, poſt datam Legem; neque enim (inquit Bonfrerius) defuit illi ad id otium totis quadraginta in deſerto annis: quanquam non omnia eodem tempore ſcripta ſint, cum nonnullæ hiſtoriæ poſterius acciderint. Itaque primo anno, vel ante receſſum a Monte Sinai, exiſtimo Geneſim ſcriptam, Exodum, Leviticum, & e libro Numerorum novem prima capita: cætera deinde ex eodem libro, poſterioribus peregrinationis per deſertum temporibus, pro rerum geſtarum ordine, ita ut poſtrema capita, a vigeſimo uſque ad finem, ultimo peregrinationis anno conſcripta ſint. Deutero-

[b] *quæſt. 1. in Geneſ.*
[c] *quæſt. 182. in Geneſ.*
[d] *lib. 7. præpar. Evang. cap. 7. pag. 305.*
[e] *lib. 18. de Civit. cap. 39.*
[f] *in appendice ad cap. 7. prælequier.*

no-

nomium item, quod totius Legis repetitio, & velut compendium est, non ante ultimum annum a Mose conscriptum, uti & populo inculcatum. Existimarem etiam quod cum Moses diem sui obitus, Deo prædicente noviſſet, sub vitæ exitum libros a se conscriptos recensuisse, & adjeciſſe nonnulla, quæ post eos primum editos contigerant, ut nempe clarior fieret legentibus historia sacra, & Hebræis adhuc extantibus, accuratior appareret. Nolim tamen in re dubia certo quidquam definire.

CAPUT SECUNDUM.

De libro Josuæ.

SUMMARIUM.

I. *Ordine liber Josuæ Mosis Pentateucho connectitur.*
II. *Hic ab eo videtur exaratus, cujus nomen præ se fert.*
III. *Varia proponuntur momenta, quibus nonnulli prætendunt librum hunc abjudicare Josuæ.*
IV. *Omnia ista momenta dissolvuntur.*
V. *Proferuntur Josuæ prosapia & eximiæ corporis ac animi dotes, atque divina in Israelitici populi Ducem electio & inauguratio.*
VI. *Ejus nominis commutatio & significatio enarratur.*
VII. *Expenditur totius libri argumentum.*
VIII. *Ejusdem in principes partes distributio profertur.*
IX. *Tandem Josuæ librum Canonicum esse citra dubium esse demonstratur.*

I. AUspicamur ab eo qui Josuæ nomine inscribitur: & certe res ipsæ quæ traduntur in libro Josuæ, rationesque temporum ac gestorum connexæ sunt iis in quæ desinit Pentateuchus. Unde libri Josuæ initium fit ab his verbis: *Et factum est post mortem Moysi servi Domini*, ubi copulativa (&) connectere videtur hunc librum cum fine Deuteronomii; tametsi liber Job ante librum Josuæ, imo ante Pentateuchum confectus videatur. Quapropter S. Chrysostomus & Olympiodorus *in Job cap.* 18. huic libro inter cæteros sacros primas dederunt, nempe quod Historia Job antecesserit multa quæ Pentateucho continentur, ut egressum filiorum Israel ex Ægypto, quibus in captivitate lugentibus consolandis, historiam Job Moses scripsisse dicitur. Nihilominus cum Moses in Pentateucho, Mundi Genesim & Historiam texuerit ad ea tempora quibus Israelitæ terra promissionis brevi potituri essent; congruenti ordine ei annectitur liber Josuæ qui ejusdem historiæ series est & continuatio.

Hujus autem libri Auctor & ætas a viris doctis vocantur in dubium, aliis ad Eleazarum Pontificem, ad Samuelem nonnullis, quibusdam ad Isaiam, pluribus eum ad Esdram referentibus. Theodoretus excerptum putat ex libro Justorum, cujus mentio fit in X. cap. hujus libri. Andreas Masius & Grotius conjiciunt ipsum post Salomonis tempora fuisse elaboratum; tum quod pluries occurrat illius temporis notatio: USQUE IN PRÆSENTEM DIEM; *Quis enim*, ait Masius (in cap. X. 13. hujus libri) *existimare possit quod sæpe dicitur, hoc, & illud* AD PRÆSENTEM USQUE DIEM DURARE, *id a Josua dictum esse, in cujus diebus ipsum evenit, ac non potius ab eo Scriptore, qui sibi in iis, quæ jam tum vetustate obliterata exoleviſſe videbantur, fidem velit comparare ex aliis, quæ cum sint illis vetustis consentanea, aut etiam eorum monimenta, adhuc extent?* Tum etiam quod cap. XIX. fiat mentio *terræ Cabul*, quæ ab Hiramo Tyri Domino cum donata esset a Salomone, eique parum placuisset, appellavit eam כבול *Cabul*, sive quia argillosis erat locis, perque non satis expeditum pedibus iter erat, ut censet R. David Kimchi; sive quia non magni eam esse pretii ille significabat, cum suæ Gentis vocabulo uteretur, ut Josephus prodidit. Unde colligit Masius, longo post Josuæ ætatem tempore, commentarium hoc esse conscriptum. Eandem sententiam amplectuntur Thomas Hobesius *cap.* 33. *in suo Leviat.* & Auctor Systematis Præadamitici. Ex eis vero dictator Theologo-politicus *cap.* 1. quorum argumenta expendemus & refutabimus.

II. Verosimilior enim apparet eorum sententia, qui hujus libri Auctorem & Scriptorem Josuam putant: ita censent non Recentiores solum, Vatablus, Abulensis, Driedo & alii; sed etiam Veteres, ut Junilius [a] & Dorothæus, quod etiam Hebræis placuit; nam Talmudistæ *in Baba Batra* 1. *cap.* a Josua hunc librum esse scriptum arbitrantur, his persuasi verbis, quæ in postremo hujus libri capite leguntur; *Scripsit quoque Josue omnia verba hæc in volumine Legis Domini*; verba, inquam, non quæ tantum continebant fœdus, cujus ibi fit mentio, sed verba Legis Domini, nempe vel Deuteronomium, vel totum Mosis Pentateuchum, quod videtur exscripsisse; quia in eodem Codice Mosis qui ad Arcæ latus erat repositum, suum adjunxit librum, quemadmodum ei nunc quoque junctus est: sic enim intellexit & expositit Chaldæus Interpres manu-scriptus, quem penes se habere scribit Masius, locum enim istum sic vertit; *Scripsit Josue verba ista in libro, & apposuit in libro Dei.*

[a] *lib.* 1. *de partib. divin. Leg. cap.* 8.

Accedit etiam hæc ratio, quod sicuti Moses Israelitarum Ductor & Doctor, statum

Ec-

Ecclesiæ sui temporis accurate descripsit, ut res ab Israelitis gestæ ac toleratæ fierent posteris in perpetuum monimentum. Sic convenientissimum erat, ut Josua ejus Discipulus, ac in dignitate & in ministerio successor, magistrum imitatus, eximia Dei in Israeliticum populum post Mosis mortem & sua ætate collata beneficia, victorias illustres, celebresque triumphos de Chananæis subactis & expugnatis divinitus actos literis consignaret; ne temporum decursu e memoria Posterorum excciderent: atque id ab eo factum indicat *Ecclesiastici cap.* XXVI. 1. ubi legitur: *Fortis in bello Jesus Nave, successor Moysi in Prophetis.* Habet quidem vulgata, *in Prophetis*; sed Græce est, *in Prophetiis;* scilicet iis, quibus Josuæ mentem illustravit Deus, maxime ut eas verbis literisque ad alios deferret. Neque enim propheticus sermo eorum tantum Prophetias indicat, qui *Prophetæ* vocantur, in quatuor Majoribus & duodecim Minoribus; sed & qui in aliis Scripturis vaticinia continet, ut Mosis Pentateuchus; quin ad Auctores sacrarum omnium Scripturarum in quibus aliquid est, quod ad Christum & ad novam Legem referri queat. (7)

III. Plurima congerunt Adversarii, ut in ævum Josua posterius libri hujus locubrationem reiiciant. *Primum argumentum* repetunt ex illius *cap.* X. *v.* 13. ubi cum Auctor ejus libri recensuisset victoriam Josuæ in Gabaonitas, qui immoto Sole unius diei spario, expugnati fuerant & devicti; subdit: *Nonne hoc scriptum est in libro Justorum.* Hic autem *Justorum liber* qui hujus pugnæ & victoriæ meminit, debuit esse Josua recentior, aut certe æqualis; sequitur ergo librum *Josuæ* nomine inscriptum, recentiorem esse ipso *libro Iustorum* quem citat, ac multo magis ipso Josua, cujus celebris victoria in ipso *Justorum libro* narratur.

Deinde illa frequens temporis notatio, *Usque in præsentem diem*, diuturni temporis lapsum & intervallum significat. Oportet ergo res quæ Josuæ temporibus contigerant, & nomina eo tempore civitatibus & locis consignata, quæ a Scriptore hujus libri dicuntur, *Usque in præsentem diem*, perseverare, diutissime post Josuam fuisse scriptis mandata.

Tertio cap. XIII. ejusdem libri, ea scribuntur de Othoniele & Axa Calebi filia, quæ post Josuæ mortem gesta sunt, ut apparet ex I. *cap. lib. Judic.* ubi legibus: *Post mortem Josue consuluerunt filii Israel Dominum, dicentes: Quis ascendet ante nos contra Chananæum, & erit dux belli? Dixitque Dominus, Judas ascendet.* Et mox: *Ascenditque Judas, & tradidit Dominus Chananæum ac Pherezæum in manus eorum.* Tum deinde: *Et postea descendentes pugnaverunt contra Chananæum, qui habitabat in montanis, & ad meridiem, & in Campestribus. Pergensque Judas contra Chananæum qui habitabat in Hebron, percussit Sesai, & Abimam, & Tholmai: atque inde profectus abiit ad habitatores Dabir.* Et continuo: *Dixitque Caleb, qui percusserit Cariat-Sepher, & vastaverit eam, dabo ei Axam filiam meam uxorem.* Vides hæc ita connexa & colligata, cum verbis, tum rebus ipsis, ut ab ipso initio continuata serie manifeste profecta sint. Atqui initium illud est: *Post mortem Josue*: unde efficitur post Josuæ mortem eveniisse quæ his subnexa sunt.

Quarto, cap. XIX. ejusdem libri narratur Danitarum expeditio contra civitatem Lesem, quæ post Josuæ mortem contigit, eo tempore quo nemo Israelitarum Rempublicam gubernabat, ut refertur Judic. cap. XVII. hoc est, inquit Masius, post Josuæ excessum, nondum creato Principe Othoniele. Ex quibus efficitur hunc librum non fuisse a Josua conscriptum, quippe post ejus fata acciderunt, quæ hic narrantur.

Quinto, ibidem v. 28. fit mentio *terræ Cabul*, cui hoc nomen tributum putant Masius & Grotius (uti jam diximus) ab Hiramo Tyri Rege Salomonis æquali. *Denique* postremo capite hujus libri v. 29. narratur mors Josuæ, ejusque sepulturæ locus describitur, quæ certe ab ipso Josua non potuerunt in libros referri. Non est ergo hujus libri dicendus Auctor.

IV. *Respondeo*, quod etsi ista momenta nostram sententiam nonnullis ita convellere videantur, ut eos in oppositam pertrahant, nihilominus haud difficile possunt dissolvi. Siquidem *ad Primum* dicerem, incertum esse quis sit ille *Justorum* seu *Recti liber*, siquidem Auctores *Guemaroth*, ea tractatione qua *de cultu alieno* disputant, nec non in vetusto illo commentario, quem *Bereschit Rabba* dicunt, censent *librum Recti* non alium esse *a Genesi*: Liber Recti, inquiunt, est Mosis primus liber, quem *Genesim* vocamus; quia ille continet res gestas Abrahæ, Isaaci & Jacobi, qui præ cæteris mortalibus

(7) Dubium profecto etiam apud Catholicos de Auctore libri Josue invaluit adeo, ut insigniores antiquitatis pervestigatores, & Critici præclarissimi controversiam definire minime fuerint ausi, sub incertitudine relinquentes omnino sententiam. Si tamen alicujus Commentarii illius particulæ saltem, aut Capitis faciamus Josue Auctorem, quod innegabile videtur prorsus, cum Cap. 24. ℣. 26. hujusce libri scriptum sit: *Scripsit Josue omnia verba hæc*; cur & non reliqui libri judicabitur Auctor, si omnia quæ leguntur in illo, maxime in Josue quadrare videntur? Quis unquam præ Josue, quæ in libro minutiora accuratissime referuntur, noscere poterat; quis memoriæ consignare fœlicius? Eæ in Commentario isto temporum, locorum, & Personarum circumstantiæ describuntur, virorum, rerumque nomina habentur expressa, ut Auctorem, qui eorum omnium propriis oculis fuerit inspector, indigitent. Hæc tamen omnia eludi non diffitemur, si in recentiori auctore Divini Numinis afflatum supponamus, & adsistentia n, antiquiorem nihilominus libris Regum esse historiam Josue compertum omnino est ex libro 3. Regum Cap. 16. ℣. 34. ubi refertur Jerico ædificata ab Hiel de Bethel in primogenito suo Abiram, juxta verbum, quod locutus erat Dominus in manu Josue. In Capite autem Sexto Josue ℣℣. 25, & 26. legitur imprecatio mortis in primogenitum ædificare volentis Jerico dirutam ex Manu Omnipotentis. (W)

bus ישרים, hoc est, *Recti*, sunt vocati: cum Balaam diceret; *Moriatur anima mea morte Rectorum*, Num. XXIII. 10. In illo enim libro scriptum est de Ephraim, *Et semen ejus erit abundantia Gentium*. Iisque verbis hoc mirabile facinus Josuæ est prædictum, qui ex Ephraim est prognatus; cum ille imperium habuerit in Solem & Lunam, quæ omnium Gentium vitam moderantur naturali quadam sua efficientia; aut quia nominis sui fama, ob hoc tam præclare factum, Gentes omnes implevit.

Existimant alii intelligendum esse librum *Exodi*, ubi Deus cap. XXXIV. pollicetur se in Israeliticæ Gentis gratiam prodigia editurum, cum ait: *Signa faciam quæ nunquam visa sunt supra terram, nec in ullis Gentibus*. Grotius designari vult *Carmen Epinicion* editum statim post reportatam de Gabaonitis victoriam, in quo miraculum de stante per diem integrum Sole, egregie commendabatur, quod cum esset singulis Israelitis familiare, noluit Josua rem amplioribus verbis exagerare, satis ducens laudare libellum; in quo miraculum illud celebrabatur.

Sunt qui sentiant *librum illum Justorum* non alium fuisse, quam conscripta quædam ad piam sanctamque vitam informandam præcepta, in quo fortasse scriptum erat, qualiter viri pii deberent se totos in Dei tutelam & fidem committere, certi eum ipsis in necessitate non defuturum. Et quemadmodum in mari & in terris plurima ediderat miracula, ut Israelitas ab hostili impetu eriperet: Sic si res exigeret, etiam Syderum cursus moraturus esset, quoad hostes suos debellarent & contererent.

Putat Masius intelligi Annales rerum ab Israelitis gestarum: in cujus rei fidem, testem advocat Josephum, [a] qui pro *libro Recti*, scripta in Templo servata dicit, quæ ideo *liber Recti* vocabantur, quod optima fide atque serie, res apud Dei cœtum gestas perstringerent; aut quia Israelitici populi, quem *populum Justum* pluries Scriptura nominat, facta continerent. Nec ineptum videri debet Josuam Auctoris æqualis sui testimonio atque auctoritate uti, ad probandum hoc Solis miraculum, quod in istis Hebræis Annalibus fusius describebatur. Imo vero minime absurdum, si publicarum literarum testimonio, res a se gestas comprobavit, quales certe habebantur Annales isti, in sacro tabellario asservati. *Adde* quod plurimis post rem gestam annis, & in summa senectute librum suum exaravit Josua, ut ex postremo ejus capite v. 26. cognoscitur. Itaque narrationis suæ fidem conciliare potuit libri coævi, & apud Judæos noti testimonio: quamlibet autem istarum sententiarum amplectaris, vides everti primum Adversariorum argumentum.

[a] lib. 5. Antiq. cap. 2.

Pari facilitate *secundum* dissolvitur, cum enim Josua annis decem supra centum vixerit, ut legimus v. 29. postremi capitis, suumque librum jam Senex scripserit, non absurde ista interdum ingeminavit vocabula; *Usque in præsentem diem*. Cum enim quantulacunque temporis diuturnitas mutationem aliquam rebus iis inferre potuisset; ut res in eodem statu, quo primum constitutæ fuerunt, circa vitæ suæ finem, etiam perseverare significaret; merito dixit eas ita se habere; *Usque in præsentem diem*; quem etiam loquendi modum a S. Matthæo usurpatum & probatum habemus. Hic enim licet Evangelium suum non multis post Christi mortem annis scripserit, tamen de agro a Judæis ex pecunia a Juda traditore reddita, empto, scribit cap. XXVII. *Propter hoc vocatus est ager ille* HACELDAMA, *hoc est*, AGER SANGUINIS *usque in hodiernum diem*. Et cap. XXVIII: *Divulgatum est verbum istud apud Judæos usque in hodiernum diem*. Simili responsione dissolvitur levis Theologo-polytici Auctoris argutia, quam obtrudit ex his verbis decimi capitis: *Stetit itaque Sol in medio cœli, & non festinavit occumbere spatio unius diei, non fuit antea nec postea tam longa dies*. Quæ verba cum longi temporis intervallum notent, contendit non potuisse a Josua scribi. *Verum* non advertit prodigium istud plurimis annis evenisse, antequam Josua ista conscriberet.

Ad tertium dico Auctorem primi capitis Judicum per modum Anacephalæosis & recapitulationis rerum sub Josua actarum referre; unde quæ de Calebo, Othoniele, & Axa refert, non memorat rem quæ post Josuæ excessum contigerit, sed quæ eo vivente, & pridem ante illius mortem acciderat, ut videre est cap. XV. Josuæ. Nec obstat quod initio capitis significare videatur, ista quæ narraturus est, evenisse post mortem Josuæ: hæc enim verba referuntur, non ad singula quæ in hoc exprimuntur capite, sed solum ad illam Dei consultationem, ut ab eo rescirent, quis loco Josuæ, Dux ac Præfectus eis esset constituendus.

Ad quartum respondet Huetius, ea quæ de Danitis referuntur cap. XIX. v. 47. & 48. libri Josuæ, adjecta fuisse ab Esdra, cum sacra Volumina hinc inde collecta recognosceret, ad pleniorem intelligentiam possessionis & hæreditatis, quæ filiis Dan sorte distributionis obtigerat. Nam, inquit, cum assignatam Danitis portionem descripsisset Josua, aliamque deinceps armis ipsi quæsiissent, merito id Esdras supplendum ac distinguendum duxit, Cujus opinionis indicium ibi ipse se deprehendere putat, quod si, inquit, clausulam illam detrahas, nihilominus constabit sententia, neque luxatum orationis contextum aut pendulum deprehendes. Quamobrem miratur Masium virum doctum id in suis commentariis non vidisse, aut visum non probasse. At multo magis mihi mirandus videtur ipsemet Huetius, quod tam levi ductus fundamento, a Josua conscripti Codicis integritatem ac puritatem abneget; velitque infartas ab Esdra, aut aliis in eo Codice varias clausulas, quæ non leve argumentum essent suspicandi, cætera quoque, aut saltem eorum partem maximam, alium præter Josuam Auctorem habere.

Verosimilius itaque dicendum arbitror, nullum hic in Josuano Codice videri intrusum additamentum, sed ibi recenseri, quæ Josuæ temporibus contigerant; neque enim civitas *Lesem*, quam a Danitis expugnatam & occupatam hic enarrat, eadem est cum civitate *Lais*, quam Judicum XVIII. sexcenti viri ex Tribu Dan referuntur occupasse. Siquidem nomen utriusque omnino diversum est; hæc enim simpliciter dicta est *Dan*, quæ prius *Lais* appellabatur; illa vero *Lesem-Dan*. Quod enim observat Masius, expungendum esse pronomen, *ejus*, in his verbis: *Vocantes Nomen* EJUS *Lesem-Dan*; quasi non ex conjunctione duorum nominum imposita fuisset appellatio *Lesem-Dan*, sed quod, quæ prius *Lesem* vocabatur; postmodum dicta sit *Dan*, unde miratur viros Hebraice doctos, hac in re hallucinatos. Hæc, inquam, notatio omnino puerilis est & aliena a genuino Scripturæ sensu, quæ in Editione Vulgata vocem illam, juxta vim textus Hebræi & Græci retinet. *Deinde* hic *filii Dan* universi dicuntur ascendisse & pugnasse *contra Lesem*; qui vero civitatem *Lais* occupaverunt, erant tantum sexcenti viri. *Insuper* civitas *Lais* a Danitis occupata, tradita fuit incendio ac omnino devastata; nihil autem simile *de occupata Lesem* legimus. Vero-simile ergo est duas esse distinctas civitates, & diverso tempore a Danitis occupatas: hanc quidem Josua Israeliticam Rempublicam administrante; illam vero cum nullus esset Israelitarum Dux & Præfectus, ut fert initium citati capitis libri Judicum. Quæ si vera sint, uti verissima existimo, vitreum omnino est Adversariorum argumentum.

Ad quintum dico vocem *Cabul* a Josua *cap.* XIX. *v.* 28. memoratam, non eandem significare Regionem, cui hoc nomen fecit Hyramus: duplicem enim *terram Cabul* distinguit Josephus, [a] alteram viginti constantem oppidis, quæ Salomon Hyramo dedit, quam regiunculam cum ille perlustrasset, nec, inquit Josephus, valde probasset, *Renuntiari jussit Salomoni, sibi non opus esse eis oppidis: & ex eo terræ Chabelon est appellata, voce Phœnicum lingua id quod displicet significante.* Alteram ipse memorat in libro de vita sua conscripto *pag.* 1015. in confiniis Ptolemaidis, ubi ipse castrametatus fuerat adversus Placidam Romanorum Ducem, qui cum duabus cohortibus & turma equitum missus fuerat a Cestio Gallo, ut incenderet vicos Galilæorum vicinos Ptolemaidi, cujus hauddubie a Josua sit mentio. Nihil ergo patrocinii ex illa voce *Cabul* accedit Adversariorum sententiæ.

[a] *lib. 8. Antiq. pag. 267.*

Postremæ tandem objectioni parem adhibendam censeo responsionem, quam simili adversus Mosis libros argumento jam dedimus, nempe ea quæ scribuntur ultimo capite Josuæ, tum de illius morte ac sepultura, tum de diuturna Israelitarum in Deum observantia, in diebus Seniorum, qui longo tempore post Josuam vixerunt, adjecta fuisse, vel ab Auctore priorum capitum libri Judicum, vel a Samuele, qui sacram historiam a Josuæ temporibus ad suam ætatem prosecutus videtur. Nonnulla sunt alia, quibus Auctor libri Theologo-politici evincere se putat librum *Josuæ* nomine inscriptum, eo pridem defuncto, fuisse confectum: at quoniam ista leviora sunt, & ex dictis facile possunt dissolvi, in eis discutiendis, nolo tempus & atramentum perdere.

V. Ex his itaque verosimile fit Josuam Auctorem esse libri, qui ejus nomine inscribitur, Quis vero, qualis, quantusque fuerit ille Israelitici populi post Mosem Ductor & Rector Josua, paucis delineare juvat. Fuit ipse genere Ephraimita, hoc est, ex dilectissimo Josepho prognatus, Patre Nun; quem Græci diducto nomine in syllabas duas Naue, *Nave* vocant. Fuisse autem eum inter suos tribules virum primarium, constat ex Numer. XIII. 3. Neque enim e Cadesbarne, nisi qui in unaquaque Tribu principes erant, ablegabantur. Qualis fuerit ei corporis vigor & præstantia, nihil, quod sciam, sacris literis proditum est: at animi industriam, perspicacitatem, prudentiam & fortitudinem imperio dignam, ipsemet declaravit Deus Mosi, quando successorem in administratione Reipublicæ Israeliticæ flagitanti, ante suum obitum, respondit Num. XXVII. 18. *Tolle Iosue filium Num, virum in quo est Spiritus.* Illum in suam familiam pridem coaptaverat Moses, cælesti proculdubio instinctu; nimirum ut qui Dei populum esset aliquando recturus, ipse a Mose Israelitarum optimo sanctissimoque Imperatore felicis regiminis præcepta ediscceret, tametsi enim Moses complures alios ministros habuerit, ut constat Numer. XI. 28. Hunc tamen unum in rebus arcanis comitem adhibuisse memoratur. Quamobrem cum in montem Sinæum, Numer. XIII. 9. altius atque ad Deum propius secum subduxit, utpote quem, Deo revelante, jam noverat ad rerum communium gubernacula destinatum. Itaque cum Josua intima Mosis familiaritate per annos circiter quadraginta fuisset usus, atque de arcanis Dei consiliis, ut credibile est, satis edoctus, Deo præcipiente, Numer. XXVII. 18. solemnis consecrationis ritu, per manuum impositionem in Israelitici populi Ducem fuit inauguratus. Neque his officit quod Moses de populi Rectore post se sollicitus, Ducem a Deo flagitans Josuæ non meminerit. Moses enim Josuæ nomen prudenter tacuit, ne per humanam gratiam eam dignitatem adeptus videretur, attenderetque ipse Josua se hac dignitate Dei judicio consilioque fuisse illustratum, ut majori cum sedulitate & cautione officio suo fungeretur.

VI. Hanc divinam ejus in Ducem Israelitici populi inaugurationem præsignaverat Moses, cum Josuam inter alios hostilis terræ situm, soli naturam, incolarum atque urbium vires & propugnacula exploratum mittens, Numer. XIII. 17. nomen ejus commutavit, ut non amplius *Osee*, sed *Josue* vocaretur. Tametsi enim nonnulli Hebraizantes putent nullum inter utramque vo-

culam

culam Hebraicam יהושע *Hoschea*h, & יהוה *Jehoschuah*, intereſſe diſcrimen, & utramque ſignificare *Salvatorem*; a radice ישע *jaſchah*, quæ in conjugatione Hiphil הושיע *hoſchiah* i. e. *ſalvare;* inde יהושע *Hoſcheah* i. e. *Salvator:* facili deinde mutatione a Moſe factum ex יהושע *Hoſcheah*, alterum nomem יהוה *Jehoſchuah*, præpoſito י, quæ apud Hebræos, dum initio ponitur, frequenter format nomina propria punctis etiam vocalibus aliquantulum immutatis: quam vocem noſter Interpres *Joſue*, LXX. Ιησοῦν *Jeſum* reddunt. Tametſi, inquam, Hebraizantes illi, nullum inter has duas voces ſignificationis diſcrimen eſſe contendant, nihilominus certum eſt hanc nominis mutationem, divino afflatu non de nihilo factam fuiſſe. Itaque dicendum arbitror literam י quæ prima eſt in voce יהוה *Jehova*, quam Hebræi tribus י reddere ſolent, idcirco adjectam fuiſſe nomini *Oſeę*, ut ſingulari myſterio *Salvator* diceretur. Cenſet S. Hieronymus [a] vocem *Oſee* ſignificare ſimpliciter *Salvatorem*; *Joſue* vero *Salvatorem Domini*; non qui ſalutem conferat Domino, ſed per quem Dominus aliis opituletur; *Oſee*, inquit, *lingua noſtra Salvatorem ſonat, quod nomen etiam habuit Joſue filius Nun, antequam vocabulum ejus a Deo mutaretur, & additum eſt ei Dominus, ut Salvator Domini diceretur.* Adderem ego idcirco literam י hujus Iſraelitarum Ducis nomini divino inſtinctu fuiſſe adjectam, ut plenius ille & diſtinctius Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum, non ſolum principatu, victoriis, atque triumphis, ſed ipſo etiam nomine referret, præſignificaretque myſterium reſtituendæ illius cœleſtis hæreditatis, quam primus parens amiſerat. Hinc S. Hieronymus ad Paulinum: *Veniam*, inquit, *ad Jeſum Nave, qui typum Domini non ſolum geſtis, verumetiam nomine præfert.* Unde S. Juſtinus non dubitat apud Tryphonem ſuum hæc Dei verba: [b] *Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam... Quia nomen meum eſt in ipſo.* Huic noſtro Joſuæ accomodare, ut qui Dei Chriſti Jeſu nomine appellatus Iſraeliticum populum ducere debebat in terram Patribus olim promiſſam, præſignaret nobis reſtituendum cœleſte regnum per Jeſum Chriſtum mundi Redemptorem. Quamobrem Origenes [c] præclare ait: *Hic liber non tam geſta Jeſu Nave, quam ſacramenta Jeſu Domini noſtri depingit.*

[a] *in primum cap. Oſee.*

[b] *Exod. XXIII. 20.*

[c] *homil. 1. in Joſuæ.*

VII. Argumentum hujus libri ſcopuſque in id præſertim collineat, *primo* ut admirabilem Dei in implendis ſuis promiſſis, veritatem & conſtantiam, quam nulla hominum nequitia irritam facere queat, luculentiſſime demonſtret; quippe in eo conſpicimus regionem Chananitidem, jam a quadringentis annis Abrahæ, ejuſque poſteris repromiſſam, tandem ſubactis & extinctis prioribus incolis, a Joſua ſingulis Iſraelitarum Tribubus diſtributam. *Deinde* in eo conſpicere licet optimi Imperatoris præclaram agendi & moderandi rationem; hic enim liber in Joſuæ perſona præcipuas optimi Ducis virtutes exhibet, quarum ſumma eſt Deum in omnibus religioſe colere, ut res cunctæ fœliciter ſuccedant; nam ſi neglecto Deo in humanis conſiliis & viribus populi Rectores confidant, irrita prorſus erunt & caſſa eorum opera. *Denique* in eo libro illud etiam clariſſime demonſtratur, probum Imperatorem piumque, non tam ſuis quam ſibi commiſſi populi rebus & commodis invigilare debere, quemadmodum Joſua ſubactis Chananæis & occupata eorum regione, pinguiorem & ampliorem illius regionis partem familiæ ſuæ non adjudicavit, ſed ſibi obveniente modica ſorte contentus, uberiores terræ portiones, aliis Iſraelitarum familiis diſtribuit. Videbis etiam in Joſua alias heroicas animi dotes, in primis vero mirandam illam fortitudinem & prudentiam, quæ nec adverſis frangatur, nec remittatur proſperis, nec periculis moveatur ſed, veluti ſacra anchora in Deum confidentia tutiſſime conſiſtat.

VIII. Dividitur liber Joſuæ in quatuor principes partes, quarum *Prima* enarrat ingreſſum Iſraelitarum in terram promiſſam, ab exordio uſque ad caput VI. ubi de vadato Jordane ſiccis pedibus, inſtaurata Circumciſione, celebratione Paſchatis, & populi ad exterminationem Chananæorum confortatione agitur. *Secunda* exhibet depopulationem & everſionem unius ſupra triginta Regum Regnorumque, tam citra quam ultra Jordanem, a cap. VI. ad XIII. *Tertia* profert diviſionem terræ ſanctæ, a cap. XIII. ad XXI. *Poſtrema vero capita* complectuntur præcepta de inſtitutione Principis, quantum ad adminiſtrationem belli, cap. XXII. & modum conſervandæ ac fovendæ pacis cap. XXIII. deinde deſcribitur mors & ſepultura Joſuæ, qui cum populum Iſraeliticum a Moſis obitu, juxta quorumdam ſententiam, per annos XXXII. rexiſſet, tandem victoriis & meritis illuſtris ſanctiſſime obiit annos natus CX. (8)

(8) Tam implicita difficultatum involucris adinvenitur Series temporum quartam Mundi ætatem componentium, ut, poſt diutinam rei hujuſce perveſtigationem, cui præclariores Cronologi dederunt operam, vix ſpeciem veroſimilitudinis inveniendi ſpes aliqua nobis affulgeat. Soli quippe anni quadringenti octoginta ab exitu Iſraelitici Populi de Ægypto ſub Moſis Ducatu ad jacta per Salomonem Templi fundamenta, anno ſui Regni quarto ineunte, dicuntur effluxiſſe in Libro III. Regum Cap. 6.; cum tamen longe major annorum numerus eo temporis ſpatio percurriſſe inveniatur, ſi tempora unicuique Judicum præſcripta, atque Iſraelitici Populi captivitatibus adſignata in Libro Judicum obſervemus: Ex iſta (in ſpecie tamen ſolummodo) Divinorum Librorum antilogia variæ Scriptorum ſententiæ de tempore, quo Joſue Iſraelitarum gentem moderatus eſt, originem habuere. Antiquiores Rabbini ad annos uſque triginta tres Joſue Ducatum protraxerunt, quibus aliquanto moderatiores Clemens Alexandrinus Lib. I. Stromat; & S. Auguſtinus Lib. 18. de Civit. Cap. 11. ſe exhibuerunt, cum ad annos 27. ſolummodo Joſue gubernium perſtrinxerint. Horum opinio communior habebatur tempore Severi Sulpitii, ut ipſemet Lib. 1. Hiſtoriæ Sacræ conteſtatur. Anni 18. ab aliis Scriptoribus vitæ Joſue poſt defunctum Moſen tribuuntur. Genebrardus tamdem cum recentioribus, inter quos, Natalis Alexan-

IX. Hunc librum genuinum ac Canonicum esse conveniunt omnes, quippe cum in priscum sacrorum voluminum Canonem receptus sit: & præterea, vetustatem ejus ac sanctitatem demonstret, illud III. Reg. cap. XVI. 34. *In diebus ejus ædificavit Hiel de Bethel Jericò: in Abiram a primitivo suo fundavit eam, & in Segub novissimo suo posuit portas ejus juxta Verbum Domini quod loquutus fuerat in manu Josue filii Nun.*

Quod

xander Dissert. 13. in veteris Testamenti historiam ad quartam Mundi ætatem annos 17. regimini Josue concedunt; Calmetus annos octo, alii tandem decem eidem Duci præscribunt, Quid certi inter tam variantes hypotheses statui poterit? Implicatior adhuc ex hujuscemodi uricis redditur exitus si Libros Judicum, & Actuum Apostolicorum percurramus, & deinde solis quadringentis octoginta annis ut Lib. III. Regum Cap. 6. scriptum est, velimus temporis intervallum ab exitu Israelis de Ægypto ad Templi Salomonici ædificationem concludere, Melchior Canus lib. 2. de locis Theolog. Cap. 3. in Respons. ad 12. argument. facillime difficultates evitat contendendo vel depravatum ab Amanuensibus annorum numerum in Lib. III. Regum Cap. 6; vel Scriptorem Sacrum ibidem non integrum tempus ab exitu de Ægypto ad ædificationem Templi decursum, sed tantummodo Judicum annos computare voluisse. Petavius Lib. 9. *de temporum Doctrina* Cap. 33. peculiari opinione putat quartam Mundi ætatem ex quingentis viginti annis esse compositam; unde verba illa Libri III. Regum *ab exitu de Ægypto*, non a die, qua egressi sunt de Pharaonis servitute per Mosen Filii Israel, sed a die, qua per Josue in terram promissionis immissi fuerunt tempus quadringentorum, & octoginta annorum esse inchoandum, significare contendit; & istam esse Scripturæ divinæ Phrasim in tempore isto præscribendo variis demonstrat exemplis Petavius, cui tamen refragatur Usserius in Part. 1. Chronol. Sacr. Cap. 12.

Qui vero putant ab exitu de Ægypto ad Templi structuram non alios, quam annos in laudato Regum Lib. III. recensitos percurrisse alias, & quidem diversas in conciliandis Libris Sacris ad invicem Methodos tenent. Abulensis quæst. 3. in Caput 1. Ruth, Masius in ℣. 31. postremi Capitis Josue, Marshamus in Can. Chronol Natalis Alexander loco superius citato, aliique Chronologi tempora aliquorum interregnorum, & Captivitatum, de quibus in Libro Judicum, cum aliquorum Judicum tempore connectunt; adeo ut in quadraginta annis Othonielis v. G. ii etiam anni, quibus post Josue Senes populi Rempublicam administrarunt, ac Regis Chusan captivi fuerunt Israelitæ, includantur; Alii denique existimant juxta Hebræorum Phrasim sæpe sæpius numeros Cardinales pro numeris ordinalibus in Scripturis Sanctis fuisse usurpatos, adeo ut in Cap. 3 Judicum E. G ℣. 11. ubi legimus: *quievitque terra quadraginta annis*; intelligi debeat: *Quievitque terra quadragesimo anno*, idest Populus Israel de captivitate Regis Chusan ereptus est, atque libertati per Othonielem restitutus anno 40. postquam sub Duce Josue, transactis sex bellorum annis cum Regibus Chananæorum, pacem, & liberam possessionem Terræ promissæ juxta Dei pactum erat consecutus. Tali modo cæterorum Judicum annos esse computandos opinantur. In horum quidem Hypothesi satis conciliantur quadringenti octoginta anni, qui ab exitu de Ægypto usque ad Templi constructionem incœptam præscribuntur. Verum a naturali intelligentia non parum videntur extorti divini Textus libri Judicum, qui tam clare annos quietis terræ, & captivitatum sub diversis Tyrannis designant. Aliquam nihilominus factorum conjunctionem sub uno, eodemque annorum censu tenemur concludere; videlicet captivitatem, & regimen Israelitarum sub aliquo Judice, a quo non item servitutis laquei confringerentur, atque pristinæ libertati Populus restitueretur, sed ab altero insigni Viro a Deo in Populi Defensorem, & Vindicem excitato Judæorum oppressores debellarentur, qui postea a Sacro Scriptore Judex sit appellatus, quamquam solum Vindex esset, nisi erratum in numero annorum computando ab Auctore libri III. Regum fuisse, confiteri velimus. Unam itaque vel alteram proponemus ab Auctoribus excogitatam pro quarta Mundi ætate χρονοταξη Usserius in primis quadringentos octoginta annos quartam ætatem Mundi componentes hoc pacto disponit in Chronol. Sacr. Part. 1. Capite 13.

I.	Ab exitu Israelitarum de Ægypto usque ad transitum Jordanis anni.	40.
II.	A transitu Jordanis ad belli contra Chananæos finem sub Josue anni	6. Mens. 4.
III.	Ab initio quietis Israelitici Populi in terra Chanaam sub Josue obtentæ usque ad pacem ab Othoniele restitutam debellato Chusane Mesopotamiæ Rege Israelem opprimente anni	40.
IV.	A pace per Othonielem restituta usque ad liberationem Populi de Potestate Eglonis Moabitæ per Aodum factam anni	80.
V.	A libertate per Aodum obtenta usque ad liberationem de Tyrannide Jabinis Chananæorum Regis sub Debbora, & Barach anni	40.
VI.	Inde ad liberationem a Madianitarum oppressionibus per Gedeonem anni	40.
VII.	Ab ista autem usque ad initium Regni Abimelech anni	9. Mens. 2.
VIII.	Abimelechi, Tholæ, & Jairis Judicum anni	48.
IX.	Jephte Populum rexit annis	6.
X.	Abesan, Ajalon, & Abdon rexerunt Populum Israel annis	25.
XI.	Heli, & Sampson annis	40.
XII.	Samuel annis	21
XIII.	Saul Rex annis	40.
XIV.	A morte Saulis ad jacta Templi fundamenta anni	43.
	Summa istorum Annorum ascendit ad Annos	478. Mens. 6.
	Si alii Menses interpositi huic adjungantur numero facillime ad annos perveniemus, qui in Libro III Regum Cap. 6. notantur, nempe	480.

In hac hypothesi, quæcunque narrantur in postremis quinque Capitibus Libri Judicum contigisse supponuntur eo temporis spatio, quod ab Josue Morte usque ad pacem per Othonielem Populo restitutam intercessit, quamquam ad Calcem historiæ Judicum transposita sint. Quandiu vixerit Josue, quanto post ipsum tempore Populi Seniores Rempublicam administraverint, non indicatur. Alteram igitur quartæ Ætatis Mundi Chronotaxim exponemus, ut clariori, si fieri possit, modo horum temporum seriem exhibeamus.

Hæc autem propria Petavii est loco superius indicato, ubi captivitatum Israeliticarum tempus, sejunctim a tempore Judicum considerat, cum ex divinarum literarum expressionibus, & phrasibus ita separatum proponitur, ut nullimode, si violentiæ, & extorsiones a Sacris Textibus removeantur in tempore alicui præscripto Judici contineri posse dignoscatur. Plures ulterius præmittuntur suppositiones a Magno illo Viro, quibus postea nodos, qui in hypothesi sua offendi queunt, facile solvit. Prima ex præmissis suppositionibus, est quod שפט *Sophet*, seu *Judex* varias apud Hebræos significationes sortitur; nam & eum exprimit, qui jus Populo dicit, & jurisdictionem exercet; & eum etiam, qui ultorem, vindicem, atque liberatorem agit, sicut משפט *Mischphat*, *judicium*, *vindictam*, & liberationem significat, ut etiam Frassenus Cap. 3. sequenti sub num II., & III. declarat. Secunde

sup-

Quod certe depromptum est ex his verbis libri Josuæ cap. VI. v. 25. *In tempore illo, imprecatus est Josue dicens: Maledictus vir coram Domino, qui suscitaverit & ædificaverit civitatem Jericho: In primogenito suo fundamenta illius jaciat, & in novissimo liberorum ponat portas ejus.* Ubi vides librum Josuæ, ut antiquissimum, & libris Regum longe anteriorem, citari. (9)

CAPUT.

supponit aliquando Judicum quempiam non toti Israeli, sed aliquibus solum Tribubus præfuisse, quod in Jephte contigisse opinatur, qui Galaaditico Populo jus dicebat, quamquam universum Israelem liberaverit; hinc probabiliter coniici posse arbitratur plures in Populo tempore eodem Judices in variis Tribubus extitisse. Tertio tandem non esse captivitatum tempora cum temporibus Judicum commiscenda, dum expresse a Scriptura separata præscribuntur; permiscenda tamen, & colliganda, quæ nullam Scripturæ violentiam imponunt, si invicem uniantur.

Demonstrat tandem verba illa libri III. Regum Cap. 6.: *factum est ergo quadringentesimo, & octogesimo anno egressionis Filiorum Israel de terra Ægypti* non adeo expresse significare diem, aut annum, quo Israelitæ ex Ægypto egressi, scilicet ex Tyrannide Pharaonis liberati sunt, ut facillime ad annum quo terram Chanaam sub Josue Duce ingressi sunt referri non possint. Evidentia equidem sunt hæc Deuteronomii verba, quæ Cap. 4. ℣. 45. leguntur. *Hæc sunt testimonia, & Cæremoniæ, atque judicia, quæ locutus est ad Filios Israel, quando egressi sunt de Ægypto trans Jordanem in valle contra fanum Phogor, &c.* In Psalmo etiam 113. dicitur Jordanes retrorsum conversus in exitu Israelis de Ægypto. Mosen autem cæremonias, & judicia illius modi anno egressionis ab Ægypto quadragesimo, legisse, sicut & Jordanis conversionem accidisse compertum est; non igitur Scripturarum erit extorsio, si verba Libri III. Regum ita exponantur, ut annum quo Israelitæ promissionis terram ingressi fuere, significent. Hac sua methodo facillime conciliari ad invicem posse confidit Petavius, quæ maxime inter se, specie tenus, dissentire videntur Divinarum Scripturarum oracula.

Moysi in primis annos XL. concedit; Josue XIV.; Senioribus, qui post Josue Rempublicam gubernarunt X.; Primæ servituti Israelitarum quæ Mesopotamena fuit VIII.; Othonieli XL. Secundæ servituti sub Eglone Moabitarum Regi XVIII. Aodo LXXX. Tertiæ servituti sub Jabine Chananæorum Regi XX. Debboræ, & Baracho XL. Quartæ servituti sub Madiantis annos VII. Gedeoni XL. Abimelecho III. Tholæ XXIII. Jairi XXII. Quintam servitutem sub Ammonitis, & Philistæis, cui anni XVIII. Cap. X. Judicum ℣. 8. tribuuntur, cum annis Jairis, & Jephte conjungit, nullumque eidem distinctum tempus concedit. Jephte autem sex annos attribuit, Abesani autem VII. Eloni X. Abdoni VIII. Sextam servitutem sub isto Judice incœpisse, quæ annorum XL. spatium perduravit, adfirmat, quo tempore Heli Sacerdotem jus Populo dixisse per annos XX. Sampsonem pariter per totidem XX. annos Judicis munus exercuisse opinatur; quibus e vita sublatis Samuelem, & Saulem per annos iterum XL. Populum judicasse, & Davidem tandem fato functis iis in regimen successisse per annos XL. defendit; quorum omnium anni si in summam reducantur, & eidem quatuor addantur anni Salomonici Regni, antequam Templi jacerentur fundamenta, anni colliguntur quingenti & viginti; detractis autem quadraginta peregrinationis annis per desertum sub Mose, habentur statim anni quadringenti octuaginta, qui in libro III. Regum Cap. 6. recensentur.

In hac percelebris Viri hypothesi nonnulla contineri unusquisque dignoscit, quæ mere sunt arbitraria, cujusmodi sunt nonnullarum captivitatum tempora ab Judicum annis sejuncta, aliarum vero servitutum cum Judicum tempore permixta, cum æquali modo omnium servitutum durationem Sacræ Literæ ab Judicum tempore secernant. A Deo tantummodo sciri opinamur, & cui revelare dignabitur methodum conciliandi tempora in libro Judicum designata cum intervallo ab exitu de Ægypto ad Templi structuram in laudato Regum libro præscripto; quotquot enim percurrimus Scriptorum hypotheses excogitatas, inextricabili difficultati obnoxias adinvenimus. (W)

(9) Parvi utique inveniuntur momenti, quæ adversus Canonicitatem Libri Josue possunt opponi; non autem prætermittentur a nobis in Tyronum gratiam. Primo itaque: Liber in Sacrarum Scripturarum censu haberi non debet, in quo non pauca leguntur errata ab Auctore commissa; libri quippe divini Spiritu veritatis dictante conscripti sunt; Capite autem 7. Josue ℣. 25. Achan ex Dei voluntate cum Filiis suis lapidibus obrutus ob peccatum ab ipso Achane commissum; Dei tamen voluntas apud Ezechielem Cap. 18. ℣. 20. expressa hæc est; quod Filius portare Patris iniquitatem minime debeat. Capite primo ejusdem libri, Josue inducitur præcipiens ex Dei oraculo Principibus Populi, ut gentem universam disponerent ad transitum Jordanis post diem tertiam ineundum; ex Capitibus autem secundo, & tertio compertum est nonnisi post sex dies saltem Jordanis alveum transvadasse Israelitas; quidni irrita fieri poterant, quæ Divino jubente Numine parata erant? Capite 13. ℣. 7. refertur divisa terra Chanaan ex Dei mandato in novem Tribus, & in dimidiam Tribum Manassis; & nihilominus Cap. 16. ℣. 9. Urbes separatæ dicuntur cum villis pro Filiis Ephrain in medio possessionis Filiorum Manasse; non ergo in novem Tribus & dimidiam Terra divisa fuit, ut Auctor scripserat in Cap. 13. Major adhuc fit palam Auctoris hujus libri oscitantia, & insscitia, ex quo Cap. 15. ℣. 17. Othonielem Filium Cenez appellet Calebi Fratrem juniorem, cum Caleb non Cenezi filius, sed Jephonæ dicatur Numer. 32. ℣. 12; non ergo Othoniel Calebi frater esse poterat. Capite 20. pariter ℣. 36. quinque recenset Civitates refugii, & tamen istæ nonnisi quatuor erant. Capite 24. Seniores, & Principes congregati leguntur in Sichem in conspectu Domini, cum tamen Sanctuarium Domini in Silo fixum esset, ut jam idem Auctor Libri in Cap. 18. ℣. 1. adfirmaverat. Hæc omnia profecto demonstrant in Auctore Libri Josue, memoriæ lapsum, factorum insscitiam, atque alios, qui veri sunt humani Scriptoris defectus; non ergo suum commentarium speciali Divini Spiritus adsistentia suffultus conscripsit.

Respondemus hæc omnia levis admodum esse ponderis ad elevandam libri Josue divinam auctoritatem. Quæ itaque primo loco opponuntur, historicam veritatem de Achanis, ejusque Filiorum morte indubie continent; Scriptura divina refert factum, prout revera contigit; sive jure, sive injuria id fuerit executus Judex, quod profecto facer Historicus nequaquam definit. Nos tamen jure, tali pacto justitiam vindicativam expletam a Josue fuisse non ambigimus, cum Dei monitis tantummodo obtemperaverit. Deus autem legitimum in vita hominum cum dominium possideat, pro libito suo eosdem spoliare potest, quin injuriam præstet; multo ergo magis si in peccatorum vindictam, & in aliorum instructionem id expleverit. Legatur Caput Septimum Josue a ℣. 10 usque ad 16., & aperte videbimus a Deo præscriptam Achanis pœnam, ob scelus commissum.

Ad alterum respondemus jussum quidem Josue fuisse a Deo transire Jordanem cum Populo, sed minime ab eodem tempus fuisse præscriptum ut patet ex Cap. 1. ℣. 2. Josue autem ex sua libertate diem tertiam decrevisse, quod tamen adimpletum non est, eo quod exploratores ab Josue missi diutius quam existimabantur moram protaxerint trans Jordanem, neque ad ipsum Ducem statim reverti potuerint, ut legimus Capite 2.

Divisa profecto inter novem Tribus, & dimidiam fuit terra Chanaan, ut legimus Cap. 13., sed ut clarissimus Masius observat. credibile est, quod universa hæreditas, quæ simul Manassensibus, & Ephramitis obvenerat divisa fuerit in duas partes, quæ cum non viderentur æquales pro ratione unius cu-

CAPUT TERTIUM.

De Libro Judicum, & Ruth.

SUMMARIUM.

I. *Cur hic liber* Judicum *nomine inscribatur.*
II. *Quidve officii & muneris in Judæorum Republica Judices habuerint.*
III. *Quæ & qualis fuerit eorum auctoritas.*
IV. *Vix definiri potest, quot annos Judicum liber complectatur: variæ namque & incertæ sunt ea de re Auctorum sententiæ.*
V. *Quale sit hujus libri argumentum.*
VI. *Tametsi certo constare non possit a quo fuerit exaratus & quo tempore; certum est eum esse vetustissimum.*
VII. *Et scriptum ante Babylonicam cladem & captivitatem.*
VIII. *Judices omnes sanctitate & pietate non fuerunt illustres, tametsi eorum plurimi fuerint religiosissimi.*
IX. *Libellus Ruth verius censetur Libri Judicum Appendix, & continuatio, quam Liber distinctus.*
X. *Quatuor capitibus & tribus partibus constat præcipuis iste Liber.*
XI. *Ejus utilitas in ostendenda Christi prosapia, consistit & in omnes gentes dispensatam Dei beneficentiam demonstrat.*
XII. *Booz Ruthæ Maritum fuisse Hebræorum Judicem nomine* Abesan *non est improbabile.*
XIII. *Hujus Libri Auctor idem putatur qui & Libri Judicum.*

§. I.

I. Hic liber Hebraice dicitur שופטים *Sophetim*, Græce κριται, Latine *Judices*, quæ omnes voces eandem significationem referunt: Philoni autem visum est librum hunc appellare κριματα *judicia*, ad eum videlicet modum quo nonnulli sequentes libros Judaicam historiam & Reipublicæ administrationem complectentes, non *Regum*, sed *Regnorum* appellavere. Nihilominus tamen apud Latinos & Græcos usus invaluit, ut præsens liber *Judicum* nomine donaretur, nomenclatura facta a materia quam enarrat, nimirum a rebus gestis, ab eis Judaicæ Reipublicæ Moderatoribus, qui Josuæ successerunt, & Regum administrationem ac regimen antecesserunt.

Dicitur autem *liber Judicum*, potius quam *Principum;* tametsi enim suprema auctoritate potirentur in Republica Judaica, essentque bellorum Duces, qui Regum exterorum tyrannidem qua Judæi obruebantur, excuterent; nihilominus tamen non tantum præerant bellis & exterorum injuriis arcendis, sed etiam litibus componendis, & juri dicendo. Quamobrem de his passim in hoc libro legimus: *Judicavit Israel*

Præ-

eujusque Tribus, adjectæ fuerunt Ephramitis aliquot urbes, & villæ intra limites Manassentium positæ; sicque exæquatæ fuerunt ambæ sortes.

Facile nimis objurgarentur Sacri Auctores si ex unica appellatione convinci possent errati. Compertum est apud Hebræos consobrinos, alioque cognatos fratres appellari. Verum quid remanebit effugii Adversariis si doctissimi Andreæ Masii, aliorumque sequamur opinionem existimantium Caleb vere fuisse Othonielis germanum fratrem, sed uterinum dumtaxat, ita ut una, eademque mulier duos habuerit maritos successive, quorum priorem Jephone patrem Calebi, secundum Cenez Othonielis parentem? Poterat autem Othoniel licite in conjugem assumere Calebi filiam, quia Levitici Cap. 18. ℣. 9. prohibetur solummodo conjugium amitæ cum Nepote, minime vero neptis cum patruo. Ut adversarii ergo in Sacro Josue Libro, demonstrent erratum, impossibilem, & contradictoriam hanc expositionem quod ostendant necesse est, quod utique consequi non poterunt. Cenez Othonielis pater, si LXX. consulantur Interpretes, aliæque versiones frater Calebi invenietur fuisse: eligant ergo, quod sibi lubet Adversarii nostri velint, nolint, veritate vincuntur.

Ad oppositionem ex Capite 20. ℣. 36. jam satis responsum est circa finem Notæ (7) Libri III. Disquisitionum, unde nil aliud adjungimus. Quantæ denique levitatis sit habenda, quæ ex Cap. 24. desumitur, oppositio, facillime ex pluribus eam resolventibus responsis innotescit. Quidnam erit absurdi si cum Vatablo dixerimus, & Masio Arcam Dei ex Silo in Sichem fuisse transvectam jubente Josue, ut ibidem coram Deo populus universus pactum servandæ legis innovaret? Nonne licitum erat Imperatori præsertim, aut Regi Delubrum Dei huc, illucque transferre cum justa aliqua causa id expoceret? Sub Eli Pontificatu dum ab hostibus Israelitæ premebantur solius Senatus jussu est e Silunte asportatum in castra, ut legimus I. Regum Cap 4. ℣. 3. Fugiente pariter Davide ex Civitate ob Absalonis conjurationem, Levitæ una exportabant Dei Arcam, ut patet ex Regum II. Cap. 15. ℣. 24. Eccur e Silunte in Sichem, jubente Josue, transferri non poterat? Translata nihilominus minime supponatur. Quid inde si dixerimus cum Drusio, & Grotio verba illa *in Sichem* non Civitatem, sed *agrum Sichem* indicare? in agro autem Sichem, & Silo reperiebatur. Oppida autem, vel Civitates aliquando pro ipsorum agris fuisse usurpatas pluribus ostendit laudatus Drusius. Verum ex hoc ipso Libri Josue Capite 24. hæc responsio confirmatur, legimus enim ℣. 32. ejusdem, Ossa Josephi sepulta fuisse in Sichem, scilicet ut sequitur Sacer textus *in parte agri quam emerat Jacob. &c.* Nomen itaque Sichem cum pro Sicimitarum terra usurpatum inveniamus, optime a Sacro Scriptore dictum erit *Congregavitque Josue omnes Tribus Israel in Sichem*, quamvis in Silo revera eædem congregatæ forent. Hæc evidenter convincunt neque oscitantem, neque memoria labentem, neque gestorum insciam fuisse Auctorem Sacri Libri Josue, sed Spiritus Sancti afflatu fuisse donatum, cum nil falsitatis, aut erroris in suo commentario permiscuerit. (W)

Præcipuum ſiquidem eorum munus erat, pacem inter populares fovere, arcere lites, & componere diſſidia, lata publica & juridica ſententia. Quod utique manifeſtiſſime declaratur cap. IV. ubi de Debbora refertur: *Erat autem Debbora Prophetis uxor Lapidoth, quæ judicabat populum in illo tempore. Et ſedebat ſub palma, quæ nomine illius vocabatur, inter Rama & Bethel in monte Ephraim: aſcendebantque ad eam filii Iſrael in omne judicium,* Joſephus etiam Flavius, [a] de Gedeone loquens, ait eum confecto proſpere contra Madianitas bello, voluiſſe imperium deponere, at pulſum fuiſſe eum retinere per annos quadraginta juri dicendo & litibus finiendis occupatum, populo ratum habente quidquid ille in cauſis controverſis pronuntiaret, *Accedit* quod quidam Judices, qui annis pluribus præfuere, nulla cum hoſtibus bella geſſiſſe legantur, ut Thola & Jair infra cap. X. Item Abeſan, Ahialon, Abdon cap. XII. Sed neque Heli, qui I. Reg. IV. dicitur judicaſſe Iſraelem quadraginta annis, legitur ulla per ſe bella geſſiſſe, vel exercitum ductaſſe; & licet ipſius tempore bellum Iſraelitis cum Philiſtæis fuerit, ipſe tamen ob nimiam ſenectutem bello ineptus domi manſit. Pari modo nec Samuel judex, dum Iſraelitæ cum Philiſtæis inirent prælium, eos ipſe in hoſtes duxit, ſed ſacrificio & orationibus intentus, ſpiritualibus videlicet armis pugnavit, ut appoſite obſervat Bonfrerius. [b]

[a] *lib. 5. Antiq. cap. 8.*

[b] *Præfat. in lib. Jojua.*

II. Nolim tamen exiſtimes eos judices precariam ac ſubdelegatam habuiſſe judicandi poteſtatem. Bifariam enim accipitur *Judicis* nomen, nam & eum ſignificat qui jus populo dicit, ac judicium & juriſdictionem exercet eum delegatione, vel Principis vel Reipublicæ: cujuſmodi in liberis civitatibus, aut ſub Regibus judices habentur, quorum omnis poteſtas & functio alteri, nempe Superiori eſt obnoxia. Aut ad eum pertinet qui ſummus atque unicus moderator eſt, in quem populus univerſus ita jus ſuum tranſtulit, ut regiam, vel regiæ ſimilem ei poteſtatem attribuerit. Sic Gothorum Principes, non *Reges* ſed *Judices* appellabantur, ut notat Themiſtius [c] *Ideo enim*, inquit, Regis *appellationem repudiat, uſurpat Judicis: Eſt enim illa potentiæ, hæc ſapientiæ propria.* Unde Ammianus [d] eundem Athanaricum vocat *Judicem potentiſſimum.* Hinc etiam apud Iſraelitas, Reges paſſim dicuntur judicaſſe populum, & Judicum munus obiiſſe; unde I. Reg. VIII. dixerunt Samueli; *Conſtitue nobis Regem, ut judicet nos.* Et Salomon III. Reg. III. petens a Deo Sapientiam, ut debite Regis vices impleret, aiebat: *Dabis ergo ſervo tuo cor docile, ut populum tuum judicare poſſit, & diſcernere inter bonum & malum, &c.* Et Abſalon regnum ambiens II. Reg. XV. aiebat: *Quis me conſtituat Judicem ſuper terram, ut ad me veniant omnes, qui habent negotium, & juſte judicem?* Quamobrem Tyrii ſuos principes Hebræorum inſtar שופטים *Sophetim* ſeu *Judices* appellabant; quod etiam fecere Tyriorum Coloni Carthaginenſes, quorum præfectus *Suffetes* appellabatur, litera *ſchin* emollita, quomodo Ephraimitæ in eam partem vergentes pronuntiabant. Veruntamen ſi linguæ Hebraicæ vim ac proprietatem attendas, vox שפט Sophet, *vindicem, ultorem*, & ad eos qui oppreſſi ſunt, a potentiorum injuria liberandos cauſæ *cognitorem diſceptatoremque* ſignificat.

[c] *Orat. 10. de Athanarico.*

[d] *lib. 27.*

III. Hoc poſtremo ſenſu ſacris illis Judicibus ea proprie convenit appellatio, ut ipſamet Scriptura demonſtrat Judic. II. cap. 7. ubi identidem peccante populo ac reſipiſcente, ſuſcitaſſe Dominus dicitur *Judices*, qui liberarent eos de vaſtantium manibus. Ideo lib. II. Eſdræ cap. IX. *Salvatores* appellantur: *Et in tempore tribulationis ſuæ clamaverunt ad te; & tu de cælo audiſti, & ſecundum miſerationes tuas multas dediſti eis* Salvatores, *qui ſalvarent eos de manu hoſtium ſuorum*, & III. Jud. 14. Aod *Salvator* dicitur. Quibus verbis veram ac propriam *Judicum* iſtorum rationem, inſtitutionem ac functionem aperuit; quæ in eo præcipue poſita fuit, ut oppreſſo populo ſubvenirent, ab eoque exterorum vim, & injurias arcerent. Nihilominus ad hoc ipſum munus ad quod divinitus excitabantur, accedebant alii dignitatis & officii tituli. Nam Joſephus talem a Deo *excitatum Judicem & liberatorem*, etiam *Prophetam* vocat, quia prophetiæ dono, ut Joſua & Samuel, aut alio non diſſimili, ipſos animante & ſucceſſus prænuntiante, præfulgere ſolebant, quod etiam admittit Maimonides. [e]

[e] *lib. Doctoris dubitantium cap. 45.*

Habebant etiam ſupremam quandam poteſtatem, ſive divinitus ſibi commiſſam, ſive potius populi conſenſu ac voluntate traditam. Quamobrem etiam *Regis* appellatione & titulo interdum illuſtrabantur; ſic Judic. IX, v. 6. *Congregati ſunt omnes viri Sichem, abieruntque, & conſtituerunt Regem Abimelech*, & cap. XVIII. *In diebus illis non erat Rex in Iſrael;* id eſt *Judex.* Quamobrem Joſephus non tantum κριτας & ἡγεμονας *Judices & Duces* appellat, ſed etiam στρατηγους *Imperatores & Bellorum Duces*, vel ὑποστρατηγους *Subimperatores*, ſub Deo videlicet στρατηγῷ cujus dignitatis ratio petenda eſt ex ſuprema regendi poteſtate & auctoritate juriſdicendi in pleriſque eorum. Non enim omnes qui eo in libro memorantur *Judices*, parem in Iſraeliticum populum auctoritatem obtinebant. Nonnunquam enim *Judices illi*, non ſingulis Tribubus, ſed aliquot duntaxat præfuerunt quod in mox prolato Abimelecho, & Jephte Galaatide perſpicue cernitur. Quanquam enim populum univerſum a ſervitute & calamitate liberaſſent, non tamen *Judicum* partes ſeu ſupremam juriſdictionem in univerſum populum exercebant ſed in eas ſolum Tribus, quæ ſe ipſis ſponte ſubjecerant.

IV. Complectitur hic liber varios Reipublicæ Iſraeliticæ caſus & eventus, proſperos & adverſos, alternante in Iſraelitas Dei benignitate & juſtitia, & modo eos affligente ob idololatriam & divinorum

man-

mandatorum neglectum; modo feliciora reponente, cum pœnitentes divinam misericordiam exorarent. Continetque annorum seriem CCXCIX. juxta Piscatorem: secundum autem S. Augustinum CCCXXIX. juxta Petavium, [a] duodequingentos: *Sex enim*, inquit, *in ea sunt servitutis tempora, quorum pleraque interregna creduntur: quorum omnium summam efficit* CXI. *reliqua Judicum spatia, detractis inter-regnis, annos componunt duodequingentos*, Verosimilius censerem ego historias hic enarrari spatio annorum plusquam CCXCIX. Enimvero refert ea quæ contigerunt sub præfectura tredecim Judicum, qui Israelitis præfuerunt CCXCIX. annis: Othoniel quidem XL. annis, Aod LXXX. Samgar aliquot menses. Debbora cum Barac XL. Gedeon itidem XL. Abimelech XIII. Thola XXIII. Jair XXII. Jephte VI. Abesan VII. Ajalon X. Abdon VIII. Samson XX. qui omnes anni simul juncti numerum efficiunt, quem dixi; quibus si adjiciat intermedia tempora, quæ vel pacifice nullo moderante supremo Judice, vel sub variis captivitatibus duxerunt Israelitæ, invenies majorem annorum seriem, quam quæ a Chronologistis vulgo assignetur. Qualis autem & quanta hæc fuerit, difficile est definire, neque præsentis instituti diutius investigare.

[a] *lib. 4. de doctrina temp. cap. 31.*

Hic tamen advertere juvat, non omnium Judicum gesta hoc libro esse comprehensa; historia namque duorum postremorum judicum enarratur in primo libro Regum: commodius enim visum est, inquit Bonfrerius, ut tota Samuelis vita ab ipso ortu & infantia in eundem librum compingeretur, quam ad rem necesse fuit etiam Heli gesta, vel certe senectutis ipsius casus (quos solos Scriptura refert) conjungere, cum non potuerint a Samuelis gestis divelli. Porro Samuelis gesta, qui populo Regem extorquente, Deoque auctore, primos Hebræorum Reges inunxit & inauguravit, non conveniebat a Regum historia sejungi,

V. Argumentum hujus libri in eo potissimum versatur, ut manifestis exemplis demonstret, unde regnorum splendor, & florens Reipublicæ status peti debeat; ex uno videlicet religioso Dei cultu, divinorumque ejus mandatorum observantia, quæ si Principis & populi animis insederit, aderit bonorum omnium affluentia, hostium terror procul, tyrannidis, omnisque calamitatis eliminatio, atque firmissima pax, & animorum concordia. Sin vero Religionis curam abiiciant, susdeque ruent omnia, & in Deum perduelles omnibus calamitatibus subjacebunt. Cujus utique constantissimæ veritatis luculentissima exempla profert hic Judicum liber, qui I. & II. capite Judaicam historiam altius repetens, paucula quædam præmittit, quæ viam muniant ad sequentes de Judicibus narrationes. A III. capite usque ad XVII. enarrantur gesta Judicum. A XVII. usque ad libri finem, quædam historiæ memoratu dignæ referuntur, quæ istis Judicum temporibus contigerunt, non tamen designato tempore, quo hæc evenerint, ut historia idoli Michæ, & stuprum conjugis Levitæ, quod cruentissimi belli civilis inter Tribum Benjamin & alias Tribus fomitem dedit.

VI. Quis fuerit hujus libri Auctor plane incertum est, variæ namque sunt ea de re Interpretum sententiæ; visum enim est quibusdam unumquemque Judicem suorum temporum res gestas conscripsisse, quæ postea eorum monimenta cum disjecta essent, in unum quoddam corpus seu volumen collecta sint, vel a Samuele, vel ab Ezechia Rege, vel ab Esdra. Samueli, ut Auctori, hoc opus adscribunt Isidorus [b] & Thalmudici Scriptores. [c] Sunt qui tribuant Heli summo Sacerdoti. Auctor vero libri Synopseos de vita & morte Prophetarum, quæ Dorothæo tribuitur, scriptum fuisse ait in tabernaculo, perinde ut librum Ruth, ab illis Scriptoribus sacris quos Moses instituerat. Nos vero cum nec Scriptura, nec Ecclesia quid tenendum sit indicet ac præscribat, judicium suspendendum esse ducimus.

[b] *lib. 6. Originum cap. 2.*
[c] *Cap. 1. lib. Baba Batra.*

Ut ut sit, certum est librum hunc esse vetustissimum, & ante Psalmos ac Regum historias confectum. Enimvero verba hæc Psalmi LXVII. v. 8. & 9. *Deus cum egredereris in conspectu populi tui, &c.* expressa videntur ex Judic. V. v. 4. *Domine cum exires de Seir & transires per regiones Edom, terra mota est, cœlique ac nubes distillaverunt aquas.* Similiter, hæc II. Reg. cap. XI. v. 21. *Quis percussit Abimelech filium Jerobaal? nonne mulier misit super eum fragmen molæ de muro, &c.* delibata sunt ex his Judic. IX. v. 53. *Et ecce una mulier fragmen molæ desuper jaciens, illisit capiti Abimelech, & confregit cerebrum ejus.*

Sunt tamen qui existiment librum hunc fuisse duntaxat editum post abductos Israelitas in Captivitatem a Salmanazaro, idque colligere se putant ex cap. XVIII. v. 30. & 31. hujus libri, ubi de Idolo a domo Michæ & sacerdote abducto, per sexcentos viros Danitas, qui procedebant ad expugnationem civitatis Lais, legimus; *Posueruntque sibi sculptile, Jonathan filium Gersam filii Mosis, ac filios ejus sacerdotes in Tribu Dan, usque ad diem captivitatis suæ. Mansitque apud eos Idolum Michæ omni tempore quo fuit Domus Dei in Silo. In diebus illis non erat Rex in Israel.* Ex quibus inferunt hæc non potuisse scribi, nisi postquam Salmanazarus decem Israeliticas Tribus captivas abduxerat, quo tempore nullus erat Rex Israeliticus qui eis imperaret.

VII. *Verum* inanis prorsus & sine fundamento conjectura, siquidem captivitas illa non alia fuit, quam quæ Israelitis contigit, cum temporibus Heli summi sacerdotis, Israelitæ victi sunt a Philistæis, & Arca fœderis simul capta est, & plurimi Israelitæ in captivitatem abducti. Ita præter S. Hieronymum, si modo is Auctor est commentariorum quæ in Paralipomena extant, duo celebres Hebræi R. D. Kimchi, & R. Jesaias, cujus hæc sunt. Non licet, *inquit*, „ exponere de captivitate Sennacherib,

(nam

„ (nam ecce, ait in proximo, cunctis die-
„ bus quibus fuit domus Dei in Silo) sed
„ de captivitate Silo. Verba D. Kimchi:
„ Ex conjectura videtur, quod dies migra-
„ tionis terræ, sit dies qua migravit Arca,
„ de qua dicitur, deseruit tabernaculum Si-
„ lo, & dedit in captivitatem robur suum,
„ & decus suum in manum hostis, & con-
„ clusum tradidit gladio populum suum.
„ Item dicit; Irritaverunt eum excelsis suis,
„ & sculptilibus suis ad Zelotypiam pro-
„ vocarunt eum. Hoc dictum est de scul-
„ ptili Michæ. Quod etiam arguit versus
„ sequens, qui dicit; Cunctis diebus qui-
„ bus erat domus Dei in Silo: unde appa-
„ ret tempus illud, usque ad diem qui mi-
„ grabat, & cunctis diebus quibus erat do-
„ mus Dei in Silo, tempus unum idemque
„ esse. Cæterum post obitum Heli, & post-
„ quam migrasset Arca, & migrassent ex
„ Israel multi, cecidissentque gladio, abo-
„ litum fuit illud sculptile.„ Hoc est quod ait, *usque ad diem qua migravit terra*, &c. nempe usque ad diem quo Israelitæ victi a Philistæis, eorum plerique una cum Arca capti sunt, & in captivitatem abducti. Quod autem eo tempore ista contigerint, non autem temporibus Salmanazari, argumentum est, quod Idolum istud ad postrema hæc tempora perseverare non potuit apud Israelitas; neque enim David & Salomon, antequam hic a mulieribus esset depravatus, Idolum istud & nefarium ejus cultum impune tolerassent in regno suo. Unde postrema verba in objectione posita sic intelligenda sunt, ut significent ista eveniisse, priusquam Rex aliquis apud Israelitas fuisset electus & institutus.

2 *quæst.* 10. *in* 3. *Iudic.* Existimat Serrarius. [2] Judices omnes peculiari sanctitate fuisse illustres, atque æterna beatitudine donatos. Estque id creditu pium, ut iis Dominus sanctitatem ac beatitudinem dederit, per quos voluerit totius populi sui consulere sanctitati, & impium, prophanumque debellare cultum cum tyrannis, qui Dei populum opprimebant, Est etiam forsasse creditu necessarium, cum Apostolus [b] David, & Samueli, & prophetis aggreget quatuor e Judicibus, Gedeonem & Barac, Samsonem & Jephthe, quos dicit per fidem vicisse regna, operatos esse justitiam, adeptos esse repromissiones, &c. At in istis judicibus etiam reliqui intelliguntur, quorum par est ratio, vel fortasse major. Nam de Samsone & Jephthe dubitari potius potest, quam de Othoniele, de quo Scriptura tradit fuisse in eo spiritum Domini, videlicet populum ex spiritu Dei gubernasse.

[b] *Hebræor.* 11. 32.

Accedit ad hæc Ecclesiasticus, qui neminem excipit, omnes comprehendit cap. XLVI. *Et Judices*, inquit, *singuli suo nomine, quorum non est corruptum cor: qui non adversi sunt a Domino, ut sit memoria eorum in benedictione, & ossa eorum pullulent de loco suo, & nomen eorum permaneat in æternum, permanans ad filios illorum sanctorum virorum gloria*. Ecce quomodo Judices non aliqui, sed singuli suo nomine, seu nominatim laudandi, & cum debitis encomiis commemorandi sint, utpote quorum non est corruptum cor, per idololatriam scilicet, neque aversi sunt a Domino, ab ipsius videlicet cultu & voluntate recedentes: quorum ob id memoriam vult esse in benedictione apud Deum & homines, & eorum ossa pullulare de locis suis, hoc est, florere & resurgere, ut sanctos docet, ad beatam immortalitatem, & nomen ac gloriam recte factorum ipsorum permanere in æternum, & manare ad posteros.

His tamen non est accensendus Abimelechus quem potius sævissimum tyrannum, fratricidam sceleratissimum, patriæ eversorem, propriæque gentis hostem infensissimum, quam legitimum Judicem & Rectorem Scriptura declarat. (10)

(10) Judicum Liber, ejusque Appendix, in qua Ruthæ Moabitidis præclaræ virtutes, atque connubium, quod cum Booz de Tribu Juda contraxit principalius narrantur, canonicus, & divinæ auctoritatis dubio procul, tam in veteris, quam novi Testamenti Ecclesia semper habitus fuit, ut ex Sacrorum Librorum Canonibus, de quibus in Libro IV. Disquisitionum actum est, satis ostenditur. Solum propterea, si quæ in oppositum habeantur objectiones, satagemus convellere. Ne autem nimii hoc in loco simus, omnes hujus Libri textus, qui cum aliis Divinarum Scripturarum auctoritatibus pugnare videntur, in Libro *Conciliatorii Biblici* secundo volumini inserto componendos relinquemus. Opponi itaque potest in primis Auctorem hujus Libri habere non potuisse specialem Dei in scribendo adsistentiam, cum nonnulla veritati contraria in suo commentario recensuerit, alia vero tanquam ex Dei voluntate gesta pronunciat, cum tamen id prorsus impossibile videatur. Primi generis sunt, quæ scribit, de Gedeone Cap. 8., Ephod nimirum ab eo fabricatum, cujus causa ruina, & eversio universæ Domui ejusdem Gedeonis acciderit; & tamen Gedeon legitur inter eos Sanctos ascriptus ab Apostolo Paulo in Epist. ad Hebræos Cap. 11. ℣. 32.; qui fuerunt insignes in fide, qui operati sunt justitiam, atque repromissiones adepti. Minime autem hæc ab Apostolo de illo Judice prædicarentur, si revera deliquisset, ejusve pœnitentia non legeretur. Refert ulterius Judicum Auctor in Cap. 4. Gedeonem, & Cap. 13. Manue fuisse Dei Sacrificulos, quod tamen videtur falsum, cum solis Aaronis filiis hujuscemodi officium commissum foret, Gedeon autem de Tribu Manassis, & Manue de Tribu Dan enascebatur. Capite 10. Thola de familia Isaachar dicitur extitisse, & nihilominus Phua Tholæ Pater, Abimelechi patruus nominatur; quis vero nesciat Abimelechum Gedeonis filium extitisse si Capitis 9. ℣. 1. tam aperte ab Auctore ipso Judicum enunciatur? vel ergo mendax in Cap. 10.; vel in Cap. 6. ℣. 15. ubi Gedeonem de Tribu Manassis affirmat. Cap. 10. loquens de Judice Jair, ex ejus nomine appellata fuisse *Oppida Jair* asseverat, cum tamen eo vocarentur nomine tempore Mosis ab altero Jair Manassis filio, ut constat ex Cap. 32. num. ℣. 41.

Secundi generis duo facta proponi queunt, quæ speciali Dei consilio, ab Auctore dicuntur inita, cum tamen id videatur repugnans. Refert in Cap. 10. Judic. ℣. 23. Filios Israel Dominum consuluisse an contra Beniamin ad dimicandum processuri ultra essent? Deus autem respondisse refertur, ut ascenderent: & tamen ascendentes a Beniamitis trucidati sunt, ut ibidem enarrat Historicus. Capite tandem 11. ℣. 29. dicitur factus super Jephte Spiritus Domini, & statim ℣. sequenti describitur imprudens, & impium illud votum ab Jephte emissum, quod nullatenus justificari posse videtur. Quis autem

§ II.

De Libro Ruth.

IX. Liber inſcriptus nomine *Ruth*, verius cenſendus eſt libri Judicum Appendix quædam & continuatio, quam ab eo diſtinctum opuſculum, unde Hebraice incipit a voce ויהי *& fuit*, quaſi ſermo ſubſequens ſit præcedenti connexus per copulam, & litera ו expreſſam tametſi etiam hic deſerviat, ut futurum in præteritum convertat. Eodem modo libros Joſuæ, Judicum, Samuelis, Jonæ; & plurima capita Propheticorum vaticiniorum ordiuntur. Tametſi nonnulii exiſtiment has voces: *Et factum eſt*, initiis horum librorum redundare, nihilominus Theophylactus (*Comment. in cap.* 1. *Jonæ*) emphaſim & latentem quandam vim his verbis repræſentari judicavit: vult enim hujus libri Auctorem hac loquendi formula ſignificaſſe, quod cum Moſes vitam iſtam cum feliciore commutaſſet; ſimulque Joſua diem extremum obiiſſet, atque Judices in eorum locum a Deo ſuffecti, Rempublicam Iſraeliticam adminiſtrarent: Iſraelitæ Dei cultum abiicientes, quia peccatis præcipue idololatriæ neque modum neque finem ponebant, Deum ultionum, & delictorum vindicem in ſe concitaverunt. *Et factum eſt*, ut terram Judæorum denegatis frugibus, graviſſima fame ac inedia caſtigarit.

X. Abſolvitur autem quatuor capitibus, & tribus partibus, quarum *prima* deſcribit migrationem Elimelech Bethleemitici cum Noemi conjuge ſua, & duobus filiis Mahalone & Chelione in regionem Moabitidem, quæ peregrinatio ipſis partim ſalutaris, partim funeſta fuit; ſalutaris, inquam, utpote cum fame diriſſima per univerſam Iſraeliticam regionem graſſante, illi in alteram plagam migrantes ubi victus eſſet uberior, vitæ ſuæ conſuluerint. Funeſta vero; nam extra patriam mortuus Elimelech, & quod Judæis graviſſimum erat, in ſepulchro patrum

autem in tam deteſtabilem impietatem elabi potuiſſe opinetur virum, Spiritu Dei plenum, ut refert Hiſtoricus? Ea ergo in Libro Judicum ſcripta reperiuntur, quæ purum, putumque humanum Scriptorem nulla divini Numinis ſpeciali aſſiſtentia donatum ſapiunt.

Quod autem ſpectat ad argumenta ex factis primi generis deprompta, reſpondemus ea ex ſeipſis ferme deficere. Quis opinabitur Gedeonem fuiſſe Idololatriæ labe tinctum, ex quo Ephod in ſuæ victoriæ memoriam ex vero Religionis zelo confecerit? Suæ domui, aliiſque Iſraelitis occaſio ruinæ fuit, ſed non cauſa prophanis quippe uſibus Ephod ipſum applicuerunt poſt Gedeonis mortem Iſraelitæ, ut Clarius, & Grotius opinantur, quamvis per quamdam prolepſin ipſimet Gedeoni ruina domus ſuæ in Sacro textu referatur. Si autem etiam vivente Gedeone, per ſummam impietatem Iſraelitæ in Gedeonis Ephod fornicati ſunt nunquid eorum facinoribus Sanctus ille Judex conſenſiſſe revincitur? Sanctus ergo eſſe potuit Gedeon quamquam occaſionem, involuntarie tamen, exhibuerit populo prævaricandi.

Sacrificium pariter obtuliſſe legimus Gedeonem, ſed ſpeciali Domini juſſu id præſtitiſſe legimus Cap. 6. Judicum. ℣. 25. Quis neget a Domino in Sacerdotem aſſumi poſſe quemcumque velit? Idipſum ad Manue ſacrificium reſpondemus, clare enim in Capite 13. Judicum a ℣. 16. ex Angeli monito Sacrificium obtuliſſe narratur. Quomodo ergo ſacer Libri Judicum ſcriptor ea narraſſe incuſabitur, quæ vera non ſunt?

Ad illud, quod ex Cap. 10. deſumitur, dicimus in primis non deeſſe apud Hebræos, qui putent vocem iſtam דד *dodo* nomen proprium ſignificare; qua in ſententia Sacer Scriptor nullius errati poteſt revinci. Nos autem Vulgatæ noſtræ lectionem amplectentes, fatemur vocem illam, *patrui ejus* eſſe interpretandam, nec tamen error in Sacro textu detegi poteſt, ſi cum S. Auguſtino, aliiſque Doctoribus dixerimus Phua extitiſſe fratrem uterinum Gedeonis, Mater quippe hujus cum Joas Manaſſenſi conjugium inire potuit, ex quo Gedeonem, deinde mortuo Joas, alteri viro de Tribu Iſſachar nupta eſt, ex quo peperit Tholam. Felicius tamen temporum ſeries cum hujuſmodi connubiis conſona erit, ſi Mater Gedeonis prius in Tribu Iſſachar Phua peperiſſe dicatur, deinde vero Joas Manaſſenſis eam duxerit; ex qua Gedeonem ſuſceperit. In capite enim Judicum 6. ℣. 30. legimus quod adhuc in vivis eſſet Gedeonis Pater, dum iſte lucum ſuccidit, & aram Baal dextruxit; verſu autem 15. ejuſdem Capitis Gedeon ajebat ſe minimum eſſe in familia patris ſui; nec tamen minor viginti annis eſſe poterat, dum præclarum illud facinus patravit; ejus Mater propterea quinquaginta annorum excedere debebat ætatem; inepta proinde ad alterum conjugium, & prolem conſequendam.

Quod autem adjungebatur de appellatione Oppidorum ab Jairis Judicis nomine, falſo nimis, aut incerto ſaltem innititur fundamento. Quis audeat oppida, de quibus Judicum Capite 10., eadem omnino cum iis eſſe, de quibus Numeror. Cap. 32. ℣. 41? Diverſa fuiſſe tradit Druſius ex R. David, Si tamen loca fuerunt eadem, non idem profecto fuit homo, quamvis eodem appellarentur nomine; in Libro etenim Numer. Jair filius Manaſſis, in Libro autem Judicum Jair Segubi filius indicatur, ut Grotius animadvertit, de quo in Lib. I. Paralipom. Cap. 2. ℣. 22.

Ad altera facta in Libro Judicum enarrata, quorum primum eſt de Iſraelitis, qui ex Dei conſilio procedentes ad bellum trucidati a Beniamitis leguntur nihilominus; Reſpondent Rabbini Deum noluiſſe victoriam concedere, antequam ex Iſraelitarum acie improbi exterminarentur, atque prævaricatores, Idola Michæ nondum projecerant, nec in Danitas Idololatras animadverterant; unde iſta, aliiſque de cauſſis juſtis quidem, quamquam occultis Deus eorum internecionem permiſit. Videantur hac de re Sacri Commentatores.

Ad votum Jephte quod pertinet reſponderi poterit in eorum ſententia, qui illud abſolute condemnant, ex mera ejus voluntate, non ex Spiritus Sancti impulſu emiſſum fuiſſe. Spiritus etenim Domini, qui ſuper Jephte legitur factus Cap. 11. ℣. 29. Judicum, ſpiritus erat fortitudinis, atque prudentiæ ad bellum contra hoſtes ſuſcipiendum, eoſque debellandum. Si tamen, & votum iſtud ex Dei afflatu emiſſum dixerimus, nullum inconveniens fortaſſis erit. *Novit enim*, ait S. Anſelmus in Epiſtolam ad Hebræos, *Dominus ſecretas cauſas, propter quas ei tale votum* placere poterat. Juſſerat olim Deus Abraham filium Iſaac in Sacrificium offerre, ut in eo myſteria quodammodo ſignificarentur; poterat etiam & Jephte filiam ſibi in Sacrificium offerri expoſtulare. Paucula, quæ adverſus Libri Judicum divinitatem opponi queunt adhuc, minoris omnino, vel nullius roboris cum inveniantur libenter omittimus. (W.)

trum ſuorum, aut ſaltem in terra Iſrael non fuit tumulatus. Eo vero extincto, cum Noemi ejus uxor natale ſolum repetere potuiſſet, &, ut conjicere licet, peroptaſſet, ejus votis repugnarunt duo filii, qui cum juniores eſſet, quamprimum ad vetita cum alienigenis connubia convolarunt ducentes uxores Moabitidas, quarum una vocabatur *Orpha*, altera vero *Ruth*: quæ legis Moſaicæ prævaricatio, hauddubie in cauſa fuit cur illi paulo poſt vetita conjugia extincti fuerint abſque liberis; Noemi vero viro & duobus filiis orbata, cum utraque nuru remanſit deſolata.

Secunda hujus libri pars explicat qualiter Noemi, cum nihil eſſet quod eam ultra in medio nationis pravæ, extorrem a patria retineret, non filii, non maritus, non frugum & victus inopia: revocaret autem deſiderium patriæ, divinique cultus in ea uſurpandi, & conſuetudinis vitæ cum Fidelibus, ſurrexit cum utraque nuru ſua, ut de regione Moabitide pergeret in patriam ſuam. Non recuſabat illa quidem eas aliquantulum habere viæ comites; totius autem peregrinationis, & mox habitationis in Bethleem, non item. Neſciebat enim quo loco ſuæ res eſſent, & quam ibi commoditatem vitæ cum eis eſſet inventura; etſi illæ virtutum, & morum Socrus ſuæ ſuavitate delinitæ, omnem cum ea fortunæ aleam ſubire ſtatuiſſent. Suadet ergo redire domum ad matres ſuas, & bene precata, cum oſculo in ſignum benevolentiæ utramque dimittit. At illæ quo ſuaviorem experiebantur ſocrum, hoc ægrius ab illa divellebantur. Itaque elevata voce flere cœperunt, & urgere migrationem cum ea. Cumque Noemi recuſare pergeret, Orpha neceſſitate perſuaſa domum reverſa eſt. At Ruth, quæ a divina providentia, ad incarnandi Verbi proſapiam vocabatur; conſtanter adhæſit ſocrui ſuæ, etiam jurejurando confirmans ſe cum ea profecturam, victuram, & morituram.

Tertia hujus libri pars commemorat ſecundas Ruthæ nuptias, cum Booſo propinquitatis jure, & Noemi conſiliis initas, approbantibus Bethleemiticis ſenioribus, & univerſo populo fœlicia utrique conjugi acclamante.

XI. Scriptus eſt hic liber ad declarandam progeniem Davidis, ex quo oriundus erat Chriſtus; unde ad ejus calcem legimus ipſius Davidis Anteceſſores & genealogiam his verbis conceptam: *Phares genuit Eſron: Eſron genuit Aram: Aram genuit Aminadad: Aminadad genuit Nahaſſon: Nahaſſon genuit Salmon: Salmon genuit Booz: Booz genuit Obed: Obed genuit Iſai: Iſai genuit David.* Quæ verba referens S. Matthæus in Genealogia Chriſti Domini, addit: Booſum genuiſſe *Obed ex Ruth*, ut Dei providentia factum appareret alienigenam in Chriſti Domini aviam fuiſſe accitam, tanquam præludium vocationis Gentium, quæ per Meſſiam facienda erat, ut videlicet Chriſtus Judæorum ſimul & Gentium *Rex* & *Salvator* cenſeretur.

Cum enim peregrina, Moabitis, & profanorum idolorum cultibus dedita, in aviam matremque proavorum Chriſti aſſumitur; & ex oleaſtro inſeritur in bonam olivam: Eccleſiam olim & ex Gentibus a Deo omni modo alienis, aſſumendam eſſe præſignificatur. [a] Ruth alienigena, ſcribit Theophylactus [b], fuit conjuncta Booz: ita & Eccleſia in Gentibus alienigena exiſtens, & a teſtamentis extranea, oblita autem populi ſui, & cultus ſimulacrorum, & Diaboli cui juncta erat, nupſit filio Dei. Et Ambroſius [c]: Ruth, inquit, quæ inter majores Dominici generis meruit computari, magnum nobis exemplum eſt: quia in illa noſtrum omnium, qui collecti ex Gentibus ſumus, ingrediendi in Eccleſiam Domini figura præceſſit? Gentes itaque ſuper hac ineffabili miſericordia Deum honorent: exemploque reprobationis & abdicationis Judæorum timere diſcant, ne & ipſi aliquando excidantur & reiiciantur, ſi ſe pari infidelitate commaculaverint.

a *Rom. 9.*
b *in 1. cap. Matth.*
c *in cap. 3. Luc. & lib. 3. de fide cap. 5.*

XII. Plurimi ſunt Hebræi in hac opinione, ut putent *Booſum* qui *Ruth* uxorem duxit, fuiſſe Judicem, qui alio nomine cap. XII. Judicum verſ. 9. vocatur *Abeſan*: concordat enim patria, cum uterque dicatur *Bethleemiticus*. Convenit etiam thori fœcunditas a Bethleemiticis Booſi cum Rutha cum nuptiis acclamata & exoptata. Nam Abeſam habuit triginta filios, & totidem filias, quæ certe videtur Booſo divinitus repoſita merces, quod fratre majore renuente Rutham in uxorem ducere, eam ipſe aſſumpſerit, ut ſemen ſuſcitaret fratri ſuo. Tametſi *Obed* ex Rutha natus, non ſit dictus *filius Mahalon* prioris Ruthæ conjugis; quaſi indignus eſſet, qui inter Iſraelitas poſteritatem haberet, quod contra Legis vetitum non ſolum alienigenam, ſed aliam inanium deorum cultu inquinatam uxorem duxiſſet. *Addit* etiam Chaldæus interpres, cui ſubſcribit Grotius, Rutham fuiſſe proneptem Balaci, & filiam Eglonis Regis Moab. *At* iſtud omnino improbabile eſt: quis enim cenſeat Regis filiam peregrini & pauperis hominis filium duxiſſe maritum, & relicta patria cum paupere Socru in aliam ſibi ignotam regionem conceſſiſſe, in qua etiam panis erat quærendus. (11)

(11) Si maximis, in componenda temporum ſumma cum partibus, quibus ipſa conficitur, in Libro Judicum premebamur difficultatibus; non minores in Libello Ruth ſcopuli vedentur occurrere, & quidem humano ingenio inevitabiles prorſus, ſi tempus, quo connubium hujus Moabitidis cum Booz de Tribu Juda ad æquam lancem velimus perducere. Hominęs ſcientiarum multi diu in concilianda annorum ſerie cum hominibus, qui in eadem vixerunt, inſudaſſe reperiuntur, nec tamen feliciter. Alii quippe ſcripturarum inſiſtentes narrationi unam, alii alteram effinxerunt hypoteſim; alii tandem ingenue, cum quibus ſtamus, propriam mentis imbecillitatem confeſſi ſunt; impares omnino ad tricas hujuſmodi reſolvendas ſe diſgnoſcentes. Tempore Judicum, hoc eſt poſt mortem Joſue, & an-

XIII. Ad *Auctorem* hujus libri quod ſpectat, cum is nec ex aliis Scripturis, nec ex Conciliorum nec ex Summorum Pontificum decretis, nec ex Patrum Orthodoxorum unanimi conſenſu ſatis luculenter probetur; tres hac de re ſunt præcipuæ Interpretum ſententiæ. *Prima* eſt Petri cognomento Comeſtoris, qui exiſtimat piiſſimum regem Ezechiam, poſt ſanitatem receptam, & victoriam de Chaldæis miraculo partam, animum adjeciſſe, ut ſparſas nullo ordine Judicum, Ruthæ, ſuperiorum Regum, & aliorum quorumdam hiſtorias, in unum volumen colligeret, atque collectas Synagogæ, ideſt, veteri Eccleſiæ, probandas tradidiſſe. Sed quia nulla Auctoritate id probat, nullaque ratione perſuadet, eadem facilitate contemnitur, qua profertur. *Secunda ſententia* eſt eorum, qui putant Eſdram, Judicum & Ruthæ hiſtoriam, ſibi aut traditione majorum, aut ſancti Spiritus divino afflatu inſtinctuque notam, tum primum ſcriptis tradidiſſe; cum poſt captivitatem Babylonicam veteris Teſtamenti libros inſtauraret. *Tertia ſententia* eſt veterum Hebræorum in Talmude [a], referente Feu-ardentio noſtro [b]: quibus conſentiunt S. Iſidorus [c] & plurimi recentiores Theologi, ut Driedo, Sixtus Senenſis, Georgius Ederus & alii complures. Docent enim ſanctum Samuelem Prophetam, qui viginti & ſex annos Synagogæ præfuit, & univerſum Iſraelem judicavit, divina inſpiratione Judicum qui ante eum obierant, res geſtas, ſimulque Saulis & Davidis pro parte diligenter accurateque perſcripſiſſe. Conſtat autem hiſtoriam Ruthæ temporibus Judicum contigiſſe: Samuelem itaque Scribam, & rerum a ſe geſtarum explicatorem prudentem, ſeverum, & gravem habuit. Itaque commenta illorum, qui putant Rutham ipſam ſuæ hiſtoriæ ſeriem ſcriptis mandaſſe, ideo quod libellus ejuſdem nomenclaturam præ ſe ferat, & liber Ruth vocetur, delebit dies. Nam neque Judith, neque Eſther ſuorum codicum Auctrices habentur, tametſi earum nominibus nuncupentur. Vocatur autem *liber Ruth* ſcribit in Synopſi magnus Athanaſius, propterea quod hiſtoriam Ruthæ ſolam complectatur. Enimvero, de ejus Gente, nuptiis, viduitate, converſione, fide, exercitiis, in populum Dei cooptatione, & Meſſiæ proavis ex eadem natis maxime in illo diſſeritur. (12)

[a] *Cap. 1. Baba Batra.*
[b] *lib. de Eccleſ. Offic. cap. 11.*
[c] *Præfat. in lib. Ruth.*

CA-

& ante Davidis ortum, Booz uxorem ſibi ſumpſiſſe Rutham certum eſt. Decipi nihilominus Joſephum Hiſtoricum, Zonaram, & Hiſtoriæ Scholaſticæ Auctorem ad Eli Sacerdotis ætatem Ruthæ matrimonium protrahentes non ambigimus, cum adverſus iſtorum ſententiam non leviter pugnet recenſio progenitorum David Regis, quæ ad finem Libri Ruth inſcripta perſpicitur. Quamvis enim ſupponamus famem in terra Iſrael contigiſſe ab anno primo aſſumptionis Eli in Sacerdotem ſummum, & Judicem Iſraelis, Ruth non potuit ante annum decimum Pontificatus illius cum Booz nubere, totidem quippe annis cum fames perſeveraverit, Noemi cum Nuru ſua ad patrios lares reverſa non eſt; undecimo igitur anno Principatus Eli naſci poterat Obed ex Ruth, minime prius. Vigeſimo ætatis ſuæ anno genuiſſe ſupponamus Jeſſe Patrem David, jam triginta, & unum habemus annos Pontificatus Eli, ſeptuaginta annos vixit David Rex, quatuor effluxerunt anni Regni Salomonis ejus filii, antequam Templum condi cæperit; remanent ergo ſoli anni quindecim pro ætate Jeſſe, intra quorum decurſum filium Davidem generaſſe oportet, cum ab initio Eli Principatus ad Templi jacta fundamenta centum viginti quatuor interceſſerint anni; quis credat Jeſſe tam puerum jam plures ſuſcepiſſe filios? David profecto minor erat ætate cæteris fratribus, ut patet ex Regum I. Cap. 17. ℣. 14. De Jeſſe autem legimus 1. Reg. Cap. 17. ℣. 12.; quod erat Senex, & grandævus inter viros, dum miſit David filium ſuum ad Caſtra, quo tempore Philiſthæum Goliath occidit; non videtur ergo poſſe conſiſtere Joſephi ſententia. Verum & ſi hæc omnia ſupponamus poſſe componi, altera obſcurior remanet difficultas; cum etenim ab exitu Iſraelitarum de Ægypto ad Templi ædificationem anni 480. numerentur, Rahab autem nupta ſit Salmoni anno 41. poſt exitum de Ægypto, non ſerius parere putuit Boozum Salmonis filium anno circiter 70. poſt exitum eumdem: octuaginta modo, aut nonaginta, & ſi velimus etiam centum annorum fuiſſe Booz ſupponamus, dum Rutham Moabitidem ſibi deſponſavit, quod tamen eſſe non poteſt, jam ab exitu ad Ruthæ nuptias centum ſolummodo, & ſeptuaginta circiter anni defluxerunt; iſtæ autem, ut dictum eſt, ante decimum Pontificatus Eli annum celebrari non potuerunt; ſoli ergo centum octoginta circiter anni ab exitu de Ægypto ad annum decimum Pontificatus Eli intercedere potuerunt; ab eo autem anno uſque ad Templi ædificationem, eſto latiorem velimus retinere ſententiam, pluſquam anni 134 intercedere non potuerunt; admiſſa ergo Joſephi ſententia ab exitu Iſraelitarum de Ægypto ad Templi Salomonici ædificium incæptum anni reperiuntur 314. quod ſubſiſtere nequit cum ex Lib. 1. Regum Cap. 6. anni intercurriſſe comperiantur 480.

Pro temporum iſtorum concilianda ſerie, ſunt qui plures extitiſſe homines eodem nomine *Boozi* nuncupatos, quamvis unicum tantummodo ſcriptura recenſeat; verum unius Booz tantummodo fit mentio in Lib. Ruth Cap. 4. ℣. 20., & 1. Paralip. Cap. 2. ℣. 11. & 12. Matth. 1. ℣. 5. Lucæ 3. ℣. 32. Inter Abraham, & Davidem ulterius ſolæ quatordecim referuntur a S. Matthæo Cap. 1. ℣. 17. generationes, ſi autem plures Boozos ſubi ſuccedentes extitiſſent, & plures generationes numerarentur.

Druſius tandem ætatem Elimelechi mariti Noemi dimetiens, famem, de qua in Libro Ruth, ſub Salmone Elimelechi prædicti fratre contigiſſe opinatur, regnante Eglone Moabitarum Rege, iſtamque ſententiam omnibus præferre ſpopondit donec ſit certiorem edoctus. Quis tamen non videat a tempore Eglonis Regis, ſub quo Booz Rutham duxiſſe creditur, ad templi ædificium tot intercurriſſe annos, quot expleri non potuiſſe videntur in ſolis quatuor hominum generationibus, quomodocumque ad ætatem provectam illæ referantur? Dicamus ergo Dei providentiam nobis occulere voluiſſe temporum ordines, juſtis quidem de cauſis, quæ tamen ignorantur a nobis. (W)

(12) Paucula, quæ ſolent in Canonicitatem Libri Ruth obiici ad hæc perſtringuntur: quod ſcilicet hæc Hiſtoria ignota prorſus fuerit Joſepho Lib. 1. contra Appionem, aliiſque vetuſtis Scriptoribus, qui vigintiduos Libros enumerant veteris Teſtamenti, in multis propterea non legitur exemplaribus. Inſuper eo in Libello Noemi laudibus extollitur, quaſi veteris Synagogæ Heroina, quæ tamen adverſus legem Dei Exodi 34. ℣. 16. Numer. 36. ℣. 6. Deuteronomii 7. ℣. 30. alienigenarum filias eligi in uxores permiſerit filiis ſuis, ut habetur Ruth Cap. 1. ℣. 4. ſuaſit vetula illa deinde nurui ſuæ Ruth inhoneſtum, perverſumque cum Booz matrimonium ineundi modum, ut ſcilicet ad ipſum dormientem clam accederet, & ad ejus pedes diſcoopertos recumberet, cum tamen ad propinquiores antea ſe præſentare debuiſ-

CAPUT QUARTUM.

De Libris Regum.

SUMMARIUM.

I. *Non eadem est apud Hebræos, Græcos & Latinos horum librorum inscriptio, ac distributio.*

II. *Primi libri, cujus Synopsis refertur, majori ex parte Auctor censetur Samuel.*

III. *Expenditur aliorum librorum distributio & argumentum.*

IV. *Quis eorum Auctor sit, non ita facile est divinare.*

V. *Qualis sit & quanta horum librorum utilitas.*

I. HEbræi duos tantum Regum libros agnoscunt, quorum priorem inscribunt nomine Samuelis; posteriorem vero nominant מלכים *Malachim*, i. e. *Regum* seu ממלכות *Mamlacoth*, i. e. *Regnorum*. A postrema appellatione hos libros laudat Tertullianus [a], qui eos libros Græca voce ad Latinum deflexa *Basiliarum*, id est, *Regnorum* nominat, cui nonnulli Latinorum consentiunt, ut S. Cyprianus [b], Ambrosius [c], Augustinus [d], &c. qui libros *Regnorum* vocant: quamvis S. Hieronymus [e], potius *Malachim*, i. e. *Regum*, dicendum censeat, quia non de pluribus regnis agitur, sed de pluribus Regibus in eodem regno. Tametsi etiam ibi fiat sermo de pluribus regnis, nimirum, uno Judæ, altero Israelis. Quamobrem perinde mihi videtur, quod hi libri nomine *Regum*, aut *Regnorum* inscribantur, nisi obviaret usus.

a *lib. 3. contr. Marcion. cap. 20.*

b *lib. 1. contr. Judæos cap. 18.*

c *in Psal. CXVIII. serm. 21.*

d *in Psal. 1. init.*

e *in Prolog. Galeat.*

Porro priorem horum librorum partem Hebræi uno volumine complexi sunt; posteriorem vero altero: Latini autem interpretes in duos alios distinxerunt; sicque jam quatuor Regum libri censentur, quorum duos priores Neoterici quidam, præsertim Heterodoxi *primum & secundum Samuelis:* duos vero posteriores, *primum & secundum Regum* appellant, Vulgatus autem Interpres, quatuor simul nomine *Regum* inscriptos habet, Quemadmodum & Græcus qui hos quatuor libros titulo βασιλειων inscribit.

II. *Primus Liber* capita habet XXXI. versus 797. partes principaliores *tres*, quarum *prima* describit historiam summi Hebræorum Sacerdotis ac Judicis Heli, necnon Samuelis nativitatem, concessa divinitus fœcunditate, Annæ ejus matri diu antea sterili. *Secunda* refert electionem & administrationem ipsiusmet Samuelis Prophetæ ac Judicis a cap. IV. ad XII. *Tertia* complectitur Regnum Saulis tum ante tum post ejus abdicationem, solemni Dei judicio factam.

Hujus libri ab initio ad cap. XXV. ubi mors Samuelis describitur, non alius videtur Auctor, quam ipse Samuel: reliqua vero, quibus Res post Samuelis obitum gestæ narrantur, tam in hoc quam in sequenti libro, a *Nathane*, & *Gado* Prophetis descripta fuisse sentiunt Talmudistæ [f], Consentiuntque Isidorus [g], atque Diodorus Tarsensis; nec dissentit Theodoretus cum scribit, *Unusquisque Prophetarum scribere consueverat, quæcunque suis temporibus contingebant. Sic igitur primus liber Regnorum*

f *in baba batra cap. 1.*

g *lib. 6. Orig. cap. 2.*

buisset; cum pariter ex Moabitarum regione in patrium solum redire constituisset Ruthæ, & Orphæ nuribus suis instare non timuit, ut ad suæ gentis terram, & Deos reverterentur. Quis hujuscemodi fœminam veluti ad omne facinus propendentem non abominetur? in Libro tamen Ruth veluti prudentissima commendatur.

Jam alibi animadvertimus ex gestorum, quæcumque sint, enarrationibus minime sacrorum Librorum divinitatem offendi, cum potius, post habita cujuslibet gentis acceptione, claram in ipsis, nullisque figuris, ac lenociniis illinitam mirari debeamus historicam veritatem. Nuptiæ profecto cum alienigenis lege divina prohibitæ erant cum nulla subesset legitima causa pro eisdem, atque prævaricandi periculum ex earum occasione imminueret; eo autem adempto, atque legitima interveniente causa nequaquam prohibebantur cum filiabus aliarum gentium matrimonia, ut patet de Davide, de Regina Esther, de aliisque, qui sine piaculo cum Exteris matrimonia contraxerunt.

Suasit utique Noemi nurui suæ, ut ad Boozi dormientis pedes se prosterneret, quia cæremonia hæc erat, qua exoptatum matrimonium modeste exposcebatur. Non tamen contra legis præscriptum, ut propinquiores relinqueret, pro Booz consilium dedit, cum potius quid Ruthæ agendum esset, ex ipsomet Booz audiendum esse præmonuerit, ut patet ex Cap. 3. Ruth. ℣. 4. Nec revera quidpiam in legem commisisse Booz, invenitur in conjugio cum Rutha ineundo cum id præstiterit, quod in lege Mosis ordinatur, ut patet ex Cap. 4. Ruth.

Quod autem exoraverit Noemi nurus suas ut ad Deos patrios reverterentur, id forsan animos earum explorandi causa præstitit, ut innumeri Expositores tuentur; vel solum hortata est, ut in gratiam sui patriam, & cognatos non relinquant. Abulensis Quæst. 17. in Cap. 1. Ruth existimat nondum ad veri Dei cultum Moabitides illas fuisse conversas, quapropter Noemi idololatriæ addictas secum perducere non cupiebat, cum autem Ruth professa fuit, quod in Deum suum habitura erat Deum Noemi, statim destitit Mulier eam exorare, ut domum paternam repeteret.

Nil tandem officere noscimus Canonicitati Libri Ruth, vel quod ab Josepho commemoratus non fuerit, vel in quibusdam exemplaribus desideretur; unicus quippe apud Hebræos liber cum Historia Judicum habebatur. Mutila autem sunt, & manca exemplaria, in quibus non invenitur, ea quippe nullam prorsus auctoritatem adversus veteris Synagogæ & Ecclesiæ Christianæ consensum, quæ librum istum, ut divinum semper agnoverunt, penes homines sani judicii consequentur. Ut autem viginti duos libros Synagoga juxta numerum Literarum alphabeti retineret, non solum Judicum, & Ruth, sed etiam duos Paralipomenon Libros in unum colligabant. (W)

rum & apud Hebræos, & apud Syros PROPHETIA SAMUELIS *nominatur*. Favet etiam huic ſententiæ id I. Paralip. cap. XXIX. verſiculus 29. *Geſta autem David Regis priora & noviſſima ſcripta ſunt in libro Samuelis Videntis, & in libro Nathan Prophetæ, atque in volumine Gad Videntis*. Priora quidem a Samuele, uſque ad caput XXV. poſteriora vero ab eo capite ad finem II. Reg. a Gad & Nathan. Eadem eſt ſententia Origenis [a], Gregorii Magni, Junilii Afri, & plurium Recentiorum.

[a] *Cap. 2.*

Unum eſt quod his obſtare videtur, & librum hunc Samueli ut Auctori abjudicare, quod in hoc opere Samuelis laudes paſſim ſcribuntur; qualis illa cap. II. v. 26. *Puer autem Samuel proficiebat, atque creſcebat, & placebat tam Domino, quam hominibus*. Et illa cap. III. v. 19. & 20. *Crevit autem Samuel, & Dominus erat cum eo: & non cecidit ex omnibus verbis ejus in terram. Et cognovit univerſus Iſrael a Dan uſque Berſabee, quod fidelis Samuel Prophetа eſſet Domini*. Et illa denique totius populi acclamatio, cap. XII. v. 4. *Non es calumniatus nos, neque oppreſſiſti, neque tuliſti de manu alicujus quippiam*. Et plures aliæ Samuelis laudes toto hoc libro legentibus occurrent. Non debuit autem Samuel ſuarum laudum prædicator extitiſſe; cum hoc a Sanctorum humilitate alienum videatur: qui ſi quid habent humile, oſtendunt; ſi quid honorificum occultant.

Reſpondeo, quod etſi laus in ore proprio vileſcat, quando ad oſtentationem potius, quam ad ædificationem & Dei gloriam profertur, tamen ſi ad proximi utilitatem & honorem Dei referatur, conſulto poteſt ex humili animo proficiſci, ut præclare docet S. Cyprianus [b]: *In proprias*, inquit, *laudes, odioſa jactatio eſt. Quamvis non jactatum eſſe poſſit, ſed gratum, quidquid non virtuti homini adſcribitur, ſed Dei munere prædicatur*.

[b] *Epiſt. ad Donat.*

Accedit quod quicquid in Scriptura continetur, Deo, ut præcipuo Auctori, tribuendum eſt, non vero hominibus, qui duntaxat fuerunt illius Amanuenſes, & calami velociter ſcribentis. Potuit igitur Samuel, abſque ullo ſuæ humiliatis præjudicio, ſuas recenſere virtutes, quippe cum eas non ipſe, ſed divinus Spiritus qui in eo loquebatur, vulgaret.

Neque his obſtant verba hæc cap. IX. hujus libri v. 9. *Olim in Iſrael ſic loquebatur unuſquiſque vadens conſulere Deum: venite & eamus ad Videntem. Qui enim* PROPHETA *dicitur hodie, vocabatur olim* VIDENS. Hæc enim clauſula non eſt indicium librum hunc Samuele eſſe recentiorem, ut putat Auctor Tractatus Theologo-politici cum Grotio in hunc locum. Neque etiam fuit interpretationis cauſa ad marginem primum adjecta, & deinde in contextum intruſa, ut volunt alii; quibus ſubſcribit Huetius [c] audaciuſcule ſcribens, multa ſparſim libris ſacris, lucis vel connexionis rerum cauſa adjeciſſe, ſive Eſdram qui Canonem Synagogæ auctoritate compoſuit, ſive alios, qui ſcriptiones ſacras diverſis temporibus recenſuerunt: hoc enim ſemel conceſſo, nutabit undique ſacri textus ſinceritas, licitumque erit de plurimis dubitare, utrum ab Auctore libri ſancti Spiritus inſtinctu, iſta primitus conſcripta ſunt, an vero ab aliquo recentiore majoris claritatis prætextu, in ſacrum textum intruſa. Religioſius itaque ac verius dicendum arbitror, iſta ſine præjudicio ſcribi potuiſſe a Samuele, qui tametſi nomine antiquo appellaretur *Videns*, etiam recentiori & jam vulgari apud Iſraelitas dictus ſit *Propheta*; ita ut præfatæ clauſulæ ſenſus ſit, qui hodie *propheta* communiori voce dicitur, & interdum *Videns*; antea tantum vocabatur *Videns*, nam dicebant, *olim eamus ad Videntem* quem nunc vocant etiam *Prophetam*. Vox enim *olim*, non eſt excluſiva præſentis temporis, ſed deſignativa etiam prioris; ita ut res quæ jam fit, etiam erat antea fieri ſolita; ſic Ruth IV. v. 7. *erat mos antiquitus in Iſrael inter propinquos, ut ſi quando altera alteri ſuo juri cedebat, ut eſſet firma conceſſio, ſolvebat homo calceamentum ſuum, & dabat proximo ſuo, &c.* ubi vox *antiquitus*, non excludit conſuetudinem præſentem, & Ruthæ tempore fieri ſolitam: nam Booz dixit ad propinquum ſuum, ad quem jure propinquitatis ſpectabat Rutham ducere in uxorem, quique ſuo juri ceſſerat; *Tolle Calceamentum tuum, quod ſtatim ſolvit de pede ſuo*. (13)

[c] *Propoſit. 4. pag. 159.*

III. *Secundus liber, Samuelis* aut *Regum* nomine inſcriptus, abſolvitur capitibus XXIV. v. 697. partibus vero *tribus*, nempe Proœmio, præcipua narratione & hiſtoria Davidis, & Epilogo. *Proœmium* refert Saulis mortem & ſepulturam & Isboſethi ejus filii ſuffectionem in illius regnum quod debilitatum eſt ex rebellione ſuorum & confederatione Abner cum Davide; deſiit vero in morte ipſius Isboſethi. *Narratio* ſeu *hiſto-*

(13) In Libro Regum primo geſta Iſraeliticæ gentis referuntur, quæ intra ſpatium annorum CI. contigerunt. Cum etenim in hac hiſtoria ea recenſeantur, quæ, poſt narrata in Libro Judicum, evenerunt; ab immediato ultimi Judicis ſucceſſore narratio incipienda videtur. Abdoni itaque ſucceſſit Eli ſummus ſacerdos anno Periodi noſtræ 4337. Julianæ vero Periodi anno 3557. annis natus 58.; in cujus regimine, & Samſonem conſtituimus cum inſignibus Chronologis. In annum hujus Sacerdotis, & Judicis ſecundum, Samuelis ortum reijcimus, a cujus deſcriptione liber, de quo diſſerimus hiſtoriam orditur. Mortuo autem Eli anno periodi noſtræ 4377, Periodi autem Julianæ anno 3597. in Sacerdotis, & Judicis officio ſuffectus eſt Samuel annis natus 38., qui per annos circiter viginti, & unum populum rexit; efflagitante autem Iſraele, ut Rex ſibi, ſicut aliæ gentes habebant, concederetur, ex monitis Dei unxit Saulem Sanctus Propheta anno Periodi noſtræ 4398. Julianæ autem Periodi anno 3618. Regnavit autem Saul ſuper Iſrael annis quadraginta, quibus expletis cecidit in bello Philiſtinorum armis extinctus anno periodi noſtræ 4438. Julianæ vero Periodi anno 3658. Biennio circiter ante Saulem defunctus eſt Samuel Propheta annum ætatis agens circiter nonageſimum ſeptimum. Hæc eſt temporum ſeries præcipua, quæ in libro primo Regum continetur. (W)

ſtoria deſcribit regni Davidici ſtatum duplicem, proſperum videlicet & infauſtum: *proſperum* quidem, quandiu religioſus ac zelantiſſimus divinæ Legis cultor extitit; ſic enim primum Rex inunctus in Hebron ſuper Judam; deinde etiam Iſraelis ac totius Iſraelitici populi ſupremus & unicus Monarcha extitit: *infauſtum* vero propter varia divinitus immiſſa in univerſum populum, maxime in Davidis familiam flagella, ob ejus luxuriam cap. XI. negligentiam cap. XXI. ſuperbiam cap. XXIV. deſcriptam. *Epilogus* continet gratiarum actionem & Canticum Davidis pro liberatione ſua ab omnibus Adverſariis, periculis & flagellis, ut videre eſt cap. XXII. *Deinde* ipſius Davidis verba noviſſima, & præclara facinora virorum illuſtrium, qui ejus ætate, bellica fortitudine & induſtria floruerunt. (14)

Miratur Grotius cur priores hi duo Regum libri, *Samuelis*, nomine ab Hebræis inſcribantur, cum prior tantum & quidem parte ſui duntaxat, Samuelis res contineat: neque tamen, inquit, defuit illis quam ſequerentur ratio; nam Saulis exitus oſtendit vera fuiſſe quæ ipſi Samuel prædixerat. *Similiter* alius liber, qui de Davidis rebus narrat, Samuelis ejuſdem Vaticinia Davidi facta comprobat. *Accedit* quod unxit utrumque Samuel, & conſiliis inſtruxit, quæ ſpreta a Saule vindicavit Deus; Davidi vero iiſdem obtemperanti, res dedit valde proſperas atque magnificas.

Liber tertius Regum capita habet XXII. v. 809. partes tres, nempe florentiſſimum ſtatum Iſraelitici regni ſub imperio Salomonis, ejuſdem imminutionem & tandem diviſionem, deficientibus a Roboamo Salomonis filio decem Tribubus, quæ Jeroboamum Regem ſalutarunt, Regnumque Iſrael inſtituerunt. Florentiſſimus ſtatus apparet *primo* ex Salomonis electione & confirmatione. *Deinde* ex egregiis illius virtutibus & dotibus, maxime devotione erga Deum, ſapientia in judiciis, magnificentia in muneribus & ædificiis, opulentia in divitiis. Imminutio vero ac florentis fortunæ declinatio conſpicitur ex tranſgreſſione divinæ Legis, ab ipſo Salomone ſeſe luxuriæ, ſuperbiæ, & Idololatriæ fœdiſſimis vitiis ingurgitante. Diviſio tandem Regni Salomonis memoratur propter ſuperbiam Roboam, qui ſpreto Seniorum conſilio, & juvenum ſententiam ſecutus; durius populo tributorum imminutionem poſtulanti reſpondens, eum ad defectionem concitavit, provocavitque, ut novum Regnum inſtitueret, novumque Regem ſibi præficeret, qui idcirco dictus eſt *Rex Iſrael*, quod decem Tribus Iſraeliticæ a Roboamo deficientes, novum ſub Jeroboamo regnum auſpicatæ ſint, tribus duntaxat, in Roboami obedientia perſiſtentibus, nempe Levitica, Benjaminica, & Judaica, quæ cum aliis duabus numeroſior eſſet & præſtantior, Regno Judæ nomen & appellationem fecit.

Duos poſteriores libros ab Hebræis rectius *Malachim*, id eſt, *Regum* quam *Mamlachot*, id eſt, *Regnorum* dici, teſtis eſt S. Hieronymus in Prologo Galeato, eo quod Regum, tum Juda, cum Iſrael complectuntur Hiſtoriam, & quæ ſub ſingulis Regibus contigerint, enarrant. *Prior* quidem res geſtas tum ab ipſo Salomone tum a ſubſequentibus eum Regibus uſque ad Joſaphat regem Juda, & initum ab Ochozia Rege Iſrael imperium. *Poſterior* vero recenſet geſta cæterorum Regum, tum Judæ, cum Iſraelis, uſque ad utriuſque regni exterminationem: Iſraelitici quidem a Salmanazaro, qui decem Tribus tranſtulit in Aſſyrios; Judaici vero a Nabucodonoſore Sedeciam cæcatum & vinctum, una cum reliquo Judaico populo in Babylonem traduxit. (15)

IV.

Principium Regni Salomonis ergo deſumimus ab initio anni Periodi noſtræ 4479., Julianæ Periodi autem anni 3699. Mundi 2989., ante Chriſtum anni 1015. Anno 4. Regni ſui ineunte Menſis ſecundi die ſecunda, anno videlicet Periodi noſtræ 4482. Julianæ periodi anno 3702. Mundi 2992. ante Chriſtum 1012. fundamenta percelebris illius Templi jacere fecit Rex pacificus, a quo tempore quinta mundi ætas annis fere 476. compoſita ſumpſit exordium.

Anno undecimo, menſe octavo Salomonici Imperii Templi ſtructura completa fuit, cum annis ſeptem, & ſex menſibus perſeveraſſet opificium. Decurſis tandem Salomonici regiminis annis 40. diem ſupremum clauſit, ſepultuſque eſt cum Patribus ſuis in Civitate David circa initium anni Periodi noſtræ 4519. Julianæ Periodi vero 3739. Mundi anno 3029., ante Chriſtum 975. Hoc eodem anno Roboamus Salomonis filius ad ſolium Regni elevatus eſt; a quo tamen audire nolente populum ſupplicantem pro onerum, quæ Salomon impoſuerat, elevatione, decem Tribus rebellarunt ſicque Regnorum facta eſt diviſio, cum Roboamo duæ Tribus Juda, & Beniamin, reliquæ decem Jeroboamo ſe dediderint.

Sequitur poſt hæc Sacer Hiſtoricus in hoc Libro III. Regum Juda, & Iſrael narrare facinora uſque ad annum, quo Joram Rex Juda ſuper Regni Thronum aſcendit poſt mortem Joſaphat Patris ſui anno videlicet Periodi noſtræ 4605., Periodi Julianæ 3825. Mundi 3115. ante Chriſtum 889. Regum autem Iſraelis hiſtoriam perducit uſque ad biennium Regni Ocho-

(14) Secundus Regum Liber hiſtoriam complectitur annorum circiter quadraginta; Davidis enim aſſumptionis in Regem, ejuſque geſta uſque ad ultimos ferme vitæ dies commemorat, eodem ſiquidem anno, quo Saul occiſus fuit, Davidem Regem ſalutarunt filii Juda, regnavitque ſuper hanc Tribum annos ſeptem cum dimidio, poſtea in univerſi Iſraelis Monarcham electus eſt, regnavitque ſuper eum annis triginta tribus. In hoc tamen ſecundo Libro protrahitur hiſtoria uſque ad plagam peſtis extinctam in Iſrael, atque erectionem Altaris per Davidem in arca Areuna Jebuſæi, quæ anno Periodi noſtræ 4477., Julianæ Periodi vero anno 3697. ineuntibus; Mundi tandem anno 2987. ante Chriſtum 1017. geſta ſunt. (W)

(15) In Libro Regum tertio inauguratio Salomonis in Regem, & ſucceſſorem Davidis patris ſui recenſetur; quæ pariter ultimis diebus vitæ David evenere, narrantur; geſta deinde Regis Salomonis, & quatuor aliorum Regum Juda, nec non octo Regum Iſraelis facta pertexuntur, quæ omnia intra centum viginti octo annorum ſpatium continetur. Salomon in Regem aſſumptus eſt adhuc in vivis agente Davide, ſexque menſibus regnavit cum illo; defunctus denique eſt Regius Propheta poſtquam annos 40, & menſes ſex adminiſtravit imperium, circa dimidium anni Periodi noſtræ 4479, anno Periodi Julianæ 3699.: Mundi 2989., ante Chriſtum vero 1014. cum ſex menſibus. Principium Salomonici Regni ab ejus unctione deſumit Uſſerius, unde, & ſex illi menſes, quibus vivente adhuc Davide, ſceptrum aſſumpſit, ad quadraginta annos Salomonici Regni ſunt adſcribendi.

IV. Quis horum librorum *Scriptor* an unicus an plures fuerint, omnino incertum eſt. Sunt enim qui id Eſdræ aſcribant; eum enim ſparſas Regum hiſtorias, & in diurnis Commentariis conſcriptas, in compendiariam hiſtoriam coegiſſe vult Iſidorus, [a] cujus rei indicium eſt quod VI. cap. libri prioris Scriptor Chaldaica uſurpet Menſium nomina. Signum eſt igitur hujus libri Auctorem Chaldaico ſermoni aſſuefactum. Theodoretus teſtatur id ab Iſaia confectum; hunc enim Oſiæ Regis [b] hiſtoriam ſcripſiſſe docet caput XXVI. v. 22. libri II. Paralip. Probabilior mihi videtur Auctoris ſynopſis ſub nomine *Dorothei* ſententia, affirmans ſingulorum Regum res geſtas in literas fuiſſe relatas a Pontificibus & Prophetis, qui eorum ætate florebant. Nam Prophetas & Pontifices, quæ ſub ſingulis Regibus bona vel mala acciderent utilia ad Eccleſiæ confirmationem & inſtructionem Fidelium, divino inſtinctu in tabulas retuliſſe, teſtis eſt Joſephus, [c]

[a] *lib. 6. Orig. cap. 2.*

[b] *præfat. in libr. Reg.*

[c] *lib. 1. contra Apion.*

V. Horum autem librorum ſcopus eo collimat, ut mirabilem Dei erga populum Iſraeliticum providentiam, juſtitiam & liberalitatem demonſtret; providentiam in regendo, juſtitiam in puniendo prævaricantes, & liberalitatem in remunerando probos, atque divinis mandatis obſequentes. Tametſi vero quæ in eis libris recenſentur, omnino videantur hiſtorica, nihilominus figuræ ſunt Chriſti Domini Regis Regum, perſonam ſtatum & officium adumbrantes: nam, ut docet S. Gregorius; [d] *Hiſtoria Regum, quia in eo Spiritu condita, quo & cæteræ Scripturæ ſanctæ volumina cognoſcuntur; non debet credi eis eſſe minor ſacramentis, quibus non eſt inferior titulo auctoritatis. Nam omnes Scriptores eius, Prophetæ fuiſſe referuntur: qui cum hiſtorica narrant, ſpiritualia ſignant: exteriora loquuntur, & intima innuunt: terrena proponunt, ut cæleſtia exequantur.* Rem iſtam diſtinctius & luculentius explicat Seraphicus Doctor Bonaventura: [e] *Liber*, inquit, *Regum illum ſignificat, in cujus femore ſcriptum eſt:* Rex Regum, et Dominus Dominantium. Apocalyp. XIX. 16. Et ſtatim exprimit, quid in ſingulis libris de Chriſto Rege ſignificetur; *Cum*, inquit, *ſit Rex, & Sacerdos*, in primo libro *præſignatur, ut evacuaturus Sacerdotium legale in depoſitione, ſeu extinctione Heli, & ſubſtituturus ſacerdotium novum in ſubſtitutione Samuelis, qui non fuit de ſtirpe Aaron.* I. Reg. IV. a verſ. 18. *Et translaturus etiam Regnum ab Iſrael, in reprobatione Saulis, & electione David.* I. Reg. XV. a v. 23. In secundo *promittitur Chriſtus de ſemine Davidico naſciturus.* II. Reg. VII. a v. 12. In tertio libro *in figura pacifici Salomonis præfiguratur Chriſtus, qui eſt pax noſtra, qui fecit utraque unum;* Epheſ. II. v. 14. In quarto *præfiguratur Chriſtus, ut evacuaturus omnem Gentilitatis ritum, in interemptione Pſeudoprophetarum per Eliam.* III. Reg. XVIII. v. 40. *Et ut ſuſcitaturus mortuos, in Eliſeo.* IV. Reg. IV. 35. & IV. Reg. XIII. v. 21. *Et confecturus Euchariſtiæ ſacramentum, in pane ſubcinericio.* III. Reg. XVII. 13. *Ut aſcenſurus in cælum, in translatione Eliæ in curru igneo.* IV. Reg. II. 11. Ex his apparet qualiter ſinguli Regum libri Chriſtum Dominum Regem Regum, omniaque ejus myſteria prænuntient. Quod utique confirmat S. Auguſtinus, [f] ubi de Regum hiſtoria locutus; *Scriptura*, inquit, *quæ per ordinem Reges, eorumque facta: & eventa digerens; videtur tanquam hiſtorica diligentia rebus geſtis occupata eſſe narrandis; ſi adjuvante Dei Spiritu conſiderate tractetur; vel magis, vel certe non minus prænuntiandis futuris, quam præteritis enuntiandis invenietur intenta.* Hæc autem futura, quæ prænuntiat, ſine dubio ad Chriſtum Dominum ſignificandum omnia pertinebant. In eundem ſenſum alibi [g] totum regnum Judæorum, magnum Chriſti Prophetam appellat; *Dico*, inquit, *illorum hominum non tantum linguam, ſed etiam vitam fuiſſe propheticam, totumque illud regnum Gentis Hebræorum magnum quendam, quia & magni cujuſdam, fuiſſe Prophetam.* Et recte quidem. Neque enim ſolis verbis, ſed etiam factis futuri rerum eventus in Scriptura præſignantur.

[d] *in præam. ad lib. Reg.*

[e] *in princip. ſacræ Script. ad fin.*

[f] *lib. 17. de Civit. cap. 1.*

[g] *lib. 21. contr. Fauſt. cap. 24.*

Nonnulla adverſus horum librorum ſinceritatem obiicit Auctor tractatus Theologo-Politici ex falſa, ut putat, annorum computatione & diſcrepantia his in libris poſita. Verum tela iſta retundemus cum de Scripturæ antilogiis & fronte apparentibus contradictionibus erit ſermo. (16)

CA-

Ochoziæ, ad annum ſcilicet Mundi circiter 3108. Periodi noſtræ 4598., Julianæ 3818., ante Chriſtum 896.

Liber denique Regum IV. hiſtoriam complectitur ſexdecim Regum Juda, & duodecim Regum Iſraelis; incipit enim ab enarratione infirmitatis, & mortis Ochoziæ Regis Iſrael, quæ contigit in fine biennii quo regnavit, annis ſcilicet jam jam recenſitis, ſequentium deinde Regum Iſraelis enarrationem perſequitur ad annum uſque nonum Regis Oſeæ, quo Salmanaſar poſt trium annorum obſidionem, Samariam debellavit, atque inter Aſſyrios perduxit in captivitatem decem Tribus anno periodi noſtræ 4773. Mundi 3283. Periodi Julianæ 3993., ante Chriſtum anno 721., ſicque Regnum Iſraelis finem habuit.

Minime hujus Libri ſacer Scriptor narrationes omittit Regum Juda, ſed ab Joramo Joſaphati Filio, ubi finem Auctor Libri III. Regum conſtituerat, ſumit initium, pergens deinde enarrare Regum Juda facinora, caſus, captivitates, atque flagella, quæ ad annum uſque trigeſimum nonum circiter tranſmigrationis Regis Joachin ſuper eos evenerunt, uſque ſcilicet ad annum Periodi noſtræ 4934. Julianæ vero 4154. Mundi 3444. ante Chriſtum 560. Liber itaque Regum quartus hiſtoriam continet annorum 329., ſi de Regibus Juda loqui velimus, abſolute autem loquendo annos includit 336., eo quod hiſtoriam a morte Ochoziæ pertexere incipiat quæ anno mundi 3108. contigiſſe creditur, & anno 19. Regis Joſaphat. (17)

(16) In quatuor Libris Regum verbum Dei revelatum contineri; proindeque canonicæ, divinæque eſſe auctoritatis quidquid in eiſdem ſcriptum eſt, nullumve in eis erratum, aut mendacium a Sacro Scriptore intextum fuiſſe Synagoga non minus veteris Teſtamenti, ſed & Jeſu Chriſti nova Eccleſia in decernendo de revelationibus divinis falli ne-

CAPUT QUINTUM.

De Libris Paralipomenon, & Esdræ.

SUMMARIUM.

I. *Quæ sit librorum Paralipomenon inscriptionis ratio.*
II. *Quisve illorum scopus.*
III. *Eos esse anteriores libris Regum non adeo consulto censuit S. Hieronymus.*
IV. *Unus est Paralipomenon liber apud Hebræos; apud christianos duplex.*
V. *Hi libri scripti sunt quidem post solutam captivitatem Babylonicam, sed ante Machabæorum tempora.*
VI. *Verosimilius est Esdram horum librorum Auctorem esse.*
VII. *Quem ob finem & qua serie eos scripserit apposite docet Grotius.*
VIII. *Qualis, quantusque fuerit Esdras.*
IX. *Quatuor ejus nomine Libri circumferuntur.*
X. *Libri primi duos fuisse Auctores non recte conjicit Huetius.*
XI. *Posterioris Libri Auctor est Nehemias, cujus etiam nomine inscribitur.*
XII. *Nehemias diu vixisse creditur.*
XIII. *De duobus postremis, qui Esdræ nomine inscripti sunt, Libris.*

§. I.

I. HUnc librum appellant Græci παραλειπομένων, id est, *Librum derelictorum*, quod contineat quædam prætermissa in libris Regum. Hebræi vero דברי הימים *Dibre Haiamim*, id est *verba* seu *gesta dierum*: Latine dicas *Diaria*, sive *Annales*, aut *librum Annalium*, quod in hoc libro describantur sigillatim gesta & facta Regum Juda atque Israel. S. Hieronymus significantius hunc librum dici putat *Chronica Chronicorum*, eo quod totum complectatur tempus ab Adamo usque ad captivitatem Babylonicam, factam sub Sedecia, in qua terminatur ultimus liber Regum, sicut & secundus Paralipomenon. „ *Addit* idem, [a] libr. hunc Instrumenti veteris esse epi- „ tomen tanti ponderis, tantæque utilita- „ tis, ut absque illo, si quis scientiam Scri- „ pturæ sibi voluerit arrogare, semetipsum „ irrideat: per singula quippe nomina, jun- „ cta-

[a] *Epist. ad Paulinum cap. 7.*

nescia, cum sit veritatis columna, & firmamentum, divinæque doctrinæ fidelissima Custos immutabili consensione perpetuo existimavit, Et merito quidem, propheticus quippe Spiritus in Libris istis quam maxime elucet, cum non tantum verbis, sed factis etiam in Regum historia enarratis innumera exprimantur mysteria, ut docet S. Augustinus Lib. 17. de Civitate Dei Cap. 4., & Lib. 18. Cap. 3., & post ipsum Rupertus Abbas Lib. 1. Cap. 1. in Librum primum Regum; quamvis itaque Regum historia in rebus gestis enarrandis videatur intenta, „ Tamen si adiuvante Dei „ Spiritu, scribit S. Augustinus *Cap. 1. Lib. 17. de Civitate*, considerate tractetur, vel magis, „ vel certe non minus prænunciandis futuris quam „ præteritis enunciandis invenietur intenta „. Libro autem 22. contra Faustum Cap. 24. subiungit S. Doctor „ Dicendum illorum hominum non „ tantum linguam, sed etiam vitam fuisse prophe- „ ticam, totumque illud Regnum gentis Hebræo- „ rum, magnum quemdam, quia & magni cu- „ jusdam fuisse Prophetam, adeoque propter ma- „ jestatem scripturarum etiam in minimis prophe- „ ticam dicere non est absurdum „ Omittimus modo innumeras ex Regum Libris auctoritates ab aliis divinis Scriptoribus veteris Testamenti, a Christo Domino, & ab Apostolis, ut ex eorum Libris sit palam, in testimonium veritatis, quam prædicabant, usurpatas, cum apud Polemicos Theologos videri queant; non potest ergo divinitas, & authentia Librorum Regum in dubium verti.

Quæ adversus Librorum Regum canonicitatem opponi solent, ex variis, quæ in hujuscemodi Libris specie tenus antilogiæ perleguntur, desumere consueverunt divinorum Librorum oppugnatores; omnes tamen istæ ad Librum Conciliatorii Biblici rejiciuntur, ibidemque componentur. Alia igitur argumenta hoc in loco resolvimus. Ajunt in primis nonnulla haberi in Libro I. quæ Dei attributis non parum videntur adversa: Cap. 2. ℣. 25. dixisse legimus Heli: *si quis in Dominum peccaverit, quis orabit pro eo?* Non videtur ergo ex hoc loco peccantibus supereſſe remissio, nec miserturus Dominus iniquorum. Bethsamitarum numerus ingens legitur occisus a Domino Cap. 6. ℣. 19. eo quod pietatis officium exercuerint, & religionis. Cap. 30. ℣. 25. dicitur facta in diebus David lex illa *quod præda æque divideretur inter descendentes ad prælium, & remanentes ad sarcinas*; inscium se prorsus exhibens hujus Libri Scriptor, eam legem a Domino fuisse tempore Mosis constitutam Numeror. Cap 31. ℣. 27. Cap. 7. Libri I. Regum apertum mendacium scriptum legimus ℣. 13.; ubi Philistiim dicuntur humiliati, nec ultra venisse in terminos Israel cunctis diebus Samuelis, quod tamen falsum est, ut patet ex Cap. 13. hujus Libri. In Cap. 16. ℣. 14. blasphema prorsus, & puerilia leguntur, Saul quippe refertur exagitatus Spiritu nequam a Domino, & ℣. sequenti dicitur Spiritus Dei malus factus super Saul: quonam pacto Spiritus Dei *malus* potest nuncupari? Sed quod risum movere videtur est narratio in ℣. 23. ejusdem Capitis habita, in quo legimus Spiritum nequam a Domino immissum in Saul, fugatum ad Citharæ sonum, quasi Spiritus rerum sensibilium præsentia aut delectentur, aut contristentur. Cap. 4. pariter legimus Deum non respondisse Sauli, quod ejus Filius Jonathas paululum mellis degustasset, nesciens Regis jusiurandum de servando jejunio; quis credat tam grandem ob hujusmodi levitatem, in Deo indignationem? ad operis denique complementum legimus Cap. 28. ejusdem Libri I. a Saule per Pythonissam suscitatam fuisse Samuelis animam, a qua internicio prædicitur Sauli ejusque Castris. Quis unquam hæc credat?

Ad primum itaque dicimus Sacerdotem Heli nequaquam existimasse clausa pro peccantibus in Deum viscera divinæ misericordiæ; sed longe difficilius eorum peccatorum veniam quam aliorum obtineri, quia majori adversus Deum iniquitate pec-

„ ćturaſque verborum, & prætermiſſæ in „ libris Regum tanguntur hiſtoriæ, & in„ numerabiles explicantur Evangelii quæ„ ſtiones.

II. Auctoris hujus libri propoſitum fuit res narrare Davidis poſterorumque ejus, uſque ad umbram quandam regni reſtitutam in Zorobabele, qui & ipſe ex Davidis fuit poſteris: quæ, ut rectius intelligerentur, quædam præloquenda ſibi cenſuit, nempe recenſionem faciendam Auctorum humani generis; *Deinde* majorum Davidis, & ex ipſo deſcendentium. Unde quæ in Pentateucho, vel in libris Joſuæ, Judicum & Regum, aut omiſſa, aut plene deſcripta, breviter & ſummatim explicat. Quibus præſtructis, ut ad Davidis Regnum perveniat, Saulis extrema commemorat; quia vero res Regum Iſrael, qui in decem Tribus regnarunt, per bella, fœdera, affinitates cum rebus Regum ex Davide genitorum cohærent, eæ quoque omitti non debuerunt.

III.

peccatur. Sacrificia enim cum ad Deum hominibus reconciliandum ſint inſtituta, ſi in ipſis Deus a Sacerdotibus offendatur, per quid interceſſionem ſalutarem conſequentur? Omnia tamen peccata cujuslibet generis per Pœnitentiam remitti univerſalis Eccleſiæ dogmatica eſt ſententia contra Novatianos definita, neque hujuſmodi veritatem negavit Heli, aut Sacer Libri I. Regum Scriptor.

Cur quæſo pro cauſa percuſſionis Bethſamitarum Sacrificium ab ipſis oblatum profertur? Si alteram Sacer Textus longe veroſimiliorem non obſcure ſubindicat, *eo quod* ſcilicet *vidiſſent Arcam Domini*; detectam nimirum inſpexiſſent? tali autem modo Arcam inſpicere ſub Capitis diſcrimine vetitum erat Numer. 4. ℣. 5; & 20. Suæ itaque irreligioni Bethſamitæ, non officio pietatis, ſi a Deo percuſſi ſunt, imputare tenentur; duobus ergo illis locis non quidquam legitur Dei attributis adverſum.

Quod autem opponitur ex Cap. 30. ℣. 23. deficere ex ſe dignoſcitur, ſi verbum hebraicum מעלה non *deinceps* interpretemur cum Vulgato, ſed *ſupra* cum Vatablo, adeo ut ſenſus ſit ≔ fueratque ab eo die, & ſupra, & poſuit illud in Statutum, & conſuetudinem &c. ≔ Verum cum Vulgata noſtra vocem מעלה *mala*, non *ſupra* intellexerit, ſed *deinceps*. Hinc dicimus legem illam œconomicam in Lib. Numer. indicatam, quæ pro temporum circumſtantiis variabilis erat, poſitam a Davide fuiſſe veluti ſtatutum inter ſuos militares perpetuo ſervandum, ſicuti in lege Evangelica a nonnullis quæ mera conſilia ſunt veluti leges perpetuo ſervandæ aſſumuntur

Injuria prorſus notatur mendacii quod de Philiſtiim Cap. 7. refertur ℣. 13.; ubi legimus non ultra acceſſiſſe ad terminos Iſrael, vox enim illa *non ultra* non ſignificat *pro ſemper*, ſed *pro aliquo tempore*, ut notat ex pluribus in Divina Scriptura exemplis Toſtatus Quæſt. 32. in Cap. 7. Libri I. Regum. Hoc eodem modo locum iſtum exponunt Druſius, & Grotius, qui ajunt, revera omnibus diebus Samuelis, ideſt quibus Samuel Populum judicavit donec Saul in Regem inunctus eſt, Philiſtiim intra fines Iſraelis ingreſſi non ſunt.

Nec blaſphema, & puerilia ſunt quæ in Cap. 16. ſcripta leguntur; Dei etenim permiſſione Spiritus nequam Saulem poſſidere cœpit, eumque vexare propter peccata, quæ commiſerat: hinc dicitur Spiritus nequam a Domino, quia ab ipſomet immiſſus in eum, vel permiſſus eſt, ſicut ab Apoſtolo in manu Satanæ legimus traditum fornicarium Chorinthium; & a Deo permiſſus Sanctus Job ut a Diabolo torqueretur. Quod autem ad Citharæ pulſum Saulis Dæmon fugam arriperet, mirum eſſe non poteſt ſi ſoni efficaciam in hominum humores, quibus utatur Diabolus neceſſe eſt ut homines divexet, perſcrutari velimus. Nullo magis utitur Dæmon humore melancholico, dum aliquem cruciat, eo quippe incitatur homo ad mœrorem, invidiam, iram, deſperationem. Cum autem ſonus harmonicus exhilaret cor ad æquilibrium pariter melancholiam perducit, unde & requies phantaſmati conceditur. Verum ſupernaturali quadam vi, ita Deo diſponente, ad Davidis ſonum cohibebatur Spiritus nequam, nec Saulem angere poterat, ut plures Expoſitores tuentur, ſicuti ad fumum jecoris exenterati piſcis Tobiæ Cap. 6. Diabolus fugabatur.

Qua vero de cauſa non reſponderit Dominus dum conſulebatur Regum 1. Cap. 14. incertum prorſus eſt; verumtamen SS. Eccleſiæ Doctores Chryſoſtomus, & Gregorius ex culpa Saulis id eveniſſe arbitrantur, ut apud Cornelium videri poteſt; vel quod ſcilicet legem de jejunio temere ſanxerit, vel quod hypocriſi potius quam zelo illud indixerit, vel tandem quod nimia crudelitate omnes prorſus inimicos Philiſtiim perimere optaret. Quæcunque denique cauſa fuerit, Sacer Hiſtoricus factum enarrat, de cauſis facti prorſus ſilens, unde culpari minime poteſt.

De Samuele autem ab inferis per Pythonicam artem ſuſcitato variæ ſunt Scriptorum opiniones; nonnulli ſolum phantaſma, vel malum genium pravæ fœminæ arte excitatum opinantes, qui ſpecie Samuelis indutus impio Regi, ita Deo jubente, facinora exprobravit, atque a Regno dejectionem, & mortem, ſuique Populi internicionem prædixit. Ita Rupertus, Tertullianus, Cyrillus, aliique arbitrantur.

Alii vero & doctrina, & ſanctitate inſigniores Eccleſiæ Magiſtri, Deo ſic jubente, Animam Samuelis ſeſe videndam exhibuiſſe ſub Senis figura pallio amicti opinantur, quorum ſententiam ex variis Scripturæ teſtimoniis illuſtrat Natalis Alexander Diſſert. XXIII. in hiſtoriam Eccleſiaſticam veteris Teſtamenti ad quartam Mundi ætatem, ubi rem iſtam ſatis diffuſe pertractat, & in oppoſitum argumenta reſolvit. Quamcunque igitur ex iſtis amplectamur ſententiam, nil a vero alienum in Sacro Regum Libro I. ſcriptum adinvenitur.

Varia etiam in Libro II. Regum tamquam divinitati contraria a divinarum Scripturarum impugnatoribus notantur, quæ tamen hujuſmodi revera non ſunt. Falſum in primis eſſe ajunt duobus tantum annis Isboſethum regnaſſe ſuper Iſrael; Regemque ſuper Geſſuri fuiſſe conſtitutum, quemadmodum refert Auctor Libri II. Regum Cap. 2 ℣℣. 9., & 10.; compertum eſt enim Davidem nonniſi poſt ſeptem annos Sceptrum ſuper Iſrael obtinuiſſe. Geſſuri autem Rex erat Tholmai, cujus filiam ſibi David deſponſavit, ex eaque ſuſcepit filium Abſalom; Tholmai autem avus maternus Abſalomi adhuc vivebat, dum iſte fratrem Ammon occidit, ut patet ex hoc Libro II. Cap. 13. ℣. 37.

Capite etiam quarto hujus libri II. Auctor Principes Latronum appellat, qui ſuo Regi legitimo adhærebant. Cap. 9. narratur Miphiboſeth enutritus de menſa Regis ſemper, cum tamen id nequaquam eveniſſe compertum ſit, aut ſaltem incertum. Prælium in ſaltu Ephraim contigiſſe refertur adverſus Abſalom Cap. 18. cum tamen in Cap. 17. ſcriptum ſit quod Abſalom tranſierit Jordanem, & caſtrametatus ſit in terra Galaad. Quis ſibi ſuadeat hujuſmodi errata ab homine Dei afflatu perducto exarari potuiſſe?

Non ejus efficaciæ ac roboris iſtæ reperiuntur objectiones, ut fidei incertæ, quæ in Libro II. Regum habentur, reddi queant. Regnum Isboſeth quandiu perſeveraverit, eſt incertum, cum nonnulli Hebræorum contendant poſt duos annos imperii fuiſſe interemptum, & per integros quinque annos cum dimidio abſque Rege undecim Tribus permanſiſſe, quibus elapſis Davidi unanimi conſenſu omnes ſe dediderint Iſraelitæ. Alii vero per ſeptem annos cum dimidio Isboſethum regnaſſe opinantur, duoſque tantummodo in cenſum a ſcriptura committi, quod pacifice eo tempore gubernium adminiſtraverit, reliquis vero inter arma, & concertationes conſumptis; huic favere opinioni Joſephus videtur, cum occiſo Isboſetho, ſtatim

ab

a *Præfat. ad Domnionem & Rogatianum in lib. Paralip.*

III. Existimat S. Hieronymus [a] hos libros esse intelligendos, quoties in libris Regum hæc leguntur: *Unde hæc scripta sunt in libro Verborum dierum Juda?* & si res his locis indicatæ, minime occurrant in Paralipomenis, hinc esse Allegorice exponendas: *Sed & ipsæ appellationes*, inquit, *non homines, ut plerique existimant, sed urbes & saltus, & regiones, & provincias sonant; & oblique sub interpretatione & figuram eorum quædam narrantur historiæ, de quibus in Regum libro dicitur: Nonne ecce hæc scripta sunt in libro Verborum dierum Regum Juda? quæ utique in nostris Codicibus non habentur.* Quod certe qui admiserit, omnia facile reperiet in omnibus libris, & maxima hominum figmentis ansa patebit & occasio. Quamobrem verior est communis Auctorum sententia, librum Paralipomenon posteriorem esse libris Regum, quod vel ipsum nomen a Græcis inditum ostendit. Demonstrat etiam hujus libri argumentum, utpote cum in eo suppleantur plurima, quæ in aliis Scripturæ sacræ libris, maxime in libris, Regum desiderabantur. Nec id denegat S. Hieronymus; nam ibidem scribit quod omnis eruditio Scripturarum in hoc libro continetur: & historiæ quæ vel prætermissæ sunt in suis locis, vel perstrictæ leviter hic per quædam verborum compendia explicantur.

IV. *Unus* est hic liber apud Judæos, sed propter sui magnitudinem, ait S. Hieronymus, a Christianis in duos distributus. *Prior* qui capitibus XXIX. absolvitur, enarrat ortum & propagationem Gentis Israliticæ, ab Adamo usque ad reditum a captivitate Babylonica; *Deinde* præmissa Saulis historia, reprobatione & morte, enarrat Davidis inaugurationem in Regem, atque heroica illius facta adversus Israelitici populi hostes; nec non & eximias ipsius virtutes, præsertim vero singularem ejus zelum in Dei cultum, pietatem, ac felicem Regni administrationem, usque ad Regnum Salomonis, id est, annum ab Orbe condito circiter 2983. *Posterior* in capita XXXVI. distribuitur describitque progressum & finem regni Judæ, usque ad annum reditus a captivitate Babylonica, complectiturque historiam annorum CCCCLXXII. quorum ultimus cum historia Esdræ communis est. (17)

Hi duo libri juxta Massoretarum supputationem, constant versibus 1763. Auctorem horum librorum faciunt aliqui *Jeremiam Prophetam*. Verum arguuntur ex his verbis II. lib. cap. XXXV. v. 25. *Universus Juda & Jerusalem fleverunt eum.* Josiam;) *Jeremias maxime, cuius omnes Cantores atque Cantatrices, usque in præsentem diem, lamentationes super Josiam replicant; & quasi lex ob-*

ab Israelitis Davidem fuisse in Regem salutatum adfirmet. Alter Rabbinus apud Vatablum hæc hebraica verba ושתים שנים מלך *u schetaim schanim malach* non ad præteritum perfectum, sed ad plusquam perfectum reducit, hoc intelligens modo: *& duobus annis regnaverat, cum scilicet gesta sunt, qua inferius narrantur*, sicque intelligitur Isboseth regnasse septem annis, & sex mensibus, quibus expletis fuit interemptus, totumque Israelis Regnum Davidi commissum. Quamlibet ergo ex istis amplectamur sententiam, veritas in Sacra Historia in tuto collocatur. Ad alterum quod dicitur non potuisse Isbosethum constitui Regem super Gessuri respondent nonnulli in hebræo legi *Asuri*, & in paraphrasi Chaldaica *super domum Aser*. Verum cum Gessuri esset regio trans jordanica in Tribu Manassis ad domum Israelis pertinebat, quamvis nondum Chananæi devicti essent, & expulsi; ibidemque sub Tholmai Principe degerent; jus ergo regium in eam ditionem accepit Isboseth, quamvis suam auctoritatem ibidem nondum exerceret.

Quod autem ex Cap. 4. opponitur, nullius ferme invenitur negotii, si varii sensus attendantur, qui voci *latronum* subesse queunt, significantur in primis nomine illo milites prædantes, qui videlicet ex insidiis ad prædam inimicis subripiendam erumpunt; ita Jephte Judicum 11. ℣. 3. *Princeps latronum* appellatur. Sub hac eadem significatione a Varrone, Festo, aliisque hujuscemodi nomen usurpatur.

Compertum est Miphiboseth habitasse in Jerusalem, atque regio cibo fuisse enutritum, ut patet ex ℣. 13. Capitis 9. hujus secundi Libri, quamvis ejus Filius Micha alio cibo vesceretur.

Non minus corruit quidquid ex Cap. 18. ℣. 6. objicitur de *Saltu Ephraim*; ostendendum quippe Adversariis incumbit locum aliquem denominari non posse, nisi ab illius possessore, si argumentum ut consistat, exoptant. Quis tamen ab aliquo eventu loca quandoquidem denominationem in Scriptura sumpsisse queat nescire? Grotius profecto locum, de quo controvertitur, ab Ephraimitarum occisione Judicum 12. ℣. 5. nomen obtinuisse opinatur. Vatablus autem ita appellatum existimat quod Ephratæi transmisso Jordane illuc pastum pecora deducerent. Quacumque tandem ex causa Sylva ista eo vocaretur nomine, certum est quod trans Jordanem in Tribu Gad, juxta Urbem Mahanim consita erat; In Libro ergo secundo Regum, nil invenitur prorsus, quod sinceræ veritati repugnet.

Paucula in Canonicitatem, ut ajunt, & divinitatem Scripturarum, quæ in Libris Regum tertio continentur, & quarto objici solent, cum ex antilogia Sacrorum Textuum præsertim desumantur, idcirco ad Librum Conciliatorii Biblici eadem reiicimus. (W)

(17) Cum Paralipomenon primus Liber Israeliticæ gentis propagationem præsertim, & Principum ejusdem gesta, atque facinora describat usque ad inaugurationem Salomonis in Regem a Mundi principio; annorum 2989. seriem quod comprehendat necesse est, juxta ea, quæ in Nota (15) præcedenti tradita sunt. Liber vero secundus cum exordium suæ narrationis ab anno primo Salomonici Regni desumat, & usque ad primum annum Cyri Regis Persarum eamdem persequatur, in qua Regum Juda facta præsertim complectitur, annos includit 479., totidem quippe ab initio Regni Salomonis, ad primum usque Cyri Regis effluxisse creduntur; in duobus ergo Paralipomenon Libris series continetur annorum mundi 3468. qui perveniunt ad annum Periodi nostræ 4958. Julianæ autem 4178.; ad annum denique ante Christum 536.

Ab anno isto Cyri primo incipit Historia Esdræ, quæ res Judaicas per annos 113. enarrat, quorum sexaginta novem in Libro I. habentur ab anno prædicto Cyri usque ad ascensum Esdræ in Jerusalem, qui contigit anno mundi 3537. tredecim annos deinde consumpsit populus e Babylone reversus in reformandis moribus a Lege Dei non parum alienis, & in rebus suis componendis; ac tandem anno Artaxersis Longimani 20., qui est Mundi 3550., Periodi nostræ 5040. (sic lege in Nota (22) ad Librum primum Disquisit.). Julianæ autem 4260. ante Christum denique 454. diplomate obtento a Nehemia filio Helchiæ in Palæstinam venit, & Jerosolymorum urbem instaurandam suscepit, resque Hebræorum usque ad annum Mundi 3582., qui est primus Darii Nothi, literis consignavit, ut patet ex ejus Capite 12. ℣. 22. unde recedimus a Frassenii opinione de longa Nehemiæ vita, quam proponit inferius sub num. XII. Jeddoa quippe a Nehemia Cap. 12. ℣. 22. nominatus puerulus tunc erat, non Sacerdos, ut scribit Usserius. (W)

tinuit in Iſrael: ecce ſcriptum fertur in Lamentationibus,

a *Cap.* 1. V. Scriptor Theologo-politicus a putat hos libros eſſe recentiores inſtaurato per Judam Machabæum templo, cujus opinationis has affert cauſas, quod *cap.* IX. prioris libri, hiſtoricus narrat, quænam familiæ primum temporibus Eſdræ Hieroſolymæ habitaverint; & deinde *v.* 17. indicat Janitores, quorum duo etiam in Nehemiæ *cap.* XI. *v.* 19. narrantur. Unde colligit hos libros, dudum poſt urbis reædificationem ſcriptos fuiſſe. *Verum* ex qua meſſe hunc manipulum ſeligat, non video. Quaſi vero in urbe nondum penitus reſtaurata, familiæ ſedem ponere, & in templo ſolum ex parte reſtituto, Janitores officio ſuo fungi non potuerint. *Adde* quod libros iſtos ante Nehemiam, aut ſaltem illius ætate lucubratos eſſe neceſſum ſit; ſiquidem Nehemiæ XII. v. 23. legimus: *Filii Levi principes familiarum ſcripti in libro verborum dierum, &c.* quibus indicantur ea quæ extant IX. cap. prioris libri Paralip. v. 10. & ſeq.

VI. Verius itaque dicendum arbitror cum Hebræis, hos libros poſt captivitatem Babylonicam fuiſſe compoſitos ab Eſdra, qui, ut intermiſſam tempore captivitatis Judaicæ hiſtoriæ ſeriem proſequeretur; hos libros ſuis præmittere voluit, quatenus hiſtoriæ Judaicæ exactam Epitomen, præcipue vero ſuarum Genealogiarum haberent Hebræi. Unde Rabbi Salomon ſuper ſeptimum cap. prioris libri, ſcribit Eſdram inveniſſe tres Genealogiarum libros, ex quibus hunc conflavit librum, & ubi illos mancos invenit, fecit ſaltum, hoc eſt Genealogiæ ſeriem intermiſit. Hinc factum putat, quod in ſequentibus loca quædam ita ſunt obſcura in recenſione Genealogiarum, ut a nemine poſſint explicari.

Præterea cum finis horum librorum repetatur initio libri Eſdræ, hinc effici exiſtimat Grotius, utrumque librum eſſe unius ejuſdemque Scriptoris, qui pro ſuo jure ad hiſtoriarum ſuarum contexendam ſeriem verba ipſe ſua uſurpaverit. *Is enim*, (inquit in ultimum caput libri poſterior.) *libros continuandi mos eſt antiquus, quem & Procopius ſequitur, fere Wandalicorum, & Gothicorum initio.*

VII. Dixerat initio Commentariorum, conſtantem ſemper fuiſſe Hebræorum famam, hos libros ab Eſdra fuiſſe conſcriptos, & ab eis dictos, VERBA DIERUM, id eſt, Excerpta ex Regum Diurnis. Propoſitum autem Eſdræ fuit res narrare Davidis, poſterorumque ejus uſque ad umbram quandam Regni reſtitutam in Zorobabele, qui & ipſe ex Davidis fuit poſteris. Sed, ut melius intelligerentur, quædam anteloquenda ſibi cenſuit, nempe recenſionem faciendam Auctorum humani generis: deinde Majorum Davidis, & ex ipſo deſcendentium; demum Tribuum omnium: quibus præſtructis, ut ad Davidis Regnum perveniat, Saulis extrema commemorat; plane ut Auguſti Tacitus, res Tiberii narraturus. Et quia res eorum qui in X. Tribus regnarunt, per bella, fœdera, affinitates cum rebus Regum ex Davide genitorum cohærent, eæ quoque omitti non debuerunt. Cum vero diurnorum mos ſit multa λιτοτμητικῶς narrare, quam ferat Annalium ratio, eo factum eſt, ut his non pauca debeamus, quæ in Annalibus quos Hebræi SAMUELIS & REGUM libros vocant, non inveniuntur. Eaque ipſa cauſa fuit cur hos libros Græci appellaverint παραλειπομένων nomine, ex parte ſcilicet maxime neceſſaria, cum alioqui multa hic ſint eadem quæ in Annalibus, verborum mutatione modo nulla, modo exigua. Idem Eſdras his libris attexuit ſuarum ipſe rerum, id eſt, Hieroſolymorum urbis inſtauratæ hiſtoriam, quam ſcripſit ipſe, & alteram hiſtoriam repoſiti Templi ac ſacrificiorum, quam ſcripſit Nehemias, Eſdra etiam tunc vivente.

Unde Hebræi hos libros in ſacrorum Codicum ſerie, poſt librum Eſdræ collocant, quod exiſtiment illum ſcriptum ab Eſdra, eo tempore quo populus Judaicus poſt captivitatem Babylonicam, Duce Zorobabele, redierat Hieruſalem; idque colligunt ex ultimis verbis horum librorum, ubi recenſetur Cyri Perſarum Regis edictum, quo facultatem facit Judæis in Babylonica captivitate degentibus, patriam repetendi, quod edictum, eſt primi libri Eſdræ exordium.

§. II.

De Libris Eſdræ.

VIII. QUis qualiſve fuerit *Eſdras*, apparet ex ſeptimo capite Libri primi ejus nomine inſcripti, ubi dicitur, *Scriba velox in Lege Moyſi*; hoc eſt, Legiſperitus eruditiſſimus, ſive exercitatiſſimus Doctor in Lege Dei; qui enim *Legiſperitus* ſive *Legis Doctor* dicitur Matthæi XXII. v. 35. & Lucæ X. v. 25. Idem Marci XII. v. 28. appellatur *Scriba*, quod videlicet Doctoris illius temporis officium eſſet deſcribendi Legem, eamque populo interpretandi. Quanta vero fuerit Eſdræ pietas & ſapientia aperit Joſephus b ſic ſcribens: *Regnante Xerxe apud Babylonem degentium Judæorum primarius Sacerdos erat Eſdras, vir juſtus & de quo optimus rumor fuit apud populum, is cum eſſet Legum Moſaicarum peritiſſimus, in Regis amicitiam pervenit, & cum decreviſſet proficiſci Hieroſolymam, ſecumque aliquos e Babyloniis Judæis ducere, petiit a Rege commendatitias ad Syriæ Satrapas literas, quas & impetravit. In his autem literis* LECTOR LEGIS DEI *nominatur, & juxta conceſſam ſibi divinitus ſapientiam in Judæa Judices conſtituendi, Legiſque præcepta & myſteria docendi facultatem*

b *lib.* 11. *Antiq. Iudaic. cap.* 5.

tem ei Rex facit. Eum magis Hiſtoriographum, quam Prophetam exiſtimat S. Auguſtinus [a]: *Niſi forte*, inquit, *Eſdras magis rerum geſtarum Scriptor eſt habitus, quam Propheta*. Et infra: *Niſi forte Eſdras in eo Chriſtum prophetaſſe intelligendus eſt, quod inter quoſdam juvenes orta quæſtione, quid amplius valeret in rebus cum* REGEM *unus dixiſſet, alter* VINUM, *tertius* MULIERES, *quæ plerumque Regibus imperarent, idem tamen tertius* VERITATEM *ſuper omnia demonſtravit eſſe victricem: conſulto autem Evangelio,* CHRISTUM *agnoſcimus eſſe* VERITATEM. Conveniunt tamen omnes, Eſdram divino inſtinctu, non ſolum hiſtoriam & librum ſuo nomine inſcriptum elucubraſſe, ſed etiam prius editos Scripturæ ſacræ libros tempore captivitatis Babylonicæ hinc inde diſperſos, ac forte in plurimis interpolatos, in unum volumen collegiſſe, ac priori ſplendori & puritati reſtituiſſe.

[a] *lib. 18. de Civit. cap. 36.*

IX. *Quatuor* feruntur libri ejus nomine inſcripti, quorum duos poſteriores inter Apocrypha deputat Eccleſia, nec in ſerie Canonicorum librorum eos recenſet. *Duo* vero priores diverſis nominibus inſcribuntur; *Primus* quidem nomine *Eſdræ*; *Secundus* vero *Nehemiæ*. Tametſi autem utique Libri, tum apud Hebræos, tum apud Græcos in uno connectantur, volumine, titulo *Eſdræ*, quod ea contineat quæ ſimul a *Nehemia* & *Eſdra* geſta ſunt; unde illius capita XXIII. verſiculi 688. numerantur; nihilominus apud Latinos in duos diviſi ſunt, quorum *primus* capitibus decem, *alius* vero XIII. continetur.

X. Exiſtimat Huetius [b] libri primi *Eſdræ* nomine inſcripti, duos cenſeri debere Auctores, quorum *unus* ſex priora capita ſcripſerit, *alius* vero quatuor poſteriora. *Priorem Scriptorem* conjicit, eundem eſſe qui *Paralipomena* conſcripſit, ut ex horum fine colligi poteſt, quæ initio libri prioris Eſdræ repetitur; *Alium* vero eſſe *ab Eſdra*, colligere ſe putat ex initio VII. cap. ubi legimus: *Poſt hæc autem verba, in regno Artaxerxis Regis Perſarum, ipſe Eſdra aſcendit de Babylone*. Quibus ſignificari videtur *Eſdram* e Babylone migraſſe Hieroſolymam, dum regnaret Artaxerxes. Qui vero, inquit, Auctor eſt priorum ſex capitum, Hieroſolymis degebat temporibus Darii. Verum levior mihi videtur iſta conjectura, quæ me a vulgari ſententia dimoveat, nempe primum hunc librum integrum habere Auctorem *Eſdram*: neque enim ſex priorum capitum Scriptor diſerte pronuntiat ſe fuiſſe Hieroſolymis tempore Darii; ut putat Huetius, ſed diſtincte recenſet ea quæ contigerunt in incepta reſtauratione civitatis & Templi, ab iis Judæis qui juxta Cyri edictum numero 42000. millia, 360. exceptis ſervis & ancillis, e Babylone Hieroſolymam reverſi fuerant. Hæc autem omnia exactiſſime reſcire potuit Eſdras, vel cum in Judæam adventaſſet, vel etiam cum in Babylonico regno degeret, a Judæis videlicet, e Palæſtina in Babylonem pergentibus, ut adverſus ſibi repugnantes Adverſarios, qui civitatis & Templi reſtaurationem remorari & impedire viis omnibus tentabant, protectionem & auxilium exorarent. *Accedit* quod in prioribus iſtis capitibus, nonnulla confuſe ac præpoſtero ordine ſcripta videantur, ut cuique tantillum in ſacris libris erudito conſtabit. Non eſt ergo cur leviſſima hæc conjectura, nos a vulgari opinione diſtrahat.

[b] *pag. 166.*

XI. Idem eſto judicium *de ſecundo libro Eſdræ*, vulgariter adſcripto, quem ſacri Interpretes conſentiunt a *Nehemia*, Eſdræ æquali, fuiſſe editum. Unde etiam in ſacris Bibliis titulo *Libri Nehemiæ*, poſt primum Eſdræ adtexitur, *Nehemiam* autem commentaria hæc ſacra ſcripſiſſe, apparet ex primis hujus libri verbis, incipit enim: *Verba Nehemiæ filii Helchiæ*. Quibus *Nehemias* ſe libri *Auctorem* in fronte profitetur, pro more Scriptorum etiam exterorum & Ethnicorum illius temporis, maxime Herodoti, Theucididis, &c. *Præterea* Auctor hujus libri *de Nehemia* in prima perſona ſemper loquitur, reſque a ſe geſtas deſcribit, quod certe manifeſtum eſt indicium, ipſum hujus libri Scriptorem eſſe.

Quales vero fuerint eximiæ Nehemiæ dotes, aperit Joſephus [c], ubi cum recenſuiſſet egregia illius opera, invictamque animi conſtantiam in abſolvenda civitatis & Templi reſtauratione, reſtituendoque divino cultu, concludit: *Poſt hæc & alia multa honeſta, & laude digna opera, Nehemias jam ſenex defunctus eſt, vir ad virtutem & juſtitiam natus, & in populares ſuos beneficentiſſimus, relicto ſempiterno ſui nominis monumento in Hieroſolymitanis mœnibus.*

[c] *lib. 11. Antiq. Iudaic. cap. 5.*

Hunc librum S. Iſidorus [d] reiicere videtur inter Apocryphos, affirmans ſecundum & tertium Eſdræ libros non haberi apud Hebræos, ſed ab eis inter Apocrypha deputari. Verum ipſe Hebræorum more, duos tantum admittit libros Eſdræ nomine inſcriptos, quorum primus duos illos complectitur, quos Canonicos cenſemus: ſecundus vero is eſt, quem nos *tertium & quartum* dicimus; nam hi duo Hebraice non comparent, ſed extant tantum Græce. Quod vero ſecundus liber ab Iſidoro notatus, non ſit idem cum eo quem nos *ſecundum & Canonicum* dicimus, apparet ex eo quod ſecundus liber ab Iſidoro laudatus, incipiat ab his verbis, quæ ſunt exordium apud nos libri tertii: *Et fecit Joſias*; qui una cum ſequenti libro apud Hebræos non extat. Quod autem Iſidorus librum, quem nos de nomine Nehemiæ inſcriptum ſecundum fecimus, *Canonicum* recipiat, patet ex ipſius Iſidori verbis, quæ paulo ante præmiſit dicens; *Eſdræ liber Auctoris ſui titulo prænotatur, in cujus textu Eſdræ, Nehemiæque ſermones pariter continentur*.

[d] *lib. 6. Etymol. cap. 2.*

XII. Hic autem ſilentio non eſt prætereundum, Nehemiam diutiſſime vixiſſe, quippe cum ad tempora Darii Codomanni Regum Perſarum poſtremi ſuperſtes fuerit; cujus argumentum eſt, quod capit. XII. v. 12. & 22. fiat mentio ſummi Sacerdotis *Geddoa*, quem Alexandro Magno

Darii

Darii expugnatori Hierosolymam eunti, obviam prodiisse narrat Josephus [a]: unde Nehemias videtur adhuc puer cum in Judæam profectus est, obtinuitque ab Artaxerxe (non Mnemone, ut contendit Scaliger, sed Longimano) facultatem patriam repetendi. Unde si iter illud ponatur incidisse in annum XX. Regni Artaxerxis, Nehemias vero tunc temporis annum ætatis egisse XVI. dum obiit Darius Codomannus, Nehemias natus erat annum circiter CXXXI. nam annus XX. Artaxerxis incidit in annum periodi Julianæ 4269. a quo tempore ad obitum Darii Codomanni annum videlicet 4384. intercedunt anni CXIII. sicque cum extinctus est Codomannus, annum CXXX. agebat Nehemias, quod profecto neque mirum esse, neque novum exemplis probat Scaliger [b]. (18)

[a] *lib.* 11. *Antiq. cap.* 8.

[b] *lib.* 6. *de emend. temp.*

Ad duos posteriores Esdræ libros quod attinet, tametsi eos, ut Apocryphos, habeat Ecclesia, nihilominus tamen plurimi SS. Patres eos ab Esdra conscriptos existimant, ac veluti Scripturam Canonicam laudant; sic S. Augustinus supra citatus, dixit Esdram Prophetam se præbuisse, cum enarrans disputationem trium juvenum dixit veritatem supra omnes esse victricem, quæ concertatio habetur lib. III. Esdræ. Similiter S. Ambrosius laudat IV. librum Esdræ, tamquam divina revelatione ab ipso conscriptum, asseritque S. Paulum circa finem prioris Epistolæ ad Corinthios, ubi docet diversos futuros esse ordines claritatis & gloriæ Electorum resurgentium, attendisse ad quartum librum Esdræ: unde ipsemet Ambrosius eandem sententiam, tanquam testimonium gravissimæ auctoritatis, ad confirmandum dogma de habitaculis sanctarum animarum, post corporis separationem accepit, sic in libro de bono mortis scribens: *Animarum autem esse habitacula, Scripturæ testimoniis valde probatur; siquidem & in Esdræ libris legimus, quia, cum venerit judicii dies, reddet terra corpora defunctorum, & habitacula reddent animas, quæ his commendatæ sunt. Hæ sunt habitationes, de quibus dicit Dominus; Multas mansiones esse apud Patrem suum. Sed & Esdræ usus sum scriptis, ut cognoscant Gentiles ea, quæ in Philosophiæ libris mirantur, translata esse de nostris.* Et infra addit: *Quis utique prior Esdras, an Plato? Nam Paulus Esdræ, non Platonis secutus est dicta. Esdras enim revelavit secundum collatam in se revelationem, justos cum Christo futuros & cum sanctis. Hinc & Socrates ille festinare se dicit ad illos suos Deos. Nostra sunt utique, quæ in Philosophorum litteris præstant. Non vereamur igitur illum debitum omnibus finem, in quo Esdras remunerationem suæ devotionis invenit, dicente ei Domino; Tu enim recipieris cum hominibus, & conversaberis residuum cum Filio meo, & cum similibus tuis.* Hæc Ambrosius: qui etiam secundo in Lucam commentario, allegat ex VII. hujus libri capite prophetiam de tempore Adventus Christi, ac mortis ejus, deque futura mundi conversione ad Christum. Vaticinii autem verba hæc sunt: *Revelabitur Filius meus Jesus, cum iis, qui cum eo jucundabunt, qui relicti sunt in annis quadringentis, & erit post annos hos, & morietur Filius meus Christus, & convertetur sæculum.* Demum in Epistola ad Horantianum, quæ est numero 21. suadet librum IV. Esdræ legendum esse, quia in ipso anima cœlestis esse substantiæ demonstratur, & Philosophorum nugæ de ipsius substantia configuntur. Ex his apparet, quantæ apud Ambrosium auctoritatis fuerit hic liber.

Similiter S. Cyprianus ex hoc libro sumpsisse videtur, quod adversus Demetrianum scripsit, nempe mundum senescere, & ad finem jam imminentem properare, idque ex decremento rerum omnium facile deprehendi, cum elementorum, plantarum, animalium vires imminutæ, ac debiliora nunc sint omnium corpora, quam olim fuerint. Quam quidem sententiam, dubium non est Cyprianum hausisse ex V. hujus libri capite v. 50. ad 55. ubi hæc verba leguntur: *Mater nostra jam senectuti appropinquat. Interroga eam, quæ parit: quare quos peperisti nunc, non sunt similes his, qui ante te, sed minores statura? & dicet tibi & ipsa, Alii sunt qui in virtute & juventute nati sunt, & alii, qui sub tempore senectutis deficiente matrice sunt nati. Considera ergo & tu, quoniam minori statura estis præ his, qui ante vos, minori, quam vos, quasi jam senescentes creaturæ, & fortitudinem juventutis prætereuntes.* Veneratur etiam hunc librum Catholica Ecclesia, quæ singulis annis in tertia feria Pentecostes sacrosancta Missæ mysteria orditur ab ea sententia, quæ in II. cap. v. 36. & 37. hujus libri IV. legitur: *Accipite jucunditatem gloriæ vestræ, gratias agentes Deo, qui vos ad cœlestia regna vocavit;* & in solemnita-

(18) Duo Paralipomenon Libri, quemadmodum & duo sequentes Esdræ & Nehemiæ canonicæ, divinæque esse auctoritatis indubium prorsus est; quæ autem in Sacros hosce Libros posset quis objicere ex antilogiis, quæ videntur in illis haberi nullius fere momenti noscuntur, nec tamen in Libro Conciliatorii Biblici prætermittentur. Si quam difficultatem ingerat Sanaballat ille Horonites, de quo in ℣. 28. Cap. 13. Nehemiæ; facillima erit evasio duobus admissis Sanaballat, quorum unus præsideret Samaritis dum reædificari Jerusalem cæpit; alter, qui filiam dederit in matrimonium filio Sacerdotis Jojadæ. Nos in uno eodemque omnia salvari posse minime diffitemur. Supponamus enim Sanaballat vigintiquinque fuisse annorum anno 20. Artaxersis Longimani, aut etiam vigesimum solummodo compleviſſe, ut jam in Nota (22) Libri primi supponebamus; potuit post alios vigintiquinque annos filiam in matrimonium collocare filio Jojadæ, quod matrimonium celebrari contingebat vel anno 45. Artaxersis Longimani, vel etiam anno circiter primo Darii Nothi, nempe periodi nostræ anno 5071.; ejecto autem Sponso cum uxore a Nehemia; post aliquot annos permittente Dario Notho, templum Samaritanum ædificari cæptum est anno circiter periodi nostræ 5075. non autem 5085. ut in Nota (22) Libri I. Disquisit. incaute editum est; non videtur ergo necesse, ut duo pro Nehemiæ historia Sanaballati admittantur. (W)

nitatibus Martyrum de præmiis eorum, qui fortiter pro Christo occubuerunt, ex eodem capite decantat illud v. 45. *Modo coronantur, & accipiunt palmas.* Inde etiam dubio procul suæ opinionis hauserunt argumentum, hi omnes Doctores qui temporibus Joannis XXII. docuerunt sanctorum animas cœlesti beatitudine ante ultimi judicii diem non esse donandas; id enim habet Auctor lib. IV. cap. IV.

Inde factum arbitror quod hi duo libri alicujus sint etiamnum venerationis in Ecclesia: quo fit ut in sacrorum Bibliorum volumine, adiiciantur ad calcem librorum Canonicorum. Tametsi jam temporibus S. Hieronymi haberentur ut Apocryphi, scribit enim [a]: *Nec quemquam moveat, quod unus a nobis liber editus est, nec Apocryphorum tertii, & quarti libri somniis delectetur, quia & apud Hebræos Esdræ, Nehemiæque sermones in unum volumen coarctantur: & quæ non habentur apud illos, nec de viginti quatuor Senioribus sunt, proculdubio reiicienda sunt.* Ex quibus manifestum fit tertium & quartum Esdræ librum, ut Apocryphos reiici, quod ludicris & vanis commentis referti sint, quemadmodum prudens Lector animadvertet, maxime cap. VI. libri IV. ubi refertur fabula de creatione duorum grandium animalium, quorum alterum *Enoch*, aliud *Leviathan* appellatur. (19)

[a] *in Præfat lib. Esdræ.*

CAPUT SEXTUM.

De Libro Tobiæ.

SUMMARIUM.

I. *Quis quantusque Tobias.*
II. *Librum ejus nomine inscriptum scripsit Tobias, partim Junior, partim Senior.*
III. *Plurima congerunt Heterodoxi, ut illius auctoritatem elevent, maxime quod in Hebræorum Canone non fuerit insertus.*
IV. *Quod plurimis antilogiis & contradictionibus videatur inspersus.*
V. *Quod mendacia sanctissimis Angelis affingat.*
VI. *Quod cum aliis sacris Libris pugnare videatur. At omnia ista momenta facile dissolvuntur.*

I. NEhemiæ Librum, in editione Vulgata, ordine consequitur *Tobiæ Liber*. Tobias autem cujus nomine liber hic inscribitur, genere fuit illustris; at illustrior nomine, pietate vero, & invicta animi fortitudine & patientia illustrissimus. Genere, inquam, erat perillustris, quippe cum in Tribu Nephtali, ex qua erat oriundus, primas obtineret; cujus rei argumentum est, quod licet cum cæteris Israelitis in captivitatem a Salmanasaro Assyriorum Rege fuisset abductus, tamen *dedit illi Deus gratiam in conspectu Salmanasar Regis: & dedit illi potestatem, quocunque vellet ire, habens libertatem quæcunque facere voluisset;* ut legimus *cap.* I. *v.* 14. Nomine pariter erat celebris טוביה *Tobias* enim Hebraice significat vel *bonus Deus*; vel *bonus*, seu *bonitas Dei*; vel, ut Serario placet, *bonus Domino*. Denique pietate & animi fortitudine fuit illustrissimus; nam *Cum irent omnes ad vitulos aureos quos Jeroboam fecerat Rex Israel, hic solus fugiebat consortia omnium: sed pergebat in Jerusalem ad templum Domini, & ibi adorabat Dominum Deum Israel, omnia primitiva sua & decimas suas fideliter offerens:* uti habetur cap. I.

Hunc librum eo fine scriptum, ut morum probe instituendorum sit norma, & in adversis patientiæ exemplum, docet S. Augustinus [b]: *Dei ergo famulus*, inquit, *S. Tobias post Legem exemplum nobis datus est, ut quæ legimus, quomodo fiant sciamus, & si tentationes advenerint, a Dei timore non recedamus, neque auxilium aliunde, quam ab ipso speremus.* Eximias sanctissimi illius viri virtutes commendat S. Ambrosius

[b] *in lib. de quæst. ex utroq. Test. cap.* 119.

(19) Tertium, & quartum Esdræ Libros diversam sortitos esse fortunam apud antiquos Ecclesiæ Patres certum est. Quinimmo Tertium Ecclesia Græca parem fuisse cum duobus primis in auctoritate, & divinitate existimavit, eum quippe in Sacrorum Librorum censu reposuisse ex antiquissimis exemplaribus compertum est, quæ primo loco Librum hunc tertium, deinde Nehemiæ Historiam, & tandem ultimo loco primum Esdræ Librum proponunt; Coniiciunt nonnulli Scriptores propterea ante versionem S. Hieronymi Librum hunc tertium ab universa ferme Ecclesia tanquam divinæ auctoritatis fuisse habitum, cum Patres Græci, & Latini adversus Hæreticos in Catholicæ fidei propugnandis dogmatibus absque ulla dubitatione ex eodem auctoritates desumant; quinimmo in Canonibus divinarum Scripturarum a Concilio Carthaginensi III ab Auctore Canonum Apostolicorum, a Laodicena Synodo, a S. Innocentio I. a S. Augustino Lib. 2. de Doctr. Christ. Cap. 8. fuisse repositum arbitrantur, eo quod duorum Esdræ Librorum in istis cum mentio fiat; cumque primus, & secundus in unum Librum essent colligati, qui locum secundum in codicibus, & Liber tertius locum priorem obtinebat, patet inter scripturas Canonicas tunc temporis fuisse adnumeratum. Hæc tamen recensio nunquam Ecclesiæ universalis consensum extorsit, quinimmo in suis congregata Conciliis solum Esdræ primum, & Nehemiæ, sive Esdræ secundum admisit, quod satis est, ut inter Apocryphas Scripturas amandetur. Quartus vero Liber a nonnullis equidem Patribus commendatur, sed pluribus eum scatere erroribus nedum in dogmata fidei, sed in res etiam facti evidenter constat. Esdra recentiorem satis se prodit ejus Auctor, cum ea scribat, quæ post Christi passionem, & resurrectionem eveniisse satis patet. Videantur duæ Calmeti dissertationes in Tertium, & quartum Libros Esdræ. (W)

a *Exposit. in hunc lib.* sius [a] eumque *Propheticum* appellat: unde concludit his verbis: *Tobias tibi dicit: Luxuria mater est famis, in quo continentiam docet. Dicit etiam, mercedem omni homini, qui penes te operatus fuerit, redde eadem die, & non maneat apud te merces hominis. Dicit tibi, noli vinum bibere in ebrietate. Dicit tibi. De pane his communica esurientibus. Vide quid te fœnerare cupiat. Et de vestimentis tuis nudos tege. Ex omnibus quæ abundaverint tibi, fac eleemosynam. Omni tempore benedic Dominum. In his itaque fœnus æternum est, & usura perpetua.*

II. Auctorem hujus Libri partim *Tobiam Seniorem*, partim *Juniorem*, partim quoque *Scriptorem incertum* existimat sanior pars Interpretum. Capita quidem duodecim priora a Tobia patre conscripta fuisse argumentum est, quod in textu Græco, ut legenti patebit, Tobias senior sua gesta in prima persona enarrat. Decimum tertium & decimi quarti partem, ubi refertur Tobiæ senioris interitus, Tobias filius in literas retulit. Duo vero postremi versiculi adjecti videntur ab aliquo e Tobiæ Junioris filiis aut nepotibus, qui ejus mortem & sepulturam scriptis mandarunt. Quod autem Tobias uterque res suas, suosque casus literis tradiderit, colligitur ex cap. XII. v. 20. nam ubi Angelus in Latino textu jubet utrique Tobiæ; *Vos autem benedicite Deum & narrate omnia mirabilia ejus.* Græcus Interpres sic effert: γράψατε πάντα τα συμβάντα εἰς βιβλίον. *Scribite in libro quæcunque evenerunt.* Hauddubium autem est utrumque Tobiam huic mandato Angelico pro sua pietate paruisse.

Videtur hic liber primum scriptus Chaldaico sermone & charactere, ubi Tobias uterque vitam egit. Unde Latinam quam habemus ejus Interpretationem, se ex Chaldæorum lingua, ope hominis Hebræi utriusque linguæ peritissimi, in Latinum sermonem exposuisse, testatur S. Hieronymus [b]; erat tamen illius Latina & Græca interpretatio Hieronymo vetustior. Nam Græca quæ exemplari simillima est, & veteri Latina ad illam accurata usos fuisse legimus Polycarpum, Epistola ad Philippenses, Clementem Alexandrinum [c], & Auctorem Constitutionum Apostolicarum, quæ S. Clementi Pontifici adscribuntur ut videre est. *lib.* 1. *cap.* 1. *&* *lib.* 3. *cap.* 15.

b *Præfat. in hunc lib.*

c *lib.* 1. *Strom.*

III. *Plurima objiciunt* hujus temporibus Heterodoxi, (20) ut hujus libri auctoritatem convellant. Primo quidem, inquiunt, Ecclesia eos tantum libros ut Canonicos admittit, quos admisit B. Hieronymus; eosque reprobat quos a Canone rejecit, ut patet dist. 15. Can. *Sancta Romana Ecclesia.* At S. Hieronymus [d], hunc librum dicit non esse Canonicum; *Librum utique Tobiæ*, inquit, *quem Hebræi de Catalogo divinarum Scripturam secantes, bis quæ Hagiographa memorant, manciparunt.* Et in Prologo Galeato: *Judith & Tobias*, inquit, *& Pastor in Canone non sunt.* Ne quis vero illum de solo Judæorum. Canone loquutum putaret, præfat. in Proverbia scribit de libro Ecclesiastici & Sapientiæ: *Sicut ergo Judith, & Tobiæ, & Machabæorum libros legit quidem Ecclesia, sed eos inter Canonicas Scripturas non recipit: sic & hæc duo volumina legat ad ædificationem plebis, non ad auctoritatem Ecclesiasticorum dogmatum confirmandam.* Itaque cum liber iste non sit Canonicus, nullius auctoritatis esse debet in Ecclesia.

d *in Prolog. lib. Tobiæ.*

Respondeo, quod etsi isti libri sacri, in Canone Synagogæ forte non fuerint recepti, satis esse ad eis fidem & venerationem conciliandam, quod in Canone Ecclesiæ admittan-

(20) Præcipui in divinam auctoritatem Libri Tobiæ Adversarii reperiuntur Lutherus *in Colloq. Lat. Tom.* 2. *Cap. de Vet. Test.* ubi scripsit: *Tobias videtur Comedia quæ de Mulieribus loquitur.* Tantum Magistrum secuti sunt Kemnitius, & Brentius, *Doctor Jonas*, cujus gravitati scandalum, quæ in hoc Libro de tribus noctibus ἀγαμιαίοις, de fuga Diaboli per affatum piscis jecur leguntur, parere potuerunt, poema judaïcum stulte prorsus concinnatum Tobiæ Librum existimavit: *Calvinus* etiam, qui in antid. Concilii Tridentini Librum nostrum prorsus repudiat, cujus postea vestigia presserunt Witakerus, Junius, Hunnius, & Tremellius, qui omnes ore blasphemo in hunc librum diversas evomuerunt iniurias. Cæteri deinde Protestantes eadem pervicacia inter apocryphos rejiecerunt.

Hisce tamen inferorum Ministris, quorum fides nulla, auctoritas flaccida, Patres tum Græcæ tum Latinæ Ecclesiæ, qui vetustioribus floruere sæculis opponimus, ut cognoscant nil in Synodo Tridentina quod fidem novam constituat, esse definitum, ut perverse calumniantur Hæretici. S. Polycarpus in sua ad Philippenses Epistola auctoritatem ex Libro Tobiæ tanquam Dei verbum assumit. Clemens Alexandrinus Lib. I. Stromatum, Auctor Constitutionum, Apostolicarum Lib. I. Cap. I.; & Lib. 3. Cap. 15. Origenes Lib. 5. contra Celsum, & in Epist. ad Africanum, S. Chrysostomus Homil. 13. ad populum Antiochenum, S. Basilius Homil. *de avaritia* in Libro Tobiæ verbum Dei confitentur. Idipsum credidit S. Ambrosius Lib. 6. in Hexameron Cap. 4. ubi Librum hunc *propheticum* appellat; Libro autem de Tobia Cap. I. ita scribit S. Doctor: *Lecto prophetico Libro, qui inscribitur Tobias &c.* Clarius adhuc S. Cyprianus rem nostram ostendit in Libro *de Opere, & eleemosynis*, scribens: *loquitur in Scripturis Divinis Spiritus Sanctus, & ait: Eleemosynis, & fide delicta purgantur.... bona est oratio cum jejunio, & Eleemosyna, quia Eleemosyna a morte liberat, & ipsa purgat peccata.* Cum pariter rogatus a Quirino esset Sanctus Martyr, ut quædam ex Sacris literis exçerperet Capitula, quibus ad suam instructionem adjuvaretur, ex Tobiæ Libro Cap. I. prolixum exscripsit fragmentum, quod cum aliis Scripturæ Sacræ textibus attexuit. S. Augustinus Lib. 2. de Doctr. Christ. Cap. 8. integrum recensens Scripturarum divinarum Cathalogum, Tobiæ Historiam in illo reposuit. In Libro Speculi pariter, quem ex variis Scripturarum testimoniis composuit S. Doctor, ut in Præfatione protestatur, varias ex Tobiæ Libro auctoritates inseruit, nec immerito quidem, Synodus namque Hipponensis anno 393., nec non Carthaginensis anno 397. Librum nostrum in divinarum Scripturarum Censu reposuerant. Idipsum postea Innocentius I. in Epistola ad Exuperium præstitit, nec non Gelasius I. in Synodo Romana, & Eugenius IV. in decreto peregerunt. Hebræi tandem librum hunc inter agiographa reposuerunt, quamvis in Canone eorum non legeretur. Novi quid ergo moliri tentasse credendi sunt Tridentini Patres, cum in Canone Sacrorum Librorum, & istum adnumerarunt? Videant Hetherodoxi, quam insulse debacchentur in nos; quam impie calumnientur! (W)

tantur. Neque enim minoris, imo majoris auctoritatis est Ecclesia, quam Synagoga, ad probandos sacros libros, eosque ab Apocryphis secernendos, utpote cum uberioribus S. Spiritus charismatibus referta sit, plenioremque habeat Dei sapientiam & assistentiam, in iis maxime stabiliendis documentis, quæ ad filiorum salutem spectant. *Ad sententiam vero S. Hieronymi*, dico ejus verba cum distinctione accipienda *de priori* Canonicorum voluminum ordine, non vero *de posteriori*. Diximus enim supra, duos esse sacrorum & Canonicorum voluminum ordines, quorum *prior* continet libros, de quorum fide & auctoritate nulla unquam inter Ecclesiæ Patres ac Pastores fuit controversia: *posterior* vero complectitur libros, non statim in exordio nascentis Ecclesiæ, a Patribus & Pastoribus Ecclesiæ agnitos & receptos, sed sequentibus tantum sæculis, cum de his dubia prius & diversa inter illos judicia fuissent. Itaque S. Hieronymus una cum aliquibus Patribus ad priorem Canonicorum librorum ordinem attendens, pronuntiavit *Libros Tobiæ & Judith non esse Canonicos*, hoc est, de numero Canonicorum *primi ordinis*. Cum vero S. Augustinus Hieronymi æqualis [a], & Concilium Carthaginense III. cui ipsemet S. Augustinus interfuit, hos libros in Catalogo sacrarum Scripturarum enumerant, *ad secundum ordinem* librorum Canonicorum respexerunt. Neque id S. Hieronymus improbat, quippe qui librum Judith a Synodo Nicæna in numero sanctarum Scripturarum computatum affirmet.

[a] *lib. 2. de doct. Christ. Can. 8.*

At, *inquies*, qui fieri potuit, ut Tobiæ liber ante Esdram editus, non fuerit ab eo cum aliis sacris libris in Hebræorum Canonem relatus?

Respondeo, id forte idcirco factum, quod cum eo tempore maximis rerum difficultatibus in captivitate Babylonica jactata fuisset Israelitica Gens, vacare non poterat libris conscribendis; unde rarissima erant eo tempore sacrorum librorum exemplaria, eorum maxime qui recens erant edita, nec adhuc publica Synagogæ auctoritate probata, cujusmodi erat *Tobiæ liber*. Unde Esdras quantumlibet studiosus ac diligens, omnes Gentis suæ historias, & veteris memoriæ monumenta a popularibus suis scripta, colligere non potuit; unde ut dictum est, *Nehemias* & post eum *Judas Macchabæus* aliam & Esdrina ampliorem sacrorum librorum collectionem instituerunt, a quibus verosimile est *librum Tobiæ*, aliosque recentius de rebus sacris conscriptos, in suis Canonibus fuisse adjectos.

IV. *Opponunt secundo*, hunc librum plurimis antilogiis & contradictionibus esse refertum, subindeque falsitatem & mendacium involvere; propositionum enim contradicentium, oportet alterutram esse falsam; istud autem colligere se putant, ex eo quod in hujus historiæ cap. III. Sara Raguelis filia, quam Tobias junior ducturus erat in uxorem, habitasse dicitur in Rages civitate Medorum, ubi etiam egisse dicitur Gabelus cap. IV. v. 21. At cap. IX. peractis jam nuptiis, Angelus Raphael dicitur missus a Tobia in Rages Medorum, ad Gabelum pecuniæ debitorem. Ex quibus sic argumentantur: Non in eam urbem missus est Raphael a Tobia juniore, in qua hic Saram Raguelis filiam matrimonio susceperat: susceperat autem eam in Rages civitate Medorum. Non igitur in Rages ad Gabelum potuit mitti Angelus, aut Sara & Gabelus non erant in Rages, quemadmodum III. & IV. cap. refertur.

Respondent aliqui cum Medina [b] mendum irrepsisse in tertium caput textus Latini, ut in eo scriberent *Rages* pro *civitate Ecbatanis*, ubi Sara memoratur fuisse *cap.* IX. atque ita in Chaldaico originali extitisse, & S. Hieronymum convertisse; postmodum autem incuria Scriptorum, vocem *Ecbatanis*, pro voce *Rages* intrusam esse; colliguntque ex hodierno textu Græco, ubi non *Rages*, sed *Ecbatanis civitas* illo tertio capite legitur. *Reponunt* alii cum Lyrano *duas* fuisse in Media *civitates Rages*, quemadmodum in Gallia sunt duæ præclaræ urbes, eodem nomine dictæ *Chaalons*, quamvis Latine diversimode efferantur. *Sunt* qui adiiciant cum Bellarmino [c], Saram III. *cap.* merito dici fuisse *in Rages*, non quidem *in ipsa civitate*, sed *in loco vicino:* Dicitur enim, inquit, habitare Romæ qui Tusculi vel alibi in agro Romano habitat.

[b] *lib. 3. de recta fide in Deum cap. 14.*

[c] *lib. 1. cap. 11.*

Censerem ego dicendum Saram per aliquod tempus commoratam fuisse *in Rages*, ibique revera extitisse, cum ab una ex ancillis patris sui improperium audiret *ibidem v.* 7. expressum, nempe eam septem habuisse viros a Dæmone Asmodæo occisos, qui ei in matrimonium juncti fuerant: unde ab illa ancillula appellatur *Virorum interfectrix*, quod cum audisset Sara, *Perrexit in superius cubiculum domus suæ & tribus diebus & tribus noctibus non manducavit, neque bibit: sed in oratione persistens, cum lacrymis deprecabatur Deum, ut ab isto improperio liberaret eam.* Ex quibus coniicere licet, quod cum Raguel esset ditissimus, varias habuit domos, unam *in civitate Rages*, aliam *ruri*, in qua salubrioris aeris respirandi & animi relaxandi causa, interdum morabatur: in hanc vero Saram se recepisse, ut ibi a parentum & famulorum consortio sejuncta, facilius doloris & amaritudinis lenimen a Deo imploraret, non obscure indicant verba ista; *Perrexit in superius cubiculum domus suæ*; neque enim dicitur, *Domus patris sui*; sed, *domus suæ*; videlicet *ruralis*, quam illa incolere solebat, ut liberius gementi & afflicto animo indulgeret; noverat enim loca solitaria peroportuna esse leniendis doloribus. Suadent etiam sequentia: *Tribus diebus & tribus noctibus non manducavit, neque bibit.* Quis enim credat Raguelem ejusque conjugem filiam gementem ac desolatam, tanto tempore intra cubiculum jejunam ac sine cibo & potu permisisse, si istud novissent? Itaque conjectura est non levis, illam his diebus ab eis sejunctam,

& alibi fuiſſe commoratam, nempe *in rurali domo*, ubi manere conſueverat.

Quæ ſi vera ſint, uti cenſeo, facillimum erit utrumque textum conciliare; dicerem enim Tobiam Juniorem cum uxore ſua & comite Angelo, ac Raguele ejuſque conjuge, ab inito matrimonio duas egiſſe hebdomadas ut adjuraverat Raguel cap. VIII. in ea domo rurali. Cum tempus urgeret patriam repetendi ad Gabelum in civitate Rages commorantem, Tobias delegavit Azariam ſeu Angelum Raphaelem, ut pactam pecuniam ab eo reciperet. Hanc noſtram conjecturam confirmant verba cap. IX. v. 7. & 8. ubi cum Raphael ingreſſus eſſet domum Gabeli *in Rages* civitate Medorum, *& recepiſſet ab eo omnem pecuniam; indicavit ei de Tobia filio Tobiæ, omnia quæ geſta ſunt: fecitque eum ſecum venire ad nuptias*; nempe ad convivium nuptiale, quod ruri in villa Raguelis per duas hebdomadas celebrabatur: *Cumque ingreſſus eſſet domum Raguelis, invenit Tobiam diſcumbentem, & exiliens, oſculati ſunt ſe invicem, &c.* Quando ergo Angelus Raphael aſſumptis quatuor ſervis Raguelis, perrexit in civitatem Rages, Tobias cum univerſa ſuæ conjugis familia remanſerat in domo Raguelis, villa ſcilicet quam in Rages vicinia Raguel poſſidebat, ad quam invitatus a Raphaele Gabelus cum cæteris convivium egit.

V. *Opponunt tertio*, liber ille non eſt cenſendus Canonicus, qui Angelum ſanctiſſimum mendacii artificem exhibet: Hic autem eſt ejuſmodi; inducit enim Raphaelem Angelum plurima contexens mendacia, Nam cap. V. v. 7. interrogatus a Tobia Juniore unde eſſet. Reſpondit, *ex filiis Iſrael*. Rurſum requiſitus ab eo v. 8. An noſſet *viam quæ ducit in regionem Medorum?* ait: *Novi & omnia itinera ejus frequenter ambulavi & manſi apud Gabelum fratrem noſtrum, &c.* Deinde *de qua domo aut de qua Tribu* eſſet oriundus? Ait v. 18. *Ego ſum Azarias, Ananiæ magni filius* Cap. VII. v. 3. Rogatus a Raguele quinam eſſet? dixit; *Ex Tribu Nephthali ſumus, ex captivitate Ninive*. Iſta autem aperta ſunt mendacia & puræ ludificationes ab Angelo ſanctiſſimo alienæ. Itaque, ut ludicrum & inane commentum repudiandus eſt liber ille in quo iſta referuntur.

Reſpondeo, omnia Raphaelis Archangeli reſponſa nil niſi veritatem, licet paulo obſcurioribus verbis obvelatam ſpirare; ſiquidem merito jure Raphael ſe dixit *ex filiis Iſrael*, aut quia Juſtorum Gens, Iſraelita cenſetur; aut quia *Iſrael* idem eſt ac *videns Deum:* Angeli autem ſemper faciem Dei intuentur; aut denique quia ad Iſraelitarum cuſtodiam, maxime *Tribus Nephtali* ſpecialiter erat deſtinatus. *Similiter* vere dixit: *Manſi apud Gabelum fratrem noſtrum*: Angeli enim & homines Deum eundem patrem habent, & naturæ ſpirituali ſimilitudine, & gratiæ ſanctificantis adoptione, & divinæ hæreditatis, nempe fœlicitatis æternæ poſſeſſione. Potuit itaque Raphael Angelus Gabelum fratrem ſuum appellare: & cum ſpecialem ad ejus cuſtodiam deputatus eſſet, ſicut & Iſraelitarum, recte dixit ſe *viam Medorum & Gabelum noſſe, & apud eum manſiſſe*. Veriſſime nominavit ſe *Azariam Ananiæ magni filium:* Angelus enim nomen ſortitur ex munere: unde quemadmodum dictus eſt *Raphael*, ideſt, *medicina Dei*; quia Tobiæ ſeniori viſum reſtituit; ſic dici potuit *Azarias*, ideſt, *auxilium Dei*; quia auxilium a Deo Tobiæ juniori exhibuit, cum eum ab invadente piſce liberavit, ſanum duxit & reduxit, & Dæmonem infeſtantem Saræ talamum compeſcuit & abegit. Cum autem vox *Ananias* ſignificet *gratiam Dei*, aut *Dei miſericordiam*; rectiſſime ſe *Ananiæ filium* appellavit. Deus enim ab Apoſtolo dicitur *Pater miſericordiarum*; Angeli vero *Filii Dei* appellantur Jobi cap. I. v. 6. & Daniel III. v. 92. tandem vere Reſpondit Ragueli pro ſe & Tobia, *Ex Tribu Nephtali ſumus*, ſupple ille *genere*, ego *protectione*: ille *per naturæ generationem*, ego *per deputationem divinam*.

VI. *Opponunt quarto*, Tobiæ hiſtoria in plurimis pugnat cum aliis libris Canonicis, maxime cum IV. Reg. cap. XV. v. 29. ubi legimus: *In diebus Phaceæ Regis Iſrael venit Theglathphalaſar Rex Aſſur, & cepit Aion, & Abel Domum, Maacha & Janoe, & Cedes, & Aſor, & Galaad, & Galilæam, & univerſam terram Nephthali & transtulit eos in Aſſyrios*. Primo autem cap. libri Tobiæ, ipſe dicitur eſſe, *Ex Tribu & civitate Nephthali*, in captivitatem abductus a Salmanazaro Aſſyriorum Rege, qui diu poſt Theglathphalaſar imperavit. Quæ certe cohærere non poſſunt: ſi enim Theglathphalaſar expugnavit, & captivam abduxit univerſam Tribum Nephthali, quomodo in patria ſubſiſtere potuit Tobias, a Salmanazaro poſtmodum ad Aſſyrios deducendus.

Verum, iſta quantumvis fronte oppoſita, facile conciliantur. Quis enim putet ita univerſim expugnatam a Theglathphalaſaro Tribum Nephthalim, ut omnes ad unum in captivitatem abduxerit, neque Senibus, infantibus, & plebeis victori & Ductori inutilibus parcitum. Veroſimile eſt ergo ab hac calamitate ereptum fuiſſe Tobiam juniorem, qui forte divina ita agente providentia, eo tempore quo facta eſt illa Aſſyriorum in Iſraelitas eruptio, Hieroſolymam Deum, ut ſolebat, adoraturus adierat. Legimus enim cap. I. quod cum eſſet junior, relictis vitulis aureis quos colebant Iſraelitæ, *pergebat in Hieruſalem ad templum Domini, & ibi adorabat Dominum Deum Iſrael*.

CA-

CAPUT SEPTIMUM.

De Libro Judith.

SUMMARIUM.

I. *Quæ fuerit Judithæ prosapia, & quo sensu dicatur filia Simeon filii Ruben.*
II. *Ejus præclarum facinus est hujus libri argumentum.*
III. *Quis fuerit illius Auctor, non omnino liquet.*
IV. *Omnia in hoc libro esse personata plurimi Hetorodoxi delirant.*
V. *Tametsi enim nomina personarum aut locorum, quæ in hoc libro narrantur, traduci possint ad Allegoricam interpretationem; nihilominus veram Historiam denuntiant.*
VI. *Neque hujus libri auctoritati quicquam officit; quod eum inter Hagiographa reposuerint Judæi, & quod illius historiæ non meminerit Josephus.*
VII. *Quo tempore hæc contigerit, varia est Interpretum sententia: verosimilior tamen ea est quæ ipsam post solutam captivitatem Babylonicam accidisse putat.*
VIII. *Nullus enim eo tempore Rex Israelitis imperabat.*
IX. *Sed illis præerat Sacerdos Eliachim.*
X. *Quis fuerit Arphaxadus Medorum Rex civitatis Ecbatanæ Conditor, variant Auctores.*
XI. *Eadem de Nabuchodonosore regnante in Ninive, sententiarum inconstantia: verosimilius tamen est eum sub Xerxe regnasse.*
XII. *Neque enim soli Babyloniorum Principes, sed etiam nonnulli Persarum, nomine* Nabuchodonosoris *appellati sunt, ut apparet ex eorum recensione.*
XIII. Arphaxadi *nomen, titulus est dignitatis, non singularis personæ.*

I. JUditha genere & forma illustris, statu vidua, ætate florens, opibus inclyta, pietate celebris, animi fortitudine, egregisque facinoribus sæculis omnibus prædicanda, vixit annos CV. Bethuliamque in Tribu Zabulon incoluit; tametsi ex Tribu Simeon esset oriunda, ut ipsa testatur cap. IX. his verbis *Domine Deus patris mei Simeon, qui dedisti illi gladium in defensionem alienigenarum*; quanquam enim ante captivitatem Babylonicam, Judæorum nullus extra proprios limites & terminos suæ Tribui a Josua designatos commorari deberet; Attamen cum restituta libertate pauci remansissent Israelitæ, nec universum regnum Israeliticum occupare valerent, idcirco habitarunt loca proximiora Hierosolymis totius regni Metropoli, quo se se & sacra loca ab irruentibus hostibus tutari possent. Potuit etiam alia *Judithæ* esse occasio in Bethuliam concedendi, nempe quod matrimonio juncta fuerit Manasse, ex Bethuliæ civibus prognato. Quapropter cum *Judithæ* genealogia *cap.* VIII. refertur ad Simeonem filium Ruben; nomine *Ruben*, hic non est intelligendus *Ruben* Patriarcha Jacobi primogenitus; ille namque nullum filium nomine *Simeon* habuit, ut patet tum *cap.* XXVI. *Numerorum*, tum I. *Paralip.* cap. V. sed quidam vir illustris de Tribu Simeon, ad quem, tanquam ad notissimum & præcipuum caput, revolvitur tota Judithæ Genealogia, non ultra procedendo ad ejus Patres vel Atavos: quos plures habuisse Juditham, quam qui *cap.* VIII. referuntur, inde fit perspicuum, quod sexdecim tantum ibi recenseantur generationes, cum tamen a Jacob communi Israelitarum parente, ad captivitatem Babylonicam XXVI. recenseantur a S. Matthæo. Accedit quod in Græca interpretatione loco *filii Ruben* legamus υἱῶν Ἰσραὴλ *filii Israel*.

Hic liber inscribitur nomine *Judithæ* quod historiam Judithæ contineat, recenseatque quomodo Deus ejus illustris fœminæ opera, populum Israeliticum ab invadente Holoferne salvaverit; Holofernem vero Nabuchodonosoris Regis Babyloniorum exercitus Ducem percusserit, una cum ingenti militum apparatu.

II. *Argumentum itaque hujus libri*, est egregium illustris hujus fœminæ facinus, quo suum populum ab impii Holofernis & crudelissimi tyranni vastatione liberavit; quod præclare sic commendat Origines: [a] *Quid ego, illam magnificam*, inquit, *& omnium fœminarum nobilissimam memorem Judith? quæ jam perditis pene rebus, non dubitavit sola succurrere, seque, suumque caput immanissimi Holofernis neci sola subjicere: & processit ad bellum non in armis, neque in equis bellicis, aut in subsidiis militaribus freta, sed virtute animi & confidentia fidei, consilio simul & audacia hostem peremit: & quam viri perdiderant, fœmina reddidit libertatem patriæ.*

[a] *homil. 9. in cap. 7. Judic.*

III. Quis fuerit hujus libri *Auctor* incertum esse scribit S. Isidorus: [b] sunt qui *Eliachimum* seu *Joachimum* summum tunc temporis Judæorum Pontificem, hunc librum elaborasse velint. Quam sententiam cæteris probabiliorem existimo; neque enim verosimile est summum Pontificem, qui hac in historia non minores partes habet, passum esse tam insigne Dei beneficium,

[b] *lib. 6. cap. 2.*

tamque præclarum illustris Judithæ facinus scriptis non mandari, ut ad posteros in perpetuum propagaretur. (21)

IV. Plerique sunt ex Hetherodoxis qui cum Luthero, Chrytræo, Beroaldo, Grotio, & aliis, sentiunt historiam Judithæ poeticum esse figmentum, meramque tragœdiam & parabolam; ut colligere se putant ex nominibus in eo libro expressis, quæ omnia commentitia videntur, & ad Judæorum illo tempore statum repræsentandum, apte concinnata. *Juditha* enim, inquiunt, Judaicam Gentem; *Bethulia*, Dei templum; *Judithæ gladius*, sanctorum preces; *Nabuchodonosor* hic, ut alias sæpe, Hebræis diabolum significat; *Assyria* vero, fastum; *Holofernes*, typus est Antiochi, sic dictus חלפרנס quod Chaldaice *lictorem serpentis* sonat: *Joachimus* sive *Eliakimus*, *Deum* significat venturum in auxilium, videlicet Judæorum ab impio Antiocho dirissime vexatorum; Judith *vidua* fingitur, ut Judaicam Gentem in illa persecutione omni terreno auxilio destitutam repræsentet. *Manasses* vir ejus ab *oblivione* dictus, refertur mortuus æstu cœli, quod calamitates adversæ nobis Dei oblivionem excutiant. Dies tandem solemnis victoriæ a *Juditha* relatæ, ab Hebræis dicitur quotannis celebrari, ut exprimatur solemnitas repurgati Templi, & dedicatæ aræ a Juda Machabæo, quemadmodum legimus primo Machabæorum cap. IV. v. 50. Ista quidem acute comuientatur Grotius, non tamen vere.

V. Quanquam enim nomina, in libro Judithæ expressa, in allegoriam & parabolam deduci possent, inde argumentum non est, commentitium esse opus. Idem enim in veris sacræ Scripturæ historiis fecit Origenes; fecerunt & alii Scripturæ sacræ Interpretes plerique, nec tamen veras esse historias detrectarunt. *Accedit* quod gratis ficta sit & sine ullo fundamento eorum nominum parabolica interpretatio: si enim Judithæ nomen Judaicam gentem obvelabat; quidni eandem repræsentabat Judith, uxor Esau, filia Beeri Hethæi, cujus mentio fit Genes. XXVI. v. 34. Bethulia, inquit, nomen est compositum ex his vocibus Hebræis בית-אל-יה *Baith-el-ih*, id est *domus Dei:* At alii interpretantur *Virginem Dei*; unde parabolam aliam, cudere possunt. *Holofernis* nomen, quod a vocibus Hebræis derivat, est originis Persicæ, perinde ac Thisipharnes, Pharnaces, & his similia; ex quibus qui Hebraicam significationem derivaret, otiosissime luderet. Vides itaque (ut cætera nomina his similia sileam) quam leve sit argumentum ab horum nominum allegorica interpretatione, ad hujus historiæ & libri veritatem & auctoritatem convellendam, quam ut genuinam, approbavit Nicæna synodus, quemadmodum testatur S. Hieronymus, [a] unde ibidem scribit: *Accipite Judith viduam, castitatis exemplum, & triumphali laude perpetuis eam præconiis declarate. Hanc enim non solum fœminis, sed & viris imitabilem dedit, qui castitatis ejus remunerator, virtutem ei talem tribuit, ut invictum omnibus hominibus vinceret, & insuperabilem superaret.* Hæccine sunt commentitiæ & personatæ mulieris elogia?

a *Præfat. in hunc lib.*

VI. At, *inquies*, S. Hieronymus implicantia loquitur; ibidem enim scribit: *Liber Judith inter Hagiographa legitur: cujus auctoritas ad roboranda illa quæ in contentionem veniunt, minus idonea judicatur.* Ubi duo simul pugnantia videtur involvere: *Primum*, quod hic liber sit a Judæis *inter Hagiographa* repositus. *Secundum* quod non deserviat ad sententiam ferendam de iis quæ in controversiam veniunt. Si enim sit inter sacras Scripturas computandus, quidni deservire potest ad sedandas de religione controversias. *Deinde* cum extra Canonem Hebræum fuerit, qua ratione potuit a Judæis *inter Hagiographa* reponi? *Respondeo* Judæos duplicis generis *Hagiographa* habuisse; *alia* quæ citra ullam dubitationem consentiebant omnes a Spiritu S. dictata, qualia erant *libri Mosis*, & ii omnes qui in Hebræo Canone erant repositi. *Alia vero* quæ minoris videbantur auctoritatis, propterea quod licet existimarentur Dei afflatu compositi, quoniam tamen *in Esdrino Canone* sedem non obtinuerint, nec solemni Synagogæ judicio essent probati. Idcirco minor eorum videbatur auctoritas, ut videre est apud Maimonidem. [b] Cum autem Ecclesia Christi noverit hujus posterioris ordinis libros Spiritu S. dictante, non minus quam priores esse conscriptos; idcirco quantumvis apud Hebræos hi videantur inferioris ordinis & auctoritatis, neutiquam tamen aliis esse inferiores decernit. Quamobrem implicantia non loquitur S. Hieronymus.

b *In'mri Nezichim part. 2. cap. 45.*

Instabis, si vera sit Judithæ historia, genuinusque de ea conscriptus liber; cur ergo utriusque Josephus rerum Judaicarum accuratissimus Scrutator & Scriptor, ne verbulo quidem meminerit? illius namque silentium argumentum esse debet, ipsum narrationem istam, ut commentitiam, habuisse.

Verum, quis nescit Josephum memoriæ aut ignorantiæ lapsu, plurima ad illustrandam Judæorum historiam prætermisisse, nam & Jo-

(21) Plures equidem magni nominis Auctores cum Frassenio Judithæ Historiam a Summo Eliachimo Sacerdote literis consignatam arbitrantur. Verum alii cum nullum in toto eo Libro vel leve conspicere queant indicium, unde inferre quod facta sibi coæva enarret Historicus; quinimmo in Cap. 14. ℣. 6. Achioris familiam ad suum usque tempus inter Hebræos commorantem adfirmans, & Cap. 16. ℣. 31. adhuc sua ætate festum Judithicæ victoriæ celebrari solitum asseverans, indicium exhibet Auctor ejus Libri, quod tempore superioris ætatis, quidquid refert, acciderit; eo vel magis quod diuturnam illam pacem recenseat, quæ omnibus diebus vitæ Judith, multisque post ejus mortem annis in toto Israele perseveravit. Ad hæc tamen evasio non deest, si dicantur ea verba a posterioribus divinorum Codicum transcriptoribus fuisse adjecta, vel a Synagogæ proceribus dum Scripturarum Cathalogum, & ordinem conficiebant. (W)

& Jobi hiſtoriam & Bethlehemitarum infantium cædem, & probaticam ac miraculoſam piſcinam Hieroſolymitanam, quæ virtutem habebat ſanandi primum ægrotum, qui poſt commotas ab Angelo aquas in eam deſcendebat, omnino ſiluit. *Deinde* vix alia retulit Joſephus, quam quæ habebantur in libris Canonicis primi ordinis: cum autem inter eos non eſſent recepti *libri Judithæ & Tobiæ*, mirum non eſt quod utriuſque non meminerit. (22)

VII. At gravior occurrit ſolvenda difficultas de tempore quo hæc hiſtoria contigerit, utrum videlicet ante, vel poſt captivi-

(22) Duobus concutere nituntur arietibus Librum Judith in Canone Divinarum Scripturarum ab Eccleſia Catholica recenſitum Hetherodoxi; primo veritatem Hiſtoricam ab eodem expungere, atque nudam parabolam in ipſo contineri demonſtrare pertentant: ſecundo nullimode ejuſdem Libri Auctorem ſpeciali Divini Spiritus auxilio ſuffultum, ſed mera ingenii ſui fœcunditate adjutum, tragicum quoddam, & Scenicum opus conſcripſiſſe, oſtendere ſatagunt. Catholici tamen utrique oppugnationi reſiſtunt invicte, hoſtes retundunt, arcemque veritatis in tuto fidenter cuſtodiunt.

Exponant in primis Heterodoxi, ſi quæ ſibi præſto ſint, monumenta, quibus fabuloſum, quantum in Judithæ Libro recenſetur, convinci poteſt; cum ab oppoſito a nobis veræ hiſtoriæ characteres in ea Narratione ſplendeſcere nullo prorſus negotio oſtendi queant. Recenſentur in primis ab Hiſtorico recto ordine geſtorum omnium initia, continuationes, particulares eventus, Perſonarum nomina, patria, Civitates, & loca, itinera ſuſcepta, Dei miranda prodigia, familiarum genealogiæ; quæ omnia cum cæteris Hiſtoricis apprime conſentiunt, nec eiſdem ab optimæ famæ Auctore aliquo contradicitur. Narrantur deinde factorum exitus, & finis, monumenta in facinoris perilluſtris memoriam ſtatuta, nempe feſtum ob partam victoriam de inimicis celebratum, & epinicion tandem a populo in lætitiæ ſignum decantatum, diuturnamque ex ea victoria tranquillitatem univerſo Iſraeli derivatam. Si hujuſcemodi characteres, qui veram hiſtoriam a fabulis ſecernunt ſatis Adverſariis noſtris non ſunt, jam in diſcrimen quamcumque Hiſtoriam revocari compertum eſt. Nil quippe præſtantius pro cæteris hiſtoriis, quam pro Judithæ libro exhiberi poteſt.

Scimus equidem non levis eſſe negotii eam reſolvere oppoſitionem ab Hæreticis inſtitui ſolitam circa tempus, quo præclarum Judithæ facinus contigiſſe ſtatuitur; cum etenim gravibus premantur difficultatibus tam aſſerentes ante Babylonicam ſervitutem id eveniſſe; quam poſt, eamdem ſervitutem illud admittentes, concludunt illi nunquam revera factum eſſe, cum legitimum ei tempus deſignari non poſſit; adeoque meram ſapere Parabolam quidquid eodem in Libro narratur. Aſt pacato ſi velimus animo rem inſpicere, evaneſcere difficultatem illam eo ipſo comperiemus, quo animadvertere haud pigeat ita rerum, & factorum ſeriem eſſe diſpoſitam tam in tempore Babylonicam præcedente Captivitatem, quam in eamdem conſequente, ut peroptime cum utraque temporis differentia Judithæ hiſtoria componi queat; ſi ergo nil repugnat ad tempus ante captivitatem, eam rejicere, nil pariter ad tempus poſt eamdem captivitatem referre, evidens eſt abſque ulla repugnantia non unum, ſed duplicem temporis tractum in promptu eſſe cum quo hiſtoria illa conjungi poteſt. Nos urgentioribus permoti argumentis, cum Traſſeno ad tempus poſt Babylonicam ſervitutem percurrens eam reducimus, ſatis tamen nobis eſt quod revera aliquando contigerit.

Non his acquieſcunt Hetherodoxi, ſed hiſtoricam non minus veritatem, quam Libri etiam Canonicitatem ex conituntur convellere, quod fruſtra conentur catholici hanc enarrationem ab erratis reſpectu hiſtoriæ, chronologiæ, geographiæ, aliarumve rerum materiei expurgare. Tam aperta mendacia eſſe non poſſunt Auctoris divino inſpirante Numine ſcribentis, ajunt hujus Libri adverſarii, quis deglutiat quod Nabuchodonoſor in Ninive regnavent, ſi certum eſt in Babylone tantummodo imperium habuiſſe? Quis alterum ſubſtineat errorem quod Arphaſadus Ecbatanorum extiterit conditor, ſi urbem illam a Dejoce fundatam tradit Herodotus Lib. I. Cap. 8? In Capite 4. Libri Judith univerſa narrantur diſpoſita ad bellum neceſſaria a Summo Sacerdote Eliachimo, & Principibus Iſrael, nullo prorſus de Rege habito verbo, cum tamen Sacerdotes ac Synedrium Machabæorum ætate cæperint imperare. Verum hæc ſi perpendantur accuratius nunquam contigiſſe Judithæ hiſtoriam convincunt; quod enim legitur Capite 5. Judæos ſcilicet a captivitate reverſos iterum poſſediſſe Jeruſalem, oſtendit ab Auctore fuiſſe exiſtimata Judithæ geſta poſt Captivitatem accidiſſe; quis tamen ignoret ante ſolutam Judæorum Captivitatem regnum Aſſyriorum extinctum fuiſſe, eorumque imperium ad Perſas translatum, ut ex Libris Danielis, & Eſdræ commonemur? Quomodo ergo poſt ſolutam captivitatem regnare in Ninive poterat Nabuchodonoſor, ut tradit Auctor Judithicæ hiſtoriæ Cap. I.? Longe majora hujus Libri Auctor errata commiſit in texenda Judithæ propagine Cap. 8. cum eamdem ex variis Tribubus derivet, & proavos pariter ejus diverſarum Tribuum conſtituat viros; recenſet itaque, & Gedeonem inter Judithæ progenitores, qui tamen erat de Tribu Manaſſis, ut patet ex Cap. Judicum 6. ℣. 15. Deinde ex Tribu Ruben facit eamdem deſcendere, & Simeon, qui frater erat Rubeni, ejus filium deſcribit ibidem; capite autem 9. ℣. 2. Juditha ex Tribu Simeonis eſſe evidenter dicitur. Quis non horreſcat dum ſummis laudibus ſublatam tanquam ſanctitatis Heroinam legit Juditham Capitibus 8. & 15. quæ tamen, ut legimus Cap. 10. meretricio ornata indumento, fucis illita, ad teneriores denique inſtillandos amores compoſita, mendaciis armata coram Holoferne non caſte cogitante ſe exhibuit? & tamen hujus hiſtoriæ Auctor hæc omnia tam ab invicem diſcrepantia in una eademque perſona conjungit. Ejus profecto indolis hæc omnia ſunt, ut fabellam ſcite quidem compoſitam, ſeu potius confictam redoleant; vel ſaltem ſi geſta, quæ narrantur, evenerunt aliquando; ab Auctore profecto humana induſtria ſcribente referuntur.

Si iis quæ jam dicta ſunt alii hujus Hiſtoriæ characteres adiiciantur, corruet prorſus ejus veracitas; nihilque eidem præter fabulæ natura ſupererit. Capite 9. profecto inducitur Juditha orans ad Deum, ac laudans teterrimum facinus a Simeone, & Levi ob Dinæ raptum commiſſum; quinimmo Deum veluti ipſius execrandi delicti auctorem prædicat, & commendat. Capite 16. ut Judithæ extollatur victoria ad fabulas Titanum, atque Gigantum confugit Auctor; nunquid Spiritus Dei fabulis indiget, ut factum perilluſtre commendet? Craſſiora ſunt adhuc in re geographica Auctoris iſtius deliramenta. Deſcribit in Capite 1. ℣. 6. pugnam Nabuchodonoſoris, & Arphaſadi in campo Ragau circa Euphratem, & Tigrim, & Jadaſon, in Campo Erioch Regis Elicorum; hæc autem loca, vel prorſus conficta ſunt, vel adeo inter ſe diſſita, ut nullimode conſociari ad invicem poſſint. In præceps adhuc deterius labitur Judithicæ hiſtoriæ ſcriptor, dum fœminam iſtam viro, cui Manaſſes nomen deſponſatam, atque in Civitate Bethuliæ commorantem in mariti ſui ædibus adfirmat; id etenim falſitatis aperte convincitur, eoquod hujuſmodi Civitas ad Tribum Zabulonis pertinebat: quis modo neſciat in Lib. Numer. Cap. ultimo ℣. 7. & ſequentibus ſancitum fuiſſe ne mulieres extra ſuam Tribum Maritos ſuſciperent, & ne viri alienæ Tribus mulieres ſibi in uxores eligerent? Hæc ſunt divini Legislatoris verba = Omnes viri ducent uxores de Tribu, & cognatione ſua, & cunctæ fœminæ de eadem Tribu maritos accipient . . . . neque ſibi miſceantur Tribus, ſed ita maneant, ut a Domi-

tivitatem Babylonicam. Contendunt plurimi, quos refert quibusve subscribit ex parte Bellarminus, [a] ante captivitatem Babylonicam accidisse, temporibus videlicet Manassis Regis Juda: Cæteri vero post captivitatem contigisse decernunt. Ita Eusebius, [b] S. Augustinus, [c] Chronicum Alexandrinum, ubi refertur hanc esse communem Hebræorum sententiam, & plures alii Recentiores laudati a Celada: [d] quam etiam verosimiliorem censeo, quippe cum firmissime hisce nitatur argumentis. *Primo* quidem illa historia eo tempore contigit, quo nulli prorsus erant Reges, qui Judæis imperaverunt post veteris Testamenti Ecclesiam, quæ nunquam ipsum in canone Scripturarum adnumeravit, Melito, & postea Origenes, S. Athanasius, Cyrillus, Hilarius, Hieronymus, & tandem omnes Laodicenæ Synodi Patres; unde ergo suam canonicitatem liber iste creditur nactus? Non in se, & ab intrinseco, ut ajunt, ob varios, quibus scatet erroribus; non ab extrinseco, quia Ecclesiæ traditio eidem nequaquam prodest; in vanum ergo eamdem Catholici propugnant.

Quidnam ex hisce cavillis sibi adversarii nostri spondere moliuntur? Nil profecto; in eorum enim hypothesi, qui post captivitatem Babylonicam Judithæ facinus perillustre accidisse opinantur putant pariter Ninivem post ejus eversionem, iterum fuisse excitatam. Verum de hoc satis agit Frassenus sub Num. X. hujus Capitis, ubi pariter de Ecbatanarum conditore sermonem habet. Secunda autem difficultas ex Capite 4. desumpta Libri Judithæ, quodammodo premere fortasis poterit, qui ante Babylonicam servitutem Historiam contigisse opinantur, eo quippe temporis Judæorum gubernium penes Reges detinebatur; unde incredibile prorsus videtur nullam in toto Judithæ libro, alicujus Regis habitam esse mentionem. Post servitutem nihilominus illam diu aristocratico more Judæorum Rempublicam fuisse administratam verosimile est, in qua primas tenuisse summum Sacerdotem dubitari vix potest. Hac igitur de causa dispositiones ad bellum contra Holofernem Sacerdos Eliacim, ac populi Optimates præordinasse leguntur.

Levioris adhuc momenti difficultas ex Cap. 5. Judith derivata invenitur, qui enim ante Captivitatem Bethuliæ liberationem contigisse asseverant omnia ista optime componunt, ut patet apud Bellarminum Lib. I. de verbo Dei, & Calmetum in Prolegom. ad Librum Judith; primus enim existimat Nabuchodonosorem Judithæ eumdem esse ac Merodach Baladan, quo tempore apud Medos Dioclem Ecbatanarum conditorem vixisse, qui Arphasad in Judithæ libro vocatur, existimat. Calmetus vero Nabuchodonosorem illum non alium quam Saosduchinum Asaraddonis filium judicat. Qui vero historiam hanc ad tempora Captivitatem subsequentia reiiciunt ad Xersis ætatem; Arphasadum, & Nabuchodonosorem Judithæ duos Proreges ipsius Xersis fuisse opinantur, quorum unus Medis, alter vero præsideret Assyriis; sed clade Xersis apud Thermophilas audita, jugum excussere obedientiæ, atque Regnum, eorum commissum gubernio, sibi vindicarunt; inter se ipsos tandem prælio commisso Nabuchodonosor victor existens de universo sibi orbe subjugando consilium iniit; en igitur quonam pacto post Captivitatem Judæorum poterat in Ninive imperare Nabuchodonosor, non ille magnus, qui Jerosolymorum Civitatem evertit, sed alter longe recentior, qui ab illo Nabuchodonosore magno nominari exoptavit.

Alteram oppositionem ex genealogia Judithæ depromptam egregie resolvit Frassenus ad num. I. hujus Capitis, ubi animadvertit non omnes Sanctæ viduæ progenitores recenseri in Cap. 8., sed eosdem ad Ruben usque perduci, non quidem Patriarcham illum vetustissimum Jacobi filium, sed ad alterum virum nomine, & fama tunc temporis de Tribu Simeonis insignem; Gedeon pariter in Libro Judithæ cap. 8 nominatus, minime Gedeon unus ex Judicibus Israel est credendus, sed alter de Simeonis Tribu Judithæ progenitor est habendus.

Ad alterum objectum de Judithæ ornamentis, & mendaciis, quibus Holofernem emollire quodammodo, & postea irretire tentavit, mirum profecto est ab Adversariis nostris minime secerni quod est ge-

[a] *lib. de verbo Dei cap. 12.*
[b] *in Chronic. ad ann. mundi 4674.*
[c] *lib. 18. de Civit. cap. 26.*
[d] *in cap. 1. Judith. v. 5.*

no separatæ sunt. . . . Hæc sunt mandata, & judicia, quæ mandavit Dominus per manum Moysi ad filios Israel = Per hanc legem duo prohibebantur a Domino, permixtio scilicet gentis unius Tribus cum gente alterius; nec non permixtio habitationum, atque confusio; adeo ut unaquæque familia intra fines sui territorii permanere teneretur; modo quis credat Manassem Judithæ virum, vel mulierem diversæ Tribus sibi desponsatam voluisse, vel relicta terra possessionis suæ, in Civitate Zabulonis sibi contra Dei mandatum elegisse habitaculum? de Tribu ergo Zabulonis tam Juditha, quam vir ejus vel esse debuerunt, quod tamen iis contrarium est, quæ de Judithæ propagine ex Tribu Simeonis in Cap. 9. Suæ historiæ Auctor scripsit; vel falsum omnino, quod Juditha in Civitate Bethuliæ sit commorata; utrumque eligatur, Judithicæ historiæ veracitas interimitur.

Nec quidquam præsidii adscisсere sibi præsumant Catholici (subjungere possunt Hetherodoxi) ex eorum effugio, qui duas sibi confingunt Civitates eodem *Bethulia* nomine appellatas, quarum una in Simeonis Tribu, altera vero in Zabulonis territorio inveniebatur; ex narratione etenim, quam facit Historicus, ad evidentiam usque demonstratur ejus menti Bethuliam Simeonis nequaquam fuisse obversatam, sed perpetuo de Zabulonis Civitate fuisse locutum; in Capite enim 7. sui Libri, Bethuliæ, de qua loquitur, contermina facit, & finitima Dothaim, Belma, & Esdrelon, quæ loca ad Tribum Zabulonis pertinebant; Bethulia autem Simeonis a locis hujusmodi 150., vel 180. milliariis dissita erat. In Capite pariter 3 itinera Holofernis describens, eum perveniisse ait in terram Gabaa, nempe in planitiem Esdrelon, ibique per dies triginta commoratum, quo tempore audita Achioris relatione de Israelitica gente, ejusque verba indignatus eum vinci jubet Cap. 6. ℣. 7. atque Bethuliam perduci; ad quamnam quæso Bethuliam Simeonis, vel Zabulonis? Non Simeonis mehercule, cum a campo Holofernis quinquaginta, vel sexaginta leucis distaret; Bethulia autem Zabulonis solis octo milliariis ab Assyriorum exercitu abesset; credibile ne est ad tam enormem distantiam, quinquaginta leucarum videlicet quod vinctum Achiorem miserit Holofernes? de Bethulia ergo Zabulonis loquitur Auctor Judithicæ Historiæ; quod confirmatur ex iis, quæ tradit in Cap. 7. nempe postera die, qua Achior vinctus Bethuliam perductus est, moviisse castra Holofernem contra Bethuliam illam, ad quam miserat Achiorem = venerunt autem, legimus ibi, per crepidinem montis usque ad apicem, qui respicit super Dothaim, a loco qui dicitur Belma, usque ad Chelmon, qui est contra Esdrelon; filii autem Israel (Bethulienses nimirum) ut viderunt multitudinem &c. =. Belma una distabat leuca a Bethulia Zabulonis, & media leuca distabat a Dothain evidentiora ne proferri queunt argumenta, ut ostendamus Bethuliam ab Historico intentam, illam fuisse Zabulonis? quomodo ergo poterat ibidem nupsisse mulier de Tribu Simeonis, si tam evidenter hujuscemodi conjugia legi divinæ adversabantur? Nil dicamus de aquæductibus ab Holoferne intersectis, quibus aqua Bethulienſibus derivabatur; quasi a montis radicibus, ubi Holofernes commorabatur ad summitatem illius in Civitatem posset aqua perduci; Quis ad hujuscemodi argumenta non sibi suadeat vel nullam veritatem facti in Libro Judithæ contineri; vel saltem si qua sit, tot esse erroribus infectam, ut repugnet omnino eorum scriptorem Spiritus Sancti ductu fuisse adjutum? Hoc minime latuit antiquiores Ecclesiæ Patres, qui propterea inter apocryphas scripturas hujuscemodi Librum amandarunt; ita se

perarent; sed suprema rerum potestas erat penes Sacerdotes, quippe tunc temporis summus Sacerdos Eliachim, Judaicam Rempublicam administrabat, non solum in civilibus, sed etiam in rebus bellicis, ut apparet ex *cap.* IV. v. 5. 6. 7. „ Sacerdos „ etiam Eliachim scripsit ad universos qui „ erant contra Esdrelon, quæ est contra „ faciem campi magni juxta Dothain & „ universos per quos transitus esse poterat „ ad Hierusalem, & illic custodirent ubi „ angustum iter esse poterat inter montes: „ & fecerunt filii Israel secundum quod con„ stituerat eis Sacerdos Dei Eliachim. „ Signum est ergo nullum fuisse Regem, qui tunc Judæis imperaret. Quorsum enim otiante ac dormiente Rege, summus Sacerdos sacris deditus mysteriis, bellicas res curasset in tam urgente ac imminente periculo.

VIII. *Accedit* quod cap. VII. & VIII. non alii censeantur populi militumque ad Bethuliæ defensionem expeditorum Duces, quam *Osias* & *Charmi* Sacerdotes; ubinam ergo tunc temporis Rex agebat? Et cap. XIII. v. 23. Osias dicitur *Princeps populi Israel*, quod videlicet in regione Bethuliæ supremam haberet delegatam auctoritatem a summo Pontifice Eliachim. *Denique* extincto Holoferne, omnes Judæorum Principes & Seniores cum Joachimo venerunt in Bethuliam ut viderent Judith, eique congratularentur. Quid? Solusne Rex alicubi latitans, siluisset in tanto triumpho? Ex his manifestum fit, cum ista gererentur, nullum Judæis Regem præfuisse. At a soluta Manassis captivitate, ejusque in regnum restitutione, usque ad captivitatem Babylonicam, semper fuerunt Reges in Judæa, ut videre est tum IV. Reg. cap. ult. post *Manassem* enim imperavit *Amon*, eo mortuo successit *Josias*, hunc sequutus est *Joachas*, quo in Ægyptum aducto regnavit *Joachim*, qui cum in Babylonem captivus fuisset deductus, *Sedecias* illius patruus ei suffectus fuit, quo imperante, contigit universalis Judæorum a Babyloniis exterminatio & in captivitatem abductio. Non potuit ergo tempore Manassis, nec sequentibus, dum rebus Judaicis præerant Reges, hæc historia contigisse; ac subinde nec ante captivitatem Babylonicam, Hanc rationem urgebit & confirmabit sequens responsio.

Ut

gestorum narratio historica, ab approbatione, seu commendatione eorumdem factorum; ea, quæ facta sunt Sacer Historicus narrat, laudes pariter, & encomia a Bethulienſibus Civibus in Judithæ victoria, egregiæ illi fœminæ data recensęt, quin tamen vel unicum verbum de merito, vel demerito istius mulieris nobis exhibeat; verax ergo historicus est sive bene, sive male se gesserit cum Holoferne Juditha. Minime nescimus non omnia hujus fœminæ gesta respectu Holofernis ab aliquibus Catholicis commendari. Nos tamen, ita Deo disponente, ac inspirante, omnia fuisse peracta opinamur, ut nil in Deum ipsum commiserit ea Sancta Mulier existimemus; huc ex verbis perducimur, quæ in Cap. 9. Libri Judith, & in Cap. 10. ℣. 4. leguntur, quibus Deum ipsum splendorem, & pulchritudinem contulisse monemur, quia omnis fœminæ illustris compositio non ex libidine, sed ex virtute pendebat.

Laudat equidem Sancta Judith Cap. 9. Dei beneficentiam, qua Simeoni patri suo fortitudinem dedit, ut Dinæ stuprum vindicaret, minime tamen circumstantias, & modum, quibus vindictam exercuit commendavit, hæc etenim non ex Dei voluntate, sed ex Simeonis arbitrio injuste facta sunt; ita benedicere possumus Deum beneficentiam suam in Ægyptiacas exercentem obstetrices, quamquam eamdem in eas propter mendacia effudisse non sit credendus.

Quod autem Gigantum, & Titanum habeatur commemoratio in Lib. Judith, hoc ex Interpretibus, non ex Sacro Auctore est agnoscendum; quemadmodum & in Libro Jobi *Plejadis*, *Hyadum*, *Orioni*, *Arcturi*, aliaque græcæ profecto originis leguntur nomina, quæ apud Hebræos non habebantur; sed quia, ut advertunt S. Hieronymus in Caput 5. Amos, & S. Gregorius Lib. 9. Moral. Cap. 6., cum non bene, nec plene intelligimus aliqua Hebræorum vocabula, necesse est, ut iis utamur vocibus, quas usu didicimus, & quibus alienæ linguæ conceptus significatur; cum per *Titanes* ergo viri fortissimi intelligantur, cumque eos significare voluerint Hebræi canticum laudis præcinentes Judithæ 16. non fabulæ ibidem narrantur, sed fabulosis nominibus verus sensus exprimitur. Ita se gessisse comperimus Vulgatum nostrum in versione illius Hebraicæ vocis תנים *Tannium* Thren. 4. ℣. 3.; quæ dracones, vel inania, & terrifica monstra significat, ponendo vocem *lamias*, quæ apud nos idem omnino, ac laudata vox hebraica sonat.

Nullum pariter in re geographica erratum in Libro Judithæ esse commissum facile ostendi potest. Arphasad enim cum plures subjugasset imperio suo gentes, Assyriis tandem bellum deferre constituit; transvecto propterea cum potenti exercitu Tigri, in campo Ragau inter Euphratem, & Tigrim prope Jadason; in quo duo illa flumina colliguntur in unum a Nabuchodonosore profligato Arphasadi exercitu, ipse interemptus fuit. Ubi nam est impossibilitas invicem conciliandi ea loca, quæ belli inter Arphasadum. & Nabuchodonosorem fuere theatrum?

Multo minus ab altera movemur difficultate, quam ex nuptiis Judithæ cum homine diversæ Tribus, Zabulonis nimirum proponunt, ea quippe facillime solvitur, si quæ de lege illa prohibente conjugia hominum cum mulieribus diversæ Tribus, & vicissim, ad finem additionum nostrarum pro Libro Numer. superius tradidimus, attendantur; solæ quippe mulieres hæreditatem patris consecutæ in propria Tribu nubere tenebantur non aliæ. Qua vero de causa si Judithæ maritus de Tribu Simeonis descendebat Civitatem Zabulonis colere potuerit, tradit Frassenus ad initium hujus 7. capitis. Non igitur necessarium videtur, ut Juditham in Bethulia Simeonis commorantem supponamus cum evidenter nimis ex ejus historia de Zabulonis Bethulia locutum fuisse sacrum Auctorem suadeamur.

Quæ tandem de aquæductibus ab Holoferne interciſis subjungunt Adversarii nostri risum movent, erat in monte profecto condita Bethuliæ Civitas, ad cujus radices Assyriorum exercitus Castra posuerat; nunquid tamen Holofernes non poterat ab australi parte Civitatis eo usque conscendere ubi fontes ex eminentiori jugo collis in civitatem diffluebant? Nulla ergo contradictio, nullumve inconveniens in Judithæ Libro cum reperiatur, perperam Hetherodoxi ejus veracitatem, atque divinitatem nituntur convellere.

Quantum autem ad SS. Patres attinet non diffitemur ab eorum nonnullis hunc Librum ex divinarum scripturarum Cathalogo expunctum fuisse; isti tamen in suo Canone eos solummodo referebant, qui in Hebræorum Canone erant adscripti. Catholica tamen Ecclesia Librum hunc veluti divinum semper agnovit; in eisdem quippe canonibus ac Tobiæ Liber, de quo in Nota (20) reperitur adnumeratus, quinimmo, & magna Nicæna Synodus inter scripturas Sanctas recensuit, ut testatur S. Hieronymus Præfat. in Librum Judith. (W)

Ut hujus rationis vim elevent Adversarii, *respondent* cum Saliano. [a] Idcirco nullam fieri mentionem Manassis Regis in toto bello Holofernis, tum quia bellum Hierosolymam usque, ubi Rex erat, non pervenerat: tum quia postquam restitutus fuit Regno, vacavit impense pœnitentiæ & Religioni, & ideo rem belli sicut & Reipublicæ commisit summo Pontifici, viro industrio; qui tempore captivitatis suæ, Genti Judaicæ præfuerat, & propterea se bello isti noluit immiscere; conscius promissi Merodacho, quem *Nabuchodonosorum* dictum putant, facti cum restituta libertate ad sua redire permissus est, videlicet se nusquam adversus eum pugnaturum. Quamobrem hunc belli apparatum permisit Pontifici, ut solet in ancipitibus eventis factitari a Principibus, qui interdum permittunt aliqua fieri a suis subditis, quæ si prospere cedant, approbent; sin secus, graviter reprehendant; seque insciis suscepta fuisse serio profiteantur.

[a] *in Epitome Annalium ad ann. mundi* 3345.

Verum, quam levis ac futilis sit hæc elusio apparet *primo* ex præfato IV. cap. ubi legimus: *Audientes hæc filii Israel, qui habitabant in terra Juda, timuerunt valde a facie ejus.* (Holofernis) *Tremor & horror invasit sensus eorum, ne hoc faceret Jerusalem & Templo Domini, quod fecerat cæteris civitatibus, & templis earum.* Pervenerat itaque bellum istud Hierosolymam usque, & per universam Judæam timor ex illo conceptus, omnium mentes occupaverat. *Secundo* summus Sacerdos Eliachim tunc Hierosolymis agebat, ut apparet ex cap. XV. v. 9. Itaque tam Regem quam ipsum Pontificem percellere potuit & ad bellicum apparatum colligendum stimulare; neque enim, ut fingunt, deses & ignavus fuit Manasses, sed vir acri ingenio, & quidem postquam restitutus est, circumcinxit Hierosolymam muris, aut potius muros ex parte dissipatos reconcinnavit, ut habetur II. Paralip. cap. XXX. v. 14. *Post hæc ædificavit murum extra civitatem David, ad occidentem Gihon in convalle, ab introitu portæ piscium per circuitum, usque ad Ophel, & exaltavit illum vehementer, constituitque Principes exercitus, in cunctis civitatibus Juda munitis.* Hæcne sunt otiantis & soli orationi vacantis Principis, ac Reipublicæ curam detrectantis indicia? Qui vacans orationi & pœnitentiæ, istiusmodi Rempublicam absque hoste curabat, ad præsentiam Holofernis deses torperet, officiumque suum summo Pontifice permitteret?

At, *inquies*, noluit esse promissi Merodacho facti immemor. *Verum*, quæro undenam promissum istud factum esse proferes, nuspiam enim in Scriptura, nec apud Josephum legitur. *Accedit* quod Rex nihil spondere potuit, quod & Religioni & Reipublicæ, suoque muneri regio debite perfungendo, præjudicium esset. Unde quantumvis ista spopondisset, nullius obligationis essent, & rationis. Forte, *inquies*, tunc temporis ægrotabat, sicque necessum habuit belli negotium alteri committere. *At* conjectura ista omnino commentitia est. *Deinde*, nulli ne erant ex Principibus exercitus, quos in cunctis civitatibus Juda constituerat Manasses, aptiores ad rem bellicam peragendam, ipso summo Pontifice soli Dei cultui ac Religioni, cum reges imperarent dedito & assueto. Confirmabit ista sequens ratio.

IX. *Probatur secundo*, quæ narrantur in Judithæ libro, evenerunt eo tempore quo *Eliachim* qui cap. XV. v. 9. etiam dicitur *Joachim*, erat summus Sacerdos: hic autem soluta captivitate summo Pontificatu fungebatur. Nullus enim hoc nomine fuit Pontifex nisi *Joachim* filius *Josue* seu *Jesu*, ut constat ex lib. Esdræ cap. XII. v. 10. ubi referuntur nomina *Sacerdotum & Levitarum*, qui e Babylone, captivitate soluta, Hierosolymam ascenderant cum *Zorobabele* duce & *Josue* summo Pontifice; statim vero recensentur ipsiusmet *Josue* successores: *Josue autem genuit Joachim, & Joachim genuit Eliasib, &c.* Præterea *hic Josue* seu *Jesus*, una cum *Zorobabele* post captivitatem dicitur Templum restaurasse, Ecclesiast. cap. XLIX. v. 13. *Quomodo amplificabimus Zorobabel & Jesum filium Josedec qui in diebus suis ædificaverunt domum, & exaltaverunt Templum sanctum Domino.* Templum autem restauratum est anno VI. Darii, ut constat ex lib. I. Esdræ cap. VI. v. 15. quo tempore nondum Sacerdotio fungebatur Joachim; quia adhuc in vivis erat pater ejus Josue. Convincitur ergo post solutam captivitatem, *Joachim* seu *Eliachim* summo Sacerdotio functum, fuisse, & ejus ætate Hierosolymam & Templum Domini, quorum in hac historia fit mentio, extitisse.

Reponunt aliqui, Eliachim, cujus hic fit mentio, non alium esse ab eo qui memoratur IV. Reg. v. 37. & Isaiæ cap. XXII. At istud nego; Ille enim *Eliachim* non idem fuit cum eo qui nominatur in libro Judith; siquidem hic erat Summus Pontifex, ille vero neutiquam, sed unus e Sacerdotum Principibus, cui demandata erat templi custodia, ut constat ex præfato textu Regum, v. 37. *Venit Eliachim filius Elchiæ præpositus domus, &c.*

Probatur insuper ex verbis Achioris Idumæorum Principis, ad Holophernem scisciantem, Quis esset populus Israeliticus: nam postquam dixisset Deum illius Gentis nihil in ea inultum pati, subjungit: *Nam ante hos annos cum recessissent a via quam dederat illis Deus, ut ambularent in ea, exterminati sunt præliis a multis nationibus, & plurimi eorum captivi abducti sunt in terram non suam. Nuper autem reversi ad Dominum Deum suum ex dispersione, qua dispersi fuerant, adunati sunt, & ascenderunt montana hæc omnia, & iterum possident Hierusalem, &c.* Quibus constat eum loqui de captivitate Babylonica: Etenim hæc verba; *Iterum possident Hierusalem*, apertissime supponunt, eos ab illa prius fuisse depulsos: *At* nullo alio captivitatis tempore, Judæi pulsi fuerunt Hierosolymis: Licet enim temporibus Manasses, depopulata fuerit Judæa ab Assyriorum Ducibus; quamvis temporibus *Ezechiæ* & *Achab*, obsessa fue-

rit

rit Hierusalem *e Sennacherib*, non tamen fuit capta; nec unquam nisi Babylonicæ captivitatis tempore, ab ea Judæi pulsi sunt. Ergo constat Achiorem loqui de captivitate Babylonica. Post eam itaque solutam res in Judithæ historia memoratæ, contigerunt.

Confirmantur ista ex textu Græco ubi v. 16. cap. V. post illa verba: *Captivi ducti sunt in terram non propriam*; hæc adiiciuntur quæ desiderantur in Vulgata: *καὶ ἐναὸς τῦ θεῦ ἐυτῶν ἐγνύσθη εἰς ἔδαφος*. *Et templum Dei eorum factum est in pavimentum*, id est, solo æquatum est ac omnino eversum: *At* ante captivitatem non legitur Hierosolymitanum Templum dirutum fuisse: Oportet ergo post captivitatem ista contigerint.

Tandem cap. XVI. v. 30. hujus libri de Juditha legimus: *In omni spatio vitæ ejus non fuit qui pertubaret Israel, & post mortem ejus annis multis*. Itaque post Judithæ obitum, sicut & reliquo ejus vitæ post hanc victoriam tempore, Israelitæ summa pace potiti sunt. Cum autem Juditha cap. XVI. v. 28. referatur vixisse *centum quinque annis*; dum vero Holophernis castra petiit, esse adhuc junior, utpote *eleganti aspectu nimis* cap. VIII. v. 7. & adhuc *puella* cap. XII. v. 12. Credibile est eam illo tempore natam circiter *viginti* annos; non vero *quadraginta*, ut existimat Bellarminus. Quis enim mulierem conjugatam quadragenariam existimet formosissimam & puellam. Si autem *a centum quinque*, demas *viginti annos*, restabunt *octoginta quinque*, quibus si adiicias annos multos quietis & pacis, quibus Israelitæ post ejus obitum potiti sunt, proculdubio conflabitur ad minus quadragenarius supra centenarium numerus. Constat autem a Manassis tempore, tam diuturnam Judæis pacatissimam a bello tranquillitatem non fuisse. Manasses enim regnavit annos LV. quorum potissimam partem, cum in captivitate egerit; ad summum vixit circiter XX. annis post restitutam libertatem, quibus si adiicias duos annos regni Ammon filii ejus, erunt viginti duo; his si addas XXXI. quibus post Ammon regnavit Josias, erunt LIII. His autem adjecti tres menses, quibus Joachaz Josiæ filius regnavit in Jerusalem, quem amovit Rex Ægypti, cum venisset in Jerusalem, & condemnavit terram centum talentis argenti, & talento auri [a]; videbis a Manasse ad hujus captivi Regis tempora, plurimos desiderari annos ex illis, quos in pacatissima tranquillitate Judæi a reportata de Holopherne & Assyriis per Juditham celebri victoria, egerunt. Non potuit ergo hæc historia temporibus Manassis, & ante captivitatem eveniisse; sed necessum est, ut contigerit post restitutam Judæis libertatem, quo tempore ad Antiochum illustrem, & usque ad ætatem Machabæorum, Judæa diutissime pacatissima fuit, & immunis ab infestante Adversariorum occursu.

[a] *lib.* IV. *Reg. cap.* 23. *v.* 33.

X. Adversus ita firmatam sententiam, plurima obiiciunt adversarii: Primo quidem historia illa contigit paulo post expugnatum Arphaxadum Regem Medorum, qui potentissimam civitatem ædificaverat, nomine *Ecbatanis*, a Nabuchodonosoro Rege Assyriorum, ut apparet ex initio hujus libri. *At* ille victus est & extinctus, pridem ante captivitatem Babylonicam. Enimvero qui ædificavit *Ecbatana*, fuit *Diocles*, quintus Medorum Rex, teste Herodoto [b] & Eusebio [c]; hic autem captivitatem illam Israelitarum diutissime antecessit, subindeque hæc historia non est illa captivitate posterior.

[b] *lib.* I. [c] *in Chronic.*

Respondeo primo non esse compertum quisnam fuerit *Arphaxadus* ille, *Ecbatanæ civitatis* Conditor; an idem cum *Diocle*, an vero aliquis *Diocle* posterior. *Deinde* omnino incertum est, quis primus *Ecbatanam* construxerit. Nam Diodorus [d] ante Babylonem eam structam esse tradit, & amplificatam *a Semiramide*, quæ præclara in ea palatia excitavit. Plinius [e] scribit: *Ecbatanam caput Mediæ Seleucus Rex condidit*. Addit Diodorus [f] eam fuisse constructam ab *Arbace*, a quo quintus fuit Diocles. In hac ergo nobilium Historiographorum discrepantia, vix aliquid certi statui potest, Nisi velimus *Ecbatanam*, vel *ab Arbace*, aut ab alio quodam vetustissimo conditam, sed aliquoties eversam, nunc *a Semiramide*, nunc *a Diocle*, nunc *a Seleuco*, nunc *ab Arphaxado*, illustratam ac restauratam. Nam quod ab aliquo amplificatum ac restauratum, vel magna ex parte auctum est, denuo ædificari dicitur; sic Genesis X. v. 10. de Nembrod, ait sacer textus; *Fuit autem principium regni ejus Babylon*, attamen post 2200. annos, gloriatur *Nabuchodonosor* se ædificasse *Babylonem* his verbis Danielis IV. v. 27. *Nonne hæc est Babylon magna, quam ego ædificavi in domum Regni*; scilicet quia hortos pensiles, & alia magnifica opera extruxit. Sic Genesis XLVII. v. 11. fit mentio *civitatis Rameſſes*, quæ postea Exod. I. dicitur ædificata, hoc est, ampliata a filiis Israel: Potuit ergo pari ratione Arphaxadus in Judithæ historia dici, *Conditor Ecbatanæ*, quod forte eam plurimis ædificiis auxerit. Cui expositioni favent LXX. Interpretes; non enim aiunt Arphaxadum *ædificasse Ecbatanam*, sed *ædificasse super*, vel *in Ecbatanis*. Sic Juvenalis [g] dixit: *Altera fiet cras domus atque eadem*. Ergo si eadem domus fit altera; *Ecbatana* restaurata, & magnifice aucta, eadem est & altera: recte itaque *Arphaxadus* dici potuit *ædificasse Ecbatanam*, tametsi olim extructa esset, quoniam illam novis ædificiis & muris reconcinnavit & amplificavit: quemadmodum Virgilius [h] ait: *Tunc Rex Evander Romanæ Conditor arcis*: tametsi *Romulus* ejusdem Conditor affirmetur, quod *Romam* tunc exiguam mire hic amplificaverit.

[d] *lib.* 2. [e] *lib.* 5. *cap.* 4. [f] *lib.* 2. *cap.* 7. [g] *Satyr.* 16. [h] 8. *Eneid.*

XI. *Opponunt secundo*, Nabuchodonosor ille, qui Holophernem cum ingenti exercitu in Judæam misit, regnabat in Ninive *cap.* I. At post captivitatem Babylonicam Ninive non extabat; everterat enim eam urbem

Nabuchodonoſor Rex Chaldæorum, primo anno regni ſui, ut affirmat Genebrardus in Chronico, & Propheta Nahum, qui tempore Ezechiæ vaticinatus eſt, prædicit everſionem Ninive brevi futuram. *Inſuper* nullus ex Perſarum Regibus, penes quos ſupremum erat Orbis imperium, poſt captivitatem, appellatus eſt *Nabuchodonoſor*. *Denique* Reges Perſarum non regnabant in Ninive; ſed in Suſis; ergo, &c.

Reſpondeo primo ad I. *Niniven* equidem prius deſtructam ac vaſtatam, ſed paulo poſt inſtauratam, eo quod nobiliſſima antiquiſſimaque eſſet civitas, quam idcirco Perſarum Reges reſtitui permiſerunt: ut a ſimili factum conſtat de Hieroſolyma, Babylonia, Antiochia, &c. Ad II. veriſimile mihi videri *Nabuchodonoſorem* hunc fuiſſe aliquem e Principibus & Præfectis Xerxis, genere *Chaldæum*, & forte nepotem, aut ſaltem cognatum *Nabuchodonoſoris Magni*, qui Judæos in Babylonem tranſtulit; ideoque nomen ejus uſurpavit; cui ob merita, robur & potentiam, Darius Hiſtaſpis pater Xerxis, regnum Ninive & Aſſyriorum ſub vectigali & tributo moderandum conceſſit. At hic videns Xerxem a Græcis cæſum, tributum negavit, ſeque Regem abſolutum inſtituit; ac ſenſim creſcens armis, viribus & gentibus, Arphaxadum Regem Mediæ vicit ac tenuit. *Additur* autem, *Qui regnabat in Ninive*. Ut ſecerneretur ab alio *Nabuchodonoſore Magno*, qui regnavit in Babylone, ideoque monarchiam à Ninive & Aſſyriis, ad Babylonem & Chaldæos tranſtulit.

XII. At *inquies*, *Nabuchodonoſoris* nomen, non eſt proprium Regibus Aſſyriis aut Perſicis, ſed Babylonicis: quemadmodum enim Medorum Reges ab *Arbace* regni inſtitutore, dicti ſunt *Arbacæ* ſeu *Arbacadi*: & inde *Arpacadi*: & *Albanorum* Reges, *Sylvii* a *Sylvio* Aſcanii filio, Æneæ nepote: & a *Julio* ac *Octavio*, reliqui Romanorum Imperatores dicti ſunt *Cæſares* & *Auguſti*: & *Ægypti Reges* primum *Pharaones*, deinde *Ptolemæi* a *Ptolomæo Lago*, e Gregario milite, inſigni Ægyptiorum Imperatore. Sic (*inquies*) qui Chaldæis præerant, dicti ſunt *Nabuchodonoſores* ab antiquo *Nabonaſſare*, ut obſervat Scaliger c. Itaque cum *Nabuchodonoſor* ille qui *Arphaxadum* vicit, non dicatur *Babyloniorum Rex*, ſed *Aſſyriorum*; indicium eſt eum non fuiſſe aliquem ex Nabuchodonoſoris magni Babylonici Imperatoris ſucceſſoribus: ſubindeque debuit ille hunc Nabuchodonoſorem præcedere, & conſequenter fuiſſe ſuperiorem captivitate Babylonica.

c *lib. 5. de emend. temp.*

Reſpondeo, gratis, ne dicam falſo, affirmari nomen *Nabuchodonoſoris* proprium eſſe Regibus Babylonicis. Enimvero ſive Beroſum, ſive Megaſthenem, ſive Joſephum, ſive Scripturam ſacram conſulamus, ex omnibus Nabuchodonoſoris ſucceſſoribus, nullus eſt qui eo nomine appelletur, ut appareat ex ſubjecto indice.

NABUCHODONOSORIS SUCCESSORES.

Ex Beroſo a.

a *apud Euſeb. lib. 9. de prep. Evan. cap. 40.*

Nabuchodonoſor regnavit	43. ann.
Evilmalurich.	2.
Nerigliſſar.	4.
Chabaeſſorach.	9. menſib.
Nabonnidus.	17.
Cyrus.	

Ex Megaſthene b.

b *apud Abidenum prolatum ibidem ab Euſeb. cap. 41.*

Nabuchodonoſor.
Evilmaluruch.
Nerigliſſar.
Chabaeſſorach.
Labaſſoaraſe.
Nabonnidochus.
Cyrus.

Plures referuntur Babyloniorum Reges in Ptolomæi Canone Mathematico, quos ſic ordine recenſet.

Nabonaſſar regnavit	14. ann.
Nadius.	2.
Chozirus & Porus.	5.
Ilulæus.	5.
Mardokempadus.	12.
Arcianus.	5.
Interregnum.	2.
Belithus.	2.
Apronadius.	6.
Rigebelus.	1.
Meſeſſimordach.	4.
Interregnum.	8.
Jeariedinus.	13.
Saoſducheus.	9.
Chiniladanus.	14.
Nabopolaſſar.	21. al. 25.
Nabopolaſſar.	43.
Huarodamus.	3.
Neregaſolaſar.	5.
Nabonadius.	32.
Cyrus.	9.

Ex Joſepho d.

d *lib. 10. Antiq. cap. 11. & 12.*

Nabuchodonoſor regnavit	43. ann.
Abilomarodach.	18.
Nigliſſar.	40.
Laboſordach.	9. menſib.
Baltazar vel Naboandel.	17.
Cyrus.	

Ex Scriptura ſacra.

Nabuchodonoſor.
Evilmerodach.
Baltazar.
Darius Medus.
Cyrus.

Vides itaque nullum ex Nabuchodonoſoris Succeſſoribus eodem nomine eſſe donatum. Cum ergo *Nabuchodonoſor ille*, cujus mentio fit in Judithæ hiſtoria, quique non Babyloniæ, ſed Ninive imperabat, intra ſeriem Succeſſorum Nabuchodonoſoris Magni non recenſeatur antequam Babylonicum regnum in Perſarum ditionem cederet, argumentum eſt eum diutiſſime poſt uſurpatum a Perſis Babylonicum imperium, auctoritatem & dignitatem regiam obtinuiſſe, modo ſcilicet ſupra a nobis expreſſo.

XIII. *Rogabis*, quis fuerit Arphaxadus Medorum Rex a Nabuchodonoſore victus.

Reſpondeo, mox a nobis obſervatum, Medorum Reges ſolito nominatos *Arbachas*, ſeu *Arbachados*, & inde *Arpachados*, ab *Arbace* primo Medorum Imperatore, ut notant Serarius, Tirinus & Celada. Hic autem cum ex infimo loco ad regni faſtigium evectus eſſet, prius nomen inflavit; non enim *Arcapadus*, ut cæteri, ſed *Arphaxadus* dici voluit: unde nomen iſtud non eſt proprium perſonæ, ſed commune dignitatis. Hinc coniectura eſt *Arphaxadum illum*, præfectum fuiſſe Medorum Satrapiæ, qui cum advertiſſet Xerxem adverſa fortuna contra Græcos pugnaſſe, & ejus exercitum fugatum, & auctoritatem imminutam; in ſpem imperii univerſalis elatus, non ſolum in ipſum Xerxem, ſed & in Nabuchodonoſorem Aſſyriorum Regem inſurgens, ab eo victus & occiſus eſt. Lubens tamen fateor in re tam obſcura & ambigua, vix quicquam certi poſſe definiri.

Ex his patebit facilis ſolutio ad ſingula Bellarmini argumenta, quæ in noſtram ſententiam militare videntur, nempe quod Holophernes, quaſi neſcius interrogaverit Achiorem quæ eſſet Gens Judaica, id autem, inquit Bellarminus, hauddubie ſciviſſet, ſi hæc hiſtoria contigiſſet poſt ſolutam captivitatem; quippe cum diutiſſime Judæi apud Aſſyrios & Chaldæos degerint. *At* hoc telum facile retorquetur: Enimvero ſi contigit ante captivitatem, quæ eſſet Judæorum Gens, ignorare non potuit: quippe Babylonius Rex legatos miſerat ad *Ezechiam* Judæorum Regem Manaſſis patrem; ſubindeque Judaica Gens Babyloniis tunc temporis non erat ignota: Oportuit ergo jam pridem Judæos e Chaldæa in ſuam patriam fuiſſe reverſos ante Judithæ hiſtoriam, alioqui Holophernes quinam eſſent Judæi, non fuiſſet neſcius. Cætera quæ obiicit, potius impugnant eorum ſententiam, qui exiſtimant Nabuchodonoſorem Arphaxadis expugnatorem, aliquem fuiſſe ex Perſarum Imperatoribus, præſertim Xerxem; quam noſtram, qui alium illum exiſtimamus. (23)

(23) Diverſitas ſententiarum circa tempus, quo Judithæ facinus accidiſſe controvertitur, nec leviter canonicitati, atque veracitati iſtiuſmodi Hiſtoriæ obeſſe poteſt, ut jam ſuperius tradidimus cum duplex præſto ſit tempus, quo contingere potuiſſet factum illud, quemadmodum Critici oſtendunt. Verum adeo in obſcuro adhuc vera hujus facti epocha recondita cernitur, ut vix quidquam ſpeciem veri præſeferens valeamus decernere. Quot quæſo pro tempore Babylonicam ſervitutem antevertente contendunt! Stant ab hac parte Magnus Petavius Lib. de temporum Doctr. 12. Cap. 26.; celeberrimus Annalium ſcriptor Jacobus Uſſerius, Calmetus in Prolegom. ad Librum Judith, Bellarminus Lib. I. de verbo Dei Cap. 12. Gretſerus in defenſione Bellarmini ad hunc locum, Serarius Proleg. 4. in Judith, & quæſt. 2., & 3. Melchior Canus de Locis Lib. II. cap. 6. Salmero in Epiſt. ad Tuccium, Bonfrerius tandem, Tirinus, Joannes Benedictus Chryſtophorus a Caſtro, Salianus, Genebrardus; Gordonus in Chronol. ad annum 3307. Antonius Vitrè in Tabulis Chronologiæ Sacræ, Calinus in ſuo Tractatu cui Titulus Italice *Trattenimento Iſtorico, e Cronologico ſulla ſerie dell' antico Teſtamento*, & tandem Franciſcus Maria Biacca Parmenſis in ſua Critica ad Calinum Lib. 2. Cap. 14. §. 5., aliique tandem quamplures, quos omittimus.

Auctores iſti in eo conſentiunt quod ante Jeroſolymorum everſionem, & Templi deſolationem per Nabuchodonoſorem Magnum, Judithæ celebre facinus contigerit, eſto in decernenda præciſa temporis ratione nequaquam conveniant, nec in præſignando Nabuchodonoſore, de quo in Libro Judith fit ſermo. Bellarminus quippe contendit Regem illum Aſſyriæ, a quo Holofernes ad gentes ſubjungandas deſtinatus eſt, fuiſſe Merodach Baladan, cui contradicit Petavius. Calinus in Manaſſis Regis Juda pueritia celebris Judithæ victoria, quod contigerit arbitratur; Petavius autem dum Manaſſes ille detinebatur in vinculis Babylone. Alii Saoſduchinum fuiſſe Nabuchodonoſorem Judithæ rentur; alii denique aliter opinantur.

Non minus inter ſe diſconvenire reperiuntur, qui ad tempus Captivitatem Babylonicam ſubſequens Bethuliæ liberationem reiiciunt; cujus profecto opinionis præter laudatos a Praſſeno ſub num. VII. hujus capitis, ſunt Natalis Alexander in Hiſtoriam veteris Teſtamenti ſextæ Mundi ætatis, diſſert. 7. Artic. 4. Propoſit. 2. Eſtius in Caput I. Judith. Joſephus de la Cerda Epiſcopus Pacenſis, aliique plures tam numero, quam diſciplina, nihilo ab Auctoribus alterius ſententiæ inferiores. Iſti pariter in præfiniendo vel Nabuchodonoſore, vel præciſo temporis curſu, quo contigit Holofernis interemptio, ab invicem diſcrepant. Alii etenim ſub Cambyſe, alii ſub Xerxe, alii denique ſub Artaxerxe Ocho hiſtoriam iſtam reponunt. Aſt animadvertunt nonnulli diu extitiſſe Judæos poſt redditam iis libertatem a Cyro, inermes prorſus, & numero paucos, adeo ut nec incurſionibus finitimorum hoſtium reſiſtere poſſent. Diu pariter extiterunt in Palæſtina priuſquam Templum iterum reſtitueretur, quod certe Cambyſis ætate nondum fuerat excitatum, neque Jeruſalem prorſus ædificari cœpit, atque ad Civitatis formam reſtitui, quam Nehemias anno 20. Artaxerxis Longimani in Judæam veniret; a ſoluta ergo captivitate ad annum iſtum, ejus non erat conditionis Hebræorum ſtatus, ut Holofernis exercitibus ſe opponere auderent.

His adjungi ſolet quod in Judithæ Hiſtoria legamus Joachimum Sacerdotem circumiiſſe totum Iſraelem, atque populos ad bellum excitaſſe; id fieri potuiſſe poſt captivitatem incredibile prorſus eſt, cum in Samaria, aliiſque Iſraelitarum Regionibus coloniæ Aſſyriorum habitarent eo temporis, ac deinde infenſiſſimi Judæorum hoſtes ſemper fuerint. Tandem ab Eſdra uſque ad Jacob longe major eſt generationum numerus, quam ab Juditha ad eumdem Patriarcham ut patet ex Lib. I. Eſdræ Cap. 7. & ex Cap. 8. Libri Judith; longe ergo vetuſtior extitit Juditha, quam Eſdra; unde quod ante Captivitatem Babylonicam mirabilis illa fœmina floruerit neceſſe eſt. Multo minus tempore Xerxis evenire potuiſſe Holofernis excidium videtur, quandoquidem ſub ejus filio Artaxerxe Longimano Eſdras aſcendit in Jeruſalem, adhuc in ſua jacentem ruina, cum ejuſdem Longimani anno 20. Nehemias diplomate obtento venerit eam ædificare.

Arta-

CAPUT OCTAVUM.

De Libro Eſther.

SUMMARIUM.

I. *Qualis fuerit Eſther, & unde oriunda.*
II. *De Auctore Libri ejus nomine inſcripti, variæ ſunt ſententiæ: veroſimilior tamen ea eſt, quæ illum* Mardochæo *adſcribit.*
III. *Non commentitiam, ut quidam fabulantur, ſed veram hiſtoriam enarrat.*
IV. *Eſtque revera ex integro Canonicus, etiam quantum ad ſex poſtrema capitula.*
V. *Quæ inverſo quidem ordine referuntur in Editione Latina: At cum aliis partibus non pugnant.*
VI. *Ut innoteſcat quis fuerit* Aſſuerus *ille* Eſtheræ *maritus, profertur Regum Perſarum ſeries ex hiſtoria ſacra & prophana.*
VII. *Triplex quidem de Aßuero illo capitalis eſt Auctorum ſententia: quidam enim* Xerxem: *nonnulli* Artaxerxem: *cæteri* Cyaxarum *Medorum Principem opinantur.*
VIII. *Verum his ſententiis rejectis, veroſimilior traditur, aſſerens* Eſtheris *maritum eſſe* Darium Hiſtaſpis filium.

I. EStheris nomine hic liber inſcribitur, quod illuſtris illius fœminæ hiſtoriam & aſſertam ejus opera Judæis libertatem & vitam complectatur: in eo ſiquidem narratur qualiter Deus per nobiliſſimam hanc fœminam, univerſam Judæorum Gentem, jamjam perituram ſervaverit, & Aman, qui excidium illius inſidioſe machinabatur, percuſſerit,

Erat autem *Eſther* oriunda ex ſtirpe Benjamin, & ex Regia Saulis familia, ut indicant hæc verba capitis II. v. 5. *Erat vir Judæus in Suſan, vocabulo* MARDOCHÆUS, *filius Jair filii Semei, filii Cis de ſtirpe Jemini.* Porro *Jemini* erat vir nobilis ex Tribu Benjamin: *Cis* autem fuit pater Saulis, cujus cognatus videtur eſſe Semei, ex Gera, fratre Cis, prognatus. Hic enim II. Reg. cap. XVI. v. 5. dicitur eſſe *de cognatione domus Saul*, qui Davidi fugienti filium Abſalon maledicebant, cuique pepercit David, eique hanc noxam condonavit, quod primus ſibi revertenti gratulabundus occurriſſet, ut legitur II. Regum XXIX. Itaque *Eſther*, Mardochæi neptis, ex regia Saulis familia erat prognata.

II. Non levis eſt inter ſacros Interpretes de Auctore huius libri contentio. Illum *Eſdræ* adſcribunt, Epiphanius, Auguſtinus & Iſidorus. At Euſebius [a] Eſdra recentiorem putat: Talmudiſtæ [b] fœtum hunc eſſe decernunt *Synagogæ magnæ:* Cæteri vero illius Auctorem faciunt *Mardochæum*; quibus præivit Clemens Alexandrinus; eaque ſen-

[a] *in Chronic.*
[b] *Baba Bathra 1. cap.*

Artaxerxes autem Longimanus creditur ab inſignibus Chronologis Eſtheris maritus, qua in hypoteſi falſitatis revincitur eorum aſſertum, qui defendunt duos Xerxis Proreges a ſuo Domino rebellaſſe, & alterum Mediæ Regnum, alterum Aſſyriorum imperium ſibi vindicaſſe, qui poſtea Nabuchodonoſor, & Arphaxad extiterint, de quibus in Libro Judith. Maritus ſiquidem Eſtheris Princeps fuit centum viginti ſeptem Provinciarum, ab India videlicet uſque Ethyopiam ut legimus in Cap. I. Libri Eſther. Non igitur veroſimile eſt, quod Aſſyriorum, & Medorum Regna perdiderit Xerxes Longimani Pater,

Hæc tamen omnia ejus non videntur roboris, ut ſententiam permutare compellant, facile quippe iis omnibus occurrere poſſunt, qui Judithæ facinus ad tempora poſt Xerxem perducunt; tunc ſiquidem temporis Templum in Jeruſalem jam erat extructum, ut patet ex Lib. I. Eſdræ Cap. 6. ℣. 15. anno quippe ſexto Darii Hiſtaſpis completa fuit ædificatio Templi; plures deinde annos vixit Darius antequam Xerxes filius ejus Thronum aſcenderet; quatuor anni imperii ſui tranſierunt, priuſquam apud Termopylas ingens ejus diſſiparetur a Leonida exercitus; pluſquam anni duodecim admittendi ſunt ab iſta Xerxis clade uſque ad expeditionem Holofernis in Palæſtinam, ut patet ex Cap. I. Libri Judith; anni igitur ferme ſexaginta ſex ab anno primo Cyri Regis uſque ad Holofernis interitum ad minus inde fluxerunt; Quis judicet quam increverint, & multiplicati ſint filii Iſrael in ſexaginta ſex annorum ſpatio, ſi quadraginta duo millia ſexcenti ſexaginta abſque ſervis, & ancillis eorum, qui erant ſeptem millia trecenti triginta ſeptem, aſcenderunt cum Zorobabele in Jeruſalem, & Judæam unuſquiſque in Civitatem ſuam, ut legimus Eſdræ 2. Cap. 7. ℣. 7. & 66. & Eſdræ 1. Cap. 2. ℣. 70. Anno autem Artaxerxis Longimani 20. aſcendit Nehemias ut Jeroſolymorum muros ædificaret, cæterum jam plura ejus Civitatis habitacula diu antea fuiſſe reſtituta non obſcure ex Libro Eſdræ ſecundo colligi poteſt: Jure propterea Auctor Libri Judith ſcribere potuit in Cap. 4., quod filii Iſrael timuerunt a facie Holofernis ne faceret Jeruſalem, & templo Domini, quod fecerat cæteris Civitatibus, & templis earum; Templum quippe tempore Xerxis, & magna Jeruſalem pars erat jam reſtituta; nec tam pauci erant filii Iſrael, ut quodammodo Holoferni reſiſtere non valerent.

Ex jam dictis facillime poteſt intelligi cur per univerſum Iſrael circumierit Sacerdos Eliachim, atque ad bellum pro Religionis cauſa excitare Hebræos potuerit; commorabantur jam iſti in Civitatibus ſuis, ut dictum eſt. Cuthæi autem, aliique Aſſyrii illuc poſt decem Tribuum deportationem miſſi paulatim defecerant, revertentibus Judæis e captivitate in Jeruſalem; ſolam deinde Samariam colonia illa Babyloniorum, aliaſque vicinas Civitates incolebat, & quidem cum reſiduis Iſraelitarum permixti erant; unde poſt captivitatem facilius quam tempore Manaſſis plures Iſraelitarum poterant in Samaria, aliiſque Civitatibus exiſtere.

Major autem generationum numeros ab Eſdra ad Jacobum, quam ab Juditha ad Ruben Jacobi filium nil facit ad rem, cum non omnes Judithæ progenitores, ſed aliqui ſolummodo in ejus Hiſtoriæ Capite 8. recenſeantur. Quod vero ſubjungitur de valitate imperii Arthaxerxis Longimani Eſtheris conjugis, reſolvi nullo negotio poteſt ſi maritum Eſtheris ſupponamus cum inſignibus Scriptoribus Darium Hiſtaſpis filium, cui profecto characteres omnes convenire reperiuntur, qui Aſſuero Eſtheris tribui ſolent; ſub Xerxe igitur Darii Hiſtaſpis ſucceſſore rebellio duorum pro Regum, quorum unus Nabuchodonoſor, alter Arphaxadus Judithæ fuerit, evenire utique potuit. (W)

ſententia nititur his verbis cap. IX. v. 20. *Scripſit itaque* MARDOCHÆUS *omnia hæc & literis comprehenſa miſit ad Judæos*. Et v. 23. *Suſceperuntque Judæi in ſolemnem ritum cuncta quæ eo tempore facere cœperant & quæ* MARDOCHÆUS *literis facienda mandaverat*. Et cap. XII. v. 4. *Sed &* MARDOCHÆUS *rei memoriam literis tradidit*. Addit Serarius, *Mardochæum & Eſtherem* operas ſuas ſimul ad libelli hujus ſcriptionem contuliſſe; idque colligit ex his LXX. Interpretum verbis, quæ extant cap. IX. *Et ſcripſerunt Eſther Regina, Aminadabi filia & Mardochæus Judæus, quæ fecerunt*. Favet etiam Vulgata Editio, ibidem v. 31. ubi Judæi dicuntur ſuſcepiſſe & obſervaſſe omnia, quæ ſervanda mandaverant *Mardochæus & Eſther*, nempe *Jejunia & clamores, & ſortium dies, & omnia quæ libri hujus qui vocatur* ESTHER, *hiſtoria continentur*. Quibus non obſcure ſignificatur hunc librum nomine ESTHERÆ inſcriptum, illud ipſum eſſe quod *a Mardochæo & Eſthera* ſcriptum eſt ad Judæos, qui in centum viginti ſeptem provinciis Regis Aſſueri verſabantur, ut haberent pacem, & ſuſciperent veritatem, obſervantes dies ſortium, & ſuo tempore cum gaudio celebrarent.

Cenſerem hunc librum habere quidem *Eſtherem & Mardochæum Scriptores*, quantum ad novem priora capita; cætera vero ſex, vel *a Synagoga magna*, vel ab eius *Senatorum aliquo* fuiſſe conſcripta: ſingula tamen *a Synagoga magna* probata. Cum enim tota hæc hiſtoria eo fine conſcripta videatur, maxime, ut feſti *Phurim* origo poſteris innoteſceret, ut apparet ex fine IX. capitis, & initio X. hauddubium eſt, quod ad hanc ſolemnitatem inſtituendam & propagandam ad poſteros, acceſſerit Synagogæ magnæ ſuffragium, cujus erat ſolemnitatum cauſam, ritus, & ſanctionem explicare.

III. Hic mirari ſubit, inquit Huetius [a], unde tanta Anabaptiſtas ac Lutheranos nonnullos animi levitas, ne dicam veſania inceſſerit, ut commentitiam hanc hiſtoriam fabulentur. Cum enim ſolemnia פורים *Phurim* Judæos religioſiſſime ſemper obſervaſſe conſtet ex II. *Machab. cap.* XV. *v.* 37. Joſepho [b] & Codice Theodoſiano, titulo *de Judæis*, eaque dicta ſint, non ſolum *dies Phurim*, ſed & *Amanæa & Mardochaica*, quis non plane ſtolidus aut vecors opinari poſſit ex figmento, vel ut Lutherani quidam loquuntur, ex Tragicomædia Religionem feſti hujus diei & Anniverſariam celebritatem profluxiſſe. *Accedit* quod hic liber, maxime quantum ad priora novem capita, in Hebræorum Canone temporibus Eſdræ edito conſtantiſſime locum habuit. Quamobrem cum cæteris Hebræis ſacris voluminibus a LXX. Interpretibus Græce donatum fuiſſe exiſtimat S. Hieronymus [c].

IV. Occurrit hic graviſſima difficultas, circa ſex poſteriora libri hujus capita, quæ in Hebraico exemplari deficiunt, reperiuntur vero in LXX. Interpretum Editionibus, atque fortaſſe hanc ob cauſam a Melithone, apud Euſebium [d], Athanaſio *in Synopſi:* & Gregorio Nazianzeno, e ſacro Canone hic liber expunctus eſt. Exiſtimat tamen Origenes [e] qui e XIV. capite nonnulla profert, hæc poſtrema capitula, etiam in Hebraico exemplari olim habita fuiſſe, atque inde excidiſſe. Bellarminus vero, duas coniicit fuiſſe libri Editiones Hebraicas; *priorem* breviorem, quæ ſupereſt; *poſteriorem* laxiorem & aliquot additamentis auctam, quæ interciderit quidem, ſed unde interpretatio Græca, quæ jam extat prodierit.

Ut ut eſt, conſtantiſſimum eſſe debet, illa capitula pro Canonicis genuiniſque Scripturis ſacris habenda eſſe: ſiquidem Concilium Tridentinum ubi ſacros omnes libros recenſuit, ſtatuit & declarat: *Ut hæc ipſa Vetus & Vulgata Editio, quæ longo tot ſæculorum uſu in ipſa Eccleſia probata eſt, in publicis lectionibus, diſputationibus, prædicationibus & expoſitionibus, pro authentica habeatur; & ut nemo illam quovis prætextu reiicere audeat, vel præſumat*. Ubi cenſet eam Scripturam pro Canonica haberi, quæ eſt antiquitus recepta, & publicis lectionibus probata: At talia ſunt illa poſtrema capitula; illa enim ſemper habuit vulgata Theodotionis ac LXX. Interpretum Editio, ut probat Origenes [f]: ea non raro citant, ex eiſque teſtimonia depromunt ſancti Patres, puta S. Chryſoſtomus [g], S. Auguſtinus [h], &c. Adde quod Eccleſia, feria II. poſt Dominicam II. Quadrageſimæ, lectionem publice decantet ex cap. XIII. Eſther: & Dominica XXII. poſt Pentecoſtem, decantato ſymbolo, ſubiicit orationem ex XIV. Hinc venia donandi Lyranus, Chartuſianus, Hugo Cardinalis, qui ante Concilium ſcribentes, hæc capitula a Canonicis ſemoverunt. At graviter culpandus eſt Sixtus Senenſis, qui poſt ſanctionem Concilii Tridentini ſcribens, cum dixiſſet [i] propter has appendicum lacinias, hinc inde quorundam Scriptorum temeritate inſertas, hunc librum quamvis Hebraicum, & Hebræis receptum, ſero admodum apud Chriſtianos Canonicam auctoritatem obtinuiſſe: Sic [k] ait: *Sex illa poſtrema capitula ab Eccleſia Catholica eadem tanquam aſcititia & Apocrypha negligit*. Quod quam falſo ac temerarie ſcriptum ſit, apparet ex ſtatim prolato de ejuſmodi capitulis Eccleſiæ judicio. (24) *Obii-*

[a] *pag.* 174.
[b] *lib.* 11. *Antiq. cap.* 6.
[c] *præfat. in hunc lib.*
[d] *lib.* 4. *hiſt. Eccleſ. cap.* 25.
[e] *Epiſt. ad Afric. & tom.* 2. *in Joan.*
[f] *Epiſt. ad Tulium Afric.*
[g] *homil.* 1. *ad popul. Antioch.*
[h] *Epiſt.* 199. *ad Ediciam.*
[i] *lib.* 1.
[k] *lib.* 8.

(24) Quamvis poſtrema ſeptem capita Libri Eſtheris inter aſcititias, & apocryphas ſcripturas nonnulli Catholicorum etiam rejecerint, antiquitus tamen, veluti genuina, & Sacra habita ſunt, ut patet non ſolum ex Auctoribus, quos refert Fraſſenus ſub numero 4. hujus Capitis 8. ſed inſuper ex SS. Cyrillo Cathech. 4. Epiphanio Lib. de Pond., & menſuris, Cap. 28. Joanne Damaſceno Lib. 4. de fide Cap. 18. Baſilio Lib. 2. contra Eunomium, Hilario Præfatione in Pſal. I. Auguſtino Lib. I. contra duas Pelagianorum Epiſt., in quo ex Capp. 13., & 14. Libri Eſtheris auctoritatem deſumit ad oſtendendam neceſſitatem & efficaciam divinæ gratiæ. Omittimus interim indices Sacrorum Librorum a Laodicæna Synodo, & Chartaginenſi III. confectos, atque ab Innocentio I., & Gelaſio, in quibus Eſtheris Liber eſt recenſitus; merito ergo Synodus Tridentina anathemate percuſſit quotquot hunc Li- [illegible] ſingulas non reciperent. (W)

Obiiciunt Adverſarii, non cohærere poſtrema illa capitula cum prioribus: nam II. cap. narrantur inſidiæ duorum Eunuchorum; narrantur pariter eædem cap. XI. & XII. ſed II. cap. dicuntur inſidiæ factæ anno VII. Aſſueri; nec memoratur aliquid pro eis detectis & revelatis, mercedis accepiſſe Mardochæum; in loco autem poſteriori dicuntur inſidiæ factæ anno II. Aſſueri: & additur, *Datis pro dilatione muneribus*.

V. *Reſpondeo primo*, ea ſeptem capitula poſtrema, non eſſe revera poſtrema, ſed quædam eorum pertinere ad initium libri, ut XI. & XII. quædam ad medium, ut XIII. XIV. X. & XVI. Quædam vero ad finem ut X. quod perſpicuum ſit tum ex Græcis Codicibus, ubi omnia ſuo ordine collata ſunt; tum ex annotatione ſancti Hieronymi in cap. X. Itaque illa verba cap. XI. *Anno* II. *regnante Artaxerxe*, non debent extendi, uſque ad narrationem inſidiarum, quæ contigerunt tantum anno VII. ſed ad ſomnium quod Mardochæus vidit, antequam Eſther ab Aſſuero duceretur.

Quantum autem ad munera pro delatione, nullatenus pugnant, quamvis enim ubi Rex juſſit ſibi legi Annales, nihil adhuc præmii excepiſſet Mardochæus, ut legimus cap. VI. illico tamen accepit, ut ibidem legitur, & ea compendioſe referuntur cap. XII. per illa verba: *Datis pro delatione muneribus. Accedit*, quod, ut ſupra notavimus, veroſimile ſit hunc librum bis Hebraice fuiſſe ſcriptum, ſemel brevius, uti jam Hebraice extat, ſecundo fuſius, indeque manaſſe translationem. Græcam poſteriorem quidem deperditam, *priorem* autem ſolam ad nos perveniſſe: *poſterior* extabat tempore Joſephi & Joſippi filii Gorionis, qui teſtantur ſeſe vertere in Græcum ſermonem, quæ ex Hebraico deprompſerant; uterque autem meminit *Epiſtolarum Artaxerxis* & *Eſtheræ*, quas habent illa poſtrema capitula.

Ut cæteræ obiici ſolitæ difficultates facilius diſſolvantur & evaneſcant, determinandum eſt quis fuerit Aſſuerus ille regnans ab India, uſque ad Ethiopiam ſuper centum viginti Provincias, cujus regni exordium fuit civitas *Suſan*, qui facto grandi convivio cunctis Principibus & pueris ſuis fortiſſimis Perſarum & Medorum inclytis, multo tempore, centum videlicet & octoginta diebus, repudiavit Reginam Vaſthi, quod ad ejus conſpectum & præſentiam vocata venire renuiſſet, duxitque in conjugem *Eſtherem*. Quod ut fiat planius, hic ſubiicienda eſt ac præmittenda Regum Perſarum Series ex hiſtoria tam ſacra quam prophana delineanda:

Ex Hiſtoria Prophana.

VI. *Cyrus* juxta Herodotum lib. 1. p. 88. regnavit XXIX. annis, juxta Cteſiam pag. 402. regnavit 30.

Cambyſes regnavit VII. annis & V. menſib. ſecundum Herodotum lib. 3. pag. 188. juxta vero Cteſiam XVIII.

Smerdes Magus ſecundum Herodotum regnavit VII. menſib. & totidem juxta Cteſiam qui eum appellat Sphendedatum.

Darius Hyſtaſpis filius regnavit XXXVI. an. ex Herodoto, & XXXI. ex Cteſia.

Xerxes regn. XX. ann. ei tamen plures attribuit Diodorus lib. 9.

Artaxerxes Longimanus XL. ann. juxta Diodorum ibid. & XLII. juxta Cteſiam pag. 650.

Xerxes ſecundus regnavit uno menſe & XV. dieb. juxta Cteſiam vel anno integro ſecundum Diodorum lib. 12. p. 120.

Sogdianus regnavit VII. menſ. juxta Diodorum vel tantum ſex cum XV. diebus ſecundum Cteſiam qui eum Secgudianum appellat.

Darius Nothus regnavit XIX. an. juxta Diodorum & XXIV. juxta Cteſiam qui eum nominat Ochum.

Artaxerxes Mnemon regnavit XLIII. ſecundum Diodorum lib. XV. pag. 400.

Artaxerxes Ochus regn. XXIII. ann. ex Diodoro.

Arces regn. CCC. ex eod. lib. XVIII. pag. 490.

Darius Codomanus ſex annis ſecundum Euſebium in Chronico.

Ex Scriptura Sacra.

Cyrus cujus fit mentio lib. 1. Eſdræ in tribus primis capitulis,

Aßuerus ibid. cap. IV. v. 6.

Artaxerxes ibid. v. 7.

Darius cap. VI. v. 1. & 8.

Artaxerxes alius cap. VIII. & lib. II. cap. II. alios Perſarum Reges ſequentes non memorat Eſdras, quoniam in hoc poſtremo Artaxerxe completa fuere ædificia reſtaurati Templi & civitatis Jeruſalem quæ deſcribenda ſuſceperat. Unde quemadmodum ſiluit Prædeceſſores, qui nullam in hac reſtauratione partem habuerant, ſic etiam omiſit ſequentes qui nihil quidquam ad hanc reſtaurationem contulerant.

VII. His ita prælibatis, determinandum eſt quis fuerit ille *Aßuerus Eſtheris conjux*, qua de re *triplex* potiſſimum eſt Chronologorum & Scripturæ ſacræ Interpretum capitalis ſententia. *Prima* Xerxem Darii Hyſtaſpis filium. *Secunda* Artaxerxem Longimanum. *Tertia* vero Cyaxarum Medorum Principem, hujus *Aſſueri* nomine deſignatum contendit. *Primam ſententiam* acerrime tuetur Scaliger, qui [a] ita conſtanter affirmat *Aßuerum* eſſe *Xerxem*, ut ſicut notat Petavius [b], pronuntiare non vereatur, *De eo dubitare poſſe, niſi qui nullo ingenio ſit: neque negare niſi malignum*. In animadverſionibus autem Euſebianis, [c] *plumbeos*, *aſinos*, *ceritos* eſſe vociferatur, qui alium Regem ſub hoc nomine hariolantur. Argumenta, quibus innititur, hæc fere ſunt. *Primum* appellatio ipſa. Nam *Aßuerus* Hebraice ita ſcribitur אחשורוש Græce ξέρξης qui eſt Xerxes. *Deinde* Xerxis uxor ab Herodoto [d] Ἀμιστρις, vel Ἀμιστις, quæ eſt חם אשר id eſt *Eſther*. Xerxes itaque anno tertio imperii ſui, omnes Perſidis & Mediæ proceres convivio excepit; cujus convivii cauſam liber Eſther non reddit; ſed ex VII. Herodoti non difficile eſt eam colligere: *Expeditionem in Græciam moliebatur, de qua, & omni ejus apparatu bellico, cum ad proceres imperii retuliſſet; mox eos ſplendidiſſimo illo epulo dierum* CLXXX. *proſecutus eſt*. Mox: *Statim igitur reverſo ex Græcia Xerxi adducitur Eſther menſe decimo; ſub finem ſeptimi anni Xerxis: duodecimo autem anno, tertio decimo menſis Adar, ſupplicium de Aman ſumitur.*

Verum hæc Scaligeri ſententia facili negotio profligatur: primo quia inde ſequeretur *Eſtherem* annoſam & jam ætate confectam, Aſſuero nupſiſſe, & eo tempore Mardochæum ejus avunculum, ad minus natum eſſe CLX. annos, nec conſequenter aptum ad obeunda munia, ad quæ a Rege Aſſuero fuerat aſſumptus. Enimvero Mardochæus unus erat ex illis Judæis, qui cum Jechonia Rege Juda in captivitatem Babylonicam fuerant abducti, ut conſtat ex his verbis Eſtheris II. v. 5. *Erat vir Judæus in Suſan civitate, vocabulo* MARDOCHÆUS, *filius Iair, filii Semei, filii Cis, de ſtirpe Jemini, qui translatus fuerat de Jeruſalem eo tempore, quo Jechoniam Regem Juda Nabuchodonoſor Rex Babylonis tranſtulerat: qui fuit nutritius filiæ fratris ſui Ediſſæ, quæ altero nomine vocabatur* ESTHER: *& utrumque parentem amiſerat: pulchraque nimis & decora facie*. Ex quibus aperte conſtat *Mardochæum* cum cæteris Iſraelitis, in captivitatem fuiſſe deductum, quo tempore, tametſi tantum X. annos natus ſupponatur, ſi adiicias LXX. annos captivitatis, cæteroſque quibus regnarunt Imperatores Perſarum a Cyro ad illum Xerxem, conflabuntur anni ad minus CL. quos exſolviſſe debuiſſet Mardochæus priuſquam Eſther Aſſuero nuberet. Idem de Eſthere dicendum, quæ tametſi ſupponatur in captivitate nata primis annis imperii Cyri, debuiſſet eſſe ſexagenaria antequam Xerxi nuberet, quæ certe longæva ætas non reſpondet his Scripturæ ſacræ verbis, quibus Eſther pulchra nimis & decora facie prædicatur. *Deinde* Scriptura ſacra & Eſtheris hiſtoria nobis exhibet Aſſuerum, vitæ delitiis & ampliſſimi regni gloria ingentibuſque divitiis affluentem, ac pacatiſſime fruentem. Xerxem vero repræſentant Hiſtoriographi, maxime Herodotus, [e] Diodorus, [f] Valerius Maximus, [g] &c. ut Principem continuis calamitatum bellorumque procellis jactatum. Vix enim thronum ſubierat, cum ipſi pugnandum fuit adverſus Ægyptios, qui a Dario patre ſuo defecerant. Deinde IV. annis ad expeditionem bellicam contra Græcos, terra marique impugnandos inſumptis, cum duobus ad minus Equeſtrium peditumque armatorum millionibus, ſi quæ Herodoto fides, & ducentis militaribus navibus Græcos adorſus, poſt varios belli eventus tandem victus ac profligatus, in patriam remeavit. Quæ certe cum pacatiſſimo Aſſueri imperio neutiquam poſſunt concordare.

Denique, (inquit Petavius) pridem ante expeditionem in Græciam, Ameſtris Xerxi nupſerat: ut ex Herodoto, & Cteſia liquet. Cteſias enim refert Xerxem Ameſtrin Onophæ filiam duxiſſe, e qua filium ſuſcepit Dariæum; & poſt biennium, Hyſtaſpen; tum Artaxerxem. Dariæus ante expeditionem natus eſt annis aliquot. Siquidem auctor eſt Herodotus, [h] Xerxem, poſt cladem acceptam in Græcia, Maſiſtæ filiam Dariæo filio ſuo deſpondiſſe, cum Sardibus adhuc eſſet; quo victus ſe receperat, antequam rediret in Perſidem. Olim igitur Ameſtrim uxorem duxerat: quod & Herodoti narratio omnis [i] certiſſime demonſtrat. Sed & [k] ubi apparatus belli deſcribitur, & copiarum duces ſinguli percenſentur, Perſis præfuiſſe dicit Otanem patrem Ameſtris, quæ Xerxis erat uxor. His accedit quod quæ de Ameſtri iidem illi Scriptores referunt nullo modo in Eſtherem convenire poſſent. Nam, ut obſervat Petavius, illius pater Otanes ab Herodoto, & Cteſia Onophas dicitur; qui & ante expeditionem honoratiſſimus fuit; utpote quem Perſarum agminis ducem Xerxes conſtituit. Atqui Pater Eſtheris non ſolum Judæus fuit, ſed etiam diu ut apparet, ante mortuus. In adoptivum porro patrem Mardochæum nihilo magis iſta competunt.

Ad hæc Eſtherem ſanctiſſimam, & modeſtiſſimam fœminam fuiſſe ejus hiſtoria teſtatur. At Ameſtris impotens, & crudelis fuit; cujus barbarum, & immane facinus narrat Herodotus in Maſiſtis conjugem editum: quam cum a Xerxe deditam in poteſtatem accepiſſet, mamillas ei abſcidit, & eas canibus objecit: tum naſo, auribus & labiis & lingua mutilatam domum remiſit. Hæccine quæſo ad Eſtherem pertinere poſſunt? Quod judicium in iſtis Chronologis fuit, qui leviſſima ſimilitudine nominis inducti contra & hiſtoriam ipſam, & communem ſenſum tam fœda, & abſurda commiſerunt. Ita Petavius & quidem appoſite.

At felicius ipſe non videtur auguratus cum Bellarmino [l] ſentiens maritum Eſtheris non alium fuiſſe quam *Artaxerxem* qui dictus

a *lib. de emendat. temp. pag.* 555. & 559.
b *lib.* 12. *de doctr. temp.*
c *pag.* 101.
d *pag.* 559.
e *lib.* 7. & 8.
f *lib.* 11.
g *lib.* 4.
h *lib.* 9. *pag.* 630.
i *in lib.* 9. *pag.* 631.
k *lib.* 7.
l *lib.* 1. *de verbo Dei cap.* 7.

dictus est *Longimanus* Xerxis filius: quæ etiam sententia fuit Josephi. a Hæc vero opinio eodem argumento convellitur quo præcedens. Cum enim Mardochæus unus fuerit ex captivis e Judæa in Babylonem traductis, si maritus Esther fuerit ipse Artaxerxes Longimanus, consequens erit eum natum circiter 181. ann. dum Esther nupsit Assuero; qua certe ætate nec potuisset obire munia sibi in regali curia injuncta, nec in Amani vices & sortem, nempe administrationem totius imperii Persici substitui, uti factum legimus post extinctum & supplicio affectum Amanum: maxime cum ille diutissime vixerit post Davidem, qui de hominibus suorum temporum diserte pronuntiaverat, si in potentatibus octoginta anni, & amplius eorum labor & dolor.

a *lib.* 11. *cap.* 6.

Reponit Petavius non Mardochæum ipsum, sed ejus proavum Cis in captivitatem fuisse deportatum, ita ut hæc vocabula capitis 2. v. 6. *qui translatus fuerat de Jerusalem eo tempore quo Jechoniam regem Juda Nabuchodonosor Rex Babylonis transtulerat*, non referantur ad Mardochæum, sed ad ejus proavum Cis, Verum hæc elusio præcluditur ex cap. XI. v. 2. ubi expresse Mardochæus dicitur unus ex iis qui translati fuerant cum Jechonia Rege Juda, sic enim legimus: *Anno secundo, regnante Artaxerxe maximo, prima die mensis Nisan, vidit somnium Mardochæus filius Jairi, filii Semei, filii Cis, de tribu Benjamin, homo Judæus, qui habitabat in urbe Susis, vir magnus & inter primos aulæ regiæ. Erat autem de eo numero captivorum; quos transtulerat Nabuchodonosor Rex Babylonis de Jerusalem cum Jechonia Rege Juda.* Ex quibus apparet eum fuisse translatum cujus somnium statim recœnsetur. Is vero qui mysticum somnium fecit, non fuit Cis sed Mardochæus ipse, subindeque unus erat ex traductis in captivitatem temporibus Jechoniæ.

Tertia pariter sententia duabus præcedentibus mihi non videtur probabilior, *Primo* quia maritus Estheris & Persa & Persarum Rex diserte vocatur cap. ult. v. 11. his verbis *Aman filius Amadathi, & animo & gente Macedo, alienusque a Persarum sanguine, & pietatem nostram sua crudelitate commaculans peregrinus a nobis susceptus est, &c.* Quibus verbis Estheris maritus Amanum pronuntians alienum a Persarum sanguine & peregrinum, non obscure se Persam esse demonstrat. Enim vero qua ratione in Amanum ut peregrinum & alienum a Persarum sanguine potuisset invehi si ipsemet a Persico sanguine non esset oriundus. Sic enim per suum proprium latus Amanum confixisset, eumque contumeliis vexasset quæ in proprium caput redundarent. *Secundo* maritus Esther regnabat ab India usque ad Ethiopiam super centum viginti septem provincias: nusquam autem Medi antequam Cyrus Monarchiam iniisset, tam amplum imperium possederunt; quidquid reclament aliqui ex Xenophonte b tantum enim abest ut Ciaxarum dominatum fuisse Assyriis Bactriis Hircaniis & Indis narret ibidem Xenophon: quinimo *pag.* 22. refert alios ex his populis Ciaxari & Medorum hostes, alios vero, ut Crœsum Lydorum Regem & Regem Capadocum nec non & Paphlagones, & Indos ab eo deprecatos, ut in bello adversus Assyriorum Regem universale Orientis imperium ambientem suppetias ferrent. *Tertio* Assuerus qui Estherem duxit conjugem Susis Regiam suam habebat: At inquit Bellarminus supra citatus, Susa non erat Medorum Regia, sed Persarum, ut scribunt Solinus c Diodorus d & Plutarchus. e Neque his repugnat Justinus f & Q. Curtius g qui Regiam Persarum scribunt fuisse Persepolim. Nam ut refert Strabo h & Persepolis & Susa Regiæ Urbes Persarum erant. Sed Persepolis ideo regia dicebatur, quod apud eam gazæ & sepulchra Regum essent; Susis vero quod in ea Reges ipsi morarentur. Susis autem sedem suam Cyrus constituit, quod cum ea civitas sita esset in finibus Assyriæ Persidis, & Mediæ, commodissime poterat inde universum imperium defendi, & regi. Non igitur Assuerus maritus Esther fuit Ciaxarus, aut Medorum Rex aliquis.

c *Cap.* 38.
d *lib.* 11.
e *in Artaxerxe.*
f *lib.* 1.
g *lib.* 4.
h *lib.* 15.

His accedit, quod hujus sententiæ Assertores velint cum Xenophonte, Cyaxarum hunc fuisse, non illum qui ab omnibus historicis, maxime Herodoto & aliis apud Eusebium i dicitur Astyagis pater; sed alterum hujus Astyagis filium. Verum hunc Cyaxarum fictitium esse, apparet ex iisdem historicis, qui cum Herodoto, Astyagem aut Apandam (ut cum appellat Ctesias apud Diodorum k) ultimum Medorum regem fuisse asserunt. Quo autem argumento suadebunt minorem fidem habendam esse his auctoribus quam uni Xenophonti, de quo Cicero scribit ad Quintum fratrem *Cyrus a Xenophonte, non ad historiæ fidem scriptus, sed ad effigiem justi imperii.*

i *in Chronic. lib.* 1. *pag.* 24. *& seq.*

k *lib.* 2.

VIII. Verosimilius itaque dicendum arbitror, Assuerum Estheris conjugem fuisse Darium Hystaspis filium, in eum siquidem præclare concordant quæ de illo Assuero in Estheris historia narrantur. *Primo* quidem, Assuerus ille refertur solemne fecisse convivium & præfuisse centum viginti septem provinciis. Idem autem de Dario Hystaspis filio legitur lib. III. Esdræ cap. III. his verbis *Rex Darius fecit cœnam magnam omnibus vernaculis suis & aliis Magistratibus Mediæ & Persidis, omnibus purpuratis & prætoribus, & præfectis sub illo ab India usque Æthiopiam centum viginti septem provinciis.* Nec obstat quod hic liber non sit Canonicus; parem enim ad minus auctoritatem obtinet ac Xenophon, vel quisquis alius scriptor Ethnicus. *Secundo*, Susan fuit exordium regni Assueri, unde regale convivium in ea instituit: Narrat autem Plinius l Susan Persarum Regiam a Dario Hystaspis filio conditam; tametsi Ælianus & alii ab eo duntaxat auctam & illustratam velint. *Tertio* Assuerus, Estheris maritus *cap.* XVI. agnoscit

l *lib.* 6. *cap.* 27.

b *lib.* 1. *Cyropædiæ.*

sibi

sibi suisque majoribus traditum conservatumque regnum beneficio Dei cœli. Idem de Dario Hystaspis filio, recensetur lib. III. Esdræ cap. IV. v. 43. ubi Zorobabel Darium alloquens ait; *memor esto voti tui quod vovisti ædificare Jerusalem in die qua regnum accepisti, &c.* Quarto Herodotus [a] Darii Hystaspis filiam vocat *Atossan*, quæ eadem videtur cum *Edissa*, quo nomine appellabatur Esther, ut videre est cap. II. v. 7. Nec officit quod Atossan dixerit filiam Cyri: facile namque labi potuit Herodotus, qui cum audiisset Estherem seu Edissam oriundam esse ex nobilissimo & Regio sanguine *Cis*; pro *Cis* scripsit *Cyri*, propterea quod rerum Judaicarum ignarus, arbitratus fuerit Estherem fuisse e Regio Persarum sanguine prognatam; illa enim jussu Mardochæi primo suum genus patriamque prudenter dissimulaverat.

[a] *lib.* 8.

Occurret forsan aliquis, *primo*, Assuerus Estheris maritus *cap.* XVI. natus significatur ex Regio Persarum sanguine: Darius autem fuit filius Hystaspis, non Regis sed Principis, *Respondeo* Hystaspem fuisse quidem Principem, sed illum a Regibus ortum duxisse asserit Herodotus supra citatus.

Occurret secundo, *eodem cap.* scribit Assuerus Aman nisum esse Persarum imperium transferre ad Macedonas; Oportet ergo Macedonum Regnum tunc invaluisse cum ista contigit historia: At solum invaluit temporibus Philippi patris Alexandri; cujus regnum concurrit cum imperio Artaxerxis Ochi. *Respondeo* id merito timuisse Assuerum, tum quod Aman patria Macedo, Persicum imperium & diadema usurpare tentabat, ut ad suos populares traduceret: tum quod Macedones jam erant bellicis facinoribus inclyti, ut apparet ex variis eorum pugnis & victoriis contra Thraces & alios sibi adversarios, ut videre est apud Justinum [b].

[b] *lib.* 7.

Occuret tandem, Assuerus ille Estheris maritus *eodem cap.* XVI. appellatur *Artaxerxes*. Tres autem duntaxat fuere apud Persas hoc nomine donati imperatores, nempe Artaxerxes Longimanus, Mnemon, & Ochus. Itaque Assuerus ille non fuit Darius, sed alteruter ex illis Artaxerxibus, maxime Longimanus. *Respondeo* cum Herodoto [c] *Artaxerxis* nomen, non esse proprium, sed adiectitium; quemadmodum enim *Xerxes* bellatorem; ita *Artaxerxes* fortissimum & magnum bellatorem significat; quam utique appellationem usurpare potuit Darius; utpote qui universum pene Orientis imperium tenuerit; omnesque sibi repugnantes populos subegerit & expugnaverit. (25)

[c] *lib.* 6.

(25) Sub num. 7. hujus adversus Petavium ostendere nitebatur Frassenus Mardochæum Estheris, unum fuisse ex numero eorum vere, & proprie, quos Nabuchodonosor transtulerat de Judæa in Babylonem Civitatem. Si tamen anni saltem 10. Mardochæo tribuantur dum captivus factus est, si 70. captivitatis anni computentur; & tandem Cyri, Cambylis, & 12. anni Regni Assueri Estheris recenseantur, ea fit annorum summa, quæ Mardochæum ineptum prorsus constituit ad onus regiminis, & ministerii subeundum, quod eidem Assuerus commiserat; non igitur a specie veri distare invenitur sententia Petavii, contendentis Mardochæum tempore captivitatis esse natum. Verba autem Capitis 11. Libri Esther, quæ in Petavium maxime urgentur apprime Salianus ad annum mundi 3591. num. 2. exponit. Si tamen eorum teneamus sententiam, qui putant a Mardochæi translatione per Nabuchodonosorem facta usque ad annum Assueri hujus 12. nonnisi annos 89. intercessisse, tunc non videtur maximum inconveniens, quod vir nonaginta novem annorum muneri sibi commisso par existimetur. Hæc tamen difficultas cum alio pacto, ut innuimus, solvi possit, cumque Characteres Assuero in libro Estheris attributi, Dario Hystaspis peroptime congruere inveniantur, non est cur a Frasseni sententia tot firmata argumentis recedamus. (W)

CAPUT NONUM.

De Libris Jobi, & Pſalmorum,

SUMMARIUM.

I. *Quæ ſit libri Jobi partitio & diviſio.*
II. *Et quale argumentum.*
III. *Non veram ſed commentitiam hiſtoriam complecti impie cum Talmudiſtis Anabaptiſtæ & Lutherani delirant.*
IV. *Varia quidem hæretici effutiunt adverſus hiſtoriæ Jobi veritatem, maxime quod nomina quæ in hoc libro commemorantur ſint ad ſuadendam patientiam accommodata.*
V. *Qua ratione Jobus vir patientiſſimus in hoc libro prædicetur, nihilominus tamen in Deum obloqui & impatientiæ ſigna plurima exhibere videatur.*
VI. *Quis fuerit hujus libri auctor variæ ſunt ſententiæ.*
VII. *Ea vero probabilior eſt quæ ipſum primitus a Jobo ipſo aut aliquo ex ejus amicis putat; deinde vero a Moſe Hebraice redditum & illuſtratum.*
VIII. *Jobum enim Moſis ætate ſuperiorem eſſe veroſimilius eſt.*
IX. *Hunc librum revera Canonicum ſemper habuerunt Synagoga Judaica & Eccleſia Chriſtiana.*
X. *Liber Pſalmorum eſt veteris Teſtamenti ſynopſis, & novi delineatio.*
XI. *In quibus differant Hymnus, Pſalmus, canticum, Pſalmus cantici, & Canticum Pſalmi.*
XII. *Pſalmi ab Hebræis non recte diſtribuuntur in quinque Libros.*
XIII *Eſt unicus Pſalmorum liber, qui diſtribuitur in* Pſalmos Jubilæi, cantici, intellectus & Orationis.
XIV. *Non eodem temporis deſcribuntur ordine, quo fuerunt editi.*
XV. *Non tamen id abs re factum eſt.*
XVI. *Varia eſt tum Judæorum, tam Chriſtianorum de Pſalmorum Auctore ſententia.*
XVII. *Veroſimilior tamen eſt quæ Davidem omnium Pſalmorum Auctorem non eſſe pronunciat.*
XVIII. *Non tamen immerito liber Pſalmorum Davidi adſcribitur.*

§. I.

I. JObi liber, apud Hebræos, Græcos, & Latinos capita habet 42. v. 1070. Apud Syros vero capita XIV. verſus 283. Partes autem principales quatuor. *Prima* deſcribit Jobi ſanctiſſimi fortunam, cum ſecundam, tum adverſam, & in utraque ejus ſtupendam pietatem & patientiam capitibus. I. & II. *Secunda* commemorat ipſius cum amicis colloquia de rebus præſentibus ultro citroque habita, a cap. II. ad XXXVIII. in quibus varia de Dei in homines providentia & juſtitia proferuntur ac diſceptantur. *Tertia* refert Dei ſermonem ad ipſum Jobum directum quo motam inter eam & amicos controverſiam definit & concludit a cap. XXXVIII. ad XLI. *Ultima* tandem exhibet lætam Jobi calamitatum permutationem in longe feliciorem ſortem: utpote qui omnia bona ſua duplicia recuperarit, & longævam poſt hæc vitam traduxerit; quippe qui vixerit centum quadraginta annis, & viderit filios ſuos, & filios filiorum ſuorum uſque ad quartam generationem.

II. Hujus libri argumentum & ſcopus generalis eſt, docere omnium rerum moderationem & procurationem ſoli Deo eſſe tribuendam, ſine cujus nutu, nec pilus quidem de capite noſtro diffluit, ac ſubinde temere quidquam nihil contingere; univerſaque ſapientiſſimo divinæ majeſtatis conſilio librari. Finis vero particularis, eſt ſuadere qualiter Dei providentia circa probos & electos invigilet, eorumque virtutem cum variis calamitatibus colluctari ſinat, ut ſplendidior & æterna mercede dignior appareat. Unde hæc hiſtoria digna eſt quæ per omnem vitam ab omnibus piis ante oculos habeatur; utpote in qua nobis proponitur perfecta forma religioſi viri ac vere ſapientis, qui nec ſecundis rebus inflatur, nec adverſis frangitur, nec in utriſque deſerit Deum ſuum, ſed in fide immobilis, & in ſpe conſtans per cuncta tentationum genera perſeverat. Tria autem circa hanc Jobi hiſtoriam diſceptanda occurrunt. Primum utrum ſit vera hiſtoria, an ſolum mera parabola, ad ſuadendam patientiam concinnata. Secundum quis hanc hiſtoriam ſcripſerit. Tertium quo tempore contigerit.

III. Talmudiſtæ [a] commentitium & fictitium eſſe docent operis hujus argumentum, meramque parabolam Iſraelitis ad conſtantiam & virtutem informandis excogitatam: quorum delirio ſubſcribit Maimonides [b] in eamque inſaniam eunt Anabaptiſtæ, nec non & Lutherus in conviviali ſermone, titulo *de Patriarchis & Prophetis*, ubi ſcribit librum Jobi nomine inſcriptum, meram involvere ac referre fabulam perbelle excogitatam ad conciliandam afflictis patientiam. At Jobum revera extitiſſe, & in acer-

[a] *tract.* 3.

[b] *in Mor Nevoch. part.* 3. *cap.* 22.

acerbissimas calamitates incidisse, certoque Dei consilio, bonis & filiis Dæmonis arte & opera fuisse orbatum; retro etiam ac purulento ulcere a capite ad calcem erosum, ipsum conviciis uxorem exoneravisse, amicos eum conveniisse, verbaque simul cum ipsis conseruisse, motamque inter eos controversiam Deum judicio suo diremisse, ipsumque Jobum ingens pietatis ac patientiæ præmium, restitutam sanitatem, opes recuperatas, & familiam numerosa prole fœcundam esse consecutum, constantissime credunt omnes Catholici: non solum ex constanti & perpetua apud Prophetas & sapientes Synagogæ Rectores hujusce veritatis traditione: sed etiam ex luculentissimis Scripturæ sacræ textibus; maxime vero ex illo Ezechielis XIV. v. 14. *Etsi fuerint tres viri isti in medio ejus, Noe, Daniel, & Job, ipsi justitia sua liberabunt animas suas, ait Dominus exercituum*, ubi Jobus cum Noe, & Daniele non recte conferretur, nec introduceretur, velut sanctissimus vir qui pro Israelitis preces posset fundere, si revera nusquam vixisset. Confirmant ista hæc libri Tobiæ verba cap. II. v. 12. *Hanc autem tentationem ideo permisit Dominus evenire illi, ut posteris daretur exemplum patientiæ ejus, sicut & sancti Job: nam sicut Beato Job insultabant Reges: ita isti parentes & cognati ejus irridebant vitam ejus.* Ubi vides Jobum Beatum & Sanctum affirmari, eumque conferri cum Tobia, qui cum vere extiterit, consequens est etiam ipsum Jobum revera vixisse; sic enim S. Chrysostomus [a] colligit verum esse Lazarum, atque adeo veram historiam divitis Epulonis: quod adjungitur Abrahamo, & aliis veris hominibus, *ubi*, inquit, *dicitur Abraham, & Prophetæ, & Lazarus & Moyses, hic verus Lazarus; si verus est Abraham, verus est Lazarus; neque enim umbra corpori, & mendacium potest congruere veritati.* Idipsum testatur S. Jacobus cap. V. v. 11. *patientiam, & sufferentiam Job audistis, & finem domini vidistis*, ubi S. Apostolus victricem mediis in angustiis & calamitatibus Jobi constantiam nascentis Ecclesiæ filiis, in patientiæ argumentum & incentivum non proponeret, si quod sanctissimus ille vir passus esse legitur, inane commentum vacuamque parabolam existimasset.

[a] *homil. de divite Epul.*

Suffragatur etiam ratio; nam ut acute observat Codurcus, nihil hic prætermissum est ad fidem stabiliendam veræ historiæ, pertinens. Enimvero, & nomen proprium viri refertur, & terra cujus incola memoratur, & numerus liberorum marium fœminarumve recensetur, & sigillatim bona enumerantur, armentum, pecus, familia, agri, ac omnium Orientalium ditissimus fuisse dicitur. Nomina etiam populorum qui substantiam ejus sunt deprædati exprimuntur. Amicorum qui ad eum consolandum accesserunt numerus notatur: nomina, cognomina, patria eorum designatur. Singulorum etiam sermones ad Jobum, Jobique responsiones ad singulos inducuntur. Quæ omnia Jobum personatum non esse, sed vere ipsum extitisse demonstrant. Insuper observent quæso sermonis Hebraici periti an in parabolis usurpentur cum tanta emphasi verbum substantivum. He היתה. *Haiediha* & pronomen demonstrativum והיה האיש ההוא *Vahajah haisch hahu*, quæ bis repetuntur initio, quasi occurrere voluisset dubitationi illi Auctor dicens; *Extitit autem ille vir, ille ipse, inquam:* Ex quibus manifestum fit hanc esse veram historiam; siquidem nihil esse potest in vera historia quod in hac non occurrat, ut qui hanc neget, omnes negare possit.

His accedit quod SS. Patres constantissimum illum virum ob invictam illam suam patientiam encomiis celebrent, & in tolerantiæ exemplum proponant. Sic S. Cyprianus, [b] dicit Jobum *summum fastigium laudis, patientiæ virtute fuisse consecutum.* S. Hieronymus [c] ait *illum toti mundo speculandum & imitandum a Deo fuisse propositum.* Et S. Basilius [d] ipsum *adamantini cordis hominem vocat*, universarumque humanarum passionum glorioſum & beatum victorem. Unde S. Augustinus [e] exclamat: *o virum putrem & integrum! o fœdum & pulchrum! o vulneratum in stercore sedentem, & in cœno regnantem!* Quis autem putet in virtutis exemplum positam fuisse fictitiam, umbratilemque patientiam, & confictum hominem ut admirandæ constantiæ magistrum proponi?

[b] *tract. de bono patient.*
[c] *Epist. 103.*
[d] *homil. 4. de grat. actione.*
[e] *serm. 105. de temp.*

Adde etiam de sanctissimo hoc viro sententiam Ecclesiæ, quæ Jobum ut in Beatorum album & sortem receptum veneratur; ejus enim meminit Martyrologium Romanum die X. mensis Maii & Menologium Græcorum VIII. idus ejusdem mensis: testaturque Adricomius extare adhuc sepulchrum S. Jobi in Jordanis planitie ad Orientem urbis Suetæ. „ Similiter Nicetas „ [f] sic scribit: Extat etiam nunc Jobi se„ pulchrum in Arabia, atque sterquilinii „ palæstra, ubi speciosas coronas adeptus „ est, anniversariisque honoribus illum in„ digenæ prosequuntur.

[f] *in Prothoria 1. cap. lib. Job.*

IV. Opponunt hæretici hanc historiam ideo confictam & meram parabolam videri. *Primo* quod scenica sint in hoc libro commemorata nomina, & rei quæ agitur, nimirum suadendæ patientiæ, accommodata. Etenim *Job* interpretatur dolens, gemens, & ululans, ac seipsum afflictans. Fingitur quoque non inepte de terra *Hus*, quæ consilium interpretatur, ut discamus consilio & prudentia omne infortunii, & ærumnæ genus facile superari. Immittuntur autem adversus tantum virum veluti in palæstra certaturi, non qualescunque de infima plebe homunculi, sed Eliphas, Baldad, Sophar, & Heliu splendidis nominibus insignes, *Baldad* enim vetusta secreta: *Sophar*, speculator; & buccina: *Eliphas*, aurum Dei; *Heliu* vero Deus ipse interpretantur: Ut in his ostendatur, adversus virum *Ussitidem*, hoc est, consilio & prudentia armatum, nullas quantumvis magnas hominum divitias, aut potentiam, aut sapientiam prævalere. Unde & in postremo hu-

jus fabulæ actu, quo res feliciorem exitum sortiatur, sicut in comœdiis fieri solet, inducitur Deus ipse qui ut optimus judex fortissimo viro restituit duplicia pro omnibus, quæ amiserat.

Secundo ut varietate sermonis jucundior fabula sit, singulæ ejus partes comica quadam ratione sic dispositæ sunt, ut exordium ejus soluta oratione incipiat, deinde sequantur actus dramatis in morem hexametris, ac pentametris carminibus, interdum quoque tinnulis quibusdam rythmis interpositis descripti, & quemadmodum in comœdiis tam Græcorum quam Latinorum diversa nonnunquam linguarum genera ad majorem audientium oblectationem misceri solent. Sicut apud Aristophanem in comœdia quæ inscribitur *Arçanes*, introducitur Barbarus quidam Persica lingua loquens: & apud Plautum in Penulo Afer quidam Hanno punice loquitur. Ita inquiunt, in hac fabula varia linguarum genera inducuntur: estque altera narrationis pars ipso Hieronymo teste Arabico sermone digesta, altera Syro, altera vero Hebraico eloquio scripto.

Tertio qui historiam a mundi exordio texuerunt, nullam Jobi fecerunt mentionem, maxime Josephus. *Quarto* quod in eodem libro plurima non possint historice sed per parabolam accipi, puta concilium Angelorum præsidente Deo, colloquium Sathanæ, interrogationes, responsiones. *Denique* quod quædam impossibilia involvat, puta quod VII. diebus & noctibus immoti cum Jobo sederint tres amici sine potu & cibo: quod locupletissimus inter Orientales repente nudus sederit in sterquilinio; quod illius uxor in suo regno suaque urbe stipem collegerit, ut tradunt LXX. Interpretes, &c.

Respondeo nodos istos non esse adeo Gordios ut Alexandri artem & industriam requirant, Neque enim solum concidi, sed & facile dissolvi possunt. *Primum* quidem: non enim insolitum est in Scriptura sacra plurima inveniri hominum nomina habentia significationem congruentem rebus ipsis quæ geruntur aut fieri debent. Quisquis enim humana imposita nomina quæ in Scriptura memorantur attenta mente ponderaverit, inveniet pleraque esse mystica, & prophetico quodam spiritu ac occulta Dei dispensatione a parentibus insciis præsagientibus, aut a Deo aperte rerum eventus noscentibus, ab ipsa statim nativitate imposita. Sic prima omnium fœminarum *Eva*, hoc est, viventium omnium mater, eo quod talis futura esset, vocata est. Sic *Abelus*, ideſt, luctus nominatus secundus homo genitus, quod cito evanescere deberet, & luctum parentibus ingeminare: Sic *Noe*, consolator; quod consolaturus esset parentes suos. Sic *Abraham*, quod futurus erat auctor tam numerosi seminis, Abraham, hoc est, pater multarum gentium, appellatus est. Sic minor Rebeccæ filius, occulto quodam mysterio, Jacob, hoc est, supplantator dictus est, ut in nomine, decepti ab eo fratris supplantatio notaretur, & vere de illo frater ejus Esau aliquando diceret: *Recte vocatum est nomen ejus Jacob: supplantavit enim me & altera vice.* Sic duo filii Davidis a futuris vitæ successibus, ita inspirante Deo, diversi ominis nomina sortiti sunt: ille *Salomon*, ideſt, pacificus, propter futuram sub ejus regno pacem vocatus est: hic vero *Absalon*, patris scilicet amaritudo, infœlici augurio nuncupatus est, ut nomen doloris amaritudinem portenderet, quam rebellis patri filius fuerat illaturus. Sic tandem etiam in novo Testamento Simon fœliciſſimo omine *Petri* nomen, & filii Zebedæi *Boanergis* cognomen a Christo acceperunt, ut in illo primum Ecclesiæ ædificandæ fundamentum & Petra, in istis futuræ prædicationis eminentia monstraretur. Quidni igitur pari Dei dispositione, ac providentia, Job secreto quodam calamitatum, ac dolorum suorum præsagio antequam eos pateretur, dolentis, & ululantis nomen sortitus sit: sicut & socii ejus, vel quia similem nominibus vitam fuerant habituri, ita volente Deo vocati sunt: vel ut progenitorum suorum memoriam ad posteros commendarent, ita forte Eliphas, Baldal, & Sophar, sunt appellati. Nam & ipsis nominibus nuncupatos fuisse legimus aliquos ex iis, qui in genealogia Esau, unde isti traxerunt originem, computantur. Tollitur itaque ex his omnis conficti nominis suspicio.

Ad secundum dico cum S. Hieronymo revera in libro Job a verbis *pereat dies in qua natus sum*, ad verba capitis XL. *idcirco me reprehendo* HEXAMETROS versus esse dactylo spondæoque currentes. Verum si tam levibus conjecturis liceat nobis de sanctis literis pronuntiare, ut historiæ illæ in sacris voluminibus falsæ judicentur; quia linguarum, carminum, nominum, ac personarum varietate constant, nulla Scripturæ divinæ pars in qua hæc, atque his similia inveniuntur, vera erit. Hac enim de causa liber Psalmorum, Lamentationes Jeremiæ, Canticum Canticorum Salomonis, & Canticum Mosis magnum, inter fabulas deputanda erunt. Idcirco autem metris expressa fuit historia Jobi, tum ut facilius memoriæ mandaretur, tum ut ad eam legendam Judæi allicerentur, tum ut in illius lectione majorem suavioremque consolationem degustarent.

Ad id vero quod adiicitur de diversitate linguarum quibus hunc librum constare indicat S. Hieronymus: Scire oportet, verosimile esse librum hunc lingua Idumæa primum scriptum: cum autem Idumæa regio, Plinio teste misceatur partim Syriæ, cujus ultima ad meridianum solem pars est, partim vero Arabiæ Petreæ cui contigua est & in eam excurrit; Inde factum arbitror; ut Idumæa lingua qua usus est hujus libri Scriptor, partim ex Syriaca, partim ex Arabica commixta fuerit. Cum vero Moses, ut Origeni placet, in Hebraicum sermonem hunc librum vertisset, contigit ut liber Hebraice versus, Syriacis & Arabicis idiotismis in tantum abundaverit, ut triplici lingua videatur conscriptus.

Ad

Ad tertium dico forte Josephum Jobi non meminisse quod Hebræorum, non Exterorum susciperet narrandam historiam. Addo quod cum multa ex sacris prætermiserit, immutaverit, addiderit, ut totus est in demostrando Salianus, nulla hinc ipsi hac in re fides.

Ad quartum, licet aliqui e Catholicis prædicta in metaphoram detorqueant, nihilominus non inde inferendum esset, alia omnia solam parabolam involvere: imo possunt & illa præfata literaliter accipi: potuerunt enim Angeli custodes hominum invicem convenire, ut consulerent de modis hominum saluti proficuis, aut conjunctis precibus Deum pro hominum salute deprecarentur: qua data occasione Dæmonem evocaverit Deus; unde non sicut de Angelis, *venit*, sed *adfuit & Sathan* quasi coactus & impulsus. 26)

Ad quintum dico eos quidem Jobi amicos sedisse VII. diebus & noctibus, non quidem omnibus momentis, ita quod a loco nullatenus pedem moverint, sed ea verba ita veniunt intelligenda ut per VII. dies, eadem in civitate permanserint, *interdiu Job invisendo & visitando: eo fere pacto quo Jacob Genes.* XXXI. *ait per septem annos die noctuque urebar & gelu, & somnus fugiebat ab oculis meis*. Non enim existimandum est, cum nusquam subiisse tectum, neque ullam toto illo tempore quietis partem captasse.

V. Instant adhuc vehementius, Non potuit huius narrationis Auctor esse tam oculatus, & dictorum memor, quin plurimum a propositi argumenti scopo aberraverit: Is enim cum instituisset effingere personam hominis virtute & tolerantia præstantissimi, quem nec secundæ res in superbiam elevarent, nec in desperationem adversæ deprimerent; nihilominus tamen in ipso narrationis cursu, contra instituti ordinem, patientissimum illum virum, quem ob insignem tolerantiam celebrandum susceperat, plurimum deprimit. Primo crimen impatientiæ ipsi affingit, referens illum variis calamitatum ac dolorum fluctibus illisum, maledixisse diei nativitati suæ: *Post hæc*, inquit cap. III. *aperuit Job os suum & maledixit diei suo, & locutus est: Pereat dies in qua natus sum, & nox in qua dictum est, conceptus est homo. Dies ille vertatur in tenebras, &c.* Deinde quod longe gravius est, eum indignationis & in Deum, querimoniæ reum exhibet, referens qualiter indignabundus dixerit ibid. v. 11. *Quare non in vulva mortuus sum, egressus ex utero statim perii*, Cap. 10. v. 18. *Quare de vulva eduxisti me, qui utinam consumptus essem ne oculus me videret*. Quin etiam fingit eum desperatione adactum, laqueum quo suffocaretur exoptasse: *Suspendium*, inquit, cap. VII. v. 15. & 16. *elegit anima mea, & mortem ossa mea. Desperavi, nequaquam ultra jam vivam*. Neque hoc solo contentus, exhibet illum cap. X. v. 21. Deo improperantem, quod tyrannorum ac tortorum instar, omnem suam in illum sævitiem eructet; *Versus es mihi in crudelem*. Unde cap. IX. v. 23. adversus Dei justitiam expostulat: *Innocentem*, inquit, *& impium ipse consumit: si flagellat, occidat semel & non de pœnis Innocentum, rideat*. Denique virum illum quem ut eximiæ sanctitatis specimen depingendum susceperat, exhibet propriæ justitiæ jactatorem, divinæ vero accusatorem; *Utinam*, inquit, cap. VI. v. 6. *appenderentur peccata mea, quibus iram merui, & calamitas quam patior in statera, quasi arena maris hæc gravior* (illa) *appareret*: Et cap. XXVII. v. 6. eum refert audacter pronuntiantem *Justificationem meam*

(26) De isto Angelorum Concilio Ecclesia cum liberum suis reliquerit Filiis id opinari, quod verosimilius judicarent, variis propterea pro varietate cogitandi usi sunt expositionibus, relinquentes tamen Jobi Libro veracitatem historiæ in reliquis omnibus. Per aliquam ergo prosopopejam, hoc in loco expressam a Spiritu Sancto Dei providentiam circa humanos omnes eventus, veræ virtutis probationem necessariam, gratissimam justorum patientiam Deo esse in adversis; nihilque in homines aereas potestates sine speciali Dei permissione valituras significatum esse arbitrantur Origenes, S. Gregorius, Salvianus, S. Thomas, aliique plures apud Joannem de Pineda in Cap. 1. Job. ad ℣. 6. Alii vero Scriptores visione quadam intellectuali ostensum fuisse hocce Angelorum Concilium divino Auctori Jobi Librum scribere parato, quemadmodum Lib. 3. Regum Cap. 22. ℣. 19 legimus vidisse Michæam Angelorum Concilium coram Domino, inter quos Spiritus nequam, cui permisit Deus ut Achabum deciperet mentiendo per os Prophetarum, Zachariæ pariter, ut ex ejus Cap. 3. patet, ostensus est a Deo Sacerdos Magnus Jesus coram Angelo Domini existens, & Satan stans a dextris ejus, ut adversaretur ei. Hunc explicandi modum, textum Jobi indicavit Polychronius, quem verosimilem putant Hugo, Vatablus, & Eusebius. Plures denique SS. Patrum reale fuisse Concilium istud opinantur, atque Satan in quæstionem a Domino fuisse evocatum, eo tamen pacto, quo inter immateriales substantias fieri potest; sive ergo revera colloquium istud Spirituum, & ipsius Dei, vel Angeli ejus vicem gerentis extiterit, sive per visionem Sacro Scriptori ad exprimendam Dei providentiam, & Jobi probatam virtutem fuerit ostensum satis est quod historicæ veritati nequaquam repugnet. Multo minus eamdem labefactare nituntur Hæretici, atque ad fabellam perducere ex eo, quod Auctor dixerit *erat* non vero *fuit*, sicuti in historicis narrationibus solent Divini Scriptores se gerere. Nemo etenim in primis apud Hebræos unicum esse *præteritum*, quod ad *perfectum*, *imperfectum*, & *plusquam perfectum* sæpe trahitur juxta Sermonis exigentiam. Animadvertunt nihilominus Expositores optimum esse adhibere vocem *imperfecti* dum continuatio rei alicujus exprimere intendimus; hinc optimam esse Vulgati versionem ad illud Capitis 10. Geneseos: Nembrod *erat robustus venator*, quamvis hebræa legat *fuit robustus venator*, quia significatur in nostra quod continue in venatione se Nembrodus exercebat, ita pariter in Job optime legimus *erat in terra Hus*, idest securus, tranquillus, contentus, nullaque turbatione agitatus Domi suæ vivebat Jobus, cum subito, & insperato contritus est &c. Si qua tandem veluti a Sanctissimo Viro incaute pronunciata in ejus leguntur historia, minime per ea Libri divinitatem offendi agnoscant Etherodoxi, si nolint juxta Catholicorum expositiones mysticos, & propheticos sensus in eisdem admittere. Sacer quippe Auctor historice refert quod gestum est, non autem si quid minus recte factum occurrit, laudat, vel confirmat. Græcanicæ voces Stellarum præsertim in hoc Libro occurrentes ab Interpretibus derivandæ, qui vocibus suis usi sunt ad significandum quod in Hebræo exprimebatur. (W)

meam quam cœpi tenere non deseram, neque enim reprehendit me cor meum in omni vita mea. Ex quibus & aliis ejusmodi plurimis, quæ passim occurrunt in hoc libro, indignationis, impatientiæ, & desperationis signis; manifestum fit hujus Auctorem longissime ab intento fine deviare, & pro viro fortissimo ac piissimo nobis impatientissimum, ac inani gloria refertissimum exhibere.

Respondeo ista omnia hisque similia sanctissimi viri dicta non juxta mortuæ literæ sonum, sed mysticam vivificantis spiritus intelligentiam exponenda esse, aperte demonstrant alia itidem ejus patientissimi viri oracula. Nam qui fieri potuit ut Job indignationis æstu maledixerit diei nativitatis suæ, qui post filiorum filiarumque interitum, post sublatas omnes facultates, post insanabilem & per universum corpus grassantem purulentam plagam male consulenti uxori responderit. *Si bona suscepimus de manu Dei, mala quare non sustineamus?* Quomodo ex animi desperatione suspendio vitam finire definierit; qui cap. 13. v. 15. diserte pronuntiat, etiam *si occiderit me in ipso sperabo.* Qua ratione vanitatis & jactantiæ æstu abreptus, innocentiam suam prædicaret, Deumque injustitiæ argueret, qui cap. IX. v. 19. & 20. *Si fortitudo quæritur*, ait, *robustissimus est: si æquitas judicii, nemo audet pro me testimonium dicere. Si justificare me voluero, os meum condemnabit me: si innocentem ostendero, pravum me comprobabit. Etiamsi simplex fuero, hoc ipsum ignorabit anima mea.* Neque id solum, sed peccatum suum publice confitetur cap. VII. v. 20. *Peccavi, quid faciam tibi, o Custos hominum! Cur non tollis peccatum meum, & quare non aufers iniquitatem meam?* Cum ergo verba ista his qua in objectione recitata sunt, consentire nequeant, alium occultum sensum qui requiratur involvunt, ut admonet S. Gregorius [a],

a *lib. 4. Moral. cap. 4.*

A primum itaque dico, Jobum eatenus maledixisse diei nativitatis suæ, quod malum illi optaverit, scilicet quod nusquam fuisset, quia nimirum optabat se nunquam in lucem prodiisse: idque justissimas, gravissimasque ob causas, primo, quia dies illa nativitatis, omnium ærumnarum, quibus premebatur, fons extiterat, & infœlix origo. Ut itaque dolorum suorum acerbitatem, necnon simul humanæ vitæ miserias & ærumnas, quibus illa repletur, magnitudinem, non solum amicis præsentibus, sed etiam futuris testatam faceret; illas ipsamet vitæ carentia, & mille mortibus longe molestiores gravioresque existere significat; adeo ut satius esset nunquam fuisse natum, quam tot, tantisque miseriis obnoxium: eo nimirum sensu quo Eccles. cap. IV. v. 3. laudavit magis mortuos quam viventes, & fœliciorem utroque judicavit, qui necdum natus est, nec vidit mala quæ sub Sole fiunt. Secundo, cum septem illis diebus quos in silentio cum amicis transegerat, peccati, in quo conceptus ac natus fuerat, immunditiem suisset contemplatus; hujus status tanto horrore atque odio affectus est, ut in hæc execrationis verba prorumperet; *Pereat dies in qua natus sum, &c.* Quasi diceret, inquiunt S. Augustinus, & S. Gregorius Magnus, dies peccati & mutabilitatis humanæ pereat, & lumen justitiæ & æternitatis erumpat: redeat per Christum fœlix immortalitas, quam per Adamum reatu prævaricationis amisi, & abeat mors a me, quam alio delinquente contraxi. Atque etiam eodem sensu optabat se abortivum interiisse, neque diem salutasse; diem, inquam, peccati, iniquitatis & culpæ; de quovis enim homine peccati inquinato dicere licet quod de Juda traditore dixerat adorandus Salvator, *melius ei fuisset si natus non esset homo ille.*

Pari ratione cum ait *suspendium elegit anima mea*, ejus verba sic interpretantur Beda & alii, ut satius duceret, laqueo, hoc est, crudeli & infami supplicio vitam finire, quam præ doloris acerbitate in peccatum aliquod deiici. Sed simplicior sensus est, ut velit se crudelem & infamem mortem præoptare quam imaginationis propter ingestos a Dæmone nocturnos terrores, & infestantia somnia, diutius calamitatem perpeti. Prius namque dixerat *terrebis me per somnia, & per visiones horrore concuties: Quamobrem elegit suspendium anima mea*, quibus significat minus se doloris & molestiæ expertum esse a vera calamitate qua premebatur, quam a calamitatis recordatione, & phantasmate; quæ per somnia a Dæmone ingerebantur. Unde Jobus qui stabat constans ad veros dolores, sic perhorrescit ad ærumnas, quas mens in somnis imaginatur, ut quasi nutans suspendium & mortem eligat ad levamen intolerabilium dolorum, quos a metu patitur. Et quidem tanta est acerbitas metus etiam per somnia immissi, ut Hippocrates libro de Virginum morbis, ita scripserit de attonitis & timoribus: „ „ Ex his adeo fortiter pavere homines, ut „ delirent & dæmones quosdam se videre „ putent ipsis infestos, quandoque nocte, „ quandoque interdiu, aliquando vero utroque tempore, & ab ejusmodi spectris „ multos se jam strangulasse & prosiliisse „ in puteos, tanquam meliora sint hæc, „ & omnem vitæ utilitatem excedentia. „ *Sic ille.* Mysticum hujus loci sensum repetit S. Gregorius [b] ab æstuanti Jobi in Deum amore, quo a terrenis abreptus, velut in sublime ad Deum rapiebatur: Sancti viri, inquit, suspendium eligunt, quia nimirum desideria terrena deserentes ad alta animum attollunt.

b *lib. 8. Moral. cap. 14.*

Cum vero ait Deum sibi *mutatum in crudelem* vehementem sui in eum amorem demonstrat, qui affinis est cum ira, juxta illud Virgili [c]

c *Eclog. 2.*

O crudelis nil mea carmina curas?
Nil nostri misereris? mori me denique cogis?

Prius enim dixerat, *clamo ad te, non exaudisti me; sto & non respicis me;* Quamobrem ex

ex amoris æstu in has objurgatorias voces erumpit, mutatus es mihi in crudelem. „ Quæ sane nihil injurium in Deum eructant: Non molestè fert Salvator, inquit „ Cyrillus, [a] infirmorum preces cum objurgatione quadam & murmuratione. „ Nam quemadmodum ploratu necessaria „ sibi alimenta infantes flagitant, & hoc „ modo mater ad fovendos filios provocatur; sic conquestuosus objurgationisque „ plenus clamor ad Deum (si ab infirmis „ adhuc & infantibus in habitu virtutis „ sit) petitionis locum retinet: sed & ad „ eundem propemodum expostulant etiam „ justi ac perfecti cum Deo quem certam „ sciunt rerum omnium curam providentiamque gerere; „ sic David Psal. XLIII. v. 24. Exurge quare obdormis Domine? Item, Psal. XII. v. 1. Usquequo Domine oblivisceris me in finem, &c.

[a] *lib. 3. in Ioan. cap. 24.*

Tandem cum ait: *Utinam appenderentur peccata mea, &c.* Quibus significare videtur peccata sua ut quæ non fuerint tam gravia, durius a Deo puniri, quam illorum demeritum exigeret: non aliud intendit, quam demonstrare sæveram in peccatores Dei animadversionem qui etiam pro levioribus, ut homines putant, delictis tam dira immittit flagella, ut si res ex hominum justitia & existimatione libraretur, pœnæ acerbitas, culpæ gravitatem longe videtur excedere. Quod quidem hominum judicium quantum aberret a veritate & æquitate divina, ibidem agnoscit Job cum exoptat v. 10. *Hæc mihi sit consolatio ut affligens me dolore, non parcat, nec contradicam sermonibus Sancti.* Accedit quod Job sanctissimus figura fuit Christi Domini patientis, qui tametsi innocentissimus esset, nihilominus cum pro peccatoribus vadem se Deo patri obtulisset, omnes illius divinæ in peccatores indignationis fluctus in passione expertus est. Quamobrem ejus statum & personam præferens Job, illius vice dicebat, utinam appenderentur, &c.

VI. Ad Auctorem & Scriptorem hujus libri quod attinet, varia ac multiplex est Auctorum sententia: quidam enim adscripserunt eum ipsi Jobo, aut ipsius amicis his permoti Jobi verbis cap. XIX. v. 23. *Quis mihi tribuat ut scribantur sermones mei? Quis mihi det ut exarentur in libro, stylo ferreo, vel celte sculpantur in silice?* Nec non ex istis cap. XXXI. v. 35. *Quis mihi tribuat auditorem ut desiderium meum audiat Omnipotens; & librum scribat ipse qui judicat: ut in humero meo portem illum, & circumdem illum quasi coronam mihi.* Ita sentiunt Origenes, [b] Gregorius Magnus [c] & Suidas [d]. Plerique hujus libri Auctorem & Scriptorem Mosem existimant cum Isidoro [e] Abulensi & Rabbi Manasse Ben Israel. In quam etiam sententiam descendit Talmudistarum turba, nec ab ea recedere videtur S. Hieronymus, quippe Epist. ad Paulinum, ubi sacrorum librorum seriem texens, Pentateucho Jobi librum subiicit post habito etiam libro Josue quo eumdem Pentateuchi ac libri Job Auctorem esse significet. Verum hanc sententiam improbat Origenes [f] ubi negat Mosem plusquam quinque libros scripsisse. Quod etiam confirmari potest, ex eo quod Moses Pentateuchi scriptor meminit omnium librorum qui sua ætate extabant, puta libri generationis Adam Genes. V. Libri Dei, Exod. XXXII. 33. 34. Libri Bellorum Domini, Numer. XXI. 14. Libri legis Mosis, Deuter. XXIX. v. 21. At ne verbulum quidem de libro Job; itaque nondum extabat.

[f] *tom. 5. in Joan. & in Philocal. cap. 5.*

Sanctus Gregorius Nazianzenus teste Polychronio [g] vult hunc librum scriptum esse a Salomone. Philippus Codurcus [h] suspicatur eum esse editum ab Idumæo Propheta: quippe cum idiotismis hujus linguæ liber hic scateat; nam ex Edom veros fuisse Prophetas notum est, cum Abdias Idumæus fuerit, Unde fieri potuit Prophetam aliquem ex Idumæis profectum, hunc confecisse librum, ut vernaculum Genti suæ patientiæ exemplum agente Spiritu Sancto, tanquam aurum ex Ægypto ad cœlestis tabernaculi ædificationem conferret. Multo magis tamen inclinat hic Auctor, ab Isaia hunc scriptum fuisse; his maxime ductus conjecturis, quod Isaiæ singularis eruditio, orationis majestas, character non dissimilis, voces multæ, multa loquendi genera quæ sunt Isaiæ, etiam in hoc libro inveniantur. Grotius [i] ab ea sententia parum discedit: Scribit enim hujus libri Auctorem, quisquis fuerit, Ezechiele quidem superiorem fuisse; quippe cum cap. XIV. v. 14. Ezechiel eum citet; posteriorem autem Davide & Salomone ex quorum libris sententiæ & loquendi quædam genera videntur huc translata. Verum si quis reponat Davidem & Salomonem ex libro Job ejusmodi sententias fuisse mutuatos, quibus argumentis Grotius contrarium evincet? Sunt etiam qui hunc librum inferiori adhuc tempore confectum fuisse putent, nempe ætate Danielis & posteriorum Prophetarum vergente scilicet ad finem captivitate Babylonica, his ducti rationibus, quod quædam occurrant loquendi genera quæ in sacris voluminibus, non nisi apud Danielem, Esdram, & posteriores Prophetas Chaldaicæ linguæ peritos occurrant. Sunt præterea in illo peregrinæ voces quæ non aliunde quam a Chaldæis videntur mutuatæ: præsertim nomina quædam piscium, avium, & siderum, puta Pleiades, Arcturus, Lucifer, Vesper, cap. XXXVIII. v. 31. 32.

[g] *in proœmio Catenæ ad Job.*
[h] *præf. in Job.*
[i] *præf. in Job.*

VII. Ut autem has varias & invicem pugnantes sententias aliquatenus ad concordiam & unitatem revocem: censerem ego Jobi historiam, aut ab ipso, aut ab aliquo ex ejus amicis fuisse lingua patria, Idumæa nimirum seu Syriaca veteri primum conscriptam; deinde a Mose ad Israelitarum in deserto peregrinantium solatium, Hebraice redditam; & quibusdam circunstantiis, puta Angelorum Concilio, cui præerat Deus, quod ex revelatione noverat Moses, similibusque additamentis illustratam: denuo vero, Dum Israelitæ & nonnulli ex Idumæis in captivitate Babylonica dege-

[b] *lib. 6. contra Celsum.*
[c] *in primum cap. Job.*
[d] *in vocem Job.*
[e] *lib. 1. Officior.*

degerent, hunc librum fuisse recusum ab aliquo Prophetarum posteriorum, non solum Hebraicæ, sed & Arabicæ & Chaldaicæ linguæ peritissimo: siquidem præter varias Chaldaicas voces quibus hic liber abundat, ut observat Hottingerus [a], sunt etiam plusquam centum voces partim Syriacæ, partim Ismaeliticæ, quarum interpretationem necesse est petere ex Commentariis Rabbinorum. Cum autem illæ in aliis libris sacris non occurrant, signum est inter posteriores Scriptores sacros accensendum esse eum qui hunc librum recudendum suscepit; nempe eo tempore captivitatis quo in linguam sanctam irrepserunt multæ voces ex consortio alienigenarum. *Accedit* etiam quod nullus ante ista tempora Jobi meminerit, sed solum ab auctoribus illius ætatis cœperit celebrari, nempe a Tobia cap. II. v. 12. & 15. & ab Ezechiele cap. XIV. v. 14. (27)

[a] *in Thesauro Philologiæ pag. 501.*

Ut ut est de Auctoribus hujus libri: certissimum esse debet eum Spiritus S. dictamine & afflatu fuisse conscriptum. Unde præclare S. Gregorius *Præf. in Job cap.* 1. ait: *Quis hæc scripserit valde superflue quæritur, cum Auctor libri Spiritus Sanctus fideliter credatur? Ipse hæc scripsit, qui hæc scribenda dictavit: ipse scripsit, qui & illius operis inspirator extitit, & per scribentis vocem imitanda ad nos ejus verba transmisit.*

VIII. Certum pariter Jobum ante Mosem vixisse, cujus indicia sunt. *Primo*, Quod post latam legem nefas fuerit mactare hostias quemquam & sacerdotio defungi qui non esset ex posteris Aaron, ut appareat ex Core Dathan & Abiron exemplo, nec non ex gravi animadversione Domini in Saulem & Oziam: laudatur autem Job, quod pro singulis filiis holocausta quotidie obtulerit, jubetque Deus, Elipham & sodales ejus accedere ad Jobum cum septem vitulis & totidem arietibus ut pro eorum piaculo sacra faceret litaretque. *Secundo*, quod in disceptationibus Jobi & amicorum ejus, nulla legis Mosaicæ & Prophetarum mentio facta sit, ex quibus hauddubie pro tuenda sua sententia eorum quisque varia momenta depromere potuisset: argumentum itaque non leve est, ante legem latam hanc historiam contigisse. *Tertio* quod Job & amici ejus vera religione fuerint imbuti: oportuit ergo eos temporibus illis vixisse quibus ex sancta Isaaci constitutione Idumæi ex Esau prognati, summa veræ Religionis capita, verique Dei cultum retinebant: ac subinde Jobum floruisse aliquanto tempore post mortem filiorum Esau qui tametsi ferox & nefarius esset, nihilominus verum Dei cultum quem a sanctissimo parente hauserat, filios edocuit. Indicium est ergo hanc historiam contigisse eo tempore quo Israelitæ captivi tenebantur in Ægypto: nam post solutam hanc captivitatem cœperunt hi esse peculiaris Dei populus & oves pascuæ ejus; reliquæ vero Gentes ut profanæ & alienæ a Deo habitæ; consulenda sunt ea quæ de Jobi ætate & origine diximus lib. 1. cap. 2. Sect. 2. §. III. (28)

IX. Tametsi vero non una sit Auctorum sententia circa Jobi ætatem & originem, consentiunt tamen omnes (si Anabaptistas & non-

(27) Daniel Huetius in Evangelicæ suæ Demonstrationis Propos. 4. §. *de Jobi Libro* acerrime contendit a Mose fuisse conscriptum, dum in Madian cum Socero Jethro ovium pastorem agebat, tunc enim temporis Sanctum Jobum vel de brevi excessisse, vel adhuc inter vivos egisse opinatur; oppositaque quæcumque argumenta ibidem resolvit. (W)

(28) Veram Jobi originem inter ea contineri arbitramur divinarum Scripturarum arcana, quæ, demptа speciali revelatione, hominum intelligentiæ impervia omnino sunt, & investigabilia. Triplicem ex divinis Literis, ejus Sancti Viri originem, quarum unamquamque æque probabilem Clarissimi Viri arbitrantur, derivatam intuemur. Prima ex Abrahamo ipso per Keturæ Concubinæ illius filios ad Jobum usque perduci potest, ex quo legimus Cap. 23. Genes. ℣. 2. natum ex Cetura Sue, a quo Baldad Suites Amicus, & Cognatus fortassis Jobi, qui ad eum consolandum cum aliis Amicis venit Jobi 2. ℣. 11. Ex Jeschan pariter Keturæ Filio legimus loco Geneseos citato ℣. 3. natum esse Saba, a quo Sabæi illi prædatores Job 1. ℣. 15. in vicinia Jobi habitantes. Filii omnes Keturæ ab Abraham fuisse divisos ab Isaac, atque in Orientalem plagam allegatos, legimus in eodem Geneseos Capite ℣. 6. Jobum autem inter Orientales vixisse, atque inter eos florentissimum extitisse in ejus Libro legimus Cap. 1. ℣. 3. Istæ siquidem circumstantiæ ejus visæ sunt ponderis aliquibus Scriptoribus, ut opinionem istam de Origine Jobi non minus verosimilem, quam reliquas existimaverint.

Urgentiora tamen sibi præsto esse argumenta, qui ex Nachore Jobum arcessunt, acerrime tuentur, scriptum etenim legimus Geneseos 22. ℣. 21. Natos ex Nachore Hus, Buz, & Kased; contendunt itaque a primogenito Hus denominatam esse Jobi sedem, & patriam, quæ postea dicta fuit *Ausitis* Arabiæ, non Syria, non Palæstina, non Idumæa, ut invictis argumentis Spanheimius demonstrat. Ab altero Nachoris Filio *Buz* nomine terram, seu Civitatem Buz suum nomen esse sortitam, ex qua venit Elihu Buzites, ut Jobum amicum solaretur Job 32. ℣. 6. existimant. Tandem ex Filio Nachoris Kased natos esse prædones illos, qui Caldæi a Vulgato nominantur, & *Chasdim* in Hebræo dicuntur, pro certo tenent. Hæc profecto sententia validioribus conjecturis, quibus S. Hieronymi, aliorumve Doctorum adiungitur auctoritas, innixa dubio procul videtur quam prima.

Tertia denique opinio ex posteris Esau Jobum derivans, quam Magnus Petavius Lib. 9. de *temporum doctrina* Cap. 21. Natalis Alexander Dissert. 13. Propos. 2. in Historiam Ecclesiasticam Veteris Testamenti, aliique doctissimi viri amplectuntur, quamve tenuerant Irenæus, Hyppolitus, Eusebius Emissenus, Apollinaris, Eustathius, Auctor Synopseos Scripturæ Sacræ sub Athanasii nomine, Chrysostomus Hom. 2. de Job, Augustinus Lib. 18. de Civit. Cap. 47. Theodoretus quæst. 93. in Genesim, cuilibet exceptioni esset superior, si celebris illa Clausula ad calcem Libri Job per LXX. Interpretes adjecta indubiæ prorsus fidei, & canonicæ auctoritatis haberetur. Clausula namque dicta his erat concepta verbis = In terra quidem Ausitide habitans in finibus Idumeæ, & Arabiæ: & erat ei nomen Jobab, cum autem accepisset Uxorem Arabissam, generat Filium, cui nomen Ennon. Erat autem ipse ex patre quidem Zare de Filiis Esau Filius, Matris autem Bosorræ, ita ut ipse sit quintus ab Abraham; & hi sunt Reges, qui regnaverunt in Edom, cujus regionis etiam ipse denominatus est: primus Balath filius Beor, & nomen Civitatis ejus Dennaba. Post Balach autem Jobab, qui vocatur Job. . . . Amici autem qui ad eum venerunt Eliphaz de filiis Esau Themanorum Rex, Baldad Tyrannus Sauchæorum, Sophar Rex Minæorum =. Quis non

& nonnullos alios Heterodoxos excipias) librum ejus nomine inscriptum, summiæ semper & Canonicæ in Ecclesia tum Judaica, tum Christiana fuisse auctoritatis: ex eo namque Scriptores sacri plurima passim in suis voluminibus delibarunt. Sic hæc Psalmi VII. versu 15. verba; *Ecce parturiit injustitiam, concepit dolorem & peperit iniquitatem*, exscripta videntur. Ex cap. XV. v. 35. Jobi ubi legimus: *Concepit dolorem, & peperit iniquitatem & uterus ejus præparat dolos.* Scriptum est in libro Jobi cap. XXXVIII. v. 41. *Quis præparat corvo escam suam, quando pulli ejus clamant ad Deum*, scripsit Psaltes Psal. 146. *Qui dat jumentis escam ipsorum & pullis corvorum invocantibus eum.* Job cap. XXVIII. v. 15. de Sapientia sic disserit, *non dabitur aurum obrisum pro ea, nec appendetur argentum in commutationem ejus, &c.* Quæ Auctor libri Sapientiæ sic exscribit cap. 7. *Præposui illam regnis & sedibus & divitias nihil esse duxi in comparatione illius.* Scriptum est in libro Job cap. 38. v. 10. de mare, *Circumdedi illud terminis meis, & posui vectem & ostia & dixi usque huc venies, & non procedes amplius, &c.* Quæ Salomon in Proverbiis sic transcripsit cap. VIII. v. 29. *Quando circundabat mari terminum suum & legem ponebat aquis ne transirent fines suos.* Hæc Jobi cap. XIX. v. 7. *Ecce clamabo vim patiens, & nemo audiet: vociferabor & non est qui judicet: semitam meam circumsepsit & transire non possum.* Sic exscripsit Jeremias in Thren. cap. III. v. 8. *Sed & cum clamavero & rogavero, excluſit orationem meam, concluſit vias meas lapidibus quadris, semitas meas subvertit.* Mitto cætera ex Jobi libro deprompta oracula, quæ in posterioribus sacris voluminibus passim occurrunt.

Nec reponere juvat has in libro Jobi sententias ex aliis potius libris sacris exscriptas, quam e contra. Enimvero cum aliunde constet Jobi historiam circa Mosis tempora contigisse verosimile non est eam ad Davidis aliorumque posteriorum tempora duntaxat fuisse scriptis mandatam. *Accedit* quod si ea quæ in Jobi libro & aliis voluminibus sacris occurrunt, censeri debeant ex his in illum intrusa, & inde argumentum esset hunc illis posterius esse conscriptum: pari ratione concludere liceret Jobi librum etiam posteriorem esse S. Pauli Epistolis, siquidem scribit ad Corinth. I. cap. III. v. 19. *Sapientia hujus mundi, stultitia est apud Deum. Scriptum est enim comprehendam Sapientes in astutia eorum*, quæ verba non alibi legimus, quam Job V. v. 13. ubi de Deo scribit, *qui apprehendit Sapientes in astutia eorum.*

§. II.

De Libro Psalmorum.

X. PSalmorum liber, ait erudite Bellarminus [a], est quasi *Compendium & summa totius Veteris Instrumenti;* quidquid enim Moses vel in historia tradidit, vel in Lege præcepit: quidquid pariter Prophetæ cæteri vel exhortando ad sanctimoniam &

[a] *Præf. in Psal.*

non videat per hujusmodi clausulam, controversiam quamlibet esse resolutam? In hebraicis tamen Codicibus cum ista desideretur, in quibus, ætate etiam S. Hieronymi non legebatur, certissime non possumus eadem uti ad quæstionem præsentem resolvendam. Credibile tamen est in suis exemplaribus eam legisse LXX. Seniores, qui licet ex *Syriaco* suam translationem adornasse testificentur, tamen Olympiodorus *in Catena in Job*, hebraicum fuisse exemplar quod ab illis dicebatur *Syriacum*, ostendit: Et sane in Theodotionis interpretatione, clausulam illam fuisse receptam, eamque Arabicum Interpretem in sua translatione, Pseudo-origenem Commentariis in Job, Nicetam in Catena, Origenem in Epistola ad Affric., Chrysostomum, Polycronium, aliosque retinuisse compertum est satis; non levis ergo auctoritatis argumentum ex eadem desumi posse videtur ad statuendam Jobi originem juxta tertiam, quam recensuimus opinionem.

Sententiæ huic refragari S. Hieronymum in celebri illo Quæstionum Hebraicarum Libro, in quo errare contendit negantes Jobum ex Nachore descendisse, notum est nobis; quemadmodum & altera ex Oleastro desumpta objectio minime fugit, in qua non solum duo hæc nomina *Jobab*, & *Job* diversa esse dicuntur, sed ulterius diversis etiam literis scribi, quia *Job* per *aleph*, *Jobab* autem per simplex *Jod* exaratur. Alia denique oppositio ex inconvenienti illo deducta quod Judices in Edom nonnisi post Regum mortem imperare cœperunt, proindeque Zara Jobab Pater, post Filii Jobab mortem judex debebat incedere, resolvitur a Petavio loco proxime laudato; eam proinde relinquimus, eo vel maxime quod opinionem istam minime labefactare videatur, propositum namque inconveniens, nisi decipimur, nil ad rem est, sive Jobab sit idem cum Job, sive diversus.

Ad S. Hieronymi auctoritatem respondent Eruditi sæpe sæpius S. Doctorem in eo Libro Hebræorum potius opinionem, quam suam propriam exponere: animadvertunt ulterius tres in Sacris Literis homines recensori, qui nomine *Hus* appellabantur. Primus est Hus filius Aram, & Semi Nepos, de quo Genes. 10. ℣. 23. Secundus est Hus primogenitus Nachor Genes. 22. ℣. 21. Tertius est ex descendentibus Esau Genes. 26. ℣. 28. Credibilius itaque existimant homines doctrina præclarissimi quod terra *Hus* nomen a Semi Nepote, quam a Nachoris filio desumpserit, cum id LXX. Interpretes adfirment, quibus minime refragatur S. Hieronymus in Tradition. Hebraicis ad Cap. 10. Geneseos ita scribens = Hus Traconitidis, & Damasci conditor inter Palæstinam, & Cœlen-Syriam tenuit principatum, a quo LXX. Interpretes in Libro Job, ubi in Hebræo scribitur *terra Hus*, regionem Ausitidem, quasi Husitidem transtulerunt = Eumdem locum Jobi patriæ adsignant Adricomius in *Theatro terræ Sanctæ Cap.* 95., ac Holmannus in *Lexico Univers. Verb.* Hus. Calmetus pariter Hus constituendam putat ad orientem Jordanis, & Galaaditidis non longe a Bosra in regione vereri nomine *Ausitide* appellata.

Nullius denique momenti alteram objectionem Oleastri faciunt, cum non semper iisdem characteribus idem nomen scribatur, deesse insuper aliquando potest litera *aleph*, cum sit ex literis, quas deficientes appellant Hebræi; in illo insuper nomine cum apponitur, sono destituta est, cum sit quiescens, ut ajunt. Ex his verosimilior tertia sententia de Jobi origine, & patria remanere videtur. (W)

Dei cultum, vel prædicendo futura myſteria aut repoſita a Deo præmia ſcripſerunt, id totum in Pſalmis David breviſſime comprehendit. Nam in Pſal. 8. 77. 103. 104. 134. & aliis creationem mundi, res geſtas Patriarcharum, captivitatem Ægyptiacam, plagas Ægypti, peregrinationem populi in deſerto, ingreſſum in terram promiſſionis, & alia id genus luculenter exponit; in Pſal. 118. Legem divinitus traditam miris laudibus effert, atque ad eam cuſtodiendam omnes inflammat. Adiiciam ego divinum hunc librum anticipatam etiam eſſe novi Teſtamenti & Chriſti myſteriorum ac Legis Evangelicæ delineationem & Synopſin. Nam in Pſalmis 2. 15. 21. 44. 68. 71. aliiſque plurimis Chriſti Domini regnum, ortum, prædicationem, miracula, Paſſionem, Reſurrectionem, Aſcenſionem, & Eccleſiæ propagationem ac perſecutiones ita perſpicue ac manifeſte prænuntiat, quaſi in proſpectu habuiſſet, potiuſque Evangeliſta quam vates videatur.

Porro hic Pſalmorum liber, ut ſcribit S. Auguſtinus [a]: *Quæcunque utilia ſunt, ex omnibus continet; futura prædicit, veterum geſta commemorat, legem viventibus tribuit, gerendorum ſtatuit modum. Et ut breviter dicam, communis quidam bonæ doctrinæ theſaurus eſt, apte ſingulis neceſſaria ſubminiſtrans*, Et infra: *Pſalmus dæmones fugat, Angelos ad adjutorium invitat; ſcutum enim in nocturnis terroribus, diurnorumque eſt requies laborum, tutela pueris, juvenibus ornamentum, ſolamen ſenibus, mulieribus aptiſſimus decor, &c.*

[a] *in Prolog.*

Librum hunc ספר תהלים *Sepher Thehilim*, librum laudum, ſeu hymnorum; non quod nullæ querelæ, deprecationes, gratiarum actiones in eo contineantur: ſed ita dicitur a parte potiori; major enim Pſalmorum pars in celebrandis Dei laudibus expenditur. Quod ut ſplendidius affulgeat, obſervandum eſt, Tertiam Scripturæ partem quam dicunt *Poeticam*, ternario librorum contineri, Poeſis enim ſacra dividitur in tria genera; nimirum in CARMINA quæ ſunt cantus lætitiæ: in ELEGIAS quæ animi mœrorem eructant, hinc Ovidius, *& verius Elegi fletibus ora rigant*, & in HYMNOS, qui cordis jubilum & Dei laudes enarrant. *Primam*, Poeſis ſacræ ſpeciem refert Liber Cantici Canticorum: *Secundam*, Liber Job, & Jeremiæ Threni, &c. *Tertiam* vero, hic Pſalmorum Liber.

Scio equidem Joſephum Scaligerum in Animadverſionibus ad Chronicum Euſebii, audacter pronuntiare, non modo Hebræorum metricam nullam unquam fuiſſe, verum etiam eſſe potuiſſe, expendens enim hæc S. Hieronymi verba: *Quid Pſalterio Canerius? &c.* ſcribit: *De Pſalterio magis miror, cum neque in eo, neque in Threnis ullum Canticum ſit metricis legibus adſtrictum, ſed mere ſoluta Oratio, Charactere Poetico animata. Quin Eſaiæ, & aliorum Prophetarum Oratio inſtar Poeſeos aliquando figurata eſt, quam tamen propterea Poeſin eſſe non recte dixeris. Solum Canticum Moſis extremo Deuteronomio, Proverbia Salomonis, & totus Liber Job quadam Rhythmi neceſſitate cohibentur, qui Rhythmus eſt inſtar duarum dimetriarum Jambicarum, & tinnulus accedit ad aures, ſed aliquando pauciorum ſunt ſyllabarum, aliquando plurium, quales Græcorum* εἶχοι καθαληκτικοὶ βραχυκαθαληκτικοὶ ὑπερμέτρους: *non utique quod compoſitio fiat* κατ' ἰσοχωλίαν, *ut in Græcis ſolet; neque enim hoc exprimi poteſt Idiomate Hebraico, ſed quantum ſententia poſtulat, Rhythmus nunc largior, nunc brevior, &c. Nam ut in Hebraico, Syriaco, Arabico, & Abyſſino Idiomate, ulla metri ſpecies concipi poſſit, nemo efficere poteſt, quia id natura ſermonis non patitur.* Verum enimvero quantum hic hallucinetur Scaliger, primo quidem in eo quod aſſerit nullam metri ſpeciem in Hebraico, Syriaco, & Arabico concipi poſſe: quod id natura ſermonis non patiatur, difficile non erit demonſtrare; nam dantur in eis Linguis vocales breves & longæ: quid ergo obſtat, quominus ex iis naſcantur ſyllabæ breves & longæ; ex harum diſpoſitione, pedes, & ex horum ordinatione, varia Carminum genera? Quod vero adiicit Arabicum Idioma metrum non admittere, ignorantiam illius luculentiſſime redarguunt Philip. Guadagnolus in Arte Metrica, Inſtitutionibus ſuis Arabicis adjecta; Samuel Clericus in Proſodia Arabica, cum Carmine Tograi a Pokokio illuſtrato, Oxonii edita: M. Joann. Fabritius appendice de Poeſi Arabum ſpecimini ſubjuncta. Demus tamen Hexametra & Pentametra ad Analogiam Linguæ Latinæ, vel Græce, ab Hebræo, Arabicove Idiomate haud admitti, quis dicat idcirco nullam metri ſpeciem concipi poſſe?

Quin etiam Pfeipfferus, [b] Scaligero metrum omne in Scriptura neganti aures ſubſtringit, variis argumentis & auctoritatibus comprobans revera in ſacris Libris (iis maxime qui Poetici dicuntur) admittendam eſſe Artem metricam; tametſi difficillimum ſit definire quodnam fuerit illud metri genus; utpote cum plurimæ Hebræorum, aliorumque Veterum Artes & Diſciplinæ omnino fuerint antiquatæ, ita ut leve dumtaxat earum veſtigium appareat.

[b] *In dubiis vexatis Scriptura Centur. 3. teſt. 601.*

Scaligerum etiam flagellat Joſephus [c]: καὶ μουσῆς οἱ ἔπος εἰς τὴν θεὸν ἐγκωμίον τε καὶ τῶν εὐεργεσιῶν ἡ χαριστήριον ποιήσασθαι ἐν ἑξαμέτρῳ τόνῳ συνέθηκεν *Et Moſes Carmen laudis Dei, & ob præſentem favorem gratiarum actiones continens Hexametro Verſu compoſuit.* Idem habet alibi, cui concinit Euſebius, qui Hebræorum Doctrinam & ſapientiam expendens, ait [d] *Habent quoque opera ſua Verſuum numeris comprehenſa, cujuſmodi eſt magnum illud Moſis Carmen, Pſalmuſque Davidis centeſimus-decimus-octavus; quod utrumque eo Verſuum, quod Heroicum Græci vocant, genere continetur. Quippe Hexametris ſyllabarum ſexdecim ambo conſtare dicunt, Reliqua vero Carminum apud eos genera, ex Trimeſtris ac Tetrameſtris Verſibus, pro Linguæ ſuæ proprietate, conflata perhibentur, &c.* Compertum id erat Juliano Apoſtatæ; qui teſte

[c] *Lib. 2. de Antiq. cap. 11.*

[d] *Lib. 11. Præpar. Evang. cap. 5*

Cy-

Cyrillo Alexandrino contra Julianum, Lib. VII. Sect. 2. *Diſciplinarum, dicebat, ſtudium in liberalibus Artibus exercitatio, non ut Hebræorum, ſunt rudia & barbara, quamvis malus Euſebius velit eſſe quædam apud eos Hexametra.* Hieronymus autem non in uno idem profeſſus eſt loco. Ita Epiſt. ad Paulinum de Jobo ait: *Proſa incipit; Verſu labitur; Pedeſtri ſermone finitur.* Ac de David ibidem: *David Simonides noſter, Pindarus, & Alcæus: Flaccus quoque, Catullus, atque Serenus, Chriſtum lyra perſonat, & in decachordo Pſalterio, ab inferis excitat reſurgentem.* Et in Præfat. in Jobum: *Quod ſi cui videtur incredulum, metro videlicet apud Hebræos, & in morem noſtri Flacci, Græcique Pindari, & Alcæi, & Sapphus, vel Pſalterium, vel Lamentationes Jeremiæ, vel omnia ferme Scripturarum Cantica comprehendi, legat Philonem, Joſephum, Origenem, Cæſarienſem Euſebium, & eorum teſtimoniis me verum dicere comprobabit.*. Porro ibidem a C. 3. uſque ad C. 42. v. 6. ait, *Hexametros Verſus eſſe Dactylo, Spondeoque currentes & propter linguæ Idioma, crebro accipientes & alios pedes, non earumdem ſyllabarum, ſed eorumdem temporum.* Et Præf. in Chron. Euſeb. dicit: *Salomonis & Jobi Scripta Hexametris & Pentametris conſtare.* De Pſalterio vero hæc habet: *Quid Pſalterio Canorius? Quod in morem noſtri Flacci, & Græci Pindari nunc Jambo currit: nunc Alcaico perſonat: nunc Sapphico tumet: nunc ſemipede ingreditur.* Sic & Iſidorus Hiſpalenſis, Orig. Lib. I. cap. XVIII. *Jobum Hexametro Verſu, Dactylo, Spondeoque decurrere, ſcribit.*

His accedit recentium Judæorum ſententia; contendunt enim non minus elegantem eſſe in Hebræa Lingua Poeſin, quam in alia quavis. Ita Abarbanel: *Initium ſuum*, inquit, *illa* (Carmina Ethnico metrica) *ceperunt in captivitate noſtra, apud Filios Iſrael, inter Iſmaelitas habitantes, a quibus illi iſta didicerunt; ad illorum imitationem ſimilia faciendo in Lingua Hebræa, imo longe excellentiora quam Iſmaelitæ in Lingua ſua.* Ubi ſub injurioſo atque impacto Iſmaelitarum nomine, Chriſtianos recutitus ille ſuggillat.

Non deſunt etiam rationes idem ſuadentes; primo quidem veriſimile eſt Græcos, ut omnem cæteram Literaturam, ita & Poeticam ab Hebræis didiciſſe. Deinde occurrunt in Libris metricis aliqua ſpeciem habentia licentiam Poeticæ, & ob metri neceſſitatem celebriores illic videntur Elypſes, Paragogæ, &c. Et alia id genus quæ artem Poeticam ſapiunt. Denique conſenſus Veteris Eccleſiæ, illuſtriorumque Patrum, Athanaſii, Ambroſii, Euſebii, Hieronymi, Auguſtini, qui tametſi diſtincte non exprimat ſpeciem Carminum in Scriptura ſacra inveniendorum, nihilominus plures Libros ſacros metrice editos eſſe ingenue fatetur Epiſtola ad Numerium. a *Quibus numeris conſtent Verſus Davidis*, inquit, *non ſcripſi, quia neſcio. Neque enim ex Hebræa Lingua (quam ignoro) potuit etiam numeros Interpres exprimere, nec metri neceſſitate ab interpretandi veritate amplius quam ratio ſententiarum ſinebat, digredi cogeretur. Certis tamen eos conſtare numeris, credo illis, qui eam Linguam probe callent. Amavit enim Vir ille ſanctus Muſicam piam, & in ea ſtudia nos magis ipſe, quam ullus alius accendit.*

a *Epiſtola* 131.

Verum, inquies, quomodocumque rem aggrediamur, ſub leges conſtantes Hexametrorum & Pentametrorum ſacros Libros, quos Poeticos dicunt, cogere non poſſumus; tametſi enim in eis Libris Hexametra Carmina interdum occurrant, inde argumentum non eſt eos eſſe metrice conſcriptos: certum enim eſt Hexametrum Carmen non denominari ab uno vel altero Hexametro Verſu, qui & in Proſa oratione interdum occurrit, ſed a perpetua iſtius menſuræ obſervatione; Alias metrice conſcriptum quoque eſſet Novum Teſtamentum; nam Pentametros Luc. XIV. 30. & Rom. VI. 13. Hexametros vero Lucæ XXI. 18. invenies in media Oratione ſoluta. Hæc difficultas adeo Recentium Auctorum torquet ingenia, ut vix in ejus diſcuſſione habeant quid certo definiant, etiam ipſimet Judæorum Doctores. Nam Abarbanel cum ea in re dubius hæſiſſet, ne tamen nihil diceret, duplex Carminum genus apud Antiquos in uſu fuiſſe, ait; *Unum* accommodatum eſſe ad certas melodias certis inſtrumentis Muſicis competentes, ad quas Auctoribus ſemper reſpiciendum fuerit, cumque melodia jam brevior, jam longior eſſet, hinc quoque eos jam conjunxiſſe verſum longum cum brevi, cum melodia eſſet ex longiori & breviori compoſita; jam brevem cum longo pro ratione melodiæ; itaut hac ratione Verſus primus tertio, & ſecundus quarto longitudine reſponderet: jam junxiſſe duos breves, jam duos longos. *Alterum* genus antiquorum Carminum ratione ſtyli tantum diſcriminat ab Oratione ſoluta; Qua de re videndus eſt ejus Liber in Exod. cap. XV. *Similiter* R. Azaria b, poſtquam varias, etiam Chriſtianorum Patrum adduxiſſet ſententias, tandem concludit, antiquam Poeſim conſtitiſſe, non in numero ſyllabarum vel pedum, ſed in numero rerum, ſeu partium Orationis, ſubjecti & prædicati, & ejus, quod illa copulat in unaqualibet enuntiatione vel verſu. Sic, inquit, in Cantico Moſis, Exod. XVI. v. 15. juxta eum eſt unus Verſus conſtans duobus terminis אזרי eſt ipſi ſimilis & cohærens, unde jam fit Tetrametron. Cæteris pariter Hebræis Doctoribus hac in re aqua hæret, nec eam difficultatem ullatenus poſſunt eluctari. Neque felicius in ea ſuperanda operam poſuerunt aliqui Chriſtiani Interpretes; nam Andreas Maſius in cap. X. Joſue, ingenue fatetur ſe in metrica Hebræorum inveniendа, nonnihil ſtudii, ſed fruſtra poſuiſſe. Ei concinit Marianus c Victorius, qui tametſi proferat ſe in ſacris Libris Hexametros reperiſſe, nihilominus tamen de Carminibus Hebraicis in genere addit, ea non pedum regulis, ut fit apud Latinos atque Græcos, coarctari, ſed libere fluere, ut

b *In Mur. Enaiim Part. 3. cap. 60.*

c *In Notis ad Epiſt. 118. S. Hieron.*

Etruſcorum carmina ſoluta. Eodem fere inclinat Nicolaus Petræus [a]: *Tenendum eſt*, inquit, *Librum Pſalmorum magna ex parte, Canticum vero Salomonis, & Threnos Jeremiæ plane μετρους, eſſe, ſeu Oratione, tota Proſa conſtare, quare operam ſuam ludit, qui numerum & Rhythmum ibi quærit, ubi nullus eſt. Jobum vero, & Proverbia Salomonis; facili negotio dimetiris, ſi nonnumquam in priore, nonnumquam in poſteriore Verſuum membro, ſyllabam aut pedem integrum deſiderari vel abundare advertis*. Verum, inquit, Pfeifferus, ſi ullum metrum in ſacro Codice eſſet id in Pſalterio & Canticum Canticorum reperiretur. Nam ſi iſtos Libros fatearis eſſe μετρους & Proſaicos, neſcio quæ nos cogat ratio, ut in Jobo & Proverbiis metrum concedamus, præſertim tale, quod nullam ſtatam rationem habeat pedum & ſyllabarum. Quamobrem recte dicitur LIBER HYMNORUM. *Hymnus* autem proprie eſt laus Dei metrice ſcripta: *Pſalterium* vero univerſum Hebraice compoſitum eſt metrice, tametſi apud Græcos & Latinos metrum non ſervarit Pſalmorum translatio. Hoc autem intereſt inter hymnum, Pſalmum, Canticum, & Pſalmum Cantici, ac Canticum Pſalmi, quod *hymnus* ſit ſermo in Dei laudem metrice compoſitus, ſive ore, ſive humana voce, ſive inſtrumento muſico recitatus. *Pſalmus* vero eſt ſonus organi, ſine ulla hominis voce. *Canticum* eſt vox cantantis hominis, ſine organi concentu. *Pſalmus Cantici* dicitur dum Cantore præcinente organi modulatio ſubſequitur: *Canticum Pſalmi*, e contra cum vox humana concentum ſequitur organi, ut docent SS. Hilarius & Chryſoſtomus [c].

[a] *Metric. Hebr. 52. Obſerv. 3.*

[b] *Centur. 3. n. 10.*

[c] *in Prolog. Pſal.*

XII. Univerſum Pſalterium diſtribuunt Hebræi, teſte S. Hieronymo [d] in quinque libros, ubicunque enim ad finem Pſalmi ſcriptum eſt *Amen, amen*, ibi terminari librum exiſtimant; hoc autem repetitum legimus ad finem Pſalmorum 40. 71. 88. & 185. quibus quatuor Libris, quintum adiiciunt 106. uſque ad 150. At illam Hebræorum ſententiam, improbat ibidem S. Hieronymus, & S. Hilarius Prologo in Pſalmos. Idque ſuadent auctoritatibus novi Teſtamenti in quibus Liber Pſalmorum unicus dicitur: Sic Chriſtus Dominus Lucæ X. ait: *Dixit David in libro Pſalmorum*: & Act. *Scriptum eſt enim in libro Pſalmorum*.

[d] *Epiſt. ad Sophronium.*

XIII. Varias Scriptores Chriſtiani proferunt Pſalmorum diviſiones: potiſſima vero mihi videtur ea, quæ fit in quatuor partes, a cauſa formali deſumptas, qua Pſalmorum alii dicuntur *Alleluia*, ſive *Iubilæi*, qui cordis gaudium eructant, & in Dei laudes prorumpunt, quales ſunt, *Lauda anima mea Dominum, &c. Laudate pueri Dominum, &c.* Alii *Cantica*, quia ore & humana voce a Levitis & Sacerdotibus canebantur; qualia ſunt *Cantica quindecim graduum*; ideo ſic dicta, quod David dum aſcenderet ad tabernaculum Domini, per quindecim gradus, in eorum quolibet Pſalmum unum decantare volebat, in quorum ſine ſacri Miniſtri ſe ſe invicem compellebant ad laudandum Deum his verbis: *Ecce nunc benedicite Dominum omnes ſervi Domini*. Alii denique dicuntur *Intellectus*, qui in futurum profundius aliquid de Deo ſpeculantur, ut eſt Pſalmus, *Miſericordias Domini in æternum cantabo*. Alii *Orationes* quæ ferventiori animo pronuntiantur, ut ſunt, *Exaudi orationem meam &c.* De vultu tuo, *Iudicium meum prodeat; &c.* S. Hieronymus alteram diſtributionem repetit a fine in quem Pſalmi collimant, quemque intendebat vel Propheta, vel Chriſtus, vel Eccleſia, quorum nomine Pſalmi editi ſunt & recitari ſolebant.

Poſſunt brevius & clarius diſtribui Pſalmi, *Primo* in eos quibus confitemur beneficia accepta, & delicta commiſſa: *Secundo*, in eos quibus petimus bona corporis & animæ. *Tertio* in eos quos recitamus in Dei laudem & gratiarum actionem.

XIV. Non ordinantur Pſalmi ſecundum rationem temporis quo ſcripti ſunt. Certum eſt enim illum, qui nunc ordine tertius eſt, ſcriptum fuiſſe quando David fugiebat perſequentem filium Abſalonem, qui vero L. eſt, multo antea fuerat editus; quando videlicet, ob crimen adulterii & homicidii a Propheta Nathan reprehenſus David, pœnitens ac ingemiſcens exclamavit: *Miſerere mei Deus*: Pſalmus autem centeſimus quadrageſimus primus eum etiam præceſſit, ſcriptus eſt enim quando propter Saulis regis metum David in ſpelunca cum ſuis deliteſcebat. Hos vero præceſſit Pſalmus 143. compoſitus poſt reportatam a David de Gigante Goliath victoriam. Denique Pſalmus qui nunc eſt ſeptuageſimus, ordine temporis omnium poſtremus videtur, cum ſcriptus ſit in gratiam Salomonis jam regnare incipientis. Unde ad ejus finem hæc adiiciuntur verba, *Defecerunt laudes David filii Ieſſe*.

XV. Cur autem alia ſerie ſint diſpoſiti, facile non eſt augurari. Non eſt tamen ſpernenda illorum conjectura, Pſalmos ita fuiſſe diſpoſitos, vel ab Eſdra ut ſentire videtur S. Athanaſius [e]: vel a LXX. Interpretibus ut ſuſpicatur S. Hilarius; ut priore numero quinquaginta pertineant ad erudiendos incipientes & pœnitentes in primo vitæ ſpiritualis gradu, quem myſtici emaculativum ſeu *purgativum* appellant: quinquaginta ſequentes qui deſinunt in Pſalmum *Miſericordiam & judicium cantabo tibi Domine* ſpectent ad juſtos proficientes, & conſtitutos in gradu vitæ *illuminativæ*: poſtremi vero totidem, quos concludit Pſalmus *Laudate Dominum in ſanctis ejus*, formant viros ob eximiam ſanctitatem Deo jam familiares in gradu vitæ ſpiritualis, quem *unitivum* dicunt.

[e] *in Synopſ.*

XVI. Ad Auctorem libri Pſalmorum quod attinet, aſſerit Ludovicus Vives [f] ante Origenem, nullum fuiſſe dubium apud Judæos, Davidem, omnium Pſalmorum eſſe Auctorem: poſtea vero quam Origenes eruditione varia ſummaque cœpit oſtendere, quæcunque in Prophetis, maxime Pſalmis,

[f] *in cap. 14. lib 17. de Civit.*

mis, continebantur, ad Chriſtum jam natum pertinere; Judæi his convicti argumentis, ad novas opiniones veteribus ſuorum magiſtrorum contrarias confugerunt: alii unicum omnium Pſalmorum Auctorem Davidem aſſerentes: alii novem duntaxat ab eo conſcriptos; alii omnes qui ipſius nomine præſcribuntur; cæteros vero vel a filiis Core, vel Aſaph & aliis quorum nominibus prætitulantur. Inde factum ut etiam Chriſtiani ſacri Interpretes circa Pſalmorum Auctorem in varias diviſi fuerint ſententias. Nam S. Hieronymus ſcribens ad Cyprianum diſerte pronuntiat: *Scimus errare eos qui Pſalmos omnes David arbitrantur, & non eorum quorum nominibus inſcripti ſunt.* Diſtinctius vero Epiſt. ad Sophronium ſcribit: *Pſalmos omnes eorum teſtamur auctorum, qui ponuntur in titulis, David ſcilicet, Aſaph & Idithum, filiorum Core Eman Efraitæ, Moyſi, & Salomonis, & reliquorum quos Eſdras primo volumine comprehendit.* Eandem tuetur doctrinam Auctor Synopſeos quæ S. Athanaſio tribuitur; eandem & S. Hilarius Prolog. in Pſalm. Oppoſitam vero ſententiam propugnant plerique tum Veteres, tum Recentiores cum Theodoreto, Chryſoſtomo, Euthymio & Caſſiodoro *Prologis in Pſalmos*, qui Davidem omnium Pſalmorum Auctorem agnoſcunt. Unde Philaſtrius [a] inter hæreticos reputat eum qui ſecus ſenſerit. Hac in re variat S. Auguſtinus, nam [b] ſcribit: *Mihi credibilius*, inquit, *videntur exiſtimare, qui omnes illos centum quinquaginta Pſalmos Davidis operi tribuunt.* Et alibi [c]: *Non omnes Pſalmi a Davide editi ſunt. Ipſe enim David ex omni populo quatuor principes Spiritu Sancto mundatos elegit, quorum nomina ſunt Aſaph, Eman, Ethan, & Idithum, ut in quemcumque divinus Spiritus intraſſet, hymnum Deo caneret. David ergo ſolus novem Pſalmos ore proprio cecinit: reliqui autem ab illis quatuor, & a Principibus juxta titulorum inſcriptionem ſunt dicti.*

[a] *hæreſi 126.*

[b] *lib. 14. de Civit. cap.*

[c] *in expoſition. tituli 1. Pſal.*

XVII. Tametſi vero difficile ſit in hac ancipiti materia, quidquam certi ſtatuere; nihilominus quædam extra controverſiam & indubitata eſſe cenſeo. *Primum* quidem revera non omnes CL. Pſalmos Davidem habere Auctorem: ſiquidem Pſalmum 91. cujus titulus eſt *Pſalmus Cantici in die Sabbathi*, & Pſalmus 92. cujus lemma eſt, *Laus Cantici in die ante Sabbathum, quando fundata eſt terra*, exiſtimant Hebræi cum Davide Kimchio editos eſſe & alternis modulationibus decantatos ab Adamo & Eva protoparentibus, matutinis ac ſerotinis horis diei Sabbathi in gratiarum actionem ſuæ & totius mundi creationis. Pſalmum 89. inſcriptum, *Oratio Moyſi hominis Dei*; plerique cenſent cum S. Hieronymo Epiſt. ad Cypr. cui Hebræi magno conſilio adſtipulantur, editum fuiſſe a Moſe cum placare vellet Deum Iſraelitis iratum propter excitatam inter eos ab exploratoribus terræ ſanctæ ſeditionem.

At quidquid ſit de iſtis, certum eſt varios Pſalmos Davide eſſe recentiores, & nonniſi circa tempora captivitatis Babylonicæ conſcriptos. Nam id aperte indicat Pſalmus 136. cujus titulus eſt, *Pſalmus David Jeremiæ*, *in* eo namque lugendus Judæorum in ea captivitate ſtatus deſcribitur, diraque in eos Babyloniorum ſævities, incipit enim, *Super flumina Babylonis, illic ſedimus & flevimus cum recordaremur tui Sion:* concludit vero his verbis *filia Babylonis miſera, beatus qui retribuet tibi retributionem quam retribuiſti nobis.* Nec obſtat inſcriptio *Pſalmus David Jeremiæ*, idcirco enim Davidis nomen præfert, quod ad ipſius Pſalmorum exemplum a Jeremia ſcriptus ſit: ac ſi diceres, *Pſalmus Davidicus Jeremiæ.* Similiter Pſalmus 64. hoc prænotatur lemmate *Canticum Jeremiæ & Ezechielis populo tranſmigrationis cum inciperent exire.* Pſalmus 125. in eundem finem videtur conſcriptus; incipit enim *In convertendo Dominus captivitatem Sion &c.* nulla autem alia captivitas, ab eo tempore quo David arcem Sion cepit II. Reg. cap. V. quam Babylonica contigit cujus fieret converſio & ſolutio, ſubinde hic Pſalmus eſt de illa intelligendus. (29)

XVIII. His tamen non obſtantibus, non immerito Pſalmorum liber, Davidis nomine vulgo inſcribitur: *Primo* quia Pſalmorum

(29) Latente omnium Pſalmorum Scriptore, omnium etiam chronologicam diſtributionem, & ſeriem ignoremus neceſſe eſt. Alicujus tantummodo Pſalmi Auctor certiſſime noſcitur, de quo teſtimonium in Sacris Literis perhibetur, de aliis vero divinandum potius, quam aliquid ſtatuendum omnino eſt. Ne tamen omnia in ancipiti relinquantur, eos indigitabimus Pſalmos in primis, de quorum Scriptore nequimus ambigere; ſubiungentes poſtea quid ex coniecturis de aliis opinemur.

Pſalmus II. certiſſime Davidis eſt, cum id teſtentur Apoſtoli Act. 4. ℣. 25. ipſumque ſcriptum opinantur Interpretes, cum pulſis Jeroſolyma Jebuſæis, ibidem Regni ſedem conſtituit Regius Pſaltes 2. Regum Cap. 3. ℣. 7. & 9. Pſalmus pariter XV. Davidis eſſe dignoſcitur, cum ipſum ei tribuat Apoſtolus Petrus Actorum 2. ℣. 15. compoſitus creditur, dum Sanctus ille Princeps Saulis furiis agitabatur. Davidis pariter eſſe Pſalmum XVII. ex Libro 2. Regum Cap. 22. ſatis erudimur, cum ibidem integer referatur. Poſt Saulis mortem, devictoſque inimicos, jucundiſſima pace, atque tranquillitate Spiritus dum fruebatur Regius Propheta, hunc Pſalmum edidit, ſi inſignes audiamus Commentatores.

Pſalmus etiam XCIV. Davidi adſcribitur ab Apoſtolo Hebræor. 4. ℣. 3. & ſequent.: neque audimus qui ajunt, non data opera, ſed ut orationi inſerviret Apoſtolus Pſalmum hunc ab eodem ſub nomine Davidis eſſe laudatum. Pſalmi XCV. Auctorem Davidem facit Sacer Paralipomenon Libri primi Scriptor ad Cap. 16. ℣. 23., ubi ad verbum ferme recenſetur, quave occaſione Sacer Propheta hunc cum altero Pſalmo compoſuerit ibidem narratur.

Pſalmum etiam CIV. a Davide editum ſupponimus, cum in Cap. 16. Libri I. Paralip. deſcribatur uſque ad ℣. 15., eademque occaſione cum Pſalmo XCV. fuiſſe compoſitum non ambigimus.

Pſalmus CIX. Davidem cognoſcit Auctorem ſuum, cum id ſumma veritas adfirmet apud S. Matthæum Cap. 22. ℣. 42., idque teſtentur S. Petrus Actorum Cap. 2. ℣. 34., & Paulus I. ad Corinth. Cap. 15. ℣. 25., & alibi. Non minus clare ab Apoſtolo Paulo Pſalmus LXVIII. adſcribitur Davidi ad Roman. 11. ℣. 9. ſive illum, cum de Saulis

rum pars maxima ea potiſſimum quæ Chriſti Domini myſteria & futurum Eccleſiæ ſtatum prænuntiat, ab eo fuit edita: quod non obſcure ſignificat Chriſtus Dominus cum librum Pſalmorum indicans, ait Matth. XXII. v. 43. *Quomodo ergo David in ſpiritu vocat eum Dominum dicens, dixit Dominus Domino meo, &c.* quæ luculentius exprimit S. Lucas cap. XX. v. 42. *ipſe David dicit in Libro Pſalmorum*, ubi totum Pſal-

Saulis odio querebatur, compoſuerit, ſive Abſalomi perfidiam, ac ſeditionem dum deſcribere satagebat, cecinerit.

Quamvis octo, quos deſcripſimus, Pſalmorum Auctorem Davidem Sacri Scriptores aſſeverent, quibus certe noſtram ſubiicimus opinionem, non defuere tamen, qui iſtorum nonnullos ab regio ablegarent Pſalmiſta, ad alios omnino, vel ad captivitatem Babylonicam revocantes. Quid ergo de Auctoribus aliorum decerni poterit? Nil certi mehercle. Si tamen Pſalmorum titulos velimus attendere, ſeptuaginta tres Pſalmi Davidi reperiuntur adſcripti, incipiendo nimirum juxta Vulgatæ noſtræ diſpoſitionem a Pſalmo 3. uſque ad 31. recto, & non interrupto numerorum ordine: deinde omittitur in Hebræo titulus Pſalmi 32. Pſalmi ſequentes 33., 34., 35., 36., Davidi accenſentur; Pſalmus vero 37. ſine titulo eſt in Hebræo, ſed nihilominus nonnulli Interpretum eidem adſcribunt. Tres ſequentes Pſalmi uſque ad 40. videlicet Davidis nomen præſeferunt in fronte. Deinde incipit Pſalmus 50., & uſque ad 64. recto numerorum ordine Davidem in titulo ſcriptum tenent.

Tres Pſalmi ſequentes nomine Davidis inſcripti ſub numeris 67., 68. & 69. continentur; ad Pſalmum poſtea 83. tranſeundum, ut Davidis nomen inveniamus in Hebræo. Ab illo ad Pſalmum 100., inde ad 102., poſtea ad 107., 108., 109., procedendum, a quo ad 121., deinde ad 123., 130., 131., 132., 137., 138., a quo recto numerorum ordine uſque ad 144 veniemus, qui ſiquidem omnes ſub Davidis titulo continentur.

Poſt hujuſcemodi, quos recenſuimus, Pſalmos, alii 39. inveniuntur, qui nullius prorſus nomen præſeferunt Auctoris; iſti autem ſunt Pſalmi 1., 2., 10., 33., 43., 66. 67., 71., 103. 104., 105., 106., 110., deinde recto numerorum ordine uſque ad 120., 122., 124., 125., 126., 127., 128., 129., 133., 134., 136., 145., 146., 147., 148., 149., 150.

Moſi etiam undecim adſcribuntur Pſalmi, ſcilicet 89., & deinde recto ordine uſque ad 99. Aſaph deinde Barachiæ filium Auctorem faciunt Pſalmorum duodecim, nempe quadrageſimi noni, & ſeptuageſimi ſecundi uſque ad octuageſimum ſecundum, recto, & minime interrupto numerorum ordine.

Eman Ezraita compoſuiſſe dicitur Pſalmum 87., Ethan vero de Filiis Merari Pſalmum 88. Tres autem Filii Chore communi ſtudio compoſuiſſe dicuntur Pſalmos 41., 43., 44., 45., 46., 47., 48., 83., 84., 86., 87. Iditbum vero Cantor eximius Pſalmum 38. compoſuiſſe narratur. Salomon tandem Rex concinnaſſe exiſtimatur Pſalmum 66., necnon 126. ab Auctore Synopſeos, qui ſub Athanaſii nomine circumfertur. In hebræo tamen ſolus Pſalmus 71. in titulo gerit Salomonis nomen. Iſtis, quos laudavimus, Sacris Auctoribus juxta Hebræorum Codices Pſalmi in titulo adſcribuntur. In Codicibus autem Græcis Ezechieli, & Jeremiæ inſcribitur Pſalmus 64., Filiis Jonadab Pſal. 70. Jeremiæ Pſal. 136., Aggæo, & Zachariæ quinque tribuuntur Pſalmi 137., 138., 143., 147., 148.

Animadvertimus itaque nullius prorſus eſſe roboris argumentum ex Titulorum inſcriptionibus deſumptum ad Auctorem alicujus Pſalmi perveſtigandum; notant quippe Eruditi Homines, vel omiſſum a titulorum Scriptoribus, vel variatum fuiſſe veri Auctoris nomen, ut ex Pſalmis 2., & 94., & 104. manifeſte patet, cum 2., & 104. nulli inſcribantur; nonagelimus autem quartus Moyſi tribuatur, cum tamen omnes iſtos a Davide compoſitos ſit oſtenſum. Pari de cauſa eorum multos, qui Davidis nomine inſcripti leguntur, ad eum pertinere non poſſe revincitur facile, ſi argumentum eorum attendamus, & ſcopum; totus enim ſæpe invenitur Pſalmorum Scriptor ad captivitatem Babylonicam, & ad libertatem ab

ipſamet, atque ſolutionem intentus. Non deſunt tandem qui 150. Pſalmorum unum faciunt Auctorem Davidem, variis ſuffulti, & quidem minime ſpernendis argumentis. Legimus enim 2. Paralip. Cap. 7. ℣. 6. = Sacerdotes autem ſtabant in officiis ſuis, & Levitæ in Organis Carminum Domini, quæ fecerat David Rex ad laudandum Dominum =. Libro pariter Eſdræ 1. Cap. 3. ℣. 10. ſcriptum eſt = Fundato igitur a Cœmentariis Templo Dei, ſteterunt Sacerdotes. . . . ut laudarent Deum per manus David Regis Iſrael; & concinebant in Hymnis Manu David Regis conſcripti = Tandem in fine Pſalmi 71., qui ultimus a Davide compoſitus credi jure poteſt cum ad inaugurationem Salomonis in Regem pertinere videatur, hæc leguntur verba: *Defecerunt laudes David Filii Jeſſe*; quam ſiquidem clauſulam tanti fecit Cardinalis Cajetanus, ut per eam dirimi omnino controverſiam illam: *Num David ſit omnium Pſalmorum auctor?* exiſtimaverit; quandoquidem, ait in Prolog. Pſalm. par auctoritas tituli eſt, ſive ad initium, ſive ad Libri finem eum perlegamus. Quis autem in dubium vertere auderet an Pſalterium ſit Davidis fœtus? Si appoſitam illius fronti legeret formulam: *incipiunt orationes Davidis Filii Jeſſe?* pari ergo ratione cum ad finem ultimi Pſalmi legamus in hebræo = *finita ſunt orationes Davidis Filii Jeſſe*, indubie credendum 150. Pſalmos David compoſuiſſe.

Nec parum huic ſententiæ favere videtur, quod Pſalmi a Sacris Scriptoribus novi Teſtamenti ſemper ſub nomine Davidis recenſentur; ſemel enim ac iterum Prophetæ Regii nomen uſurparunt, quemcumque deinceps Pſalmum citaverint, Librum Pſalmorum abſolute nominant, ſupponentes nullius diverſi Auctoris eſſe opus hujuſcemodi Librum.

Hæc tamen omnia elevare non poſſe videntur vim argumentorum, quæ a diverſæ opinionis Auctoribus proponuntur. Multa profecto ſunt in Novo Teſtamento ex Pſalmorum Libro excerpta Teſtimonia, quæ tamen ſub generali Prophetæ nomine, vel nullius etiam interpoſita nuncupatione proferuntur; cum tamen Apoſtoli Davidem appellare non prætermiſerint, dum aliquem ex ejuſdem Pſalmis textum recitarunt. Magni pariter non facienda videtur clauſula ſuperius indicata, quæ ad finem Pſalmi 71. videtur appoſita, cum neſciamus, cujus manus ille ſit labor; Deinde hoc unum ex eadem ad ſummum oſtendi poteſt, nempe Pſal. 71. eſſe ultimo loco a Davide compoſitum, ſi tamen revera ſit Davidis; quot autem Pſalmi ante ipſum a Sancto Rege ſint editi, incertum omnino eſt; ex eadem propterea ſatis non poteſt inferri totum Pſalmorum Librum ex Davidis opere eſſe derivandum.

In aliquibus Pſalmorum titulis cum vox *in finem* ſcripta reperiatur diu extorſit Commentatorum ingenia, ut ejus legitimum ſenſum auſpicarentur; tali enim pacto LXX. Interpretes verterunt hebraicam vocem למנצח *lamnatſeach*, cujus legitimum ſenſum eſſe deperditum ſuſpicari compellimur ex varietate interpretationum, quas eidem affixas adinvenimus. Interpretes ſiquidem Græci, qui poſt LXX. floruerunt, Seniorum expoſitionem *in finem*, vel *pro fine* nequaquam retinuere, Aquila enim reddidit *Victoriam danti*, Theodotion *in Victoriam*. Symmacus *Carmen Victoriæ*. Cum tamen vox illa pluribus ſit Pſalmorum titulis inſcripta, in quibus querelæ, luctus, triſtia, ac lugubria panguntur, nullatenus præmiſſæ expoſitiones congruere videntur. Hac de cauſa, aliiſque permoti argumentis opinantur recentiores Interpretes vocem illam hebraicam eſſe reddendam *Præfecto Muſices*, quaſi indicaretur Pſalmum, cui inſcribitur, miſſum fuiſſe ad Muſices Præfectum, ut notis muſicis traderetur, atque convenienti modulatione caneretur in Templo Dei. Videatur peculiaris in hanc vocem *Lamnatſeach* Calmeti diſſertatio. (W)

Pſalterium Davidi videtur tribuere, quod præcipuam libri partem ipſe condiderit; quemadmodum Ciceronianarum Epiſtolarum volumen, etſi aliorum plurimorum epiſtolis ad eum ſcriptis conſtet, uni tamen Ciceroni, cujus eſt major epiſtolarum pars, tribuitur. „ *Secundo* quia, ait auctor Sy„ nopſis Athanaſii nomine inſcriptæ, Da„ vid primus poſt inſtitutum Iſraeliticum „ regnum ſpiritum pſallendi a Deo acce„ pit, primuſque Pſalmos compoſuit & „ ſcripſit, & prædictos Pſalmiſtas, utpote „ Aſaph, Idithum, Eman, & filios Core „ ipſe ex Sacerdotibus ſelegit ac inſtituit; „ ſtationem quoque locorum illis, & or„ dinem melodiæ, ac tempus pſallendi ma„ tutinum & veſpertinum determinavit, „ & ita ordinavit, ut alii aperto, alii „ clauſo tabernaculo, alii a dextris, alii a „ ſiniſtris ſtarent: atque ita quidam Deo „ pſallerent, laudemque ac hymnum voce „ canerent: quidam vero confeſſionem ac „ laudem præluderent; illi in muſicis in„ ſtrumentis, citharis, nabliis, ac cymbalis; „ iſti in tubis ſublime perſonarent. „ *Tertio* denique quod in priſcorum hymnorum delectu, ſi aliqui revera ante ipſum fuerint editi, ac modulationis diſpoſitione Davidis cura ita enituerit, ut de ejus nomine tota Pſalmorum collectio dicta ſit. Unde Paralip. II. cap. VII. in dedicatione Salomonici templi legimus, quod *Sacerdotes ſtabant in officiis ſuis, & Levitæ in organis carminum Domini quæ fecit David rex ad laudandum Dominum: quoniam in æternum miſericordia eius, hymnos David canentes per manus ſuas*, ubi Pſalmi & hymni univerſim *Davidici* dicuntur, vel quod maximam eorum partem ediderit, vel quod a priſcis Prophetis editos, & forte temporum ſucceſſu interpolatos recenſuerit, & modulationi ac muſicis inſtrumentis aptaverit. Unde notabile eſt illud Eccleſ. XLVII. v. 15. *David de omni corde ſuo laudavit Dominum, & ſtare fecit Cantores contra altare & in ſono eorum dulces fecit modos*. Concludam itaque verbis Theodoreti, [a] *Quid mea refert ſive hujus (Davidis) pſalmi omnes, ſive illorum aliqui ſint Auctores alii, cum conſtet divini ſpiritus afflatu univerſos eſſe conſcriptos*, (30)

[a] *Præf. in Pſal.*

CA-

(30) Cujuſcumque Auctoris ſint 150 Pſalmi, eos omnes Divino afflante Numine fuiſſe conſcriptos Eccleſiæ Dei tum veteris, cum Novi Teſtamenti conſtantiſſima fuit ſuaſio; eccur ergo in perpetuam, conſtantemque Eccleſiæ doctrinam effutire moliuntur perverſi quidam, docentes quæ non oportet, ut leviores hominum mentes novitatum vento undequaque circumferantur? Quis tantæ ſubſtineat audaciæ protervitatem in pſeudocriticis quibuſdam obgannientibus Sanctum Davidem prophetaſſe abſque eo, quod ſuarum prophetiarum intelligentiam haberet, ſed ulterius an prophetaret neſcium, dum actu prophetabat? Quis tam indigna in Chriſtum, in Apoſtolos, in Spiritum Sanctum, evomentem non horreſcat, quod ſcilicet res, quam animo David verſabat, inſpiraverit prophetias qualeſcumque; Spiritus autem Dei neque verba inſpiraverit, neque mentem? A Chriſto autem, & Apoſtolis verba illa Pſalmiſtæ fuiſſe uſurpata, propter aliquam rei ſignificatæ ſimilitudinem; rebuſque eorum tempore geſtis applicata, incongrue tamen, & præter intentionem dicentis?

Hujuſcemodi deliria non a Spiritu humanæ perverſitatis, ſed a Spiritu tenebrarum ſcatentia, ad eam alliduntur ſtatim petram, contra quam inferorum portæ non prævalebunt. Petrus itaque Spiritu Sancto repletus in die Pentecoſtes Actorum 2. ℣. 30., & 31. ita de Davide loquebatur = Propheta igitur cum eſſet, & ſciret quia jurejurando juraſſet illi Deus de fructu lumbi ejus ſedere ſuper ſedem ejus, providens locutus eſt de reſurrectione Chriſti = Idem ipſe Apoſtolorum Princeps in ſua Epiſtola I. Cap. I. ℣. 10. & 11. adſirmat ſcrutatos eſſe Prophetas, qui de futura gratia prophetaverunt, in quod, vel quale tempus ſignificaret in eis Spiritus Chriſti. Actorum pariter Cap. 4. ℣. 25. teſtantur Apoſtoli Deum locutum eſſe per os David, quæ in Pſal. 2. leguntur. Et tandem ipſemet Chriſtus Matth. 22. ℣. 42. nulla prorſus dubitatione interpoſita, ait a Davide in Spiritu enunciatum eſſe quod legitur in Pſalm. 109. Hæc quidem ſatis ſunt ad revincendam Pſeudocriticorum audaciam. Quæ autem in Pſalmis leguntur, exoratæ a Davide vindictæ in hoſtes ſuos, ad ſenſum legitimum intelligantur oportet. (W)

CAPUT DECIMUM.

De Libris Proverbiorum, Eccleſiaſtæ, & Cantici Canticorum.

SUMMARIUM.

I. *Auctor Libri Proverbiorum quis, qua ætate, quo ordine, & quo fine ſuum Librum una cum Eccleſiaſte & Cantico Canticorum ſcripſerit.*

II. *Variæ Libri* Proverbiorum *inſcriptiones, congruentior tamen* Parabolæ *inſcribitur quam* Proverbia.

III. *Solet etiam appellari* Sapientia *Salomonis, cum in iſto, homo pius, inſtituatur, & juſtus, ut quatuor ejus præcipuæ partes oſtendunt.*

IV. *Proverbiorum Liber, qui Salomoni veroſimilius adſcribitur, ex Hebræo, & Græco Codice a S. Hieronymo Latine redditus eſt.*

V. *Quinam fuerint Agur, & Lamuel, Ithiel & Vebal in hoc Libro memorati.*

VI. *Qua de Cauſa Liber Eccleſiaſtæ vocetur Hebraice* Coheleth, *Latine autem & Græce* Eccleſiaſtes?

VII. *Divinæ auctoritatis ſemper habitus eſt in Eccleſia liber iſte,*

VIII. *Quis ſit hujus Libri ſcopus, & quæ præcipuæ illius partes.*

IX. *An ejus Auctor Salomon ſit exiſtimandus.*

X. *Varii hujus Libri Auctoritatem divinam expugnare, ſed fruſtra, nituntur Hæretici.*

XI. *De Libro Cantici Canticorum, ejuſque loco inter Salomonis opera, & metro.*

XII. *Ad quam Carminum ſpeciem pertineat.*

XIII. *A Thalmudiſtis adſcribitur Ezechiæ, ſed a Salomone editam veroſimilius eſt, non tamen in gratiam filiæ Pharaonis.*

XIV. *In Carmine iſto Chriſti nuptiæ cum quadruplici ſponſa ſignificantur, ſed præſertim cum Eccleſia.*

XV. *Liber iſte divini ſpiritus afflatu conſtriptus oſtenditur contra Hæreticos.*

XVI. *Multiplex hujus Libri diſtributio, & ſtatus Eccleſiæ in eo ſignificati.*

§. I.

De Proverbiorum Libro.

I. PRoverbiorum liber auctorem ſuum non alium quam Salomonem in fronte profitetur, incipit enim, *Parabolæ Salomonis filii David Regis Iſrael.* Tres namque libros compoſuiſſe Salomonem conveniunt omnes, nimirum *Canticum Canticorum, Proverbia* & *Eccleſiaſten.* Rabinorum autem eſt ſententia (ut notat Rodulphus Bainus) [a] *Cantica Canticorum*, etiamnum illum adoleſcentem conſcripſiſſe; *Proverbia* jam natu grandem ac ætate virili; *Eccleſiaſten* vero conſeneſcentem, & morti proximum. Verum ordo, graduſque materiarum contrarium indicat, ſcilicet eum primo ſcripſiſſe Proverbia, deinde Eccleſiaſten, denique Canticum Canticorum, quo ordine in Bibliis inſeruntur.

[a] *Præf. in Proverb.*

His enim tribus libris, ut perbelle docet S. Gregorius Nyſſenus [b] triplicem hominum ad ſanctitatem anhelantium ſtatum, docere voluit & informare. Nam in Proverbiis inſtruit incipientes in virtutis & ſapientiæ ſtudio: in Eccleſiaſte proficientes; in Cantico Canticorum, perfectos informat. Dicam verbis S. Hieronymi, [c] ubi cum notaſſet Salomonem in Scriptura vocatum fuiſſe tribus nominibus, nempe שלמה *Salomonem*, id eſt, pacificum: ידידיה *Jedidiah* vulgo *idida*, hoc eſt, *amabilem Domino*, & קהלת *Cobelet*, id eſt, Eccleſiaſtem: quorum primum ei impoſuit mater II. Reg. XII. v. 24. Secundum, Nathan propheta *ibidem v.* 25. Tertium ipſemet uſurpavit; ſtatim adiicit: *Is itaque juxta numerum vocabulorum tria volumina edidit, Proverbia, Eccleſiaſten, & Canticum Canticorum. In* PROVERBIIS *parvulum docens; & quaſi de officiis per ſententias erudiens. Unde & ad filium ejus ſermo crebro repetitur. In Eccleſiaſte vero maturæ virum ætatis inſtituens; ne quidquam in mundi rebus putet eſſe perpetuum, ſed caduca & brevia univerſa, quæ cernimus. Ad extremum jam conſummatum virum, & calcato ſæculo præparatum in Cantico Canticorum Sponſi jungit amplexibus.* Compendio dixerim, in Proverbiis docet recte & pie vivere: in Eccleſiaſte mundana deſpicere: in Canticis, Deum impenſe diligere: nam Proverbiorum liber Ethica, Eccleſiaſtis naturalia, Canticorum theologica explicat.

[b] *homil. 1. in Cant.*

[c] *initio Comment. in Eccleſ.*

II. Hunc librum appellant Hebræi משלי שלמה *Miſle ſchelmoh*, id eſt, *Proverbia Salomonis*. LXX. Interpretes vero παροιμιαι. *Parœmiæ*, ſeu *Proverbia*: Aquila παραβολαι *Parabolæ*, ut in noſtra Latina editione, quæ in textu quidem *Parabolas* præſcribit, licet titulus *Proverbia*, inſcribatur. Tametſi vero hæ voces diverſæ ſint, in eandem tamen ſignificationem collineant. In primis enim Hebraica vox *Miſle* derivatur a radice משל *Maſal* quæ cum duplici Camets *Proverbium* & *Parabolam* ſignificat: cum Camets & Patach,

tach, denotat *dominari* & *præesse*; aliquando etiam *assimilari*; & per translationem *Parabolizare*, ut ita dicam, hoc est Proverbia & axiomata proferre. Nec absurde quidem, parabolæ namque & axiomata, maxime a Regum Principumque sapientia derivantur; nam ut observat Auctor libri *de regimine Principum* Aristotelis nomine inscripti, *Principis verba pauca, digna, sublimia, & plane regia esse oportet.* Unde
a *homil.* 12. *in Proverb.* S. Basilius a *Valde vero*, ait *ad præcepta morum tradenda refert eum qui scribit, Regem esse: si enim regnum est legitima potestas, manifestum quod ex Rege, alioqui ex hoc nomine digno, exeuntes vitæ præceptiones, multum apud omnes habeant momenti, ad considerandam consequendamque in communi bono utilitatem, & non ad commoda privata respicientes.* Hinc S. Marcus cap. I. v. 22. Christi commendat doctrinam ab auctoritate docendi, *stupebant*, inquit, *super doctrina ejus; erat enim docens eos, quasi potestatem habens, & non sicut Scribæ*, Merito itaque Salomonis, de componendis ad pietatem moribus oracula, dicuntur *parabolæ*, quod a Principe omnium potentissimo ac sapientissimo orta sint.

In idem etiam conspirat LXX. Interpretum versio, cum ejusmodi oracula *Proverbia* seu *Paræmias* dicunt. Hæc enim vox aliquando viam, interdum sermonem, nonnunquam cantum significat. Proverbia vero inquit S. Basilius. b *Non absurde* PAROEMIÆ *dicuntur; Paræmiarum enim nomen, de eo quod in vulgus effertur dictum est; composita enim est vox ex his duabus* παρὰ τὴν ὁδὸν, id est *verbum juxta viam*; seu *usu multorum tritum: quod videlicet Proverbia apud Exteros & in triviis evulgari soleant.* Sunt tamen qui hanc vocem ad sermonem referant, quod Proverbia, vulgari sermone terantur: Alii vero ad cantum, quod modulandis cantilenis interdum deserviant. Unde hæc Salomonis Apophtegmata dici possunt eo animo, ex dictamine Spiritus sancti pronuntiata, ut in triviis & locis publicis passim recitarentur, vulgari celebrarentur sermone, & in sacris Cantilenis usurparentur, quo suavius ac facilius in hominum animos & memoriam subirent. Hæc attendisse videtur Ecclesiasticus, dum Salomonis elogia texens ait, *& replesti in comparationibus ænigmata: ad insulas longe divulgatum est nomen tuum; & dilectus es in pace tua in Cantilenis, & Proverbiis & Comparationibus, & Interpretationibus miratæ sunt terræ.*

b *init. Proverb.*

Frequentior vero, eaque rei significandæ congruentior videtur vox, *Parabola*, quam vulgatus Interpres Aquilæ vestigia premens, Latine reddidit. Hæc enim vox deflexa est a verbo παραβάλλω cujus varias explicationes
c *Psal.* 48. profert S. Chrysostomus expendens illa verba c *inclinabo in Parabolam aurem meam, &c.* maxime vero tres, non plurimum invicem discrepantes. *Parabola*, inquit, *est oratio ænigmatica quam multi dicunt quæstionem, quæ aliquid quidem significat, sed verbis sensum latentem involventibus*, cujusmodi erat illud Sansonis problema: *De comedente exivit cibus, & de forti egressa est dulcedo.* Unde S. Hieronymus expendens hæc Ecclesiastæ verba, d *Cumque esset sapientissimus Ecclesiastes..... composuit Parabolas multas.* Addit *Aliud in medulla habentes aliud in superficie pollicentes.* PROVERBIA *quippe non hoc sonare quod scriptum est, etiam in Evangeliis edocemur; quod Dominus populo in Proverbiis & Parabolis sit loquutus; secreto autem Apostolis dissolverit ea.* Matth. XIII. *ex quo manifestum est & Proverbiorum librum, non, ut simplices arbitrantur patentia habere præcepta; sed quasi in terra aurum, in nuce nucleus, in hirsutis castanearum operculis absconditus fructus inquiritur; ita in eis divinum sensum altius perscrutandum.* Secundo Parabola, *est figura, aut imago, seu alterius rei significandæ similitudo*, quo sensu Christus Dominus in Evangelio plerumque regnum cœlorum, assimilat vel grano synapi, vel sagenæ missæ in mare, vel homini negotiatori, &c. *Tertio* tandem Parabola dicitur sententia quædam acuta symbolica, & a vulgi sensu remota. Veterum enim, maxime Hebræorum, mos erat, doctrinam suam quibusdam verborum involucris tegere, quorum interpretatione, quasi præludiis adolescentum animos ad sacrorum Librorum lectionem informabant, ut observat Eusebius e: *Hac rationali doctrina* inquit, *ab ineunte ætate sacrarum rerum & utilissimarum narratione Historiarum Canticorum, Epodarumque exercitio, compositione ænigmatum, & speculationis allegoricæ disserta elegantique oratione suos erudiebant. Erant enim legum sacrarum, ac ænigmatum apud eos Expositores quos* DEUTEROTAS, *solebant appellare.*

d Cap. 12. v. 9.

e lib. 11. præp. Evan. cap. 3.

Porro quia Proverbia Salomonis eximiæ illius sapientiæ sunt specimina & compendia. Idcirco a SS. Patribus appellari solent Salomonis Sapientia, teste Eusebio, f ubi mentionem faciens Hegesippi, scribit *Non solum autem ipse, sed etiam Irenæus & omnes antiqui Proverbia Salomonis vocare solent sapientiam omnium virtutum præcepta continentem.* Eadem fuit Clementis Romani Pontificis sententia. Nam g recitans fere integrum caput VII. Proverbiorum de muliere prava: *Audiamus*, inquit *quid in Sapientia præcipiat sermo sanctus:* FILI SERVA SERMONES MEOS. Neque solum Proverbiorum librum nomine *Sapientiæ* designat S. Clemens, sed præterea cæteros Salomonis libros eodem titulo condecorat; nam in Epistola ad Jacobum fratrem Domini, Cantica, *Sapientiam Dei* appellat, *dilectio*, inquit, *morti comparatur dicente Sapientia, fortis ut mors dilectio*, quæ verba expressa sunt ex VIII. Canticorum.

f *lib.* 4. *hist. Eccles. cap.* 22.

g *lib. Constitut. cap.* 7.

Scopus & argumentum libri Proverbiorum est, cuique hominum ætati, sexui, statui & generi in quovis rerum occursu leges recte agendi, normamque honestæ vitæ præscribere, qua Deo placeant, familiam probe instituant, Reipublicæ fœlicitati invigilent, & una secum cæteros homines sibi subditos ad æternam beatitudinem promo-

veant & adhortentur. Hoc ipsum indicat ipsemet hujus libri Auctor initio scribens *Parabolæ Salomonis..... Ad sciendam sapientiam & disciplinam, ad intelligenda verba prudentiæ, & suscipiendam eruditionem doctrinæ, justitiam & judicium, & æquitatem.* Quæ verba præclare sic expendit Didymus in Catena Græcorum: *Justitiæ*, inquit, *primus gradus est, ut unicuique quod suum est integre tribuatur, maxime vero ut Deo, quod Dei est. Hinc illa: Dominum ex justis laboribus honora. Regem observa. Parentibus quod æquum præsta, & cæteris denique omnibus quod æquitatis ratio postulat, impertiri cura. Secundus, ut anima eo studio se in omni moderatione & æquabilitate conservet, ut nulla sui parte ad iniquitatem, aut aliquam omnino inæqualitatem inflecti se sinat. Judicium autem est, ut unusquisque seipsum judicare sciat, omneque consilium & votum suum ad bonum honestum dirigat.* Hinc S. Basilius initio Proverbiorum; *Imprimis*, inquit, *Proverbiorum liber, institutio morum est quædam, nec non animi perturbationum correctio. Denique vitæ in universum documentum, frequentes ac breves eorum, quæ sunt agenda, continens præceptiones.*

Habet hic liber capita XXXI. v. 915. Neque enim S. Hieronymo assentior qui in eo, quem habemus, Proverbiorum libro ter mille parabolas putat contineri. Habet etiam hic liber partes principes quatuor, quarum *Prima* præfationis loco præscribit fundamenta & principalia genera virtutum, veram nempe Sapientiam, id est, perfectam Dei cognitionem, & rerum mundialium despectum ac fugam ab initio ad cap. X. *Secunda* a cap. X. ad XXV. præcepta particularia subiicit, necessaria ad virtutum culturam, & debitam officiorum perfunctionem in quovis hominum ordine & gradu. *Tertia* profert varias ejusdem Salomonis sententias, Regis Ezechiæ jussu a Sapientibus & Prophetis sui temporis recognitas & huic operi adjectas a cap. XXV. ad XXX. Quæ homines generatim ad vitam probe & sapienter instituendam, debiteque, tum Deo, tum proximo famulandum, informant & stimulant. Postrema duo capita sunt veluti præcedentium dictorum, & totius doctrinæ synopsis & peroratio in qua Salomon sub nominibus Congregantis & Lamuelis exponit præcepta quibus adhuc puerulus ad veram sapientiam informabatur a matre sua; ad cujus exemplar, mulieris fortis & pietatis studiosæ effigiem delineat, & ei præcepta præscribit.

IV. Hunc librum ex Hebræo Latinum fecit S. Hieronymus: quia vero tunc temporis toto orbe recepta erat & probata, vetus Latina editio ex versione Græca LXX. Interpretum expressa; hinc ne eam prorsus mutasse videretur, ab Hebræo sæpe declinat: qua de causa nostra versio non per omnia exacte & adamussim Hebræo respondet, sed ab eo subinde in Græcam editionem sæpe deflectit. Unde nonnulla sunt in editione nostra vulgata quæ in Hebræo textu desiderantur, quales sunt omnes illi versus, quibus præfixus non est numerus, ut ille postremus capitis IV. *vias enim quæ a dextris sunt novit Dominus, &c.* & ille qui cap. X. medius est inter quartum & quintum, & qui cap. XII. mediat inter XI. & XII. & sic de cæteris quæ passim occurrunt, maxime capitibus XV. XVI. XVII. XVIII. XXII. XXIII. XXV. XXVII. & XXIX. Ubi plures inveniuntur versus qui in Hebræo non apparent: sive quia ætate LXX. Interpretum extabant in integris, quibus in sua versione cudenda usi sunt Hebræis voluminibus, postea vero Scriptorum incuria & oscitantia fuere prætermissa: sive quod ipsi non tantum Interpretes fuerint, sed & Scriptores Hagiographi, ut docet S. Augustinus [a] unde afflati divino spiritu, nonnulla potuerunt ad faciliorem sacrorum voluminum intelligentiam & splendidiorem sub literæ cortice abditi mystici sensus reserationem adiicere.

[a] *lib. 4. de doct. Christ. cap. 7.*

Salomonem hujus libri saltem ex parte Auctorem, consentiunt omnes, idque aperte significat hujus operis initium, *Parabolæ*, inquit, *Salomonis filii David.* At in quæstionem vocant aliqui, utrum integer Proverbiorum liber a Salomone conditus fuerit. Quidam enim parabolas omnes a capite XXV. & deinceps Salomoni abjudicant, aliisque Auctoribus adscribunt, his præsertim moti conjecturis; quod cap. XXV. ab his ordiatur verbis, *hæ quoque parabolæ Salomonis quas transtulerunt viri Ezechiæ regis Juda.* Unde disputator Theologo-politicus concludit Proverbia hæc collecta esse tantum templi secundi; vel certe Josiæ regis ævo. At quam absurde ista commiscatur, statim apparebit. Rursus capitis XXX. hoc est exordium, *Verba congregantis filii vomentis.* Postremum etiam caput, ab iis verbis incipit, *Verba Lamuelis Regis*, quæ, inquiunt non obscure significant librum Proverbiorum, non ab unius Salomonis, sed etiam ex aliorum oraculis esse collectum. Verum, ista mihi videntur leviora, quæ me dimoveant a communi sententia, integrum hunc librum Salomoni adscribente: Hæc enim tria simul capita elevare ac dissolvere quis posset, dicendo cum Salazaro Proverbiorum librum scriptum esse, ut quoddam convivium Sapientiæ & Sapientum, in quo nimirum more prisco, interloquantur alternis Salomon, Agur, & Lamuel, primi Sapientes illius ævi: quemadmodum Plato in suo Convivio Sapientum Pausaniam, Phœdrum, Eryximachum, & Socratem amoris laudes celebrantes; & Plutarchus in suo etiam epulo septem Græciæ Sapientes de legibus perorantes inducit. Itaut Salomon primus, utpote colloquentium præcipuus a cap. X. ad XXIV. parabolas ipse proferat, tum introducat Agurem & Lamuelem suas etiam parabolas & problemata proferentes; ac demum sermonem iterum facere Salomonem proprio nomine, subiiciens videlicet ea præcepta quæ matre suggerente & docente, cum adhuc puerulus esset, didicerat. Viri autem Ezechiæ mutato priori harum

pa-

parabolarum ordine, ſententias Aguris & Lamuelis quæ antea Salomonis Parabolas præcedebant, aut illis erant interpoſitæ, in poſtremum locum tranſtulerunt; ut ſententias Salomonis omnes, ſi paucas duntaxat ultimo loco poſitas excipias, ſimul conjungerent quæ ſane interpretatio probabilis eſt, nec video quid Novatores adverſus eam poſſent regerere.

Nihilominus tamen probabilior mihi videtur communis Interpretum ſententia, nempe ſequentes parabolas a cap. XXV. ante Ezechiæ tempora non fuiſſe copulatas præcedentibus, ſed in aliis ſchedis vel membranis conſcriptas. Ezechiam vero curaſſe ut prioribus in eadem membrana & Codice annecterentur, ut nomen & auctoritatem Salomonis & S. Scripturæ æque ac cæteræ obtinerent. Unde Hebr. חקקו *hetiku* verti poteſt, *antiquarunt & roborarunt*, id eſt, robur antiquitatis eis addiderunt. Hinc Lyranus vertit *fortificaverunt* imponendo eas in libro authentico.

V. Quod vero ſpectat ad voces *Aguris* & *Lamuelis*, putant quidam tempore Salomonis fuiſſe virum quendam integræ vitæ, & ſummæ Sapientiæ nomine *Agur* cujus dicta & ſententias Salomon in ſuum librum tranſtulerit, & hujus viri ſocios fuiſſe Ithiel & *Uchal* ad quos locutus ſit Agur tanquam diſcipulos more prophetico ſequentia verba *ſtultiſſimus ſum virorum, &c.* Cui exiſtimationi favere videtur Hebræus textus, nam verſiculum cap. XXX. ſic effert; *Verba Agur filii Lakeh viſio quam dixit vir ad Ithiel & Uchal*: quocirca Hebræi carpunt noſtram verſionem, quæ verſiculum iſtum ſic reddit: *Verba Congregantis filii Vomentis, Viſio quam locutus eſt vir, cum quo eſt Deus, & qui Deo ſecum morante confortatus, ait, ſtultiſſimus ſum, &c.* Plurimi ſunt qui exiſtiment cum Vatablo, Pagnino & Aben-Ezra Editionem noſtram propriorum illorum nominum duntaxat ſignificationem expreſſiſſe, cenſent enim revera illa eſſe propria nomina quæ veros homines invicem diſtinctos ſignificent. Alii ex adverſo cum Beda, Lyrano, Hugone & aliis, contendunt nomina *Agur*, *Jake*, *Ithiel*, & *Uchal*, quæ propria videntur, eſſe duntaxat ſuppoſititia, & appellative accipienda, ut ſignificent proprietates & dotes Salomonis, uti eas appellative acceperunt & expoſuerunt, tum LXX. tum vulgata Latina editio.

Cenſerem ego, ut hæc utraque ſententia ad concordiam revocetur, nomina illa revera eſſe propria, & diſtinctas exprimere perſonas, quarum nomina Salomon induit & earum ſignificata in ſe traducit. Unde videtur genuina & LXX. & noſtra editio; quæ eorum nominum interpretationem exhibet, ut ſit ſenſus, *Verba Aguris*, id eſt, Salomonis, qui fuit Agur, hoc eſt, *congregans*. Vox enim Hebræa אגור *Agur*, fluit a radice אגר *Agur*, id eſt, congregavit, collegit, colligavit. Et *filius Iake*, id eſt, vomentis, Hebraice בן יקה *Ben Lakeh*; manat enim hæc vox a radice קיא *Ku*, ex quieſcentibus Lamed, Aleph: ſignificat autem vomere. Quia videlicet ipſe Salomon ſuam ſapientiam hic congregavit, ſuamque mentem in Deum collexit, ut ejus divinam doctrinam abunde hauriret, eaque refertus, deinde aliis pleno ore eructaret, tanta, fœcunditate, & abundantia, ut illam evomere videretur; perinde ac fornax eleganter dicitur vomere ſcintillas & ignes: & apud Virgilium; *Umbo vomit aureus ignes*, quia videlicet copioſe illos ejaculatur.

Aliqui ut Aben-Ezra, & Oſorius, pro *filii vomentis* vertunt *filii obedientis* vel *obedientiæ*. Hoc enim ſignificat Hebraice יכי בן *ben Jake*. Si illud a יכה *Jaka* id eſt, allicere, obedire, derives. Unde Aben-Ezra *Salomon*, inquit, *vocatur filius* JAKE, *id eſt, Davidis, cui populi auſcultabant, & obtemperabant, aut potius qui Deo per omnia auſcultabat & obtemperabat*. Unde a Deo vocatur, *vir ſecundum cor Dei*. Verum noſter & alii paſſim *Jake* derivant a קיא *ku*, id eſt, *vomuit*, ut *iod* ſit heemanticum, non radicale. Vertendum ergo *filii vomentis*, Igitur בן יקה *vomentis* ſignificat redundantiam ſapientiæ & ſpiritus in Salomone, ut eam abundantiam quaſi continere non valens, cogeretur pleno ore & gutture effundere, & quaſi vomere; perinde ac David dicens Pſal. XLIV. *Eructavit cor meum verbum bonum* id eſt, præ copia & præſtantia ſapientiæ divinæ, quam cœlitus hauſi, non poſſum me cohibere, quin eam eructem & cum impetu proloquar. Alludit ad muſtum vini generoſi, quod æſtuans & bulliens ſuperne per orificium emittit igneos vapores, halitus, & bullas, adeo ut ſi orificium hoc claudas, vinum ſuo æſtu ipſa vaſa dirumpat; ſpiritus enim vini æſtuantis vaſe contineri nequit: ſimilis erat ſpiritus Davidis & Salomonis, ac ſimilis eſt cujuſvis viri Apoſtolici & divino Zelo affecti.

Porro quia Salomon hanc doctrinam divinitus accepit, ſubiungit Hebræus textus איתיאל *Ithiel*, vox compoſita ex præpoſitione את, quæ ſignificat *ad*, & *eum*, & *ex* nomine אל *el*, id eſt, *Deus*. Itaque duplici ſenſu donari poteſt, ſcilicet *mecum Deus*, vel *ad me Deus*. Noſter ergo Interpres ad ſenſum ſpectans, & hæc cum ſuperioribus nectens, recte tranſtulit, *vir cum quo eſt Deus*. Addit vero *confortatus*, Hebraice *Uchal*, quæ vox fluit a radice אכל *Uchal*, id eſt *potero*, nam eſt futurum *kal* יכל *Jachol*, id eſt, *potuit, prævaluit*: unde Theodotion & Cajetanus vertunt, *potero* & *prævalebo*, quia videlicet vocem Uchal accipiunt ut futurum conjugationis Niphal. Sunt etiam qui vocem Uchal derivent ab אכל *Achal*, id eſt, ac pro אכל *Uchal*, alio puncto legunt אכל *Ochal*, id eſt, comedam, & in hoc eſt *comedo* vel *comedi*: quod recte reſpondet בן יקה *filii vomentis*, quaſi dicat: ego id eructo, & quaſi evomo, quod affatim Deo me cibante & inebriante comedi, quoque totum mentis ventrem & ſtomachum opplevi, & quaſi ſaburravi. Ex quibus compertum fit merito Salomonem nomina iſtorum hominum, & ea vocabula ſibi adſcripſiſſe, utpo-

te qui eorum significationem perfecte impleverit.

Idem testo Judicium de voce *Lamuelis*, quam initio postremi capitis usurpat, dum recenset monita sibi a matre data de cavendo vino & mulieribus, deque sectanda justitia & munificentia. Tametsi enim quis fit ille Lamuel, multum disputent Interpretes, eumque nonnulli putent Ezechiam esse, a matre Abia Zachariæ filia eruditum; major tamen eorum pars, non alium quam Salomonem hoc nomine designatum concedit. Cur autem Salomon vocatus fuerit Lamuel, varias proferunt causas ex variis Analogiis & Etymis illius vocis. *Primo* namque Syrus Interpres vocem *Lamuel* decurtans, vertit *Muel: verba*, inquit, *Muelis Regis Prophetæ*, quemadmodum Galli abbreviantes vocem Emanuel dicunt *Noel*, unde Diem Natalem Christi *Noel* appellant; vox autem MUEL dicitur quasi מאל MEEL, *idest*, *a Deo*, *scilicet electus*, *evectus & consecratus*. R. Salomon autumat Lamuel idem esse quod לאל, *Leel*, idest, Dei, vel Deo, Salomon enim fuit quasi Dei peculium. Aben-Ezra putat eum dictum Lamuel, quasi למו אל *Lemmo el*, idest, *cum illo Deus*; ad quod alludens Nathan Propheta III. Reg. cap. I. v. 37. dixit Davidi *Quomodo fuit Dominus cum Domino meo Rege, sic sit cum Salomone.*

Sunt etiam qui censent vocem *Lamuel* componi ex his duabus עם *em* & אל *el*, idest, *cui in matrem Deus*, Salomonem enim adamavit Deus, ut pater filium unigenitum: unde II. Reg. cap. VII. de eo dixit Deus, *Ero ei in patrem & ipse mihi erit in filium.* Existimat Hugo Cardinalis, vocem Lamuel deflexam esse a nomine Salomon, ac significare *ipsi Deus*, vel *cum ipso Deus*, omissa prima litera (*ſ*) uti pueri a matribus filiis adblandientibus inflexo paulisper nomine proprio, alio vicino delitiose compellantur: quia vero Bethsabea id nominis passim usurpabat dum Salomoni ab ineunte ætate sacra monita daret, inde factum est, ut Salomon id cognominis loco ferret. Quamobrem hoc nomen sibi arrogat, cum accepta matre pia monita dum adhuc esset puerulus, jam ætate grandævus repetit, ut cæteris sint in instructionem & documentum. Ex his omnibus liquet convenientissimam esse nostræ editionis expressionem, cum præfatorum vocabulorum *Agur*, *Jake*, *Uchal* & *Lamuelis* significationem tantum reddit, quo facilius Salomonem his vocibus designatum, ac subinde totius hujus libri Auctorem esset demonstret. (31)

§. II.

(31) Oculatiores Critici scrupulis adhuc nonnullis affligi se noscunt circa Libri Proverbiorum Auctorem, cum in illo ejus indolis legantur nonnulla, quæ diversum prorsus a Salomone videntur sibi vindicare τὸν ἀμύνεγὸν. Eumdem omnino hominem per tria Nomina *Salomonis*, *Aguris*, & *Lamuelis* significari eruditi homines fategerunt ostendere, nec infeliciter; inter quos Coccejus, qui, judice Witsio, præ cæteris illius Nominis *Agur* germanam significationem exposuit; cum enim אגר *Agur*, inquit, recollectum significet, Salomon per Dei gratiam a suis casibus, & erroribus recollectus fuit, ac pristinæ restitutus justitiæ. His acquiescere nihilominus acutiores Critici renuunt, cum in Litera diversi prorsus Characteris *Agur* inveniatur quam Salomon. Iste profecto in Cap. I, Ecclesiastis ℣. 16. se ipsum extollit = Ecce magnus effectus sum, & præcessi omnes sapientia, qui fuerunt ante me in Jerusalem, & mens mea contemplata est multa sapienter, & didici = Cum ab oppositio Agur in Cap. 30. Proverb. ℣. 3. omni sapientia destitutum se fateatur ingenue = stultissimus sum virorum & sapientia hominum non est mecum = Salomon Rex fuit omnique opulentia refertus. Agur autem loco citato ℣. 8. de se ait = Mendicitatem, & divitias non dederis mihi; tribue tantum victui meo necessaria; ne forte satiatus illiciar ad negandum, & dicam: quis est Dominus? aut egestate compulsus furer, & perjurem nomen Dei mei = Hæc profecto Salomon rogare Deum non potuisse videtur. Grotius alteram proponit conjecturam ex verbis Capitis 24. ℣. 23. Proverbiorum hoc modo conceptis: *hæc quoque Sapientibus*, quibus concludere se posse arbitratur sequentes sententias ex Libris Sapientum fuisse adjectas post Salomonem, & ante Ezechiæ tempora. Tandem plurimæ in Proverbiorum Libro leguntur eorumdem versuum, & sententiarum repetitiones, ut patet ex ℣. 14. Capitis 12; & ex ℣. 2. Capitis 13, & ex ℣℣. 5. & 9. Capitis 19. Nec non ex ℣. 11. Capitis 13., & ex ℣. 21. Capitis 20. Aliæ plures omittuntur. Quis modo sibi unquam suadere poterit, toties unum, eumdemque Scriptorem eadem repetere voluisse?

Qui unum volunt Salomonem totius Proverbiorum Libri Auctorem, facillime ab hujuscemodi involucris se expediunt, ajunt itaque sub duplici aspectu seipsum considerasse Salomonem, & in quantum homo erat cœlestibus charismatibus destitutus, suæque relictus humanæ, quam habebat sapientiæ, & in hoc aspectu se merito omnium virorum stultissimum nominabat; & in quantum cœlesti sapientia instructus erat, & sub tali conceptu se jure omnium, qui fuerunt in Jerusalem sapientia excellentiorem prædicabat. Versu autem 8. ejusdem Capitis 30. Proverb. ajunt a Salomone præscriptum esse quid rogare debeat Deum suum unusquisque hominum, nec ulterius extendenda humanæ superbiæ desideria.

Quæ autem a Grotio proponitur conjectura nimia facilitate exsufflatur per solam additionem particulæ *dico*, quod siquidem verbum in versionibus legitur LXX. Interpretum Theodotionis, Symmachi, & Aquilæ; unde sensus est = Hæc autem dico vobis sapientibus = ita pariter legunt Syriacha, & Chaldaica paraphrasis. Eædem tandem repetitæ sententiæ diversitatem Auctorum non satis demonstrant, cum in uno eodemque Psalmo multoties eadem repetita legantur. A quocumque tandem Proverbiorum collectio digesta fuerit, satis est quod illorum Auctor Salomon habeatur; id autem ostenditur satis clare ex Regum 3. Cap. 4. ℣. 32. ubi legimus Salomonem tria parabolarum millia fuisse locutum. In Proverbiorum 1. ℣. 1. Parabolæ Salomonis nuncupantur; idipsum in fronte Capitis 10. scriptum legimus, & cap. 25. ℣. 1. = Hæ quoque Parabolæ Salomonis, quas transtulerunt viri Ezechiæ Regis Juda = & tandem Ecclesiastæ 12. ℣. 9. de Salomone prædicatur = Cumque esset Sapientissimus Ecclesiastes docuit populum, & enarravit quæ fecerat, & investigans composuit parabolas multas = Hæc omnia vix dubitare sinunt num Salomoni Proverbiorum Liber sit ascribendus.

Quod nostra tamen præ cæteris controversiis interesse fatemur, est hujus Libri divina auctoritas, quam ab ipso elevare nonnulli intemperantes Critici moliti sunt contra universam tam Hebrææ, quam Christianæ Ecclesiæ auctoritatem. Ajunt isti: Hoc in libro morales deprehendi sententias, quæ a viro aliquo honesto sine ulla prorsus inspiratione edici potuerunt; *immo infinita inter illas reperiuntur, quæ nonnisi proverbia popularia sunt, quibus revera bona mens inest, sed nihil divini. Monita occurrunt œconomica magno numero, quæ mulierculæ, & rustici ubi vis norunt.*

Quæ

§. II.

De Libro Eccleſiaſtis.

VI. HIc Liber Hebraice dicitur קהלת *Koheleth*, ideſt, Congregator, Collector, Concionator; vox enim hæc oritur a radice קהל *Cabal*, quæ ſignificat congregare cœtum, & ad eum verba facere. Græce vero, indeque Latine dicitur *Eccleſiaſtes*, ſeu concionator; cujus appellationis triplicem cauſam profert S. Gregorius Nyſſenus; *Prima* eſt, quia docet Eccleſiaſtica, quæ ſpectant ad animæ ſalutem: *Secunda*, quia in unum cœtum cogit Eccleſiam ut hanc ejus concionem audiat, qua illam pietatem & virtutem edoceat; *Tertia*: quia repræſentat Chriſtum verum Eccleſiæ Fundatorem & Rectorem; *Qui*, inquit, *Eccleſiaſtes vocatus eſt, tanquam cunctos mortales in Eccleſiæ cœtum vocat, & in concordiam nectit.* Quartam addit S. Gregorius Magnus [a] quod ex confuſo hominum cœtu, & tumultuante turba Eccleſiam ordinaverit, eamque pacatam & piam fecerit, ſuadendo hominibus ut rerum mundialium ſpe & inquiſitione abjecta, uni Deo placere & debite famulari ſtudeat; *Hic liber*, inquit, CONCIONATOR *dicitur: in concione vero ſententia proponitur, per quam tumultuoſæ turbæ ſententia comprimatur. Sed concionator verax quaſi extenſa manu tumultum omnium ſedat, eoſque ad unam ſententiam revocat, cum in ejuſdem libri termino, ait, Finem loquendi pariter omnes audiamus: Deum time, & mandata ejus obſerva, hoc eſt enim omnis homo.*

[a] *lib. 4. Dialog. 4.*

Quanquam autem vox *Cobeleth*, terminationem habeat fœmininam, videaturque potius ſignificare *Congregatricem*, vel *Concionatricem*, quam *Congregatorem* aut *Concionatorem*: quaſi divina Sapientia hic eſſet Concionatrix, ac per Salomonis os & calamum Eccleſiam erudiret; nihilominus revera eſt nomen maſculinum, non enim eſt participium fœmininum in *Kal*, ut quidam putant; cum *Cabal*, non ſit uſitatum in *Kal*, ſed in *Niphal* ut obſervat Mercerus & alii in Lexicis: At eſt *Toar*, ideſt nomen verbale maſculinum, perinde ac apud Latinos, hæ voces *doctus eruditus*, *auditus* & ſimiles, quæ ſæpe non ſunt participia ſed nomina.

VII. Hunc librum indubitatæ ſemper auctoritatis habuerunt Hebræi, æque ac Græci ac Latini; nam ſedem inter Canonicas Scripturas conſtantiſſime obtinuit, ſi nonnullos excipias Hæreticos quos ſuppreſſo nomine recenſet Philaſtrius hæreſi 132. necnon & Judæos quoſdam qui teſte S. Hieronymo in fine Commentarii, & ut refertur in *Thalmude* [b] exiſtimarunt hunc librum favere ſectæ Epicureæ, ſcriptumque a Salomone dum ventri & veneri indulgeret. Quamobrem ab eis deliberatum eſſe de eo repudiando, & penitus abiiciendo refert Maimonides in *more Nevochim* [c]. Quod tamen implere non ſunt auſi, *propterea quod*, inquit, *videbant principium ejus & finem verba Legis continere*, Hoc eſt concordare cum Dei lege. Ipſis hariolatoribus & nugacibus multo impudentior Lutherus, malo ſuo genio actus, effutire auſus eſt in Colloquiis convivialibus de libris veteris & novi Teſtamenti, Auctorem Eccleſiaſtæ videri ſibi *ocreis & calcaribus deſtitutum*, hoc eſt, inquit, *nullam habet perfectam ſententiam, equitat in arundine longa, ſicut & ego dum eram in monaſterio.* Addit etiam Salomonis ſententias, quas menſæ accumbens funderet, fuiſſe ex ore loquentis exceptas, & poſtea in libros diſgeſtas; nimirum Lutherus homo vinolentiæ & crapulæ deditus Salomonem ex ſuo metiebatur ingenio,

[b] *cap. 3.*

[c] *lib. 2. cap. 18.*

Quæ autem Cap. 30. ℣℣. 18. 19., & 20. leguntur, hac perſtringunt iniqua cenſura = Fatendum eſt ingenue ſine ſpiritu prophetico melius aliquid potuiſſe dici. Non ſuo pretio Spiritum prophetiæ æſtimant, qui talia eum dictaſſe credunt = Quæ tandem variis locis Proverbiorum, ſed præſertim Cap. 6. ℣. 1. & Cap. 17. ℣. 18. de non ſpondendo temere pro amicis ſcripta ſunt, veluti doctrinæ Chriſti contraria notantur.

Quid Chriſtianis viris, non ſuaſionis dixero, ſed indignationis potius excitare non poterunt tam nefaria in eum Librum maledicta, atque blaſphemiæ, poſtquam certo cognoſcimus ex Lib. 3. Regum Cap. 4. a Deo infuſam ſapientiam fuiſſe Salomoni, ipſumque in eruditione omnes excelluiſſe Orientales, iſtaque Sapientia duce locutum fuiſſe tria millia parabolas? Proverbiorum librum veluti divinum laudare, atque ex eodem ſententias deſumere non puduit Paulum, Jacobum, & Petrum; & quid ad nos ergo de iis, qui foris ſunt, & quorum ſapientia mera apud Deum ſtultitia eſt? Non ſolus Salomon exempla ad veritatem inſinuandam ex notiſſimis, familiaribuſve deſumpſit rebus, ſed & Iſaias, Propheta certe divinus capite ſui Libri 28. ℣. 23. ita ſe geſſit dum prædicabat = Audite vocem meam, attendite, & audite eloquium meum. Nunquid tota die arabit arans ut ſerat, proſcindet, & ſarriet humum ſuam? nonne cum adæquaverit faciem ejus ſeret &c. = Hæc ſiquidem ſtupidiſſimus quiſque ruſticorum peroptime novit, nec tamen & iſta proponere S. Propheta eſt aſpernatus; quot familiariter a Chriſto dicta leguntur in Evangeliis! ecquid ejus divina Majeſtas propterea vileſcere potuit? Hæc immo divinæ Majeſtatis dignitatem oſtendunt, quæ per tam humilia ſuæ ſapientiæ theſauros maniteſtat.

Nil pariter in ſaluberrimis monitis contra temerariam ſponſionem pecuniarum quod carpi mereatur, dignoſcimus; ad chriſtianam quippe prudentiam pertinere non ambigimus, ut quis in eo, quod poteſt ſit liberalis; ſibi tamen, ſuiſque neceſſaria fraudare, aut fraudandi periculo ob temerarias ſponſiones ſeſe committere, non Chriſtiani charitatem impendentis, ſed prodigi diſſipatoris omnino eſt. Liberalitatem Chriſtus & prædicavit, & exercuit multiplicando panes, & piſces ut ſuccurreret indigentibus, nec tamen fragmenta, quæ ſuperfuerunt ex tam inſigni liberalitate, perire ſubſtinuit. Videant ergo Critici intemperantes, quam ſtulte, quam impie in Sacrum Proverbiorum librum obganniant. (W)

genio, ipſe enim nonniſi pleniſſime potatus quidquam ſcribere ac publice dicere conſueverat.

VIII. Argumentum & ſcopus hujus libri eſt, inquit S. Gregorius Thaumaturgus [a] *aperire, quam vana ſint & inutilia omnia hominum negotia & ſtudia, quæ in humanis rebus ſuſcipiuntur*, ut videlicet homines a rerum caducarum & ſenſibilium amore & inveſtigatione ad cœleſtium & æternarum proſecutionem traducat. Hic enim liber eſt de finibus bonorum, ſive de vitæ vanitate ſcriptus; in eo ſiquidem docetur hanc vitam eſſe variam, ac miſeriis undique eſſe refertam, nec ullam ejus partem beatam. Quamobrem Ederus [b] ex Lyrano hunc librum in decem partes diſtribuit, nimirum decem vanitates quibus vita præſens traducitur: nempe Studium ſcientiarum, cap. I. *Qui addit ſcientiam, addit & laborem:* Appetitum delitiarum, *cap.* II. Deſiderium longioris vitæ, *cap.* III. Ambitionem auctoritatis, præeminentiæ atque dominationis, *cap.* IV. & V. Cupiditatem divitiarum *in medio cap. quinti, & in ſexto per totum:* Artem divinandi, ſeu præſcientiam futurorum, *cap.* VII. Venationem laudis & famæ, *cap.* VIII. Sectationem fortunæ, *in medio cap. octavi, & per totum cap. nonum.* Robur virium corporis *in medio cap. noni & in decimo per totum:* Speciem floridæ juventutis, *cap.* XI. & XII. Ubi ſic concludit: *Memento Creatoris tui in diebus juventutis tuæ.* Item *Deum time & mandata ejus obſerva: hoc eſt omnis homo.*

[a] *init. ſuæ Paraph.*

[b] *in Oeconom. Biblior.*

Hugo Victorinus [c] cenſet illius tantum tres eſſe partes, quibus triplex hominum vanitas deſcribitur, prima *mutabilitatis*, ſecunda *mortalitatis*, tertia *curioſitatis*, ut videlicet oſtendat omnia vanitati eſſe ſubjecta & caduca, tum ea quæ propter homines, tum ea quæ ab hominibus, tum quæ in hominibus facta ſunt, „ In iis enim, „ *inquit*, quæ propter homines facta ſunt, „ vanitas eſt mutabilitatis: in iis quæ ab „ hominibus, vanitas curioſitatis: in his „ quæ in hominibus facta ſunt vanitas mortalitatis. *Paulo poſt:* Prima omnibus rebus caducis ineſt per conditionem: ſecunda hominum mentibus ineſt per rerum tranſeuntium & vanarum inordinatam dilectionem: tertia corporibus humanis ineſt, per pœnalitatem. Prima ergo vanitas naturalis eſt & congrua, quod ex ordinata viciſſitudine rerum tranſeuntium, major univerſitatis pulchritudo eluceſcat, & ex eorum varietate faſtidium cohibetur. Secunda vanitas culpabilis eſt, quia perverſa. Tertia pœnalis „ eſt & miſera .... Prima, cauſa eſt peccati; Secunda peccatum: Tertia pœna „ peccati. Vanitas ergo cupiditatis in mutabilitate vanitatis arguitur; in vanitate „ mortalitatis punitur. „ *Hæc ille:* Seraphicus Doctor S. Bonaventura paulo aliter rem effert, nempe per vanitatem naturæ, culpæ & miſeriæ.

[c] *in primum cap. hujus lib.*

Verum duas principes hujus libri partes eſſe cenſeo: ſunt enim capita 12. verſiculi 166. *Prior pars* eſt a cap. I. uſque ad caput VII. qua oſtendit res omnes hujus mundi ſublunaris, quarum poſſeſſione & fruitione, homines maxime gloriantur & delitiantur, inanes eſſe, caducas, & vanas; ac proinde vanam eſſe earum inquiſitionem, & inane hominum ſtudium, in re tam inſtabili & incerta fœlicitatem inquirentium. *Poſterior* a VII. cap. ad finem uſque, ubi jam demonſtrata rerum caducarum varietate, oſtendit veritatem, veramque fœlicitatem hujus vitæ non alibi quam in Dei amore, timore, & cultu eſſe collocandam. In Primo igitur capite, eos refellit qui ſummum bonum, in ſcientiis collocant: in Secundo item ac Tertio capitibus eos redarguit qui in voluptate corporea finem bonorum & beatitatem ſtatuunt: Quarto cap. & ſequentibus eos culpat qui in divitiis & opibus fœlicitatem poſuere. Septimo cap. de tribus bonorum generibus diſſerit: animi, inquam, corporis, & fortunæ, deque contrariis malis: Quis horum omnium ſit uſus, utque res omnes noſtræ a divina pendeant Providentia, luculenter oſtendit. Hinc ad finem uſque libri, de vita pie ac juſte tranſigenda, quo tandem Deo conjungamur, & felicitate perfruamur æterna, concionatur. Prior itaque hujus libri portio in refellendis vanis aliorum hominum ſtudiis & ſententiis occupatur, in ſex prioribus capitibus: Altera vero totidem capitum pars in confirmanda ſua ſententia verſatur.

IX. Auctorem hujus libri Thalmudiſtæ [d] Ezechiam Regem putant: Zorobabeli illum adſcribit Grotius. Verum univerſus pene Interpretum cœtus illum Salomoni adjudicat: idque confirmat imprimis Libri inſcriptio ſeu exordium *verba Eccleſiaſtæ filii David Regis Jeruſalem*; quis enim alius filius David Jeroſolymorum Rex, hujus operis cenſeri poſſet Auctor quam Salomon? Tametſi enim de Ezechia II. Paralip cap. 29. legamus, *Fecitque quod erat placitum in conſpectu Domini juxta omnia quæ fecerat David pater ejus;* ubi etiam filius David appellatur; nihilominus tamen illum initialibus libri Eccleſiaſtæ verbis, non fuiſſe deſignatum, oſtendunt ſequentia ejuſdem primi capitis verba v. 16. *Locutus ſum in corde meo dicens: Ecce magnus effectus ſum, & præceſſi omnes ſapientia qui fuerunt ante me in Jeruſalem*, quæ ſoli Salomoni tribuenda eſſe, teſtis eſt Deus ipſe, cujus ad Salomonem hæc ſunt verba III. Reg. cap. V. 12. *Ecce feci tibi ſecundum ſermones tuos, & dedi tibi cor ſapiens & intelligens in tantum ut nullus ante te ſimilis tui fuerit, nec poſt te ſurrecturus ſit. Sed & hæc quæ non poſtulaſti, dedi tibi, divitias ſcilicet & gloriam, ut nemo fuerit ſimilis tibi in Regibus cunctis retro diebus.* Quæ verba nulla ratione Ezechiæ quadrare poſſunt: ſicut nec iſta *Inveni amariorem morte mulierem quæ laqueus venatorum eſt; & ſagena cor ejus; vincula ſunt manus illius.* Necnon & iſta cap. II. *Magnificavi opera mea, ædificavi mihi domos, & plantavi vineas, feci hortos*

[d] *cap. 1. Bathra.*

& po-

& pomaria, & consevi ea cuncti generis arboribus, & extruxi mihi piscinas aquarum, ut irrigarem sylvam lignorum germinantium; possedi servos & ancillas, multamque familiam habui, armenta quoque & magnos ovium greges ultra omnes qui fuerunt ante me in Jerusalem; coacervavi mihi argentum & aurum, & substantias Regum ac Provinciarum: feci mihi cantores, & cantatrices, & delitias filiorum hominum, scyphos & urceos ad vina fundenda, & supergressus sum opibus omnes qui ante me fuerunt in Jerusalem; sapientia quoque perseveravit mecum. Quæ omnia in Salomonem ita quadrant, ut distinctius & expressius designare non potuerit.

Hinc facile præcluditur levissima Grotii conjectura, hunc librum Salomoni abjudicantis quod multa in eo occurrant vocabula, quæ non alibi quam in Daniele Esdra & Chaldæis Interpretibus reperias. Enimvero quidni hæc peregrinarum vocum copia proficisci potuit a Salomone, & in hunc librum ingeri cum eum ut aliqui Hebræi tradunt, scripserit jam senex, & resipiscens ac pœnitens pristinæ vitæ: cum enim eo tempore jamdudum consuetudinem habuisset cum mulieribus extraneis maxime Ægyptiis, Moabitis, Ammonitis, Idumæis, Sidoniis, &c. Seseque ita illis permisisset, ut veri Dei cultu neglecto, in Idololatriam lapsus fuerit; Verisimile est eum avita religione, patriam quoque ac genuinam loquelam corrupisse, ac plurimas ex istis mulieribus voces exteras hausisse. *Accedit* quod cum liber hic Judæis frequentior fuerit ac familiaris, utpote sententiarum gravitate undique refertus, plurimumque conducat ad honorum mundialium vanitatem, & inanitatem demonstrandam; mihi non levis conjectura est, eum tempore captivitatis Babylonicæ, Judæorum manibus, præ cæteris sacris Libris fuisse tritum, ac pluries tunc temporis descriptum. Unde fieri potuit ut plurimæ Chaldaicæ voces & dictiones, quibus Judæi tum assueverant, in hunc librum irrepserint, quas Esdras sacrorum Librorum post restitutam libertatem Restaurator, mutare noluit, quod jam Hebræorum vulgus illis assuevisset. (32)

X. Hujus libri dignitatem, & sanctitatem oppugnant, nonnulli Hæretici his maxime quatuor momentis: *Primo* quod Dei creaturas, omnino bonas damnare videatur, ut vanas & noxias, sicque Manichæorum errori patrocinari. *Secundo* quod æternitatem mundi statuere videatur, cum ait nihil esse sub Sole novum, & terram in æternum stare. *Tertio* quod homines ad vitam belluarum ritu transigendam stimulet, cum ait nihil esse melius quam comedere & bibere, ac frui voluptatibus, quæ ex gustu, aliisque corporeis sensibus percipiuntur, quasi sit unicus vitæ fructus; neque aliud laborum suorum ac virtutis præmium homo sperare debeat. *Quarto* quod gravius est, in dubium revocare videtur immortalitatem animæ, cum ait cap. III. *Unus interitus est hominis & jumentorum, & æqua est utriusque conditio: sicut moritur homo, sic & illa moriuntur: similiter spirant omnia, & nihil habet homo, jumento amplius. Cuncta subjacent vanitati, & omnia pergunt ad unum locum: de terra facta sunt, & in terram pariter revertuntur. Quis novit si Spiritus filiorum Adam ascendat sursum; & si spiritus jumentorum descendat deorsum? Et deprehendi nihil esse melius quam lætari hominem in opere suo, & hanc esse partem illius. Quis enim cum adducet, ut post se futura cognoscat?* Cap. IX. v. 5. *Viventes sciunt se esse morituros; mortui vero nihil noverunt amplius, nec habent ultra mercedem, quia oblivioni tradita est memoria eorum.* Et v. 10. *Quodcunque facere potest manus tua, instanter operare; quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia erunt apud inferos, quo tu properas.* Inde hujus ætatis nonnulli homines perversi, qui in sacris voluminibus non tam vitiorum suorum medelam, quam impietatis patrocinium quærere soliti sunt, finem & scopum librorum non spectantes, ista hisque similia Ecclesiastæ oracula, quæ cum ipsorum libidine facere videntur, avide arripiunt ut eis suæ patrocinentur licentiæ, perinde ac si talem habituri sint judicem Deum, quales ipsi sunt de se judices.

Verum, si qui ejusmodi argumenta adversus hujus Libri sanctitatem effutiunt, Ecclesiastæ scopum propositum altius penetrassent, novissent utique ista omnia, non ex sua, sed hominum vanitati studentium sententia proferre Salomonem. Cum enim ejus scopus sit, de finibus bonorum & malorum differere, varias, ut diximus, statim ab initio, profert opiniones, easque ad examen suum revocans, tandem repudiat. Nam postquam prioribus quatuor capitibus hominum studia in varias excussit partes, tandem ita concludit caput IV. *Custodi pedem tuum ingrediens domum Dei, & appropinqua ut audias, multo enim melior est obedientia, quam stultorum victimæ, qui nesciunt quid faciunt mali.* Quintum vero caput orditur, his verbis: *Ne temere quid loquaris, neque cor tuum sit velox ad proferendum sermonem coram Deo, &c.* Quibus damnat impiorum hominum vanas adversus Deum, ejus-

(32) Hermannus Witsius Grotii conjecturam facillime altera via refellit, & ex modico videlicet numero vocum Chaldaicarum, quem in suis adnotationibus Criticus iste recensuit; quatuor scilicet solummodo voces extraneæ in eodem Libro Ecclesiastæ deprehensæ sunt; earum prima est in cap. 7. ℣. 6. & est סיר *sir*, *olla*. Secunda est in ℣. 5. Capitis 12. אביונה *abiiona*, *amor*. Tertia est in ℣. 1. Capitis 8. apud Hebræos, in Vulgata est in ℣. 30. Capitis 7. & est פשר *peschar*, *solutionem*, aut *interpretationem*. Quarta denique est in ℣. 8. Capitis 10. גומץ *gummats*, *fovea*. Duas priores hebraicas esse compertum est; prima quippe est in Exodi 16. ℣. 3.; secundam derivant a voce hebraica אבה *aba*, *voluit*. Duæ autem posteriores alibi in Codice Hebræo non offenduntur; ast quid repugnat quod Salomon duas voculas a vicinis linguis mutuatus fuerit? Est ne satis hæc conjectura ad abjudicandum Ecclesiastis Librum a Salomone, postquam eidem Synagoga, & Ecclesia adjudicaverunt? (W)

ejuſque providentiam diſputationes; aperitque ejuſmodi diſquiſitiones omnino exitiales fore; longeque præſtantius ac melius eſſe hominì ſe totum Dei cultui ac timori religioſe mancipare, quam brutorum inſtar, ſe corporeis voluptatibus, aliiſque bonis caducis ingurgitare.

De animæ vero immortalitate, & futura vita quam præclare opinatus ſit, diſerte declarat his verbis cap. II. v. 9. *Scito quod pro omnibus his adducet te Deus in judicium*: & iſtis quoque cap. XII. v. 7. *Antequam revertatur pulvis in terram ſuam unde erat, & ſpiritus redeat ad Deum qui dedit illum*: & iis denique, in quibus diſputationem ſuam concludit ibid. v. 13. *Deum time & mandata ejus obſerva, hoc eſt enim omnis homo; & cuncta quæ fiunt adducet Deus in judicium pro omni errato, ſive bonum, ſive malum illud ſit.* (33)

§. III.

De Cantico Canticorum.

XI. HEbræi hunc librum inſcribunt שיר השירים *Scir haſſcirim*, ideſt, *Canticum Canticorum*, vel *Carmen Carminum*, hoc eſt, Canticum præſtantiſſimum ac ſuaviſſimum, quod aliis Canticis Sacris, tum materiæ dignitate, tum myſterii repræſentatione longe antecellat. Rem enim præſtantiſſimam & jucundiſſimam, nempe Verbi Divini Incarnationem ac per eam Eccleſiæ cum ipſo deſponſationem aliquando futuram prænuntiat & expendit: Hebraiſmus quippe frequens eſt, ut genitivus pluralis ejuſdem nominis recto additus eam excellentiam denotet quam apud Latinos ſuperlativus ſolet exprimere. Sic Chriſtus Dominus dicitur *Rex Regum*, *Dominus Dominantium*, quemadmodum *Deus deorum*, *Cœli cœlorum*, *Sancta Sanctorum* & ſimilia paſſim.

Eſt autem inter Salomonicos libros ſuo ordine tertius: Nam, ut diximus Salomon in Proverbiis inſtruit incipientes, in Eccleſiaſte proficientes, in Cantico perfectos: vel ut luculenter addit S. Bernardus [a]: *Cum duo*, inquit, *ſint mala, quæ vel ſola, vel maxime militant adverſus animam, vanus ſcilicet amor mundi, & ſuperfluus ſui; peſti utrique duo illi libri Eccleſiaſtes & Proverbia obviare noſcuntur: Alter ſarculo diſciplinæ prava quæque in moribus & carnis ſuperflua reſecans: Alter luce rationis in omni gloria mundi fucum vanitatis ſagaciter deprehendens, veraciterque diſtringens a ſolido veritatis. Denique univerſis humanis ſtudiis ac mundanis deſideriis prætulit Deum timere, ejuſque obſervare mandata.* Concludit, *Depulſis ergo duobus malis duorum lectione Librorum competenter acceditur ad hunc ſacrum theoricumque ſermonem* (Canticorum) *qui cum ſit amborum fructus, non niſi ſobriis mentibus & auribus omnino credendus eſt. Alioqui ante carnem diſciplinæ ſtudiis edomitam, & mancipatam ſpiritui, ante ſpretam & abjectam ſæculi pompam & ſarcinam, indigne ab impuris lectio ſancta præſumitur.* Igitur ex mente S. Bernardi in PROVERBIIS reſcinditur ſuperfluus amor ſui; in ECCLESIASTE reprimitur vanus amor mundi; in CANTICIS præſcribitur caſtus amor Dei. Totus enim hic liber divinum ſpirat amorem, tum Chriſti Sponſi erga Sponſam Eccleſiam, tum Eccleſiæ Sponſæ, erga divinum Sponſum Chriſtum Redemptorem ac Sanctificatorem. Unde S. Auguſtinus in ſpeculo aſſerit Canticum non eſſe aliud, quam carmen amoris & jubilum charitatis, *Sed de illo Cantico*, inquit, *in hoc opus quia transferre poßumus, cum totus amores ſanctos Chriſti & Eccleſiæ figurata locutione commendet, & Prophetica pronuntiet altitudine, &c.* Quocirca teſte Origene [b], Hebræi nulli hujus libri lectionem permittebant ante annum ætatis trigeſimum, quæ erat ætas Sacerdotalis; ne immoderatis adoleſcentiæ ac juventutis affectibus juvenes abrepti, divini illius amoris myſteria & ſigna profanum in ſenſum detorquerent. „ Ejus verba ſunt. Scire nos oportet; quo„ niam ſicut puerilis ætas non movetur ad „ amorem poſſibilium, ita nec ad capien„ dum quidem verba hæc, parvula & in„ fantilis interioris hominis ætas admitti„ tur. Illorum ſcilicet qui lacte in Chriſto „ aluntur, non cibo forti, & qui nunc „ primum rationabile & ſine dolo lac con„ cupiſcunt. In verbis enim Cantici Can„ ticorum, ille cibus eſt, de quo dicit Apo„ ſtolus: Perfectorum autem eſt ſolidus ci„ bus: & tales requirit auditores, qui pro „ poſſibilitate ſumendi exercitatos habeant „ ſen-

[a] *Serm. 1. in Cantica.*

[b] *in pr. comment.*

(33) Quatuor oppoſitionum Capita, quæ in ſanctitatem, & Canonicitatem Libri Eccleſiaſtæ ſolent ab Hæreticis opponi, divina, & Angelica ſua doctrina Sanctus Thomas Aquinas mirifice ſolvit. Quo enim ſenſu Creaturæ *vanitas* dicantur ab Eccleſiaſte, quove Geneſis I. dicantur *valde bona* exponit Sanctus Doctor Quæſt. 2. *de veritate* artic. 3. ad 16. videatur & S. Hieronymus in Eccleſiaſten ad hunc locum; legere non pigeat inſuper Sanctum Thomam de Villanova Concione 3. in Aſſumpt. V. M.

Quo autem ſenſu nil ſub ſole novum dicatur ab Eccleſiaſte, exponitur a Sancto Auguſtino Lib. 12. de Civit. Cap. 13., & a S. Thoma Lib. 4. contra Gentes Cap. 82. Nec non 1. p. q. 73. art. 1. ad 3. ubi tradit nil ſub ſole totaliter novum a Deo factum eſt, quin aliquo modo in ſex dierum operibus præceſſerit. Quæſtione autem 75. loco laudato Angelicus Doctor in Artic. 6. ad 1. exponit quo ſenſu ab Eccleſiaſte prædicatum fuerit *nil hominem habere amplius quam jumentum*: loquitur enim ibidem Eccleſiaſtes in impiorum perſona, qui nil ultra corpus dignantur percipere in homine, nihilque de animo curant.

Tandem quid ſentiendum de Eccleſiaſtis verbis, quibus Epicuræorum cauſa fulciri videtur, explicat Magiſter Angelicus 1. 2. quæſt. 2. & Lib. 3. contra Gentes cap. 27. (W)

„ sensus ad discretionem boni & mali. Et
„ quidem Parvuli quos diximus, si veniant
„ ad hæc loca, potest fieri, ut nihil qui-
„ dem ex hac Scriptura proficiant, nec ta-
„ men valde lædantur, vel ipsa quæ scri-
„ pta sunt legentes, vel quæ ad explana-
„ tionem eorum dicenda sunt, recensentes.
„ Si vero aliquis accesserit, qui secundum
„ carnem tantummodo vir est, huic tali
„ non parum ex hac Scriptura discriminis,
„ periculique nascetur. Audire enim pure
„ & castis auribus, amoris nomina nesciens,
„ ab interiori homine ad exteriorem & car-
„ nalem virum omnem deflectet auditum,
„ & a spiritu convertetur ad carnem, nu-
„ trietque in semetipso concupiscentias
„ carnales, & occasione divinæ Scripturæ
„ commoveri & incitari videtur ad libidi-
„ nem carnis. Ob hoc ergo moneo, & con-
„ silium do omni qui nondum carnis & san-
„ guinis molestiis caret; neque ab affectu
„ naturæ materialis abscedit, ut a lectione
„ Libelli hujus, & eorum quæ in eo do-
„ centur, penitus temperet. Aiunt enim
„ observari etiam apud Hebræos, quod nisi
„ quis ad ætatem perfectam, maturamque
„ pervenerit, Libellum hunc ne quidem
„ in manibus tenere permittatur. „ *Hæc Origenes.*

a *in prolog. lib. Job.*

Tradit S. Hieronymus [a], librum a Salomone carmine fuisse conscriptum, eumque adeo mensura & rhythmo constare. Unde S. Dionysius [b] Cantica conticorum appellat *dulcia Carmina divinorum amorum*; habent enim Carmina metri harmoniam, & quasi concentum, ideoque & voce modulata concini solebant, ut suavius in aures, mentesque audientium influerent.

b *lib. Hierarch. Eccles. cap. 1.*

XII. Cum autem Carminum variæ sint species; ad quam ex illis poema istud referri debeat, non una est Interpretum sententia. Sunt enim qui affirment Poema istud esse *Ecglogam pastoritiam*, sive Dragma Bucolicum, quia nimirum Salomon ludere videtur stylo Bucolico, & dragma inter pastores instituere. *Dragma autem* (inquit Origenes) *dicitur multarum personarum cantilena, ut in Scenis agi Fabula solet, ubi diversæ personæ introducuntur, & aliis accedentibus, aliis etiam discedentibus, a diversis, & ad diversos textus narrationis expletur. Quæ singula suo ordine Scriptura hæc continet, totumque corpus ejus mysticis formatur eloquiis.* Verum pleraque in hoc carmine miscentur, quæ a natura illius poematis abhorrent. Enimvero, quis inter sylvana & bucolica reputabit currum genialem, lectulum purpureis tapetibus stratum, cedro, auro, & argento affabre elaboratum: Descriptionem item Sponsi, quæ tota est cap. V, in expingendo vivis coloribus Rege suis regalibus insignibus, ac vere regio & splendido ornatu decorato, & alia id genus permulta, quæ abhorrent prorsus a belluis & pascuis? Nec obstat quod plurima sint quæ ruralem vitam, & rusticanam pastoris conjugem indicare videantur, ut illud cap. 1. *Vineam meam non custodivi & Abi post vestigia gregum tuorum, & pasce hœdos tuos, &c.* Hæc, inquam, non officiunt. Tum quia apud Hebræos, Regibus & Pastoribus nomen commune est, propter similitudinem utriusque muneris & curæ: Tum quia Prophetis familiare & solemne est Principes ac Reges, Pastorum nomine compellare: qua de re copiose agit Philo-Judæus. [c] Itaque existimo Sponsum Sponsamque non tanquam Pastores, sed tanquam Reges hic induci; & nuptias item, non Pastoritias, sed Regias plane stylo sublimiori describi: siquidem similitudo ex Regiis ascita connubiis, aptior est ad significandas nuptias Christi & Ecclesiæ. Unde celebriores ex sacris Interpretibus, poema istud ex genere suo esse *Epithalamium*, & nuptias vere regias in eo pangi & decantari existimant. Ita S. Ambrosius passim, Basilius ad illa verba Isaiæ *Cantabo dilecto meo, &c.* ac Nazianzenus [d] quibus præivit Origenes qui Prologum sui Commentarii sic auspicatur *Epithalamium libellus, ideest, carmen nuptiale, &c.* Ubi affirmat Græcos Epithalamiorum condendorum artem, ab hoc Salomonis poemate hausisse, inter quos Theocritus usque adeo Salomonem æmula quadam imitatione simulavit, ut non tam imitator, quam speculator nuncupari debeat.

c *lib. de agricultura.*

d *Orat. 40.*

XIII. Auctorem hujus libri Salomonem esse, tam certis deprehenditur argumentis & tanto Scriptorum omnium consensu firmatur, ut merito jam prorsus exulet apud doctos, Thalmudistarum sententia, ascribentium hunc librum Ezechiæ: quorum cæcitatem revincit non solum operis titulus qui tum in Hebraico exemplari, tum in LXX. Senum interpretatione Salomonem Auctorem indicat, sed insuper Salomonem libri scriptorem designat illius nominis iterata recitatio, ejusque tum personæ tum Regis apparatus delineatio; sic cap. III. v. 7. *En lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiunt*, Et v. 9. *Ferculum fecit sibi Salomon de lignis Libani.* Et v. 11. *Egredimini & videte filiæ Sion Regem Salomonem in diademate &c.*

Unde videtur hoc Canticum scripsisse, non diu post nuptias cum filia Pharaonis initas, quando donatus a Deo sapientia cœlesti, caste & pie adhuc Deum colebat. Quamobrem Sponsam interdum appellat filiam Principis; interdum vero ad filiam Pharaonis, uxorem suam; alludit, ut dum ait cap. I. v. 9. *Equitatui meo in curribus Pharaonis assimilavi te amica mea.*

Nolim tamen existimes Salomonem Canticum istud scripsisse, in gratiam Pharaonis filiæ suæ conjugis, aut alterius mulieris, & Reginæ suæ uxoris. Nam Spiritus Sanctus, cujus dictamine & afflatu, ista scribebat, ut demonstret, sponsam hic expressam, non corporalem esse sed spiritualem, ei tribuit Epitheta, quæ corpoream venustatem dedecorant, spiritualem vero illustrant & exornant, ut quod ei sit caput instar Carmeli, nasus instar turris, oculus instar piscinæ, dentes instar gregum ovium detonsarum, denique quod eam dicat totam esse nigram, sicut tabernacula Cedar, quæ certe eximiam Sponsæ corporeæ pulchritudinem minime repræsentant.

XIV. Dicendum itaque Salomonem hoc Epithalamio, seu carmine nuptiali, describere ac prænuntiare Verbi Divini desponsationem cum quadruplici Sponsa. *Primo* quidem cum HUMANITATE sua, quam sibi copulavit & quasi despondit per Incarnationem; cui proinde primo ac proprie adaptari possunt fere omnia, quæ in hoc Epithalamio referuntur. *Secundo* cum ECCLESIA, quam sibi media Incarnatione desponsavit. Hanc utramque desponsationem egregie explicat Beda Venerabilis [a] ubi loquens de Christo Sponso ait, *cujus thalamus incorruptæ Genitricis uterus fuit, in quo Deus humanæ naturæ conjunctus est; & ex quo ad sociandam sibi Ecclesiam tanquam Sponsus processit*: quibus verbis, duas istas nuptias Verbi & Naturæ assumptæ, & Christi & Ecclesiæ distinxit, & has ex illis fluere ac pendere ex parte significavit. Idem quoque ait S. Anselmus [b], *Dicitur*, inquit, *thalamus sponsionis venter Mariæ, quia illic Divinitas jungens se humanæ naturæ, spondet se deinde cæteris ejusdem naturæ*. Consentit etiam S. Hilarius: [c] *Tanquam sponsus*, inquit, *descendit ad terras, Ecclesiæ ex Gentibus colligendæ susceptâ Incarnatione, jungendus; cujus & arrhas, & dotem dedit. Arrhas quando Deus homini junctus est; dotem, quando pro homine immolatus est*. *Tertio* cum ANIMA FIDELI, quam sibi desponsat in fide, juxta illud Oseæ vaticinium cap. II. v. 20. *Sponsabo te mihi in fide*: aut virginali puritate, dicente Apostolo 2. Corinth. 11. vers. 2. *Despondi vos uni viro, Virginem castam exhibere Christo*. Unde præclare Theodoretus divinam & ineffabilem erga nos benignitatem ac bonitatem commendat: *Quod non solum*, inquit, *nos Deus liberos constituerit, sed in filios adoptarit: neque solum tribuerit adoptionis munus, verum etiam Sponsum & vocarit & fecerit; eodemque numero Sponsum habuerit, atque innumerabilia dona sponsalia dederit, & cubile, & thalamum adornarit & nudam induerit, & denique factus ipse sit Sponsæ & amicus, & panis & potus, & via & ostium, & vita & lux & resurrectio*. Addit S. Bernardus [d] fidelem animam simul sororem & sponsam, & filiam Dei censeri. Filiam quidem Dei Patris, dicentis per Psalmistam Psal. 44. *Audi filia & vide, &c.* Sponsam vero ac Sororem Christi, eam sic compellantis Canticorum V. *Veni in hortum meum Soror mea Sponsa*. Soror siquidem est, inquit Bernardus, *quia ex uno Patre: Sponsa, quia in uno Spiritu. Nam si carnale matrimonium constituit duos in carne una, cur non magis spiritualis copula duos conjunget in uno spiritu? Denique qui adhæret Deo, unus spiritus est*.

Quarto tandem DEIPARA VIRGO recte dicitur speciali titulo *Dei Sponsa*, Tum quia ipsa inter justos eminet, sicut luna inter stellas: Tum qui Verbi incarnatio, & consequenter Christi cum Ecclesia desponsatio in ipsa & per ipsam perfecta est: Tum quia *caro Christi caro fuit Mariæ*, ait S. Augustinus [e] quare cum carnem sibi despondit Verbum divinum, quasi Beatam Virginem sibi despondit. Unde de ipsa Deipara totum hoc Canticum explicant Rupertus, Honorius Augustodunensis, Cardinalis Alanus, & plurimi Recentiores.

Præcipue vero totus hic liber in delineandam Christi cum Ecclesia desponsationem collineare videtur: siquidem reciprocos Christi & Ecclesiæ spirituales amores graphice depingit, mystice simul prænuntians Christi Prædicationem Passionem, Mortem, Resurrectionem, Ascensionem, Missionem Spiritus Sancti, Prædicationem Apostolorum, Gentium conversionem, præsertim vero Ecclesiæ fundationem, propagationem, persecutiones & futuram in cœlo, perfectionem summam & fœlicitatem.

XV. Appage ergo Castalionis, Anabaptistarum, & veterum quorundam Hæreticorum quos commemorant Theodoretus [f] & Philastrius [g] deliria, dum asserunt amatorium hoc scriptionis genus secretiora nuptiarum arcana, lenesque conjugum sub noctem susurros referens & aperte revelans ut a Deo Auctore profectum & a divino afflatu conscriptum non esse: quorum amentiam & proterviam diserte frangit ac refutat variis argumentis Theodoretus mox laudatus: *Primo* quod si profanum aliquid saperet hic liber, nusquam SS. Patres illum inter divinas Scripturas collocassent, nec eum ut Spiritu Sancto refertum comprobantes, Ecclesiæ dignum censuissent. *Secundo*, Beatus Esdras sancti Spiritus gratia repletus hunc librum tempore captivitatis, vel amissum, vel saltem interpolatum non restauraset, nec in Canonem sacrorum voluminum adscribi voluisset, si aliquas in eo corporeæ cupidinis & incontinentiæ illecebras deprehendisset. *Tertio*, sacri Interpretes librum amoris profani scintillas eructantem, suis interpretationibus & sententiis non decorassent, uti revera fecerunt, non solum antiqui ut Eusebius Palæstinus, & Origenes Ægyptius, & martyrii corona redimitus Cyprianus Carthaginensis, & his antiquiores, Apostolisque propinquiores: Verum etiam qui post in Ecclesiis excelluere, magnus ille Basilius Proverbiorum principium exponens, & uterque Gregorius, quorum alter sanguine, alter amicitia Basilio conjunctus fuit: & fortis ille pietatis propugnator Diodorus, & Joannes, qui ad hunc usque diem doctrinæ fluentis irrigat universum orbem terrarum: & denique, ut paucis rem complectens consulam brevitati, qui postea fuere, librum hunc omnes spiritalem esse censuerunt. Quæ cum ita se habeant, æquum ne est, ut tot tantisque viris despectis, contemptoque ipso Spiritu Sancto vanas hominum opiniones consectemur.

Offendit forte eos, quod hoc volumen legentes, in eoque animadvertentes unguenta & oscula, & ventrem, & umbilicum, & genas, & oculos, & lilia, & nardum, &c. carnaliter intelligenda esse putarint. Verum, inquit Theodoretus, oportebat eos considerare, hunc esse etiam in veteri Testamento divinæ Scripturæ morem, & Deum sæpius cum Judæorum gente, tanquam

[a] *hom. de nuptiis in Cana.*
[b] *in cap. 5. Cantic.*
[c] *in cap. 2. Joannis.*
[d] *serm. 8. in Cantic.*
[e] *Tract. de Assumpt. Virg. cap. 5.*
[f] *præfat. in Cantica.*
[g] *hæres. 131.*

quam cum muliere colloquentem, iisdem uti membrorum vocabulis, quibus de hac Sponsa scribens usus est Salomon, ut videre est apud Prophetas, maxime toto Ezechielis capite XVI. ubi Judaicam gentem, mulieri meretrici assimilans, commemorat ubera, & umbilicum, & crura, & manus, & aures, & nares, & formam, & dilectionem, & complexum, & conjunctionem: *Quæ omnia*, inquit, *dicta a Deo sic intelligimus, ut non adhæreamus occidenti literæ, sed interius penetrantes, Spiritus sensum investigamus, ejusque lumine illustrati, quæ spiritualia sunt, spiritualiter intelligimus.* (34)

XVI. Hunc librum VIII. capitibus comprehensum in quadraginta Sectiones partitur Beda: Ederus vero in sua Bibliorum Oeconomia in decem dragmata dividit, quæ non Ecclesiæ sed Synagogæ diversis statibus adaptat. S. Thomas, hic pariter varium Synagogæ statum, maxime triplicem delineari putat. *Primo* credentis in Christum in Apostolis & in Christianis, qui fuere ex Judæis, a cap. I. usque ad tertii v. 7. *Secundo*, Synagogæ excæcatæ & persequentis Christianos usque ad cap. VI. v. 10. Inde usque ad finem libri agi putat de Judæis credituris Christo in fine mundi. Rupertus in quatuor periochas distribuendum esse dicit, quæ per illam semel, iterum, atque iterum repetitam clausulam discludantur: *Adjuro vos filiæ Jerusalem per capreas, cervosque camporum, ne suscitetis, neque evigilare faciatis Dilectam, donec ipsa velit.* Et sane erudite satis, atque doctrinæ plena est ista partitio. Delrio hunc librum in tres dividit partes, in quarum prima agi putat, de fidelibus incipientibus, in secunda de proficientibus, in tertia de perfectis.

Gaspar Sanchez opinatur perturbatum esse ordinem, & caput V. præponendum esse primo; eo quod Sponsa nonnisi a Sponso evocata, ei dicere queat, *osculetur me osculo oris sui*. Evocatur autem cap. V. Unde censet hic depingi priscos nuptiarum ritus; ac subinde hujus libri quinque esse partes, seu scenas: in quarum prima Sponsa a Sponso invitatur *cap.* V. In secunda, Sponsa ambit osculum & amplexum Sponsi capitibus V. & VI. In tertia celebrantur nuptiæ cap. II. in quarta Sponsa cap. III. componit currum seu lectum nuptialem in domo Sponsi. In quinta peragitur scena cap. VIII. ubi Sponsa sistit se ad Sponsi fores ibique solemni ritu matrimonium contrahit.

Sunt etiam qui Canticorum librum in quinque partes distribuunt, ut quintuplicem Ecclesiæ statum in eis delineatum & expressum demonstrent, nempe *Infantiam* ab Incarnatione Christi ad Pentecosten usque quam Salomon repræsentet ab initio capitis primi ad versum 8. cap. II. *Adolescentiam*, & propagationem a Pentecoste usque ad Constantinum Magnum, quam expressum habemus a versu 8. capitis II. usque ad versum 6. capitis VI. *Virilem ætatem* & ejus plenitudinem temporibus Constantini, quando ex fide omnium Gentium, instar aromatici vaporis crevit & ascendit altissime, & lectulum Sponsi, idest, Christi, in Ecclesia Romana sedatis persecutionum procellis pacifice ac quiete composuit; in ea namque velut in lecto & ferculo Christi religio ac fides firme & inconcusse quiescit. Quarta pars, Ecclesiæ *veterascentis* & ad senium inclinantis statum repræsentat, a vers. 2. cap. V. usque ad vers. 3. capitis VI. Quinta tandem *Ecclesiæ renovationem*, & ad summam perfectionis gradum restitutionem exhibet, ejus videlicet in cœlis glorificationem, a vers. 3. usque ad finem libri.

Cum autem abstrusissima Mysteria sub familiaribus colloquiis Sponsi ac Sponsæ, Juvenum ac Virginum nil nisi amorem spirantium hic Liber complectatur; inde prudenter factum arbitror quod Judæi solum viris sapientibus, & jam ævo maturis libelli hujus lectionem permiserint; ne in libidinem proclivis juvenum ætas, reconditos sensus minime deprehendens, hac lectione ad amorem prophanum alliceretur. Rem istam egregie explicat Origenes [a] qui cum dixisset hujus libri lectionem solidum esse cibum, non parvulorum sed perfectorum; ac subinde noxium eis futurum qui juvenilibus ac corporeis motibus æstuant. Addit, *Apud Hebræos observari, quod nisi quis ad ætatem perfectam maturamque pervenerit, libellum hunc ne quidem in manibus tenere permittatur.* Adiicit itidem prohiberi Lectionem principii Geneseos, sicut & initium ac finem libri Ezechielis Prophetæ.

[a] *Præfat. in Cantica.*

(34) Quibus in Sancta malignari volupe est, Canticum Canticorum meram Eclogam esse, sive Idyllion, quo Salomon sub Pastoris persona amores suos stylo bucholico canit, effutire non dubitant; quinimmo comparationes a Sapiente Propheta in Canticorum 4. adhibitas, quibus Jesu Christi, & ejus Sponsæ Catholicæ Ecclesiæ virtutes, & casti amores pinguntur, pari incedere gressu cum iis, quibus amores suos Polyphemus expressit apud Ovidium Lib. 13. Metamorph. asserere non erubescunt. Si autem ut isti delirant, se res haberet, eccur tantum diligentiæ studiique impendit Ecclesia ad turgidum illud, profanumque Carmen, in quo nil honestatis, sanctitatis nihil deprehenditur, tanquam pretiosissimum cœlestis doctrinæ depositum custodiendum? Sileant aliquando divinorum eloquiorum Adversarii, si nullum sibi argumentum, quo sua queant maledicta fulcire, præsto esse eo noscunt. Quid est, quod ajunt eo in Sacro Idyllio nunquam Dei nomen fuisse pronunciatum? Nonne id ea ex causa contingere potuit, ut perpetua in eo scripto servetur allegoria, in qua sponsi nomine Deus ipse, & servator Jesus designatur? Ei præcipue operam dedisse videtur Auctor, ut nunquam Allegoriæ sensus proderetur; Sanctis quippe Ecclesiæ Patribus, quibus ampliora a Spiritu Sancto largienda charismatum dona parabantur, mysticos hujus divini Cantici sensus reserare concedendum erat; isti ergo potius, quam Anabaptistæ, Castalio, Grotius, & si qui alii sunt hujus farinæ viri, audiantur. Legere non pigeat Origenem Homil. 1. in Canticum Canticorum, Gregorium Nyssenum Homil. I. in Canticum, Auctorem Synopseos divinæ Scripturæ Athanasii nomine personatum, S. Hieronymum Epist. ad Paulinum, S. Augustinum Lib. 17. de Civit. Cap. 20. Theodoretum Præfat. Comment. in Cantica, Bedam Lib. 2. in Cant. Cap. I. & denique S. Bernardum Serm. 1. in Canticum, & quisnam legitimus hujus Sacri Libri sit *sensus* erudiemur. (W)

CAPUT UNDECIMUM.

De Libris Sapientiæ, & Eccleſiaſtici.

SUMMARIUM.

I. *Librum Sapientiæ ut Apocryphum repudiant Heretici, quibus tamen Sancti Eccleſiæ Patres adverſantur.*

II. *A Judæis in Chriſti odium expulſum hunc Librum e canone arbitratur S. Iſidorus, cui conſentiunt Rabbini plures.*

III. *Quo ſenſu ab aliquibus Patribus dicatur hic Liber ad Canonem non pertinere?*

IV. *Variè de hujus Libri Auctore ſententiæ.*

V. *Fraſſeni ſententia de Auctore Sapientiæ.*

VI. *Quo tempore Sapientiæ Liber compoſitus?*

VII. *Quæ adverſus hujus Libri Canonicitatem opponat Calvinus?*

VIII. *Quis omnium primus Idololatriæ fuerit inventor.*

IX. *Auctor Sapientiæ unde Idololatriæ ortum derivet?*

X. *Variæ Eccleſiaſtici Libri inſcriptiones expenduntur.*

XI. *Quis fuerit hujus Libri Auctor?*

XII. *Cur Salomoni Veteres hunc Librum adjudicaverint?*

XIII. *Conſtat Salomonem hujus Libri Auctorem non eſſe.*

XIV. *Eccleſiaſtici Auctor Jeſus filius Sirach exiſtimatur Spiritu Dei donatus.*

XV. *Quo tempore Eccleſiaſtici Auctor floruerit?*

XVI. *Falſo coniiciunt nonnulli Jeſum Sirach eumdem eſſe ac Ben-Siram.*

XVII. *Eccleſiaſtici Librum inter Agiographa reponunt Hebræi, non tamen in Canone Scripturarum; quæ fuit nonnullorum etiam antiquorum Eccleſiæ Patrum ſententia.*

XVIII. *Eccleſiaſtici Librum jure inter Canonicas Scripturas Eccleſia recenſuit.*

§. I.

De Sapientiæ Libro.

I. LIbrum hunc inter Scripturas Apocryphas reiiciunt non ſolum plurimi Hebræorum doctores, ſed etiam hujus temporis Hæretici, Lutherani & Calviniſtæ & Anabaptiſtæ, teſtibus Bellarmino [a] & Sixto Senenſi [b] qui eundem errorem affingit iis antiquis hæreticis qui *reliquiæ Pelagianorum* dicebantur; imo nonnulli Catholici (ſi tamen Catholici dicendi ſunt, qui ab univerſali Eccleſia jam pridem ea de re latæ ſententiæ obluctantur) hujus libri auctoritatem Canonicam cum Cajetano in dubium revocant. Verum eorum errorem convellunt non ſolum omnium Conciliorum Sanctiones illæ, quæ ut dictum eſt Sapientiæ librum cæteris Canonicis accenſent, maxime Carthaginenſe III. [c] Toletanum II. [d] Sardicenſe apud Theodoretum [e], &c. Sed etiam plurimi [e] SS. Patribus qui ex libro Sapientiæ teſtimonia, velut ex ſacra Scriptura, & ex Canonico libro mutuati ſunt: præſertim S. Dionyſius qui [f] uſurpat ex eo quaſi ex divina Scriptura, hæc quæ habentur cap. V. *Acuet diram iram in lanceam & pugnabit cum illo Orbis terrarum contra inſenſatos*. Et alibi [g] illud ex cap. VIII. Sap. profert, *Amator factus ſum formæ illius*, &c. Origenes in ejus libri citatione tam frequens eſt, ut omnes ab eo exſcriptos textus hic recenſere opus eſſet immenſum. Sanctus Baſilius contra Apologeticum Eunomii & in Pſalmum XXXVII. uſurpat illud *in malevolam animam non introibit Sapientia*, in Epiſtola vero 141. jugulat Hæreticos illos ejuſdem libri teſtimonio, *Spiritus Domini replevit orbem terrarum:* & libro de Spiritu Sancto cap. 30. appellat Propheticum oraculum illud Sapientiæ VIII. *Prudens in tempore tacebit*, &c. S. Cyrillus Alexandrinus lib. 2. contra Julianum ſub nomine divinæ Scripturæ profert iſtud, *& delectabar per ſingulos dies ludens coram illo in omni tempore*. S. Hilarius exponens Pſalmum 118. uſurpat illa verba Sap. XVII. *Magna ſunt judicia tua Domine*, & in Pſalmum 136. profert illud Sapientiæ 1. *Spiritus Domini replevit Orbem terrarum*. S. Cyprianus frequentiſſimus eſt in uſurpandis ex hoc libro divinis oraculis: ſic lib. 2. de habitu virginum, profert illud Sapient. V. *Quid nobis profuit ſuperbia*, &c. lib. de Exhortatione ad martyrium illud: *Etſi coram hominibus tormenta paſſi ſunt*, &c. Lib. 3. ad Quirinum tractat ſub Sapientiæ Salomonis titulo, pene totum caput hujus libri XIII. ubi ex cap. I. profert: *Qui ambulat ſimpliciter ambulat confidenter*, & alia ſæpe.

Plurimas chartas implerem, ſi his aliorum SS. Patrum eandem hac de re ſententiam vellem attexere. Unus pro cæteris nobis erit S. Auguſtinus, qui non ſolum plurima ex hoc libro veluti divina Scriptura, producit oracula, ſed etiam illum eſſe Scriptu-

[a] lib. 1. de Verbo Dei. cap. 13.
[b] lib. 8. Biblioth. hæreſ. 9.
[c] cap. 47.
[d] in profeſſion. fidei.
[e] lib. 2. hiſt. cap. 8.
[f] lib. 1. de hierarch. Eccl. cap. 2.
[g] lib. de divin. cap. 4.

ram Canonicam diſerte pronuntiat lib. II. de doctrina Chriſtiana cap. II. *Illi duo libri*, inquit, *unus qui Sapientia, & alius qui Eccleſiaſticus inſcribitur, quoniam in auctoritatem recipi meruerunt, inter prophetas numerandi ſunt*. Et lib. de prædeſtinatione Sanctorum cap. XIV. reſpondens iis qui ejus ſcripta arguerunt, quod in eis laudaſſet librum Sapientiæ ſcribit: *Non debuit repudiari ſententia libri Sapientiæ qui meruit in Eccleſia Chriſti de gradu lectorum Eccleſiæ Chriſti, tam longa annonſitate recitari, & ab omnibus Chriſtianis, Epiſcopis uſque ad extremos laicos fideles, pœnitentes, Catechumenos cum veneratione divinæ auctoritatis audiri.* Et infra: *Qui ſententiis Tractatorum inſtrui volunt, oportet ut iſtum librum Sapientiæ, ubi legitur, Raptus eſt ne malitia immutaret cor ejus omnibus Tractatoribus anteponant, quem ſibi antepoſuerunt etiam, temporibus proximi Apoſtolorum egregii Tractatores, qui eum teſtem adhibentes, nihil ſe adhibere, niſi divinum teſtimonium crediderunt*,

a *lib. 1. officior. cap. 12.*

II. Addit S. Iſidorus a librum hunc olim Hebraice ſcriptum extitiſſe & in Hebræorum Canone repoſitum, ſed a poſterioribus Judæis Chriſti-cidis expunctum, legique vetitum ex eo quod evidentiora de Chriſto ac Judæorum contra illum inſidiis & machinationibus oracula contineret. Ejus verba ſunt; *Hoc opus*, inquit, *Hebræi; ut quidam Sapientum meminit, inter Canonicas Scripturas recipiebant, ſed poſtquam comprehendentes Chriſtum interfecerunt, memorantes in eodem libro tam evidentiſſima de Chriſto teſtimonia quibus dicitur cap.* II. *dixerunt inter ſe impii, comprehendamus juſtum, quoniam inutilis eſt nobis: collatione facta, ne noſtri eis, pro tam aperto ſacrilegio derogarent, a propheticis voluminibus reſciderunt, legendumque ſuis prohibuerunt.*

Neque his refragantur Judæi recentiores, nam teſte Joſepho de Voiſin procœmio in pugionem fidei, R. Moſes Bar Nachman librum Sapientiæ ut opus Salomonis & veram Scripturam ſacram citat in prologo ad Pentateuchum: *Vidi*, inquit, *librum Chaldaice deſcriptum, qui inſcribitur Sapientia magna Salomonis, in quo deſcriptum eſt cap.* VII. *v.* 5. *&c. Nemo enim ex Regibus aliud habuit nativitatis initium. Unus ergo introitus eſt omnibus ad vitam & ſimilis exitus. Propter hoc optavi, & datus eſt mihi ſenſus, & invocavi, & venit in me ſpiritus Sapientiæ; & præpoſui illam regnis, & ſoliis. Dicit nullo modo Regem, aut præfectum propriam, & peculiarem habere nativitatem, omnium enim hominum introitus in mundum, & exitus e mundo pariter æqualis eſt; ideoque*, inquit, *oravi, &c. & datus eſt mihi ſpiritus Sapientiæ. Invocavi, & venit in me ſpiritus ſcientiæ: præpoſui illam ſceptro, & ſolio*. Subſcribit R. Azarias: „ b Liber Sa-
b *in lib. Imra Binah cap. 57.*
„ pientiæ magnæ Salomonis. *inquit*, (quæ
„ vocatur liber Sapientiæ de quo ait R.
„ Moſes Nachmanis filius in prologo ſuo
„ Commentarii Legis: vidi librum Chaldaice
„ deſcriptum, &c. quæ omnia illius verba
„ libri, quem citat reperiuntur in cap. VII.
„ libri Sapientiæ) videtur mihi ſi non ſit
„ translatus, compoſitus eſſe a Rege Salo-
„ mone lingua Chaldaica, ut mitteret eum
„ ad aliquem regem in extremis Orientis
„ Regionibus verſantem. Porro Ezras Sa-
„ cerdos, non miſit manum ſuam niſi in li-
„ bros qui compoſiti erant a Prophetis, ea
„ ſpecie prophetiæ, quæ dicitur Spiritus
„ ſanctus & qui lingua ſancta editi erant.
„ Sapientes autem noſtri prudenter & in-
„ telligenter non retulerunt in Canonem,
„ niſi libros, qui ab Ezra in Canonem ſa-
„ crum erant relati. „

III. Nec officit quod SS. Patres Athanaſius, vel quiſquis eſt auctor libri Synopſeos ejus nomine inſcripti, Epiphanius, c & Hieronymus, d aſſerant Sapientiæ librum non eſſe in Canone Hebræorum, & ſuo tempore necdum ab Eccleſia inter Scripturas Canonicas adjectum, tametſi legeretur ad plebis ædificationem, non ad auctoritatem Eccleſiaſticorum dogmatum confirmandam. Hæc, inquam, dictis non officiunt; quantumvis enim aliquando de hujus libri ſicut & de nonnullorum aliorum, auctoritate Canonica ab aliquibus dubitatum fuerit; nihilominus tamen numeroſior SS. Patrum cœtus in affirmantem ſententiam ſemper propendit; Quare liber hic non eſt quidem *Proto-canonicus*, id eſt in ſerie librorum ſacrorum, de quorum fide nuſquam dubitatum fuit; ſed *Deutero-canonicus*, id eſt, ſecundæ claſſis; quales ſunt ii de quibus fuit aliquando dubium, tametſi eum poſtmodum univerſalis Eccleſia, re examinata, in Canonem admiſerit. *Confirmantur* iſta validiſſime ex eo quod Canonici Scriptores Eſdra poſteriores plurima ex hoc libro æque ac ex aliis libris Canonicis deprompſerint, ut videre eſt tam in veteri, quam in novo Teſtamento. In veteri quidem Iſaia cap. LVI. v. 1. & 4. duo oracula profert ex Sapientiæ I. v. 1. & cap. III. v. 14. Similiter Chriſtus Dominus Matth. XIII. v. 43. profert ex lib. Sap. cap. III. *Tunc juſti fulgebunt ſicut Sol in regno Patris eorum*. Et rurſum Matth. XXVII. v. 43. refert id quod habetur cap. II. v. 13. *Filium Dei ſe nominat*. Et v. 18. *Si enim verus eſt filius Dei, ſuſcipiet illum & liberabit de manibus contrariorum*. S. Paulus quoque ad Rom. XI. v. 34. producit illud Sap. IX. v. 13. *Quis enim hominum poterit ſcire conſilium Dei, aut quis poterit cogitare quid velit Deus?* Et ad Epheſ. VI. iſtud. *In omnibus ſumentes ſcutum Fidei, &c.* hauſit ex illis verbis Sapientiæ V. *induet pro thorace juſtitiam, &c.* Plura his ſimilia legere eſt apud ſacros Scriptores ex libro Sapientiæ petita, quæ utique totidem argumenta ſunt, hujus libri auctoritatem veluti Canonicam ab eis fuiſſe habitam. (35)

c *lib. de ponder. & menſur.* d *in præfat. ad lib. Salomon.*

IV.

(35) Ad divinitatem, atque canonicitatem, ut ajunt a Libro Sapientiæ eliminandam plura comminiſcuntur Heterodoxi: erratis non levibus eum ſcatere blaſphemant; tum contra fidei dogmata, Origeniſtarum, ac Pelagianorum doctrinam ſuffulcientem incuſantes; tum etiam contra hiſtoricam

IV. Circa Auctorem hujus libri, multiplex est sententia. *Primo* namque S. Augustinus, [a] eum tribuit Siracidæ Ecclesiastici libri Scriptori, *Illi duo libri*, inquit, *primus qui* SAPIENTIA *& alius qui* ECCLESIASTICUS *inscribitur, de quadam similitudine Salomonis esse dicuntur; Nam Jesus filius Sirach eos scripsisse constantissime perhibetur.* Verum hanc sententiam retractat ipse libro Retract. cap. IV. *de auctore libri*, inquit, *quem plures vocant* SAPIENTIAM SALOMONIS, *quod etiam ipsum, sicut Ecclesiasticum, Jesus filius Sirach scripserit, non ita constare, sicut a me dictum est, postea didici; & omnino probabilius comperi non esse hujus libri auctorem.* Secundo sunt qui eum adscribant Philoni Hebræo, illi, scilicet, qui post Christum floruit sub Caio Caligula Imperatore, ad eumque Legationem obiit pro Judæis, sed ab eo repulsam passus, ad socios conversus dixit *bono simus animo: nam Deus nobis propitius erit cum infensus est Caius*, uti refert Josephus, [b] eamque sententiam communem fuisse Judæis asserit S. Hieronymus, [c] ubi scribit secundus (Sapientiæ liber) apud Hebreos nusquam est, quin & ipse stylus Græcam eloquentiam redolet; & nonnulli Scriptorum veterum hunc esse Judæi Philonis affirmant. At hæc sententia omnino est improbabilis; tum quia hic Philo aliquot post Christum annis vixit; non potuit ergo liber iste, a Christo laudatus ab ipso Philone conscribi. Tum quia Philo Judæus, ac in Judaismo pertinax quandiu vixit extitit; ideoque a Christiana Fide alienus; non potuit ergo scribere librum in quo Judæorum ob Christum crucifixum impietas describitur & damnatur, & varia Christianæ religionis mysteria traduntur & confirmantur; tum quia Philo hic addictissimus fuit doctrinæ Platonicæ de qua varios errores hausit, quos refert Sixtus Senensis, [d] quorum aliquos refellit auctor libri Sapientiæ: Tum denique quia S. Hieronymus, [e] & Eusebius, [f] texentes catalogum librorum Philonis, non meminerunt libri Sapientiæ.

Tertia sententia eorum est qui his rationibus convicti, hunc librum adscribunt alteri Philoni quem Seniorem appellant, quemque vixisse volunt annis ante Christum CLX. Ita Driedo, [g] Canus, [h] & plures alii Recentiores. Verum Philo hic senior fictitius est; nulla quippe illius apud Josephum, Eusebium aliosque veteres Scriptores est mentio: Hi siquidem tantum meminerunt Philonis Hebræi qui vixit sub Caio, & Philonis Biblii, idest, oriundi ex Biblio civitate Phœniciæ qui non fuit Judæus sed Ethnicus, ideoque ineptus ad scribendum librum Canonicum. *Philo*, inquit Euse-

[a] *lib. 2. de doct. Christ. cap. 8.*

[b] *lib. 18. Antiq. cap. 10.*

[c] *præfat. in lib. Salom.*

[d] *lib. 5. Biblioth. cap. 17. & 93.*

[e] *lib. de viris illustribus.*

[f] *lib. 2. cap. 17.*

[g] *lib. 1. de Eccles. dogm. cap. 4.*

[h] *lib. 2. locis Theol. cap. 11.*

bius pite tandem 14. ℣. 15. veluti certum tradit, quod idololatria originem duxerit ab imagine filii intempestive a morte prærepti quam dolens pater pingi curavit; cum tamen ejus initium aliunde cæteri Scriptores derivent.

Hæc tamen omnia ejus comperiuntur naturæ ut statim levitatem Adversariorum palam faciant, qui hujusmodi innituntur cavillis, ut librum, quem semper coluit Sancta Mater Ecclesia, rejiciant. Favet ne Origenistis, ex quo dicat se sortitum animam bonam, quasi ante corpus animam præextitisse prædicaverit? Non inspiciunt Heterodoxi a Sapiente hoc in loco sui ipsius indolem describi, & postquam mentem acerrima intelligendi vi ornatam, se sortitum adfirmavit, subjungit statim & corpus etiam minoribus vitiis obnoxium, levioribus ad scelera impulsibus subjectum, ac illius denique constitutionis, esse consecutum, ut excipiendis Sapientiæ institutionibus, divinoque lumini esset aptissimum. Non inficiatur itaque Sapientiæ Auctor originalis culpæ propagationem, cum de solis naturæ suæ inclinationibus sermonem instituat, multoque minus cum Pelagianis solis naturæ viribus efficaciam ad veram sapientiam, vel fidem consequendam concedit, cum statim post laudata ab Adversariis verba subjungat = Et ut scivi quoniam aliter non possem esse continens, nisi Deus det, & hoc ipsum erat sapientia scire cujus esset hoc donum = Est ne hoc favere Pelagianis? Animam tandem ante corpus creatam non aliquo temporis intervallo, sed solo intellectuali quodam signo considerat, ut ejus dotes divisim a corpore describere queat.

Quid est quod per summam impudentiam hujus Libri Auctorem criminationibus impetunt Heterodoxi, quasi mendacissimum repererint, dum Salomonis personam simulasse testantur? Ecquid illicitæ ne in sacris dicentur prosopopejæ illæ, quibus alicujus viri persona inducitur loquens, ut dictis majestas, & dignitas concilietur? Christus Dominus in Evangelio Abrahamum, & divitem ad inferos condemnatum loquentes inducit Lucæ 16. ℣. 24. Capite pariter 18. ℣. 10 ejusdem Evangelii Pharisæum, & Publicanum in templum ut orarent ascendisse describit; quæ tamen mera parabola fuit, quemadmodum Evangelista testatur; quare ergo illicitum erit Auctori sapientiæ Salomonis personam loquentem inducere? Ut

ricam veritatem in divinis, & propheticis libris exaratam, Sapientiæ Auctorem aperte mentiri adfirmantes, ac tandem per summam impudentiam se finxisse Salomonem, cum revera non sit, Zelatores Reformati criminantur. Favisse Origenistis, & Pelagianis ex Sapientiæ verbis Cap. 8. ℣. 19. = Sortitus sum animam bonam, & cum essem magis bonus, veni ad corpus incoinquinatum = Sublaterant en, inquiunt Hæretici, animarum existentiam antequam corpora ingrediantur; en incontaminatum corpus, nullaque originalis culpæ macula labefactatum.

℣. 14. Capitis 10. adfirmat Sapientiæ Scriptor Josephum Jacobi filium sceptrum super Ægypti Regnum fuisse consecutum, quod tamen nunquam eveniisse compertum est ℣. 15. ejusdem Capitis Judaicam populum in Ægypto commorantem *justum* appellat, *& semen sine querela*, cum tamen Ægyptiorum idololatria fuisse inquinatum testetur Ezechiel Cap. 2. ℣. 8. Chananæis imponit ulterius Cap. 12. ℣. 4 quod per magicam artem medicamenta adlaborarent. ℣. 5. ibidem quod crudis carnibus vescerentur; & ℣℣. 23, & 24., quod muscas, & vespas venerarentur ut Numina, cum tamen nil de hujusmodi criminibus in scripturis Sanctis habeamus.

Hujus Auctoris adhuc clarius patescit stoliditas, ajunt Hæretici, in Cap. 16. ℣. 18. sui Libri; describit enim ibidem ignem e cælo delapsum iis peperciisse, ingeniosa prorsus œconomia! animantibus insectis, quæ in Ægyptiorum perniciem a Deo missa fuerant. Quis tandem nesciat ignem illum e Cœlo descendisse diu postquam a Mose illa erant exterminata animantia? Cap. 16. ℣. 20. Mannam describit veluti Angelorum escam in Cœlo confectam, omnis saporis dulcedine perfusam; cum tamen unius panis oleo subacti saporem præferret, adeo ut eam adeo fastidiverint Judæi, ut nec leni oculo possent eandem conspicere Numer. 21., quid est ergo quod Sapientiæ Auctor scribit cujuscumque saporis, eam præferre delectamentum?

In Cap. 19. ℣. 7 describens transitum Maris rubri, ea tradit, quæ fabulam prorsus sapiunt: profundum quippe Maris, veluti campum herbas, & arbusta germinantem depingit. Et ℣. 11. ibidem Coturnices a Deo in Hebræorum castra immissas de novo a Deo creatas videtur supponere. Ca-

Eusebius, [a] *non Hebræus sed Biblius, Phœnicum historiam eorum lingua scriptam in Græcorum idioma transcripsit.* Eundem non alium citat Josephus, [b] Causa autem erroris cur hunc librum tribuerint Philoni, est, quod Salomon a Deo II. Reg. XII. 25. nuncupatus sit Hebraice ידידיה *Jedidia*, id est; *amabilis Domino*, qui Græce dicitur φίλων: φιλία enim est *amo*, φιλία *amicitia*, φίλος *amicus*. Unde & Philo Judæus a Rabbinis (ac nominatim a R. Azaria) Hebraice vocatur *Jedidia*.

a *lib. præp. Evang. cap. 6.*
b *lib. 1. contra Apion.*

V. Crederem ego Librum hunc coaluisse ex collectis variis Salomonicis sententiis a viro quodam pio Hebræo & erudito, qui eas prius forte dispersas, in unum librum collegerit: quem cum nactus esset Judæus alter, Græcorum lingua & facundia peritus, eundem librum Græco sermone deinde liberius explicaverit. Cujus sententiæ conjecturæ sunt non leves: Prima quod hic Sapientiæ liber fœtus Salomonis esse aperte videatur: id siquidem non solum declarat ipse titulus qui in Græca interpretatione, & Syriaca, & Arabica Salomonis nomen præfert: sed etiam istud evincunt hæc quæ leguntur cap. IX. *Tu elegisti me Regem populo tuo, & judicem filiorum tuorum & filiarum, & dixisti me ædificare Templum in monte sancto tuo, & in civitate habitationis tuæ altare, similitudinem tabernaculi sancti tui, quod præparasti ab initio.* Et cap. VIII. *Disponam populos, & nationes mihi erunt subditæ: timebunt me audientes Reges horrendi.* Tum: *Puer autem eram ingeniosus, & sortitus sum animam bonam.* Deinde cap. VIII. & IX. *Adii dominum, & deprecatus sum illum... Deus patrum meorum... da mihi sedium tuarum assistitricem sapientiam:* Et alibi: *Disponam populum tuum juste & ero dignus sedium patris mei.* Quæ Salomoni, nec ulli præterea, omnia conveniunt.

Accedit concors, tum Rabbinorum, tum sanctorum Patrum, ea de re sententia; Rabbinorum quidem; imprimis Azariæ in *Imre Binah*, ubi dicit *Hunc librum compositum esse a Salomone Rege lingua Syriaca, ut mitteret eum ad aliquem Regem ad fines Orientis habitantem. Verum Ezra manum suam admovit libris tantum iis, qui editi sunt a Prophetis, per Spiritum sanctum lingua sancta. Proinde etiam Sapientes nostri prudenter & præmeditate eos tantum confirmarunt, qui stabiliti & confirmati fuerant ab eo.* In eandem sententiam, Mosen Bar-Nachman. Idem pariter sentit Rab. Guedalias & plures alii. Plurimos etiam idem sentientes sanctissimos Ecclesiæ Doctores refert Lorinus cap. II. præf. præcipue vero S. Chrysostomum *orat. de festo S. Crucis*, Origenem I. *Periarchon.* Clem. Alexand. IV. *strom.* Cypr. *de mortalit. &c.* Unde merito Castro in Isagoge ad hunc lib. cap. XII.

Ut autem erratum esse ab Auctore nostro in Cap. 10. ℣. 14. dum Josephum Diadema super Ægypti Regnum obtinuisse pronunciavit, Heterodoxi revincant, ostendendum eisdem incumbit absque ulla prorsus independentia sceptrum illud ab Josepho fuisse retentum, quod Sapientiæ Auctor adfirmaverit, & non fuerit potius eodem sensu locutus, quo Josephi fratres Genesis 45. ℣. 26. dixerunt ad patrem suum = Joseph filius tuus vivit, & ipse dominatur in omni terra Ægypti = sciebant utique illi cum dependentia dominari Josephum a Pharaone illius Regni Monarcha.

Populum autem in Ægypto commorantem justum appellat collective sumptum, ut Scholæ loquuntur, non distributive, eodem ferme sensu, quo Catholicam Ecclesiam *Sanctam* appellamus, quamvis in ea insignes, & solemnes contineantur peccatores. Vel ut aliis placet, *justum* denominat populum illum non coram Deo, sed coram Ægyptiis, a quibus nulla interveniente legitima causa, injuste divexabatur.

In Libro Sapientiæ multo minores habentur in Chananæos accusationes, quam in cæteris divinæ Scripturæ Libris. Innumeris erant involuti superstitionibus: omnique infandorum etiam criminum genere inquinati, ut ex Mosaicis legibus satis fit palam.

Quid in Spiritum Sanctum obmurmurant Adversarii nostri propter ea, quæ scripta sunt in Capite 16. ℣. 18. Libri Sapientiæ? turpiter nimis decipiuntur isti supponentes eo in loco sermonem haberi de igne cum grandine, & pluviis e cœlo cadente; cum tamen de altero igne ab Ægyptiis ubique locorum excitato, ut muscæ comburerentur, & cyniphes, sicque ab illa plaga tantisper alleviarentur sermonem instituat Sapientiæ Auctor. Non insimul copulat ignem de Cœlo venientem, & muscarum ab illo præservationem, sed postquam flagellum grandinis, ignisque recensuit, subjungit, ut Dei potentiam extollat = Quodam enim tempore mansuetabatur ignis ne comburerentur, quæ ad impios missa erant animalia = Clarius ne poterat temporum differentias innuere, quas dignoscere nolunt adversarii?

Paucula etiam, quæ in Libro Sapientiæ de Manna traduntur, nullam prorsus cum iis, quæ alibi in Sacris literis narrantur, incongruentiam præseferunt, quamvis prima fronte prorsus videantur opposita. Omne delectamentum itaque, omnisque suavitatem saporis Manna continuisse merito dicitur, si perfectiorem, atque convenientiorem humanæ naturæ saporem habuisse supponamus. Vox itaque illa *omne* idem ac *perfectum* significare a Sacris Commentatoribus existimatur; eodem ferme sensu, ac illud Jacobi Cap. I. *Omne gaudium existimate fratres mei, cum in tentationes varias incideritis:* intelligunt de perfecto gaudio, quo lætantur animæ justorum, cum per tentationem virtus perficiatur. Hac data expositione quid incommodi in Sapientiæ verbis superfit ipsimet Adversarii nostri percipiunt, simulque causam fastidii in seditiosis Hebræis dignoscere possunt.

Si quæ autem Mosaicis narrationibus adjungit Sapientiæ Scriptor, ea vel a constantissima suæ gentis traditione, vel a divini Spiritus, cujus afflatu scribebat, revelatione scire potuit; novum autem minime est in divinis literis, ut quæ scriptorum unus sub silentio præteriit, suppleantur ab altero: patentia in Evangeliis hujus rei conspiciuntur exempla, nonnulla quippe aliquis Evangelistarum enarrat, quæ ab aliis omissa fuerant. Falsum est autem quod Coturnices in Castra Judæorum immissas, de novo creatas supponat, cum solummodo novas appellet respectu loci, in quo antea visæ non fuerant; vel novam creaturam respectu modi, quo fuerunt immissæ penes Hebræos, easdem appellat.

Quantum vero ad Idololatriæ originem spectat, fuse materiam istam Calmetus pertractat in sua peculiari dissertatione *de Origine Idololatriæ*, cui varias causas vir ille Clarissimus adsignat, contenditque Sapientiæ Auctori eam non insedisse mentem, ut singulas Idololatriæ causas recensere voluerit, sed nonnulla tantummodo crassioris illius superstitionis exempla proponere. Videatur insuper Frassenus numero hujus Capitis nono. Hæc satis ad breviter convellenda, quæ in divinitatem Libri Sapientiæ solent opponi, videntur. (W)

XII. ait universam pene Ecclesiam Salomoni hunc librum adscripsisse.

Confirmari etiam potest ex eo quod legimus III. Reg. cap. IV. *Locutus est Salomon tria millia parabolas, & fuerunt carmina ejus quinque & mille*, verosimile autem est, ea omnia non intercidisse sed ex eis plurima a variis illius ævi hominibus in Scripturam fuisse relata, quæ deinceps Hebræorum peritus aliquis in unum volumen Hebraice primum disgesserit, quod postmodum alius idiomate Græco elegantius fuerit elucubratus. Neque his contradicit S. Hieronymus cum ait *apud Hebræos hunc librum non comparere*; quia forte ipsius jam ævo Hebraicum exemplar unde fuerat excerptus, interciderat. Quod vero addit *redolere Græcam eloquentiam*, significat illius libri Græcum Interpretem, cujus duntaxat extat primigenium exemplar, in eo Græce repræsentando non castigatum ac pressum, sed liberum ac fusum stylum adhibuisse, magisque sententiarum sensum, quam verba expressisse.

VI. Quo vero tempore Græco stylo hic liber fuerit expressus, facile non est divinare; suspicari tamen licet eundem scriptum esse paulo post regnum Alexandri Magni qui Salomone sexcentis aut amplius annis fuit posterior: Alexander enim pugnaturus contra Darium ultimum Regem Persarum (uti paulo post eum vicit, ab eoque & Persis Monarchiam ad se & Græcos transtulit) offensus fuit Judæis, eo quod ipsi Darii partes adjuverant. Quamobrem in Judæa cum ingenti exercitu perrexit, Hierosolymæ civitati minitatus excidium, nisi occurrisset ipsi Jaddus summus Sacerdos, Pontificalibus indutus, ejusque iras & animos ad benevolentiam inflexisset, ut narrat Josephus. [a] In illo autem ipsius cum Judæis congressu & commercio, linguam Græcam in Judæam invexit, itaut nobiliores Judæi tunc Græce discere cœperint. Hinc paulo post Alexandrum, Ptolemæus Philadelphus secundus Ægypti Rex evocavit septuaginta duos Interpretes, Græce simul & Hebraice peritos qui sacra volumina Hebræa Græce redderent.

[a] *lib. 11. Antiq. cap. 8.*

Cum autem mortuo Alexandro ejus exercitus primarii Duces & præfecti universum illius imperium fuissent invicem partiti; & Antigonus Asiam, Antipater Macedoniam, Seleucus Syriam, Ptolemæus Lagi filius Ægyptum usurpasset, inde factum est ut media inter Syriam & Ægyptum Judæa, Seleuci & Ptolemæi posteris velut in prædam cesserit, nunc Antiochis nunc Ptolemæis eam sibi subjugantibus. Primus autem, qui in eos movit fuit Ptolemæus Lagi filius, qui Hierosolymam dolo invadens cepit, ac ex Judæa in Ægyptum abduxit centum viginti captivorum millia, & ita dire in eos sæviit, ut eorum plurimi avitam religionem abjicientes, ad inanium Deorum cultum deflexerint. Cui periculo ut occurreret libri Sapientiæ Græcus Interpres, hunc librum stylo Græco, cui jam Ægyptii simul & Judæi captivi assueverant, edidit, scilicet ad consolationem & confirmationem Judæorum ne a Deo ad Idola Ægyptiorum deflecterent. Quocirca totis capitibus XII. & XIV. unius Dei cultum stabilit, & idolorum inanitatem demonstrat; occasione autem persecutionis Ptolemæorum, Reges edocet, qualiter ex metu cultuque veri Dei subditos regere debeant, alioqui Deum ultorem ac vindicem sæverissimum sint experturi: quocirca proponit injustis principibus & tyrannis reposita divinitus horrenda supplicia, quemadmodum contigit Pharaoni & Ægyptiis Hebræos persequentibus, in quorum ultionem, variis eos Deus afflixit plagis quas recenset quatuor ultimis capitibus. Quæ conjectura, si vera sit, dicendum erit hunc Interpretem potissimum quidem hujus operis partem, nempe quindecim priora capita ab Hebræo Scriptore prius disgesta ex collectis Salomonicis sententiis Grece reddidisse; posteriora vero quatuor divino aflante Spiritu de novo adjecisse, tum ad captivorum Judæorum solatium & firmandam pietatem, tum ad coercendam Regum in eos sævientium tyrannidem.

Inscribitur autem hic liber titulo SAPIENTIÆ, quia videlicet totus est in describenda divinæ Sapientiæ origine, virtute, & utilitate. Tres enim sunt principes illius partes, quarum *prima* ad Sapientiæ exhortationem continet, a principio usque ad finem capitis sexti: *Secunda* a cap. VII. usque ad X. explicat originem sapientiæ & media quibus possit obtineri. *Tertia* vero a cap. X. usque ad finem declarat mirandos Sapientiæ effectus & fructus tum in privatis personis, maxime ad Noe, Abrahæ, Loth, Jacob, Joseph & Mosis; tum in toto Israelitarum cœru referens præcipua Dei beneficia *in eorum vel in captivitate Ægyptiaca degentium, vel ab ea solutorum patrata prodigia*.

VII. Quod vero adversus hujus libri sanctitatem & veritatem obtrudit Calvinus; scilicet eum falsa comminisci, dum cap. XIV. v. 15. scribit *Acerbo enim luctu dolens pater cito sibi rapti filii fecit imaginem, & illum qui tunc quasi homo mortuus fuerat; nunc tanquam Deum colere cœpit, & constituit inter servos suos sacra & sacrificia*, quæ ut putat Calvinus indigna sunt Bibliis dignaque favillis; idola enim, inquit, jam fuerunt prius in usu quam ista in consecrandis imaginibus mortuorum ambitio invaluisset. Istud, inquam Calvini commentum inane prorsus ac putidum est. Vellem enim aliquo argumento suaderet, prius hominum imagines in mundum fuisse invectas, quam ab Idololatris colerentur. Neque enim adhuc manifestum est, quis fuerit primarius Idolorum fictor & cultor. Existimat S. Epiphanius, *initio libri de Hæresib.* hoc grande piaculum auctorem habere Thare patrem Abrahæ qui Aram filio suo adhuc juvene defuncto idolum erexerit, & a sublitis coli jusserit qua de re a filio Abrahamo gravissime sit reprehensus: quæ si vera sint, videtur hic Sapiens designare Thare omnium primum idolorum cultorem; quanquam enim

antea

antea vigeret idololatria, nondum tamen colebantur imagines hominum, sed elementa vel Astra, vel animalia quædam: Sapiens autem hic de imagine statuæ loqui videtur: Græce enim vocat γλυπτὰ, id est, *sculpta*, & v. 21. lapides & ligna.

VIII. Non me latet Ninum primum Regem Assyriorum a nonnullis asseri primum omnium idolum, celebre Beli Patris sui mortui, qui aut Nemrod aut ejus successor circa annum 300. post diluvium proposuisse, illudque asylum reis constituisse; Ista namque docent S. Ambrosius, [a] S. Cyril. [b] S. Hieronym. [c] Euseb. [d] & alii passim, indeque priscis idola dicta sunt *Bel*, *Baal*, *Baalim*, *Belial*, *Beelphegor*, *Beelzebub*, &c. Significat autem *Bel*, vel *Baal*, Hebraice *Dominum*, quomodo nos Deum Dominum vocamus Antonomastice.

Hebræi autem teste S. Cyrillo, [e] volunt Cecropem Græcorum Regem primum finxisse simulacrum, idque nominasse *Jovem* summum Deorum, aras illi statuisse, & bovem immolasse: At id falsum est; vel intelligendum, primum fuisse in Græcia. Sic & quod S. Hyeronymus, [f] ac Didymus, [g] asserunt, a Cretensium Rege Melisso cœpisse Idololatriam, Diodorus & Eusebius a Phrygibus; Lactantius, [h] a Chananæis; quia eorum conditor Chanaan ab Avo Noe maledictus, primus a veri Dei cultu ad simulachra defecit. *Hæc*, inquam, vel falsa sunt, vel intelligenda sic, quod suis in locis & provinciis duntaxat fuerint primi idololatræ. Sic Atlantides Africæ populi primum apud se regnasse Deum οὐρανὸν, id est, *cœlum*, falso gloriabantur. Phœnicibus vero æque falso Theologiæ & Religionis initium arrogat Sanchuniathon Berytius apud Euseb. [i] Hinc pariter liquet errare Hebræos, qui teste Isidoro, [k] tradunt primum idoli factorem fuisse Ismaelem, quin & idolo nomen Ismael fuisse. Ut cum plurimis interpretibus observat Cornelius a lapide.

IX. Quod autem revera idolorum cultus originem duxerit ex nimio patris erga defunctum filium affectu, idem Cornelius demonstrat: *Primo* quia, inquit, huc inclinant verba Sapientis, cui nihil ei antiquitate contrarium afferri potest; & alia ex parte omnino est verisimile, auctorem hujus libri virum ubique pium, doctum & gravem traditione accepisse hanc suam sententiam. *Secundo*, quia patres magis amant filios, maxime teneros, quam filii amant Patres: ergo proclivior amor & dolor parentum iis excussit imagines erigendas filiis defunctis, quam contra; maxime cum patres per filios quasi semper esse & vivere cupiant, non contra. Probatur, *Tertio*, exemplis. Nam Lactantius [l] ex Cicerone docet, ipsum Tulliolam suam filiam defunctam Deam facere conatum, erecto illi simulachro, idque imitatione veterum, hic mos fuit. *Rursum* S. Fulgentius [m] capite de idolo, ex Diophante Lacedæmonio antiquissimum habet exemplum idoli, quod Synophantes Ægyptius splendidus filio demortuo erexit; Additque inde *Idolum* dictum quasi εἶδος ἀδύτου, ideſt, species doloris: hic autem in morte filiorum est acerbissimus. *Accedit* ad eandem sententiam Holcot asserens Synophanem fuisse primum Idololatram, esseque eum hic a Sapiente notatum, cujus filius fuerit Adonis nomine ex vocibus Græcis εἶδος ἀδύτου deflexo.

a *in cap.* 1. *ad Rom.*
b *lib.* 3. *contra Julian. non longe ante finem.*
c *in Osee* 2.
d *in Chronic.*
e *lib.* 1. *contra.*
f *Proœm. in Epist. ad Titum.*
g *lib. Exegesis.*
h *lib.* 2. *de falsa relig.*
i *lib.* 1. *præp.*
k *lib.* 8. *Etymol. cap.* 11.
l *lib.* 1. *de falsa Relig. cap.* 15.
m *lib.* 1. *de Diis Gentium.*

§. II.

De Ecclesiastici Libro.

X. VAria est hujus libri apud Hebræos, Græcos & Latinos appellatio. Hebraice namque inscribitur משלי *Mislæ*, ideſt, *Parabolæ*: unde Chaldæus scribit *Mithloi*, Aquila vero *Parabolæ*, sic etiam ait S. Hieronymus Præf. in libros Salomonis: *Fertur*, inquit, *& Panaretos Jesu filii Sirach liber & alius pseudo-epigraphus, qui Sapientia Salomonis inscribitur; quorum priorem Hebraicum reperi, non* ECCLESIASTICUM, *ut apud Latinos, sed* PARABOLAS *prænotatum.* Ubi signanter observat hunc librum inscribi titulo *Parabolæ*, simul & *Panaretos*: Parabolæ quidem, quia sub obscurioribus verbis, sententias plures continet ad instituendos hominum mores, hoc enim est Parabola. *Panaretos* vero, quia de omnibus virtutibus agit: vox enim *Panaretos* significat volumen in quo de omni virtute præcepta traduntur, & lector ad cujuslibet honeste vivendi instituti rationem informatur. Quamobrem Rabanus in Prologo, diserte scribit: *Ecclesiasticus, qui propter excellentiam virtutum suarum* PANERETOS, *ideſt, omnium virtutum appellatur, &c.*

Distinctius vero in Græcis Bibliis inscribitur Σοφία Ἰησοῦ υἱοῦ Σιράχ, *Sapientia Jesu filii Sirach*, ut videlicet distinguatur a Sapientia Salomonis. In Latinis vero appellatur *Ecclesiasticus*, quo nomine donatum putat Sixtus Senensis [n] quia, inquit ex August. [o] *in auctoritatem Ecclesiæ recipi meruerit & inter Propheticos libros numerari*: At verosimilius est, eum hoc nomen prætulisse, antequam Ecclesia publico testimonio eum inter Canonicos adscriberet.

Unde verius dicendum arbitror, hoc nomine vocatum ab effectu; *Ecclesiasticus* enim, idem est ac *Compilator*, vel *Collector*. Porro Auctor hujus libri tractanda ac tradenda assumit omnium virtutum præcepta ex variis collectis eximiis sententiis, præcipue tamen ex Salomonis Proverbiis, quem non modo imitatus est, sed ex ipsis multa transcripsit: quam sententiam suo calculo probat Hugo Cardinalis in Prologo: *Differunt*, inquit, *& Ecclesiastes & Ecclesiasticus secundum nominis interpretationem: nam Ecclesiastes Concionator interpretatur, quia quasi in Concilio totam Eccle-*

n *lib.* 1. *sect.* 2.
o *lib.* 1. *de doct. Christ. cap.* 8.

siam convocat ad contemptum mundi; Ecclesiasticus vero interpretatur Congregator seu Collector, eo quod omnes virtutes, sicut grana in horreo, congregat. Idem antea scripserat Rabanus, item in Prologo: *Ecclesiasticus vero*, inquit, *sicut & Ecclesiastes, Ecclesiæ utilissimus est, qui* CONGREGATOR *vel* COLLECTOR *interpretatur, sicut ille* CONCIONATOR; *sed Ecclesiastes ad Christum refertur; & ad quemlibet Prædicatorem Ecclesiasticus.*

XI. Quis fuerit hujus libri Auctor, non convenit apud veteres Ecclesiæ Patres. Plerique enim illum adjudicant Salomoni; ita Anacletus Summus Pontifex [a], illud Eccles. XXVII. *Qui fodit foveam incidet in eam*, citat nomine Salomonis. Alexander. I. [b] illud Eccles. XXXV. *Sacrificium salutare est attendere mandatis*, nomine Salomonis profert. Sixtus I. [c] Hæreticos arguens, scribit, *Quod in Salomone Scriptura loquitur dicens, Sicut in conspectu eorum magnificatus es in nobis*, quæ sunt verba Eccli. cap. XXXVI. Similiter S. Cyprianus: [d] *Sed & Salomon*, ait, *in Spiritu Sancto constitutus, testatur & docet quod sit sacerdotalis auctoritas & potestas, dicens: Ex tota anima tua time Deum & Sacerdotes ejus sanctifica*, quæ sunt verba Eccles. VII. S. Ambrosius ad virginem devotam [e] scribit: *Non Legisti Salomonem dicentem: Bonis bona creata sunt ab initio. Similiter impiis & peccatoribus bona & mala.* Testatur etiam S. Hilarius sua ætate apud Latinos hunc librum nomine Salomonis fuisse inscriptum: *In eo libro*, inquit [f], *qui nobiscum Salomonis; apud Græcos autem & Hebræos* SAPIENTIA SIRACH *habetur, ita monemur, Ecce circumvalla possessionem tuam spinis, &c.* Eccles. XXVIII. Inde factum est ut Concilium Carthag. III. [g] dum sacrorum voluminum texuit Catalogum, & in eorum numero recenset quinque libros Salomonis, non obscure in eis Ecclesiasticum comprehendit. Similiter Innocentius I. [h] in Canone Scripturarum etiam enumerat quinque Salomonis libros; ac subinde Ecclesiasticum eis accenset.

Verum hujus libri Auctorem non esse Salomonem, sed Jesum filium Sirach, certius est, quam probatione indigeat: *Primo* namque sic inscribitur in omnibus Codicibus Græcis & Latinis. *Secundo* id aperte declarant verba quæ de se habet Auctor cap. L. v. 29. *Doctrinam Sapientiæ & disciplinæ scripsit in Codice isto Jesus filius Sirach Jerosolymita, qui renovavit Sapientiam de corde suo.* Tertio cap. XLVII. & tribus sequentibus recensentur elogia Salomonis, Roboam, Eliæ, Elizæi, Ezechiæ, Isaiæ, Jeremiæ, Zorobabelis, Nehemiæ & aliorum qui diu post Salomonem vixerunt. *Denique* hujus libri Interpres Græcus, nepos Jesus Sirach, rem aperte probat in Prologo, dum ita scribit; *Avus meus Jesus, postquam se amplius dedit ad lectionem Legis & Prophetarum, & aliorum librorum, qui nobis a parentibus traditi sunt, voluit & ipse scribere aliquid.*

XII. Quare autem nomine Salomonis inscriptum censuerint Veteres plurimi, variæ sunt causæ. *Prima* quia Ecclesiasticus Salomonis scripta æmulatur, habet enim similes Morales sententias, ut observat Auctor Synopseos S. Athanasio adscriptæ: *Sane*, inquit, *hic Jesus Salomonis fuit sectator, nihil minus illo Sapientiæ & eruditionis nomine probatus, ut qui multiscius vere fuerit & sit appellatus.* Itaque Siracides Salomonis genium assecutus, verus fuit ævi sui Salomon. *Secunda* quia maxima est hujus libri cum Salomonicis scriptis consensio; *Ecclesiasticus*, inquit Rabanus [i], *propter nimiam sensus similitudinem & eloquii paritatem, Salomonis titulo prænotatur. Constat autem hunc librum sub Jesu filio Sirach editum fuisse, & inter reliquos sacræ Scripturæ libros pari habitum veneratione.* Tertia quia forte hujus libri Auctor, ei Salomonis nomen indidit, propterea quod eum sæpius loquentem induxerit, ejusque operi suo attexerit verba & sententias. Qua ratione Plato nomine Socratis Dialogos; & Cicero Dialogum de senectute Catonis, & de amicitia Lelii nomine inscripserunt.

Potissima autem ratio mihi videtur, quod hic Auctor plures ex Salomonicis libris sententias in suum transtulerit: illuc translatas aliquot e Proverbiis collegit Drusius [k] quibus quamplurimas alias adiicit Huetius: Illa enim, *inquit*, *Servo sensato liberi servient*: manifeste prodiit ex ista Proverbiorum: *Servus sapiens dominabitur filiis stultorum.* Et ista: *Melior est qui operatur & abundat in omnibus, quam qui gloriatur & eget pane*: Ad hanc expressa est: *Melior est pauper & sufficiens sibi, quam glorioſus & indigens pane.* Hæc quoque: *Priusquam audias, ne respondeas verbum*: Ex ista nata est; *Qui priusquam respondet quam audiat, stultum se esse demonstrat, & confusione dignum.* Gravis hæc & pia Ecclesiastici sententia: *Initium Sapientiæ timor Domini*, ἀυτολεξεὶ in Proverbiis reperitur; etsi ex Jobi & Psalmorum libris primum profluxerit. Effœtum quoque hoc: *Arenam & salem, & massam ferri facilius est ferre, quam hominem imprudentem, & fatuum & impium*: & istud *Commorari Leoni & Draconi placebit, quam habitare cum Muliere nequam*: Atque id etiam: *Qui diligit filium suum assiduat ei flagella*: totidem pene conceptis verbis extant in Proverbiis. Utrobique eædem Sapientiæ laudes, idem Sapientiæ studium: (quorum consimilia etiam habes in libro Sapientiæ) paria utrobique mulieris probæ præconia.

XIII. Constat itaque Auctorem Ecclesiastici, non esse Salomonem, sed Jesum filium Sirach, quod etiam plurimi e veteribus agnoverunt. In primis vero Eusebius [l], *Simeonis ævo*, inquit, *floruit Jesus filius Sirach fama celebris, qui Sapientiam titulo omnium virtutum genera profitentem composuit.* Similiter S. Hieronymus [m]: *Sirach filius scripsit librum qui Græce* PANARETOS *appellatur, & a plerisque Salomonis falso di-*

a *Epist. 2. si tamen hæc Epistola & sequentes Pontificia sint legitimæ.*
b *Epist. 3.*
c *Epist. 1.*
d *lib. 3. Epist. 9.*
e *cap. 2.*
f *in Psal. 144.*
g *cap. 47.*
h *Epist. ad Exuper.*
i *lib. 5. de universo cap. 3.*
k *in observationib. suis cap. 18.*
l *lib. 8. de prep. Evang. cap. 2.*
m *in cap. 9. Daniel.*

dicitur. Eadem fuit *Procopii Gazæi* sententia [a], & ac *Isidori Peluſiotæ* [b] *& S. Epiphanii* [c]. Hic autem Jesus Syracides fuit sapientissimus, utpote divinitus illustratus. Ut patet ex cap. LI. v. 18. ubi ait: *Cum adhuc Junior eſſem, priuſquam oberrarem, quæſivi Sapientiam palam in oratione mea... Inclinavi modice aurem meam & excepi illam, multam inveni in meipſo Sapientiam, & multum profeci in ea; danti mihi Sapientiam, dabo gloriam.*

a *Præfat. in Geneſ.*
b *lib. 4. Epiſt. 228.*
c *lib. de hæreſ. sit. 8.*

XIV. Quinetiam eum Spiritu Prophetico donatum fatentur S. Chrysostomus [d] & Cæsarius Arelatensis [e] ac S. Augustinus [f] ubi librum Ecclesiasticum numerat inter libros Propheticos; & merito quidem, nam Prophetat de Elia & Enoch venturis in fine Mundi cap. XLIV. v. 16. *Enoch*, inquit, *placuit Deo, & translatus eſt in Paradiſum, ut det Gentibus pœnitentiam.* Cap. vero XLVIII. de Elia scribit: *Qui ſcriptus es in judiciis temporum, lenire iracundiam Domini, conciliare cor patris ad filium, & reſtituere tribus Jacob.* Vaticinatur etiam de Christi Domini descensu ad inferos cap. XXIV. v. 45. ubi eum sub divinæ Sapientiæ epigraphe describens, ait: *Penetrabo omnes partes inferiores terræ, & inſpiciam omnes dormientes, & illuminabo omnes ſperantes in Domino*, quibus concordant hæc I. Petri verba cap. III. v. 19. *His qui in carcere erant, ſpiritibus veniens prædicavit: qui increduli fuerant aliquando, quando expectabant Dei patientiam in diebus Noe.*

d *in cap. 6. in Geneſ. e homil. 15.*
f *lib. 2. de doct. Chriſt. cap. 8.*

XV. Qua autem ætate floruerit Siracides ille, sic explicat S. Hieronymus, [g] scribens: *Poſt mortem Jaddi Sacerdotis, qui ſub Alexandro magno templo præfuit, ſuſcepit Pontificatum Onias .... Poſt Oniam præfuit Judæis Pontifex Eleazarus. Quo tempore* LXX. *Interpretes S. Scripturas Alexandriæ dicuntur in Græcum vertiſſe ſermonem: poſt quem alter Onias, cui ſucceſſit Simon: quo regente populum, Jeſus, filius Sirach, ſcripſit librum, qui Græce* Παραιτησις *appellatur, & a pleriſque Salomonis falſo dicitur. Cui ſucceſſit in Pontificatum alius Onias, quo tempore Antiochus Judæos Diis Gentium immolare cogebat. Quo mortuo, Judas Machabæus purgavit Templum.* Quæ Hieronymi sententia ut comperta sit, observandum est ex Josepho, [h] hanc fuisse Pontificum Judæorum seriem illius ævi: Jaddo Pontifex, qui occurrit Alexandro magno, genuit Oniam: Onias genuit Simonem justum, & ejus fratrem Eleazarum, qui misit LXX. Interpretes ad Ptolemæum Philadelphum: Simon justus genuit Oniam secundum, cognomento Avarum: Onias Avarus genuit Simonem secundum: Simon secundus genuit Oniam tertium, cognomento sanctum, qui vixit tempore Machabæorum: Unde eum recens defunctum vidit Judas Machabæus orantem pro populo, ac ostendentem Jeremiam, qui Judæ porrigebat gladium sanctum, quo debellaret hostes Israel, de quo II. Machab. cap. III. & IV. & cap. ult. v. 12. Vult itaque S. Hieronymus Siracidem hunc floruisse paulo post editam a LXX. Interpretibus sacrorum voluminum versionem Græcam.

g *in cap. 9. Daniel.*
h *lib. 11. & 12. Antiq. cap. 2. 3. & 4.*

Verosimilius tamen est eum vixisse sub Eleazaro summo Pontifice, idque plurimæ conjecturæ suadent. *Prima*, quod Nepos ejus, puta Jesus junior, qui librum Ecclesiastici ab Avo, nempe Jesu Seniore, compositum, ex Hebræo in Græcum vertit, in prologo dicat, se id feciſſe tempore Ptolemæi Evergetis: hic enim Ptolemæo Philadelpho, quasi fratri frater, in regno Ægypti successit. Unde colliges Jesum Seniorem vixisse tempore Philadelphi, & LXX. Interpretum; ideoque Genebrardus in Chronolog. lib. 11. & alii probabiliter coniiciunt, eum fuisse unum e LXX. Interpretibus. Hinc & Aristæus in Hist. LXX. Interpretum, recensens eorum nomina, etiam refert inter eos Jesum; quem probabile est eundem esse cum Jesu Siracida hujus libri Scriptore. *Secundo* colligitur ex cap. I. hujus libri, ubi laudes celebrat Simonis Pontificis fratris Eleazari, eumque ita graphice depingit, ac si eum viderit, ejusque fuerit æqualis: Quamobrem Jesus hujus Auctoris nepos, hujusque libri Græcus Interpres, *eodem capite* refert elogia avunculi sui; non obscure significans utrumque eadem ætate floruisse. *Tertio* hujus libri Scriptor *cap.* II. varias recenset calamitates, quibus adeo jactatus, ad perfectionis culmen divinitus est evectus, ab eisque solutus; maxime vero a Rege iniquo; quibus non obscure designat Ptolemæum Lagidem, qui Hierosolyma fraude occupata, plurima Judæorum captivorum millia in Ægyptum traduxit, in eosque acerbissime egit, sicut & Ptolemæus Philadelphus ejus filius, duobus prioribus sui imperii annis, donec occasione versionis Bibliorum, Judæos captivos libertate donavit. (36)

(36) Maxima inter eruditos Chronologos extitit controversia circa Auctoris Ecclesiastici ætatem. Apud Recentiores tamen ea invaluit opinio, quæ Synchronum facit Scriptorem hunc Oniæ III. Judæorum Pontifici; nepotem propterea Auctoris Ægyptum petiisse anno 38. Regni Evergetis II. cognomento Physconis, ibidemque Avi sui Librum hebraice scriptum in Græcum transtuliſſe decernit; ita Calmetus in Prologo ad Ecclesiastici Librum Artic. 3. Huic sententiæ, eæ congruere videntur temporum, rerumque circumstantiæ, ut maximam eidem vendicent probabilitatem. Evergetes II. annos ultra 38. regnasse merito dicitur, si ejus Imperium ab anno undecimo Philometoris, initium habuisse supponatur. Evergetes autem I. Sub cujus imperio in Græcum fuisse conversum Ecclesiastici Librum Auctores primæ sententiæ cum Frasseno tuentur, ultra annos 26. nequaquam imperium rexit; unde annum 38. hujus Principis nequaquam potest indicari in suo Prologo ab Ecclesiastici Interprete. Negant tamen Auctores hujus opinionis appellatos esse in Prologo ab Interprete alicujus Regis annos, cum scribat: *in octavo, & trigesimo anno, temporibus Ptolemæi Evergetis Regis*, numerus ergo ille annorum, vel ætatis suæ tempus, vel intervallum a liberatione Judæorum per Ptolemæum Philadelphum facta, vel tempus, quo scriptus fuit ab Avo suo Librum istum respicere cum possit, argumentum ex illo annorum numero desumi non posse tuentur ad statuendum sub Evergete II. factam esse Ecclesiastici in Græcum translationem. Videantur hac de re Chronologorum argumenta. (W)

XVI. Indicium ergo est illum hisce temporibus floruisse: unde reprobanda videtur eorum sententia qui cum Huetio existimant, Siracidem hunc eumdem esse ac Ben-Siram, cujus Proverbia Hebraice scripta extant; tum quia Proverbia illa omnino ab Ecclesiastico esse diversa, liquet utrumque conferenti; tum quia Jesum Sirach a Ben-Sira diversum esse, quatuor hæ rationes evincunt: *Prima* quia Hebræi communiter tradunt Ben-Siram vixisse, altera post Jeremiam ætate; Jesus Sirach autem vixit diu post, scilicet temporibus Ptolemæi Philadelphi. *Secunda*, Ben-Sira dicitur filium habuisse Uzielem & nepotem Josephum, Jesus autem Sirach habuit filium nomine Sirach, nepotem vero Jesum. *Tertia*, quia Ben-Sira plurima habet, quæ Ecclesiasticus non continet. Similiter Ecclesiasticus plures habet sententias pluraque capita, quæ apud Ben-Siram non invenies; tametsi plurima eadem prorsus apud utrumque reperiantur. Quis autem credat eundem Auctorem, de iisdem pene rebus & eadem phrasi diversos scripsisse libros, & ex dictis & dicta unius in alterum inruisse. *Quarta*, quia Ben-Sira Hebraice sic scribitur בן סירא, *Ben-Sira* habetque ultimam literam *Aleph*, Sirach autem sic בן סירח *Ben-Sirach*; ubi vides disconvenire eorum nomina. Nec valet Huetii hujus sententiæ patroni elusio, nempe permutatas esse ejusdem nominis literas: tametsi enim ea permutatio in vocibus Hebræis interdum contingat; quod illa hic occurrerit, ipsius erat aliquo argumento demonstrare, non vero gratissime & sine ulla etiam levi conjectura, inani sententiæ adhærere.

Confirmaret ista, si quæ esset auctoritatis Tigurina Editio, quæ huic libro novum præfixit prologum, quem ex Græco quodam exemplari transtulit, & inseruit post illum, qui communiter circumfertur in Vulgatis Codicibus, in quo ad nostrum propositum hæc habentur: *Jesus hic Sirach quidem fuit filius, sed cognominis sibi Jesu nepos. Vixit autem temporibus citerioribus captivitatem & restitutionem secutis, adeoque post omnes fere Prophetas. Porro avus ejus Jesus, ut ipse testatur industrius, vir fuit inter Hebræos & prudentissimus, qui non solum aliorum ante se prudentium virorum sapienter dicta collegit; sed etiam ipse quædam privatim multa scientia sapientiaque plena pronuntiavit. Postquam igitur hoc libro fere collectitio relicto, primus ille Jesus de vita discessit: Sirach hic post eum rursus acceptum eundem, filio suo Jesu reliquit. Is tandem hunc nactus, concinne totum coegit in unum volumen, & sapientiam cum suo paterno, adeoque avi nomine inscripsit: nempe ut ipso sapientiæ nomine Auditorem ad ipsum librum majori desiderio meditationeque pertractandum alliceret.* Juxta quæ dicta Auctor hujus libri fuit Jesus, qui prædictas sententias collegit. Hic autem Jesus hæc a se collecta reliquit filio suo Sirach: Qui Sirach hæc eadem filio suo Jesu dedit. Jesus autem hic nepos prioris Jesu: filius autem Sirach collectus ab avo sententias, & indigesta scripta in volumen redegit; additis etiam quibusdam de suo, vel ab aliis acceptis. Quapropter hoc volumen proprio nomine appellavit, & etiam a nomine avi, qui etiam *Jesus* appellatus est: addito interim nomine patris sui Sirach, ut frequens apud Hebræos mos est. Hanc eandem sententiam secutus est S. Damascenus, [a] scribens, *Hunc librum qui* SAPIENTIA JESU *dicitur, scripsisse Jesum Hebraice, transcripsisse autem, Græcumque fecisse nepotem Auctoris, qui ejusdem erat nominis cum avo; hunc autem fuisse filium Sirach.*

[a] lib. 4. de fide Orth. cap. 18.

Verum plurima sunt in illa Editione Tigurina quæ dubiam ejus fidem faciant, primo quod ejus Auctores fuerint Heterodoxi, maxime Leo Juda, ex Judæo Zuinglianus, & Theodorus Bibliander: Unde omnia quæ in ea Editione continentur, debent esse suspectæ fidei. Deinde facit Jesum Siracidis nepotem præcipuum hujus libri Auctorem, cujus asserti facilitatem evincit, tum ipse Nepos qui se in prologo Latinis Bibliis præfixo, tantum hujus libri Interpretem fatetur, tum universus interpretum cœtus, qui hunc librum seniori Siracidæ adscribit.

XVII. Ad *auctoritatem* hujus libri quod attinet, certum est, Sudæos illum inter Hagiographa numerare, ut constat ex Talmude *Baba-kama*, [b] & Auctore Tzemach David: [c] *Iste Jesus Ben-Sira*, inquit, *composuit librum Ben-Siræ, qui lingua Romana dicitur Ecclesiasticus, totus est plenus dictorum & sententiarum eruditionis & sapientiæ, &c.* Similiter Rabbi Azarias, [d] probat Simeonem justum fuisse filium Oniæ summi Sacerdotis hujus libri testimonio; *In fine*, inquit, *Ben-Siræ, qui ut nosti non reiicitur a Sapientibus nostris, sed unanimi consensu recipitur, inter multos Prophetas & Sapientes fortissimos, quorum laudes celebrandas suscipit, meminit hujusce Simeonis justi filii Oniæ cap. L. quem fuisse Israelitis memorat quasi stellam matutinam.*

[b] cap. Hacheel.
[c] in Chronolog. sua ad ann. 3448.
[d] in Mar-Ensim cap. 21.

Non tamen in Canonem sacrorum voluminum inserunt, nam Josephus *lib. I. contr. Appion.* recensens sacros libros Canonicos, hujus non meminit; Et Judæi eos tantum libros inter Canonicos putant, qui ante secundam Templi ædificationem scripti sunt, inde arbitror factum, ut primis Ecclesiæ temporibus, hunc librum inter Canonicos non reputarint Ecclesiæ Patres, ut apparet ex Melithone apud Eusebium, [e] Origene, [f] qui Canonicos libros referentes de hoc omnino siluerunt, sicut & Concilium Laodicense can. 59. Unde S. Hieronymus *in prolog.* ad Proverbia Salomonis, loquens de hoc libro, & nonnullis aliis, scribit; *Hos libros legit quidem Ecclesia, sed eos inter Canonicas scripturas non refert.*

[e] lib. 4. hist. cap. 24.
[f] in Psal. 1.

XVIII. Nihilominus tamen multos ante annos liber hic inter Catholicos ab Ecclesia relatus est, ut apparet ex Innocentio I. summo Pontif. Epist. ad Exuperium; Concilio Cartag. III. Can. 47. & aliis Canonicorum librorum ab Ecclesia confectis indicibus, ut videre est in paragrapho hujus ca-

capitis. Quapropter non video qua ratione excuſandi veniant Hugo Cardinalis & Dionyſ. Carthuſianus hunc librum a ſacris arcentes. (37)

Dubium eſſe poſſet de eo Prologo qui in Latinis Codicibus circumfertur: ſunt enim qui cum Cornelio Janſenio cenſeant illum ad fidei regulam non pertinere, propterea quod in quibuſdam Bibliis ſcriptis omittatur. Unde etiam illum non exponunt Rabanus & Dionyſius, quaſi nullius eſſet auctoritatis. Verum cum ex decreto Concilii Florentini & Tridentini libri ſacri integri cum ſuis partibus, prout in Eccleſia Catholica legi conſueverunt & habentur in Vulgata Latina editione, in Canonem ſacrum referantur, non video qua ratione dubia eſſe poſſit hujus prologi auctoritas, quæ cum libro in Vulgata Editione ubique circumfertur. *Accedit* quod aliorum ſacrorum librorum prologi, non minoris cum ipſis ſint auctoritatis, ut apparet ex præfatiunculis, quas S. Lucas, tum Evangelio, tum Actibus Apoſtolicis præmiſit,

Argumentum hujus libri, eſt ſynopſis præceptorum moralium quæ hominem quovis in ſtatu ad ſapientiam & virtutem probe inſtituant; tradit enim virtutes non tantum Ethicas, quæ perſonam cujuſque concernunt & perficiunt, ſed & Oeconomicas, quæ ad familiam, & Politicas quæ ad Rempublicam gubernandam vel utiles ſunt, vel neceſſariæ, Capita LI, continet, quæ tres in principes partes plurimi Interpretes diſtribuunt, quarum prima *cap.* I. refert encomium Sapientiæ, ſive ſacræ Ethices. Deinde a *cap.* II. uſque ad XXIV. Subjungit Siracidæ ejus præcepta & dogmata de quibuslibet virtutibus. *Secunda*, capite XXIV. Siracides ipſam Sapientiam ſe, ſuaque prædicantem inducit, ac deinde Ethica ejus documenta perſequitur uſque ad *cap.* XLII. *v.* 15. *Tertia* a *cap.* XLII. *v.* 15. uſque ad finem continet harum virtutum & documentorum exempla. Unde præmiſſo encomio Dei, ejuſque operum, librum concludit elogiis Patriarcharum, Prophetarum & Principum illuſtrium veteris Teſtamenti. Porro inchoat ſua præcepta juxta ſeriem Decalogi. Incipit enim a timore & cultu Dei: inde *cap.* III, progreditur ad honorem parentibus debitum; ac deinceps officia cæteris, vel ex charitate, vel ex juſtitia præſtanda proſequitur.

CA-

(37) Antiquiores Patres, qui nonnullos extra divinarum Scripturarum Canonem libros reliquiſſe inveniuntur, eos tantummodo Libros recenſere fatagerunt, qui divinæ auctoritatis citra controverſiam ab Hebræis, & Chriſtianis habebantur. Hujus profecto generis minime fuit Eccleſiaſtici Liber, quippe ſcriptus diu poſt inſtauratum ab Eſdra divinorum Librorum cenſum, extra quem remanſere quotquot ſequiori ætate exarati ſunt. Non proinde ab omnium ſæculorum Patribus, & Eccleſiæ univerſæ conſenſione inter Scripturas Sacras non recenſitus eſt; quinimmo & illi ipſi, extra quorum Canonem detinebatur, veluti divinæ auctoritatis ſcripturam in fidei controverſiis adducebant. Videantur Origenes Homil. 9. in Ezechielem, S. Athanaſius de Virgin. S. Cyrillus Hieroſolym. Cathech. 6. S. Nazianzenus Orat. I. contra Julian. S. Hieronymus in Epiſt. ad Julian. S. Epiphanius in Anchorat. Cap. 12. S. Hilarius in Pſal. 140. Innumera alia proferri poſſent ex aliis Latinæ, & Græcæ Eccleſiæ Patribus, & Conciliis teſtimonia, quæ apud Calmetum Prolegom. ad Librum Eccleſiaſtici recenſentur.

Nonnullæ ſolent a Witakero, Hunnio, Mævio, Fajo, aliiſque hujus furfuris cavillatoribus adverſus divinitatem Libri Eccleſiaſtici objectiones proponi, quæ tamen ridendæ videntur potius, quam examinandæ. Ajunt itaque plura Eccleſiaſtici Auctorem errata commiſiſſe; ſed præſertim dum Cap. 48. ℣. 10. Eliam in propria reverſurum perſona adfirmavit, ad leniendam iracundiam Domini, ad conciliandum cor Patris ad filium, ad reſtituendas Tribus Jacob. Hæc ſiquidem ex ſcripſiſſe videtur ex Malachiæ 4. ℣. 5. Quis tamen neſciat a Malachia prænunciatum fuiſſe non Eliam in perſona, ſed Joannem Baptiſtam in zelo, & virtute Eliæ? Matthæi 11. ℣. 14. ita Malachiæ verba Chriſtus expoſuit = Et ſi vultis ſcire ipſe eſt Elias, qui venturus eſt = Marci pariter Cap. 9. dicitur a Chriſto Elias jam veniſſe. Et tandem Lucæ 1. ℣. 17. Baptiſta prænunciatur ab Angelo, quod veniet in Spiritu, & virtute Eliæ.

Alterum quod in Eccleſiaſtico legimus eſt in Capite 46. ubi abſolute ſcribit per artem pythonicam ſuſcitatam ab inferis Samuelis animam; cum hoc tamen ſit aut nimis abſurdum, aut ſaltem quammaxime dubium. Quod tandem elevat prorſus Eccleſiaſtici Libri auctoritatem eſt carentia Codicis autographi, neſcimus quippe an verſio in Græcum facta legitima ſit; cum Interpres fateatur in Prologo ſe dignum venia, quia in verborum compoſitione ſe deficere agnoſcit, ac deeſſe pariter adfirmat Hebraica verba quando fuerint translata ad alteram linguam.

En robuſtiſſimas Hæreticorum argutationes! Eccleſiaſtici Auctor, & Malachias Propheta de Eliæ adventu diem Domini magnum, & horribilem præceſſuro locuti ſunt; Chriſtus autem Dominus duo apud Matthæum pronunciavit Cap. 17. ℣. 11. primum quod Elias venturus ſit, & quod omnia ſit reſtituturus & tunc de Elia Malachiæ, & Eccleſiaſtici locutus eſt. Secundum; quod Elia jam venit, ſed fecerunt in eo quæcumque voluerunt; & in hoc de Joanne Baptiſta, qui in officio, & virtute Eliæ venerat, Chriſtus fuiſſe locutus credendus eſt. Non ergo excluditur a Chriſto ille adventus Eliæ in mundi fine, quem prædixit Malachias, & Eccleſiaſticus confirmavit.

Quantum vero ad Samuelis animam, eodem ſenſu Eccleſiaſtici verba cur non poterimus intelligere, quo verba Capitis 28. Libri I. Regum explicantur, quibus toties inculcatur quod Samuel a Pythoniſſa fuerit excitatus? Cur de vera Samuelis anima non poterunt uſurpari Eccleſiaſtici verba, ſi dicamus a Deo fuiſſe juſſam Sauli apparere, & ejus noviſſima prænunciare? Si autem ex Librorum Divinorum cenſu ob autographi carentiam ſit Eccleſiaſtici liber expungendus, quinam Libri in eodem conſiſtent, ſi nullius prorſus codex autographus ſupereſſe dignoſcitur? Satis ad Libri authentiam eſt quod ex Codice originario ſententiarum, & conceptuum integritas in Tranſlationes perducatur, cæterum eamdem verborum energiam, & efficaciam, eamdemque in dicendo venuſtatem ſervari non poſſe dum oratio ex una in alteram linguam tranſvehitur, communis eſt Interpretum ſententia; de iſta ſolummodo, non de ſententiarum, & conceptuum integritate loquebatur Eccleſiaſtici Interpres, qui ex Hebræo in Græcum Librum illum tranſcripſit. (W)

CAPUT DUODECIMUM.

De quatuor Prophetis majoribus, Isaia, Jeremia, Ezechiele, & Daniele.

SUMMARIUM.

I. *Quis fuerit Isaias, & cujus filius?*
II. *Quis Prophetiæ scopus apud Isaiam? & quæ illius vaticiniorum partes?*
III. *Cæteris Prophetis scribendi majestate & dignitate præcellit.*
IV. *Diu præ cæteris spiritu prophetiæ donatus fuit.*
V. *Alios scripsit libros, qui exciderunt.*
VI. *Num eo ordine scripta sint Isaiæ vaticinia, quo referuntur.*
VII. *Quis Jeremias, & qualis ejus in scribendo stylus?*
VIII. *Quos libros composuerit S. Propheta?*
IX. *Quot in partes Jeremiæ vaticinium dividi possit?*
X. *An in Judæa tantum prophetaverit?*
XI. *Num Lamentationum revera sit Auctor?*
XII. *De Prophetia Baruch ejusque auctoritate.*
XIII. *An Epistola Jeremiæ quæ apud Baruch legitur sit genuina?*
XIV. *Quis fuerit Ezechiel, & quo tempore vixerit, & ubi mortuus?*
XV. *Quæ sit vaticiniorum Ezechielis distributio?*
XVI. *De Danielis indole & vaticiniis.*
XVII. *Danielem Prophetarum numero frustra dimovere conantur Judæi.*
XVIII. *Vere est Auctor Prophetiarum, quæ ejus nomine circumferuntur; idemque Susannæ defensor, Beli eversor, & Draconis occisor.*
XIX. *Opposita argumenta refelluntur.*
XX. *Danielis Liber cur partim Hebraice, partim Chaldaice scriptus fuerit?*
XXI. *Cur Judæi Susannæ Historiam rejecerint?*
XXII. *De Habacuc, cujus mentio fit in Daniele?*

§. I.

De Isaia Propheta.

I. IN sacrorum voluminum Auctoribus disquirendis, vias difficiles & salebris ac spinis circumseptas hactenus ambulavimus, nec nisi per nubila fere & caliginem eos internovimus, si tamen, agnoverimus; nunc vel perplexarum disputationum tricas eluctati, vel obscuræ vetustatis prætergressi tenebras, in luce deinceps paulo clariori versabimur: nobis enim Scriptores sacri seipsos apertius cognoscendos dabunt.

Libri siquidem Prophetiarum nomine Isaiæ, Auctorem se in fronte operis profitetur ipse Isaias his verbis: *Visio Isaiæ filii Amos, quam vidit super Judam & Jerusalem in diebus Oziæ, Joathan, Achaz, Ezechiæ Regum Juda*, quibus verbis se libri Auctorem indicat, quod etiam aliis compluribus testimoniis, in quibus cum suum patrisque sui nomen scripsisset, partim ex tertia, partim ex prima persona sic divinitus mandatum esse, ut quæ viderat in librum referret, testatur cap. XXX. v. 8. *Nunc ergo ingressus scribe ei super buxum, & in libro diligenter exara illud, & erit in die novissimo in testimonium, usque in æternum*: Sed præterea quis qualisve fuerit, quove tempore fuerit vaticinatus, aperte declarat. In primis enim testatur se filium Amos: non illius quidem, qui inter Prophetas Minores numeratur; cum ille fuerit ex pastoribus Thecuæ, eodem attestante Propheta; & aliis præterea literis ejus nomen ac Isaiæ patris enuntiatur. Ille namque עמוס *Amos* nomen habet: hic vero אמוץ *Amotz* graviori prolatione nominatur. Hoc agnoverunt SS. Patres, Hieronymus, [a] Augustinus, [b] Cyrillus, [c] & Procopius, [d] qui scribit: *Aiunt Isaiæ patrem non esse unum e duodecim: is enim Amos tenuiter pronuntiatur & exponitur sermo durus; at pater Isaiæ aspiratur, & significat perfectionem, & potentiam, & robur*: quæ equidem ratio vera est, si ultimæ syllabæ rationem attendas, falsa vero si primam syllabam spectes, nam ע Amosi Prophetæ nomini præfixa, validissima est omnium Hebraicarum aspirationum, tenuissima vero est א, quæ præfixa est nomini *Amos* patris Isaiæ.

Inde apparet (ut appositè notat Huetius) Clementis Alexandr. lapsus, qui lib. 1. Strom. scripsit: *Sub Ozia autem vaticinantur Amos, & filius ejus Isaias*; nisi forte Amosum Isaiæ patrem itidem Prophetam fuisse censeamus cum S. Hieronymo, qui comment. in Isaiam pluries ipsum *Prophetæ filium* nominat, aitque, *Hic quia ipse de se Isaias scribebat historiam, non se appellavit Prophetam, sed filium Prophetæ*. Hæc etiam fuit plurium Rabbinorum sententia, teste Rabbi Ganz, quam pariter amplexus est Auctor libri de vita Prophetarum S. Epiphanio adscriptus. Sunt etiam, qui cum R. Salomone apud Lyranum in cap. 1. Isaiæ, asserant Amosum Isaiæ patrem,

Ama-

a *in cap.* 1. *Isaiæ.*
b *lib.* 18. *de Civit. cap.* 27.
c *Præf. in Amos.*
d *in c. cap. Isaiæ.*

Amasiæ Regis Juda fratrem extitisse; *Iste Amos*, inquit, *& Amasias Rex Juda, fuerunt fratres, ac proinde Isaias fuit de genere Regio:* ex quo fit verosimilius id quod S. Hieronymus refert ad cap. XX. v. 2. Ex tradit. Hebræorum nempe Isaiam fuisse Socerum Regis Manasse, ut qui consanguineos nactus erat Reges, eosdem quoque haberet affines.

II. Ut ut est de Isaiæ parentibus & prosapia, de quibus nihil quidem certi ex Scriptura statui potest; certum est eum fuisse veteris Testamenti Prophetarum maximum, sive argumentum, sive Scriptorum magnitudinem, sive dicendi genus, sive tempora in quibus vaticinatus est, spectemus. *Argumentum* enim eius est, non solum Synagogam illiusque filios hortari ad pœnitentiam, ut suis criminibus concitatam Dei in eos iram & animadversionem amolliant & avertant: sed etiam futuræ Ecclesiæ Christi Sponsæ prærogativas & encomia celebrare. Unde capita habet LXVI. v. 1295. partes vero capitales duas, seu duo Prophetiarum genera, quarum aliæ *Veteres*, sive *Legales*; aliæ autem *Novæ* seu *Evangelicæ* dici possunt. In *priori* Judaicam gentem exprobrationibus & comminationibus plurimis perstringit, ut a peccandi libidine, ad veram & sinceram pœnitentiam revocet & pelliciat. Unde plura vaticinatur adversus Judaicum populum, duobus tribubus Judæ & Benjamin constantem, per tredecim priora capita. Deinde adoritur vicinas nationes, nempe Babylonios cap. XIII. & XIV. Philistæos cap. XIV. Moabitas cap. XV. & XVI. Syros cap. XVII. Æthiopes & Ægyptios cap. XVIII. XIX. & XX. Assyrios Idumæos & Arabes cap. XXI. Jerosolymitas, maxime Principes, & Præpositos Templi, cap. XXII. Tyrios cap. XXIII. Demum prænuntiat excidium totius Orbis terrarum, agitque de extremo Judicio & Justititia divina in justis præmiandis & puniendis reprobis cap. XXVI. & XXVII. Tandem a cap. XXVIII. ad XXXVIII. quæ venturæ sunt Judæis, eorumque posteris calamitates denuntiat, tum a Sennacherib, tum a Romanis sub figura Idumææ & Bosræ.

In *posteriori parte*, quæ consolatoria dici potest, agit de liberatione populi facienda per Cyrum & Christum, ab exilio scilicet & peccato; Unde Christi Domini infantiam & vitam absconditam, qua per triginta annos ignotus latuit, graphice depingit *cap.* XLIX. multifarias injurias & persecutiones in hoc mundo perpessas *cap.* L. vers. *Corpus meum percutientibus dedi, &c.* Sapientiam & doctrinam sive prædicationem Christi, *cap.* LI. & LII. Ubi dicit: *Audite me, qui sequimini quod justum est, &c.* Passionem & mortem, atque in his omnibus summam patientiam ac tolerantiam, circa finem *cap.* LII. vers. *Ecce intelliget servus meus*, & per totum cap. LII. ubi dicitur: *Non est species ei, neque decor.* Ecclesiam & ipsius formationem ex latere Christi, cap. LIV. & LV. ubi etiam ostendit Ecclesiam non arctari ad unum aliquem populum, sed sparsam esse per universum Orbem, *cap.* LVI. Præcepta habet moralia, quibus Ecclesia instruitur, *cap.* LVII. & LVIII. Gloriam & resurrectionem, *cap.* LIX. & LX. ibi, *Ecce non est abbreviata manus Domini.* Famam & existimationem, per totum orbem diffusam, idque Apostolorum prædicatione. Nominis Christiani, novi sane & glorioси, impositionem, quo credentes ornantur, *cap.* LXII. vers. *Et vocabitur tibi nomen novum, quod eos Domini nominavit, &c.* Ascensionem triumphalem, & glorioſum ingressum in cœlum cap. LXIII. *Quis est iste qui venit, &c.* Judæorum nequitiam & excæcationem, circa medium LXIII. vers. *Miserationum Domini recordabor.* Ubi reducit in memoriam beneficia Dei, præcipue illud, quo educti sunt Judæi ex Ægypto, & beneficium Adventus Christi, cap. LXIV. Reversionem Judæorum ad Christum & ejus misericordiam, cap. LXV. Judicium extremum, ac ibi iterum de bonorum præmiis, & pœnis malorum, cap. LXVI. Hæc Ederus & Aureolus in suis Bibliorum Oeconomiis.

III. Ad Vaticiniorum excellentiam & dignitatem quod attinet, conveniunt omnes eum non solum rerum quas tractat amplitudine; & stylo scribendi, sed etiam majestate reliquis Vatibus sacris longe antecellere: cui confirmando, etsi cætera deessent, hoc unum sufficeret, quod, inquit S. Chrysostomus homilia 1. *Eximius ille spectator Seraphim Isaias, auditor ille mysticæ modulationis, de Christo oracula vix ulli enumeranda edidit:* Primus enim & principalis vaticinii scopus fuit Christus Dominus, ut perbelle admonet S. Hieronymus in Epist. 117. quæ est ad Paulam & Eustochium. *Prophetavit autem*, inquit, *Isaias in Jerusalem & in Judæa, necdum decem Tribubus in captivitatem ductis; ac de utroque regno nunc commixtim, nunc separatim, texuit oraculum. Et cum interdum ad præsentem respiciat historiam, & post Babyloniæ captivitatem reditum populi significet in Judæa, tamen omnis ejus cura, de vocatione Gentium & adventu Christi est.* Quamobrem ibi diserte pronuntiat, quod *non tam Propheta dicendus sit quam Evangelista.* Adeo enim universa Christi Ecclesiæque mysteria ad liquidum prosecutus est, ut non putes eum de futuro vaticinari, sed de præteritis historiam texere. Ei concinit S. Augustinus lib. 18. de Civit. Dei cap. II. scribens *Isaiam de Christo & Ecclesia multo plura quam cæteros prophetasse, itaut a quibusdam Evangelista potius quam propheta dicatur.* Illis præluxerat Origenes ad cap. XIII. Joannis v. 20. ubi Isaiam expresse *Apostolum* nominat. Quapropter homil. XXXII. in Lucam admonet, Christum Dominum non fortuito sed ex divinæ suæ sapientiæ & prudentiæ dispositione (cum de more Synagogam ingressus esset sabbato, & ad legendum, interpretandumque oblatum sibi librum assurexisset) incidisse in librum Isaiæ, ejusque lectionem quæ Christi mysterium loquebatur. Fuit certe hæc illustris

ſtris hujus Prophetæ prærogativa quod ſupremus ille Doctorum, Prophetarum, & Evangeliſtarum Magiſter Chriſtus, eum ſibi publice in Synagoga interpretandum delegerit; neque ad id etiam conducit modicum, quod Gentilium primus, videlicet Eunuchus nobilis Candacis Reginæ Æthiopum ad fidem Evangelicam converſus ſit Iſaiæ lectione. Merito igitur Gloſſa ordinaria colligit quod ubicunque in novo Teſtamento ſalutis narratur principium, de Iſaia ſumitur teſtimonium, qui interpretatur ſalus Domini.

IV. Omnium inſuper Prophetarum diutiſſime vaticinatus eſt, ſiquidem pluſquam ſexaginta quatuor annos prophetaſſe videtur. Enimvero quandiu regnavit Ezechias, prophetavit; regnavit autem hic annos viginti novem: quibus ſi addantur ſexdecim anni regni Joathan, & totidem Achaz efficitur ſumma annorum ſexaginta & unius. Teſtatur autem ipſe *cap.* VI. ſe etiam vaticinatum eſſe ſub rege Oſia anno quo hic mortuus eſt, qui cum anteceſſerit tres Reges nominatos, ſequitur Iſaiam aliquot annos præter aſſignatos prophetaſſe. Quod utique confirmat conſtantiſſima traditio Hebræorum aſſerentium illum juſſu Manaſſis Judæorum Regis per ſummam crudelitatem ſerra lignea diſſectum fuiſſe, quod ipſius impietatem Optimatumque corruptos mores libero ore carperet: ex quibus fit conſequens eum vitam & prophetiam ad aliquot regni Manaſſis annos protraxiſſe. Iſta declarat Chronicon Alexandrinum in Olympiade 21. ubi ſic ſcribit. *Iſaias Vates a Manaſſe ſerra diviſus occubuit, quod Regem de Idololatria reprehendiſſet. Vaticinatus annos* 90. *tumulatus ſubter quercum Rogel. Piſcina tranſitus aquarum, quam Ezechias foderat, cum defeciſſet, Deus ſignum propter ſuum prophetam fecit: quando ante ipſius mortem exhauſtus erat fons precatus eſt, ut aquam ſuppeditaret, & ſubito aquam illi miſit ex eo, & bibit, vocataque eſt illa Piſcina Siloam, quod ſonat, Miſſus.* Verum quod attinet ad nomen fontis Siloe, antiquius fuiſſe apparet ex cap. VIII. v. 6. hujus libri, ubi aquarum fontis Siloe meminit. His non abſimilia ſcribit S. Hieronymus in cap. LVII. ubi exponens illa verba *A facie malitiæ collectus eſt juſtus* dicit Iſaiam ea de ſua morte prophetare, *quod ſerrandus eſſet*, inquit, *a Manaſſe ſerra lignea, quæ apud Hebræos certiſſima traditio eſt. Unde & noſtrorum plurimi, illud quod de paſſione ſanctorum in Epiſtola ad Hebræos ponitur, ſerrei ſunt, ſive ſecti ad Iſaiæ referunt paſſionem.* Idem ſentit Tertullianus lib. de Patient. cap. IV. Et lib. III. contra Marcion. Addit Iſidorus a vertice per medium diſſectum, ſicque atroci ſupplicio excruciatum atque extinctum fuiſſe; quod alii ab imo ad ſummum factum putant. Aquam etiam morienti divinitus datam Dorotheus, Epiphanius aliique tradiderunt. Scribit autem Epiphanius Iſaiam glorioſe & honorifice a populo fuiſſe ſepultum ſub quercu Rogel, id eſt, fullonis, cui etiam vicinus fuit fons Rogel.

V. Præter hunc quem habemus vaticiniorum librum, alia ab ipſo Iſaia ſcripta eſſe conſtat ex ſecundo Paralip. cap. XXVI. v. 22. ubi leginus *Reliqua autem ſermonum Oziæ priorum & noviſſimorum ſcripſit Iſaias filius Amos Propheta*; quæ ſcriptio cum in eius prophetia non appareat, conſequens eſt, ab eo aliud volumen fuiſſe editum, quod temporum lapſu exciderit, forte quia commentarium iſtud de rebus Oziæ hiſtorica diligentia, non inſpiratione divina fuerat conſcriptum, quemadmodum cenſet S. Auguſtinus lib. XVIII. de Civit. Dei cap. XXXVIII. ubi requirens cur plures libri in hiſtoria Regum Juda & Iſrael memorati Deo ita permittente perierint, *Hujus rei cauſa*, inquit, *fateor, me latet; niſi quod ego exiſtimo etiam ipſos, quibus ea, quæ in auctoritate religionis eſſe deberent, ſanctus utique Spiritus revelabat; alia ſicut homines hiſtorica diligentia, alia ſicut Prophetas inſpiratione divina ſcribere potuiſſe, atque hæc ita fuiſſe diſtincta, ut illa tanquam ipſis, iſta tanquam Deo per ipſos loquenti judicarentur eſſe tribuenda: ac illa ſic pertinerent ad ubertatem cognitionis; hæc ad religionis auctoritatem: in qua auctoritate cuſtoditur Canon; præter quam, ſi quæ jam etiam ſub nomine verorum Prophetarum ſcripta proferuntur, nec ad ipſam copiam ſcientiæ valent, quoniam utrum eorum ſint, quorum eſſe dicuntur, incertum eſt. Et ob hoc eis non adhibetur fides.* Unde cætera quæ ſub Iſaiæ nomine volumina circumferebantur, quale fuit illud *Apocryphum* commemoratum ab Origene in Matth. XXIII. & in Epiſt. ad Africanum; necnon *Anabaticus Iſaiæ* cujus meminit Hieronymus in LXIV. cap. hujus libri & pleraque his ſimilia ſpuria & ſuppoſititia ſunt opera a tanti prophetæ ſanctitate ac cæleſti doctrina prorſus aliena.

VI. Superſunt hic diſſolvenda quædam dubia circa Iſaiæ prophetiarum integritatem & ordinem. Sunt enim qui prophetiam quæ I. cap. & ſequentibus ad VI. uſque continetur, non primam hujus prophetæ omnium fuiſſe, neque ſub Ozia contigiſſe, putent, propter ea quæ ſequuntur vaticinata de regionis vaſtatione quæ certe ſub Ozia non contigit. *Alii* e contra exordium prophetiæ Iſaiæ volunt eſſe repetendum a VI. capitis initio, idcirco quod propter oris ſui impuritatem ad id uſque tempus tacuiſſe ſe ait, tum ſubiicit *& audivi vocem Domini dicentis quem mittam & quis ibit nobis? Et dixi; Ecce, Ego, mitte me.* Addunt aliqui Iſaiam quoque ſub Manaſſe vaticinia edidiſſe, quorum ne leve quidem in hoc libro veſtigium reperire licet.

Verum hæc facile diſſolvuntur. Enimvero quod ſpectat ad primum, non video quantum momenti habeat hæc ratio; nam quæ poſtea ventura erant, quid obeſt quominus multo antea uti jam tranſacta a Propheris commemorentur? An quæ poſterius acciderunt, prius non potuerunt eſſe revelata. Tametſi ſuſpicati liceret, primum caput hujus libri eſſe veluti totius operis argumentum,

tum, quod in moduni cujuſdam egregiæ concionis, a Propheta præponatur, & quod poſt univerſas revelationes ſuo operi affixerit. In hoc tamen nihil præter Eccleſiæ judicium aſſerendum eſſe cenſeo.

Ad ſecundum dico Prophetam non ſignificare ſe ad hanc uſque diem penitus obmutuiſſe, & ſibi tum primum prophetandi munus a Deo fuiſſe imperatum, ſed quod diutius, quam deceret, tacuerit. Quapropter ejus quod viderat, evulgandi mandatum a Deo accepit. Porro cum ea quæ VI. *cap.* referuntur, ad annum eum pertineant, quo deceſſit Ozias; ſitque plurium ſententia, iſta quæ referuntur poſt Oziæ mortem contigiſſe, ſequitur priora quinque capita in Oziæ regnum eſſe conferenda.

Ad tertium vero quod attinet, concederem quæcunque prædixit Iſaias non fuiſſe relata in literas; neque enim ſcripta ſunt omnia omnino Prophetarum oracula: ac proinde quæ ſub Manaſſe edidit, in hoc libro deſiderantur; cum præſertim titulus ipſe libri oſtendat, hoc tantum opere contineri vaticinia ſub quatuor regibus Oziæ, Joathan, Achaz, & Ezechiæ regum Juda, (38)

§. II.

De Prophetia Jeremiæ.

VII. QUis qualiſve fuerit Jeremias propheta, & qua ætate ac quandiu vaticinatus fuerit, diſerte explicat S. Hieronymus in prologo ad ejus librum; Jeremias *Propheta*, inquit, *ſermone quidem apud Hebræos Eſaiæ & Oſeæ, & aliis quibuſdam Prophetis videtur ruſticior: ſed ſenſibus par eſt: quippe qui eodem ſpiritu Prophetaverit. Porro ſimplicitas eloquii a loco ei, in quo natus eſt, accidit. Fuit enim Anathotites: qui eſt uſque hodie viculus, tribus a Hieroſolymis diſtans milliaribus: Sacerdos ex Sacerdotibus, & in matris utero ſanctificatus, virginitate ſua Evangelicum virum Chriſti Eccleſiæ dedicans. Hic vaticinari exorſus eſt puer; & captivitatem urbis atque Judææ, non ſolum ſpiritu, ſed & oculis carnis intuitus eſt. Jam decem tribus Iſrael Aſſyrii in Medos tranſtulerant; jam terras earum coloni Gentium poſſidebant. Unde in Juda tantum & in Benjamin prophetavit, & civitatis ſuæ ruinas quadruplici planxit Alphabetho, quod nos menſuræ metri verſibus reddidimus.* Hæc ille: ubi quæ de ſtyli ſimplicitate ait, repetuntur ab aliis cum Judæis, tum Chriſtianis, R. Jacob Ben Chaum, Riveto pag. 15. Chriſtophoro a Caſtro Iſag. ad Proph. cap. IX. *Verum*, inquit, idem S. Hieronymus *Quantum Jeremias in verbis ſimplex videtur, & facilis, tantum in majeſtate ſenſuum profundiſſimus eſt.* Nempe Prophetæ, calami fuerunt & Amanuenſes tantum Dei οἱ ἅγιοι θεοῦ ἄνθρωποι.

Quemadmodum vero ſcriptor peritus, diverſis calamis utitur commode, aliquando ſubtilioribus & magis acutis, aliquando craſſiori-

(38) Impius Tractatus Theologico-politici Auctor Iſaiæ fœtum eſſe negat librum, qui ſub Prophetæ illius nomine circumfertur, ſolum quandam eſſe collectionem ex variis Iſaiæ fragmentis huc illucque diſperſis, nullo ordine, judicio nullo; ſed prout caſu contingit, in uno volumine adunatam concedens, Hiſce vero conjecturis moveri ſe ſinit illuſus, & illudens ille Ratiocinator, quæ a Fraſſeno ſub num. VI. referuntur, & refutantur. Facilius autem erroris arguitur auctor iſte, rectuſque ordo in Iſaiæ vaticiniis oſtenditur eſſe ſervatus, ſi velimus attento animo tempus vaticiniorum, quo edita ſunt, & prædicata animadvertere. Regnantibus itaque Ozia & Ioathan ſex priorum capitum Iſaiæ factas fuiſſe revelationes probabiliſſimum eſt, rectoque propterea ordine eſſe conſcriptas: ſi quis inficiari id præſumpſerit, oppoſitum quod oſtendat neceſſe erit. Anno autem tertio Regis Achaz & deinceps uſque ad annum 14. Ezechiæ Regis, ea prænunciavit, prædicavitque Iſaias quæ ab initio Capitis 7. uſque ad totum decimumnonum leguntur; anno vero 14 Ezechiæ vertente dum Sargon, quem eumdem faciunt cum Sennacheribbo Uſſerius, & Prideauxius aliique eruditi Scriptores, ducem ſuum Tharthanem in Azotum miſiſſet, ſolvit ex Dei mandato Iſaias ſaccum de lumbis ſuis, & calceamenta de pedibus ſuis, multaque infauſta prædixit in Ægyptum, Ethyopiam, Tyrum, aliaſque regiones, multaque alia prophetavit, ut a cap. 20. ad 36. uſque videri poteſt. Expugnata autem Azoti Civitate arma in Regem Ezechiam eodem anno Sennacheribbus convertit ejuſque civitates munitas occupavit, Jeroſolymamque moliebatur ſubjugare; Ægrotavit interim Ezechias, cui Propheta mortem prius, vitam deinde, & Jeroſolymorum liberationem ſpopondit, ut patet ex ℣.6. Cap. 38. Iſaiæ, quæ ſiquidem in finem anni 14. Regni Ezechiæ ſunt revocanda; cum autem Iſaias Cap. 36. narrationem adventus Sennacheribbi in Judæam exorſus eſſet, totam illius facti hiſtoriam, & exitum eſt perſecutus, narrans deinde Ezechiæ infirmitatem, ejuſque liberationem, ne confuſione factorum perturbaretur hiſtoria. Poſt hujuſcemodi facta ſua vaticinia deſcripſit Iſaias, quæ, debellato Sennacheribbo, ſibi revelata fuerunt uſque ad initium Regni Manaſſis, ſub quo factis functus eſt Sanctus Propheta ut communiter exiſtimatur. Ex iſta Prophetiarum, & temporis ſerie, quo editæ ſunt, ſatis fit palam quam imperite Auctor Tractatus Theologico-Politici, Iſaiæ Librum eſſe collectionem ex variis fragmentis nullo ordine, ſed ſolo caſu congeſtam, calumniatur.

Contra Divinitatem Libri Iſaiæ pauca ſolent opponi, ſed præcipue quod Cap. 6. ℣. 10. legamus a Deo excæcari cor hominum, quaſi Deus ab ipſo Propheta Auctor peccatorum conſtituatur; quod quidem ex Cap. 45. ℣. 7. confirmari videtur, cum Deum pingat lucis, & tenebrarum creatorem, factorem pacis, & mali operatorem.

Hujuſcemodi Cavillos Doctor Angelicus 1. 2. q. 79. Art. 3. præclare diſſolvit, duplicem ſecernens excæcationem, quarum una in motu voluntatis inhærentis malo, & a divino lumine ſe avertentis conſiſtit; altera autem in ſubtractione divinæ gratiæ, ſine qua nil boni moliri poteſt humana natura: prima eſt ab homine; ſecunda eſt a Deo, prima peccatum eſt, altera minime; videantur S. Irenæus Lib. 4. cap. 48. & S. Auguſtinus Tract. 33. in Joannem. Dum autem Deus auctor mali dicitur in Iſaiæ 45. de malis pœnæ, non culpæ intelligendus eſt. (W)

ſioribus & obtuſioribus, prout ipſi placet, aut viſum eſt ad literarum efformationem; & pro calamorum diverſitate, eaſdem pingit diverſas, ſubtiliores nempe vel craſſiores, prout penna vel gracilis eſt, vel craſſa. Ita Spiritus S. Auctor ſingularis Scripturarum, diverſis ingeniis & ſtylis hominum uſus eſt, quibus ſe attemperavit: quorum alii eloquentia pollebant magis, alii minus; omnium tamen ſtylum ſanctificavit, & direxit, ut unam & eandem veritatis doctrinam, etſi variantibus verbis, exponerent. Inde colligit Maimonides *in More Nevochim parte* II. *cap.* 29. Iſaiam quod nobiliſſimo eſſet ſanguine prognatus, omnium Prophetarum fuiſſe eloquentiſſimum, „ Præterea, *inquit*, ſcito „ unumquemque Prophetam peculiare quid „ habere; & ea lingua, eaque loquendi ratione, quæ ipſi eſt familiaris & conſueta, „ ipſum impelli a Prophetia ſua ad loquendum ei, qui intelligit ipſum. Sciendum „ autem crebro hoc occurrere in verbis „ Prophetæ Iſaiæ, minus frequenter in verbis aliorum Prophetarum. Quando enim „ vaticinatur de Gentis alicujus deſtructione, vel de populi alicujus magni interitu, ait: *Stellas cecidiſſe, cœlos interiiſſe & contremiſcere; Solem obtenebratum; terram vaſtatam & commotam eſſe*, aliiſque „ multis ſimilibus locutionibus Parabolicis „ utitur: ſicut apud Arabes, de eo, cui ſingulare aliquod infortunium accidit, dicitur, quod cœlum ipſius in terram converſum ſit, vel, ſuper terram ejus ceciderit. *Hæc ille.* „

Ea tamen, quam in Jeremiæ dictis S. Hieronymus notat, ruſticitas vix apparet in ejus libro; nam & Hebraicæ, quibus eſt uſus, voces & phraſes, non minus puræ ſunt, quam quæ in Iſaia leguntur: Neque uſurpatæ ab illo metaphoræ ſimilitudineſque, ita e ruſticis ſunt deſumptæ rebus, ut propterea dicendæ ſint ruſticæ: quales obſervare eſt in Amoſo Propheta, qui ſe vere ruſticum fatetur. Crederem ergo Jeremiæ ſtylum viſum fuiſſe Hebræis ruſticum, quod eos aſperis objurgationum ſtimulis punxerit; ita ut propterea maledictis eum laceſſerint: qua de re ipſemet mœrens in cap. XV. dicebat: *Væ mihi mater mea, quare genuiſti me virum rixæ, virum diſcordiæ in univerſa terra omnes maledicunt mihi.*

De Jeremiæ vaticiniis ſcribit hæc Joſephus *lib.* X. *Antiq. cap.* VII. alias VIII. ubi de Judæis adverſus ſævientem in eos Nabuchodonoſorum Babyloniorum Regem, Ægyptiorum auxilium præſtolantibus, ait: Propheta Jeremias quotidianis monitis non deſtitit, fruſtra eos ſpem in Ægyptiorum præſidio ponere. „ Imminere enim urbi certam ſubverſionem a Babyloniis, & Joachimo Regi captivitatem. Sed hæc vaticinia, quod nemo eis moveretur, nemini proderant. Etenim tam vulgus quam Proceres contemptim hæc audiebant; & irati male ominanti, Prophetam apud Regem accuſabant, depoſcentes eum ad ſupplicium. Delata demum re ad regium Senatum, maxima pars ut improvida, calculis ſuis eum damnavit. Pauci vero quidam ſapientiores e Regia Prophetam dimiſerunt, Auctoreſque fuerunt etiam aliis ne in eum ſævire pergerent. Adducebantque rationem, non hunc ſolum mala Urbi prædicere: ſed & Michæam ante alia prædixiſſe, & multos alios quorum nemo a ſui temporis Regibus aliquid eſſet paſſus, ſed omnes ut Dei vates habiti ſint in pretio. Atque hoc pacto lenitis animis diverſa ſentientium effecerunt ut revocatis ſuffragiis Propheta eximeretur ſupplicio; qui conſcriptis omnibus ſuis prophetiis, jejunanti populo, & in templum congregato, nono menſe quinti anni regni Joachimi legit eum librum, continentem quid templo, & urbi, ejuſque populo deberet accidere. His auditis Principes ei librum adimunt, ſimulque jubent tam ipſum quam ejus ſcribam Baruchum e medio ſecedere, ut omnes lateat ubi ſint: Librum vero ad Regem pertulerunt, qui præſentibus amicis, juſſit Scribam librum ſumere & legere: quo lecto, iratus conſcidit eum, & injectum in ignem exuſſit: juſſitque Jeremiam & Baruchum ad ſe adduci daturos ſupplicium; ſed illi jam ſe iræ ejus ſubduxerant. *Hæc ille.* „ Univerſa autem hæc Joſephi de Jeremiæ ſcriptis narratio, expreſſa eſt ex cap. XXXVI. ejuſdem Prophetiarum libri, ubi refertur qualiter ſacrorum vaticiniorum librum excipiente Scriba ſimul ac Propheta Baruch S. dictarat Jeremias, quem acceptum Joachim Judæorum Rex in ignem impio conjecit furore, eadem in Auctorem & Scribam ſævicturus animadverſione, ni ope ſua Deus regiam avertiſſet indignationem. Ex quibus conſtantiſſimum fit Vaticiniorum nomine ſuo inſcriptorum Jeremiam Auctorem eſſe, utpote qui Baruchi opera in literas illa retulerit.

VIII. Quos vero Libros confecerit ſanctiſſimus ille Propheta, non invicem conſentiunt ſacri Interpretes: ſiquidem Sixtus Senenſis lib. 4. Bibliothecæ Sanctæ, verbo *Jeremias* ſeptenario ea colligit numero; quem numerum ad duplum fere extendit in ſua Iſagoge Chriſtophorus a Caſtro, juxta diverſas ſententias, At ne certa cum incertis admixta referam; quatuor dumtaxat diſtinctos ab illo compoſitos libros ex Scriptura ſacra colligo: *Primum* quidem, eumque præcipuum iſtum Propheciarum, quem in ſacro voluminum Codice, *Jeremiæ Prophetia* inſcriptum habemus, conſtantem quinquaginta duobus capitibus; in quo eum contineri crediderim, quem impius Joachim ignibus tradidit: ſiquidem cap. XXXVI. v. 32. legimus Jeremiam Deo mandante edidiſſe volumen aliud & dediſſe illud Baruch filio Neriæ Scribæ: *Qui ſcripſit in eo ex ore Jeremiæ omnes ſermones libri quem combuſſerat Joachim Rex Juda igni; & inſuper additi ſunt ſermones multo plures quam antea fuerant*, quia forte majori verborum ornatu ac pondere elaboratum erat hoc denuo excuſum volumen & novis præterea prædictionibus adauctum, graviorumque pœna-

narum comminationibus, quibus ulciſcendum Deus decreverat impium illud Joakimi regis facinus, cum priorum Vaticiniorum libellum diſcidit & concremavit.

Secundus liber is eſt, quem poſt expletum quinquageſimum ſecundum, extremum ſcilicet prædicti Prophetiarum libri caput habemus in noſtris Bibliis, *Lamentationum* ſeu *Threnorum Leukiæ Iſaiæ* titulo inſcriptum.

Tertium fuit Epicædium, ſeu carmen lugubre ab eo in Joſiæ Regis funere exaratum, de quo lib. II. Paralip. cap. XXXV. legimus, *Mortuuſque eſt Rex Joſias & ſepultus in Mauſolæo Patrum ſuorum, & univerſus Juda & Jeruſalem luxerunt eum, Jeremias maxime, cujus omnes Cantores atque Cantatrices uſque in præſentem diem lamentationem replicant, & quaſi lex obtinuit in Iſrael.* Aſſerit quoque Joſephus, [a] lugubre carmen iſtud ſuo tempore habitum ad legentium manus, cujus tamen jam nihil apud nos extat.

a *lib.* 10. *Antiq. cap.* 6.

Quartus tandem ejuſdem liber qui ſimiliter excidit, is erat cujus fit mentio in cap. II. libri II. Machab. his verbis: *Invenitur autem in deſcriptionibus Jeremiæ Prophetæ, quod juſſit eos ignem accipere qui tranſmigrabant, &c.* In quo libro crediderim ſcriptum quod Epiphanius & Dorotheus aſſerunt, a Jeremia prædictum Ægyptiis ſacerdotibus futurum aliquando ut omnia Ægypti ſimulacra concidierent, ubi Virgo cum ſuo puerulo illuc adventaret.

Sunt qui exiſtiment præter hos libros alium Vaticiniorum adverſus Babylonem, ſpecialiter a Jeremia fuiſſe editum; legimus enim, cap. LI. v. 60. *Scripſit Jeremias omne malum quod venturum erat ſuper Babylonem in libro uno.* Quem refertur ibidem dediſſe Saraiæ filio Neriæ, ut dum in Babylonem veniſſet, eumque legiſſet, ligato ei lapide, illum proiiceret in medium Euphratis fluminis, diceretque, *Sic ſubmergetur Babylon, &c.* Verum librum iſtum non alium fuiſſe arbitror quam qui confectus eſt ex illius adverſus Babylonem vaticiniis, quæ habemus cap. L. & LI. Quæque vel a Barucho vel ab Eſdra ſacrorum voluminum concinnatore, cæteris Jeremiæ oraculis adjecta ſunt. Nam quod poſtremum eſt, nempe quinquageſimum ſecundum caput, non eſt ipſius Jeremiæ, tum quia in fine quinquageſimi primi capitis hæc adjicitur finitiva clauſula: *Huc uſque verba Jeremiæ.* Tum quia caput iſtud ultimum e duobus poſtremis quarti libri Regum totum fere depromptum eſt. Tum denique quia partim in eo narrantur quæ jam ſupra Jeremias recitaverat, partim vero quæ poſt ejus obitum contigerunt, velut mors Jechoniæ.

IX. Univerſum Jeremiæ vaticiniorum librum in ſexdecim partes diſtribuit Aureolus, quæ tamen ad tria potiſſimum capita poſſunt revocari. In quorum *Primo* varias refert conciones pœnitentiales, quibus Judæos partim accuſat & damnat ob graviſſima eorum peccata, partim impœnitentibus comminatur, juſtiſſimas a Deo pœnas infligendas, præſertim brevi futurum Urbis & Templi excidium, nec non captivitatem Babylonicam: partim denique reſipiſcentes conſolatur ex promiſſione liberationis futuræ; tum temporalis ex captivitate Babylonica; tum ſpiritualis ex poteſtate Sathanæ per Chriſtum: quæ omnia tractantur a I. cap. ad XXXIX. Capite autem XXIII. v. 5. inſigne habet de Verbi Divini Incarnatione & Divinitate teſtimonium his verbis: *Ecce dies veniunt dicit Dominus, & ſuſcitabo David germen juſtum*, ubi pro *germine juſto* Jonathas Chald. vertit *Meſſiam* juſtum. Igitur per Germen David, intelligitur Semen David, hoc eſt, humana natura Chriſti indicatur; & natura divina quando mox ſubditur: *In diebus ejus ſalvabitur Juda.... & hoc eſt nomen ejus quo vocabunt eum*, DOMINUS JUSTITIA NOSTRA. Pro illa autem dictione *Dominus*, in Hebræo eſt nomen Tetragrammaton *Jehova*, quod ſoli Deo competit. Convincit igitur locus iſte Judæos negantes Meſſiæ divinitatem. In *ſecundo* deſcribit eventum Prophetiæ ſuæ in excidio Urbis & captivitate populi ad cap. XLVI. In *tertio* vero agit de futura Dei animadverſione & vindicta adverſus vicinas Gentes Judæorum hoſtes, Ægyptios, Philiſthæos, Tyrios, &c.

Quod ad vaticiniorum ordinem attinet, certum eſt illum eſſe plerumque interturbatum, ſicut & in aliis interdum Prophetis obſervare licet cum S. Hieronymo ſcribente initio Commentarii ad caput XXI. Jeremiæ. *Et notandum*, inquit, *quod in Prophetis, maximeque in Ezechiele & Jeremia, nequaquam Regum & temporum ordo ſervetur, ſed præpoſtere, quod juxta hiſtoriam poſtea factum ſit prius referri, & quod prius geſtum ſit, poſtea: aliud eſt enim hiſtoriam, aliud Prophetiam ſcribere.* Ex quibus Hieronymi verbis colligere licet, ordinem iſtum qui modo eſt promiſcuus, nec juxta ſeriem rerum eventus, iiſdem eſſe tribuendum Prophetis; nempe ſic decuit viros non rationis humanæ dictata ſequentes, & ſeriem rerum geſtarum ordine referentes, ſed divino impulſos motu ac de cœlo afflatos, ea proferre & ſcribere quæ divinus Spiritus ſuggerebat. Mirum itaque videri non debet ſi Jeremias ſparſim ac confuſe res geſtas referat. Nam quæ poſtrema ſunt, Joachimo regnante ſunt prædicta, atque alia ibidem nonnulla huc & illuc ſparſa quibus inſerta ſunt alia quæ Sedeciæ temporibus contigerunt. Unde quæ S. Hieronymus præfat. in Jerem. ſcribit ſe ordinem librariorum errore confuſum, & multa quæ deſunt ex Hebræis fontibus diſgeſſiſſe ac compleviſſe, intelligendum eſt de ordine qui reperitur in verſione LXX. Interpretum: non vero de editione Latina, in qua πρότερον ὕστερον, & ὕστερον πρότερον deprehendes; ibi namque non ſemper ordo eſt naturalis, ſed arbitrarius, & quod primo loco narrari deberet, ultimo ſequitur. Ecce enim (inquit R. Abarbinel proœmio in Jeremiam) poſtquam recenſuit excidium templi & regni Sedeciæ exitum, redit ad nar-

rationem rerum gestarum a Rege Joakim qui tamen eum præcessit. Hic namque est ordo Regum sub quibus Jeremias vaticinatus est: Josias Joachaz, Joakim, Joakin qui & Jekonias dictus est, Sedecias: unde anni per quos in terra Judæa Prophetam egit Jeremias, colliguntur XLI. (39)

X. Addit Chronicum Alexandrinum, eum postmodum descendisse in Ægyptum, ibique Prophetasse Nabuchodonosorem Regem Babyloniæ ascensurum in Ægyptum, occisurum & combusturum delubra, deosque Ægyptorum. Cumque contra Ægyptum, Babelem, Tyrum, Sidonem, & Ammonitas vaticinari non cessaret, lapidibus obrutus, sepultusque est in Ægypto. *Adiicit* eum jacere apud Taphnas ubi Pharao habitarat, additque Ægyptios illum magna veneratione prosequi, quod ab eo magnis essent beneficiis cumulati, dum eis bene precatus, monstra quæ Crocodillos Græci, Ægyptii *memphoth* appellant, ab eis avertit. Porro quicunque etiam hodie Christiani illuc proficiscuntur, in eo loco precantur, & de loco illo pulverem colligunt, & morsos a serpentibus homines curant, multique Crocodillos ex aquis illis fugant. Subdit etiam, *Accepimus nos ab Antigone & Ptolemæi posteris viris..... Alexandrum Macedonum Regem cum hujus vatis sepulchrum inviseret, & ea quæ de se prænuntiaverat cognovisset, ejus cineres Alexandriam deportasse, illisque illustre monumentum, undequaque ornatum excitasse. Unde factum ut aspides inde arcerentur, sicut ex flumine.* Sunt tamen aliqui Patres vetustissimi qui cum Victorino Martyre censeant, Jeremiam adhuc vivere, & una cum Elia in ultima sæculi ætate in mundum reversurum & pugnaturum adversus Antichristum a quo occidetur.

Quod spectat ad *Lamentationes*, quæ *Jeremiæ* nomine inscribuntur, eas edidit post eversam Jerusalem, abductumque populum in Babylonem captivum, in quibus ploratu ingenti, vehementibusque suspiriis dum miserabile patriæ suæ excidium luget; suas quoque cap. III. calamitates deplorat, Porro Auctorem sese harum lamentationum (quas Græci *Threnos* appellant) aperte satis restatur, cum se a populo derisum, contumeliis & maledictis lacessitum, conjectum in carcerem, & in lacum demersum conqueritur; hæc enim omnia in suo Prophetiarum opere totidem plenius enarrat.

XI. Has autem lamentationes metro descripsit, & in quatuor disgessit capita, eo artificio, ut eorum versus Hebraicarum literarum numerum exæquantes, etiam priores eorum literæ illarum ordinem retineant: excepto tertio capite, in quo singulæ literæ ter repetuntur, ternosque versus inchoant.

Claudit has lamentationes Propheta soluto sermone, & calamitatum quibus Judæi præmebantur coram Deo, recitatione, quæ vulgo *Oratio Ieremiæ* appellatur: in qua post deploratas miserias suas, Deum orat Propheta, ut condonatis demum popularium suorum peccatis, Gentem Judaicam restituat in integrum, & propriis sedibus reponat. Neque est, quod orationem illam genuinum Jeremiæ fœtum quis inficietur, quia Theodoretus qui librum explanandum susceperat, caput istud intactum prætermiserit; non enim ex Interpretum diligentia aut arbitrio pendet sacrorum Voluminum auctoritas, alioqui incerta esset posteriorum Jeremiæ capitum fides, quia priora tantum triginta duo S. Hieronymus exposuit. Temere igitur hanc Orationem a reliqua Threnorum parte quis removeret; utpote cum illam habeat Hebraicum exemplar, & LXX. Senum Interpretatio, sicut & Chaldaica & Syriaca, & Arabica, & Editio vulgata ab Ecclesia tot sanctionibus & oraculis comprobata.

§. III.

De Prophetia Baruch.

XII. LAMENTATIONES Jeremiæ sequitur Prophetia Baruchi, quam plerique e SS. Patribus, cum Jeremiæ vaticiniis laudant; tametsi ab eis sit distincta. Quamobrem in veteri sacrorum librorum serie specialem sedem non obtinet, quod oracula quæ ejus nomine inscribuntur, tunc haberentur pro Jeremianis, quod Baruch, Jeremiæ discipulus esset & Amanuensis. Eum Josephus [a] nobilissima ortum familia, & patria lingua præclare eruditum fuisse ait. Hunc libellum ut apocryphum reiiciunt Hebræi, teste Maimonide [b] quibus subscribentes hujus temporis Heterodoxi, illum a Græculo vel Hellenista consarcinatum asserunt cum Hottingero [c]. Verum ge-

a *lib. 10. Antiq.*
b *in More Nevochim lib. 2. cap. 31.*
c *lib. 2. quæst. 2. Elenchi Theol.*

(39) Compertum est S. Prophetam Jeremiam valde adhuc juvenem munus prophetandi obiviisse, anno scilicet suæ ætatis 14. qui erat 13. Regni Josiæ; mundi 3375., Periodi Julianæ 4088. Periodi vero Græco-Romanæ anno 4865., ante Christum 629., annis vero 69. post Isaiæ mortem, si cum anno primo Manassis Regis fatis functum supponamus; per annos quippe circiter 87. munus exercuit Prophetæ, si illius exordium ad annum 25. Oziæ cum S. Hieronymo rejiciamus. Jeremiæ autem prophetandi munus ad annos circiter protrahunt 45. ad quintum usque nimirum post Jerosolymorum excidium, usque scilicet ad annum mundi 3420, qui est periodi nostræ 4910.

Jeremiæ Librum veluti Canonicum & Divinum perpetuo Ecclesia Dei, tum Hebraica veteris Testamenti, cum Christiana Fœderis novi venerata est; neque catholicorum ullum movere vel tantillum potuerunt quæ adversus eum Auctor nefarius Tractatus Theologico-Politici conglomerare fategit. Eæ autem argutationes cum ex nonnullis specie tenus antilogiis, erutæ sint ad Conciliatorium Biblicum revocantur solvendæ. (W)

genuinum esse Baruchi opus præter Ecclesiæ testimonium, confirmatur aperte ex eo quod plures contextus ex illo libro in suos, Scriptores sacri posteriores traduxerint: sic Daniel cap. IX. v. 7. & seq. exscribit hæc verba capitis I. v. 15. Baruchi: *Domino Deo nostro justitia, nobis autem confusio faciei nostræ, &c.* Neque ista solum, sed & alia pleraque a Barucho inscripta, videre est apud Danielem ibidem v. 13. & 15. & 18. & 19.

Neque his obstat quod hunc librum a SS. Patribus in Canone sacrorum voluminum repositum non legamus; id enim ex multorum consuetudine evenit, qui inter Jeremiæ scriptiones librum hunc reponebant. Atque ea consuetudo a prima Ecclesiæ ætate prodita, a vetustis Patribus servata est. Nam Baruchi utentes testimonio, Jeremiam se testem citare sæpissime profitentur. Sic Clemens Alexandrinus lib. 1. Pedagogi cap. X. citat nomine Jeremiæ illud Baruch III. *Audi Israel mandata vitæ &c.* Nec non est illud cap. IV. *Beati sumus Israel, quia quæ Deo placent, manifesta sunt nobis.* Sic S. Basilius lib. 4. contra Eunomium, & S. Chrysostomus oratione quod *Christus sit Deus*, proferunt illud Baruchi III. *Hic est Deus noster, &c.* Quæ verba etiam laudans S. Ambrosius lib. 1. de fide cap. II. *Unum Deum*, inquit, *dicit Scriptura, &c.* Et infra: *Quid discutimus eum, de quo tantus Propheta dicit, Spiritus Sanctus dicit, quod ad eum non possit alius æstimari.* At eundem textum nomine Baruchi profert S. Cyprianus lib. II. contra Judæos cap. V. sic plerique alii Patres, quos laudat Bellarminus [a]. Unde merito Concilium Tridentinum Prophetam Baruch inter sacros libros nominatim recenset.

[a] *lib. 1. de Verbo Dei. cap. 8.*

XIII. Idem esto judicium de Epistola Jeremiæ quæ VI. cap. libri Baruchi continetur. Quanquam enim eam non esse genuinam existimaverit S. Hieronymus; ac propterea non fuerit dignatus eam exponere; attamen alia fuit SS. Patrum etiam illius Antecessorum ea de re sententia, Nam S. Cyprianus [b] illam Epistolam nomine *Jeremiæ*, citat, *Per Jeremiam*, inquit, *Spiritus S. suggerit, & docet dicens* IN SENSU AUTEM TIBI DEBET, ADORARI DEUS. Et S. Hilarius præf. in Psalmos, hanc Epistolam inter Canonicas Scripturas recenset. Adde quod Auctorem Jeremiam indicent, tum materies operis, tum & ii ad quos scripta est, tum scriptionis tempus: edita namque est statim post dirutam Jerosolymam ad commonefaciendos Judæos, qui in Babyloniam jamjam erant deportandi, ne pravo Chaldæorum exemplo veri Dei cultum abjicientes, ad idololatriam raperentur.

[b] *serm. de orat. Domin.*

Neque his quidquam officit quod hujus Epistolæ, cæterorumque Baruchi libri capitum, Hebræum exemplar exciderit: Græca enim editio, ex qua expressa est Latina, ex illo exemplari Hebraico derivatum esse, evincunt Hebraismi complures, quibus totum opus insperstum est, iisque tam crebris, ut palam sit ex Hebræo codice esse derivatum. (40)

§. IV.

De Prophetia Ezechielis.

XIV. ORdine Prophetam Jeremiam Ezechiel sequitur, ut qui sint ejusdem argumenti & eodem tempore floruerint: Jeremias prior annis & officio; Ezechiel posterior: ille Hierosolymis, hic in Babylone eadem prædixerunt; atque adeo sibi mutuo Prophetias comprobarunt. Nam Judæi qui sollicitante Jeremia sese dederant Babyloniis, & in Babel migrarant, pœnitentia prope ducti sunt, quasi eos Jeremias seduxisset, prænuntiando casuram brevi Jerusalem, quam adhuc stare audiebant: quos ut

(40) Præ aliis Baruchi Librum expungere a Propheticorum, sacrorumque numero nititur Grotii terens vestigia Prideauxius in Part. 1. Lib. 1. Hist. Judaicæ, sed in vanum prorsus cum invictis demonstretur argumentis ejus divinitas; quorum summam jam Frassenus recensuit. Cujusnam roboris esse potest Hunnii argumentum, quo molitur revincere Librum istum apocryphum esse ex quo unquam a Christo, vel ab Apostolis in suis scriptis citatus non fuerit? vel ex quo Laodicena Synodus, nec non plures ex antiquioribus Patribus in Scripturarum Canone non adscripserint?

Forsan cantica canticorum, Ecclesiastes, aliique nonnulli veteris Testamenti Libri prætermissi non sunt a Christo & Apostolis, absque ulla prorsus eorum mentione in scripturis novæ Legis? desinent ne propterea esse sacros, & divinos? Satis concidit ex se hujuscemodi cavillatio; cur autem a Patribus, & quo sensu fuerit Liber iste a Canone expunctus tradit Frassenus.

Ejusdem existimamus pulveris quod opponebat Witakerus, scilicet phrasim Græcam redolere hujuscemodi Librum: falsa in eodem nonnulla deprehendi, præsertim Cap. 6. ℣. 2. in quo per septem generationes Judæi Babylone permansuri prædicuntur, cum tamen solis annis septuaginta, qui certe generationes septem explere non possunt, commorati legantur in Babylonica servitute Israelitæ. Jechonias pariter, & Judæorum Principes scripsisse dicuntur in Cap. 1. Baruch in Jerusalem ad fratres suos, ut offerrent holocausta ad aram Domini, & legerent Librum hunc in templo Domini, quis autem nesciat eversam fuisse aram, combustum templum, & omnia in cinerem, & favillam quinque annis antea fuisse perducta?

Verum hæc omnia facillime diluuntur, Generatio in primis quot apud antiquos contineret annos certe definitum non est, cum aliquando pro centum annis, quandoque pro triginta tribus, pro decem, & pro septem annis, ut apud Commentatores Scripturæ ad hunc locum videri potest. Ad alterum vero dicimus non defuisse Chronologos, qui existimaverint venisse Babylonem Baruch anno 5. post expugnatam Jerusalem sub Sedecia; verum ea tenenda videtur sententia, quam Usserius aliique amplectuntur ad annum Mundi 3409. quod scilicet Baruch venerit Babylonem anno 5. deportationis Jechoniæ, non anno 5. eversionis templi; quæ opinio ex contextu, in quo legimus templum adhuc fuisse, comprobatur. (W)

ut ab errore revocaret Ezechiel, eadem ſuis vaticiniis confirmat: nempe futuram deſtructionem Jeruſalem quam Jeremias prænuntiaverat: & fere in hoc uno verſatur uſque ad cap. XL.

Hic autem Ezechiel, qui *robur* vel *imperium Domini* interpretatur, fuit ex Levitica Tribu oriundus, uti teſtatur S. Hieron. [a] imo & Ezechiel ipſe cap. I. v. 3. ex patre nomine *Chuzi*, ſacerdote in terra Sarara, qui cum Joakin ſeu Jekonia captivus ductus eſt in Babylonem. Hunc Buzi fabulantur Hebræi eundem eſſe cum Jeremia Propheta, qui dictus ſit Buzi i. e. *contemptus*; eo quod Judæis contemptui & ludibrio eſſet. Eum *Jeremiæ ſervum* putat S. Gregor. Nazian. [b] at iſta commenta ſunt. Primum quidem, quia Jeremias & Ezechiel ætate æquales erant, hic ergo illum habere non potuit genitorem. Secundum vero, quia Ezechiel erat ex genere Sacerdotali quod apud Judæos erat nobiliſſimum.

[a] *in cap. 19. Ezechiel. v. 13.*

[b] *Orat. 47.*

Ezechiel autem quinto migrationis anno, ætatis vero trigeſimo, divino animante Spiritu populo captivo vaticinari cœpit: *Sermo ejus*, inquit S. Hieronymus, *nec ſatis diſertus, nec admodum ruſticus eſt, ſed ex utroque medio temperatus*. Valuit tamen eruditione & ingenio, ita ut ſepoſito etiam Prophetiæ dono, quod incomparabile eſt, eximiam rerum naturalium, necnon & multarum artium, præſertim Architecturæ, notitiam habuerit.

Porro, inquit Sixtus Senenſis [c] narrationis ejus myſteria tantis obvolvuntur obſcuritatibus, ut apud Hebræos traditione cautum ſit, ne quis unquam audeat primum libri capitulum explicare, nec finem, hoc eſt, octo poſteriora capita, niſi trigeſimum ætatis annum impleverit. S. Hieronymus (qui primus omnium Expoſitorum auſus eſt Commentaria in totum Ezechielem conſcribere) in caput XLVII. eum appellat *Scripturarum Oceanum, & myſteriorum Dei Labyrinthum*. Unde abſtruſiſſimam hujus libri difficultatem aptiſſima Cretenſis Labyrinthi ſimilitudine his Virgilii verſibus expreſſit.

[c] *lib. 1. Biblioth. ſacra.*

Hic labor, illa domus & inextricabilis error,
Ut quondam Creta fertur labyrinthus in alta
Parietibus textum cæcis iter, ancipitemque
Mille viis habuiſſe dolum, quo ſigna ſequentum
Falleret indeprenſus, & irremeabilis error.
Spiritus ipſe dolos tecti, ambageſque reſolvat
Cæca, precor, nobis veſtigia, te duce, Chriſte.

Porro obſcuritatis in Ezechiele cauſa eſt multiplex: prima quidem materiæ & rerum de quibus agit ſublimitas; orditur enim a divinis & Angelicis attributis atque perfectionibus enarrandis, quas per currum Cherubicum, per rotas oculatas, per quaternas animalium facies, per firmamentum, per cryſtallum, &c. adumbrat & explicat. Secunda vero in eo obſcuritatis cauſa eſt ipſe dicendi modus figuratus ſymbolicus & totus ænigmaticus; quem idcirco eum affectaſſe reor tum ut dictorum intelligentia Babylonios lateret, ſoliſque Judæis, quibus ſcribebat & concionabatur eſſet pervia: Tum ut alium vaticinandi modum & a Jeremia diverſum uſurparet; eadem enim ſæpiſſime uterque idem prædicat: at quod Jeremias clare Judæis Hieroſolymis exiſtentibus annunciat, Ezechiel eadem ſubobſcurius itidem Judæis in Babylone enarrat: Tertia denique obſcuritatis cauſa, eſt multiplex ac varia cum ſcientiarum tum artium & inſtrumentorum commemoratio, quarum levis dumtaxat notitia ad nos uſque perennavit.

Illum in Chaldæa mortuum & ſepultum ſcribunt Doctores Hebræi, maxime Beniamin Tudelenſis in itinerario Terræ Sanctæ, & Manaſſe Ben-Iſrael, aliique pene multi, quos ſequitur Sixtus Senenſis aſſerens eum obtruncatum fuiſſe a duce Gentis ſuæ quem de cultu Idolorum reprehenderat, ſepultumque in monumento Sem & Arphaxad progenitorum Abrahæ. Narrat etiam Auctor libri Prophetarum apud S. Epiphanium, ad ſuam ætatem ſuperfuiſſe Ezechielis ſepulchrum miraculis clarum, & magno Judæorum concurſu frequentatum; illudque nihil aliud fuiſſe quam duplicem ſpeluncam, ſupra quam, inquit Benjamin mox laudatus, erat magnificentiſſimi operis teſtudo a Jekonia, & concaptivis Judæis extructa, ipſiuſque Jekoniæ & Ezechielis imaginibus decorata; ubi poſtmodum inſignis erecta eſt Synagoga & locupletiſſima Bibliotheca, in qua volumen ingens viſebatur Ezechielis manuſcriptum, & expiationis die in publicum proferri & legi ſolitum: His accedit Martyrologium Romanum in quo legimus die X. Aprilis: *Depoſitio Ezechielis Prophetæ, qui a judice populi Iſrael, quod eum de cultu Idolorum argueret, apud Babyloniam interfectus in ſepulchro Sem & Arphaxad Abrahæ progenitorum ſepultus eſt, ad quod orationis cauſa multi confluere conſueverunt*. Idem docent S. Dorotheus in Synopſi cap. XVI. Iſidor. lib. de vita & obitu Sanctorum cap. XXXIX. &c. (41)

(41) Plurima & quidem fabuloſa de vita & morte Ezechielis a nonnullis traduntur, ſed præſertim a Beniamino Tudelenſi in ſuo *Itinerario*, nec non ab Auctore Libri, cui titulus *De vitis Prophetarum*, qui ſub S. Epiphanii nomine divulgatus. Nos id unum certi tradere poſſumus, ſcilicet prophetandi munus a Deo ſuſcepiſſe dum captivus in Babylone detinebatur, anno 5. ſuæ tranſmigrationis cum Rege Jechonia, qui eſt annus 30. vel æræ Nabopolaſſaris, vel vitæ Ezechielis, vel Paſchatis, & Solemnis illius reformationis ab Ioſia Rege ſtatutæ, vel tandem annus 30. omnium horum, quæ ſimul in eumdem annum fortaſſis incidiſſe potuerunt. Sua emittere cæpit vaticinia S. hic Propheta anno 34. poſtquam ſuis exordium dederat Jeremias; ac per undecim annos Synchroni in prophetandi munere extiterunt, novemque annis ſuperſtitem Jeremiæ permanſiſſe Ezechielem conjiciunt aliqui poſt Witsium, cum annos 20. eum exercuiſſe Prophetæ munus opinentur; in qua hypoteſi vita functum

XV. Habet Ezechielis Prophetia capita XLVIII, versic. 1273. Partes principes tres, quarum *Prima* refert mirabilem visionem de vocatione Ezechielis ad munus Propheticum, ejusdemque muneris confirmationem tribus prioribus capitibus. *Secunda* comminationem divinæ in Judæos animadversionis, & denuntiationem pœnarum in obsidione & fame Jerusalem cap. IV. civitate atque dispersione populi cap. V. Depopulatione ac desolatione Regionis cap. VI. & VII. Divina ultione ob scelera quæ fiebant in templo cap. VIII. Eversione civitatis ac templi combustione cap. IX. & X. Animadversionem in Regem & Prophetas cap. XI. XII. & XIII. Exclusione omnis consolationis cap. XIV. & repræsentatione horrendorum criminum Judaicæ Gentis quibus divinam in se iram exacerbaverunt, quam doleat sub Parabola vitis infœcundæ cap. XV. Sponsæ deformis cap. XVI. Aquilæ grandis cap. XVII. Uvæ acerbæ & agrestis cap. XVIII. Leenæ & Leonis cap. XIX. Saltus & nemoris comburendi cap. XX. Gladii elimati cap. XXI. Scoriæ, stanni, ferri, & æris cap. XXII. Duarum unius fœminæ filiarum cap. XXIII. Æneæ & pinguis animalis cap. XXIV. *Tertia* vero agit de ejusdem populi restitutione, tum corporali ex captivitate Babylonica per Cyrum Persarum Regem; tum spiritali aliquando futura per Christum in carne manifestandum, maxime vero circa Mundi finem, quo tempore, Judæorum reliquiæ ubique terrarum propter Christi crucifixionem dispersæ, ad Christum converterentur, & salvi fient Israelitæ.

§. V.

De Prophetia Danielis.

XVI. DAniel, ideſt, *judicium Dei*, oriundus ex Tribus Judæ regiis Optimatibus in Betheboro superiore, non procul ab Jerosolymis; dum adhuc puer esset, abductus est in Babylonem cum Joachim Rege Juda anno III. regni ejus, ibique mansit per LX. annos, hoc est, usque ad extructionem Jerusalem, ut colligitur ex his verbis ultimis capitis primi: *Fuit autem Daniel, usque ad annum primum Cyri Regis*. Verosimile est autem Joakim bis captum & abductum in Babylonem, ex eo quod IV. Reg. cap. XXIII. colligitur illum regnasse undecim annis; cum vero initio testetur Daniel illum anno tertio, scilicet completo, migrasse in Babylonem, qui secundum Jeremiam primus fuit annus Nabuchodonosor; iterum videtur rediisse in regnum serviens Regi Babylonis tribus annis ut legimus IV. Reg. cap. XX. at in eum rebellis effectus, denuo captus est; Dum abduceretur in itinere mortuus est. Hic autem Joakim erat filius Josiæ Regis, pater Joachin, quem & Jechoniam appellant, frater autem Sedechiæ, qui & Sellum dicitur, sub quo Jerusalem destructa est, & frater Joachaz, quem Pharao Necao in Ægyptum vinctum abduxerat. Unde Hebræi *Ioachimum* pro Rege non habuerunt, nisi post fratris Joachazi, qui rediturus sperabatur, mortem.

Hujus

stum supponamus oportet anno mundi 3430., qui est Julianæ Periodi 4139. Periodi autem nostræ 4919. ante Christum 574.

In *Tractatu Thalmudico de Sabbatho* legimus in quæstionem fuisse olim a Rabbinis vocatam Libri Ezechielis divinitatem, atque consilia ab eisdem inita fuisse de expungendo e Canone Librum istum, quod sibi visi essent in eodem deprehendisse nonnulla a Mosis lege discrepantia; sed præsertim quæ leguntur Cap. 18. ℣. 20. quod nimirum Deus spoponderit non requisiturum pœnam a filiis pro suorum Patrum iniquitatibus, cum tamen Exodi 34. ℣. 7. per os Mosis testatus fuerit se redditurum iniquitates patrum in filios in tertiam & quartam generationem. Nonnulla pariter mutasse videbatur Rabbinis Ezechiel in præscribendis ritibus offerendi sacrificia post reditum e Captivitate. Tandem in dimensionibus Templi Ezechielis, & Salomonis, in dimensionibus Altaris Holocaustorum, & Conclavium ad latera templi, discrimen aliquod cum inveniatur, tam Rabbinis, quam Auctori Tractatus Theologico-Politici proscribendi a Sacrorum Librorum censu Ezechielis Prophetiam causa fuere, quamquam Synagoga tandem eumdem inter divinos habuerit, postquam Anania quidam discrepantias omnes in Ezechiele repertas, conciliatas exhibuit.

Quis profecto aperte non videat Ezechielis Librum præ cæteris fortassis suæ divinitatis argumenta præseferre clariora? Ejus consensus cum Jeremiæ vaticiniis eodem quidem tempore, sed in loco remotissimo prophetantis, consonantia cum divinissimo Apocalypsis Libro; eventus, qui jam plures Ezechielis propheriias obsignavit, eam inducunt ad persuadendum vim, ut improbæ menti solummodo locus dubitandi superst. Quis ignoret vaticinium illud Ezechielis 18. ℣. 20. referendum esse ad tempus Legis gratiæ, quo cessaturum erat omnino proverbium illud Judæorum, quo ajebant = comestam a Patribus uvam acerbam, & filiorum dentes obstupuisse. = Verum cur non poterat etiam Deus post Captivitatis flagellum, qui improbi, & innocentes, subjecti fuerunt, spondere quod in posterum soli peccatores forent puniendi, nec ultra suas animadversiones in filios innocentes, ob patrum peccata esset conversurus? cum ergo puniendi modum Deus permutare queat, non est in Exechiele aliquid Legi Mosaicæ ex isto capite adversum; sicuti Mosen ipsi sibi contrarium non facimus, quamvis Deuteronomii 24. ℣. 16. scripserit: = non occidentur Patres pro filiis, neque filii pro Patribus = quæ quidem lex quamvis Judices humanos respiciat, tamen a Deo tradita dicitur Regum 4. Cap. 14. ℣. 6

Ritus autem si tantisper ab Exechiele mutati leguntur, nonne id ex Dei revelatione & mandato executus est S. Propheta? Nunquid in manu Dei non est sui cultus ritus mutare pro libito? idipsum ad variationem, si quæ contingit, mensuræ in dimensionibus templi, & altaris respondemus. Satis est ergo, ut id fideliter scripserit Ezechiel, quod eidem a Deo palam fiebat; incassum igitur recidunt tum fatuorum Rabbinorum in Ezechielis librum cavillationes, cum argutatoris Theologico-Politici calumniæ, merito, & invicte jam a celebribus scriptoribus convulsæ. (W)

Hujus ergo anno tertio absoluto, quem quartum, quod inciperet, appellat Jeremias XXV. cap. v. 1. Daniel captivus cum plurimis Judæis, in Babylonem deportatus est, ubi adhuc puer Vatem agere cœpit, ut apparet ex cap. XIII. in liberatione Susannæ, & damnatione duorum Senum, qui eam constuprare nisi fuerant, & ut stupri ream falso apud populum accusaverant. Oportuit enim illum spiritu Prophetico, qui non solum futura, sed etiam præsentia abdita detexit, fuisse donatum, ut Susannæ innocentiam, Judicibus, qui eam damnaverant, ignotam, & universo populo manifestam faceret. Unde v. 64. *Daniel autem factus est magnus in conspectu populi, a die illa, & deinceps.* (42)

In id maxime incumbit, ut suis vaticiniis Christi glorioſum & æternum regnum magnifice efferat ac prædicet; & præ illo omnia regna mundi, vana & caduca esse demonstret. Habet enim hanc inter cæteros Prophetas palmam, ut prænuntiet, quasi momentum ipsum, quo Judæorum cæremoniæ cessaturæ erant, & Christi regnum incepturum. Quamobrem ejus oraculis convicti Judæi, nec tamen veritati consentientes, omnem movent lapidem, ut illius vaticinii auctoritatem elevent. Unde illum fuisse Prophetam abnegant, his maxime rationibus nixi, quas Maimonides [a] profert nimirum, quod etsi Angelus ei videndum se præbuerit, eique res futuras denuntiaverit; per somnium tamen id factum est, nec Angelum in se se loquentem deprehendit, quod ad veram Prophetiam desiderabatur. *Adiiciunt præterea* Danielem non prophetico more vixisse, sed more Satraparum & Aulicorum, quippe cum Principum Babyloniorum primus apud Regem fuerit, quandiu in vivis extitit: Hinc librum ipsius *inter Prophetas* non collocant, sed tantum *inter Hagiographa*, tametsi laxiori significatione, *Prophetæ* nomen ipsi Maimonides concedat.

[a] *in lib. More Nevokim cap. 45.*

XVII. At eorum proterviam & insciti am damnat Christus Dominus Matth. XXIV. v. 15. ubi Danielem *Prophetæ* titulo condecorat; idque non solum in laxiori, sed in strictiori significatione; quippe si Propheta vere is est, qui clare & distincte, non solum occulta præsentia, sed etiam eventura prænoscit ac prædicit; quis potiori jure titulum istum sibi vindicet, quam *Daniel*, qui futuras rerum conversiones, imperiorum ortum & interitum, Christi adventum, necem, & perpetuum regnum; Judæorum, nusquam finiendam desolationem, propter illatam Messiæ cruentam mortem, non solum cæteris Prophetis prænuntiavit apertius, sed etiam tempora, quibus ista contingere debebant, accuratius distinxit. Quapropter Thalmudistæ, [b] cum inter Prophetas cum Jeremia, Aggæo, Zacharia & Malachia recensent, Josephus vero illum cæteris Propnetis anteponit: [c] *Non enim*, inquit, *futura solum prædicere solebat, ut alii Prophetæ, sed & tempus quo hæc eventura erant determinabat. Cumque alii Prophetæ mala prænuntiarent, proptereaque Regum & vulgi odia in se concitarent; bonorum prænuntius his erat Daniel.* Tum deinde laudat certæ ejus prophetiæ immutabilitatem. Neque his omnino obluctatur Maimonides; Nam de Daniele concludit: *Proinde etiam pertinet ad eos, qui loquuntur motu Spiritus sancti: Ad secundam nimirum Prophetiæ speciem. Hinc in serie Scripturarum sacrarum nullam differentiam statuerunt inter Proverbia, Ecclesiasten, Danielem, Psalmos, Ruth, & Esther; quia omnes isti libri Spiritu sancto dictante scripti sunt.*

[b] *in lib. Megillah. cap. 1.*

[c] *lib. 10. Antiq. cap. ult.*

XVIII. *Danielem* libri Prophetiarum, ejus nomine inscriptarum Auctorem esse, non solum aperte colligitur ex universa hujus libri serie, ubi sparsim Daniel in prima persona de se loquitur, sed maxime ex cap. VII, quod sic orditur: *Anno primo Balthazar Regis Babylonis, Daniel somnium vidit: Visio autem capitis ejus in cubili suo; & somnium scribens brevi sermone comprehendit*; summatimque perstringens, ait; *Videbam in visione mea nocte.* Et etiam illud e cap. XII. v. 4. *Tu autem Daniel claude sermones, & signa librum, usque ad tempus statutum, & vidi ego Daniel, &c.* Idipsum aperte confirmat Christus Dominus Matth. cap. XXIV. dicens; *Cum videritis abominationem desolationis, quæ dicta est a Daniele Propheta, stantem in loco sancto (qui legit intelligat) tunc qui in Judæa sunt fugiant ad montes.* Quæ sic a Daniele expressa sunt in cap. IX. v. 27. *Et erit in templo abominatio desolationis.* Utrum vero uni eidemque Danieli, an duobus ea omnia tribuenda sint, quæ in ipso libro continentur, dubitat S. Hieronymus, [a] ubi scribit: *Porphyrio Eusebius & Apollinarius, pari sententia responderunt, Susannæ, Belisque ac Draconis fabulas non contineri in Hebraico, sed partem esse Prophetiæ Habacuc, filii Jesu, de tribu Levi: sicut juxta septuaginta Interpretes, in titulo ejusdem Belis fabulæ ponitur; Homo quidam erat Sacerdos, nomine Daniel, filius Abda, conviva Regis Babylonis; cum Danielem, & tres pueros de Tribu Juda fuisse sancta Scriptura testetur. Unde & nos ante*

[a] *Præf. in Daniel.*

annos

(42) Anno mundi 3398. juxta computum Usserii, Periodi autem Julianæ 4108. ante Christum 606. Periodi Græco-Romanæ 4888. Daniel cum cæteris Babylonem translatus est puerculus adhuc, qui Regio Ministro educandus traditur per tres annos, quibus decurrentibus Susannæ liberationem, senumque accusatorum mortem divino inspirante numine decernendam curavit, quamvis hæc omnia Cap. 13. Danielis referantur. Adversus triplicem illam Historiam plurimum effutiunt Hetherodoxi inter apocryphas scripturas reiicientes, sed perperam, cum nil in eadem vel impossibilitatis, vel contradictionis reperiatur, & altera ex parte principaliores Ecclesiæ Patres veluti Scripturam divinam semper habuerint. Declamat acerrime contra Huetium Hermannus Witsius in suo Miscellaneorum Lib. 1. Cap. 19. §. 39. sed frustra, cum nullum ibidem satis firmum proponat argumentum quo Susannæ, Beli, & Draconis historiæ veracitas elevetur; quæ enim de Hieronymi sententia, Eusebii, & Apollinaris proferuntur, jam præclare a Clarissimis Scriptoribus quemadmodum & a Frasseno soluta sunt. (W)

annos plurimos cum verteremus Danielem, has visiones Obelo notavimus, significantes eas in Hebraico non haberi. Quibus verbis S. Hieronymus significare videtur *Danielem Susannæ vindicem*, non eundem esse ac *Prophetam*. Deinde historiam Susannæ, Belis ac Draconis non a Daniele, sed Habacuc Propheta profluxisse.

a *Apolog. 2. contra Rufin. circa finem.*

Verum, ipsemet S. Hieronymus, [a] testatur, se non quid sentiret explicuisse in illis prologis, sed indicasse quid Judæi dicerent. Eusebio autem & Apollinario opponuntur vetustissimæ Editiones Græcæ, in quibus tantum abest, ut distinguatur *Daniel* Susannæ Patronus a *Daniele Propheta*, ut potius ab hac Susannæ historia fiat initium Prophetiæ Danielis, servato scilicet temporum ordine, quod Daniel ob manifestatam Susannæ innocentiam, adhuc puer inclarescere cœperit; Atque hoc primum divinitus inditæ sibi sapientiæ specimen ediderit. Eadem etiam fuit Auctoris synopseos & Sulpitii Severi, [b] imo & Eusebii sententia, qui historiæ Susannæ inter Danielis scripta, primum locum assignant.

b *lib. 1. Chronic.*

Cur ergo, *inquies*, in exemplaribus LXX. senum, alteri Danieli eversio Beli & Draconis interfectio, alteri item Scriptori, Habacuco videlicet, hujus historiæ Susannæ narratio tribuebatur. *Respondet* apposite *Huetius*, id ita factum, quod, ut suspicatur S. Hieronymus, Danielis interpretatio LXX. viris adscripta, erat Pseudo-epigrapha: quamobrem illa interpretatione rejecta, Theodotionis Editionem assumpsit Ecclesia, *Exceptis* LXX. *translatoribus* (ait S. Hieronymus, [c]) qui *hæc omnia nescio qua ratione præterierunt, tres reliqui interpretati sunt. Unde judicio Magistrorum Ecclesiæ, editio eorum in hoc volumine repudiata est, Theodotionis vulgo legitur quæ & Hebræo & cæteris Translatoribus congruit.* Unde & Origenes, asserit se, quæ sequuntur, ab hoc loco in Propheta Daniele, non juxta septuaginta Interpretes, qui multum ab Hebraica veritate discordant, sed juxta Theodotionis Editionem differere. Cum ergo, (addit Huetius) artifex interpretationis hujus, homo videatur fuisse ingenii immodici, & nimium sibi permittentis, credibile est ipsum conjectasse, postremi capitis, in quo Beli & Draconis narratur historia, Auctorem fuisse Habacucum Prophetam; quod mirificum ejus illic narretur facinus; & reliquis fere Prophetis, solemne sit casus suos, ac visa memoriæ prodere, idemque proinde Habacucum sibi faciendum censuisse: atque hac demum conjectura ita delectatum fuisse Interpretem, ut jam non tanquam conjecturam, sed ut rem indubitatam in fronte capitis hujus adscripserit. Atque hanc ipsam historiam Pseudo-epigraphon significasse videtur synopseos Auctor; cum inter Apocryphos veteris Testamenti libros, Habacucum quendam recenset.

c *in cap. 14. Daniel.*

XIX. At, *inquies*, plura sunt in illa Susannæ & Draconis historia, quæ Danieli convenire non possunt, puta quod introducatur Daniel tanquam puer, cum illo tempore, quo hæc narrantur, ad minus natus esset octoginta annos: nam, ut diximus, Daniel translatus est cum Rege Jechonia, ab eo vero tempore, ad Cyrum usque, fluxerunt anni septuaginta, ut patet lib. 1. Esdræ. *Porro* Susannæ historia contigit initio imperii Cyri: nam post recitatam de illa Susanna narrationem, statim subditur cap. XIII. 65. *Rex Astyages appositus est ad patres suos, & suscepit Cyrus Perses regnum ejus.* Accedit quod etiam temporibus Nabucodonosor, forte paulo post adductionem in captivitatem *Daniel* videatur obiisse. Enimvero *Ezechiel*, qui vaticinatus est anno V. transmigrationis cap. I. Danielis, meminit tanquam olim vita functi: Eum enim Noe & Job mortuis accenset. *Insuper* exprimitur Daniel, ut vir quidam grandis natu, & multorum liberorum parens, quemadmodum Ezechiel & Job, dum hæc scribebat Ezechiel, ait enim: *Si fuerint tres viri isti, Noe, Daniel, & Job, in medio ejus: Vivo ego, dicit Dominus, quia filium & filiam non liberabunt.* Non potuit ergo Daniel iste censeri Auctor earum Prophetiarum, quæ subsequenti Persarum Imperatorum tempore editæ sunt, maxime historiarum Susannæ & Draconis. Hinc non solum Judæi nonnulli, sed etiam Gentiles, maxime Porphyrius, [d] in libro ex iis quindecim quos scripsit adversus Christianos, has historias ut aniles fabulas rident. Quibus consentiunt Anabaptistæ, ut olim fecerat Julius Africanus, qui Susannæ historiam, tanquam adulterinam repudiavit, teste Eusebio [e].

d *lib. 12.*

e *lib. 6. hist. cap. 23.*

Verum ista facile dissolvuntur; primum quidem, quia tametsi historia Susannæ ad penultimum Danielis caput transferatur; certum est tamen eam pridem ante Cyri tempora contigisse. Unde in LXX. Interpretum antiquissimis Editionibus collocatur in fronte libri Danielis, ratione videlicet habita temporis, quo ista contigerunt. Idcirco autem in Editione Latina hæc translata sunt ad postrema libri capita, quod in Hebræo exemplari illius ævi non extarent, sed duntaxat ex Codice Græco fuissent editæ, cujus indicium est, quod, ut notat S. Hieronymus, [f] horum vocabulorum Etymologiæ ἀπὸ τῦ σχοῖνι σχοῖνοι καὶ ἀπὸ τῦ πρίνι πρῖνοι de Græco sermone descendunt. Cum ergo Vulgatus Interpres Hebraici exemplaris auctoritatem sequutus, has historias in eo non deprehendisset; illas quidem ex Codice Græco desumpsit, sed ad libri Danielis finem censuit esse collocandas. Porro versus ille 65. cap. XIII. *& Rex Astyages, &c.* non pertinet ad Susannæ historiam, sed initium est narrationis sequentis. Unde hic versus in Editione Græca Sixti V. connectitur historiæ Beli & Draconis.

f *Præfat. in hunc libr.*

Quod spectat ad veteres, tum Judæos, cum Christianos, qui harum historiarum auctoritatem, sicut & *hymni trium puerorum* in dubium revocare videntur, ipsis opponimus cœtum illustriorum Patrum qui eas narrationes, ut Scripturas sacras habuerunt. Nam, ut notat Bellarminus, [g] Origenes

g *lib. 1. cap. 9.*

genes a studiose defendit has Danielis partes, præcipue in Epist. ad Julianum Africanum, ubi Susannæ historiam Canonicam esse & Scripturam sacram demonstrat. Eadem est B. Ignatii sententia. [b] Tertulliani, [c] Cypriani, [d] Basilii, [e] Chrysostomi, [f] Ambrosii: [g] qui tractans historiam Susannæ, aperte docet eam Scripturam esse divinam, ut sunt cæteræ Danielis partes. Neque etiam Judæi Susannæ historiam plane negant. Nam, inquit Grotius, [h] aiunt duos Senatores Judæos, *Acabum* & *Sedeciam* nomine, quod multas mulieres Hebræas adulterassent, Susannæ etiam pudicitiam attentassent, mortis supplicio affectos, non quidem lapidatione, sed incendio; idque non decreto Judæorum, sed ipsius Nabuchodonosoris. Quippe aiunt sub Chaldaica deportatione, nulla judicia capitalia fuisse penes Judæos, quamquam sub Persico imperio, nonnullis in locis id forte evenerit. Moribus autem Chaldæorum pœnam adulterii fuisse incendium. In qua re conveniunt Thalmudici cum iis quæ Origenes ab Judæis didicisse se testatur, [i]

Ad secundum respondet S. Hieronymus, [k] ab Ezechiele mentionem fieri *Danielis* non olim vita functi, sed adhuc superstitis, & in ætate puerili: Adnumerari autem illis viris gravissimis *Noe & Iob*, quia notus erat populo ob liberationem Susannæ & divinitus concessam ei sapientiam, quæ maxime in explanandis somniis Regis inclaruerat: Ipsi vero non aliter filios tribuit Ezechiel, quam ex hypothesi; ac si dixisset, etiamsi inter Judæos Deo perduelles existerent filii Noe, Job & Daniel; quantalibet hi polleant sanctitate & apud Deum æstimatione, non possent accensam in illos divinam iracundiam mitigare, nec eos a pœnis prænuntiatis eximere.

Hæc si ita sint, cum igitur, inquies, S. Hieronymus has Danielis appendices, & in eis descriptas historias, *fabulas* appellat, quemadmodum & Auctor de mirabilibus Scripturæ sacræ apud Augustinum, [l] fabulas censet Belis & Draconis historiam.

Respondeo longe aliam fuisse S. Hieronymo sententiam; nam in Apologia adversus Rufinum diserte scribit: *Quod autem refero*, inquit, *quid adversus Susannæ historiam & hymnum trium puerorum & Belis Draconisque fabulas, quæ in volumine Hebraico non habentur, Hebræi soleant dicere, qui me criminatur stultum, se Sycophantam probat. Non enim quid ipse sentirem, sed quid illi contra nos dicere soleant, explicavi.* Ad Auctorem de mirabilibus Scripturæ sacræ non est cur respondeam, cum Scriptor ille nullius sit apud cordatos auctoritatis, & Augustini nomine olim falso fuerit inscriptus, ut etiam fatetur S. Thomas. [m] Et insuper cum hic Auctor, [n] differat de epicyclis, indicium est eum post annum sexcentesimum vixisse, & Augustino multo esse inferiorem,

Instabis rursus, qui fieri potuit, ut idem liber ab eodem Auctore scriptus sit partim Chaldaice, partim Hebraice, partim Græce? Primum enim caput cum tribus sequentibus secundi versiculi Hebraice scriptum habemus; sequentia ad VIII. usque caput Chaldaico narrantur sermone, quæ R. Levi Ben-Gerson Hebraice postmodum reddidit. Cætera subinde Hebraica sunt, præter Orationem Azariæ, Hymnum trium puerorum, Susannæ, Beli, & Draconis historias, quæ Græce exarantur.

XX. *Respondeo*, hujusce diversitatis legitimam & certam vix proferri causam & rationem. Suspicantur equidem aliqui, librum Chaldaice primum exaratum fuisse a Daniele ipso, qui cum Juvenis in Babylonem fuisset deportatus, & jussu Regis Babyloniæ lingua Chaldaica ab optimis præceptoribus, una cum plurimis selectis Judæis fuisset imbutus, illiusque puritatem ac usum faciliorem ex diutina inter Principes & Aulicos conversatione comparasset, Vaticinia sua Chaldaice descripsit, in gratiam & solatium Judæorum captivorum, qui propter diuturnam in Chaldæa moram, ipsi linguæ jam assueverant; quem librum reduces Judæi, postmodum in utilitatem suæ Gentis Hebraice reddiderunt. *Demum* etiam Græce a priscis Interpretibus, suoinde ab Aquila, Theodotione, Symmacho, & aliis expressus est. Unde contigit, ut labentibus annis, cum Hebraica exemplaria, nec-non & Chaldaica, propter varia Judæorum exilia, ex parte detruncata fuissent; qui opus integrum restituendum suscepit, quæ in Hebraico exemplari deerant, ex Chaldaico & Græco supplere coactus est, servata cujusque linguæ proprietate & integritate in singulis illis additamentis, ne forte novitatis aut suppositionis accusaretur, si ista simul Hebraice expressisset, cum illo tempore, nulla Hebraica aut Chaldaica exemplaria integra, sed tantum mutila extarent; quæ quidem conjectura, tametsi plenissime difficultatem non elevet, illam tamen proponendam duxi, donec occurrat in hisce rebus oculatior, qui plenius ac planius illam exhauriat,

XXI. Adiicere tamen licet ex Origene, [o] Judæos dedita opera suppressisse historiam Susannæ, eamque expunxisse ex Danielis libro, ut Majorum suorum infamiam, scelerumque vestigia abolerent. Narrat enim Origenes, se a Judæo quodam accepisse, impudicos Seniores Principes populi hac arte illudere solitos mulierum pudicitiæ, cum apud eas in privatis colloquiis convenirent, sibi videlicet a Deo concessum, ut Christum gignerent, cujus fœlicis partus, ut participes essent, simplices mulierculæ, sui corporis potestatem illis faciebant, quorum vafriciem cum elusisset, castissima Susanna, illorum in se furorem & accusationem concitavit. Dicebantur autem illi duo Seniores, unus *Achabus* filius Coliæ, alter *Sedecias* filius Maasiæ; quos Jeremias, qui tunc temporis adhuc in vivis erat, incessit his verbis cap. XIX. v. 22. *Ponat te Dominus sicut* SEDECIAM *& sicut* ACHAB, *quos frixit Rex Babyloniæ in igne, pro eo quod fecerint stultitiam in Israel, & mœchati sunt*

in

a *homil.* 1. *in Lev.*
b *in Epist. ad Magnesianos.*
c *lib. de Corona militis.*
d *in sermon. de Orat. Dom. & lib.* 4. *Epist.* 6.
e *lib. de Spirit. S. cap.* 30.
f *serm. de tribus puer. & de Susan.*
g *lib.* 3. *de Spirit. S. cap.* 7.
h *in Comment. ad Susan. hist.*
i *ad Jere.* XXII. *v.* 22.
k *lib.* 1. *in Jovinian.*
l *lib.* 2. *cap.* 32.
m 3. *part. q.* 45.
n *lib.* 2. *cap.* 4.
o *in Epist. ad African.*

n uxores amicorum ſuorum, & locuti verbum in nomine meo mendaciter, quod non mandavi eis.

Urgebis iterum, quomodo fieri potuit, ut ex Judæis captivis omnibus bonis ſuis ſpoliatis ac nudatis, *Joakim* tot ac tantis divitiis abundaret, ut & palatium, & pomarium, & elegantem ac amœnum hortum haberet? *Inſuper* quis exiſtimabit captivis eam fuiſſe auctoritatem, ut qui inter eos veniebant in diſcrimen capitis, ab eis damnarentur, & afficerentur ſuppliciis: quaſivero ea fuiſſet miſeris captivis auctoritas & facultas?

Reſpondet Origenes duobus his obiectionis capitibus ab Africano propoſitis. *Ad primum quidem* Judæos in captivitatem Babylonicam abductos, non omnes omnibus bonis fuiſſe denudatos, ſed plurimos inter illos divitiis abundantes; utpote apud Babylonios Reges & Principes bene audientes: & inter miniſtros ac aulicos adlectos: quod probat exemplis Tobiæ, Nehemiæ, Eſdræ & Mardochæi: *Quid ergo mirum*, inquit, *ſi fuerit hortus, & domus, & poſſeſſio ipſi Joakim, ſive is magno eſſet loco natus, ſive mediocri? De ea namque Scriptura nihil aperte ſignificat.*

Ad *ſecundum reſpondet* non eſſe mirandum & incredibile, quod tunc temporis cum plurimæ Gentes ſubiicerentur Babyloniorum Regi & ab eo captivæ detinerentur, eis ab illo fuiſſe permiſſum uti ſuis ritibus religioſis, legibus ac judiciis. „ Nam nunc quo-
„ que, *ait*, Romanis regnantibus, & Ju-
„ dæis didragma eis pendentibus, quænam
„ concedente Cæſare poſſit Gentis Præfe-
„ ctus, ut nihil differat ab eo qui regnum
„ obtinet in Gentem, ſcimus qui ſumus
„ experti. Fiunt enim latenter convenien-
„ ter legibus judicia, damnantur quidam
„ capitis, neque cum plena omni ex parte
„ libertate, neque Rege omnino ignoran-
„ te: idque in regione Gentis longo tem-
„ pore verſati dicimus, & pro certo acce-
„ pimus: quanquam ſub Romanis duæ ſo-
„ læ relatæ ſunt eſſe Tribus, nempe Tri-
„ bus Juda, & Tribus Benjamin. Eſto
„ etiam Levitica: Iſrael autem præter po-
„ pulum Juda, erant decem Tribus. Eſt au-
„ tem veriſimile, Aſſyrios ſatis habentes,
„ quod eos haberent ſubjectos, eis permiſiſ-
„ ſe propria judicia. „

Inſtabat rurſum Africanus, Suſannæ hiſtoriam confictam videri a Græculo quodam, ex Etymologia quam Auctor ille deducit ex vocibus *Schino* & *Prino*: nam ubi Daniel Seniores illos Suſannæ pudicitiæ inſidiantes interrogat, ſub qua arbore viderint eam cum juvene coeuntem, unus a ſocio ſepoſitus: Reſpondit *ſub Schino*: Daniel autem ex ea voce Græca σχῖνος, quæ *Lentiſcum*, ſignificat alludens ad verbum Græcum σχίζω, quod ſignificat *ſcindere*, ſtatim ſubjecit: *Recte mentitus es in caput tuum: ecce enim Angelus Dei accepta ſententia ab eo* SCINDET *te medium*. Cum autem dixiſſet alter ſe vidiſſe eos colloquentes *ſub Prino*, alluſit Daniel ab arbore Prino, ad actionem ſecandi; nam πρῖνος eſt arbor, πρίζω eſt ſecare.

Quomodo, inquit S. Hieronymus [a], *ſi quis diceret illos ſeniores Latine interrogatos*, unum reſpondiſſe de arbore *Ilice*, Danielem reſpondiſſe *Ilico pereas*, & a Lentiſco *in lentem te comminuat Angelus; vel non lente pereas: aut lentus, ideſt, flexibilis ducaris ad mortem.* Porro ſimiles etymologiæ deduci non poſſunt ex lingua Hebraica aut Chaldaica: tum quia teſtatur Origenes, Hebræis eſſe ignotas illas arbores *Schinum* & *Prinum*: cum enim ea de re interrogaſſet Hebræos, alii dixerunt ſe ignorare vocem Græcam σχῖνος & πρῖνος: rogantes autem alii ut ſibi oſtenderentur arbores, quatenus viderent, quibus vocibus Hebræis apud ſuos populares appellarentur, cum illas in eorum proſpectu exhibuiſſet Origenes; reſponderunt illarum nomina non occurrere in Scripturis, ac proinde ſe non poſſe affirmare quemadmodum Hebraice dicantur. Itaque Daniel ſuorum vaticiniorum Hebræus aut Chaldæus Scriptor, non poteſt Auctor cenſeri hiſtoriæ Suſannæ: quippe cum ex vocibus Hebraicis & Chaldaicis ſimilis etymologia non potuerit deduci.

[a] *in Præfat. ad hunc locum.*

Reſpondet Origenes, Danielem non dixiſſe *Ilicem*, neque *Lentiſcum*, ſed aliquid aliud nobis ignotum arboris genus, cui tamen ſecundum proprietatem linguæ Hebraicæ vel Chaldaicæ, quæ ipſi vernacula erat & familiaris, verbum aliquod ſectionem ſignificans reſponderet: Interpretem vero Græcum, non vertiſſe ad verbum, ſed ad ſenſum, & ut ſervaret alluſionem, alias ſimiles aſſumpſiſſe arbores, quibus in Græco reſponderet alluſio ad verbum *ſcindendi*: quemadmodum, inquit, mulier Hebraice *Iſſa*, deducitur, a voce *Iſc*, ideſt, vir, quoniam de viro ſumpta eſt, quam etymologiam ut ſervaret vulgatus Interpres, refert Adamum dixiſſe de muliere ex ſua coſta formata Geneſ. II. v. 23. *Hæc vocabitur Virago: quoniam de viro ſumpta eſt.* Ubi vides ſervari eandem etymologiam, non autem eaſdem voces.

XXII. *Opponunt tandem Heterodoxi ſimul & Judæi*, ut duorum poſtremorum Danielis capitum auctoritatem elevent: Primo quod cap. XIV. v. 32. refertur Habacuc Prophetam in Judæa exiſtentem, ab Angelo juſſum, ut paratum ſuis Meſſoribus prandium deferret ad Danielem in lacu Leonum, qui cum reſpondiſſet ſe nec Babylonem, nec locum ſcire, apprehendit eum Angelus in vertice, & portavit illum capillo capitis ſui, poſuitque eum in Babylone ſupra lacum: in qua recenſione, duo ludicra, inquiunt, & pugnantia occurrunt, nam Habacuc qui Danieli coævus aſſeritur, vaticinia edidit ſub Manaſſe, ac ſubinde oportuiſſet illum tunc temporis natum fuiſſe annos pluſquam centum & triginta: nec proinde aptum jam qui vel prandium ad Meſſores deferret, vel Babylonem iret. *Deinde* nullum apparet exemplum, in veteri Teſtam. ut apud S. Hieronymum opponebat Judæus, hominis gravi corpore volantis & tantillo tempore, tanta terrarum ſpatia conficientis: *Inſuper* eodem capite XIV. 30. Daniel dicitur recluſus in lacu Leonum ſex die-

diebus cap. autem VI. v. 22. refertur tantum una nocte ibi stetisse.

Respondeo ad primum, verosimile videri duos fuisse Prophetas *Habacuc* nomine; alterum Manassis coætaneum, cujus vaticinia ad hanc usque diem supersunt; alterum qui escam ad Danielem deferre jussus est; ille erat ex Tribu Simeonis, hic vero ex Tribu Levi, ut apparet ex Lemmate historiæ Beli & Draconis præfixo in editione LXX. Interpretum, quod exhibet S. Hieronymus in Proœm. Comment. Danielis, & est supra a nobis prolatum. Ad id vero quod obtrudunt Judæi, illius volatus & deportationis per Angelum, nullum extare exemplum in vet. Testamento, *dico* non omnium quæ in eo narrantur, exempla similia contigisse: Proferant enim Judæi exemplum mulieris ex viri costa, quemadmodum Eva, formatæ; serpentis cum aliquo, veluti cum eadem Eva loquentis: diluvii Noachici, & plurium similium.

Ad secundum dico, non eandem utrobique referri Danielis incarcerationem, bis enim in lacum Leonum immissus est; semel quidem a Dario Medo, quoniam Deum precatus fuerat contra Regis præceptum; & tunc ibi tantum una nocte reclusus est. Iterum autem a Cyro, propter interfectum Draconem, & tunc ibi stetit sex diebus integris: nulla itaque in illis textibus apparet Antilogia.

CAPUT DECIMUMTERTIUM.

De sex primis Prophetis Minoribus.

SUMMARIUM.

I. *Quis fuerit, & quando prophetaverit Osee?*
II. *In quot partes eius Liber distribuatur.*
III. *Cur, & quomodo uxorem fornicariam duxerit?*
IV. *Quo tempore floruerit Joel, & ex qua Tribu fuerit oriundus.*
V. *Quis Amos & quo tempore vaticinatus?*
VI. *Quale sit Prophetiæ Amos argumentum?*
VII. *Variæ de Abdiæ ætate, & prosapia opiniones.*
VIII. *Quid de Jonæ patria & origine sentiant Interpretes?*
IX. *Quo tempore, & quandiu fuerit vaticinatus?*
X. *Cur ad Ninivitas eum miserit Deus?*
XI. *Quid Michææ nomen significet, & quot hujus nominis fuerint Prophetæ?*
XII. *Quot in partes ejus Liber dividatur.*

§. I.

De Osea Propheta.

I. IN ordine Prophetarum, si rationem temporis quo floruerint, attendas; Primus omnium censendus est *Oseas*, quippe qui ætate omnes antecesserit. Distribuuntur enim Prophetæ in duplicem ordinem, quorum aliqui dicuntur *Majores*, quia illorum majora sunt opera; alii vero Minores, quia pauciora sunt eorum vaticinia. Illi, tres sunt Hebræis, nempe *Isaias*, *Jeremias*, & *Ezechiel* (Danielem enim, ut supra diximus, Judæorum doctorum aliqui Prophetis non accensent, sicut nec Davidem; non quod multa eximia non prædixerint, sed quia, inquiunt vitæ genus Propheticum non sectabantur; siquidem alter Rex erat, alter Satrapa). Hi vero sunt duodecim: complectuntur autem eos uno volumine; non quod uno eodemque tempore prophetaverint, sed ne aliquis ex eis perderetur, cum Libri sint perbreves, si quilibet eorum per se seorsum haberetur.

In Græco Codice præcedunt Minores, Majores sequuntur: Latini vero Majoribus priorem dant locum. Græcos id spectasse arbitror, quod inter Minores multi sint valde antiqui: est enim temporis hic ordo inter Prophetas, *Oseas*, *Ioel*, *Amos*, *Abdias*, *Ionas*, *Isaias*, *Michæas*, *Nahum*, *Habacuc*, *Sophonias*, *Daniel*, *Jeremias*, *Ezechiel*, *Aggæus*, *Zacharias*, *Malachias*. Ubi vides Oseam cæteris præponi, quippe qui prior omnium vaticinatus fuerit, si quæ Hebræis fides; id enim se colligere putant ex iis Oseæ verbis cap. I. v. 2. *Principium loquendi Domino in Osee*; ut sensus sit, initio Dominus locutus est in Osea, nempe priusquam in aliis, qui eo tractu temporis prophetarunt, loqueretur. Diutissime autem vixit *Oseas*, & Prophetam egit, ut volunt Hebræi per annos XC. Itaque multos habuit Prophetas coætaneos, ut *Isaiam*, *Joelem*, *Amosum*, *Abdiam*, *Jonam*, *Michæam*, ut in Commentario notat S. Hieronymus. Vidit populum Judaicum florentem, vidit ejusdem partem non exiguam translatam, per Teglath-Phalasarum; vaticinatusque est sub regibus, *Ozia*, *Ioathan*, *Achaz*, *Ezechia* Regibus Juda, & in diebus Jeroboam filii Joas Regis Israel. Nominat autem præter Reges Juda, etiam *Ieroboam* Regem Israel, ut significet se tam, imo magis contra Israel, quam contra Judam Prophetare.

Sed

Sed cur e Regibus Israel solum nominet *Ieroboam*, omittens *Zachariam*, *Sellum*; *Manahem*, *Phacee*, *Phaceam* & *Osee*, qui in Israel regnarunt eo tempore quo in Juda regnabant *Ozias*, *Ioathan*, *Achaz* & *Ezechias?* Nam anno sexto Ezechiæ, qui fuit annus nonus *Osee*, eversum est ab Assyriis regnum Israel. Varii ea de re varias proferunt causas, sed vera & genuina est, ut Propheta indicet se non extremo, nec medio tempore regni *Oziæ* vel *Azariæ*, utpote qui LII. annos regnavit, sed ejus initio prophetare cœpisse. Nam anno *Jeroboam* Regis Israel XXVII. cœpit in Juda regnare Ozias; Jeroboam autem regnavit XLI. annis: unde sequitur ultimos tantum quatuordecim annos *Ieroboam* concurrere cum primis quatordecim annis Oziæ, quibus simul regnarunt, Jeroboam in Israel, Ozias in Juda; quibus necesse est prophetasse *Oseam*; cœpit enim cum uterque simul regnaret. Ut legitur IV. Reg. cap. XIV. v. 23. & cap. XV. v. 1. (43)

Hic Propheta oriundus fuit ex Tribu Issachar, non ex oppido *Belemoth*, ut mendose legitur in Pseudo-Epiphanio, & Pseudo-Dorotheo, lib. de vitis Prophetarum, sed *Bethsemes* quæ recensetur inter urbes illius tribus Josue XIX. v. 22. Idque diserte pronuntiat S. Hieronymus in Comment. ad I. caput. Filius fuit *Beeri* non illius qui I. Paralip. cap. V. dicitur *Princeps Rubbenitarum*, sed alterius. Nam ille dicitur *Beera*, hic *Beeri* vocatur; terminatio igitur discrepat: ille *ex Tribu Ruben*, hic *ex Issachar* oriundus. Hunc autem *Beeri* Prophetam quoque fuisse, quidam, inter quos Nicolaus Lyranus, & Auctor Glossæ ordinariæ affirmant, quibus favet Hebræorum regula a Lyrano laudata, quod *Quando in principio alicujus Prophetæ* PATRIS NOMEN *exprimitur*, *Propheta intelligitur*. Quam regulam etiam approbat R. David Kimchi, Præfat. in XII. Prophet. *Dixerunt*, inquit, *Doctores nostri beatæ memoriæ*, *omnem eum*, *cujus nomen cum* NOMINE PATRIS *ponitur*, *in principio Prophetiæ*, *Prophetam esse filium Prophetæ*, *idque certum apud eos haberi*. At Rabinorum hæc inanis est & sine fundamento existimatio.

Sanius enim hac de re sensit & scripsit ætas posterior, censens *Beeri* virum in illo ævo fuisse illustrem, qui nominatus sit differentiæ causa. Nisi forte quis dixerit, ipsum idcirco dici *filium Beeri*; idest, *putei mei*, quia ex Deo, quasi ex puteo hausit aquas doctrinæ cœlestis, quas in Judæos velut agros steriles & aridos effunderet, juxta illud Isaiæ XII. *Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris*, ut conjectatur S. Hieronymus hic, & in Epist. 31. ad Rusinum. Nec abs re, quidem, *Oseas* enim, idem est ac *Salvator*, quia salutem populi sui qua orando, qua prædicando, qua sanctæ vitæ exempla proponendo conciliare nisus est, æque ac Josue pugnando, de quo ait Eccles. XLVI. *Qui fuit magnus secundum nomen suum in salutem Electorum*. Hinc *Oseas*, Hebraice proprie significat *Salva*; est enim יהושע *Hoschea*, imperativus *Hiphil*, a radice ישע *jascha*, i. e. *salvavit*; omnibus namque modis, nimirum sanctitate doctrinæ suæ precibus assiduis, vitæ exemplo; maxime vero suis adhortationibus & vaticiniis, Israeliticum populum universum ad pœnitentiam adhortari & commonere studuit; neque enim solum ad unam & alteram ex Tribubus Israel, maxime *Judam* & *Benjamin*, ut plurimi ex aliis Prophetis vaticinatus est, sed etiam ad decem Tribus, quæ a Juda deficientes, regnum Israel instituerant.

II. Universa ejus vaticinia quatuordecim capitibus comprehenduntur, quæ, inquit Ederus, per respectum & ordinem ad ipsum Prophetam, distribui possunt in quinque partes. Hic enim Prophetiam edidit sub persona *Vatis* futura prænuntiantis, I. & II. cap. *Judicis* contendentis cum eis contra quos vaticinabatur, ab initio cap. IV. usque ad VIII. *Præconis* bellum denuntiantis, & exterminationem Samaritanis, & Israelitico regno cap. VIII. & IX. *Patris* expostulantis cum filiis, ob ingentem erga se ingratitudinem a cap. X. usque ad XIV. tandem *Concionatoris* ad pœnitentiam adhortantis ac veniam resipiscentibus a Deo spondentis.

Unum est quod hujus libri sanctitatem & divinam auctoritatem labefactare ac convellere videatur, nempe quod scortationem & fornicationem a Deo probatam & præceptam inducat; initio namque dicit a Deo sibi præceptum: *Vade sume tibi uxorem fornicationum*, *& fac tibi filios fornicationum*, *quia fornicans fornicabitur terra a Domino. Et abiit & accepit Gomer filiam Debelaim*, *&c.*

III. *Verum*, ista non ut sonant, accipienda sunt: non enim jubetur Propheta, ut fornicetur, seu ut accedat ad scortum in scortatione permanens, sed ut insignem fornicariam & publicam meretricem corpus suum pro turpi lucro prostituentem legitimo sibi copulet matrimonio, ex eaque filios procreet: qui dicuntur *filii fornicationum*, idest, filii matris quæ antea tota fuit fornicationibus dedita: hanc enim suam turpitudinem & infamiam filiis suis afflabat mater, quæ fuerat publica meretrix, neque eam labem abstergere & delere poterat subsequens matrimonium, ita SS. Patres,

(43) Cum Jeroboamus II. in Regni consortium fuerit a suo Patre Joas anno mundi 3168. assumptus, a quo numerandi veniunt anni Regni ipsius Jeroboami dum Ozias Rex Juda solium ascendisse dicitur anno Jeroboami hujus 27.; quibus simul regnantibus Osee vaticinia sua enunciavit, compertum est Prophetam hunc florere non potuisse ante mundi annum 3195. Periodi nostræ 4685.; cum pariter usque ad Ezechiam Regem prophetandi munus perduxerit, qui Regni consors a Patre suo factus est anno mundi 3277. evidenter certum est Oseam Prophetam per annos 82. demandatum sibi munus exercuisse, proindeque vitam suam per integrum sæculum ad minus protraxisse. In Librum hujus Prophetæ pauca opponunt critici, quæ facillime resolvuntur. (W)

tres, Hieronymus, Augustinus & alii. Hoc ergo facere jubetur in signum & argumentum *scortationis Israelitarum*, ideſt, impiæ defectionis eorum a Deo ad idola: Prophe-ta enim maritus refert Deum Sponsum, uxor fornicaria Synagogam meretricem; filii fornicariæ, eos quos docuit Synagoga. Hoc ergo signo & symbolo voluit Deus ostendere Synagogam Israeliticam defeciſſe a seipso Sponso, per frequenter iteratam idololatriam, quam Scriptura *fornicationem* appellat.

Sunt etiam plurimi Interpretes, qui cum S. Hieronymo censeant, id tantum per visionem vel per somnium contigisse: in proœmio enim hujus libri: *Osea*, inquit, *audiens a Domino, accipe uxorem fornicariam, non frontem rugat, non mœrorem pallore testatur, non verecundam mutato genarum rubore demonstrat: sed pergit ad lupanar & scortum ducit ad lectulum. Et non initiat illum pudicitiæ matronali, sed se luxuriosum probat. Qui enim adhæret meretrici unum cum ea corpus efficitur. Quis sapiens, & intelliget ista?* Ac postea respondet, infertque hæc *typice & figuraliter* esse interpretanda. Quia res turpis & indigna fuisset, si vir Sanctus & Propheta, revera meretrici fuisset junctus. Id confirmat *Epist. ad Pammachium*, ubi respondens iis qui contendebant hæc revera contigisse, quoniam Deo jubente erant præcepta; *Si omnia*, inquit, *quæ præcipiuntur ob causas, ut in similitudinem fiant, vere facta contendimus, ergo & Jeremias accinctus lumbari vestimento muliebri, inter innumerabiles nationes & Assyrios atque Chaldæos, Gentes inimicissimas Judæorum, ivit ad Euphratem ut ibi absconderet lumbare suum, & post multa tempora reversus invenit illud computruisse, quod nulli esset usui. Quomodo exire poterat & ire, tam longe, obsessa Jerusalem, exstructis per circuitum munitionibus, fossa, vallo, atque castellis? Qui cum semel ad Anathoth viculum suum, in tertio milliario ab urbe situm, voluisset exire in portam, capitur, & reductus ad Principes, quasi proditor verberatus, in carcerem mittitur. Si illud in typo, quia fieri non potuit; ergo & hoc in typo, quia si fiat turpissimum est. Sed nihil Deus præcipit nisi quod honestum est; nec jubendo turpia facit honesta quæ turpia sunt. Sed quia scimus nihil Deum velle nisi quod honestum est, hoc præcipit quod honestum est.* Hactenus ille.

Verosimilius tamen censent alii Patres & Interpretes cum S. Augustino [b], & Basilio [c], rem hanc non *per visionem*, sed *realiter* esse peractam, quia hoc exigit simplex narratio præcepti divini & facti, nempe obedientiæ Prophetæ; nominatur enim hic *maritus*, scilicet *Osea*; uxor *Gomer* nomine; uxoris mater *Debelaim*, primus tres filii Hebraice dicti: secundus Jezrael, quasi זרע אל *Zeraa el*, i. e. *Brachium Dei:* לא רחמה *lo rachuma*, i. e. *absque misericordia:* Tertius לא עמי *lo ammi*, i. e. *non populus meus*, quæ omnia significant non esse *Parabolam* sed *veram historiam*, ad increpandam & terrendam Judæorum Gentem, quæ ordinarias Prophetarum increpationes & monitiones spernens in Idolorum cultu & nefariis criminibus velut obdormierat. Jussio autem illa Dei, abstergebat ab hoc Prophetæ facto, omnem infamiæ & turpitudinis maculam; maxime cum, inquit S. Augustinus, [d] non juberetur fornicatio, sed meretrix relicta fornicatione, in castum & sanctum conjugium ad Prophetiæ veritatem & rei futuræ eventum, hoc facto demonstrandum, imperaretur assumendam.

b *lib. 3. de doct. Christ. cap. 12. & lib. 22. contra Faustum cap. 24.*
c *in Isaiæ cap. 8.*
d *lib. 22. contr. Faust. cap. 8.*

§. II.

De Prophetia Joel.

IV. QUis fuerit *Joel* Propheta, ex qua Tribu, quo tempore aut sub quibus vixerit Regibus, etiam Hebræis ipsis incertum est; nam Auctores inter se ea de re variant. Sunt enim qui eum vixisse Joramo regnante, ac prædixisse famem illam, cujus mentio fit II. Reg. VIII. v. 1. memoriæ prodiderunt: ita habes in scholiis D. Camii. Alii ejus ætatem referunt ad tempora Manassis: Sic Auctor *Seder Olam Zuta*, quod est, *Chronicon minus Hebræorum*, post Ezechiam, inquit, regnavit Manasses LV. annis, fuitque Sacerdos magnus Hosaias; Joel autem & Nahum, & Habacuc Prophetæ, S. Hieronymus *Prolog. in hunc librum*, Joelem facit coætaneum Oseæ Prophetæ: necnon *proœmio in Oseam*, ubi scribit: *Prophetante Osea, Esaia, & Joele, & Amos, & Abdia, & Jona, & Michæa, qui σύγχρονοι ejus fuere, hoc est, contemporanei, Regnum decem Tribuum est finitum.* Idem alibi, [a] *Hoc tamen*, ait, *vos a Paula & Eustochium, admonitas scire volo, unum librum esse* XII. *Prophetarum, & Oseæ σύγχρονον Isaiæ, Malachiam vero Aggæi & Zachariæ fuisse temporibus.* In quibus autem tempus non præfertur in titulo; sub illis eos Regibus prophetasse dicit, sub quibus & hi qui ante eos habent titulos, prophetaverant. Quæ si vera sint, consequens erit, sub eisdem Regibus Juda, Joelem floruisse, in quorum tempore Oseas vaticinatus est: Joel namque qui Hebraice idem est, quod *volens, incipiens*, vel *Domini descensus*, non profert ætatem qua Prophetaverit, sed solum præmittit se esse *filium Phatuel*, id est, *Suasionem Dei* aut *aperientem Deum*, ut *moraliter* significetur, quod qui suasionem Dei habuerit recte incipit prophetare.

Hic fere totus in hoc versatur, ut ostendat quanta mala orbi immineant, & præsertim populo Israelitico, maxime durissimam & universalem famem, non propter ariditatem terræ, cœli inclementiam, & aeris

a *Prolog. in libr. 12. Prophetar.*

ris siccitatem per VII. annos, qualis contigit temporibus Jorami filii Acab; sed quæ oriretur ex hostili devastatione, quæ segetes & vineas, omnesque fructiferas arbores exterminasset. Adhortatur propterea ad pœnitentiam & ad lamenta ut videlicet Judæi excidium suæ Patriæ per Chaldæos & Babylonios brevi futurum, indeque ejus Antitypum, judicium extremum, declinare valeant.

Tribus duntaxat Capitibus constat, duabus vero præcipuis Partibus: in quarum *prima* prædicit Judaicæ regionis devastationem, regiæ civitatis obsidionem, & populi captivitatem. *In secunda*, Judæos, quos ad pœnitentiam fuerat adhortatus, consolatur; promittendo Deum illis fore propitium, & tandem aliquando missurum Liberatorem, qui eos ab omni captivitate, tum Babylonica, tum Diabolica eximat: & insuper largiturum Spiritus S. gratiam in Judæorum filios effundendam; quam si spreverint, minatur divinam vindictam exercendam in finali judicio ad quod omnes Gentes convenire oportet *in valle Josaphath*, ut probis gloria, improbis pœna æterna decernatur.

§. III.

De Prophetia Amosi.

V. QUis qualisve fuerit *Amosus* dum ad prophetæ munus divinitus est assumptus, & quo tempore vaticinatus fuerit, aperte declarat ipse, cum ait initio: *Verba Amos qui fuit in Pastoribus de Thecue: quæ vidit super Israel in diebus Oziæ Regis Juda, & in diebus Jeroboam filii Joas Regis Israel, ante duos annos terræ motus.* Quibus verbis significat se pastoritiam artem excoluisse, & hominem fuisse plebeium ac rusticum, dum Deo vocante adlectus est in ordinem Prophetarum, sicut & ex rudibus & illiteratis piscatoribus Spiritus S. selegit Apostolos, qui verbum salutis annuntiarent universo mundo; neglectis interim tot magnificis & doctis viris, qui erant in regno Israel. Patriam & regionem in qua pastoritiam artem excolebat, exprimit addens. „ *De pastoribus Thecue*, hoc „ est de oppido *Thecue*, quod, inquit S. „ Hieronymus, sex millibus ad meridianam „ plagam abest a S. Bethleem, quæ mundi „ genuit Salvatorem: & ultra nullus est „ viculus, ne agrestes quidem casæ, & furnorum similes, quas Aphri Apellant *mapalia*. Tanta est eremi vastitas, quæ usque „ ad mare rubrum Persarumque & Æthyopum, atque Indorum terminos dilatatur. Et quia humi arido atque arenoso „ nihil omnino frugum gignitur, cuncta „ sunt plena pastoribus, ut sterilitatem terræ compensent pecorum multitudine.

Ex hoc numero Pastorum, & Amos propheta fuit, imperitus sermone, sed non sapientia. Idem enim qui per omnes Prophetas; etiam in eo Spiritus S. loquebatur. Fuit ergo Amos rusticus, & armentarius, id est, non solum pastor ovium; sed maxime Opilio, seu pastor Boum, Camelorum, Mulorum, Equorum, vel similium majorum animalium, ut luculenter ipse declarat cap. VII. v. 14. cum ad Amasiam Sacerdotem Bethel dixit; *Non sum Propheta, & non sum filius prophetæ sed armentarius ego sum vellicans sycomoros*, hoc est, officium meum non est prophetare, sed pascere armenta, Dominus tamen ab iis me abripuit, ut prophetæ munus impleam.

Tempus quoque quo Prophetaverit designat, dum ait, se munus istud impleviſse *in diebus Oziæ Regis Juda, & in diebus Jeroboam filii Joas Regis Israel ante duos annos terræ motus.* Contigit enim hic terræ motus ann. XXVII. Oziæ Regis, ac consequenter Amos hæc prophetantem biennio ante terræ motum, hoc est anno XXV. Oziæ vaticinari cœpit; tametsi nonnulli Chronologici censeant hunc terræ motum contigisse anno XXV. Oziæ; subindeque Amos anno ipsius regni XXIII. cœpisse prophetare. Scribit autem Josephus, [a] contigisse hunc terræ motum, ob nefarium sce- [a] *lib. 9. Antiq. cap. 11.* lus Oziæ Regis, quo ipse victoriis & secundis rebus in superbiam elatus, ausus est arrogare sibi munus Sacerdotale, & offerre incensum in altari Thymiamatis; quod quidem peccatum quatuor plagis Deus vindicavit. Nam *primo* statim ut rex Sacerdotibus prohibentibus eum aditu altaris, comminatus est mortem, terra tremuit ac vehementer concussa est. *Secundo* fisso superne templo radius Solis os regis ferit, quod e vestigio lepra contactum est. *Tertio* illo terræ motu, dimidium montis ad Occidentem vergentis revulsum est, & per quatuor stadia volutum, objectu demum Orientalis montis constitit, obstructa via publica, & oppressis ruina hortis regiis. Accessit *quarta* plaga, quod Rex lepra tactus templo & regno ejectus, usque ad mortem vitam privatam ab omni hominum consortio semotus juxta Legem egerit: in ejusque imperium fuerit suffectus filius ejus Joathan.

Observat insuper S. Hieronymus quod eo tempore apud Assyrios regnabat Sardanapalus, de quo insignis Orator, *turpior*, inquit, *vitiis quam nomine*: & apud Latinos Procas Sylvius, cui Amulius expulso Numitore germano succeſſit in regnum: quo interfecto, congregata pastorum & latronum manu, Romulus sui nominis condidit civitatem, igitur sub initia Romæ, Vaticinia sua Amos edidit. (44) VI.

(44) Joelis ætas incerta prorsus est nihilque certitudinis ex divinis Literis, vel ex indubiæ fidei Scriptore aliquo concludi potest. Amos autem æqualis fuisse Oseæ jure creditur ab Auctoribus cum in ejusdem libro legamus expresse sub iisdem Regibus esse vaticinatum. Non tamen eodem insimul tem-

VI. Habet autem hic Propheta argumentum commune cum reliquis prophetis contemporaneis, ut nimirum denuntiet Israelitis & Judæis futuras clades & calamitates, nisi a peccatis resipiscant; & postremo annuntiat regnum Christi futurum. Specialem vero hunc servat ordinem ut primum prophetet contra Gentes vicinas terræ Israel: deinde contra decem tribus: tertio contra tribum & regnum Juda, atque contra templum ipsius. Non tamen sunt hoc ordine pœnæ inflictæ, sed primo dissipatæ sunt Tribus Israeliticæ per captivitatem Assyriacam; Tribus Judæ per Babylonicam: demum vicinæ Gentes per Assyrios, aliosque orbis Domitores.

Scribit Adrichomius eum dum Prophetaret contra Israelem, vecte per tempora fuisse transfixum, & in Thecua sepultum: quod etiam confirmat S. Hieronymus in primum caput hujus libri scribens. *Hunc* (Amosum) *ablatum de numero pastorum misit Dominus, ut in Samaria prophetaret, quem Amasias Sacerdos* (vitulorum in Bethel) *frequenter plagis afflixit: tandem filius ejus Osee vecte per tempora transfixit. Post hæc semivivus in terram suam devectus, post aliquot dies dolore vulneris expiravit, sepultusque est cum patribus suis.* Eadem habentur in Romano Martyrologio, 31. Martii, ubi *Amos* sanctorum catalogo quasi martyr adscriptus legitur: ac Thecuæ sepultus dicitur.

§. IV.

De Prophetia Abdiæ.

VII. ABdias Hebraice עבדיה, *Hobadia*, i. e. *cultor* aut *servus Domini*, inter minores Prophetas ordine quartus est; tametsi enim anceps & ambigua sit apud Interpretes, de illius ætate sententia; nihilominus illum coævum fuisse Oseæ, Joeli, Amoso, & Michææ Prophetis, ut asserit S. Hieronymus, probabilius existimo: Hebræorum quidem aliqui existimant illum floruisse temporibus Achabi Israelitici regis: atque hunc ipsum esse Abdiam regiæ domus dispensatorem, qui ut legimus III. Reg. cap. XVIII. v. 4. *Timebat Dominum valde. Nam cum interficeret Jezabel Prophetas Domini, tulit ille centum Prophetas & abscondit eos, quinquagenos & quinquagenos in speluncis, & pavit eos pane & aqua.* Eam sententiam præ cæteris tuentur R. Selomoh Jarki & R. David Kimchi: „ aliter vero „ censet Aben-Ezra; Ignoramus, inquit „ ætatem ejus, neque possumus dicere eum „ esse cujus mentio fit in libro Regum; „ nam ibi scriptum est: *Abdias erat timens „ Deum valde:* si autem ille fuisset Propheta, quare vocaret eum Scriptura *timentem „ Deum* & non potius Prophetam, major „ quippe est Prophetæ dignitas. „ Auctor libri de vitis Prophetarum nomine S. Epiphanii inscriptus, illum censet Pentecontarchum qui ab Ochosia filio Achab ad Heliam missus, qui, duobus jam igne cælesti absumptis, similem pœnam suis precibus effugerit, deductoque ad regem Propheta, ei demum comes peregrinationis adhæserit, Clemens Alexand. lib. 1. strom. & Eusebius in Chronicis Heliæ duntaxat coævum illum faciunt, silent vero de reliquis.

Verum illum adhuc ætate inferiorem esse, & a nobis supra memoratis prophetis coævum verosimilius est; Tum quia si antea vixisset Abdias Propheta, cum ejus vaticinia maxime dirigantur in Idumæos haud dubie prædixisset cladem Iduneæ, factam ab Amasia rege Juda IV. Reg. cap. XIV. v. 17. de illa vero silet, eam duntaxat referens quæ facta est a Chaldæis: Tum quia a tempore Heliæ usque ad excidium Judææ & Idumææ cum affluxerint 308. annis, verosimile non sit Abdiam, prætermissis vicinioribus Idumææ cladibus, prophetasse solum illius excidium post trecentos annos: Tum denique quia Prophetia Amos eadem pene est cum Prophetia Jeremiæ cap. XLIX. v. 24. contra Idumæos. Est ergo probabile admodum quod cum Deus Idumæos per Davidem, Amasiam, & alios pluries emendare tentasset, videns eos hisce flagellis non resipuisse, per Abdiam denuntiavit eis plenum ultimumque per Chaldæos excidium. Cujus quidem denuntiationis nova hisce temporibus causa extitit: nam cum Rasin Syriæ Rex, & Phacea filius Romeliæ, Rex Israelis, Regem Achaz persequerentur armis, & Hierosolymam obsidione cingerent, Idumææ venerunt in partem periculi & prædæ, plurimisque Judæis interfectis amplas monubias extulerunt. Hinc illa Abdiæ in Idumæos ab Esau prognatos expostulatio versu 10. *Propter interfectionem, & propter iniquitatem in fratrem tuum Iacob, operiet te confusio, & peribis in æternum. In die cum stares adversus eum, quando capiebant alieni exercitum ejus, & extranei ingrediebantur portas ejus, & super Ierusalem mittebant sortem, tu quoque eras quasi unus ex eis.* (45)

Cuncta sua Vaticinia unico capite claudit,

tempore prophetandi munus utrumque suscepisse Prophetam ex circumstantia ab Amos proposita, dubio procul intelligimus. Accuratiores Chronologi Terræmotum ab Amos indicatum, quem biennio in vaticinando antevertit, contigisse opinantur ad annum circiter Oziæ 23. Alii tamen non minori probabilitate fortassis innixi ad alium revocant Oziæ annum validum illum terræmotum. Qui motum illum terræ circa annum Oziæ 23. contigisse opinantur, initium vaticiniorum hujus Prophetæ ad annum circiter Mundi 3216. reiciunt. (W)

(45) Sunt qui Abdiam post Jerosolymorum excidium prophetasse arbitrantur, variis ex ejusdem prophetia conjecturis permoti. In primis enim Idumæis ultimum imminere desolationis flagellum prædicit, quod ab iis ipsis inferetur eisdem, cum quibus fœdus firmaverant, comunique mensa utebantur; id

dit, in quo potiſſimum duo præſtat: invehitur namque in Idumæos propter eorum ſuperbiam, ſcientiam vanam, & mundanam, invidiam & malitiam erga Iſraelitas fratres ſuos, utpote oriundo a Jacob cujus frater Eſau Idumæis originem fecit. *Deinde* filiis Jacob maxime tribui Judæ promittit durationem perpetuam, & imperium, tum in Idumæos, tum in alias Gentes: quod utique contigit temporibus Machabæorum; ſed multo magis eventurum prænuntiat temporibus Chriſti: *Erit*, inquit v. 17. *in monte Sion ſalvatio, & erit ſanctus, & poſſidebit domus Jacob eos qui ſe poſſederant; & erit domus Jacob ignis, & domus Joſeph flamma, & domus Eſau ſtipula: & ſuccendentur in eis, & devorabunt eos, & non erunt reliquiæ domus Eſau.* Quanquam autem paucioribus verbis ſuam Prophetiam complexus fuerit Abdias, nihilominus, ait Hugo Victorinus in comment. cæteris prophetis non eſt inferior; *Eſt quidem ſermone ſimplex, ſed ſenſu multiplex, rarus in verbis, ſed copioſus in ſententiis.* Cui concinit Iſidorus lib. Allegor. *Abdias*, inquit, *id eſt*, SERVUS DOMINI, *inter omnes Prophetas brevior numero verborum, ſed gratia myſteriorum æqualis.*

§. V.

De Prophetia Jonæ.

VIII. JOnas, Hebraice יונה id eſt, *Columba pulcherrima*; ait S. Hieronymus, naufragio ſuo paſſionem Domini præfigurans mundum ad pœnitentiam revocat; & ſub nomine Ninivæ, Gentibus ſalutem nuntiat. Quis autem fuerit Jonas, & quibus ortus parentibus, atque ſub quo Rege vaticinatus fuerit, profert liber IV. Reg. XIV. v. 25. ubi de Jeroboamo filio Joas Regis Iſrael legimus; *Ipſe reſtituit terminos Iſrael ab introitu Emath uſque ad mare ſolitudinis, juxta ſermonem Domini Dei Iſrael, quem locutus eſt per ſervum ſuum Jonam filium Amaſi Prophetam, qui erat de Geth quæ eſt in Opher.* Geth autem (inquit S. Hieronymus) *in ſecundo Sephorim milliario, quæ hodie appellatur* DIOCÆSAREA, *euntibus Tyberiadem haud grandis eſt viculus, ubi & ſepulchrum ejus oſtenditur. Quanquam alii juxta Dioſpolim, id eſt, Liddam, eum & natum, & conditum velint; non intelligentes, hoc quod additur* OPHER, *ad diſtinctionem aliarum* GETH *urbium pertinere, quæ juxta Eleutheropolim, ſive Dioſpolim hodie quoque monſtratur.*

Vana ergo eſt regula illa quam idem laudat Hieronymus Præfat. in XII. Prophetas, ubi ex Hebræis profert, illum prophetam qui memorat nomen ſuum, & non nomen civitatis ſuæ, revera Jeroſolymitanum fuiſſe; fallit enim hæc regula, ſaltem in hoc Propheta, qui oriundus eſt ex vico Geth, quæ eſt in Opher pertinens ad tribum Zabulon. Fallit quoque eorumdem ſententia, qua putant Jonam fuiſſe illum viduæ Sareptanæ filium, quem ad vitam Helias revocavit, ac conſequenter vixiſſe temporibus ipſius Heliæ & Achab regis Iſrael. Cauſa credendi hæc eſt, quod Jonas dicatur prognatus ab *Amathi*, qua voce ſignificatur *veritas*; vidua autem illa poſt ſuſcitatum puerum dixit Heliæ. IV. Reg. cap. XXVII. v. 24. *Nunc in iſto cognovi quoniam vir Dei es tu, & verbum Domini in ore tuo verum eſt.* Volunt itaque filium illius Sareptanæ mulieris dictum fuiſſe *filium Amathi*, hoc eſt; *filium veritatis.* At Rabbinica ſunt hæc commenta, ſiquidem Jonas hic vates, Gethæus, non Sareptanus erat: ergo nec filius viduæ Sareptanæ.

IX. Jonas itaque temporibus Abdiæ, Oſeæ, Joel & Amos, ſub regibus Jeroboam Ozia, vel Azaria vaticinatus eſt, & a Deo delegatus in Niniven Civitatem grandem, in qua prima Aſſyriorum Monarchia ſedem ſuam fixit, tenuitque mille annos & amplius. Illam conditam eſſe ab Aſſur filio Sem filii Noe cenſet Joſephus, [a] & S. Hieronymus, [b] idque probant ex illo Geneſ. XVII. *Ex illa terra egreſſus eſt Aſſur & ædificavit Niniven.* At veroſimilius exiſtimant Interpretes per *Aſſur*, intelligi Ninum qui fuit conditor Regni Aſſyriorum, atque civitatem quam ædificavit ex nomine ſuo appellavit Niniven ut docent Euſebius, [c] Strabo, [d] & S. Auguſtinus. [e]

Hujus urbis area habuiſſe dicitur 400. ſtadia; complexaque eſt in orbem 1500. turres quæ mœnia habuerunt in altitudine centum pedes, in latitudine autem tanta erant, ut ternis plauſtris eſſent pervia, teſtibus Herodoto, & Diodoro, idque non obſcure ſignificat Jonas cap. III. v. 3. & 4. cum ait *Ninive erat civitas magna itinere trium dierum, & cœpit Jonas introire in civitatem itinere unius diei:* erat enim, inquit S. Auguſtinus, tanti ambitus, ut vix trium dierum poſſet itinere circumiri.

[a] *lib. I. Antiq. cap. 7.*
[b] *in locis Hebraicis.*
[c] *in Chronic.*
[d] *lib. 16.*
[e] *lib. 16. de civit. cap. 3.*

id autem eis ob injuſtam ſævitiam in fratres ſuos adhibitam eventurum pronunciat. Prædicit ulterius quod Jeroſolyma tandem reſtituetur, quod ſanctitas, & religio Montis Sion erit reverſura, & ab Iſraelitis tandem reſtitutis jugum Idumæis imponetur. Hæc itaque vaticinia illo temporis intervallo videntur emiſſa, quod inter everſam urbem, & Templum, atque vaſtatam Nabuchodonoſoris armis Idumæam interceſſit. Cum itaque anno 23. illius Principis depopulati ſint Babylonii Idumæam, anno autem 19. juxta Judæos, & 17. juxta Babylonios conflagratio urbis, & templi contigerit, compertum eſt Abdiam prophetaſſe inter annum 19. Nabuchodonoſoris completum, & annum 23. ejuſdem Principis; Calmetus hanc ſententiam, & Uſſerius ſequuntur, quibus Antonius Vitrè in Tabulis Chronologicis adverſatur, exiſtimans Abdiam Synchronum fuiſſe Oſeæ, Iſaiæ, & Amoſio. (W)

Quæ verba non ſunt eo ſenſu intelligenda, quaſi hoc iter ut vult Theodoretus, non tam viatorum profectione, quam commoda præconis prædicantis ambulatione, eſſet æſtimandum; hoc enim exilius videtur, quam ut ob id Ninive vocetur *civitas magna Dei*; cum etiamnum multæ ſint urbes non adeo magnæ, quæ tot habent flexus & reflexus, tot plateas & vicos, templa, &c. ut ſi quis hæc omnia luſtrare velit, facile triduum impendat. Igitur ita accipiendum eſt illud tridui iter, quaſi recta ab una extremitate ad aliam procedenti, neceſſarium fuerit tribus diebus ambulare.

Neque id incredibile videri debet, plurimæ namque ſunt civitates Ninive inferiores, quæ tamen niſi trium dierum ſpatio poſſunt directo tranſitu perluſtrari. Id præſertim de civitate *Quinzai* refert oculatus teſtis Paulus Venetus [a] & ex eo Ortelius in Theatro orbis in Tartaria: Scribit, *inquit*, M. Paulus, quem circa annum Domini 1260. ibidem habitaſſe conſtat, *Quinzai* centena milliaria in gyro comprehendere, Idem Odeticus aſſerit. Pontes lapideos habet duodecim millia, eoſque tam altos, ut naves magnæ erecto malo ſubter eos tranſeant. Magnus Cham ibi ſtativum præſidium triginta millium habet. Urbs admodum magnifica eſt & amœna: inde nomen quoque adepta eſt, cum *Quinzai* cœli civitas interpretetur.

[a] *lib. de rebus Oriental. cap. 64.*

X. Porro Deus Jonam delegavit in Niniven ut oſtenderet ſe Deum eſſe, non tantum Judæorum, ſed & Gentium, earumque curam habere & providentiam, etiam ſi corruptiſſimæ ſint & peſſimæ: ut inde appareat certum argumentum admirabilis Dei clementiæ in pœnitentes, qua reſipiſcentibus Ninivitis pepercit ac denuntiatam cladem condonavit. Quo argumento damnabatur Judæorum cæcitas & pervicacia quod Gentiles Ninivitæ ad unius prophetæ exhortatiúnculam tam auſteram tamque lugubrem pœnitentiam egerint; ipſi vero tot Prophetarum, ac toties ingeminatis clamoribus & concionibus obſurduerint, & magis fuerint indurati. Demonſtratur quoque eorum vana exiſtimatio, quod circumciſio & legis Moſaicæ obſervantia ad juſtitiam conſervandam ſit neceſſaria. Siquidem Ninivitæ abſque lege & Judaiſmo pœnitentia ſua, anteactæ impiæ vitæ labem abſterſerint, & veniam a Deo fuerint promeriti.

Jonæ libellus totus eſt hiſtoricus, continet enim de Jonæ ad Ninivitas miſſione narrationem; atque eam quidem duplicem: in quarum *prima* illius inobedientia & pœna divinitus propter eam inflicta declaratur. *Secunda* vero ejuſdem obſequium, prædicationem, & Ninivitarum converſionem enarrat. Inter Prophetas autem ob eam cauſam collocatur, quia vere propheta erat, ut apparet ex ſupra laudato lib. IV. Reg. teſtimonio: tametſi vaticinium illius annorum injuria perierit: & inſuper miſſus fuerat ad Ninivitas, ut eis ex parte Dei denuntiaret futuram cladem, certo certius venturam, niſi illam pœnitentia ſua antevertiſſent.

Mirari nemo debet quod Jonas nihil de Chriſto, quemadmodum cæteri prophetæ prænuntiaverit; *Hic* enim, ut notat S. Auguſtinus, [b] *non tam ſermone Chriſtum, quam ſua quadam paſſione prophetavit, profecto apertius; quam ſi ejus mortem & reſurrectionem ſcripto & voce prænuntiaſſet*; Utquid enim exceptus eſt ventre *belluino & die tertio redditus, niſi ut ſignificaret Chriſtum de profundo inferni die tertio rediturum*, quemadmodum Chriſtus ipſe declarat Matth. XII. & Lucæ XI. v. 29.

[b] *lib. 18. de civit. Dei cap. 30.*

§. VI.

De Prophetia Michææ.

XI. MIchæas (*Hebraicæ Micha*, id eſt, *pauper*; quia pauperem Chriſtum in Bethleem naſciturum prædixit & adumbravit. Vel per Craſim *Michiahu* id eſt, *quis ſicut ille*, aut *Michaia*, & *Micha jahu*, ut ſignificet idem quod *Michael*, id eſt, *quis ſicut Deus*) oriundus erat ex *Moraſthi* qui fuit viculus in tribu Juda juxta Eleutheropolim ad Orientem ejus. Vixit eodem tempore, & ſub iiſdem Regibus, quibus Iſaias, Oſeas, & Amos; ſi Oziam excipias, ut ipſe indicat cap. I. v. 1. Unde Jeremiam anteceſſit, a quo laudatus eſt cap. XXVI. v. 18. *Michæas*, inquit, *de Moraſthi fuit Propheta in diebus Ezechiæ regis Juda, & ait ad omnem populum Juda, hæc dicit Dominus exercituum, Sion quaſi ager arabitur*; Et cætera quæ habentur Michææ III. v. 12.

Duo fuerunt eodem Michææ nomine, Prophetico honore & dono illuſtres, antiquior claruit ſub Achabo & Joſaphath, qui II. Paralip. XVIII. aliquoties vocatur *Michajehu* penultima correpta: cujus maxillam percuſſit Sedechias Pſeudopropheta: hic vero noſter ſub Joathan, Achaz, & Ezechia; ſubinde fuit illo poſterior ad minus centum & quinquaginta annis. Diutiſſime vero nempe ad annos LX. circiter, vaticinatus eſt; Joathan enim regnavit XVI. annis, totidem Achaz; Ezechias vero annis XXIX. utrum autem prophetare cœperit initio regni Joathan, & deſierit ultimo anno Ezechiæ omnino incertum eſt.

Dici poteſt propheta catholicus, hoc eſt univerſalis, vaticinatur enim contra Reges, Judices Sacerdotes, & Prophetas falſos tum in Judæa, tum in Iſrael, prædicitque perditionem eorum, quod verbum Domini abjecerint, & ſine timore Dei vana ſint ſecuti. Neque tantum ad unam Gentem, ſed ad Orbem univerſum ſua dirigit vaticinia, orditur enim ab his verbis; *Audite populi omnes; & attendat terra; & plenitudo ejus:*

Ubi

Ubi per terræ plenitudinem omnes compellit homines terræ incolas, eodem pene exordio quo utitur Isaias, *Audite cœli, & auribus percipe terra*. Unde Michæas Isaiam æmulatur, utriusque enim stylus elegans est, acer, concisus, patheticus.

Martyrio coronatus est, gladio occisus, ait Theophylactus, unde Sanctorum Catalogo adscriptus legitur in Martyrologio die 15. Januarii his verbis: *In Judæa SS. Habacuc, & Michææ prophetarum quorum corpora sub Theodosio seniore divina revelatione reperta sunt*. Revelationem autem illam referunt Cassiodorus lib. 1. hist. tripartitæ cap. XLIX. Nicephorus lib. 11. cap. XLVIII. & Sozomenus lib. VI. cap. ult. ubi sermonem faciens de Habacuc & Michæa scribit. „ Amborum autem corpora per divinam in „ somnis visionem indicata sunt Sebenno „ tum temporis Eleutheropolis Episcopo. „ Erat autem nomen ejus civitatis *Chal* „ quæ antea *Cila* vocabatur, in qua repertus fuit Habacuc. At Barathsatia locus „ est circiter decem stadiis eb ea civitate „ distans, in quo Michææ sepulchrum erat, „ quod monumentum Fideles indigenæ, „ ignari quid dicerent, vocabant *Nephasa*, „ *Neemana*, id est, *animam fidelem*, lingua „ patria appellantes.

XII. Ejus liber capita habet septem, partes vero tres, in quarum *prima* accusat peccata ac scelera populi sui, eique impœnitenti exterminationem comminatur, maxime propter peccatum Idololatriæ commissum in Deum, calumniæ & injustitiæ erga proximum, incredulitatis & contumaciæ erga veros Prophetas; nimiæ vero credulitatis in Pseudoprophetas, tribus prioribus capitibus. In *secunda* vaticinatur de regno Christi, ministerio Apostolorum, eorum præcipue prædicatione per universum orbem propaganda, cap. IV. & V. Christi vero patientiam præsertim, ortum in Bethleem, generationem æternam a Patre, & temporaneam ex matre virgine prænuntiat cap. V. In *tertia* invehitur in Judæorum ingratitudinem cap. VI. & VII. prædicitque excludenda aliquando veteris Legis onera, & substituenda novæ Legis suavia consilia, quæ cum Judæi nonnulli rejecturi sint, adversus eorum moderationem repetit comminationes priores, tum ad futurum Christum se convertens, ei fidem suam & observantiam testatur, oratque ferventer, ut cito veniat pascere gregem populi sui.

CAPUT DECIMUMQUARTUM.

De aliis sex Minoribus Prophetis.

SUMMARIUM.

I. *Quis fuerit Nahum, & quibus prophetaverit?*
II. *Quo tempore sua ediderit vaticinia?*
III. *Multiplex veterum hac de re opinio.*
IV. *De Habacuc origine, & tempore quo prophetavit.*
V. *De vaticiniorum Habacuc divisione.*
VI. *Quis fuerit & quandiu sit vaticinatus Sophonias?*
VII. *Quale vaticiniorum Sophoniæ argumentum?*
VIII. *Quisnam extiterit, & quando prophetaverit Aggæus.*
IX. *Quis fuerit ille Darius qui Templi restaurationem in Jerusalem permisit?*
X. *De Zacharia, ejusque Parentibus.*
XI. *An sit quem Christus occisum dixit inter templum & altare?*
XII. *Quid de Malachia plures senserint Patres?*
XIII. *Quodnam argumentum vaticiniorum Malachiæ?*
XIV. *De ætate Malachiæ, & quod injuste a numero Prophetarum eum explodant Judæi recentiores.*

§. I.

De Propheta Nahum.

I. COlligi non potest e Scriptura sacra quo tempore & sub quo Rege Nahum, id est, *consolator*, inquit S. Epiphanius, prophetaverit. Censent tamen Hebræi in *Seder-Olam* ipsum vixisse temporibus Manassis impiissimi Regis, atque ob illius scelestissimam & nefariam vitam, prophetam nomen illius obticuisse, verum eorum lapsum demonstrat & merito arguit S. Hieronymus, & alii sacri Interpretes bene multi, ut infra compertum fiet. Oriundus erat ex *Elcese* viculo Galilææ de quo S. Hieronymus in Procœmio: *Quidam*, ait, *putant, Helkesæum patrem esse Nahum, & secundum Hebræam traditionem, etiam ipsum prophetam fuisse, cum Helkesæi usque hodie in Galilæa viculus sit, parvus quidem, & vix ruinis veterum ædificiorum indicans vestigia; sed tamen notus Iudæis, & mihi quoque a circumducente monstratus*. Quare minus recte nonnulli cum Vatablo, censent Nahum a familia cognominatum esse *Helkesæum*, quippe cum illam appellationem a loco nativitatis fuerit adeptus; significat autem vox *Helkesæ* idem ac serotinum seu tardum. Quamobrem Nahum recte *Helkesæus* dictus est, quia serotinam & tardam Dei in Ninivitas iram ille denuntiat. Cum enim Ninivitæ qui ad Jo-

nè prædicationem pœnitentiam egerant, atque intentata a Deo sibi supplicia suis lacrymis declinaverant, iterum ad sua scelera fuissent relapsi, Dei iram in se rursum concitarunt, præsertim cum tyrannice alias Gentes, ac nominatim Israelitas, puta decem Tribus expugnassent, & in captivitatem abduxissent: quocirca post Jonam ad eos delegavit Deus Nahum, qui Jonæ minas & paratam a Deo contra Ninivem vindictam iteraret & renovaret.

Observandum autem est, non ob primam Ninivitarum in scelera recidivam, excisum fuisse Assyriorum regnum, & Niniven eversam temporibus Sardanapali ut existimant Eusebius in Chronicis, & S. Hieronymus init. Comment. in Amos, & Augustinus lib. XVII. de Civit. Dei cap. XXI. asserentes imperium Assyriorum, una cum Sardanapalo fuisse extinctum. Revera quidem propter illum priorem Ninivitarum in crimina sub Sardanapalo relapsum, Deus illico vindicem manum in illos exeruit. Siquidem permisit ab Arbace Medo & Beloso Babylonio adversus Sardanapalum rebellantibus Niniven expugnari & Sardanapalum una cum suis thesauris ad mortem sibi conscisendam impelli. Rem hanc describit Justinus lib. I. ubi cum dixisset Sardanapalum fuisse mollissimum & effœminatissimum, subjungit qualiter Arbaces Medis propositus, invenit eum inter Scortorum greges purpuram colo nentem, & muliebri habitu, cum mollitie corporis & oculorum lascivia omnes fœminas anteiret, pensa inter virgines partientem. Quibus visis indignatus tali fœminæ tot ac tantos viros subjectos, ad socios refert quid viderit, negat se ei parere posse, qui se fœminam malit esse quam virum. Fit igitur conjuratio, bellum Sardanapalo infertur: quo ille audito, non ut vir regnum defensurus, sed, ut metu mortis mulieres solent, primo latebras circumspicit, mox deinde cum paucis & incompositis in bellum progreditur, victus in Regiam se recipit, & extructa pyra se & divitias in incendium mittit, hoc solo imitatus virum. Inde a Græcis dictus est, *Sardanapalus*, id *est*, *Morio*. Proprium enim ejus Assyriacum nomen erat *Tonosconcoleros* teste Eusebio in Chronic. & aliis.

II. Verum Ninive ab Arbace vastata postea refloruit, pluresque habuit Reges potentissimos, nimirum Phul, Teglatphalasar, Salmanasar, Sennacherib, & Asarhaddon, qui Israelitas vexarunt & oppresserunt, ut patet ex lib. IV. Regum; ac sub iis ad pristina scelera & tyrannidem rediit. Quocirca Dei vindictam & excidium ei, totique Assyriæ (hujus enim Metropolis erat Ninive) rursum comminatur hic Nahum; qui quasi novus Jonas novum proclamans supplicium, hasce minas ei intentavit, post abductas decem Tribus in Assyriam. Quod utique contigit anno sexto Ezechiæ IV. Reg. cap. XVIII. v. 10. & ante annum ejus decimum quartum; quo tempore Sennacherib Rex Assyriorum propter negatum sibi ab Ezechia solitum tributum, Judæam invasit, Jerosolymamque obsedit, sed interfectis ab Angelo percussore una nocte centum octoginta quinque millibus ex suo exercitu militibus, turpem fugam iniit IV. Reg. XIX. v. 35.

Ejus in Judæam adventum, & ab ejus vastatione Jerusalem liberandam prædicit Nahum, ut censet S. Hieronymus in proœmio, atque Theodoretus, & plures alii tum veteres cum recentiores Scripturæ sacræ Interpretes, qui affirmant Nahum floruisse Ezechia regnante, & cœpisse vaticinari tempore medio inter Israelitarum captivitatem & deportationem & Hierosolymitanam obsidionem, ita ut primum caput Prophetiarum Nahumi editum fuerit post deportatas decem Tribus; earum autem eventus & effectus contigerit cum Sennacherib copiæ ab Angelo deletæ sunt; & ipse Sennacherib Niniven redux a filiis interfectus est. Reliqua vero duo hujus prophetæ vaticiniorum capita, multis post annis ab ipso Nahum adversus Niniven fuisse adjecta, ita ut in unum contextum coaluerint cum vaticiniis in priori capite collectis; nimirum quod consimilis essent & ejusdem argumenti, & Assyriorum calamitates prænuntiarent, quæ videlicet essent futuræ in eorum ab Angelo exterminatore cum obsiderent Jerosolymam & Ninivitarum vastatione partim per Ciaxarum Medorum regem, qui Niniven cœpit & vastavit Josiæ temporibus, partim etiam ac præcipue cum eam Nabuchodosor, aliquot postmodum annis, funditus delevit,

Unde imperium Assyriorum a Chaldæis excisum non est ante Nabuchodonosorem, qui æqualis Joakim Judæorum Regis fuit, qua de re audiendus est S. Hieronymus statim laudatus; *Post Jonam*, inquit, *Michæas ponitur, & post Michæum Nahum, qui interpretatur consolator, jam enim decem Tribus ab Assyriis deductæ fuerant in captivitatem sub Ezechia rege Juda, sub quo etiam nunc in consolationem populi transmigrati adversus Niniven visio cernitur.* Nec erat parva consolatio, tam his (Israelitis, sive decem Tribubus) qui jam Assyriis serviebant, quam reliquis, qui sub Ezechia de tribu Juda & Benjamin ab iisdem hostibus obsidebantur, quod audirent Assyrios quoque a Chaldæis esse capiendos & vastandos.

Unde sequitur ab initio Prophetiæ Jonæ usque ad Nahum, fluxisse annos circiter nonaginta, vel 97. si Nahum uno duntaxat anno antequam Sennacherib oppugnaret Jerusalem vaticinari cœperit. Jonas enim prophetavit initio regni Oziæ regis Juda: cum autem hic regnaverit LII. ann. & ejus filius Joathan XVI. & totidem Achaz cui successit Ezechias cujus regni anno VI. vel ut volunt alii anno XIII. cœpit prophetare Nahum: sequitur inter Jonam & Nahum effluxisse annos circiter XC. vel XCVII. ab illius autem adversus Ninivitas vaticinio usque ad ejusdem eventum, puta excidium Ninives effluxerunt anni CXXXVIII. circiter; Enim vero si, ut mihi probabilior fert sententia, Nahum cœpit prophetare

anno

anno VI. Ezechiæ qui regnavit universim XXIX annis. Sequitur eum fuisse vaticinatum XXIII. ann. regni Ezechiæ, quibus si adiicias LV. regni Manasses, duos regni Amon; XXXI. regni Josiæ, undecim regni Joakim, & totidem regni Sedeciæ quando excisa est Jerusalem a Chaldæis, atque annos quinque dum post eversam Jerusalem ab iisdem Ninive vastata est, fiunt universim anni CXXXVIII. (46)

III. Emendandus itaque est Clemens Alexandrinus qui lib. I. strom. censet Nahum prophetasse post Ezechielem, puta post annum quintum transmigrationis ac deportationis Joakim in Babylonem. Castigandus pariter Josephus qui lib. IX. Antiq. cap. XI. cum Joathami coætaneum Nahumum statuat, dicit post annos centum & quindecim edita ab ipso adversus Ninivitas vaticinia, eventu fuisse comprobata; in Josiæ quippe ætatem incurret illud tempus, si a Joathami ætate initium feceris numerandi. Non etiam sequendi sunt Theodoretus & Cyrillus qui censent a Nahum prædici expugnationem Ninives per Cyrum faciendam, Niniven hauddubie accipientes pro Babylone, quam Cyrus cœpit & suæ ditioni subjecit. Multo minus audiendi supposititii Epiphanius & Dorotheus, in libris de vita & morte prophetarum qui vaticinationes Nahum aliorsum detorquentes, volunt eum præsignificasse Niniven subvertendam terræ motu, igneque subterraneo: „ Hic est pro„ pheta ille, inquit Pseudo-Epiphanius, qui „ post Jonam ostentum ac prodigium dedit „ super Ninive, quod ab aquis dulcibus, „ igneque terreno olim vastaretur. Id quod „ tandem contigit; quippe eam terræ motu „ undique ambiente, mox etiam aqua de „ solitudine superveniens, superiores omnes „ urbis locos occupavit. Expiravit vero „ Nahum animam in pace, & in Begabar „ sedibus ille suis placidis in morte quie„ scit. Verum hujus eventus nulla apud ipsum Nahum occurrit notatio, imo cap. III. distincte prædicit Niniven vi armorum esse oppugnandam; *Vox flagelli*, inquit, *& vox impetus rotæ, & equi fremmentis, & quadrigæ ferventis, & equitis ascendentis, & micantis gladii, & multitudinis interfectæ, &c.* Quæ manifeste declarant bello vastandam esse Niniven, & flammis hostilibus, non autem naturali aquarum aut ignium eruptione absumendam.

Constat autem prophetia hæc tribus partibus & totidem capitibus. In quorum *primo* Nahum ut diximus, prædicit Assyriorum cladem, ab Angelo interfectore tempore obsidionis Jerosolymæ. In *secundo* prænuntiat futurum excidium Ninives, non prout a Jona factum fuerat sub tacita resipiscentiæ conditione, sed absolute, quod ita a Deo constitutum esset. In *tertio* declarat causas quibus gravem istam Dei in se animadversionem fuerant commeriti, futurumque ut Ninive quæ antea cunctis fuerat terrori, omnibus Gentibus esset ludibrio.

§. II.

De Prophetia Habacuc.

IV. SUb quibus Regibus vixerit Habacuc, & quibus parentibus natus aut ortus genere, ex Scriptura aperte concludi nequit. S. Hieronymus proœmio in hunc librum, existimans non alium esse Habacucum hunc, quam qui cibaria suis messoribus præparata ad Danielem in lacu leonum jacentem ab Angelo per aera vectus detulit, censet illum post excidium Jerosolymæ & captivitatem duarum Tribuum Juda & Benjamin prophetasse.

Chaldæus Paraphrastes & veteres Hebræi putant illum filium fuisse Sunamitidis mulieris, quem vitæ restituit Elizæus, argumento ducto ex convenientia nominis *Habacuc* cum verbis quibus Elizæus Sunamitidi filium pollicitus est חבק id est, *amplecteris filium*: Habacuc enim deducitur a radice חבק *Chabac*, vel *Habac*, id est amplexari, complecti, stringere. Verum utraque sententia a scopo deflectit; illa quidem Habacucum recentiorem; hæc vero antiquiorem efficiendo. Peccat, inquam, hæc per excessum, quod Habacucum constituat temporibus Elizæi, qui floruit sub Josaphath rege Juda. Habacuc vero vates noster, ut statim dicemus, vixit temporibus Manassis centum circiter & octoginta postmodum annis: illa vero peccat per defectum, siquidem illum expugnatione Jerosolymæ & vastatione Judaicæ regionis recentiorem æstimat, cum tamen utramque prænuntiaverit ac subinde illas antecesserit.

Quamobrem longe probabiliorem censeo sententiam recentiorum Judæorum existimantium Habacucum vaticinatum esse temporibus Manassis impiissimi regis, cujus flagitia non obscure stringit cum ait cap. I. v. 4. *Factum est judicium & contradictio potentior, propter hoc lacerata est lex & non*

(46) Ante annum 15. Ezechiæ Regis Juda Nahum sua promulgare vaticinia non incæpisse opinantur Calmetus, Prideauxius, Antonius Vitré, aliique eruditissimi Scriptores, quibus refragatur prorsus Usserius in annum I. Joathami prophetias Nahum reiiciens; cum tamen iste Propheta Cap. 2. videatur Israelitarum dispersionem, & Sennacheribbi consilium de evertenda Jerusalem veluti res præteritas commemorare; de Juda autem sic agat quasi de populo suam terram habitante, ad tempus, Nahum vaticinia referenda videntur, quod Calmetus, aliique præscribunt. (W)

non pervenit usque ad finem judicium, quia impius prævalet adversus justum, propterea egreditur judicium perversum. Et vers. 13. Deum sic compellat; *Quare respicis super iniqua agentes, & taces devorante impio justiorem se.* Deinde significat propter grassantem illam per Judaicum regnum Manassis impietatem, & Regis ad exemplum Judæorum omnium depravationem, ac in Deum perduellionem & contemptum brevi futurum, ut eos tradat Deus, criminum vindex in manus Chaldæorum: *Ecce ego,* (inquit nomine Dei) *suscitabo Chaldæos gentem amaram & velocem, ambulantem super latitudinem terræ, &c.* Ubi non rem factam describit, sed faciendam: Ista ergo vaticinia non in ipsa captivitate, sed ante eam edita sunt, ac subinde Habacuc Danielis non fuit æqualis, sed illorum prophetarum qui temporibus Manassis vaticinati sunt: quippe Deus suscitaturum se Chaldæos adversus Judæos prænuntiat; nondum ergo, cum ista scriberet Habacuc, erant suscitati.

Neque his officiunt verba paulo antecedentia vers. 5. *Aspicite in Gentibus & videte, admiramini & obstupescite; quia opus factum est in diebus vestris quod nemo credet cum narrabitur.* Hebraicum etiam exemplar futurum non habet, *faciam;* sed præsens, *facio;* unde LXX. vertunt *opus ego facio.* Verum, ut dixi, ista non obsunt, cum enim res futuræ Deo sint præsentissimæ, & Prophetæ rerum eventus habeant in prospectu; rem futuram, interdum ut præsentem, aut ut præteritam enuntiant; quo eorum prædictio constantior & firmior habeatur. Unde Symmachus, teste S. Hieronymo, [a] vertit, *opus fiet in diebus vestris,* quod concordat commati sequenti; *Ecce ego suscitabo Chaldæos.* Itaque Habacuc illam Chaldæorum in Judæos grassationem haudubie antecessit, sicut & Manassis pœnitentiam, qui in captivitatem deportatus detestari cœpit anteactæ vitæ crimina, & ad Deum conversus, suo regno restitutus fuit II. Paralip. cap. XXVIII. v. 13. Huic sententiæ adstipulantur Hebræi in Seder Olam Zuta quod est Chronicon Hebræorum minus, *Post Ezechiam regnavit Manasses* XXV. *annis: fuitque magnus Sacerdos Hosaias, Ioel autem & Nabum, & Habacuc Prophetæ.* Locus iste plenius citatur in Scoliis Chamii Hebræi, *Ioel, Nabum & Habacuc prophetarunt in diebus Manasse: & quia Manasse non erat rectus, ideo non memoratur nomen ejus apud dictos Prophetas.* Citatur autem ex Seder Olam, R. Salomo in notis ad Joelem, in Hajachoth Galodoth invenitur, *Ioel & Nahum & Habacuc fuerunt in diebus Manasse.* (47)

V. Partes vaticiniorum Habacuc pro numero capitum tres sunt; In *prima* Judæis impiis denuntiat exitium, ob varia eorum peccata; In *secunda* prædicit Chaldæis futuram Dei in illos animadversionem propter ingentia eorum scelera, maxime vero quod Chaldæi victoriam suam, non Deo in Judæos vindici, sed suis Idolis tribuerint, quam iniquitatem plurimum exaggerat. *Tertia* vero pars, complectitur carmen Eucharisticum seu Canticum gratiarum actionis, quo tam judicia Dei adversus hostes, quam exuberantem Dei misericordiam in missione Messiæ redemptoris commendat.

[a] *in 1. cap. Habacuc.*

§. III.

De Prophetia Sophoniæ.

VI. SOphonias Hebraice idem est ac speculator Domini, vel absconditus Domini. Oritur enim aut a radice צפה *tsapha* id est *speculari* & יה ia, quod per crasin est Jehova: vel a radice צפן *tsaphan*, id est, *abscondit*. Unde S. Hieronymus in Commentario, *nomen Sophoniæ*, inquit, *alii speculam, alii arcanum Domini transtulerunt. Sive igitur specula, sive* ABSCONDITUM DOMINI *interpretetur, utrumque Prophetæ convenit; dicitur enim ad Ezechielem, filii hominis, speculatorem te dedit Domui Israel. Iste ergo Propheta, qui erat in speculis, & in sublimibus constitutus, noverat mysteria Domini, &c.* Quis fuerit, qualibusve parentibus ortus & sub quibus Regibus vixerit, initio sui operis declarat: sic enim orditur *Verbum Domini quod factum ad Sophoniam filium Chusi, filii Godoliæ; filii Amariæ, filii Ezechiæ, in diebus Josiæ filii Amon,* „ Quæ ver„ ba ponderans S. Hieronymus, Sophonias, „ ait, Propheta nomine ut ipsa dicam pro-

„ phe-

(47) Sententia Frassenii de Habacuc vaticiniis sub Manasse prædicatis firmari non leviter potest ex divinæ Scripturæ testimonio Lib. 4. Regum Cap. 21. ℣. 10. ita expresso = Locutusque est Dominus in manu servorum suorum Prophetarum dicens: quia fecit Manasses Rex Judas abominationes istas pessimas &c. propterea... ego inducam mala super Jerusalem, & Judam: ut quicumque audierit tinniant ambæ aures ejus =. Hæc verba utique similia sunt iis quæ Habacuc cap. I. ℣. 5. pronunciavit = Aspicite in gentibus, & videte, admiramini, & obstupescite: quia opus factum est in diebus vestris, quod nemo credet cum narrabitur; quia ecce ego suscitabo Chaldæos gentem amaram, & velocem..... omnes ad prædam venient, facies eorum ventus urens, & congregabit quasi arenam captivitatem = Graphice S. Propheta pinxisse videtur captivitatem Babylonicam Judæorum vel incursionem Chaldæorum in Judæam, dum Manasses catenis vinctus Babylonem perductus fuit. Hanc qui statuunt Habacuco ætatem diversum esse opinantur ab illo, qui abreptus ab Angelo prandium Danieli in fovea leonum commoranti subministravit. Minime tamen spernenda quinimmo verosimilior videtur eorum opinio, qui Habacuchum prophetasse ad initium regni Joachim, circa annum Christi ortum præcedentem 609. ut Prideauxio videtur, qui postea idem omnino esse potuit cum Habacuco Danielis. (W)

„ phetico, & glorioſa majorum ſuorum ſtir-
„ pe generatus eſt: habuit enim patrem
„ Chuſi avum Godoliam, proavum Amariam,
„ atavum Ezechiam, & talem quadrigam
„ ipſe, velut extremus auriga complevit.
„ *Deinde* ſymbolice nomina eorum expli-
„ cans: „ *Filius erat Chuſi*, inquit, *qui interpretatur humilitas: habebat quoque avum Godoliam, qui dicitur magnitudo Domini, & proavum Amariam, qui & ipſe vertitur in ſermonem Domini; Atavum Ezechiam qui ſonat fortitudo Domini. De fortitudine itaque Domini natus eſt ſermo Domini, & de ſermone Domini nata eſt magnitudo Domini, & de magnitudine nata eſt humilitas, ut cum pervenerit aliquis ad perfectum, dicat, quia non ſum dignus vocari Apoſtolus.*

Nonnulli ſunt Hebræorum doctores qui cenſeant Ezechiam atavum Sophoniæ eſſe Ezechiam regem Juda, ita ut ejus abnepos fuerit Sophonias. Verum hallucinantur: Tum quia, id, hauddubie non tacuiſſet Sophonias, qui ex genere ſibi auctoritatem conciliat; Tum quia ab Ezechia uſque ad Joſiam, cujus tempore prophetavit Sophonias, non niſi tres generationes ſunt; ab altero autem Ezechia uſque ad Sophoniam quatuor. Nec eſt quod reponas has quatuor breviores eſſe tribus illis: potuerunt ſane tales eſſe; ſed quod revera fuerint non eſt probabile: nam inquit Ribera a primo anno regni Ezechiæ uſque ad Joſiam, anni ſunt ſex & octoginta: ſi autem ſingulis majorum Sophoniæ triginta ætatis annos demus, quod breviſſimum tempus eſt, centum fient & viginti. Tum denique quia nullum legimus in Scriptura filium Ezechiæ regis, præter Manaſſem, ut apparet ex IV. Reg. XVII. ſed præſertim I. Paral. III. ubi fuſius agitur de generationibus Regum Juda.

Ætatis ipſe ſuæ tempus definivit cum ait verbum Domini ad ſe factum *in diebus Joſiæ regis Juda*, hoc eſt, circa initium regni Joſiæ, & ante decimum octavum annum ejus ætatis, antequam videlicet piiſſimus ille rex, prophanos & ſacrilegos idolorum cultus a Manaſſe inductos ſuſtuliſſet, quod in duodecimum ipſius annum ab initio regni Paralipomena conferunt lib. II. cap. XXXIV. Invehitur enim Sophonias in Idololatras, & flagitioſos Judæorum ritus, ac objurgatione arguit his verbis cap. I. v. 5. *Extendam manum meam ſuper Judam, & ſuper omnes habitantes Jeruſalem: & diſpergam de loco hoc reliquias Baal, & nomina Ædituorum cum Sacerdotibus & eos qui adorant ſuper tecta militiam cœli*, &c. Hæc autem ipſa ſunt quæ Joſias præſtitit, ut diſcimus ex IV. Reg. XXII. v. 4. *Præcipit Rex Helciæ Pontifici & Sacerdotibus ſecundi ordinis, & Janitoribus, & projecerunt de templo Domini omnia vaſa quæ facta fuerant Baal & in Luco & univerſæ militiæ cœli.* Unde argumentum eſt, Sophoniam prophetaſſe pluſquam octoginta annos poſt captas & in captivitatem traductas ab Aſſyriis decem Tribus Iſrael; nec multo ante captivitatem duarum aliarum, ſcilicet Judæ & Benjamin. (48)

Coætaneum & æqualem habuit Jeremiam qui cœpit vaticinari anno XIII. Joſiæ, ut ipſe indicat cap. I. Necnon & prophetiſſam Holdan, ut apparet ex IV. Reg. cap. XXII. Unde tradunt Hebræi Jeremiam publice prophetaſſe in plateis, Sophoniam in Synagogis, Holdan inter mulieres; quæ utrum vera ſint, fides ſit penes Auctores.

VII. Argumentum hujus prophetiæ præcipuum eſt, deterrere duas Tribus ab omni idolorum cultu, per comminationem appropinquantis devaſtationis Jeroſolymitanæ civitatis, & totius regni Juda. Ejus enim vaticinia tribus capitibus & totidem partibus continentur: quarum *prima* denuntiat futuram cito Dei vindictam in habitatores Jeruſalem, maxime Reges, Sacerdotes, & Principes propter abjectum Dei cultum, & graſſantem Idololatriam. *Secunda* denuntiat exterminium aliarum Gentium vicinarum, præſertim Philiſtinorum, Moabitarum, Ammonitarum, Æthiopum, Aſſyriorum & Babyloniorum. In *tertia* afflictos Judæos conſolatur promiſſione adventus Chriſti, & conſtitutione regni ipſius, ac promiſſione futurorum bonorum per ipſum, omnia mira & luculenta brevitate perſtringens, itaut quæ plurimis verbis Jeremias effundit, paucioribus ipſe complectatur.

§. IV.

De Prophetia Aggæi.

VIII. AGgæus Hebraice עגי *Chaggai*, ſive חגי *Chaggæus*, id eſt, feſtivus, feſtum agens, a radice חגג *Chaggag*, id eſt, feſtum celebravit. Unde S. Hieronymus ad Paulinum; *Aggæus*, inquit, *feſtivus & lætus, qui ſeminavit in lacrymis, ut in gaudio meteret, deſtructum Templum ædificat, Deumque Patrem inducit loquentem. Adhuc modicum, & ego commovebo cœlum & terram*, &c. Quo tempore ſpiritu Prophetico donatus, vaticinatus fuerit, declarat initio, *In anno*, inquit, *ſecundo Darii Regis in menſe ſexto, in die una menſis factum eſt verbum Domini, in manu Aggæi Prophetæ.* Non meminit Regum Juda, quoniam eo tempore, Rege carebant Judæi, & Regibus Perſarum erant ſubjecti; quamvis enim ex parte ſoluta eſſet Babylonica captivitas, nondum ple-

(48) Si poſt annum Joſiæ Regis primum Sophoniam Prophetam paruiſſe ſupponamus, jam ejus vaticinia edita comperientur anno ante Chriſtum 640. anno autem a creatione Mundi 3364. Periodi Julianæ 4074. Periodi autem Græco-Romanæ 4854., undecim annis nimirum ante Prophetam Jeremiam. Quandiu vixerit, & quanto in Prophetæ munere perſeveraverit eſt incertum ſi Scripturam attendamus. (W)

plena libertate donabantur, sed a Persarum Regibus pendebant.

Unde tametsi Cyrus fecisset illis facultatem patriam repetendi, templumque restaurandi, nihilominus eo paulo post occiso a Tomyri Scytharum Regina, cum ei in regnum Persarum successisset filius Cambyses, sive, ut eum appellat Esdras, Chaldaice *Assuerus*, Persice autem *Artaxerxes*, hic persuasus a Sannaballath, aliisque Samaritanis Judæorum hostibus, quod Judæi in speciem quidem templum, sed revera munitissimam arcem, quasi rebellaturi ædificarent, vetuit fabricæ continuationem, ut inquit Esdras. [a] *Tunc intermissum est opus Domus Domini in Jerusalem, & non fiebat usque ad annum secundum regni Darii Regis Persarum.* Judæi namque videntes ab adversantibus sibi hostibus, & propter Regis interdictum, tot tantasque fieri fabricæ remoras, intermiserunt opus dicentes, nondum advenisse tempus Domus Dei ædificandæ.

[a] *lib. 1. cap. 4. v. 24.*

Quapropter anno II. Darii Aggæum & Zachariam suscitavit Deus, ut illos objurgarent quod relicta templi fabrica domibus propriis extruendis incumberent; hoc declarat Esdras cap. V. *Prophetaverunt autem*, inquit, *Aggæus Propheta & Zacharias filius Addo prophetantes, ad Judæos qui erant in Judæa & Jerusalem in nomine Dei Israel. Tunc surrexerunt Zorobabel filius Salathiel & Josue filius Josedech, & cœperunt ædificare templum Dei in Jerusalem, & cum eis Prophetæ Dei adjuvantes eos.* Unde colligit S. Hieronymus in Prologo, eorum Prophetarum constantiam & animi magnitudinem; *Sciendum*, inquit, *est magni spiritus fuisse Aggæum & Zachariam prophetas ut adversus Artaxerxis Regis Edictum, & Samaritanos, Gentesque cunctas per circuitum ædificationem Templi impedientes, juberent Templum extrui:* Zorobabel quoque, & Jesum filium Josedech, & populum qui cum eis erat, non minoris fidei, ut Prophetas magis audirent jubentes, quam prohibentis Regis imperium. Igitur Aggæus & Zacharias eodem tempore vaticinati sunt, anno scilicet secundo Darii: sed Aggæus mense sexto, Zacharias autem mense octavo ut initio prophetiæ suæ declarat. (49)

IX. Quis autem fuerit Darius ille cujus animum, inquit Esdras cap. VI. Deus ita flexit, ut Templi fabricam non tantum permitteret, sed & edicto suo promoveret, jubens ex tributis regiis præberi sumptus ad fabricam & sacrificia necessarios, varie disputant Auctores. Nam S. Cyrillus Hierosoly. [b] Tertullianus, [c] & nonnulli Recentiores cum Genebrardo, putant eum esse *Darium Medum*. At illorum lapsus apparet ex eo quod Darius Medus præcesserit Cyrum; nam Cyrus ei successit, ut ait Daniel cap. V. v. 31. Aggæus autem prophetavit post Cyrum & Cambysem, ut patet I. Esdræ IV. v. 5. & 24 & cap. V. 1. Cyrus enim concessit fabricam Templi, sed eam prohibuit Cambyses. Unde post Cambysem sub Dario missus est Aggæus, qui eam rursum urgeret. *Adde* Darium hunc, non fuisse Medum, sed Regem Persarum. Ita enim vocatur I. Esdræ IV. 24.

[b] *Catech. 2.*
[c] *lib. adversus Iudæos.*

Severus Sulpicius lib. II. hist. Scaliger in emendatione temporum, Drusius in Commentario, & alii plurimi Recentiores censent Darium hic memoratum eum esse qui dictus est *Nothus*, quod natus esset ex uxore non legitima: ita ut Artaxerxes ille qui I. Esdræ cap. VII. misit ipsum Esdram in Jerusalem, is fuerit qui cognominatus est *Mnemon*, id est, *memor*, a memoriæ præstantia. Hic enim successit Dario Notho. Verum hoc est incredibile. Sic enim Esdras fuisset ducentorum fere annorum, uti Scaliger lib. VI. de Emend. temp. coactus fatetur: Zorobabel & Jesus, qui sub Cyro populum e Babylone reduxerunt in Jerusalem, fuissent CXL. annorum, cum tamen lib. III. Esdræ cap. III. v. 4. Zorobabel vocetur *Adolescens*, & unus e custodibus Darii. Ejusdem pariter ætatis fuisset Aggæus. *Deinde* sequeretur ex ea sententia neminem eorum qui viderant primum Templum Salomonis, quod a Chaldæis, fuerat eversum, potuisse videre secundum a Zorobabele ædificatum: nam si LX. annis captivitatis, adiicias tres annos Cyri, octo Cambysis, XXXVI. Darii Hystaspis, XX. Xerxis, XL. Artaxerxis, cui successit Darius hic Nothus conflabis annos CLXXVII. quandiu nemo ea ætate vixit. At Aggæi II. v. 4 constat aliquos, qui viderant primum Templum ante captivitatem, vidisse etiam secundum post restitutam libertatem: Itaque Darius ille cujus meminit Aggæus non est DARIUS NOTHUS.

Plurimum in hoc eluendo argumento æstuat Scaliger, ne cogatur fateri ex sua sententia consequi homines hac ætate superfuisse CLXXVII. annis majores, atque ita verba hæc Aggæi *Quis in vobis est derelictus qui vidit domum istam in gloria sua prima? Et quid vos videtis hanc nunc? Nunquid non ita est, quasi non sit in oculis vestris?*

(49) Propheta Aggæus evidenter per semetipsum declarat quod in mense sexto anni secundi Darii Regis exceperit Domini verbum Zorobabeli Judæorum Duci, & Jesu Josedechi filio communicandum, pro Jerosolymitani Templi restitutione. Darius autem iste alius cum a nobis minime supponatur, quam qui a Frasseno proponitur, cumque annus secundus Regni Darii Hystaspis in annum incidat Mundi 3484., qui est ante Christum 520. Periodi autem Julianæ 4194, & Periodi Græco-Romanæ 4974., satis fit palam tempus, quo vixit S. iste Propheta.

Eodem pariter anno Spiritum Domini legimus factum super Zachariam Prophetam, qui eamdem Templi causam cum Aggæo perurgebat, duobus tantummodo mensibus in prophetando posteriorem esse Aggæo Zachariam compertum est. Tribus solummodo mensibus ex Scriptura colligere possumus quod prophetaverit Aggæus cum ultimum ejus vaticinium die 24. Mensis noni ejusdem anni secundi Darii editum scribat ipse Propheta. Nil de ejus morte, vitæque duratione possumus certi definire, quidquid Pseudo-Epiphanius venditaverit Zacharias autem ultra annum Darii Hystaspis quantum sua protraxisse vaticinia certum est; incertum autem quidquid de ejus morte profertur. (W)

ſtris? Vult ita eſſe accipienda, quaſi diceret, Propheta: ſi quis veſtrum domum priorem vidiſſet, quam parvi hanc illa longe inferiorem faceret. Verum iſtam, Scaligerianam eluſionem præcludit Eſdras lib. I. cap. III. v. 12. his verbis: *Plurimi, etiam de Sacerdotibus & Levitis, & Principes Patrum, & Seniores qui viderant Templum prius cum fundatum eſſet, & hoc Templum in oculis eorum, flebant voce magna, &c.* multi igitur ſupererant anno primo Cyri, vetuſtiores Templi excidio, & quidam ex illis ad annum ſecundum Darii Hyſtaſpis vitam protraxerant, qui annus a primo Cyri decimus octavus fuit.

Unum eſt quod opponant Scaligerianæ doctrinæ Patroni, illud videlicet Zachariæ I. 13. *Et reſpondit Angelus Domini & dixit Domine Deus exercituum, uſquequo tu non miſereberis Jeruſalem; & urbium Juda, quibus iratus es, iſte jam ſeptuageſimus annus eſt.* Ex quibus verbis ſic argumentantur: Aggæus ac Zacharias eodem tempore vaticinantes, prophetarunt anno LX. At annus ille ſeptuageſimus non eſt is, qui computandus erat ab excidio urbis & Templi Jeroſolymitani: oportet ergo aliunde repetatur illius temporis exordium. Id autem aliud eſſe non poteſt quam a primordiis Regni Aſſueri, quem illi Xerxem eſſe ſtatuunt; & apud quem accuſati ſunt Judæi, atque graviſſimis deinde calamitatibus oppreſſi, idque per LX. annos, quos Zacharias commemorat. Hi vero ab illo tempore numerati anni ſeptuaginta finiunt anno ſecundo Darii Nothi, ſubindeque, inquiunt, Darius ille ab Aggæo memoratus, non alius eſt quam Nothus.

Verum Zachariæ verba ad literam non eſſe accipienda, aperte ex eodem colligitur. Nam anno ſecundo Darii, ſimiliter & quarto, ſeptuageſimum annum commemorat, ut apparet ex cap. VII. ubi dicit ſe vaticinari anno IV. Darii Regis; & tamen v. 5. ait ad Sacerdotes, *Cum jejunaretis & plangeretis in quinto & ſeptimo per hos ſeptuaginta annos; nunquid jejunium jejunaſtis mihi?* Itaque ſi Propheta hic ſpecialem LX. annorum ſeriem aliam a LX. annis captivitatis iniret, quam finiendam diceret in anno ſecundo Darii; certe anno quarto ejuſdem, numeraſſet non LX. ſolum, ſed LXII. annos: utrobique tamen numeratur tantum ſeptuageſimus; argumentum ergo eſt, non alios hic eum commemorare LX. annos, quam qui captivitati fuerant definiti: quos utique jam impletos fuiſſe Angelus Deo repræſentat, ut eum ad miſericordiam flectat erga populum ſuum, quatenus eliminet omnia obſtacula quæ Templi & civitatis Jeroſolymæ reſtaurationem remorabantur.

Concludendum itaque Darium hunc, non alium fuiſſe quam Hyſtaſpis filium, qui fuit Eſtheris conjux; hic enim propenſiſſimus fuit in Judæos ut apparet ex Heſtheris hiſtoria quæ, inquit S. Auguſtinus (lib. XVIII. de Civit. cap. XXXVI.) circa Aggæi Malachiæ, & Zachariæ tempora, (verius, eorum temporibus) contigit. Anno itaque hujus Darii ſecundo, cœperunt Judæi reſumere fabricam Templi, ſollicitante Aggæo, cum ſuis adhortationibus, tum minis.

Omnia ſua vaticinia duobus capitibus claudit, totidemque partibus; in *prima* elidit tres excuſationes Judæorum de differenda Templi fabrica; in *ſecunda* vero ſpondet Zorobabeli fabricam illam reſumenti & urgenti, Chriſtum ex ejus ſtirpe naſciturum; atque Templum ab eo ædificatum, tametſi amplitudine, ornatu, & decore Salomonico longe eſſet inferius. Attamen illo celebrius ac illuſtrius foret, propter venturi Meſſiæ præſentiam, qui iſtud ſua doctrina ac miraculis erat decoraturus.

§. V.

De Prophetia Zachariæ.

X. ZAcharias, id eſt, *memor Domini ſui*; oritur enim a זכר *Zachar id*, id eſt, recordatus eſt Dei; vel quaſi זכריה *Zecher ia*, id eſt memoria Dei, appoſite nominatus eſt; quippe cum omnium mirabilium quæ Deus per Prophetas cæteros ſparſim prædixerat, in hoc uno utpote pene Prophetarum ultimo, velut in appendicem & ſynopſim ac memoriale fecerit; ut merito jure quis dixerit Deum in illo, feciſſe memoriam mirabilium ſuorum. Eodem tempore quo Aggæus (ſi duos menſes detrahas) vaticinatus eſt; habetque idem quod ille argumentum, inſtans pari fervore ædificationi Templi Hieroſolymitani; etiamſi potius videatur urgere reſtaurationem civitatis quam Templi.

Parentum ipſe ſuorum index eſt; ſe quippe *filium Barachiæ filii Addo* declarat. Nec obſtat quod lib. I. Eſdræ cap. V. dicatur *filius Addo*, cum tantum ſe illius nepotem profiteatur; nam omnes qui in gradibus deſcendentibus ſunt, Hebræi filios vocant. S. Hieronymus hic exiſtimat hunc *Addonem* eſſe eum qui ad Jeroboamum in Bethel ſacrificantem delegatum, ut ei aræ demolitionem prædiceret; quemadmodum legimus II. Paralip. cap. IX. v. 29. *Non ambigitur*, inquit, *juxta Paralip. librum, quin ipſe ſit Addo qui miſſus ſit ad Jeroboam filium Nabath, ſub quo altare dirutum eſt, & manus regis aruit, rurſumque ad preces illius reſtituta eſt.* Verum pace tanti patris, dixerim illius ſententiam non eſſe ferendam, utcunque enim rationem ſubduxerit, non efficiet ut avum inter & nepotem intercedere poſſint CCCCL. anni quot occurrunt inter annum ſecundum Darii Hyſtaſpis & ætatem Jeroboami filii Nabath.

XI. Minus etiam credibile eſt hunc Zachariam, eum fuiſſe qui juſſu Joas regis Juda in atrio domus Domini lapidibus, necatum

tum fuisse, quod tum Regis tum populi Idololatriam argueret, ut refertur libro II. Paralip. cap. XXIV. v. 20. Nam si temporibus Joas occubuit, quomodo superstes fuit Darii Hystaspis temporibus, qui trecentis annis Joaso recentior est. Utrum vero hic fuerit Barachiæ filius, quem apud Matth. XXIII. v. 35. & Lucam XI. v. 1. interfectum fuisse dicit Christus *inter Templum & Altare*, an potius Zachariam alium significaverit, illum videlicet Joasi jussu necatum, aut eum qui Joannis Baptistæ pater fuit dubium est. Censet S. Hieronymus, [a] Zachariam a Joaso morte affectum, eum esse quem Christus commemoravit, atque hunc in Evangelio quo utebantur Nazaræi, non Barachiæ sed Joiadæ filium esse dictum. Verum ille filius fuit Joiadæ, hic vero filius Barachiæ a Christo appellatur, uti habent omnia Evangeliorum exemplaria etiam emendatiora; nullus autem alius quam Propheta noster legitur Barachiæ filius. *Deinde* in illum etiam collimare videtur Christi sententia, & in Judæos exprobratio; eos enim arguit Lucæ II. quod occiderint omnes Prophetas, quemadmodum occisuri etiam essent Apostolos: *Propterea*, inquit, *& Sapientia Dei dixit: mittam ad illos prophetas, & Apostolos, & ex illis occident, & persequentur: ut inquiratur sanguis omnium Prophetarum, qui effusus est a constitutione mundi, a generatione ista, a sanguine Abel, usque ad sanguinem Zachariæ, qui periit inter altare & ædem. Ita dico vobis, requiretur ab hac generatione.* Quibus verbis Christus procedere videtur a primo Propheta occiso propter assertum Dei honorem, ad ultimum martyrio pariter coronatum: Zacharias autem filius Joiadæ non fuit Prophetarum Martyrum ultimus: nam post illum, Isaias serra sectus est, & Jeremias apud Taphnas a suis in Ægypto lapidibus est necatus; subindeque alium Zachariam prophetam quam Joiadæ filium significare voluit Christus Dominus; non alterum certe quam hunc nostrum Zachariam, utpote cum nullus præter eum Propheta occurrat qui fuerit Barachiæ filius.

[a] *in Matth. & lib. de Scriptor. Eccles.*

At, inquies, nihil de morte ejus Scriptura profert, Fateor quidem, sed cum nulli alteri dicta a Christo Domino indicia convenire queant, affirmare licet hunc nostrum Zachariam ab illo fuisse designatum: plura namque Christus, Apostoli, & S. Stephanus in Actis Apostolicis prodiderunt, quæ cum sola traditione constarent; nisi ea protulissent & scriptis mandassent, ad nos usque eorum notitia non perennasset.

Sed rursum dices, hujus Prophetæ temporibus, Templum nondum instauratum fuerat. Verum in promptu est responsio, nam Esdras cap. VI. v. 15. asserit anno V. Darii absolutum esse Templum, & cum ingenti lætitia plurimisque victimis dedicatum. Post illa autem tempora aliquandiu Zachariam vixisse, & propter suas in Judæos jam forte in Dei cultu negligentes, assiduas increpationes, ab eis fuisse tempore concionis & objurgationis in Templo occisum, quis cum fundamento legitimo negare audebit? Ista tamen sine ullius præjudicio dicta sint.

Continet quatuordecim vaticiniorum capita, ejusque prophetia, quatuor respicit tempora, nempe præsens instaurationis Templi & civitatis Jerusalem, ad quam adhortatur, maxime Zorobabelem, & Jesum summum Pontificem, spondens eis divina beneficia. *Secundo* ultionis divinæ exercendæ in Chaldæos & cæteras Gentes quæ Judæos afflixerant. *Tertio* eversionis imperii Chaldæorum a Græcis & horum Monarchiæ a Romanis. *Quarto* nativitatis & adventus Christi, cujus gloriam, sanctitatem, regnum & ingressum in Jerusalem super Asinam & super pullum filium Asinæ aperte declarat.

§. VI.

De Prophetia Malachiæ.

XII. NOmen *Malachi*, Hebraice sonat *Angelum meum*, addito jod paragogico. Quamobrem illum revera fuisse Angelum censuit Origenes, [b] & ipsius æqualis Tertullianus, [c] ubi infert non fuisse Dei filio impossibile carnem assumere, quippe cum id antea præstiterint Angeli qui humanam carnem induentes, hominibus apparuere in personis Aggæi, Malachiæ, & Joannis Baptistæ; quos veros Angelos incarnatos Origenes existimabat, quemadmodum & Melchisedechum, & Prophetas denique omnes ac viros sanctitate florentes. Angelus quoque Malachias a LXX. Interpretibus appellatur, in ipso Prophetiæ indice, atque etiam a S. Clemente Alexandrino, [d] & S. Chrysostomo homil. XIV. in Epist. ad Hebr. & aliis Patribus plurimis qui Malachiam nomine *Angeli* citare solent.

[b] *tom. 2. in Joann.*
[c] *lib. de Carne Christi.*
[d] *libro 1. Strom.*

At quicunque hoc ipsum titulo decorarunt, non in eodem versatos esse errore credendum est ac Origenem; illum namque Prophetam, revera natura hominem esse censuerunt; quod certe aperte fatetur Ecclesiasticus cap. XLIX. v. 12. dum ait: *Et duodecim prophetarum ossa pullulent de loco suo:* si enim duodecim prophetæ quorum agmen claudit Malachias, revera habuerint ossa quæ *pullulare*, id est, resurgere debeant, consequens est eos fuisse veros homines corpore & anima constantes, ut apposite colligunt sacri Interpretes, maxime S. Hieronymus, Cyrillus & alii.

Itaque dictus est *Angelus*, id est, *nuntius*, quemadmodum Sacerdotes & Prophetæ, & quicunque Dei jussa hominibus significant, in sacris literis, maxime ab ipso Malachia cap. II. v. 7. dicuntur Angeli. *Labia enim Sacerdotis*, inquit, *custodient scien-*

[a] *ſcientiam, & Legem requirent ex ore ejus, quia Angelus Domini exercituum eſt.* Inſuper Malachias, Angelus nominatus eſt, quemadmodum docet Pſeudo-Epiphanius propter morum candorem, pietatem inſignem, ac eximiam formæ præſtantiam; *Addit* S. Iſidorus [a] eum idcirco Angelum dictum, quod quæcunque loqueretur, haud ſecus ac Dei ipſius mandata Judæi acciperent. Tandem adiiciunt Hebræi illum ideo nomine Angeli decoratum, quod quæcunque prædicebat, eodem die Angelus forma humana aſpectabilis effectu confirmabat: at hujus rei Fides ſit penes Hebræos fabulis & commentis plerumque deditos.

[a] *lib. 7. Origin. cap. 8.*

Nihilo magis probanda eſt Jonathanis Chalcæi Paraphraſtis atque veterum plerumque Hebræorum ſententia, exiſtimantium Malachiam non alium eſſe quam Eſdram Sacerdotem & Scribam; quam etiam ſequuntur S. Hieronymus, Rupertus, Ribera & alii; eamque ſæpe confirmat S. Hieronymus in hæc verba; *Quia Angelus Domini exercituum eſt*, ubi ait, *Exponit, nomen ſuum Eſdras Sacerdos Dei hoc eſt Malachias*, & paulo poſt: *Corripit itaque eos Eſdras Propheta*, & cap. III. exponens illud; *Revertimini ad me, &c.* addit; *In principio diximus, Malachiam Prophetam Eſdram Sacerdotem debere intelligi, omniaque quæ in illius ſcribuntur hiſtoria, in hoc quoque volumine contineri.* Fundamenta & argumenta hujus ſententiæ quatuor ſunt: *Primum* quia Malachias idem argumentum tractat atque Eſdras. Ille enim Judæos arguit propter neglectum legis, ac maxime propter matrimonia cum alienigenis: in iſta vero etiam invehitur Eſdras cap. IX. *Secundum*, quia Eſdras eodem tempore quo Malachias vixit ac meminit cap. V. Aggæi & Zachariæ, qui illo tempore vaticinabantur. Siluit autem Malachiæ nomen; non alia certe de cauſa, quam indecens judicavit ſeipſum commendare, & ſe inter prophetas referre, vel quia jam ſatis aliunde populo tanquam vates notus erat. *Tertium*, quia Eſdras ipſe, cum eſſet eximiæ ſanctitatis & Sapientiæ, Deique cultum zelantiſſime promoveret, dignus fuit qui Prophetis adjungeretur: hoc autem fraudaretur honore ſi alius eſſet a Malachia. *Quartum*, quia Eccleſiaſticus, cap. XLIX. Laudat Zorobabelem, Jeſum, Nehemiam, Eſdram vero his non inferiorem præterit; non alia ratione quam quia ipſum cum duodecim Prophetis jam recenſuerat.

Verum iſta facile diſſolvuntur. *Primum* quidem, quia inſolitum non eſt, imo frequentiſſimum plurimis Prophetis idem argumentum tractare. Sic qui captivitatem Babylonicam anteceſſerunt, nihil aliud quam lugendam illam Judaicæ Gentis per Chaldæos brevi futuram cladem & devaſtationem inculcant, Qui vero poſt reſtitutam libertatem vaticinati ſunt, in eundem ſcopum collinearunt, ut Judæos reduces ad Templi reſtaurationem, & perfectum Dei cultum excitarent.

Ad *ſecundum* dico, Eſdram idcirco non meminiſſe Malachiæ, tum quia hic illo creditur poſterior, tum etiam quia tametſi illius fuiſſet æqualis, eos ſolum commemoravit Prophetas, qui ſuis vaticiniis illo tempore provocabant Judæos ad inſtaurationem Templi, quales fuerunt Aggæus & Zacharias, non vero Malachias, qui poſt reſtauratum Templum prophetavit.

Ad *tertium* dico quod etiamſi Eſdras eximia virtute fuerit præditus, nihilominus Prophetis non debet accenſeri, propterea quod Prophetiæ dono non fuerit illuſtratus: diviſiones enim gratiarum ſunt, & *aliis datur ſermo ſapientiæ, aliis ſermo Prophetiæ in eodem Spiritu.*

Ad *quartum* denique, reſpondeo Eccleſiaſticum non omnes commemoraſſe viros dono cœleſti illuſtres. Quemadmodum enim Eſdram, ſic & Danielem ſilentio præteriit; unde futile eſt ab ejus ſilentio ductum argumentum. Concludendum itaque Malachiam ab Eſdra revera fuiſſe diſtinctum, quemadmodum contendit S. Cyrillus præfat. in Malachiam. (50)

Hujus prophetæ argumentum eſt & ſcopus, *primo* arguere Judæos ingratitudinis; Sacerdotes negligentiæ ac impietatis in Deum, quod cum Angeli Domini ac Legati ſint qui doctrina & vitæ exemplo cæteros ad Dei cultum & ſanctimoniam promovere debeant, illos ab utroque pravis ſuis moribus avertant. *Secundo* eos arguit propter inita cum alienigenis in Moſaicæ legis præjudicium connubia. Hinc plurima eis mala futura denuntiat; maxime vero tremendum ipſis Judicii diem cujus prodromus & præcurſor Elias ſit futurus. *Tertio*

(50) Conjiciunt ex Malachiæ verbis eruditiſſimi Chronologi eum poſt ſecundum Nehemiæ reditum ex Perſide in Jeruſalem vaticinia ſua edidiſſe, cum eadem in populo vitia, quæ a Nehemia reprehendebantur, videatur redarguiſſe. Cum autem anno Artaxerxis Longimani 32. iter in Perſidem ex Judæa ſit aggreſſus, ibidemque per annos quinque fuerit commoratus Nehemias, ut Prideauxius opinatur, antequam fuerit Jeroſolymam reverſus, populumque a legis obſervatione alienum repererit, ſi Malachiæ prædicationem ad tempus iſtud referatur, compertum eſt Angelicum hunc Prophetam ad annum Chriſti ortum præcedentem 427. eſſe referendum, ſi Prideauxii Chronologiam retineamus; diverſimode tamen opinantur Uſſerius cum Antonio Vitré, qui Malachiam prophetaſſe rentur anno ante Chriſtum 437. ſi ſupponamus ab eiſdem, ſtatim poſt ſecundum reditum Nehemiæ in Jeruſalem Malachias exiſtimari prophetaſſe, ſicut Prideauxius opinabatur. Si vero attendamus tempus, quod Malachiæ in ſuis Annalibus Uſſerius præſignat, Prophetam hunc Chriſto propinquiorem inveniemus; quam in Prideauxii Chronologia; celebris enim hic Annaliſta ad annum ante Chriſtum 415., qui eſt Mundi 3589. Periodi Julianæ 4299., Græco-Romanæ vero 4369. Malachiæ ætatem reponit. Incerta tamen hæc omnia eſſe, quoad proprium, & certum Malachiæ tempus ex ipſamet opinionum diverſitate ſatis conſtat. Quod inter Prideauxium, & Uſſerium adinvenitur diſcrimen, ex eo repetendum quod Uſſerius undecim Regni annos Xerxi concedat, alter vero viginti, & unum; hinc Artaxerxes Longimanus decem annis prius ab Uſſerio Rex conſtituitur quam a Prideauxio, proindeque annus 32. hujus Principis in Uſſerii ſententia cadit decem annis citius, quam in alterius Chronologi ſententia. (W)

tandem omnium Prophetarum clarissime vaticinatur de venturo Messia, ejusque præcursore Joanne Baptista. Unde prædicit abolendum sacerdotium & sacrificium Aaronicum in Jerusalem, eique successurum oblationem mundam quæ ubique Gentium Deo offerri debeat.

Licet autem omnes omnino Prophetæ id speciale habeant, ut Christi adventum prænuntient. Quamobrem illos *Angelos & paranymphos Christi* egregie appellat Auctor imperfectus in Matth. homil. XXVII. nihilominus tres illi posteriores qui viderunt populum Judaicum reducem, nempe Aggæus, Malachias & Zacharias, quibus addendus est Daniel, qui eorum ætate superstes fuisse creditur, omnium apertissime de Christo vaticinati sunt, & in iis quatuor desiit prophetia, usque ad Christi tempora. Voluit enim Deus (inquit Grotius in Aggæum) ista fame Verbi, ut Prophetæ loquuntur, facere Judæos appetentiores Messiæ, qui Prophetas omnes miraculis esset superaturus. Et quia hi postremi fuere Prophetarum veteris Fœderis, ideo ad novum Fœdus, & ducem ejus Christum digitum apertius intendunt; nec tantum per medias historias, eum figurant: sed aperte monstrant. Cum vero eorum postremus fuerit Malachias, Christoque vicinior, tametsi fere quingentis annis antecesserit, idcirco omnium distinctissime de Christo pronuntiavit: in id maxime incumbens, ut aperiat quam inutiles fuerint oblationes & sacerdotes legales; significetque spem omnem & fidem dirigendam ad unicum illum & verum atque Deo gratissimum sacerdotem Christum, cujus sacerdotium manet in æternum.

XIV. Unum est quod circa hujus Prophetæ ætatem dubium posset ingerere. Sic enim vaticinia orditur: *Onus verbi Domini ad Israel in manu Malachiæ*. Porro, inquies, nomine *Israel* appellatæ videntur solum decem Tribus, quæ a Roboamo deficientes, regno Israelitico sub Jeroboamo initium fecerunt. Unde consequens videtur illum floruisse ante captas & in captivitatem traductas illas decem Tribus. Verum norandum est, post reditum populi e Babylone, duas Tribus appellatas fuisse nomine Israel, ut patet Esdræ II. v. 20. & VII. v. 10, imo ante captivitatem hoc nomine donatur Tribus Juda, Michææ I. v. 14. & ex hac consuetudine Josaphath vocatur rex Israel II. Paral. cap. XXI. v. 2. sicut & Achaz cap. XXVII. v. 19. tametsi tantum Tribubus Judæ & Benjamin atque Leviticæ imperaverint.

Nihil etiam movere debet temerarium, ne dicam impium Rabbi Abrabanielis & quorundam aliorum recentium Judæorum dogma, affirmantium Aggæum Zachariam & Malachiam, necnon & Danielem, eo quod fuerint inter Synagogæ magnæ Proceres, & Judæorum Senatus Principes, Prophetæ dignitate non esse condecorandos: quorum temerarium assertum repudiat non solum auctor *Ben-Israel* ad Babæ-Bathræ cap. I. qui Aggæum, Zachariam, & Malachiam, ultimos Prophetas esse pronuntiat, sed etiam Esdras qui lib. I. cap. V. Aggæum & Zachariam Prophetæ titulo condecorat: atque etiam Ecclesiasticus XLIX. 12. supra laudatus, ubi cum duodecim Prophetarum mentionem facit, tribus his postremis, perinde ac aliis, titulum hunc manifesto tribuit. Refragatur etiam & ipsa res, quippe cum futurorum vaticinationes eventibus probatas in eorum libris plurimæ contineantur. Non est ergo cur Prophetæ nomen quis illis abjudicet?

CAPUT DECIMUMQUINTUM.

De Libris Machabæorum.

I. *Unde* Machabæi *nominis derivatio petenda sit?*
II. *Quis fuerit Mathathias & quot filios habuerit.*
III. *Qui fuerint Assidæi?*
IV. *Quot sint Machabæorum Libri.*
V. *Quis duorum priorum Auctor existimetur?*
VI. *Duo priores Libri Machabæorum Canonici sunt revera & divinæ auctoritatis.*
VII. *Primæ objectiones in Divinitatem duorum Librorum refelluntur.*
VIII. *Reiiciantur aliæ oppositiones contra authentiam duorum Librorum Machabaicorum institutæ.*
IX. *Clarius difficultates enodantur.*
X. *Series Principum Syriæ, & Ægypti, qui Judæos divexarunt, proponitur.*
XI. *Alia proponuntur argumenta in Libros Machabæorum & reiiciuntur.*
XII. *Oppositiones ex dissonantia inter Librum Machabæorum primum & secundum apparente derivate refelluntur.*
XIII. *Ultimum argumentum in Machabæorum Libros proponitur, & resolvitur.*
XIV. *Quo idiomate scripti sint Machabæorum Libri?*

§. I.

De Machabæis & Assidæis.

I. A Juda Mathathiæ Assamonæi filio, cognomento *Macchabæo*, [a] quatuor illius fratres, subindeque illorum posteros, atque duos postremos veteris Testamenti Libros eorum præclara facinora continentes, dictos esse *Macchabæos* conveniunt omnes sacri Interpretes. At

[a] *lib. I. cap. 2.*

At unde petenda sit illius appellationis origo, non una est omnium sententia. Josephus Ben-Gorion, [a] asserit Judam cognomen *Macchabæi* hausisse a fortitudine, quod improbat Munsterus in notis ad eundem librum, *Unde vos ipsa*, inquit, *Macchabæus derivetur, non constat; neque enim in Hebraismo nec in Chaldaismo* מכבא *aut* מכבה, *aut* כבא *invenitur significare fortitudinem*. Verum ea in re sicut & in plurimis aliis Munsteri lapsus arguitur, quod putarit vocabulum *Macchabæus* ab uno eodemque simplici themate deducendum, cum tamen Hebraica nominis illius prolatio, originis compositæ id esse declarat: nam inquit Fullerus [b] Miscel. quis non videt מכבי *Macchabi*, facillime resolvi posse in duas hasce dictiones, quarum prior est מכ, id est, plaga altera בי id est, *per me?* quasi dicat, plaga per me infligetur a Deo, Judæis, nempe Apostatis, & Gentibus fidelium persecutoribus. Hanc vero fatidicam nominis interpretationem multiplex eventus, quem historia passim commemorat, re comprobavit.

[a] *lib. 3. histor. Judaic. cap. 9.*

[b] *Miscell. lib. 2. cap. 13.*

Alteram ipse ibi venatur hujus nominis Macchabæi Etymologiam; potest etiam, *inquit*, probabiliter Judæ cognomentum illud Μακκαβαῖος a themate מחי peti tum videri. Unde in Hiphil a participio activo factum sit מחבי hoc est, Mallei instar pertundendi, perforandi, ac perfringendi robur ac vim adeptus. Qua quidem similitudine pulchre designatur miranda invicti animi præsentia, quæ Judæ semper inerat, & maximæ validissimi corporis vires quibus fratres universos longe antecelluit. His enim futurum sperabatur ut inimicos, impiosque desertores contereret atque dissiparet, sicuti tota ἡ Μακκαβαϊκὴ Historia ubique declarat. Merito itaque quemadmodum Imperator Babylonis Jerem. I. 23. מחץ, hoc est, Malleus, ingens Orbis terrarum a propheta est dictus, ita & Judam Malleum haud omnium hostium & apostatarum in Palæstina locisque finitimis degentium per eandem metaphoram a suis appellatum arbitremur. *Hæc ille*.

Tertiam ibidem Etymologiam addit: At enim haud scio, scribit pag. 260. an satius foret מחבי scribere cum litera ח & a verbo Syriaco, ne etiam Hebraico, (sed minus usitato) חבב derivare; Unde participium prius fit מחבב in Aphel cui postea adjicitur in fine nominis proprii formativum. Hoc autem pacto מחבי significabit *amantem*, aut ad amandum propensum, vel amicum, vel eum, qui eximio amore complectitur, Deum scilicet verum, & vivum, Patriam item, Gentemque suam. Sed ut-ut Judæ Macchabæo φιλοθεία hæc, & φιλοπατρία conveniat, reclamat tamen recepta vocis orthographia Μακκαβαῖος, quæ utique literæ ב, in radice eruenda, habendam rationem suadet.

Unde malim subscribere communiori Auctorum sententiæ quam tradit Rabbi Isaac Ben-sola, Judam idcirco Macchabæum dictum, quod dum adversus Antiochi Judæorum infensissimi hostis ingentes exercitus prælium esset initurus; dedit militibus suis sententiam illam Mosis Exod. XV. v. 11. מי כמוכה באלים יהוה, *mi chamocha Baalim Jehova*, hoc est, *quis similis tui in fortibus Domine!* Jussitque eam ordinum vexillis tanquam certæ victoriæ omen inscribi per quatuor has literas מכבי, hoc est M. C. B. I. quæ initiales sunt prædictarum quatuor dictionum, & earum sensum ex integro referunt. Siquidem Antiqui (ut est apud Vegetium de re militari [c]) quia sciebant in acie, bello commisso celeriter ordines aciesque turbari atque confundi; ne hoc posset accidere, cohortes in centurias diviserunt, & singulis centuriis singula vexilla constituerunt; ita ut ex qua cohorte, vel quota esset centuria in illo vexillo literis esset adscriptum: quod intuentes vel legentes milites, in quantovis tumultu a contubernalibus suis aberrare non possent. Hanc industriam imitatus Judas, quatuor initiales præfatarum dictionum literas suis vexillis voluit adpingi, ut non solum essent victoriæ omen, sed & militibus suis indicio quum se se internoscerent & recolligerent.

[c] *lib. 2. cap. 13.*

Addit Hieronymus Rua controv. 1. dubio 9. Judam in altero vexilli latere scriptam habuisse literam Hebraicam *Tau*, cruci scilicet symbolum, quam ab Ezechiele cap. IX. dedicerat, & pro tessera bellica deinceps habere Judæi statuerant. Motum vero Macchabæum ad prædictas quatuor literas in labaro suo gestandas Romanorum exemplo, quos in vexillis habere audierat quatuor literas S, P, Q, R, *Senatum Populumque Romanum* significantes.

Cum autem militum vulgus quatuor has literas brevitatis gratia pronuntiare cœpisset, non juxta integram quam referunt sententiam, sed secundum unicam duntaxat dictionem quæ primum ex earum combinatione resultat, videlicet *Machabi*, aut vocabulo corrupto *Machabæi*; hujus tesseræ auctor Judas, ejusque fratres, ac eorum posteri ex consuetudine Gentis, dicti sint Machabæi. Solent enim Hebræi primas literas nominum colligere, & ex eis collectis vocem fingere compendii causa: sic, inquit Grotius hic, רלבג *Ralbag* valet *Rabbi Levi Ben Gerson*; רמבם *Rambam*, significat *Rabbi Mose Ben Maimon*; רמבן *Ramban*; idem est ac *Rabbi Mose Ben Nachman*. Pari modo ex illis vocibus factum nomen Machabæi, quod Asamonæis adhæsit: & ab eis ipsa illa tempora dicta Machabaica.

Dicti sunt etiam חשמונאים *Hasmonæi*, lenius *Assamonæi*, quæ vox Hebraice semel tantum reperitur in sacris litteris, videlicet Psal. LXVIII. v. 32. quam LXX. Interpretes sicut & Vulgatus πρεσβεις, id est; Legatus reddunt: Kimchius vero in eundem Psal. ἀρχοντας ἐ πρωτεύοντας, id est, *primarios viros*, & auctoritate vel honore præstantes. Porro hæc duplex significatio vocis *Assamonæi* apposite quadrat in Machabæos, utpote qui a Deo delegati sint populi sui Principes atque Duces, ut eos a duræ servitutis qua premebantur jugo solverent, & pene prorsus extinctum in Judæa Dei cultum restituerent. Vulgus Hebræorum ipsum Matthathiam

thiam Machabæorum parentem, primum Aſſamonæi nomine decoratum cenſet, quod ille præfectus eſſet ac Princeps civitatis Modin juxta Dioſpolin, ab eoque ad poſteros cognomentum illud deſcendiſſe. Verum ipſe Matthathias ſeu Matthias, (ut a Joſepho nominatur [a], ſicut & in Chronico Euſebii & Minore Seder Olam Hebræorum) *Aſſamonæi filius* appellatur, imo dicitur a Joſepho, [b] *filius Ioannis, filii Simeonis, filii Aſſamonæi*, ubi originem iſtius nominis altius repetit a quodam Matthathiæ proavo. Utcunque ſit, celeberrimum fuiſſe eum virum neceſſe eſt qui id nominis primus obtinuit, & ad poſteros propagavit, ut non ſolum originem generis ſui, ſed etiam nomen dignitatis & auctoritatis ab eo acciperent.

a *lib. 1. belli Judaici.*

b *lib. 12. Antiq. cap. 8.*

II. Porro quis fuerit Matthathias, quoſve habuerit filios, declaratur lib. I. cap. II. his verbis: *In diebus illis ſurrexit Matthathias filius Joannis, filii Simeonis, Sacerdos ex filiis Joarib* (quæ inter viginti quatuor Sacerdotum vices & partitiones erat prima [c]) *& conſedit in monte Modin; & habebat filios quinque, Joannem qui cognominabatur Gaddis: Simonem, qui cognominabatur Thaſi, & Judam qui vocabatur Machabæus, & Eleazarum qui cognominabatur Abaron: & Jonathan, qui cognominabatur Apphus*; quos alio ordine recenſet Chronicon Hebræum poſterius, *quinque filios habebat: Judam primogenitum; Secundum Jonathan; Tertium Joannem; Quartum Simonem; Quintum Eleazarum.* Cæterum plures habuiſſe videtur. Nam II. Machab. VIII. 22. Legimus de Juda: *Conſtituit itaque fratres ſuos duces utrique ordini, Simonem, & Joſephum & Jonathan, &c.* ubi vides hic memorari Joſephum qui inter quintos prius numeratos non erat, atque etiam cap. X. v. 19. huic Joſepho adiicitur alter nomine *Zachæus*, qui pariter videtur unus ex Machabæis ac ſubinde plures quam quinque Matthathiam filios habuiſſe probabile fit. Niſi forte quis dixerit duos illos poſteriores, non Machabæi fratres, ſed nepotes ex fratribus extitiſſe; aut aliquos ex memoratis illis quinque eſſe binominis. Verosimilius etiam arbitror cognomina memorata ipſis affixa fuiſſe, non quidem ab initio nativitatis, quippe nondum vigebat inter Judæos conſuetudo, nec Hebræi aliter quam patris nomine cognominabantur, ut apparet ex omnium Chronologiarum ſerie, quæ in ſacris voluminibus occurrunt, ſed duntaxat illis appellationibus fuerunt decorati propter egregia facinora & præclaras virtutes, quemmadmodum Judas dictus eſt Machabæus ob ſacram teſſeram militibus datam, quæ felix fauſtumque fuit omen tot illuſtrium victoriarum, quas adverſus Dei & patriæ hoſtes reportavit.

c 1. Paral. cap. 24. v. 7.

Ille autem Matthathias cum animadverteret Judæos ab Antiocho Epiphane Ægyptiorum Rege miſerrime oppreſſos, cogi per illius Tyranni ſatellites ad ejurandam Judaicam Religionem, & ritus Gentium ſequendos, ita ut obliviſcerentur Legis, omnique re immunda ſe polluerent; Zelo Dei & Religionis animatus, una cum filiis ſtatuit Gentis ac avitæ pietatis exterminium & injuriam propulſare. Cum autem miniſtri Regis, qui in Judæa homines ad Apoſtaſiam impellebant, veniſſent in oppidum aut Civitatem Modin, Matthathias ad ſe adductum magnopere hortabantur, ut Princeps & illuſtris & Magnus in urbe Modidinenſi eſſet, munituſque filiis ac fratribus, exemplo ſuo aliis in obedientia mandato Regis præſtanda præiret. Quod ille non ſolum conſtanter recuſavit, ſed etiam Judæum quendam in altari Ethnico ſacrificantem conſpicatus, ſuper aram ipſam eum jugulavit: eodemque tempore & regium Præfectum (Joſepho, [d] Apellem dictum) qui cogebat ſacrificare trucidavit, & aram diruit.

d *lib. 12. cap. 8.*

III. Deinde hortatus omnes qui zelo Legis ducebantur, ut ipſum ſequerentur; una cum filiis in montes fugit relictis in urbe omnibus facultatibus ſuis. Ut legitur I. Machab. II. 16. uſque ad 28. His adiunxit ſe congregatio Aſſidæorum, virorum religioſorum, qui Legi per arma tuendæ ſponte ſe offerebant, & omnes qui a malis fugere ſunt coacti: conſtitutoque exercitu, homines impios partim ceciderunt, partim ad nationes fuga ſe recipere compulerunt. Circumeuntes autem Matthathias & amici ejus, diruerunt aras, circumciderunt pueros quoſcunque incircumciſos invenerunt in finibus Iſraelis, & perſecuti ſunt filios ſuperbiæ: proſpereque ſucceſſit opus in manibus eorum, ut habetur I. Machab. II. v. 42. uſque ad 48.

Qui vero fuerint illi Aſſidæi quorum mentio fit I. Machab. II. v. 42. & cap. VII. v. 13. & lib. II. cap. XIV. v. 6. non ita facile eſt divinare: Joannes Druſius, [e] ſcribit quidem Aſſidæos dictos eo epitheto antiquitus *Sapientes Iſrael*, quos poſterior ætas *Phariſæos* nominavit; in cujus rei fidem teſtem advocat Joſephum Gorionidem qui [f] ſine differentia, quos nominat *Sapientes Iſrael* ſcribit *Phariſæos & Aſſidæos*. Serarius vero duriuſcule eam ſententiam impugnat, contendens Aſſidæos non alios eſſe quam *Eſſenæos* qui pietati ac religioni toti erant dediti: ſed a Phariſæis & Saducæis diſtincti. Utra autem earum ſententiarum ſit verosimilior, non eſt hujus loci determinare. (51) His prælibatis tria ſuperſunt quantum ad inſtitutum noſtrum hic determinanda: *Primum* quot & qui ſint Machabæorum libri: *Secundum* quinam fuerint illorum auctores & con-

e *lib. 1. quæſtionum quæſt. 47.*

f *lib. 4. hiſt. cap. 29.*

(51) De Aſſidæis hæc ferme traduntur a Grotio ad Machabæorum I. Cap. 2. ℣. 42. Duo poſt Babylonicæ captivitatis liberationem, atque Eccleſiæ Judaicæ integram reſtitutionem, hominum genera in Hebraica gente ſunt adinventa, in quorum uno ea continebatur hominum pars qui ſola Legis Moſaicæ obſervatione contenti צדיקים *tſaddikim* videlicet *juſti* dicebantur; in altero autem ea hominum comprehendebatur portio, qui nedum univerſam Moſis legem rigide cuſtodiebant, ſed ad traditiones inſuper, atque a Majoribus præſcriptas conſtitutiones ſpecie quadam voti obſtringebant ſemetipſos, unde חסידים *chaſidim pii* nimirum, vel Sancti appellabantur. Ex iſto hominum genere Aſſidæi derivantur. (W)

& conſcriptores: *Tertium* utrum inter canonicas Scripturas recenſendi, quibuſve momentis illorum auctoritatem Heterodoxi convellere & elevare nitantur.

§. II.

Quot ſint Machabæorum Libri, & quinam eorum Auctores.

IV. AD *primum* quod attinet, quatuor ſunt Libri nomine *Machabæorum* inſcripti, quorum primum & ſecundum duntaxat pro canonicis Eccleſia ſuſcipit; alios vero duos in ſacrorum voluminum ſeriem non accenſet. Et merito quidem, Tertius enim nihil ad Machabæos pertinet, ſeu quam refert hiſtoriam, ſeu rerum geſtarum, de quibus agit, tempus ſpectetur. Narrat enim Judæos ab Ægypti Rege quarto poſt Alexandrum magnum, Ptolemæo Philopatore (quod ab aditu Templi Hieroſolymitani prohibitus fuiſſet,) turmatim catenis vinctos, efferatis Elephantis objectos eſſe proterendos, in Hippodromo Alexandrino; mira tamen divinæ providentiæ, virtute, ab illo periculo liberatos, ad Regis gratiam rediiſſe. Hunc librum ait Sixtus Senenſis, Hebræis prorſus ignotum eſſe, licet hiſtoriæ meminerit Joſephus, [a] & cum res illa in tempus Philopatoris inciderit, præceſſiſſe noſtros Machabæos videtur ut notant Joſephus, Euſebius, & reliqui Chronologi. Quare ſi temporis ratio habenda eſt, liber iſte non Machabæorum Tertius, ſed Primus appellari debuit. *Accedit* quod liber iſte a nullo probato Concilio, nullisque SS. Patribus inter ſacros libros recenſeatur: imo ab iliis interdum reiiciatur, uti ab Athanaſiana ſynopſi. Nec officit quod in can. LXXXIV. Apoſtolorum liber canonicus pronuntietur. Nam canones iſtos revera non eſſe Apoſtolicos, hunc vero LXXXIV. ſuppoſititium eſſe, a nobis probatum eſt initio hujuſce libri, ubi de veteri ſacrorum librorum Eccleſiaſtica ſerie actum eſt.

[a] *lib.* 2. *contra Apion.*

Quarti ſimiliter libri Machabæorum apud antiquos nulla, vel rara memoria eſt, ſi auctorem ſynopſeos Athanaſianæ excipias, qui quatuor Machabæorum libros ex iis eſſe aſſerit quibus contradicitur, quem vero quartum librum appellet, incertum eſt. Sixtus Senenſis [b] teſtatur ſe vidiſſe hunc librum Lugduni in Bibliotheca Dominicanorum, in quo continetur hiſtoria Judæorum unius & triginta annorum, geſta ſcilicet Joannis Hyrcani magni Simonis filii, qui cognomen illud a devicto Hyrcano obtinuit, vir Sacerdotio, Principatu, & plurimis victoriis illuſtris, de quo uterque Joſephus, puta Gorionides [c] & Flavius [d] eadem narrant, atque eodem fere ordine & ſerie quibus liber ille dictus *quartum Machabæorum*, niſi quod, inquit Sixtus, hic ſtylum Hebraicum, & idiotiſmos redoleat, quod Flavius non habet, utpote qui Græce tantum noverit. Credibile eſt hunc excerptum eſſe, vel forte eundem cum libro dierum Sacerdotii Joannis de quo ad calcem I. Machab. ita ſcriptum eſt; *Cætera ſermonum Joannis & bellorum ejus & bonarum virtutum quibus fortiter geſſit, & ædificii murorum quos extruxit, & rerum geſtarum ejus, ecce hæc ſcripta ſunt in libro dierum Sacerdotii ejus, ex quo factus eſt princeps Sacerdotum poſt patrem ſuum.*

[b] *lib.* 1. *Biblioth.*

[c] *lib.* 3. *hiſt.*
[d] *lib.* 23. *Antiq.*

Quamobrem non video qua ratione Genebrardus quartum librum Machabæorum duplicem conſtituat, unum Joſephi Flaviani, qui libellum ex ſuis inſcripſit *in Machabæos* vel *de ratione imperatrice*. Unde S. Hieronymus [e] ipſum appellat *Machabæorum Scriptorem hiſtoriæ*. Alterum qui Joannis Hyrcani res proſequatur: in his enim duobus libris diverſa omnino narrantur Joſephus namque ſolum agit de invicta ſeptem Machabæorum martyrum animi fortitudine, qua intentata ſibi ab impiiſſimo Antiocho ſupplicia ſuſtulerunt.

[e] *lib.* 2. *contra Pelagianos.*

Verum utcunque appellari debeant, certum eſt, neque hunc Joſephi de Machabæis, neque illum Dominicanorum Lugdunenſium, auctoritatem Eccleſiaſticam habere, cum a nullo vel SS. Patrum, vel Conciliorum ſacrorum librorum ſerie recenſeantur. Nomen tamen Machabæorum non injuria præferunt, utpote cum libellus ille Joſephi agat de Machabæorum martyrio, alius vero de rebus Hyrcani Simonis Machabæi filii, & parentum ſuorum fortitudinis ac pietatis hæredis.

Cur vero tertius ille titulo *Machabæorum*, inſcribatur, cum res ad Machabæos ſpectantes non enarret, facile non eſt aſſerere: niſi forte quod inter eos qui in Hyppodromo Elephantibus objecti fuerant Judæi, quidam erant ex Machabæis, Matthathias ſcilicet, Eleazarus, & ipſe fortaſſe Judas; hæc enim perſecutio Antiochi tyrannidem præceſſit. Adiici poteſt quod nomen *Machabæorum* appellative ſumpſerit pro quibuſcunque conſtantiſſime vitam ponentibus in Dei gloriam & religionis tutelam, quemadmodum Syneſius Epiſt. ad Eunoptium, verba faciens de Judæo quo jam qui nec ratione nec vi, urgente tempeſtate adigi potuit ad gubernaculum ſabbato regendum, *nec minus*, inquit, *quam Machabæus aliquis mortem comminatam contemnebat*. Quo ſenſu Judæi illi qui in Hyppodromo Alexandrino cum Elephantibus & Philometoris crudelitate patiendo certarunt, dici potuerunt *Machabæi*, honoris gratia a ſcriptore qui rem illam longe poſt evulgatam per univerſum Orbem Machabæorum invictam animi fortitudinem ſcriptis mandavit.

V. Reſtat igitur inquirendum quis duorum priorum librorum cenſeatur Auctor, qua

qua de re multiplex est Interpretum sententia: sunt enim qui illum, adjudicent Josepho Flavio Antiquitatum Judaicarum scriptori; aliqui Philoni Alexandrino; nonnulli Joanni Hyrcano; alii Simoni ejus parenti; quidam Judæ Esseno, plurimi Senatui Jerosolymitano, alii partim Judæ Machabæo; partim aliis Pontificibus Judæorum ducibus ac præfectis.

Quid in tanta opinionum diversitate de utriusque libri Auctore censeam, priusquam libere proferam, notandum arbitror non unum fuisse utriusque Auctorem, quia non unus utriusque stylus, non una in utroque Chronologiæ ratio, & annorum periodus, sed valde diversa: prior utitur æra Alexandrina, posterior Chaldaica, quæ inter se integro sesquianno differunt. *Deinde* multa, quæ in libro priori scripta sunt, in posteriori repetuntur, neque tamen posterior prioris meminit: non ergo unus utriusque Auctor censendus est. Qui vero fuerint illi, difficile est exponere. Unde Rabanus [a] cum Isidoro [b] diserte pronuntiat auctores illos utriusque libri soli Deo cognitos, hominibus vero ignotos.

[a] *lib. 3. de universo cap. 2.*
[b] *lib. 1. de Ecclesiasticis officiis.*

Si vero meum hac in re judicium requiras, in eam opinionem lubentius descenderem quæ asserit unumquemque ex illustrissimis Machabæorum ducibus maxime Mattathiam, Judam, Jonathan, Simonem, & Joannem Hyrcanum, rerum sui imperii ac temporis diaria composuisse; ex quibus libri illi, maxime primus, coaluerit. Nam posteriorem collectum esse ex quinque libris commentariorum Jasonis Cyrenæi, seque collegisse testatur illius Scriptor cap. II. v. 24. *a Jasone Cyrenæo*, inquit, *quinque libris comprehensa tentabimus nos uno volumine abbreviare.*

Quod autem librorum illorum Josephus Flavius non sit dicendus Auctor apparet, ex eo quod S. Hieronymus cum dixisset Josephum Machabæorum Scriptorem historiæ, quia libellum de glorioso certamine, septem Machabæorum martyrum ut antea dictum est, ediderat: in lib. de Eccles. Scriptor. Ubi Josephi opera recenset, & illum prædicti libelli auctorem dicit, non alias illius de Machabæis scriptiones memorat. *Deinde* Josephus ipse in libris suis de Antiq. Judaicis non solum plura refert, quæ secundo Machabæorum libro, & aliis sacris voluminibus repugnant; sed insuper Baronius. [c] Possevinus [d] Canus [e] multa in eo deprehendunt mendacia, plurimosque errores sacro Scripturæ textui adversantes. Indignus ergo videtur, qui a Spiritu Sancto selectus esset sacræ alicujus historiæ Auctor. Unde perperam Sixtus Senensis asserit ex Josepho desumptas esse appendices libri Estheris. Saniore namque judicio dixisset Josephum eas historias ex libro Estheris in suum transtulisse.

[c] *in apparatu.*
[d] *lib. 2. Bibl. cap. 25.*
[e] *lib. 11. cap. ult.*

Idem esto judicium de Philone Judæo quem Honorius Augustodunensis [f] Auctorem putat libri secundi Machabæorum: hic enim cum irradianti Evangelii Luci rebellis fuerit, & Judaismi tenacissimus assertor, illo ipso tempore quo nascens Alexandriæ Christianorum Ecclesia, Lucem Evangelicam & pietatem Solis instar, undique spargebat, & ipse aliunde in suis operibus falsa plurima scripserit; non videtur gloriam assecutus, ut scribenti divinus Spiritus assisteret. Quæ ratio tametsi non sit adeo firma, quin suam elusionem facile patiatur; quippe cum ex prophanorum Scriptorum operibus, nonnulla interdum depromant auctores sacri, quæ in sua volumina transcribant; nihilominus sufficiens est quæ me revocet ab Honorii opinione, nullo etiam levi fundamento subnixa.

[f] *lib. 4. de gemma animæ.*

In illam ergo, quam dixi, sententiam lubentius descendo, videlicet unumquemque Machabæorum ducem, Judæorum sui temporis res gestas literis consignasse: quia inquit Josephus lib. I. contra Apionem solitos essent Judæi Pontifices & Sacerdotes, quales erant Machabæi, sacram historiam texere. Et insuper lib. II. cap II. v. 14. Legimus: *similiter autem & Judas ea quæ deciderant per bellum (quod nobis acciderat, congregavit omnia)* scilicet scripta; quibus significari videtur Judam Machabæum collegisse commentarios belli sacri quod ipse & Mattathias pater ejus contra Reges Asiæ gesserant, Quanquam enim Nonnulli Judam hic nominatum, existiment esse Judam Hyrcani filium, qui & Aristobulus dictus est, ut tradit Josephus [g] vel alterum Judam cognomine *Essenum*, virum apud Judæos celebrem, & magnæ auctoritatis, ob summam ipsius sapientiam & prophetiæ donum de quo idem Josephus alibi: [h] non video tamen quare Judas ille qui commentaria bellica collegisse narratur, non possit esse Judas Machabæus. Licet enim aliquibus non sit ille Judas, qui in Epistola in qua ista narrantur, salutem dicit Judæis in Ægypto commorantibus lib. II. cap. I. v. 10. quippe cum ante illam scriptam epistolam annis circiter XXXVI. vixerit; nihilominus potuit esse ille commentariorum collector cujus fit mentio in illa Epistola: Neque enim necesse est Epistolæ & commentariorum auctorem eundem Judam efficere; neque apud Judæos Ægyptios celebrius fuit nomen aut major auctoritas Judæ Essenі quam Machabæi.

[g] *lib. 28. cap. ultimo.*
[h] *lib. 13. cap. 19.*

Verosimilius itaque censeo historiam rerum gestarum quæ I. lib. continentur conscriptam esse a singulis Machabæis ducibus qui suorum temporum eventus conscripserint; Joannem vero Hyrcanum, singulas illorum commentariorum partes in unum volumen, eandemque historiæ seriem collegisse, utpote qui devictis hostibus diuturna pace usus fuerit, & potestate summa functus ultra annos XXX. *Accedit* etiam quod familiæ suæ rebus gestis posteritati commendandis præcipue invigilaverit. Unde probabile fit illum a suis majoribus rerum gestarum narrationem exorsum, quam per avos suos deducit, & finit in morte patris.

Quis vero fuerit ille Jason Cyrenæus, ex cujus quinque libris collectus & velut illorum Epitomen confectus est secundus liber

ber Machabæorum, quisve fuerit collector ille, nemo est qui certo affirmare possit, utpote cum nullum istius indicium, neque ex Scriptura sacra, neque ex probato aliquo Scriptore appareat. (52)

§. III.

De canonicitate duorum Librorum Machabaicorum.

VI. NOn est igitur laboriosius & curiosius inquirendum quis fuerit secundarius illorum librorum Auctor & conscriptor, quippe cum Spiritum S. eorum primarium Auctorem ac suis Amanuensibus dictatorem, certo habeamus ex Ecclesiæ judicio, quæ duos illos Machabæorum libros ut Canonicos, & a Spiritu S. dictatos distincte pronuntiat, dum illos sacris voluminibus accenset; ut constat nedum ex Conciliis ac summis Pontificibus qui hosce duos Machabæorum libros cum aliis sacris libris enumerant, sed etiam ex SS. Patribus, & antiquoribus Ecclesiæ doctoribus, eos libros velut sacram Scripturam proferentibus.

Sic S. Dionysius lib. de cœlesti Hierarchia, dum Angelicarum virtutum signa, quibus in sancta Scriptura apparuerunt, enumerat apparitionem equitis cataphracti, qui Heliodorum in Hierosolymitano templo exterruit & oppressit, profert ex II. Machab. III. Origenes [a] pariter, *Ut autem*, inquit, *ex Scripturarum auctoritate hæc ita se habere doceamus; audi quomodo Machabæorum libris, ubi mater septem martyrum unum ex filiis cohortatur ad toleranda tormenta, ait ei:* ROGO TE FILI, RESPICE COELUM, *&c.* Idem ad cap. V. Epist. ad Romanos: *Veteris Testamenti*, inquit, *legant Machabæorum libros*. S. Cyprianus scribens ad Cornelium Papam [b] Librum primum Machabæorum *sacram Scripturam* appellat: & lib. III. Epist. ad Quirinum ex I. Mach. cap. II. producit istud, *Abraham nonne in tentatione inventus est fidelis*; Meminit quoque ibi illius dicti ab Antiocho misere animam agente, *Justum est hominem subditum esse Deo, &c.* Lib. etiam de Exhortatione martyrii exaggerat historiam septem Machabæorum martyrum, atque eorum Matris, & Eleazari ex II. Machab. cap. VI. & VII. Egesippus [c] qui circa Constantini tempora floruit; *Machabæorum quoque res gestas*, ait, *propheticus sermo paucis absolvit*. Lucifer Calaritanus anno CCCLX. [d] *Loquitur*, inquit, *sacra Scriptura dicens in Machab. libro primo, &c.* Julius Hylarion qui vixisse videtur eadem ætate; [e] *Darius*, ait, *regnavit annis sex hunc interfecit Alexander Magnus, a cujus Historia Machabæorum, Græcorum annos divina narratione præcurrit*. S. Hieronymus, [f] scribit: *Hoc enim Scriptura commemorat, quod Alexander rex Matedonum egressus sit de terra Cethim*; quæ habentur initio lib. I. S. Augustinus ipsius æqualis [g] eorumdem librorum auctoritatem studiose defendit *Scripturam sanctam* eos appellans. Unde lib. II. de doctrina Christiana cap. VIII. inter libros Canonicos, duos Machabæorum enumerat. Hinc lib. XVIII. de Civit. cap. XXXVI. cum dixisset a soluta captivitate Babylonica ad Aristobulum usque, Judæos non Reges & Principes habuisse, subdit, *horum supputatio temporum non in Scripturis sanctis, quæ Canonicæ appellantur; sed in aliis invenitur, in quibus sunt & Machabæorum libri, quos non Judæi sed Ecclesia pro canonicis habet*. Ei subscribit Isidorus Hyspalensis, [h] *Machabæorum libros*, ait, *licet Hebræi inter Apocryphæ separent; Ecclesia tamen Christi inter divinos libros & honorat & prædicat*, Mitto cæteros an-

[a] *lib. 2. periarch. cap. 1.*

[b] *Ep. 55.*

[c] *lib. 1. de excidio Jerosolym.*

[d] *lib. de parcendo in Deum delinquentibus.*

[e] *lib. 4. Chronol.*

[f] *ad cap. 23. Isaiæ.*

[g] *lib. 2. contra Epist. Gaudentii cap. 23.*

[h] *lib. 6. Etymol. cap. 1.*

(52) Jasonem Cyrenæum quinque librorum Auctorem, ex quibus historia in secundo Machabæorum libro descripta, excerpta fuit ab quodam ignoto compilatore, Hebræorum quemdam Hellenistam fuisse, ab aliquo ex iis progenito Hebræis, qui Cyrenem, & alio a Ptolemæo Sotero translati fuerant, cum Prideauxio nonnulli opinantur.

Non minus autem isti Jasonem, quam ejus incognitum Abbreviatorem, Hellenistam supponunt; quinimmo ex quadam repetita in Libro Machab. 2. loquendi phrasi, Compilatorem Patria fuisse Alexandrinum conjiciunt, & quidem aliqua cum similitudine veri; quoties enim de Jerosolymorum templo facit verba *templum magnum* vel *templum maximum* appellat, ita Machab. 2. Cap. 2. ℣. 20. in Græco τῦ ἱερῦ τῦ μεγάλυ; Capite pariter 14 ejusdem Libri ℣. 13. scribit = & constitueret Alcimum maximi templi Summum Sacerdotem = Hæc loquendi formula, ait Prideauxius, alterum supponit Templum inter Hebræos minoris excellentiæ, & magnitudinis Jerosolymitano, quinimmo Templum illud ab Jerosolymitano diversum veluti legitimum, & Sanctum ab Auctore hujus Libri habebatur; quod profecto indicat Hebræum Ægyptium fuisse, cum nulli Hebræorum alii præter Ægyptum habitantes, templum ab Onia in Ægypto erectum veluti legitimum haberent, cum potius Schismaticos judicarent quotquot relicto Jerosolymorum templo; in alio auderent Sacrificium offerre; hinc inferri posse opinatur laudatus Prideauxius, non ab alio Auctore, quam ab Hebræo in Ægypto commorante hanc scribendi formulam usurpari potuisse, cum isti soli non minus pro vero haberent, & legitimo Templo, quod ab Onia Heliopoli conditum fuit; quam alterum Jerosolymis existens. Quidquid sit nihilominus de hujuscemodi conjecturis, quæ momenti profecto videntur exigui, quæve fortassis ad ablegandam a Machabæorum libris auctoritatem canonicam proponuntur, cum ab Auctore Hellenista, & ab Ecclesia Hebræorum schismatico scriptos fuisse conentur ostendere; nobis tamen constantissime insidet fides quod merito in canone Scripturarum fuerint recensiti, quicumque fuerit Spiritus dictantis Amanuensis. Credibilius nihilominus est ab Juda Esseno nomine totius Synagogæ Scriptum esse librum secundum Machabæorum in forma Epistolæ ad Hebræos in Ægypto commorantes, ut eosdem ad pacem, & unitatem cum Jerosolymorum Synagoga revocarent; atque ad magnum, & verum in Jerusalem Templum accederent, eo relicto quod Schismatice ab Onia Heliopoli constructum erat: & en qua de causa Auctor libri templum Judaicum memorans *magnum* appellat. Hic Judas Essenus testante Josepho Lib. 13. Cap. 19. Magnæ apud omnes eo temporis habebatur æstimationis. (W)

terioris & posterioris ævi Ecclesiasticos Scriptores hosce libros inter divinas Scripturas annumerantes, quos in longum proferunt ii omnes, quibus cum Heterodoxis hujus temporis pugna est & controversia; præsertim Bellarminus [a] Redanus [b] & alii passim, Ut ad argumenta quibus Hæretici horum librorum sacram auctoritatem elevare nituntur, gradum faciam,

[a] *lib. 1. de Verbo Dei cap. 15.*
[b] *sect. 8. ad libros Machab.*

VII. Objiciunt itaque *primo*, Omnes veteris Testamenti libros sacros & Canonicos Judæorum Ecclesia recepit & approbavit; eis namque ait S. Paulus Rom. III. *Credita sunt eloquia Dei*, quos propterea S. Augustinus in Psalmum LXXXVI. Christianorum *librarios* vocat, *Capsarios* in Psal. XL. *Scriniarios* [c]. Accedit quod si partem aliquam divini Testamenti Synagoga respuisset, eam uti sacrilegii ream hauddubie Christus D. aut Apostoli arguissent, quod cum nullibi factum legamus, constantissimum esse debent, nullum librum, qui revera sacer esset & divinæ auctoritatis, a Synagoga fuisse repudiatum. At illa Machabæorum libros nusquam in sacrum Canonem admisit: igitur pro Canonicis non sunt habendi.

[c] *lib. 12. contra Faustum cap. 23.*

Assumptum simili in causa negare non dubitavit Origenes Epist. ad African. repudiantem historiam Susannæ, quod illa non inseretur *in Daniele quem suscipiebant Hebræi*. Vide, inquit, *ne imprudentes & inscientes abrogemus exemplaria quæ habentur passim in Ecclesiis, & legem statuamus Fraternitati, ut depuant quidem sacros qui apud eos feruntur, libros; assententur autem Hebræis, & persuadeant ut nos puris imperiant, & qui nihil habeant figmenti. Annon providentia in sanctis Scripturis dedit omnibus Christi Ecclesiis ædificationem? non curam gessit eorum qui empti sunt pretio pro quibus Christus est mortuus, &c.* Quasi diceret. Judæis-ne solis credita sunt eloquia Dei, Christianis vero negata? Habuerunt illi pro sacris libris quos Synagoga decreverat: hi repudiabunt quos Ecclesia columna & firmamentum veritatis, canonicos judicat? num minoris auctoritatis est Sponsa quam Ancilla? ut hæc canonicos libros decernere potuerit, illa non possit.

Adjicerem ego, liberaliter adversariis concessa majore argumenti propositione, negandam esse minorem. Enimvero uti dicimus, non unicus, sed multiplex, maxime vero triplex fuit sacrorum voluminum Hebræus Canon, Celeberrimus quidem omnium fuit canon Esdræ, in quem Machabæorum libri referri non potuerunt cum nondum eo tempore, neque multis postea annis illi nati fuissent. At relatos esse in posteriorem canonem, tempore scilicet Joannis Hyrcani, probabilissimum facit testimonium Josephi, qui in fine libelli de Martyrio septem Machabæorum, ait se illorum historiam, in sacris literis invenisse. *Hæc itaque*, ait, *quæ in monumentis veterum & sacris literis de divis comperi Machabæis, posteritati æternum legenda consecravi*. Unde Egesippus [d] testatur Machabæorum historiam appellari a Josepho *Scripturam divinam*.

[d] *lib. 5. de excidio Ieros.*

At, inquies, Josephus ipse, [e] postquam dixisset libros Scripturæ esse duntaxat XXII. quot videlicet erant literæ Hebræi Alphabeti, asserit alios fuisse, non simili fide dignos, propter minus accuratam Prophetarum successionem. Fateor, at non negat hos posteriores libros esse fide Canonica dignos. Nam (ut diximus) Judæi distribuebant libros sacros in duplicem classem, nempe in *Protocanonicos* de quorum auctoritate nunquam dubitatum fuit; & *Deuterocanonicos*, de quibus licet aliquando fuerit dubium, tamen eos ut sacros, & Spiritu S. dictante confectos agnoverunt. Cujusmodi fuerunt libri Machabæorum; necnon & illi omnes qui post editum ab Esdra Canonem conscripti sunt. Unde Josephus, [f] ait illam sententiam Ecclesiastici XLII. v. 14. *Melior est iniquitas viri quam mulier benefaciens*, deprompta esse *ex ipsa Lege*, id est, Scriptura sacra, habente parem auctoritatem cum libris Mosaicis.

[e] *lib. 1. contra Appion.*
[f] *lib. 2. contra Appion.*

Urgebis: si libri illi in aliquem Hebræum canonem fuissent recepti, id non latuisset eos veteres & recentiores Ecclesiæ Patres & Doctores: nec eos Apocryphos dixissent, ita tamen pronuntiant. Origenes apud Eusebium, [g] S. Hieronymus. [h] D. Gregorius, [i] Ruffinus, [k] & alii plures.

[g] *lib. 9. cap. 25.*
[h] *in Prolog. gal.*
[i] *lib. 19. cap. 13.*
[k] *in Expos. Symb.*

Respondeo Veteres quosdam, eos libros apocryphos pronuntiasse, *vel quia* locum non habebant in Esdrino Canone, nec censebantur inter eos quorum veneranda auctoritas & antiquitas, ita erat manifesta, ut nusquam de illis fuerit dubitatum: *Vel quia* nullum eo tempore determinatum extabat de libris illis Ecclesiæ judicium, nullusque sacrorum librorum, cum veteris, tum novi Testamenti adhuc distincte fuerat editus Ecclesiasticus canon. *Vel quia* dum ista proferunt, non tam suam quam doctorum Hebræorum referunt sententiam, quod ex Origene compertum fit. Nam canonem sacrorum librorum referens; *Non ignorare debemus inquit viginti duos esse libros sicut Hebræi tradunt*. Similiter S. Hieronymus dum libros Machabæorum Apocryphos appellat, non quid ipse, sed quid alii de libris illis senserint refert. Quod utique suadetur primo, quia sic aliorum opinionem se plerumque circa canonicos libros referre fatetur lib. II. contra Rufinum, *Qui me criminatur stultum*, inquit, *je Sycophantam probat; non enim quid ipse sentirem, sed quid illi contra nos dicere solent, explicavi*. Secundo quia ipsemet Machabæorum historiam ut Scripturam sacram admittit in cap. Isaiæ XXIII. & cap. in VII. & IX. Ecclesiastes & alibi sæpe. Unde excusandi veniunt inferiores illius ætate Scripturæ interpretes, qui sine discussione, accipientes id quod ille habet *in prologo galeato* Machabæorum libros, sicut ille ibi, Canonicos esse negarunt.

At, inquies Cajetanus in fine commentarii ad Esther, scripsit ad Hieronymi limam reducenda esse verba tam Conciliorum, quam doctorum. Igitur tametsi Concilia quædam & SS. Patres nonnulli scribant

bant hos libros esse Canonicos, audiendi non sunt, cum illos Apocryphos S. Hieronymus pronuntiaverit. Scripsit equidem ista Cajetanus? Quis enim nescit eum tam propter illa, quam innumera alia absurda ejus, temeraria, & erronea asserta, egregie vapulare a Catharino & Cano eximiis suæ familiæ viris; quorum alter *tot*, inquit, *Cajetanus peccata commisit, quot pene verba effudit*. Canus vero lib. VII. cap. III. *Cajetanus locutus est temere & inconsiderate, ne dicam superbe & arroganter*. Unde apposite quidem addit Redanus, S. Hieronymi & aliorum quorumcumque Doctorum verba ad limam potius Conciliorum esse reducenda: porro ex Conciliis constat hos libros esse canonicos.

Instabis rursum, dubia saltem fuit multo tempore Machabæorum Auctoritas inter Ecclesiæ Doctores. Fuit equidem inter aliquos. At quid inde? Num idcirco non potuit Ecclesia nodum ipsum dubiumque solvere? Nonne etiam aliquando dubitatum fuit de Epistola ad Hebræos, de Epistola S. Jacobi; de secunda Petri; de Apocalypsi Joannis: de quibus jam nullum superest dubium quin libri illi sacri sint & canonici, quippe cum tales eos Ecclesia pronuntiaverit. Quidni similis auctoritatis & veritatis æstimari debet illius, de duobus prioribus Machabæorum libris judicium.

VIII. Obiiciunt II. libri illi pro Canonicis non sunt habendi, qui ab incertis & prophanis Auctoribus conscripti sunt. Tales vero sunt Machabæi: incertus namque est utriusque libri Scriptor. Posterioris vero primarius Auctor videtur fuisse quidam Ethnicus; siquidem liber ille, Compendium est, quinque librorum Jasonis Cyrenæi. Jasonem vero istum Ethnicum fuisse indicat Patria Cyrene, quam Judæi nulli incolebant. Itaque indigni sunt isti libri qui cum sacris numerentur.

Respondeo argumentum istud utroque pede claudicare, falsa namque est, tam major quam minor propositio; major quidem, tametsi enim incertus sit eorum librorum Scriptor, non minus canonica debet esse illorum auctoritas, quemadmodum & cæterorum Scripturæ sacræ librorum, quorum Scriptores nos latent: in eis siquidem non tam attenditur scribentis dignitas, quam divina Auctoritas Spiritus S. qui eos uti suos Amanuenses scribere curavit, quod nobis manifestum fit per Ecclesiæ de illorum librorum divina auctoritate judicium. Falsum pariter est, ea quæ vere scripta sunt ab Auctore prophano, non posse a Spiritu S. approbari: itaut ex illius testimonio ac veluti sigillo regio authentica & canonica auctoritas illis accedat; quidni enim multa vera scribere potuit Auctor etiam Ethnicus quæ ab Auctore canonico in compendium sint redacta: *Quis nesciat*, inquit S. Hieronymus, [a] *& in Moyse & in Prophetarum voluminibus quædam assumpta de Gentilium libris.... Sed & Paulus Apostolus Epimenidis poetæ abusus versiculo est*: Scribens ad Titum, *Cretenses semper mendaces, malæ bestiæ, ventres pigri*; In alia quoque Epistola Menandri ponit senarium, *Corrumpunt enim mores bonos colloquia prava*: & apud Athenienses in Martis curia disputans; Aratum testem vocat; *Ipsius enim & genus sumus*, &c. Neque id reiicere possunt Heretici, maxime Lutherani, quippe cum Lutherus in S. Jacobi Epistola; *Quidquid*, inquit, *Christum docet, Evangelicum est, etiamsi a Iuda, Anna, Pilato & Herode fiat*.

[a] *Epist. ad Magnum.*

Negari etiam potest minor; & merito quidem, quis enim probabit Jasonem, quantumvis Cyrenæum, Ethnicum fuisse, non vero Judæum: plures enim fuerunt urbes *Cyrenes* dictæ; *una* quidem erat *in Cypro* insula, *alia* in *Lybia*, quondam Carthaginis æmula, a qua dicta est *Lybia Cyrenaica*, ut docet S. Hieronymus. [b] Ex qua credibile est ortos fuisse, tam Jasonem nostrum, quam Simonem illum Patrem Alexandri & Rufi, quem Marci XV. v. 21. angariaverunt Judæi ut tolleret crucem Christi Domini. In hanc enim frequentius & facilius, quam in Cyrenem Cypriam, migrare poterant Judæi. Unde Advenæ Judæi, qui Jerosolymæ erant ex omni natione quæ sub cœlo est, dum Apostoli Spiritu S. divinitus repleti, loquerentur variis linguis, ex mox laudato Actuum loco aliqui adfuisse dicuntur *ex Lybia*, quæ est *circa Cyrenem*. Potuit ergo Jason ille oriundus esse ex illis Judæis, qui in illam Lybiæ partem, sæviente in Judæos impiissimi Antiochi persecutione, fuerant deportati; Quorsum enim si Ethnicus ille fuisset, & a Judæis gente & origine alienus, res Judaicas ita cordi haberet, ut eorum historiam, illustremque in rebus adversis animi constantiam, quinque voluminibus enarrare voluerit?

[b] *ad cap. 2. Actuum v. 16.*

Impugnant tertio, Auctor ille quisquis est libri primi, ignorantiam suam aperte prodit, cum initio scribit Alexandrum Philippi filium primum regnavisse in Græcia. Enimvero ex omnibus rerum Græcarum Scriptoribus apertissime constat, plures ante Alexandrum ejusque Patrem Philippum, in Græcia regnasse Principes & Reges Lacedæmoniorum, Macedonum, Corinthiorum, Athenienssium, &c. Ut ex Chronico Eusebii patet. Unde Georgius Sincellus, illum inter Macedonum Reges, *vigesimum quartum* recenset, [c] Deviat pariter a veritate hic Auctor cum ait *ibid. num.* 7. Alexandrum illum morti proximum, vocasse pueros suos nobiles, qui secum erant nutriti a juventute, & divisisse illis Regnum suum, *dum adhuc viveret*; cujus dicti falsitatem arguunt Justinus, [d] Diodorus, [e] Curtius, [f] & Orosius. [g] (53)

[c] *in Chronog. pag. 260.*
[d] *lib. 12.*
[e] *lib. 7.*
[f] *lib. 10. cap. 7.*
[g] *lib. 3. cap. 33.*

(53) Alterum videtur Machabæorum Auctor errorem commisisse in censu annorum Regni Græcorum statuendo, cum definiat ℣. 11. Capitis I. Sceptrum ab Antiocho fuisse obtentum anno 137. Regni Græcorum, cum tamen Eusebius constanter adfirmet Principem hunc regnare cæpisse anno ejusdem Regni 153. quot revera ab initio Imperii Græcorum usque ad principium Regni Antiochi illustris intercesserunt. Ca-

Respondeo ista facile dissolvi. *Primum* quidem, nam aliquis reponere posset verba sequentia: *Egressus de terra Cethim*, ad præcedentia; *Primus regnavit*, esse revocanda; Ut sensus sit, quod etiamsi alii fuerint in Græcia Reges, nemo tamen egressus de terra Cethim, hoc est, e regione maritima, (Cethim enim in Scriptura sacra regionem maritimam significat ut videre est Genes. X. Isaiæ XIII. 1. Jeremiæ II. v. 10.) ante Alexandrum Magnum Græciæ regnum obtinuit. *Secunda solutio* proferri potest ex textu Græco; Non enim habet πρῶτος quod *primum*, sed πρότερος quod *prius* significat; ut sit sensus, Alexandrum prius regnasse in Græcia quam Persidis & Asiæ imperium occupasset, *Aditi etiam posset tertia solutio*, Alexandrum primum in Græcia regnasse, quia primus omnium Græcorum communi consensu electus est ad bellum Persis inferendum. *Verum cum* hæ responsiones nonnullam patiantur difficultatem, satius dicendum arbitror Alexandrum *primum* regnasse in Græcia, quia primus Imperii Græcorum fundator & Monarcha fuit. Quanquam enim fuerint ante Alexandrum in Græcia Reges, nemo tamen ante illum extitit, qui in universam Græciam imperium unus haberet, & expugnato Persarum Principatu, universale Græcorum imperium auspicaretur. *Neque* his officit quod similem in imperio successorem non habuerit; quippe nullus post eum extitit similis ipsi Monarcha supremus, sed plures Principes amplissimum illius imperium inter se distribuentes, eorum quisque in ea regione quæ sibi obtigerat, regnavit: Istud, inquam, non officit, *primus* enim recte appellari potest, quem secuti sunt alii, quamvis impari potestate: *deinde*, *primus* etiam quis dicitur, tametsi nullos habeat Successores, dummodo Antecessores non habeat. Sic Exodi XII. v. 29. Angelus percussor Ægypti, dicitur interfeciisse *omnia primogenita*, cum tamen credibile sit plurima ex illis fuisse unigenita.

Ad secundum, duplex potissimum occurrit responsio, *prima* Alexandrum regnum divisisse pueris & Principibus suis moriens, non *per se* sed *per Amicum Perdiccam*, cui vivens summam rerum cum annulo regio tradiderat; ait enim Justinus: *Sexto die præclusa voce, exemptum digito Annulum, Perdiccæ*

Capite 8. ℣. 7. & 8. ejusdem Libri I. Legimus Antiochum magnum Regem Asiæ captum a Romanis fuisse, atque statutum ut daret ipse, & qui regnarent post ipsum tributum magnum, & daret obsides, & constitutum. Legimus pariter ibi regionem Indorum, & Medos, & Lydos datas esse Eumeni Regi a Romanis. Quis unquam audivit Romanos fuisse dominatos Regnorum Mediæ, & Indiarum, ut eas regiones Eumeni Regi concedere possent? Quis pariter novit Antiochum captum a Romanis aliquando? Ad ℣. 57. ejusdem capitis I. Lib. I. exponit desolationem templi a Daniele prænunciatam, de Idolo, quod in Templo erigi fecit Antiochus; cum tamen Christus Dominus de altera per Antichristum inducenda desolatione Danielis vaticinium exposuerit Matth. 24. Scribit denique Judæos in Persidem fuisse translatos, cum tamen Babylonem perducti fuerint; Auctores ergo horum Librorum mera industria sua, non autem Dei afflatu inspiratos scripsisse compertum est, quod & fassus scriptor secundi Libri in fine veniam exorans si minus digne quam par esset scripsitavit; & Cap. 2. Libri 2. breviationem historiæ Jasonis Cyrenæi a se susceptam, *negotium plenum vigiliarum & sudoris* appellat. Hac loquendi phrasi nullus ex Scriptoribus divinis usus unquam conspicitur; atque Spiritus Sanctus Historias a se inspiratas in compendium reducere minime solet. Hæc possunt adjungi in Divinitatem Librorum Machabaicorum, ne quid insolutum videamur relinquere. Alia quæ possent opponi ulterius, in Dictionario Encyclopedico, Gallico idiomate Lucæ edito ad Articulum *Machabées* videantur; ibidemque ad objecta responsiones in Notis apposuimus.

Ad primum ergo respondetur: ab Auctore Sacro Libri 1. Machab. annos computari ab initio æræ Seleucidarum, quæ sumit exordium ab anno undecimo post Alexandri mortem; his igitur si quinque adiiciantur anni, quibus regnavit Alexander, evidens est ab Eusebio optime traditum initium Regni Antiochi, cum tempus hic Auctor desumat a Græcorum Monarchia, quæ exordium habet in principio Regni Alexandri; qua profecto in hypothesi duo isti Chronologi Eusebius nimirum, & scriptor historiæ Machabæorum optime congruere reperiuntur.

Ad secundum autem dicimus verissimum esse quod de Antiocho legimus in Capite 8. Libri I. Machabæorum; bis enim a Romanis debellatus Antiochus durissimas conditiones ab illis impositas acceptare compulsus est, filium proprium obsidem eisdem concedere, summam talentorum quindecim millia solvere, & maximam Asiæ partem Romanis relinquere, qui postea Eumeni Regi varias tradiderè Provincias, ut Polybius testatur Lib. 17. Livius, Appianus, Diodorus, aliique civilis Historiæ Scriptores. Captus est itaque Antiochus a Romanis, hoc est devictus, & tributarius effectus est.

Ad alteram oppositionem reponimus non unam, sed plurium in templo desolationum abominationes esse admittendas, quarum una sub Antiocho contigit, & de ista Machabæorum Liber agit, altera vero tunc habita est, cum Herodes aquilam auream in eodem collocavit & tertia tandem cum in eodem Antichristus se sistet, ut veluti Numen adoretur a gentibus, & de ista locutus est Christus Salvator, & eamdem Daniel Propheta prænunciavit, quamquam & illa Antiochi ab eodem Propheta prædicta fuisse, possit existimari. Quid autem est quod arguunt in Machabæorum Auctore Hetherodoxi, dum scripsit in Perside Judæos mansisse captivos? Nonne loquitur Sacer Historicus in suo Libro de eo Rege, qui dominabatur dum gesta, quæ referebat, accidere? Hic autem Princeps tam in Perside, quam in Babylone imperabat, & in Perside ulterius plures detinebantur eo temporis Israelitæ; non ergo aliquid falsitatem olens scripsit Sacer Historicus, neque sola humana sua industria, sed Spiritus Sancti afflatu regebatur, dum scripsit; neque obstat venia ab Auctore petita, si quid minus apte a se conscriptum inveniatur; etenim de verborum, & sermonis concinnitate, non de sententiarum integritate, & veritate loquebatur; nil tradere velimus Angelici Præceptoris doctrinam hac de re in 2. 2. q. 173. art. 4. propositam, ubi docet S. Doctor, quod aliquando Dei homines ad aliquid agendum moventur divinitus, quin a Deo moveri se cognoscant; poterat ergo Sacer Scriptor duci a Spiritu Sancto dum scribebat, quin ab eo moveri se nosceret, unde veniam sibi concedi, si in aliquo defeciisset, exorabat. Quamvis autem Dei afflatu regeretur Sacer Scriptor, non tamen a labore, diligentia, & studio in scribendo eximebatur; compendia autem eorum, quæ prolixiori enarratione in Sacris Libris scripta fuerant, ipso ducente Spiritu Dei facta esse compertum est ex Deuteronomii Libro, qui divinus habetur, quamquam breviatio trium præcedentium Exodi scilicet, Levitici, & numeri existimetur. Paralipomenon etiam Epitome quatuor Librorum Regum judicatur, & Marci Evangelium Epitome Evangelii Sancti Matthæi. Nil igitur in divinitatem Librorum Machabaicorum supereſse videtur, quod homini prudenti de iisdem dubium relinquat. (W)

diccæ tradidit, quæ res gliſcentem amicorum ſeditionem ſedavit. Nam etſi non voce nuncupatus hæres, indicio tamen electus eſſe videbatur; Annulus enim ſigillarius, quo ſcripta ſua ſignabat Alexander, ſummæ poteſtatis index erat. Cum autem Perdiccas poſtea Ducibus Provincias diſtribuerit, iſtud Alexandrum viventem feciſſe dici poteſt. *Secundo* hæc diſtributio cenſeri poteſt facta Alexandro vivente, quia diſtributæ imperii regiones eis aſſignatæ ſunt, quibus ab Alexandro fuerant Præſides ac Proreges delegati. Nam Antipatro Alexander Macedoniam commiſerat, quæ eidem relicta eſt, a Perdicca. Idem dicendum de cæteris, ut colligere eſt ex Curtio, [a] & Diodoro. [b]

a *lib.* 10. *cap.* 13.
b *lib.* 18.

IX. Hæc, ut manifeſtiora fiant, ex eiſdem Auctoribus, ſicut & Juſtino XXIX. & Arriano XII. repetendum eſt; extincto Alexandro illius corporis cuſtodes Perdiccam; Ptolemæum, Leonatum, Lyſimachum convéniſſe in Regiam, ut de ſubrogando Rege conſulerent: qui advocarunt Principes, Duceſque copiarum Nearchum, Meleagrum, Ariſtonum, Pithonem, Eumenem, & alios quos ſecuta eſt ingens militum turba, cupientium ſcire in quem Alexandri fortuna declinaret. Perdiccas Regia Sella in conſpectum vulgi data, in qua diadema Alexandri cum armis erant, annulum ſibi pridie traditum a Rege, in eadem ſede poſuit. Juſtinus addit: Corpus quoque Alexandri in medio poſitum fuiſſe, ut majeſtas ejus teſtis decretorum eſſet. Perdiccas vero Regem nominat Roxanis filium, nondum genitum. Nearchus Barſamis filium jam novennem. Ptolemæus Ariſtocratiam ſuaſit. Ariſtonus Perdiccam cupientem, nec tamen audentem, Regem conſtituere nititur. Meleager in Perdiccam ferox invehitur, & ad aurum rapiendum milites concitat. In hac animorum & ſententiarum diſſenſione, Gregorius quidam miles, Aridæum fratrem Alexandri Regem deſignat, qui licet reclamantibus Optimatibus & Equitibus, qui in Perdiccæ ſententiam conceſſerant, Rex ſalutatur a Pithone, & peditum turma. Cum autem inde belli civilis fomenta emergerent: tandem pacis cauſa convenerunt, ut Aridæus quidem Rex ſummam imperii obtineret, regiones vero dividerentur inter Principes, qui Satraparum & Prætorum nomine, eas adminiſtrabant. Diodorus Siculus Provincias & earum Præfectos numerat XXII. Juſtinus XXIX. Dexippus apud Photium XXVII. Arianus XII. Curtius vero X. itaut Aridæus Rex habuerit ſummam Imperii: Perdiccas copiarum Regiarum præfecturam: Ptolemæus Ægyptum & Africam: Laomedon Syriam cum Phœnice: Philotas Ciliciam: Antigonus Lyciam, Pamphyliam, & Phrygiam majorem: Caſſander Cariam: Menander Lydiam: Leonatus Phrygiam minorem, Helleſponto adiunctam: Eumenes Cappadociam & Paphlagoniam; Pithon Mediam: Lyſimachus Traciam, & Provincias appoſitas. Qui vero Indiæ, quique Bactris, & Sogdianis cæteriſque, aut Oceani, aut rubri maris accolis præerant, quibus quiſque finibus habuiſſet imperium, obtineret decretum eſt. Regnum Macedoniæ Antipater, & Græciam quoque invaſit.

Quanquam autem in hac imperii Alexandri diviſione, profani Scriptores & Hiſtorici videantur diſſentire a Daniele Propheta, qui quatuor tantum illius partes nominat cap. XI. v. 3. ubi Alexandrum adumbrans ſub figura hirci caprarum, ait: *Conteretur regnum ejus & dividetur in quatuor ventos cœli*: Nihilominus ab eo non diſcordant, Daniel namque non negat in plures, quam in quatuor partes diviſum fuiſſe Alexandri imperium: de quatuor tamen tantum mentionem fecit, quia regna magis præcipua, magis diuturna, magis Hebræis (quibus ſcribebat,) nota, quatuor tantum erant, Ægyptus, Syria, Aſia, & Macedonia. Ita Danielem explicat S. Hieronymus. *Alexandro mortuo, ſurrexerunt pro eo quatuor Duces ejus, qui ſibi imperium diviſerunt. Ægyptum Ptolemæus Lagi filius tenuit: Macedoniam Philippus, qui & Aridæus: Syriam Babylonem, & omnia regna Orientis Seleucus, Aſiæ regnum Antigonus.* QUATUOR vero dixit VENTOS COELI, quia ſecundum totius Orbis plagas, &, ut ait idem Hieronymus ad cap. XI. ÆGYPTUS *eſt ad Meridiem*, MACEDONIA *ad Occidentem*; SYRIA & BABYLONIA *ad Orientem*; ASIA *vero, & Pontus Antygoni regnum ad Septentrionem.*

§. IV.

Series Principum Syriæ & Egypti.

X. QUoniam autem ad Machabæorum hiſtoriam & ſolutionem eorum quæ adverſus illius veritatem ſolent obiici, intelligentiam, plurimum confert notitia Regum, qui tum in Syria, tum in Ægypto, imperantes Judæos vexarunt; operæ pretium duxi utriuſque imperii Principum Seriem hic attexere: Itaque poſt Alexandri magni obitum regnarunt.

In Syria

In Syria.

I.	Seleucus Nicanor	ann. 32.
II.	Antiochus Soter	19.
III.	Antiochus Theos	15.
IV.	Seleucus Callinicus	20.
V.	Seleucus Cereaunius	3.
VI.	Antiochus Magnus	37.
VII.	Seleucus Philopator	11.
VIII.	Antiochus Epiphanes	12.
IX.	Antiochus Eupator	2.
X.	Demetrius Soter	11.
XI.	Alexander Bales	5.
XII.	Demetrius Nicanor	5.
XIII.	Antiochus Balæ	0.
XIV.	Triphon	3.
XV.	Antiochus Sedetes	9.
XVI.	Seleucus	1.
XVII.	Antiochus Cryphus	12.
XVIII.	Antiochus Cyzicenus	18.

Qui hunc secuti sunt, Seleucus unus, tres Antiochi, Philippi unus, Demetrii unus, & Tygranes, non ultra triennium regnarunt omnes; Cum Syriam in Provinciæ formam redegit Pompeius, anno ante Christum LXIII.

In Ægypto.

I.	Ptolemæus Lagi	ann. 40.
II.	Ptol. Philadelphus	37.
III.	Ptol. Evergetes	26.
IV.	Ptol. Philopator	16.
V.	Ptol. Epiphanes	24.
VI.	Ptol. Philometor	35.
VII.	Ptol. Physcon	29.
VIII.	Ptol. Lathurus	17.
IX.	Ptol. Alexander	10.
X.	Lathurus iterum	8.
XI.	Alexander II.	0.
XII.	Alexander III.	17.
XIII.	Ptol. Auletus	13.
XIV.	Ptol. Dionysius	5.
XV.	Cleopatra	17.

Hæc simul cum Antonio victa ab Augusto ad Actium, mortem sibi conscivit, & Ægyptus facta est Provincia Romana, anno ab orbe condito 4011. Urbis Conditæ 724. ante Christum anno 30 & 300. postquam ab Alexandro inceptum est, Dario victo, imperium Græcorum.

XI. *Opponunt quarto*, his in libris plurima occurrere, quæ non solum probis moribus, & externæ seu prophanæ historiæ, sed etiam sacræ directe adversantur. *Primo* namque in eis laudatur Zelus præposterus ac superstitiosus Judæ Machabæi, qui ut refertur lib. II. cap. XII. Jussit orari & offerri sacrificium pro iis defunctis, quos noverat in mortali crimine discessisse, utpote qui contra prohibitionem & præscriptum Dei, quod habetur Deut. VII. sub vestibus absconderant Idolorum donaria, quæ in expilatis Ethnicorum templis fuerant sufurati. *Secundo* celebratur ibidem cap. XIV. Razias sui ipsius interfector truculentus, cujus exemplum multis postmodum in perniciem fuit; Donatistæ enim Circumcelliones sua homicidia, eo perverso exemplo tuebantur & excusabant, teste S. Augustino, [a] qui & alicubi [b] sobrie hanc historiam legendam esse admonet. *Tertio* cap. II. ejusdem libri legitur Jeremiam, dum vastaretur & incenderetur Jerusalem, & templum, a Chaldæis, abscondisse Tabernaculum & Arcam Fœderis in spelunca quadam montis Nebo: ubi duo sacris Libris adversantia referuntur. *Primum* quod Jeremias ante vastationem Jerosolymæ liber fuerit, cum tamen ipse cap. XXXVII. & LXXVIII. sui libri referat se illo toto tempore reclusum fuisse in carcere, & omnibus Jerosolymitanis invisum. *Secundum*, quod servaverit Arcam & Tabernaculum, cujus contrarium apparet IV. Reg. ult. ubi legimus Nabuzardam Principem exercitus Babyloniorum succendisse domum Domini & domum Regis, & domos Jerusalem, omnemque domum combussisse igni, in qua universa conflagratione Jeremiam potuisse & Tabernaculum & Arcam intacta eripere, & alio transferre, medias inter Chaldæorum militum turmas quis existimabit? *Accedit* quod spondeat Propheta quod iterum Judæi a captivitate Babylonica revertentes, Tabernaculum & Arcam essent recepturi; cujus vaticinii falsitatem demonstravit eventus: ista namque nusquam comparuerunt. *Quarto denique* lib. I. cap. VIII. v. 16. refert Romanos committere uni homini magistratum suum per singulos annos dominari universæ terræ suæ, & omnes uni obedire, quod falsum apparet ex Scriptoribus de rebus Romanis, referentibus illos eo tempore singulis annis duos Consules creare solitos, qui Rempublicam administrarent. Itaque libri illi in quibus tot pugnantia & falsa occurrunt, censendi non sunt Canonici.

Respondeo ad primum, merito jure celebrari pietatem & Zelum Judæ, jubentis sacrificia fieri & orari pro defunctis illis, quos pie existimavit Judas, in articulo mortis de peccatis doluisse, & misericordiam apud Deum inveniisse; pro cujus tuenda gloria, tanta animi fortitudine pugnaverant, & vitam posuerant, quod indicant illa verba; *Quia considerabat quod bi qui cum pietate dormitionem acceperant, optimam haberent repositam gratiam*. Hinc sancti Patres, quotquot docuerunt orandum & sacrificandum esse pro mortuis, quos non est certum in cœlo vel in gehenna esse, factum illud Judæ proferunt & laudant, maxime S. Augustinus: [c] Necnon & S. Damascenus in præclara illa homilia seu oratione, quam habet pro mortuis juvandis precibus & sacrificiis.

Ad secundum dico, in eis quidem libris referri factum Raziæ, non vero laudari, ut reponit S. Augustinus locis in objectione laudatis. Vel certe laudari tanquam facinus audacter & viriliter gestum quod hominum

a *lib. 1. contra Gaudent. cap. 31.*
b *lib. 2. contra Epist. Gaudent. cap. 31.*
c *in Epist. 61. ad Pulcitium & lib. de cura pro mortuis cap. 1.*

minum judicio, argumentum esset constantis & fortis animi, non vero quod esset pium ac religiosum ac divinæ Legi consentaneum.

Ad tertium dico, Jeremiam id potuisse exequi, dum Chaldæi primum venerunt in Judæa, temporibus videlicet Joachim Regis: aut cum redierunt temporibus Jechoniæ; ter enim Nabuchodonosor cum ingenti exercitu Judæam vastavit & abduxit inde captivum Regem & populum: *Primo* quidem tempore *Joachaz* Regis II. Paralip. cap. XXXVI. v. 6. *Secundo* tempore *Joachim* IV. Reg. cap. XXIV. v. 15. *Tertio* tandem temporibus *Sedeciæ*, quo regnante, Jerusalem cum templo a Chaldæis subversa est, & omnis Judæa prorsus devastata. Tametsi autem, ut appositè observat Bellarminus, [a] temporibus Sedeciæ Regis, Jeremias fuerit semper in carcere reclusus, tamen temporibus Joachim liberrimus erat, & summa apud omnes pollebat auctoritate. Unde verosimile fit Joachim sponte tradidisse se Regi Babyloniæ, quemadmodum ei suaserat Jeremias cap. XXVII. Potuit igitur Jeremias, ipso Rege consentiente, Arcam & Tabernaculum asportare, cum jam timore ac terrore oppressi essent Judæi omnes, propter adventum formidandi Babyloniorum exercitus. Potuit etiam istud exequi Jeremias postquam Jerosolymam cœperunt Chaldæi temporibus Sedeciæ, concedente illud Nabuchodonosore, qui Jeremiam maximi faciebat testatur cap. XXXIX. v. 11. & XL.

[a] *lib. 1. cap. 15.*

Quod autem tempore vastationis Jerosolymitanæ, ab eis ablata non fuerint Tabernaculum & Arca, colligitur ex cap. LII. Jeremiæ, ubi enumerantur omnia, quæ ex Templo Domini Chaldæi abstulerunt, usque ad phialas & mortariola; Arcæ vere Tabernaculi nulla fit mentio. Neque etiam vaticinium Jeremiæ, de restituenda iterum Judæis Arca, vanum fuit & irritum. Neque enim id futurum spondet Jeremias, dum Judæi soluta captivitate Babylonica in patriam essent reversuri; sed loquitur de novissimo tempore proxime antecedente judicii diem, quando Judæi ad Christum conversi, in patriam remeabunt, ut explicat Pseudo-Epiphanius, *in vita Jeremiæ;* idque colligitur ex verbis illius Prophetæ quæ habentur lib. II. Machab. cap. II. v. 7. *Dixit enim quod ignotus erit locus, donec congreget Deus congregationem populi & propitius fiat: & tunc Dominus ostendet hæc, & apparebit majestas Domini, & nubes erit sicut & Moysi manifestabatur, &c.*

Ad ultimum tandem dico, quod etsi Romani duos Consules crearent; in more tamen apud eos positum erat, ut Consules illi alternis vicibus res tractarent, & imperarent; cujus argumentum est infelix pugnæ Cannensis eventus, non aliunde repetendus, quam ex temeritate illius Consulis, penes quem eo die imperium erat. Itaque, inquit Bellarminus, licet duo Consules essent, uni tamen commissa Respublica videbatur. Idque institutum est, ab ipso primo exortu Consularis dignitatis, ne videlicet (ut ait Livius lib. II.) *si duo simul Consules imperarent, Regibus exactis, non remotus, sed duplicatus terror videretur.*

XII. *Quintum* conficiunt *argumentum* ex dissonantia occurrente inter *primum* & *secundum librum*, in referenda æra, qua Machabæorum res gestæ sunt. Nam diversa est omnino utriusque rem eandem narrantis supputandi ratio. Enimvero *liber primus* cap. VI. v. 16. refert Antiochum Epiphanem mortuum esse anno XLIX. Regni Græcorum, *Secundus vero* cap. XI. v. 33. mortuum eum dixit anno CXLVIII, Siquidem *Antiochus Eupator* ejus filius, post mortem patris regnum adeptus, Epistolam signat anno CXLVIII. *Præterea* liber primus cap. VI. v. 20. Narrat *Eupatorem* cum ingenti exercitu Judæam invasisse anno CL. Secundus autem cap. XIII. factum refert anno CXLIX. *Demum* primus cap. VII. v. 1. exhibet Demetrium ab urbe Roma exiisse anno CLI. Secundus vero cap. XIV. v. 4. exitum illum confert in annum CL. Constat igitur ex varia illa inter utrumque librum pugna, alterutrum aberrare: cum vero non certum sit quis verum referat, neuter eorum dicendus est Canonicus.

Respondeo nullam exinde inter utrumque librum, quod spectat ad rei veritatem, pugnam intercedere: Hæc enim temporis dissonantia facile componetur, si observaverimus primo, non eundem fuisse utriusque Scriptorem, sed omnino diversum, qui diversam etiam supputandi rationem & epocham servaverint: *prior* enim citius, *posterior* serius æram incipit. Prior posteriorem antevertit anno integro, ut constat ex singulis objectionis capitibus. Unde autem repetenda sit illa epochæ diversitas: Varii varia disputant maxime Scaliger [b], Petavius [c], Torniellus [d], Serrarius [e], Redanus [f], & alii bene multi. *At* prætermissa illa, de varia apud veteres epocha, ampliori discussione; ut proximius in scopum collimemus, *dico* diversitatem illam oriri ex eo quod liber prior sex mensibus, non autem sesqui anno seu octo mensibus, ut volunt Serarius & Torniellus, antevertit æram posterioris. Nam liber *prior* annos suos orditur a mense Nisan, & æquinoctio verno; *posterior* a Tisri & equinoctio autumnali, quod Redanus ex Petavio sic probat ex quibusdam Scripturæ locis inter se collatis: „ Anno „ CLI. quo Demetrius Roma profugit *lib.* „ I. *cap.* VII. *v.* 1. occisus est Nicanor die „ 13. mensis Adar, ut habetur *v.* 43. Sed „ mox post mortem Nicanoris, ut habetur „ cap. IX. v. 1. & 3. Bacchides, & Alcimus missi sunt in Judæam mense primo, „ anno CLII. id est, mense Nisan (qui „ omnium opinione primus appellatur, & „ propterea lib. I. cap. XVI. 14. mensis „ *Sabbat* undecimus appellatur;) ergo adveniente Nisan, facta est anni mutatio, „ siquidem mense Adar anno CLI. Nicanor cecidit, & mense Nisan proxime secuto numerari cœpit annus CLII. *Deinde* „ Alexander Antiochi filius lib. I. cap. X. „ v. 1.

[b] *lib. de emendat. temp. & in Isag. Canon.*
[c] *lib. 10. de doct. temp. cap. 42. & seq.*
[d] *ad ann. 3542.*
[e] *ad cap. 4. lib. 2. Machab.*
[f] *Sect. 10. in Apparat.*

„ v. 1. Ptolemaidem obtinet anno CLX. „ At eodem anno labente, (ut constat vers. „ 21.) septimo mense, Jonathas stolam pon„ tificiam induit: igitur nulla anni mutatio „ facta est ineunte *Tisri*. *Præterea* Jonatha „ interfecto (cap. XIII. v. 22.) hyberno „ tempore, cum nix multa esset, Simon „ summo sacerdotio potitus est eodem anno „ CLXX. At postea v. 51. *mense secundo* „ sequenti, numeratus est an. CLXXI. Er„ go incepit a *Nisan* epocha libri prioris, „ forte, quia mense illo devicit Seleucus „ Antigonum, & Asiæ sibi vindicavit im„ perium. *Auctor* vero *libri Secundi* annos „ incipit a mense septimo *Elul*, & *Tisri*, „ forte, quia in eo contigerat triumphalis „ Seleuci ex Asia minori subacta in Syriam „ reditus: vel quia *Auctor libri prioris* an„ nos Seleucidarum, cum annis sacris in„ cipere voluit; *posterior* vero cum annis „ Judæorum civilibus. *Hæc ille*.

Ex quibus facile est conciliare ea quæ in utroque libro repugnare videntur: quæcunque enim ab initio *primi mensis* usque ad *sexti* finem, Semestri scilicet æstivo, gesta sunt, non in eundem annum referri possunt ab utroque Scriptore, quia inquit ibidem Redanus, quæ in annum CL. refert *liber Primus*, eadem in annum CXLIX. refert *Secundus*. Quidquid autem factum est a mense septimo usque *ad Nisan*, idest, integro Semestri hyemali, id totum in eundem annum ab utroque Scriptore refertur. Unde *annus* ille *Sabbaticus*, quo Antiochus Eupator venit Hierosolymam, ut opem ferret obsessis, per integrum Semestrium, nempe a *Tisri* ad *Nisan* utrique Auctori erat CXLIX. adveniente vero *Nisan*, *Auctor libri primi* annum CL. incepit: *Liber* autem *secundus* tota illa æstate in anno CXLIX. perstitit, & in autumno ad CL. gradum fecit.

At instat Scaliger. Non potest inquit hac ratione solvi ac componi peculiaris illa difficultas de pace ab Eupatore cum Judæis inita, *ut refertur lib.* II. *cap.* XI. Siquidem Eupator signat Epistolam suam anno CXLVIII. die XV. *mensis Xantici*, qui vel ipse *Nisan* fuit, vel non procul ab eo. Pax vero illa inita est, post mortem Antiochi Epiphanis, qui lib. I. cap. VI. mortuus est anno CXLIX. qui ante *Nisan* incipere non potuit. Ergo vel annus qui *Auctori priori* erat CXLIX. ante *Nisan*, erat etiam *Auctori posteriori* CXLIX. vel paucis admodum diebus post Epiphanis obitum, actum fuisset ab Eupatore de pace cum Judæis, quod utique Scripturæ sacræ repugnat. Nam *Auctor lib.* II. mortem Antiochi refert cap. IX. *Deinde* plura enarrat ab Eupatore facta, quæ paucis diebus perfici non poterant, priusquam ille pacem iniret cum Judæis, quam ipse narrat cap. XI. *Præterea*, inquit Scaliger, *ex lib.* I. *cap.* VI. Pax illa inita est anno Sabbatico, ut apparet ex v. 49. qui annus fuit CL. At lib. II. cap. XI. v. 21. & 33. factum id refertur anno CXLVIII. qui in neutra æra ordienda *a Nisan* vel *Tisri* Sabbaticus esse potuit. Unde jocularitər exclamat: *Quis O edippus hæc solverit? bene de illo Auctore meruerit, qui illum a suspitione erroris liberaverit.*

Verum, inquit Petavius, turpissime hallucinatus est Scaliger in re facili, & nimis temere erroris notam sacræ historiæ affingit, quod non animadverterit aut perfide dissimulaverit, bis ab Antiocho & Lysia pacem cum Judæis esse compositam. *De priori* agitur lib. II. cap. XI. *de posteriori* lib. I. cap. VI. v. 58. & 60. & lib. II. cap. XIII. v. 23. *Prior* pax inita est a Lysia absente Eupatore: is enim cum a Judæis devictus fuisset, de pace cum Judæis agere cœpit, ut apparet ex illius Epistola, quam ad illos scripsit, quæ habetur lib. II. cap. XI. v. 17. *Porro* quod Lysias tunc absens esset a Rege, apparet ex Regis ad eum Epistola, quæ ibidem refertur una cum Epistola Regis, qua sancitam cum Judæis pacem confirmat Unde cap. XII. v. 1. legimus: *His factis pactionibus Lysias pergebat ad Regem. Posterior* pax sancita est ab Antiocho Eupatore suadente Lysia. Cum enim post initam priorem pacem, Judas Macchabæus multa strenue gessisset in Syria adversus hostes suæ Nationis & Religionis, & insuper cepisset arcem Sion, Antiochus Eupator cum Lysia & ingenti exercitu supervenit: contra quos cum a Juda diu pugnatum fuisset, Eupator suadente Lysia, obsidionem civitatis Jerosolymæ & montis Sion solvit, pacemque cum Judæis iniit. Unde pax inita a Lysia solo & demum confirmata a Rege, anno CXLVIII. cujus fit mentio lib. II. cap. XI. diversa est ab ea posterius inita, quæ memoratur lib. I. cap. VI. *Itaque* manifesta fit inscitiæ & impietatis pleniſſima Scaligeri hallucinatio, dum sacros illos Scriptores erroris insimulat.

XIII. *Sextum tandem argumentum* priori haud absimile conficiunt, ex eo quod libro I. cap. IX. v. 3. Judas dicitur occisus in prælio anno Seleucidarum CLII. libro autem II. cap. I. v. 10. literas scribit ad Aristobulum anno CLXXXVIII. scilicet XXXVI. annis postquam eum occisum retulit liber prior. *Insuper* lib. I. cap. IV. v. 6. Judas templum repurgat ante mortem Antiochi. *At* lib. II. cap. X. post mortem Antiochi facta legitur illa purgatio. *Deinde* lib. I. cap. VI. Antiochus illustris mortuus dicitur in Babylonia præ animi dolore, quia non successerant ei negotia, sicut optaverat. At lib. II. cap. I. v. 13. cecidisse dicitur in templo Nanææ, & percussus a Sacerdotibus templi, qui milites suos membratim diviserunt. Igitur, &c.

Ad primum respondet Rupertus, [a] Judam illum qui Epistolæ subscripsit anno CLXXXVIII. non eundem esse cum *Juda Machabæo*, sed alium ab eo diversum. *Verum* illo anno, non aliquis nomine *Judas*, sed *Joannes Hyrcanus* Dux Judæorum erat: verosimile autem est cum Senatu & populo Judæorum non alium in literarum titulo nominari, quam Principem. *Reponunt alii cum Lyrano*, hunc quidem esse *Judam Machabæum*, sed annos qui literarum initio ponuntur, supputari, non more

[a] *lib.* 10. *de Victoria Verbi Dei cap.* 15.

Græ-

Græcorum a Seleuco, ſed more Hebræorum anno XII. Aſſueri, quo Judæi Eſtheræ Reginæ opera liberati ſunt ab Exterminio per Amanum ipſis intentato. *At* vix credibile eſt ſervatam in aliis locis ſupputandi rationem Seleucidarum præterquam in hoc unico textu. *Deinde* juxta Euſebii & Joſephi Flavii computum, non CLXXXVIII. ſed pluſquam CC. anni ab Aſſuero ad Judam effluxerunt. Prætermiſſis ergo aliorum reſponſis, cenſeo dicendum cum Melchiore Cano, Bellarmino & aliis, illa verba, *anno* CLXXXVIII. non eſſe principium Epiſtolæ ſequentis, quam Judas ſcripſit; ſed finem præcedentis, quæ ſcripta eſt a toto populo Judæorum, duce Joanne Hyrcano, idque, ait Bellarminus, indicant Græci Codices, qui poſt illa verba, *anno* CLXXXVIII. diſtinctionem conſtituunt, neque poſteriorem Epiſtolam ordiuntur a prædictis verbis; *Anno centeſimo octuageſimo octavo*: ſed ab illis, *Populus qui eſt in Judæa & Jeroſolymis, &c.* Unde veroſimilius arbitror a Juda quidem ſcriptam fuiſſe hanc poſteriorem Epiſtolam, ſed nonniſi poſt ejus mortem, conciliatamque Judæis pacem, temporibus Joannis Hyrcani, ad Judæos in Ægypto commorantes, fuiſſe directam, cui Judæi Jeroſolymitani brevem illam priorem adjunxerunt, notato quo ſcribebant anno, nimirum CLXXXVIII. Cujus etiam indicium eſt, quod illa verba media ſint, inter finem unius Epiſtolæ & initium alterius: numerus autem annorum deſignari ſolet potius in fine, quam in Epiſtolæ initio.

Ad ſecundum, dico, repurgationem Templi factam fuiſſe quidem anno CXLVIII. & ante mortem Antiochi, licet *Auctor ſecundi libri* eam referat, poſtquam narravit Antiochi mortem, ut nempe abſolveret ea omnia quæ ſpectabant ad Antiochum, priuſquam ad alia narranda pergeret. Unde recenſet quidem illam poſt Antiochi mortem; ſed non aſſerit eam poſt vita functum Antiochum duntaxat contigiſſe. Neque his repugnat quod aſſerit v. 3. celebritatem illam factam fuiſſe poſt biennium; ſiquidem vox illa (*biennium*) non ſic uſurpanda eſt, quaſi repurgatio illa facta fuiſſet biennio poſt mortem Alexandri; ſed biennio a profanatione: profanatum enim fuit templum anno CXLV. ut dicitur lib. I. cap. I. poſt biennium autem exactum, & triennio jam ineunte fuit repurgatum anno videlicet CXLVIII. Quare recte Euſebius [a]; & Joſephus [b] ſcribunt Templum repurgatum fuiſſe anno III. a profanatione, ideſt, poſt completum biennium.

Ad tertium tandem, dico, circa Antiochi obitum narrandum priorem librum a poſteriori non diſcrepare; utriuſque enim facile conciliabitur narratio, ſi dixerimus Antiochum illum ab expilatione Templi Nanææ repulſam paſſum, atque manifeſtum vitæ periculum neſcio quo pacto effugientem, poſtmodum copioſiori militum apparatu, hanc ab Elemaitis ſeu Perſepolitanis irrogatam ſibi injuriam vindicare fuiſſe aggreſſum; at multitudine civium ad arma concurrente, majori ex parte fuſo ac debilitato exercitu ſuo, ſibi ſuiſque ſalutem quantocius recedendo quæſiviſſe, ut refertur lib. II. cap. IX. Cum autem ex illa præcipiti fuga, qua in Babylonem venire diſpoſuerat, in Mediam divertiſſet, contigit ut nuntius, qui de Syria venerat relaturus ea quæ in Judæa acciderant, ipſum reperiret circa Ecbatanam Regiam Mediæ urbem, a quo cum audiſſet Antiochus, a *Juda Machabæo* fugatos ſuos duces, *Lyſiam Nicanorem* & *Timotheum*, & contritos omnes ſuos exercitus; his auditis ira ac furore abreptus, ſuum juſſit citiſſime agitari currum, & ſine intermiſſione iter facere Jeroſolymam verſus. Verum cum divina agente providentia, ex curru velocius concitato cecidiſſet, graviterque colliſo corpore, diro inſuper viſcerum dolore correptus eſſet, itaut in ſella geſtatoria ipſum deinceps deferri eſſet neceſſum, Babyloniam ire juſſit; ſed ingraveſcente morbo, & urgente animi angore, in montibus miſerabili obitu vitam finivit; ut notatur II. libro cap. IX. v. 28.

Nec prædictis obſtat, quod I. cap. VI. v. 4. dicatur *ab Elemaitis fugatus, rediiſſe in Babyloniam, ubi & mortuus eſt*. Non enim ſequitur exinde tum revera intraſſe Babyloniam; cum dicitur & *reverſus eſt in Babyloniam:* Sed quod rediret in eam civitatem, dum accelerata morte obiit in montibus. Unde particulæ *illic mortuus*, non ad Babylonem, ſed ad locum, ubi morbo correptus fuerat, referri debent: vel per *Babyloniam* intellige Babylonicum Regnum: *Nec pariter obſtat* quod ſecundo libro cap. I. v. 1. legatur: *Nam cum ipſe eſſet in Perſide, ipſe, & cum ipſo immenſus exercitus cecidit in templo Nanææ, &c.* Dicitur enim cecidiſſe, non quod mortuus ſit, ſed quod exercitus cui præerat ut Caput & Dux, percuſſus ceciderat, & ipſe Antiochus turpi fuga vix evaſerat. Sic Geneſ. XIV. legimus Regem Sodomorum in prælio cecidiſſe, qui tamen ibidem v. 17. Poſtea vivus occurriſſe Abrahamo legitur. Hæc ſunt graviora momenta quæ adverſus horum librorum auctoritatem ab Hetreodoxis ſolent obiici: cætera vero quæ leviora ſunt prætermitto, utpote quæ ex dictis facile poſſint diſſolvi.

XIV. Non immoror etiam in referenda Machabæorum ſtirpe & genealogia, quam ex his libris facile colliges. Iſtud duntaxat notatu dignum ſupereſt, primum librum ſcriptum fuiſſe Hebraice, eumque ſua ætate adhuc ſuperfuiſſe teſtatur S. Hieronymus [c]: *Machabæorum*, inquit, *primum librum Hebraicum reperi: an autem modo Codex Hebraicus extet, incertum eſt*. Poſteriorem Machabæorum librum Hebraice quoque ſcriptum fuiſſe affirmare videtur Euſebius Olympiade CXVI. *Machabæorum Hebræa hiſtoria*, inquit, *hic Græcorum ſupputat Regnum. Verum hi libri inter divinas Scripturas non recipiuntur*. At loquitur Euſebius de Hebraica Joſephi Gorionidis hiſtoria, non vero de Canonicis Machabæorum libris: Vel certe

[a] *in Chronico.*
[b] *lib. 12. Antiq. cap. 10.*
[c] *in Prologo Galeato.*

certe de primo Machabæorum libro qui tunc temporis inter Canonicas Scripturas nondum ab Ecclesia speciali definitione fuerat computatus, vel etiam de primo capite secundi libri quod ad utrumque caput pertinere videtur; hoc enim Hebraice scriptum fuisse phrasis ipsa ostendit: reliquam vero partem ipsius libri Græce fuisse scriptam, indicat ipse Græcus nitor & cultus quem sapit, ut notat S. Hieronymus: *Secundus*, inquit, *Græcus est, quod ex ipsa phrasi probari potest*. (54)

DISQUI-

(54) Ut annorum seriem quantum fieri potest ex Sacris Literis colligamus, animadvertimus duorum Machabaicorum Librorum ordinem supereſſe adhuc nobis investigandum, in quibus ab Alexandri Magni temporibus ad Joannis Hircani usque ætatem Judaici populi gesta vel indicantur, vel describuntur. Desinit Sacra Historia in Libro 2. Esdræ ad initium Regni Darii Nothi, quod, ut jam tradidimus in annum Mundi 3581. incidit. Sequuntur deinde Machabæorum Libri, quorum prior initium Regni Alexandri commemorat in Cap. I. ℣. 1. quando scilicet, vita functo Philippo Macedone ejus Patre, anno Mundi 3668., Periodi Julianæ 4378., Periodi autem Græco-Romanæ 5158., ante Christum 336., Græcorum Sceptrum assumpsit, unde per annos 87., qui ab initio Darii Nothi imperii usque ad exordium Regni Alexandri ex divina historia nil certi possidemus. Libri autem Machabæorum sola annorum 212. gesta Judæorum complectuntur; nec omnia & singula, sed tantummodo annorum istorum numerus indicatur in illis, cum Alexandrum commemorent; deinceps vero Israeliticæ gentis principaliora facta usque ad Joannem Hircanum dum Ptolemæi Emissarios interfecit ad annum mundi scilicet usque termillesimum octingentesimum sexagesimum nonum, qui est ante Christum 135. in Libro 1. referuntur; ultra quos undecim solummodo anni adjunguntur in Libro 2., atque gesta Judæorum ad annum usque mundi circiter protrahuntur 3880., quo Judæi scripserunt ad Hebræos in Ægypto commorantes; scilicet anno ante Christum 124.

Ab isto pariter tempore usque ad Evangelium deest historia Sacra, proindeque Judaici populi gesta ab Josepho, aliisque Scriptoribus auspicari compellimur. Ab anno sexto ante Christianam æram incipit aliquid de Judæis in Evangelio S. Lucæ referri, nempe administratio Zachariæ Sacerdotis, Elisabethæ Mariti, cui per Gabrielem Archangelum Præcursoris conceptio enunciata fuit. Si Prideauxium audiamus, in laudati Evangelistæ libro cum narretur descriptio facta a Præside Syriæ Cyrino, octo annorum æram Christianam antecedentium spatium recensitum habebimus; tot quippe annis ante prædictam æram Cyrini censum fuisse constitutum Auctor laudatus opinatur. Quidquid sit tamen de his pro Machabæorum Librorum faciliori intelligentia animadvertimus in primis in secundo Libro ea recenseri gesta, quæ intra tempus Libro priore inclusum acta sunt, unica excepta Epistola, undecim annis postquam Joannes Hircanus Emissarios occiderat Ptolemæi, ad Hebræos in Ægypto existentes data. Hoc autem ferme pacto, & tempora, & ordinem rerum, quæ in duobus Machabæorum Libris recensentur, digerere possumus ad facilius percipiendum quidquid in utroque Libro describitur.

Septimus post Alexandri Macedonis obitum successor in Syriæ imperio fuit Seleuchus hujus nominis quartus, Philopator dictus, qui mortuo Antiocho Magno ejus Patre Sceptrum anno Mundi desumpsit 3817. ante Christum 187., Periodi nostræ 5307. Maximo cum religionis Zelo, divinique cultus, patriæque legis custodia Gens Judaica regebatur ab Onia III. Pontifice hisce temporibus, ob cujus Sanctitatem, atque prudentiam ipsemet Rex Seleuchus de redditibus suis non pauca ministrabat pro Sacrificiis in Dei Templo offerendis, ut legimus Lib. 2. Machab. Cap. 3. ℣. 3. Accedente autem Seleuchi anno undecimo quidam Simeon Beniamita Templi præpositus in simultates cum Onia Pontifice prius, deinde in apertas discordias erumpens tanta in Summum Sacerdotem molitus est, ut eum compulerit ad Regem effugere, postquam divino portento pecuniæ Templi de manu Heliodori liberatæ fuerant. Hæc omnia inter Judæos evenere regnante Seleucho Philopatore, at in Lib. 2. Machab. Cap. 3., & 4. narrantur. Vita functo Seleucho, eidemque in Imperio succedente, anno Mundi 3829., ante Christum vero anno 175. Antiocho Epiphane ejus fratre, eæ calamitates, persecutiones, & angustiæ inter Judæos habuerunt initium, quæ referuntur a ℣. 7. Capitis 4. Lib. II. Machabæorum, & a ℣. 11. Cap. 1. Libri 1. Machabæorum. Ad initium Regni Antiochi Illustris, nempe Epiphanis, impius Jason Oniæ Pontificis frater Summum Sacerdotium pecunia sibi vindicavit, de manu Regis Sacram dignitatem accipiens, statimque Gentium ritus, atque prophanationes in templum intrusit, ut legimus Lib. I. Machab. Cap. 1, ℣. 12., & 2. Macab. cap. 4. ℣. 9. Ab his Machabæorum locis narrantur Antiochi tyrannides, quas in Judæos exercuit usque ad annum mundi 3837. quo surrexit Mathatias Judæ Machabæi pater, ut legimus in Lib. 1. Machab. Cap. 2. Anno autem mundi 3838. functus est vita Mathatias, eidemque successit filius ejus Judas, ut legimus Machab. 2. cap. 8. & Machab. 1. cap. 3. Obiit Mathatias anno æræ contractuum 146. incipiendo tamen a mense Martio Epocham istam cum Auctore lib. 1. Machab., quam a Mense Septembri incipit Auctor secundi Libri. Quidquid in Cap. I. Libri I. perstringitur, legitur in Libro secundo a ℣. 7. Capitis 4. usque ad totum Caput septimum, fusiori calamo descriptum,

Ab anno Mundi 3838., quo regnare cæpit Judas Machabæus super Israel, ducis munere fungens, & sequentis temporis historia habetur in Lib. 1. Machab. a cap. 3. usque ad totum Caput septimum, & in Lib. 2. Machab. a Cap. 8. usque ad finem Libri, qui desinit in referenda Nicanoris morte, in qua pariter narratione absolvitur Caput septimum Libri primi. Liber itaque Machab. secundus nil aliud videtur, quam Epistola scripta ab Hebræis Jerosolymitanis ad suos fratres in Ægypto existentes anno Mundi 3880., in quo gesta referuntur, quæ Jerosolymis contigerunt ab anno Mundi 3817., usque ad annum 3843. Liber autem primus historiam Judæorum persequitur usque ad annum mundi, ut jam diximus 3871. per annos scilicet 28. pluſquam liber secundus,

Epistola autem, quæ ad ℣. 7. Cap. I. Lib. 2. indicatur scripta dum regnaret Demetrius, referenda videtur ad Judæorum gesta, quæ in Lib. 1. Cap. 13. ℣. 40., & sequentibus describuntur, optime etenim congruere inveniuntur ad invicem, quamvis Auctor Libri 1. loco citato annum appellet centesimum septuagesimum, epistola autem illa sub anno centesimo sexagesimo nono obsignetur, si enim post mensem Martium, & ante mensem Septembris eam datam supponamus, optime ad annum 170. juxta Æræ Seleucidarum initium ab Auctore Lib. 1. usurpatum a mense Martio, & ad annum 169. referri potest, cum Auctor Libri secundi Æram illam a mense Septembris, ut sæpe diximus exordiatur. Hæc pro utriusque Libri concilianda, ac rerum gestarum intelligenda historia Tyronibus videntur sufficere. (W)

DISQUISITIONUM BIBLICARUM

LIBER SEXTUS.

De libris Canonicis Novi Teſtamenti.

UT Sol trepidantem ſtellarum lucem, aut vix e tenebris emergentem auroram, ſuo per univerſum orbem coruſcante ſplendore tranſcendit; ſic Eccleſia Chriſti Domini Sponſa, ipſiuſque divini juſtitiæ Solis irradiata fulgoribus, Synagogæ Prophetarum oraculis, veluti ſtellari lumine ſplendenti antecellit. Fuit equidem eximium ac ſingulare Synagogæ privilegium, quod Moſem hominem Deificum, Legislatorem, Doctorem, ac Ducem habuerit: at longe illuſtrior eſt Eccleſiæ prærogativa, quod Unigenitus Dei Filius humanam carnem induerit, quatenus omnia quæcunque audivit a Patre, illi nota faceret, fieretque Doctor, & Legifer noſter, qui verbis nedum, ſed etiam exemplis viam ſalutis æternæ nos edoceret; *Amplioris enim gloriæ* (ait S. Paulus [a]) *Iſte* (Chriſtus D.) *præ Moyſe dignus eſt habitus, quanto ampliorem honorem habet domo, qui fabricavit illam... Et Moyſes quidem fidelis erat in tota domo ejus, tanquam famulus, in teſtimonium eorum quæ dicenda erant; Chriſtus vero, tanquam filius in domo ſua.* Moſaica lex neminem ad perfectum adducebat, *Umbram enim*, (ait [b]) *habebat futurorum bonorum, non ipſam imaginem.* Quamobrem (addit [c]) *Reprobatio quidem fit præcedentis mandati propter infirmitatem ejus, & inutilitatem; nihil enim ad perfectum adduxit lex: introductio vero melioris ſpei per quam proximamus ad Deum.*

[a] *ad Hebræos.* 3. 3.

[b] *cap.* 10.

[c] *cap.* 7.

Illa lex timoris erat, & oneris; hæc amoris & ſuavitatis: *Jugum enim* Chriſti *ſuave eſt, & onus leve* Matth. 11. Illa, ait idem Paulus [d] velut Agar ancilla, in ſervitutem filios generabat; hæc Saræ conjugis Abrahæ inſtar filios procreat, liberos & hæredes quidem Dei, cohæredes autem Chriſti. Unde concludit idem Apoſtolus: *Cum eſſemus parvuli ſub elementis mundi, eramus ſervientes; at ubi venit plenitudo temporis, miſit Deus filium ſuum factum ex muliere, factum ſub Lege, ut eos qui ſub Lege erant redimeret, & adoptionem filiorum reciperemus.* Quocirca S. Cyrillus [e]: *Oportebat*, inquit, *per Moyſem tanquam puerum erudiri Iſraelem, qui puerilis adhuc & rudioris mentis erat. At per Chriſtum, in quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ reconditi: oportuit deſcriptam veram & conſummatiſſimam nobis afferri ſcientiam.* Inſuper *Lex per Moyſem data eſt*, ait S. Joannes [f], *Gratia autem & veritas per Jeſum Chriſtum facta eſt.* Tandem, ut cætera præteream, Lex erat itinerarium & via ad Chriſti Evangelium; hoc vero Legis eſt meta, *Finis enim Legis Chriſtus ad ſalutem omni credenti* [g].

[d] *ad Galat.* 4.

[e] *lib.* 9. *in Joannem.*

[f] *cap.* 1.

[g] *Rom.* 10.

Itaque *melioris Teſtamenti Sponſor factus eſt Jeſus* [h] *& melioris Teſtamenti Mediator eſt, quod in melioribus repromiſſionibus ſanctum eſt* [i]: illudque proprio ſanguine ſignatum ac morte ſua confirmatum, voluit nobis in diſcipulorum ſuorum ſcriptis manifeſtum fieri ac repræſentari. Quoniam vero illa ſunt duplicis ordinis, duaſque in partes diſtribuuntur: in *Evangelium* videlicet, in quo tum vita, actiones, perſecutiones & miracula ipſius Chriſti D. referuntur, tum ſalutaris doctrina, omniaque divina illius oracula repræſentantur: & in *doctrinam Apoſtolorum*, qui divino Spiritu afflati Eccleſiam Chriſti prædicatione fundatam, & mundatam, ſanguine, cœleſtibus ac ſalutaribus ſuis documentis illuſtrarunt ac propagarunt. De utriſque hoc in Libro nonnulla ſunt delibanda: Primo quidem de ſingulis Evangelii Scriptoribus eorumque libris: deinde de aliorum Apoſtolorum ſcriptis & documentis.

[h] *ad Hebræos.* 7. 22.

[i] *cap.* 8. 6.

CAPUT PRIMUM.

De Evangeliorum Etymo & Numero.

I. *Evangelii nomenclatura expenditur.*

II. *Hujus vocis ad Christi D. sacram Historiam designandam usurpatio est perantiqua.*

III. *Tametsi Apostolorum scripta dici possint aliquatenus Evangelica, non sunt tamen proprie Evangelia.*

IV. *Unicum est Evangelium secundum rei veritatem; quadruplex secundum Scriptorum diversitatem.*

V. *Plurima antiquitus conficta sunt Evangelia.*

VI. *Eorum vero quorum fragmenta extant, præcipua sunt:* Evangelium SECUNDUM ÆGYPTIOS.

VII. *Cujus laciniam a Valentinianis prolatam explicat S. Clemens Alexandrinus.*

VIII. *Tametsi nullam ei fidem faciat,*

IX. Evangelium ENCRATITARUM, *seu* TATIANI.

X. *Quod & quale fuerit* Evangelium SECUNDUM HEBRÆOS.

XI. *Christi Domini Sectatores dicti sunt* NAZARÆI, CHRISTIANI, GALILÆI, *&* JESSÆI.

XII. Nazaræi *servabant* Evangelium SECUNDUM MATTHÆUM, *sed interpolatum.*

XIII. *Proto-Evangelium S. Jacobo adscriptum repudiatur.*

XIV. *Sicut & Evangelium Nicodemi.*

XV. Quatuor *duntaxat* Evangelia *uti* canonica *&* genuina *semper Ecclesia probavit.*

XVI. *Singulari Dei dispositione factum est, ut inter Evangelistas duo essent Apostoli, & duo Discipuli Christi Domini.*

§. I.

I. EVangelium Græca vox est, eaque composita, partim ex εὖ, i. e. *bene* & ἄγγελμα, i. e. *nuntio*, inde *Evangelium* dicitur quasi *bonum nuntium*. Nec *abs re quidem*, inquit S. Chrysostomus, [a] *siquidem veniam peccatorum, sanctificationem atque justitiam, redemptionem, adoptionem filiorum, & cæterorum hæreditatem omnibus nuntiavit. Nunquid potest esse aliquid æquale iis tam bonis nuntiis? propterea ergo Evangelium ista vocatur* HISTORIA, *id est* NUNTIUM BONUM. Budæus *in pandectas* addit, *Evangelium* per metonymiam significare *donarium* vel *sacrificium* pro fœlici nuntio. Unde Cicero ad Atticum; *o suaves*, ait, *tuas epistolas quibus* EVANGELIA *deberi fateor*: ubi per *Evangelia* præmia ob bonum nuntium debita intelligit. Nihilominus tamen vocem hanc, *ipsum bonum nuntium* significare: indicat etiam nomen בשורה *Besora* quo ab Hebræis *Evangelium* appellatur. Nam II. Reg. cap. XVIII. v. 18. cum vellet Achimus Davidi nuntiare Absalonem, & victum esse & occisum; Dux Joab prohibuit: *Non eris*, inquit, איש בשורה *isc Besora*, i. e. *vir boni nuntii*. Oritur autem vox *Besora* a radice בשר *Basar*, i. e. *caro* quia *Besora* seu *Evangelium* in id potissimum collimat, ut annuntiet *magnum pietatis Sacramentum*: *Quod*, inquit Apostolus I. ad Timoth. III. *manifestatum est in carne, justificatum est in spiritu, apparuit Angelis, prædicatum est in Gentibus, creditum est in mundo, assumptum est in gloria.*

[a] *homil. 1. in Matth.*

II. Quia vero ad explicandam, illustrandam, & confirmandam de Christi Incarnatione doctrinam & fidem plurimum conferunt ejus vitæ actus & circunstantiæ; ideo ipsa quoque historia, *Evangelii* nomen accepit. Esse autem antiquissimam, & ab ipsis Apostolicis temporibus deductam appellationem, docet nos Justinus Martyr: [b] θοι γὰρ ἀποστολοι ἐν τοῖς γραμμασιν ἃ αὐτῶν ἀπομνημονεύματα, ἃ καλεῖται εὐαγγέλια ἔτας παρέδωκαν, i. e. *Nam Apostoli in commentariis a se scriptis quæ Evangelia vocantur, ita tradiderunt præcepisse sibi Jesum*. Apposite autem observat Grotius, Xenophontem eadem voce ἀπομνημονεύματα, eos libros inscripsisse, quibus præcipua dicta factaque Socratis annotarat, teste Laertio. Ut mirum non sit acta vitæ Christi interdum a SS. Patribus *Commentaria* vocari.

[b] *in Apolog. 2. pag. 98.*

Porro hæc Evangelica doctrina & historia describitur ab Isaia & S. Paulo; [c] *Evangelium pacis:* a S. Matthæo: [d] *Evangelium Regni:* a S. Joanne, [e] *Prædicatio veritatis*: a S. Luca, [f] 1. *Scientia salutis:* a S. Paulo, [g] *virtus Dei ad salutem omni credenti:* a S. Petro, [h] *Virtus & præsentia Domini nostri Jesu Christi* necnon FIRMIOR PROPHETICUS SERMO: quippe cum Prophetarum oracula per Evangelicam doctrinam eventu fuerint comprobata.

[c] *ad Rom. 12.*
[d] *cap. 4. 23.*
[e] *cap. 6.*
[f] *cap. 1.*
[g] *Rom. 1.*
[h] *Epist. 2. cap. 1.*

III. Ab Origene, *Totius Scripturæ primitiæ*. Et rursum: *Est igitur Evangelium*, inquit, *oratio quæ bonam & convenientem rationi rerum annunciationem continet*. Vel *Evangelium oratio est, continens boni præsentiam cuicumque credenti*. Vel *oratio affirmans adesse bonum, quod expectabatur*. Addit *omnes, quas prædiximus, definitiones iis conveniunt, quæ inscribuntur Evangelia. Unumquodque enim Evangelium continet res nunciatas utiles credenti; & qui a se illud non rejecerit, cum pro suo jure afferat utilitatem, jure optimo etiam lætitiam affert dicens salutarem adventum ad homines, & propter homines primogeniti omnis creaturæ, nempe Jesu Christi. Quin etiam quod Evangelium unumquodque sit oratio, docens boni*

Pa-

Patris in filios adventum, ad volentes eum excipere, credenti cuilibet perspicuum est.

Censet ibidem Origenes, omnes novi Testamenti libros Evangelii titulo posse condecorari: *Quod omne Testamentum novum sit Evangelium* (inquit) *adduci possumus ad credendum ex his, quæ Paulus dicit: quando alicubi scribit,* SECUNDUM EVANGELIUM MEUM: *Inter scripta enim Pauli, nullus extat liber, qui vocari Evangelium consueverit. Sed quicquid vel prædicavit, vel dixit, hæc etiam scripsit; ergo ex his colligitur ipsius scripta, Evangelium esse. Quod si Pauli scripta sunt Evangelium, profecto idem censendum est de Petri etiam scriptis; & in universum loquar, omnia quæ ipsius Christi confirmant adventum, & quæ stabiliunt præsentiam illius, quæque inducunt ipsam in animos cupientium suscipere Dei sermonem, stantem pro foribus, & pulsantem, & ingredi volentem in animas, sunt Evangelium.* Admonet tamen *ibidem* Apostolorum Epistolas, & alia scripta proprie *Evangelia* non vocari, si conferantur cum Scriptura quæ actiones, passiones, sermonesque D. N. Jesu contineat. Hinc S. Augustinus, [a] exponens illud Apostoli: [b] *Memor esto Christum Jesum resurrexisse a mortuis ex semine David secundum* EVANGELIUM *meum*; scribit: *Quod autem erat Apostoli Pauli Evangeliam, hoc etiam cæterorum Apostolorum & omnium Fidelium Dispensatorum tanti sacramenti.... Non enim omnes illi Evangelium conscripserunt; sed tamen omnes Evangelium prædicaverunt. Narratores quippe originis, factorum, dictorum, Passionum Domini nostri Jesu Christi proprie dicti sunt* EVANGELISTÆ.

a *lib. 2. contra Faustum cap. 2.*
b *2. ad Tim. 2.*

IV. Ad numerum Evangeliorum quod attinet, si rei veritatem & narrationem spectes, *Evangelium est unicum*: si vero Scriptores attendas, quadruplex ab Ecclesia probatur, & a Catholicis omnibus religiose admittitur. Hæc præclare explicat S. Chrysostomus: [c] „ Dilucidum est, *inquit*, quatuor Evangelia unum esse Evangelium. „ Quum enim quatuor eadem loquantur, „ non est aliud atque aliud, ob personarum differentiam, sed unum ob eorum „ qui loquuntur, consonantiam. Nam etsi „ decies mille sint Evangelistæ, qui scribunt Evangelia, modo scribant eadem, „ multa illa unicum sunt Evangelium; Neque quidquam obstat Scribentium multitudo, quominus unum sit Evangelium. „ Quemadmodum ex adverso, si quis unus „ scribens commemorat contraria, non esset unum Evangelium quæ scribuntur; „ ut enim unum sit Evangelium, aut non „ unum, non æstimatur numero Scribentium: sed hinc, eademne sint, aut diversa „ quæ scribuntur. „ *Hæc ille*. Eadem est omnium Patrum doctrina, maxime *SS. Ambrosii*, [d] *Augustini*, [e] *Hieronymi*, [f] qui cum dixisset *Evangelium esse per quod venit redemptio Fidelium & beatitudo Sanctorum*, subdit: *Quia quatuor unum sunt, & unum quatuor.* At post S. Chrysost. omnium luculentissime id explicat S. Remigius, [g] scribens: *Sicut una est fides, & unum baptisma, ita & unum Evangelium, quia una est doctrina. Et quod unum sit, ipse Dominus manifestat, cum dicit:* ITE PRÆDICATE EVANGELIUM OMNI CREATURÆ: *Et nos quotiescunque plurali numero dicimus* EVANGELIA, *nec doctrinam dividimus, sed libros distinguimus. Nam licet Scriptores sint quatuor, res tamen scripta est una, continens unam historiam, unam doctrinam, unum dogma Fidei*: Ergo Evangelium in se est unum miro ordine, miraque consonantia, ac in quibusdam discordi concordia compositum.

c *in 1. caput Epist. ad Galatas.*
d *init. Comment. in Lucam.*
e *lib. 2. cap. 2. contra Faustum.*
f *in principio Comment. in Marcum.*
g *in init.*

V. Quam varia in Ecclesiæ primordiis evulgata fuerint Evangelia, quorum pleraque confixerant Hæretici, ut sub Evangelicæ veritatis obtentu, suis erroneis dogmatibus patrocinium quærerent: hoc præclare declarat S. Hieronymus: [h] *A diversis*, inquit, *Auctoribus edita, diversarum hæreseos fuere principia, ut est illud* JUXTA ÆGYPTIOS, & THOMAM, & MATTHIAM, & BARTHOLOMÆUM, DUODECIMQUE APOSTOLORUM, BASILIDIS *atque* APPELLIS, *ac* RELIQUORUM, *quos enumerare longissimum est: cum tantum impræsentiarum hoc necesse sit dicere, extitisse quosdam, qui sine spiritu & gratia Dei, conati sunt magis ordinare narrationem, quam historiæ texere veritatem. Quibus jure potest illud propheticum coaptari*: VÆ QUI PROPHETANT DE CORDE SUO, QUI AMBULANT POST SPIRITUM SUUM; QUI DICUNT: DICIT DOMINUS: ET DOMINUS NON MISIT EOS: *de quibus & Salvator in Evangelio Joannis loquitur*: OMNES QUI ANTE ME VENERUNT, FURES ET LATRONES FUERUNT.

h *Prœmio in Matthæum.*

Præter ista vero ab eo commemorata, plurima etiam fuerunt a variis Hæreticis conficta, atque inscripta nominibus aliorum Apostolorum, nempe Evangelium secundum Petrum, secundum Paulum, secundum Andræam, secundum Philippum, secundum Barnabam; necnon & ista sub nominibus, vel *Tatiani*, vel *Ebionitarum*, vel *Nazarenorum*, *&c.* Illa vero quorum aliqua apud veteres Ecclesiæ Patres occurrunt fragmenta, præcipua sunt Evangelia dicta secundum *Ægyptios*, secundum *Hebræos*, aut *Nazaræos*, aut *Ebionitas*, aut *Encratitas*, & ex *Tatiano*, aut secundum *Nicodemum*; aut Proto-Evangel. *S. Jacobi*. Cætera namque omnino antiquata sunt, & obliterata, aut saltem penes me non stat, quis Veterum aliquas ab eis excerptas lacinias suis operibus assuerit. (55)

VI. Evangelii *secundum Ægyptios* in primis meminit Clemens Alexandrinus, [i] qui disputans contra Valentinianum dogma, qui nuptias tanquam a Dæmone excogitatas, & ut nefandas spurcitias damnabant, refert

i *lib. 3. Strom. pag. 453. & 465.*

eos

(55) In fine hujus libri sexti disquisitionum Biblicarum breviter scripta Apocrypha cum veteris, tum novi Testamenti ab Hæreticis, aliisque conficta impostoribus indicabimus; quibusve de causis nonnulli Scriptorum eisdem auctoritatem aliquam adjudicandam opinabantur. (W)

eos in ſui erroris patrocinium ex Evangelio ſecundum Ægyptios proferre conſueviſſe colloquium Salome cum Chriſto, ubi interrogante illa Chriſtum, *quorſum ille e cœlo in terras veniſſet*, referebant Salvatorem repoſuiſſe, *Veni ad diſſolvendum opera fœminæ* Rurſum illa inquirente quouſque morientur homines: Reſpondit Dominus; *Quoaduſque pepererint mulieres*. Interrogante iterum Salome, aut potius ex dictis colligente; *Recte ergo feci quæ non peperi:* dixit Chriſtus: *Omni herba veſcere, ea autem quæ habet amaritudinem ne veſcaris.* Cum autem plura his ſimilia inquiſiviſſet a Domino Salome, tandem ab eo poſtulavit (ut ex eodem Evangelio referebat Julius Caſſianus Valentiniano veneno ineſcatus) quando cognoſcentur ea de quibus interrogaverat: ait Dominus; *Quando pudoris indumentum conculcaveritis, & quando duo facta fuerint unum & maſculum cum fœmina, nec maſculum nec fœminam.* Ex quibus inferebant Valentiniani, Chriſtum reprobaſſe nuptias, & matrimonium, illiuſque opera damnaſſe.

VII. Ad quæ reſpondet Clemens Alexandrin. [a] ad primum quidem, ait *In nobis traditis quatuor Evangeliis non habemus hæc dicta, ſed in eo quod eſt ſecundum Ægyptios.* Deinde quantumvis revera fuiſſent hæc a Chriſto Domino pronuntiata, illa tamen non ad literam ſed tropice & moraliter eſſent accipienda; ita ut nomine *fœminæ*, intelligenda ſit cupiditas & omnis immoderata voluptas corporis, quam Chriſtus ſuis monitis & præceptis reſcindit: revera enim ait: [b] *Diſſolvit opera cupiditatis avaritiam, contentionem, gloriæ cupidinem, mulierum inſanum amorem, pædicatum, ingluviem, luxum, & profuſionem, & quæ ſunt his ſimilia. Horum autem ortus, eſt animæ interitus; ſiquidem mortui delictis efficimur: ea vero fœmina eſt intemperantia.* Et paulo poſt colligit merito Chriſtum reſpondiſſe homines tandiu morituros, *quo ad uſque pepererint mulieres, hoc eſt, quandiu operabuntur cupiditates: & ideo quemadmodum per unum hominem peccatum ingreſſum eſt in mundum; per peccatum quoque mors ad omnes homines pervaſit, quatenus omnes peccaverunt, &c.*

Ad ea vero quæ dixit Chriſtus non eſſe veſcendum herba amara: reſpondet, eum illis verbis ſignificaſſe, quod ſit in noſtra poteſtate, vel continentiam vel matrimonium ſectari; ita ut qui matrimonium ſibi moleſtiſſimum fore ſuſpicatur, ſatius ſit ei continentiam profiteri; Qui vero ex matrimonio pacatiorem ſibi fore vitam, & faciliorem ad beatitudinem æternam viam ex conſortio uxoris ſternendam fuerit ratus, ille matrimonium ſeligat. Tandem ad ea quæ obiiciebat Julius Caſſianus, dicit Clemens: [c] *Eum ignorare quod ira maſculam appetitionem, cupiditas vero fœminam ſignificet; quæ cum operata fuerint, pœnitentia & pudor conſequitur.* Unde infert: *Cum quis ergo neque iræ, neque cupiditati obſequens, quæ quidem & ex conſuetudine, & ex mala aucta educatione obumbrant & contegunt rationem, ſed quæ ex eis proficiſcitur exuens caliginem, & pudore affectus ex pœnitentia ſpiritum & animam unierit in obedientiam rationis, tunc ut ait Paulus, non ineſt in nobis nec maſculus nec fœmina, recedens enim anima ab ea figura, qua diſcernitur maſculus & fœmina, traducitur ad unionem, cum neutrum ſit.* Quibus ſignificat, quod etiamſi anima, utpote ſpiritualis, ſexus differentiam ex ſe non habet; tamen pravis corporeis cupiditatibus illecta, dum carnis voluptatibus adhæſerit, fit veluti illius conſors ac ſexum ſicut & motuum particeps: poſtquam reſipuit, illius actus turpitudinem exhorret atque pœnitentia movetur: & ſic ab illis cupiditatibus libera ſuam naturam ſpiritualem ac dignitatem attendit, videtque ſe ad corpus quidem vivificandum & regendum a Deo deſtinatam, non vero ad inſerviendum illius pravis motibus, & nefandas illas voluptates conſectandas. Unde ſubdit Julium Caſſianum idcirco in eum errorem prolapſum, quod *exiſtimaret, pluſquam par ſit, Platonice, animam quæ ab initio divina erat, cupiditate effœminatam, huc venire ad generationem & interitum.* Hæc Clemens.

VIII. Qui tametſi explicet ea quæ proferebant Valentiniani ex Evangelio ſecundum Ægyptios, id tamen non eo facit animo quaſi aliquam huic Evangelio fidem eſſe dandam aut auctoritatem ei ineſſe exiſtimet, ſed ut illos proprio gladio jugulet. Nam, inquit, [d] *unaquæque hæreſis Scripturam habet quæ ſibi convenienter affertur, quam qui intelligit, oportune eligens, utetur ad eos confutandos, qui præter præcepta decreta conſtituunt.*

Refert etiam S. Epiphanius hæreſi XLII. quæ eſt Sabellianorum (aſſerentium eundem eſſe Patrem & Filium & Spiritum S. perinde atque in homine corpus & anima & Spiritus unum ſunt, itaut corporis inſtar ſit Pater, animæ Filius, Spiritus denique in ipſa divinitate humani Spiritus inſtar, habeatur) illos hunc errorem hauſiſſe ex Apocryphis quibuſdam; præſertim ab Ægyptiorum Evangelio, in quo pleraque ſunt hujus generis quæ ex perſona Salvatoris clam atque occulte velut myſteria proponuntur. Ejuſdem etiam Evangelii meminerunt Origenes [e] Clemens Papa [f] & Theophylactus, [g] qui tamen omnes illud ut Apocryphum reiiciunt.

IX. Evangelium Encratitarum illud ipſum fuit quod Tatianus in ſui erroris patrocinium excogitavit. Hic autem ut refert S. Epiphanius [h] natione fuit Syrus ex Philoſopho Platonico Chriſtianus, vivente S. Juſtino Philoſopho, quem in fide habuit catechiſtam, zelantiſſimuſque fuit Chriſtianæ religionis aſſertor; ſcripſit enim egregium volumen adverſus Gentes; & quandiu vixit S. Juſtinus, nec latum unguem aberravit, ſed varia eximiæ pietatis ſpecimina edidit. Juſtino autem per martyrium ſublato de medio, inquit S. Irenæus [i], cum Tatianus profiteretur ſe aliorum magiſtrum, in Valentini dogma dilapſus, & ab illo errores didicit; atque etiam illius, ſicut & Mar-

[a] pag. 465.
[b] pag. 452.
[c] pag. 465.
[d] pag. 455.
[e] homil. 1. in Lucam.
[f] Epiſt. 2. ad Roman.
[g] Comment. in Lucam.
[h] hæreſ. 26. quæ eſt Tatianorum.
[i] lib. 1. cap. 3.

Marcionis & Saturnini continentiam amplexatus, deteſtatus eſt nuptias, illas merum adulterium ac corruptelam dicens. Unde ait S. Epiphanius, in prætextu continentiæ & pudicitiæ, velut illecebra propoſita, homo vafer obrepſit; tanquam rapax quidam lupus pellem ovis induens, eoque cultu quem ad tempus ſuſceperat, miſeros homines in fraudem pelliciens.

Addebat autem, inquit Clemens Alexandrinus, alterius Dei eſſe Legem, alterius Evangelium, in omnibus pene Marcioni conſentiens. Elaboravit autem opus, quod διατεσσαρων *Diateſſaron* appellavit, quo unum ex quatuor Evangelium contexuit, ut refert Euſebius [a]. Laudabilis plane fuiſſet, hac ex parte Tatianus, inquit Baronius [b] niſi doloſe ſic compingens unum ex quatuor, multa reliquiſſet, quæ de Chriſti carne in eis Evangeliſtis ſunt prodita; quippe qui Marcionis ſemel male imbutus tinctura, quæcunque valuit, pro ejus dogmatibus facere non prætermiſit. De eodem opere agens Theodoretus [c] hæc ait: *Is autem compoſuit etiam Evangelium, quod dicitur ex quatuor, amputatis genealogiis, & aliis, quæcunque oſtendunt Dominum natum eſſe ex David ſecundum carnem. Eo autem uſi ſunt, non ſolum hi qui ſunt illius ſectæ, ſed ii etiam qui dogmata Apoſtolica ſequuntur, compoſitionis fraudem non cognoſcentes, ſed ſimplicius eo tanquam libro compendioſo utentes. Ego quoque inveni pluſquam ducentos ejuſmodi libros, qui in honore habebantur in noſtris Eccleſiis: quos cum omnes ſimul coegiſſem, depoſui; & in loco eorum repoſui quatuor Evangeliſtarum Evangelia.* Hæc Theodoretus. Quæ quidem latuiſſe oportuit Victorem Capuanum, dum quodnam eſſet Tatiani opus, & quod Ammonii Alexandrini eodem argumento conſcriptum, dubitaſſe ſe dicit. At quod deterius eſt, poſt longam de ea re habitam diſcuſſionem quod Ammonii erat opus, Tatiano tribuit, & Diateſſaron Tatiani adſcripſit Ammonio. Exiſtimo enim, hæreſiarchæ opus abſque Auctoris titulo, ob ſectæ infamiam fuiſſe deſcriptum. Ab illo autem Tatiano per ſucceſſionem, *Encratitæ*, id eſt, *continentes*, venenum tranſumpſerunt, illiuſque erroribus imbuti, eoſdem novis opinionibus cumularunt, & majores nugas ac deliria commenti ſunt, inquit S. Epiphanius.

X. Evangelium quod *ſecundum Hebræos*, ſive *Syros* inſcribitur, ut ex Veterum monumentis apparet, illud ipſum fuit quo utebantur Nazaræi: nec aliud certe quam a Matthæo conſcriptum, cujus cum plura fuiſſent exemplaria, Nazaræi (qui genuina erant progenies eorum qui Chriſto nomen in Palæſtina primi dederant) unum exemplar nacti, illud aliquandiu illibatum incorruptumque ſervarunt, ut affirmat S. Epiphanius [d]: *Eſt vero*, inquit, *penes illos* (Nazaræos) *Evangelium ſecundum Matthæum Hebraice ſcriptum, & quidem abſolutiſſimum: hoc enim certiſſime, prout Hebraicis literis initio ſcriptum eſt, in hodiernum uſque tempus conſervant*. Idem quoque teſtatur S. Hieronymus [e] ubi dum agit de S. Matthæi Evangelio ſcribit: *Porro ipſum Hebraicum exemplar habetur uſque hodie in Cæſarienſi Bibliotheca, quam Pamphylus Martyr ſtudioſiſſime confecit: mihi quoque a Nazaræis, qui in Beræa urbe Syriæ hoc volumine utuntur; deſcribendi facultas fuit.*

Tametſi vero Nazaræi ab Eccleſia poſtmodum rejecti fuerint, quod cum Evangelio, etiam Legem Moſaicam ſervandam eſſe contenderent; Tria tamen a Majoribus accepta aliquandiu ſervarunt, nimirum Chriſti doctrinam, appellationem, & Evangelium. *Doctrinam*, inquam nam teſte Epiphanio revera Chriſtum Meſſiam eſſe profitebantur, etſi a cæteris Chriſtianis in hoc deficerent, quod Judaicis adhuc ritibus ut circumciſione, Sabbato, aliiſque cæremoniis eſſent implicati. Neque enim initio aliud crimen eis affingitur proprium, præter Hebræorum rituum obſervationem, a Scriptoribus Eccleſiaſticis. Dubitat equidem S. Epiphanius, utrum cum Cerintho Chriſtum ſimplicem hominem aſſeveraverint; an vero cum Catholicis faterentur per Spiritum Sanctum de Maria Virgine eum eſſe genitum. At cæteri Patres qui Apoſtolorum temporibus proximiores fuere, nihil tale in eis deprehendunt. Unde Irenæus nullam eorum mentionem facit in hæreſum recenſione. Quod enim adhuc ſuo tempore legalia obſervarent, id eis crimini non vertit. Nam ut notat Sulpicius, in Palæſtina Chriſtiani pene omnes ad Adriani uſque tempora, ſub Legis obſervatione in Chriſtum credebant. Hinc Judæi, ut refert S. Epiphanius, capitali odio eos non minus quam Chriſtianos proſequuntur, & quoties ad orandum conveniunt, toties illos diris devovent, ac ſolemni imprecatione proſcribunt.

Idcirco autem ab Eccleſia fuerunt rejecti, quod ad ſalutem non minus Moſaicæ, quam Evangelicæ legis obſervantiam neceſſariam eſſe, obſirmato contra Eccleſiæ judicium animo, conteſtarentur. Unde factum eſt ut poſtmodum in varios errores prolapſi ſint, maxime vero Ebionitarum qui etiam Moſaicam Legem obſervandam eſſe cenſebant.

XI. Nomen etiam tunc temporis Chriſti Sectatoribus commune ſervarunt. Chriſti namque Diſcipuli quadruplici nomine potiſſimum a cæteris, in Eccleſiæ primordio diſtinguebantur. Nam a Jeſu Nazareno, omnes dicebantur *Nazaræni*, & ipſa Chriſtiana religio, *Secta Nazaræorum*, ut conſtat Act. XXIV. ubi qui accuſabant Paulum Judæi dicebant, *invenimus hunc hominem peſtiferum & concitantem ſeditiones omnibus Judæis in univerſo orbe, & Auctorem ſectæ Nazaræorum*. Perſeveravit vero ejuſmodi nomenclatura, ita ut primi in Chriſtum credentes dicerentur *Nazaræni*, quouſque omnes æque a Chriſto dicti ſunt *Chriſtiani* Act. XI. 26. potius quam a Jeſu *Jeſuani*; nam inquit Abbas Panormitanus (in capite *Decet de immun. Eccleſ.*) quia unctionem nobis Chriſtus communicavit, recte dicimur *Chriſtiani*, i. e. *uncti*: non vero *Jeſuani*, quoniam Salvator unus eſt.

Appel-

[a] *lib. 4. hiſtor. Eccleſ. cap. 17.*
[b] *ad annum Chriſti 174.*
[c] *lib. 1. hæretic. fabul.*
[d] *hæreſi 29. aut 9.*
[e] *lib. de Scriptor. Eccleſ.*

Appellati quoque fuere *Galilæi* quod Christus ex Maria e parentibus Galilæis esset oriundus, & Nazareth civitate Galilææ per annos 30. circiter fuisset commoratus. Hoc nomine omnes discipuli qui Christum in cœlum ascendentem mirabantur, ab Angelis conveniuntur, *viri Galilæi, quid statis aspicientes in cœlum?* Eo pariter nomine insignes impietate viri Porphyrius & Julianus Imperator Apostata, & alii his similes, Christianos nuncupare consueverunt. Dicti sunt etiam *Jessæi*, aut a Jesse Davidis Patre a quo Christus originem duxit, aut verosimilius a Jesu quod illius essent discipuli, ut refert ibidem sanctus Epiphanius.

Quin etiam plurimis ad ignominiam confictis nominibus a Paganis appellabantur, inter quæ præcipuum & frequentissimum fuit *impostores*: adeo ut hoc vocabulo Ulpianus, Christiani nominis acerbissimus hostis, eos indigitarit, dum scripsit; *Si, ut vulgari verbo impostorum utar*, EXORCISAVIT lib. I. §. 6. D. de Var. & extr. cognit. S. Hieronymus Epist. 10. ad Furiam: *Ubicunque*, ait, *advenit Christianus, usurpant statim de trivio*, ὁ Γραικὸς ἐπίτριτος, scilicet, *o Græcum impostorem*. Et Epist. 19. ad Marcell. *Si tunica non canduerit, statim illud e trivio impostor & Græcus est. Græci* enim appellantur Christiani, quod Græcorum more pallio, abjecta toga uterentur. Nec meliori conditione ipse Auctor religionis & salutis nostræ Princeps, fuit impostor a suis Judæis vocatus. Ita enim Budæus & alii interpretati sunt illum locum Matth. cap. XXVII. *Seductor ille, &c.* Ab eadem mente impiissima & sceleratissima adorandus ille Salvator *Syrus Sophista*, ejusque *Sectatores Sophistæ* ab impio Luciano dicti sunt.

XII. Tandem Nazaræi Hebraice conscriptum servarunt aliquandiu Evangelium ex S. Matthæo expressum, tametsi auctum plurimis additamentis & quibusdam narrationibus non præscriptis a S. Matthæo, sed inquiebant auditu perceptis: verius ab Hæreticis confictis interpolatum. Unde nata est multiplex diversitas inter illud Evangelium secundum Hebræos aut Nazaræos, & id quod Ecclesiæ Catholicæ tam Græcæ quam Latinæ universali consensu probarunt, atque ut genuinum S. Matthæi textum suscipiendum ac venerandum esse decreverunt. Harum diversitatum exempla quædam profert S. Hieronymus; primum quidem in cap. XII. Matth. ubi hominem illum cujus manum aridam sanavit Christus, addit ex Evangelio Nazaræorum, fuisse cæmentarium: *In Evangelio*, inquit, *quo utuntur Nazareni & Ebionitæ (quod nuper in Græcum de Hebræo sermone transtulimus, & quod vocatur a plerisque Matthæi authenticum) homo iste qui aridam habet manum, cæmentarius scribitur, istiusmodi vocibus auxilium precans: Cæmentarius eram, manibus victum quæritans: precor te Jesu, ut mihi restituas sanitatem, ne turpiter mendicem cibos.* Idem in Catalogo virorum illustrium, Testimonium pro Jacobo fratre Domini assumens ex hoc Evangelio scribit: *Evangelium quod appellatur* SECUNDUM HEBRÆOS, *a me nuper in Græcum Latinumque sermonem translatum, quo Origenes sæpe utitur, post resurrectionem Salvatoris de Jacobo sic refert: Dominus autem cum dedisset sindonem servo Sacerdotis, ivit ad Jacobum & apparuit ei. Juraverat enim Jacobus, se non comesturum panem ab illa hora, qua biberat calicem Domini, donec videret eum resurgentem a mortuis.* Rursusque post paululum: *Afferte ait Dominus, mensam & panem.* Statimque additur, *tulit panem, & benedixit ac fregit, & dedit Jacobo Justo, & dixit ei, Frater mi comede panem tuum, quia resurrexit Filius hominis a dormientibus.* Hæc Hieronymus. Qui in eodem libro de S. Ignatio loquens, inquit, *Ignatius unam ad Smyrnæos scripsit Epistolam, in qua de Evangelio, quod nuper a me translatum est: super persona Christi ponit testimonium, dicens: Ego vero & post resurrectionem eum in carne vidi, & credo, quia sit, & quando venit ad Petrum & ad eos, qui cum Petro erant; dixit eis, Ecce palpate, quia Dæmonium non sum incorporale, & statim tetigerunt eum, & crediderunt.* Rursum lib. 3. adversus Pelagianos: *In Evangelio*, inquit, *juxta Hebræos, quod Chaldaico Syroque sermone, sed Hebraicis literis scriptum est (quo utuntur usque hodie Nazareni secundum Apostolos, sive, ut plerique autumant, juxta Matthæum) & in Cæsariensi Bibliotheca habetur, narrat historia: Et ecce mater Domini, & fratres ejus dicebant ei, Joannes Baptista baptizat in remissionem peccatorum, eamus, & baptizemur ab eo. Dixit autem eis, Quid peccavi ut vadam, & baptizer ab eo?*

Hujus etiam meminit Clemens Alexandrinus [a] ubi cum vellet astruere admirationem esse primum gradum ad perfectam Dei notitiam, id confirmat auctoritate Evangelii SECUNDUM HEBRÆOS; *scriptum est*, inquit, *in Evangelio* SECUNDUM HEBRÆOS, *qui admiratus fuerit, regnabit, & qui regnabit, requiescet:* Ubi pariter memorat Evangelii, seu libelli Traditionis sub nomine S. Matthiæ: *Et Matthias*, inquit, *adhortans in Traditionibus, admirare præsentia, eum esse primum gradum statuens ulterioris cognitionis.* Similiter ut multi coniiciunt, Origenes [b] ex illo Evangelio secundum Hebræos, producit illud, *dixit Christus, modo accepit me mater mea, Spiritus Sanctus, uno capillorum, & me in montem magnum Thabor portavit.* Verius ego censerem hæc fuisse exscripta ex Evangelio Tatiani, quo Encratitæ & Valentiniani utebantur, sapiunt enim hæc verba hæresim Valentinianorum asserentium Spiritum S. esse Matrem Christi.

[a] lib. 2. Strom. pag. 380.

[b] tom. 2. in Joan.

Excusat quidem hæc verba Origenes, dicens illa sic esse accipienda, quod Spiritus S. vocetur Mater Christi, non generatione, sed pietate materna & imitatione, quia imitatur Patrem: Christus autem dixit: *Qui facit voluntatem Patris mei qui est in cœlis, hic Pater meus & mater est.* At excusatio videtur omnino frigida. Neque probanda magis sententia Bedæ, qui in principio

pio Commentariorum in Lucam, de ipso Evangelio sic scribit; *Notum est quod dixit Evangelium juxta Hebræos, quo utuntur Nazaræi, non inter Apocryphas, sed inter Ecclesiasticas numerandum historias: nam sacræ Scripturæ interpreti Hieronymo visum est, ex eo pleraque testimonia sumere, & ipsum in Latinum, Græcumque sermonem transferre.* Nusquam enim Evangelium istud publicam & universalem auctoritatem in Ecclesia obtinuit, nec in Canonem sacrorum librorum relatum est, nec à SS. Patribus probatum, nisi eis in rebus, in quibus omnino cum genuino S. Matthæi Evangelio consentiebat.

§. II.

De Proto-Evangelio S. Jacobi.

XIII. EXtat inter Orthodoxographa, vel monumenta SS. Patrum Proto-Evangelium istud. Ejus argumentum est nativitatem Deiparæ Virginis referre: continet enim historiam nativitatis ipsius Virginis Mariæ, ejusque illustrium gestorum, usque ad Magorum adventum. At inter cæteras nænias, quibus hic liber abundat, sequentes potissimum omnem illius auctoritatem & sanctitatem proscribunt. I. Quod fingat Joachimum & Annam ob sterilitatem ejectos e Templo, & ab offerendis victimis, tanquam indignos esse repulsos. II. Ridicule narrat quod Anna Mariam infantem sex mensium in terram deposuerit, ut experiretur num erecta staret; atque quod septem gressus infans fecerit, veneritque in sinum matris suæ. III. Dicit Mariam in Templo Domini cibum accipisse de manu Angeli; quod haud adeo discrepat a commento Muhammedis: *Quotiescunque ingressus est ad illam Zacharias in templum, invenit juxta eam cibum. Interrogavit, unde hic tibi Maria? Illa respondit, a Deo est: Deus enim cibat quem vult, sine omni mensura.* Atque Interpres Alcorani, apud Levinum Wernerum, [a] hæc notat de cibo cœlitus Mariæ concesso: *Demittebatur ad eam e paradiso, nec unquam sugebat ubera, & suppetebant illi fructus hyberni æstate, & fructus æstivi hyeme.* IV. Illud etiam adiicitur absurdissimum, nempe Josephum & Mariam, stupri & sacrilegii accusatos, ex decreto Sacerdotum simul fuisse adactos ad bibendum poculum redargutionis, quo Moses explorari jussit innocentiam fœminæ de adulterio suspectæ. V. Fingitur quoque, Josephum & Mariam jussu Sacerdotis potasse aquam zelotypiæ, cum Maria deprehensa esset gravida, innocuosque ad montana exiisse atque rediisse. VI. Quod Maria peperit in spelunca. VII. Quod ad Mariæ partum multa miracula ostensa sint cœli stantis, volatiliorum subsistentium, & ovium atque Pastorum, &c. VIII. Turpius est quam referatur, illud de manu obstetricis Salome ardente atque sanata. IX. Illudque nugacius, quod additur, de matre Joannis Elizabetha, cum filio, in montem divisum receptis. Tandem quod summum hariolationis argumentum est, hujus Pseudo-Evangelii Auctor, qui dicit se fratrem Christi, & filium Josephi nomine *Jacobum*, itidem testatur se omnia vidisse circa Christi nativitatem, & historiam inde hanc conscripsisse.

[a] *in Compend. doctr. Muhammed. de Christo pag. 4.*

§. III.

De Nicodemi Evangelio.

XIV. HAbetur itidem & istud inter Orthodoxographa, verius Pseudo-epigrapha Patrum. Enimvero fidem huic Evangelio derogant, quæ in eo occurrunt nugæ & fabulæ quibus inspergitur; ex plurimis aliquas duntaxat profero: I. Refert quod Jesu Pilati prætorium ingrediente, capita signorum quæ signiferi pro more Romanorum gestabant, se incurvaverint coram eo, illumque adoraverint; quod utique prodigium, si verum esset, hauddubie cæteri Evangelistæ non tacuissent. II. Quod Veronica fuerit illa mulier, quæ fluxu sanguinis ab anno ætatis suæ XII. laborans, a Christo D. sanitatem acceperit. III. Quod Latro pœnitens, cum Christo D. crucifixus, atque cum eo in cœlum receptus, crucem humeris suis in paradiso circumferat. V. Quod qui Christo D. moriente resurrexerunt, in Jordane baptizati, Pascha cum amicis & parentibus celebraverint. Plurima sunt his similia commenta, quæ jejunas & inanes fabulas redolent.

Dices forte ad hujus Pseudo-Evangelii commendationem illud jam olim fuisse Ecclesiæ notum: Nam ad ejus calcem legimus: *In nomine sanctæ Trinitatis, expliciunt gesta per Salvatorem Jesum Christum, quæ invenit Theodosius magnus Imperator in Jerusalem, in Prætorio Pontii Pilati, in Codicibus publicis, facta in anno Decimo-nono Imperatoris Tiberii Cæsaris Romanorum, & Herodis filii Herodis Regis Galileæ, anno decimo-septimo Principatus ejus. VIII. Calendas Aprilis, quod est XXXIII. die mensis Martii, Consultatoriæ revelationis in anno CCII. Olympiadis sub Principatu Judæorum Josephi & Cuiphæ. Quanta post Crucem & Passionem Domini historiatus est Nicodemus litteris Hebraicis.* Verum, inquit Hoornbeekius, in hac narratione haud unus error, falsique indicium ostendi potest I. vocabulum Trinitatis, & modus hic loquendi, in nomine S. Trinitatis, & vox *peccati originalis*, quæ hic occurrit, posterioribus demum nota. II. Non gesta per Salvatorem

Jesum hoc Evangelio narrantur; sed ut quoque inscriptio habet, de Magistri & Salvatoris nostri Jesu Christi passione & resurrectione, eo agitur. III. Inveniisse hæc demum Theodosius magnus perhibetur; at quomodo illorum nulla mentio quoque facta in sacris N. Test. vel Evangeliis, vel Actis? quomodoque post Theodosium, Patres & Commentatores Evangelici nullum de eo unquam verbum? IV. Invenit hæc Theodosius in Jerusalem, in prætorio Pontii Pilati, in Codicibus publicis, quæ omnia tum, ut diu antea devastata, nulla erant. V. In Scriptione sacra ut addatur dies Kalendarum Aprilis; & dies quotus Martii, & annus Olympiadis, non moris, non styli sacri est.

XV. Constantissimum itaque est quatuor dumtaxat, ab Ecclesia fuisse approbata Evangelia, SS. Matthæi videlicet, Marci, Lucæ, & Joannis; ut præclare docet Origenes, [a] ubi cum dixisset, *Sicut olim in populo Judæorum multi prophetiam pollicebantur, & quidam erant Pseudoprophetæ... ita & nunc in Novo Testamento, multi conati sunt scribere Evangelia, sed non omnes recepti*; addit: *Ut sciatis non solum quatuor Evangelia, sed plurima esse conscripta e quibus hæc quæ habemus electa sunt, & tradita ab Ecclesiis, ex ipso proœmio Lucæ cognoscimus; quoniam, inquit,* QUONIAM QUIDEM MULTI CONATI SUNT ORDINARE NARRATIONEM. *Hoc quod ait,* CONATI SUNT, *latentem habet accusationem eorum qui absque gratia Spiritus S. ad scribenda Evangelia prosilierunt. Matthæus quippe & Marcus, & Joannes, & Lucas, non sunt conati scribere, sed Spiritu S. pleni scripserunt Evangelia Dei... Ecclesia quatuor habet Evangelia; hæreses plurima, est quibus quoddam scribitur secundum Ægyptios, aliud juxta duodecim Apostolos, &c. Sed in his omnibus nihil aliud probamus, nisi quod Ecclesia*, id est, *quatuor tantum Evangelia recipienda. Similiter Clemens* Alexandrinus, [b] reiiciens supra dictum Juliani Valentiniani dictum scribit *illud non haberi in nobis traditis quatuor Evangeliis.* Hinc si quam auctoritatem habuit Evangelium *secundum Hebræos*, non alia ratione eam obtinuit, quam quia putaretur genuinum S. Matthæi Evangelium in his præsertim locis, ubi cum receptissimo Evangelii textu consentiebat: in aliis vero quæ nec in Græco nec in Latino contestu reperiebatur, nullius erat auctoritatis.

[a] *Proœm. in Lucam.*

[b] *lib. 1. strom. pag. 465.*

Quare autem quatuor dumtaxat, non autem plures aut pauciores fuerint Evangelistæ, non alia occurrit ratio solidior quam Dei voluntas, res cunctas pro suo summo imperio & beneplacito constituens. Multiplex tamen hujus divinæ constitutionis a SS. Patribus profertur congruentia. *Prima* est S. Chrysostomi, [c] dicentis; *In ore duorum aut trium testium stat omne verbum; ad maximam autem veritatis demonstrationem qualis ea est quæ in Evangelio continetur, quatuor testes esse voluit Dominus.* *Secundam* profert S. Augustinus [d] *Quemadmodum*, inquit, *sunt quatuor orbis partes, ita quatuor Deus voluit esse Evangelia, ex quibus totus Orbis spiritualis constaret.* Ei præiverat Origenes præf. in Joann. *Arbitror*, inquit, *quatuor Evangelia veluti elementa fidei Ecclesiæ ex quibus elementis totus constat hic mundus, Deo per Christum reconciliatus, sicut inquit Paulus Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi, &c. Tertiam* subministrat S. Hieronymus mox citatus, dicens quod sicut Arca Testamenti & custos legis Domini per quatuor circulos seu annulos aureos portabatur, Exod. XXV. Ita Christus qui per Arcam figurabatur, debuit per totum orbem a quatuor Evangelistis deferri & publicari. Adicit ibidem *quartam*, quod sicut ex paradiso ab uno fonte quatuor flumina egrediebantur; Ita conveniens fuit ut quatuor Evangelia emanarent ex uno fonte vitæ, scilicet Christo Domino, quæ totum Orbem rigarent & fœcundarent.

[c] *hom. in Matth.*

[d] *lib. de consensu Evang.*

Hinc communis est SS. Patrum doctrina, Evangelistas quatuor adumbratos fuisse in quatuor mysticis illis animalibus, quæ vidit Ezechiel cap. I. & X. & S. Joannes Apocal. IV. & V. Nam, inquit S. Hieronymus statim laudatus, *prima Hominis facies Matthæum significat; qui quasi de homine exorsus est scribere; Liber generationis Jesu Christi filii David, filii Abraham. Secunda Marcum, in qua vox Leonis in Eremo rugientis auditur: Vox clamantis in deserto, parate viam Domini rectas facite semitas ejus. Tertia Vituli, quæ Evangelistam Lucam a Zacharia Sacerdote sumpsisse initium præfigurat. Quarta Joannem Evangelistam, qui assumptis pennis Aquilæ & ad altiora festinans de verbo Dei disputat.* Rem paulo aliter explicat S. Augustinus, [e] qui de mysticis his animalibus loquens, ait: *Qui ante nos Scripturarum sanctarum mysteria tractaverunt, plerique in hoc animali, vel potius in his animalibus quatuor Evangelistas intellexerunt. Leonem pro Rege positum, quoniam videtur Leo Rex esse quodammodo bestiarum, propter potentiam & terribilem fortitudinem. Hæc persona tributa est Matthæo, quia in generationibus Domini regiam seriem prosecutus est, quemadmodum esset Dominus per stirpem regiam de semine David Regis. Lucas autem quoniam cœpit a Sacerdotio, Zachariæ Sacerdotis faciens mentionem patris Joannis Baptistæ, vitulo deputatus est: quia magna victima vitulus erat in sacrificiis Sacerdotum. Marco homo Christus merito assignatus est, quia neque de Regia potestate aliquid dixit, neque de Sacerdotali cœpit, sed tantum ab Homine Christo exorsus est.*

[e] *tract. 36. in Joan.*

XVI. Quare autem ex quatuor Evangelistis, duos Deus voluerit esse Apostolos, alios autem Apostolorum discipulos, declarat Tertullianus, [f] *Constituimus in primis*, inquit, *Evangelicum Instrumentum Apostolos auctores habere, quibus hoc munus Evangelii promulgandi ab ipso Domino sit impositum: si & Apostolos, non tamen solos, sed cum Apostolis, & post Apostolos: quoniam*

[f] *lib. 4. contra Marcion. cap. 2.*

præ-

prædicatio Discipulorum suspecta fieri posset de gloriæ studio, si non adsistat illi auctoritas Magistrorum, immo Christi, qui Magistros Apostolos fecit. Denique nobis fidem ex Apostolis Joannes & Matthæus insinuant, ex Apostolicis Lucas & Marcus instaurant, iisdem regulis exorsi, quantum ad unicum Deum attinet Creatorem & Christum ejus, natum ex Virgine, supplementum Legis & Prophetarum.

Cur vero ex Apostolis Evangelistis, unus sit primus, postremus alter, Discipuli vero Evangelistæ, medii consistant, nempe Marcus & Lucas, hanc rationem profert S. Augustinus: e *Ex numero eorum*, inquit, *quos ante passionem Dominus elegit, primum atque ultimum locum duo tenuerunt: primum Matthæus, ultimum Joannes, ut reliqui duo qui ex illo numero non erant, sed tamen Christum in illis loquentem secuti erant, tanquam filii amplectendi, ac per hoc in loco medio constituti, utroque ab eis latere munirentur.*

e lib. 1. de consensu Evangel. cap. 2.

CAPUT SECUNDUM.

De Evangelio S. Matthæi.

I. *S. Matthæus primus omnium scripsit Evangelium.*
II. *Circa annum Christi octavum.*
III. *Eum Hebraice scripsisse communis est SS. Patrum sententia.*
IV. *Verum opposita verosimilior videtur.*
V. *Inanis est eorum conjectura qui ejus autographum Syriace extare nugantur.*
VI. *In id collimat S. Matthæus, ut demonstret Christum Dominum verum esse Messiam. Atque in eo impleta esse omnia Prophetarum de venturo Messia vaticinia.*
VII. *Hoc Evangelium ex parte repudiabant Manichæi.*
VIII. *Quorum insaniam proscribit & jugulat S. Augustinus.*
IX. *Eundem errorem renovarunt Anabaptistæ. Quorum argumenta dissolvuntur.*
X. *Qua ratione tres generationum Tesseradecades in Christi D. genealogia constent.*
XI. *Tres illæ Tesseradecades triplici Judæorum Reipublicæ statui concordant.*
XII. *Quamobrem in ea genealogia tres generationes omittat Matthæus, genuina ratio profertur.*
XIII. *Evangelistæ plerumque silent quæ jam ab aliis dicta sunt: aut referunt quæ fuerant prætermissa.*
XIV. *Diversitas esse potest in Evangeliis, non vero contrarietas.*
XV. *Auctores Ethnici meminerunt plurium historiarum in Evangelio relatarum, quas Judæi historici ex invidia tacuerunt.*

I. MAtthæus qui & *Levi* dictus est, ex Publicano Apostolus, primus omnium Evangelium scripsit antequam ad externas Provincias ex Judæa omnes Apostoli prædicaturi proficiscerentur. Nam Bartholomæum ad Indos properantem Matthæi Evangelium scriptum secum detulisse, illisque reliquisse testantur Eusebius: a & S. Hieronymus. b Addit Eusebius, c Matthæum iniisse rationem scribendi Evangelium; ut profecturus ad Gentes, eosdem, quos prædicatione Evangelica imbuerat in Palæstina, etiam scripto erudiret & confirmaret. Idem tradit S. Chrysostomus. d scribens illum hoc egregium opus esse aggressum, ut Judæorum qui crediderant votis annueret, & quæ verbis docuerat, hæc eis discessurus in literis servanda dimitteret. Confirmat idipsum S. Epiphanius hæresi 51. quæ est *Alogorum*, qui Joannis Evangelium & Apocalypsim reiiciebant: *Matthæus*, inquit, *primus Evangelium scribere aggressus est . . . idque ei jure-merito contigit: Oportebat enim eum ipsum, qui ad conciliandam humano generi salutem advenerat; quique ita dixerat: Non veni vocare justos, sed peccatores ad pœnitentiam; ad eorum qui servandi erant exemplum, ei homini potissimum prædicandæ salutis munus injungeret, qui ab innumeris peccatis conversus; & a telonio suscitatus fuerat, ac se ab omni scelere & injustitia revocarat: ut ab illo quanta sibi esset adventu Christi humanitas collata mortales discerent. Quippe post peccatorum condonationem, hoc eidem concessit, ut & mortuos excitare posset ad vitam, repurgare lepram, & morbos depellere, dæmonesque propulsare: ne dicendo solum persuaderet auditoribus; sed Evangelicam doctrinam factis etiam ipsis prædicaret; atque & perditis hominibus nunciaret, posse illos pœnitendo recuperari; & iis qui ceciderunt resurrecturos se esse, & qui mortui essent, vitam esse denuo consecuturos.*

a lib. V. hist Eccles. cap. 10.
b lib. de Script. Eccles. cap. 36.
c lib. III. cap. 24.
d hom. 1. in Matth.

Sed quod ad tempus spectat, his contradicere videtur S. Irenæus, f cum ait, *postea- quam surrexit Dominus noster a mortuis, & induti sunt Apostoli superveniente Spiritu S. virtutem ex alto, de omnibus adimpleti sunt, & habuerunt perfectam agnitionem; Exierunt in fines terræ, ea quæ a Deo nobis bona sunt Evangelizantes, & cœlestem pacem hominibus annuntiantes, qui quidem & omnes pariter habentes Evangelium Dei. Ita Matthæus in Hebræis ipsorum lingua scripturam edidit Evangelii cum Petrus & Paulus Romæ Evangelizarent & fundarent Ecclesiam.* Verum ut cum cæteris Patribus concordet Irenæus, ejus verba non sic censerem accipienda, ut putemus eum voluisse Matthæi Evangelium scriptum non nisi post Pauli adventum Romæ; sed potius intellexisse ipso initio fundationis Romanæ Ecclesiæ & eo tempore quo Apostoli in varias nationes dispersi sunt, a Matthæo Evangelium esse conscriptum.

f lib. 3. cap. 1.

Probabilior itaque est communis sententia affirmans Matthæum suum scripsisse Evangelium circa annum sextum ut volunt aliqui, aut octavum, ut fert numerosior Interpretum & Chronologistarum cœtus, *post Jesu Christi passionem*.

III. Quo autem Idiomate scripserit, si veteres omnes sacri Scriptores hac in re audiendi sint, uti maxime audiendos censerem, nisi ratio reclamaret, citra dubium erit eum scripsisse Evangelium *Hebraice* aut ut loquitur S. Hieronymus, [a] a nobis supra citatus, *Chaldaico Syroque sermone, sed Hebraicis literis*: Ubi Chaldaicum Syrumque sermonem, intelligo Idioma Jerosolymitanum, linguam ejus temporis & Judæis vernaculam, in quorum præsertim gratiam Evangelium S. Matthæus scribebat. Istud in primis declarat verbis mox prolatis S. Irenæus: *Matthæus*, inquit, *in Hebræis ipsorum lingua scripturam edidit Evangelii*. Idem confirmant S. Chrysostomus, [b] Epiphanius, [c] Origenes apud Nicephorum: [d] omnium autem evidentissime S. Hieronymus: [e] *De novo*, inquit, *nunc loquor Testamento, quod Græcum esse non dubium est, excepto Apostolo Matthæo, qui primus in Judæa Evangelium Christi Hebraicis literis edidit*. Idipsum innuit Eusebius, [f] ubi de Pantæno Philosopho Christiano scribit eum ad Indos usque penetrasse, ibique Evangelium Matthæi, quod adventum ejus jam prævenerat, apud quosdam Christi notitia imbutos reperisse: quibus scilicet Batholomæus unus ex duodecim Apostolis, olim, ut fama est, prædicaverat, & Evangelium Matthæi Hebraicis conscriptum literis reliquerat; quod quidem ad prædicta usque tempora servatum esse memoratur. Producit etiam, [g] testimonium Papiæ Apostolorum discipuli idem affirmantis; *Matthæus quidem*, inquit, *Hebraico sermone divina scripsit oracula: Interpretatus est autem unusquisque illa prout potuit*. Inter illustres autem S. Matthæi Interpretes recensentur SS. Jacobus & Joannes Apostoli. *Matthæi Evangelium*, (inquit Auctor synopsis Scripturæ nomine S. Athanasii inscriptæ) *Hebraica dialecto conscriptum est a Matthæo, editum Jerosolymis, & interpretante Jacobo fratre Domini expositum*. Theophylactus vero præfat. in Matthæum: *Joannes*, inquit, *hoc ex Hebraica lingua in Græcam, ut ferunt, interpretatus est*. Anastasius vero Sinaita, [h] dicit SS. Lucam & Paulum Matthæi Evangelium Græce reddidisse. Quæ omnia evincere videntur revera S. Matthæum Hebraice scripsisse.

Suadere idipsum videtur temporis circumstantia, & eorum ratio, in quorum gratiam opus præcipue conscriptum est. Diximus namque S. Matthæum illud edidisse, ante Apostolorum dispersionem, & ad confirmandos & illustrandos in fide Judæos, qui ejus prædicatione & opera in Christum crediderant. Quis autem credat Matthæum alio quam Judæis tunc temporis familiari sermone scribere voluisse? Tametsi enim in Ecclesiæ primordiis, donum linguarum plurimis Fidelibus, quemadmodum Apostolis & discipulis fuerit divinitus concessum; nihilominus tamen non omnes qui in Christum credebant, hac illustri gratia fuisse donatos declarat S. Paulus 1. ad Cor. XII. v. 10. ubi inter varia Spiritus S. dona diversis Fidelibus concessa, recenset *genera linguarum*; debuit ergo, inquies, S. Matthæus ad Judæos scribens, non alia quam eis vernacula, subindeque Hebraica, aut Syriaca lingua verba facere. (56)

IV. His tamen non obstantibus, Cajetanus in Prologo ad Matthæum, asserere non dubitat Matthæi Evangelium ab illo non Hebraice, sed Græce fuisse conscriptum, eo quod nomina Hebraica Græce interpretetur. Sic cap. I. v. 23. *Vocabunt nomen ejus Emmanuel quod interpretatur nobiscum Deus*: & cap. XVII. v. 4. *Clamavit Jesus dicens: Eli, Eli, Lammasabacthani, hoc est, Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me*. Si ergo inquit, Matthæus scripsisset Hebraice & ad Hebræos, quorsum explicaret illa vocabula quorum vim & significationem illi non ignorabant. At infirmum sane ac prorsus debile fundamentum. Enimvero si hæc Cajetani ratio alicujus esset momenti, probaret etiam nullum librum veteris Testamenti fuisse scriptum Hebraice, nam Græcus interpres, sicut & Latinus passim vocabula Hebraica interpretantur, Sic Genes. XXXI. v. 49. *Galaad, id est, tumulus testis*. Genes XXXV. v. 18. *Benoni, id est, filius doloris mei*. Et v. 19. *Benjamin, id est, filius dexteræ*. Exod. XII. v. 11. *Phase, i. e. transitus Domini*. Et cap. XVI. v. 15. *Manhu, quod significat quid est hoc*. Quæ explicationes in Hebræo textu non extant; reperiuntur autem in Vulgata ad intelligentiam mysterii; si enim non diceretur a Vulgato Interprete Hebraice *Eli, Eli, Lammasabacthani*, qua ratione possemus comprehendere quod circumstantes milites dixerunt *Eliam vocat iste*.

Si quæ ergo ratio me in hanc sententiam pelliceret, ea esset maxime, quod Matthæum Hebraicæ scripsisse plurimi quidem Patres asserant, forte ex Nazaræorum Evangelio ad id inducti; quia illud genuinum Matthæi exemplar, licet ab Hæreticis interpolatum arbitrarentur; nullus tamen illud se Hebraicum exemplar vidisse aut interpretatum esse refert. Nam Evangelium illud secundum Hebræos, quod in Græcum Latinumque sermonem transtulit S. Hieronymus, non fuisse verum Matthæi scriptum, sed vel ab Hæreticis sub nomine duodecim Apostolorum, vel unius Matthæi ad illius Græcum exemplar Hebraice confectum, declarat verbis supra scriptis, [i] *In Evangelio*, inquit, *juxta Hebræos, quod Chaldaico Syroque sermone, sed Hebraicis literis scriptum*

[a] *lib. 3. contra Pelagianos.*

[b] *homil. 1. in Matth.*
[c] *hæresi hist.*
[d] *lib. 5. cap. 6.*
[e] *in Præfat. Evang.*

[f] *lib. 5. hist. cap. 10.*

[g] *lib. 3. cap. 39.*

[h] *lib. 8. Examer.*

[i] *lib. 3. advers. Pelag.*

(56) Videantur Notæ (15) & (17) ad Librum secundum Disquisitionum, in quibus nonnulla de Vernacula Judæorum lingua ad Christi ætatem vigente dicta sunt. Legatur, & Prolegomenon Calmeti ad Evangelium S. Matthæi, & incredibile non videbitur, quod Matthæus Hebraice scripserit. (W)

ptum est (quo utuntur usque hodie Nazareni secundum Apostolos, sive ut plerique autumant juxta Matthæum) & in Cæsariensi Bibliotheca habetur, &c. Ubi vides eum dubium esse a quonam confectum esset Evangelium illud secundum Hebræos, & quonam titulo inscriptum. Unde jussu S. Damasi Papæ, corrigens quatuor Evangelia, ac inter illa Evangelium S. Matthæi, testatur [a] se illa emendare juxta textum Græcum, non autem Hebræum. *Novum opus*, inquit, *me facere cogis ex veteri, ut post exemplaria Scripturarum toto orbe dispersa, quasi quidam arbiter sedeam; & quia inter se variant, quæ sint illa quæ cum Græca consentiant veritate decernam.* Ubi advertere licet S. Hieronymum jussu Damasi, vertisse vetus Testamentum ex Hebræo in Latinum, novum vero non vertisse, at correxisse ad Græcum autographum. Quare Interpres novi Testamenti non fuit S. Hieronymus, sed alius eo antiquior, minus tamen interdum Latinus, ut patet illud decurrenti. Unde non mirum si subinde aliter quam ille, vertat S. Hieronymus in Commentariis. Quocirca textum Latinum Evangelii S. Matthæi, atque S. Marci in vulgata Editione, ex Græco traductum esse diserte asserit Bellarminus, [b] & Franc. Lucas, [c] atque conferenti textum Græcum cum Latino clare apparebit, hunc ex illo esse expressum.

[a] *in Præfat. ad Evang.*

[b] *lib. de Scriptorib. Eccles. in Matth.*

[c] *Præfat. in Marcum.*

Cum itaque nec ipse S. Hieronymus, nec ullus ex veteribus Ecclesiasticis Scriptoribus asserat se genuinum S. Matthæi Hebraicum exemplar legisse, nec aliquid ex eo expressserit, aut illud Græce vel Latine vertendum cogitaverit, mihi non leve argumentum est, nullum unquam Evangelii exemplar Hebraicum a S. Matthæo confectum extitisse; sed illum, quemadmodum & cæteri Evangelistæ, Græce scripsisse. Extat quidem Hebraicum Evangelium Matthæi quod a Joanne Tilio, & alterum quod a Munstero editum est. At neutrum esse genuinum Matthæi exemplar adeo certum, inquit Grotius, ut nullis indigeat argumentis: in eis namque multa desunt, plurima etiam sunt supervacanea, non pauca etiam mutata cernuntur, Judæorum, ex quorum promptuariis prodiit, æstu & vafritie; nec alium ob finem a Munstero aut Tilio videtur evulgatum, quam ad detrahendam fidem Græcæ & Latinæ editioni.

V. Nec majoris certe ponderis est sententia Widmanstadii, qui primus novum Testamentum Syriace edidit, & Guidonis Fabritii qui illud Latinum fecit, existimantium illam editionem esse Autographum S. Matthæi. Enimvero sat esse debet ad eam assertionem evertendam, quod Hebraica, quæ citantur in Græco Autographo, discrepent a Syris vocibus, quæ in Syra versione S. Matthæi nunc extant. Nam Matth. XXVII. 8. pro Hebræo *baceldama*, id est, *ager sanguinis*, Syrus jam habet *agurescadema*, ubi manifeste Græcizat, dum ex ἀγρὸς, id est, ager formar *agurescа*. Sic pro Hebræo *Cephas*, habet *Kipho*; pro *Eli Eli*, vertit *Il Il*, id est, *Deus Deus*, sine *meus*, quod est in *Eli*. Et ibidem v. 46. pro *Golgota*, *Golgoulto*, pro *Jaacob*, *Jaacoub*, pro *Joseph*, *Jauseph*, & sic consequenter in cæteris discrepat a vocibus Hebraicis, quæ extant in Græco & Latino; quin & ipsas voces Græcas facit Syras, ut ex βουλεύτης, id est, consiliarius, formet *buleuta*. Marci XV. 43.

VI. Scopus a S. Matthæo in conscribendo suo Evangelio potissimum intentus, est ostendere Messiam illum in tota serie Scripturarum veteris Testamenti toties promissum, jam tum adveniisse, & hunc esse revera hominem illum Jesum qui dicitur Christus. Idque (ait Aureolus) suadet probatione hujus argumenti: In quocunque homine, Prophetiæ veteris Testamenti ad Messiam spectantes, completæ sunt & eventu comprobatæ, is verus est Messias & solus Christus: At vero in homine Jesu revera completum est & perfectum quidquid unquam de venturo Messia Prophetæ vaticinati sunt: illud enim omne vel pertinet ad ejus Originem, videlicet quod oriundus esset ex Regia Davidis prosapia, Isaiæ XI. *Egredietur virga de radice Jesse*, Jeremiæ II. *Ecce dies veniunt dicit Dominus, & suscitabo David germen justum & regnabit Rex, &c.* Similiter quod ex virgine nasceretur, Isaiæ VII. *Ecce virgo concipiet*: Utrumque autem in Christo impletum fuisse demonstrat S. Matthæus cap. I. *Vel* quod adorandus esset a Magis stella duce: Num. XXIV. *Orietur stella ex Jacob*. Isaiæ LX. *Omnes de Saba venient*. Quod in Christo impletum refert cap. II. *Vel* Præconem & Præcursorem futurum, qui viam ei præpararet Isaiæ XL. *Vox clamantis in deserto*; Malachiæ III. *Ecce ego mitto Angelum meum*: Hoc autem in Joanne Baptista Christi Præcursore eveniisse probat S. Matthæus cap. III. *Vel* ad ministerium Angelorum ei famulantium post reportatam de Dæmone victoriam, ut pollicetur David Psal. XC. *Angelis suis mandavit de te*. Item, *in manibus portabunt te*. Præterea *super Aspidem & Basiliscum ambulabis, &c.* Quæ de Christo prænuntiata declarat Matth. cap. IV. *Vel* ad Doctrinam justitiæ perfectæ, Isaiæ XI. Jeremiæ XXIII. Oseæ X. *Vel* ad Innovationem legis. Jeremiæ XXXI. *feriam domui Israel & domui Judæ fœdus novum*: Utrumque a Christo executioni demandatum ostendit cap. V. VI. & VII. ubi continentur sermo Domini in monte, explicatio Decalogi, & reprobatio hypocrisis Scribarum & Pharisæorum.

Vel denuntiant opera & miracula divina Isaiæ XXXV. *Ecce Deus noster ipse veniet, & salvabit nos, tunc aperientur oculi cæcorum, &c.* Quæ per Christum fuisse prestita, enarrat cap. VIII. IX. X. & XI. ubi varia a Christo patrata miracula recenset. *Vel* ad eximiam venturi Messiæ mansuetudinem & tolerantiam Isaiæ XIX. *Ecce servus meus, &c.* Quæ elucet in Christo D. cap. XII. *ubi* idem vaticinium refertur. *Vel* ad doctrinam Evangelicam parabolarum ve-

la-

lamine obtegendam, Isaiæ VI. & Psal. LXXVII. Quod Christus exequitur cap. XIII. ubi loquitur turbis in Parabolis. *Vel* ad paternam benignitatem & providentiam in subministrandis necessariis Ezechiel XXXIV. *Suscitabo super gregem pastorem unum, &c.* Quod implet Christus cap. XIV. pascendo quinque virorum millia in deserto ex quinque panibus. *Vel* ad æquitatem in judiciis Isaiæ XI. *Non secundum oculorum visionem judicabit, &c.* Quæ manifestantur cap. XV. & XVI. *Vel* ad divinæ suæ novæ Legis manifestationem Isaiæ IV, cap. IX. quæ declaratur cap. XVI. & XVII. in confessione Petri & Transfiguratione: *Vel* ad novi Regni & Ecclesiæ constitutionem Isaiæ IX. *multiplicabitur ejus imperium, &c.* Quæ Matthæus exprimit cap. XVIII. & sequentibus, ubi repræsentat Christi Regnum fundatum in humilitate, charitate fraterna, misericordia, castitate, paupertate, & orationum assiduitate. *Vel* ad excæcationem & reprobationem Judæorum: quam præsentem Christus declarat a cap. XXI. ad XXIV. variis figuris & parabolis. *Vel* ad futurorum & arcanorum revelationem Deut. XVIII, *Prophetam suscitabo eis, &c.* Porro Christum plurima vaticinatum esse, maxime destructionem Jerosolymæ, signa quæ judicii diem præcedere debeant, & quid futurum sit in judicio, refertur Matth. cap. XXIV. & XXV. *Vel* ad institutionem novi Sacrificii & sacerdotii Psal. CIX. *Tu es Sacerdos, &c.* quod ad effectum perduxit Christus instituendo Eucharistiam cap. XXVI. *Vel* ad acerbam ejus Passionem Isaiæ LIII. *Sicut ovis ad occisionem ducetur*: Zachar. IX. Jeremiæ XI. & Psal. XXI. ubi quæ a Messia toleranda prædicuntur, a Christo Domino perpessa fuisse enarrat cap. XXVI. & XXVII. *Vel* tandem ad triumphalem a morte suscitationem & Gentium vocationem, Oseæ XIII. Psal. XV. & Isaiæ XIX. quæ per Christum gloriose præstita fuisse exponit cap. ultimo. Atque sic manifestum evadit, Christum verum esse Messiam, utpote qui omnia a Prophetis de Christo vaticinata ipse compleverit.

VII. Supersunt hic discutienda quædam tum Veterum tum Recentiorum Hæreticorum argumenta, quibus Evangelium S. Matthæi saltem ex parte, oppugnant. *Primo* namque Manichæi, quorum agmen ducebat Faustus, multis argumentis ostendere conantur Evangelium juxta Matthæum, non ab ipso Matthæo, sed ab alio quodam incerti nominis ac dubiæ auctoritatis sub nomine *Matthæi* compositum: quod etiam in duas partes distribuendum esse censuit Faustus, nempe in *Genealogiam & Evangelium*. Et Evangelium quidem dicebat exordium ducere a prædicatione Filii Dei post Joannis in carcere detentionem: quidquid vero ante Joannis vincula narratum esset, non ad Evangelium, sed ad Genealogiam falso confictam pertinere censebat; ac proinde eam partem hujus libri tanquam meram Genealogiam quæ Evangelium non esset, merito esse repudiandam; quia inquiebat Faustus [a] *Evangelium quidem cœpit a prædicatione Christi, & esse cœpit & nominari, in quo tamen ipse nusquam se natum ex hominibus dicit. At vero genealogia adeo non est Evangelium, ut nec ipse ejus Scriptor ausus fuerit eam Evangelium nominare. Quid enim scripsit*: LIBER GENERATIONIS JESU CHRISTI FILII DAVID. *Non ergo* LIBER EVANGELII JESU CHRISTI sed LIBER GENERATIONIS: *quippe ibi & stella inducitur quæ confirmat Genesim, ut recte* GENESIDIUM *hoc magis nuncupari possit quam* EVANGELIUM. Confirmabat ista ex eo quod S. Marcus Evangelii secundum Matthæum abbreviator, cum Evangelium dumtaxat scribere cœpisset, Genealogiam illam præterniisit, & a prædicatione Filii Dei, quæ Evangelium est, exorsus, ait: *Initium Evangelii Jesu Christi Filii Dei*: unde colligebat, *Ergo quidquid ante narratum est, genealogiam esse constat, non Evangelium; alioquin quid impediebat & Matthæum ponere Evangelium Jesu Christi filii Dei; nisi quia improbum putavit Genealogiam vocare Evangelium.*

[a] *apud August. lib. 2. cap. 1. adversus eum.*

VIII. Verum ut ibidem appositе respondet S. Augustinus, ignorabat Faustus aut dissimulabat quid esset Evangelium, Enimvero generationem Christi secundum carnem, ex semine David ad Evangelium spectare, aperte docet S. Paulus [b] scribens: *Memor esto, Christum Jesum resurrexisse a mortuis ex semine David, secundum Evangelium meum.* Et ad Romanos 1. scribens, *Vocatum* se, dicit, *ac segregatum in Evangelium filii Dei, qui factus est ex semine David secundum carnem.* Quod autem erat Apostoli Pauli Evangelium, hoc etiam Matthæi & cæterorum Apostolorum, ac fidelium est Evangelium. Cum autem in definitione, solum ea quæ a Christi prædicatione sunt facta, concludit; hoc de suo errore procedit. Nam omnes qui Græce vel tenuiter noverunt εὐαγγέλιον *bonum nuntium*, aut *bonam annuntiationem* interpretantur ... Quod si ita est, cur non sit Evangelium (*addit cap.* VI.) quod de ista generatione narratur, cum tam bona nobis annuntietur, ut per ipsam nostra sanetur infirmitas? An quia Matthæus non est ita exorsus, ut diceret *Initium Evangelii Jesu Christi*, sicut ait Marcus, sed *Liber generationis Jesu Christi*. Hoc modo nec Joannes Evangelium scripsisse dicetur, quia nec ipse ait: *Initium Evangelii* aut *Liber Evangelii*; sed, *In principio erat Verbum.* Nisi forte tam elegans vocabulorum fabricator Faustus fuit, ut hoc Joannis exordium *Verbidium* nominaverit, propter Verbum, sicut ille propter Genesim, *Genesidium* ausus est appellare. Neque vero Marcus Genealogiam scribere prætermisit, quia eam vel superfluam vel Evangelicæ doctrinæ repugnantem putaret, sed quia illam jam satis a Matthæo Evangelista viderat fuisse descriptam. *Hæc. S. Aug.*

[b] 2. *ad Timoth.* 2.

Quod autem Faustus hanc Genealogiam reiiciendam esse putavit, quia nusquam in ea usque ad baptismum, Matthæus Christum esse filium Dei, sed tantum filium homi-

minis dixerit, eum impudentissime pro more suo mentiri, demonstrat S. Augustinus, [a] Nam ubi primum Salvatoris Genealogiam texuit, statim addit eum quem filium Davidis appellaverat, ex Virgine Maria de Spiritu S. conceptum & natum esse, proferens in hujus dicti confirmationem illud Isaiæ VII. *Ecce virgo concipiet & pariet filium, & vocabitur nomen ejus Emmanuel quod est interpretatum nobiscum Deus*. Eundemque baptizatum a Joanne audisse de cœlo: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui: de quo dictum erat*, jam ex partu Virginis *nobiscum Deus*. Nisi forte visum sit Fausto minus esse quod dictus est *Deus*, quam quod dictus est *Filius Dei*. Ex hoc enim conjicere conatus est, Matthæo non esse visum, quod Filius Dei factus, nisi ex baptismo: quia ibi facta est vox de cœlo, *Hic est Filius meus*: cum idem Evangelista etiam superius adhibuerit divinum ex Propheta testimonium, ubi ipse partus Virginis appellatus est *nobiscum Deus*.

[a] *lib.* 23. *cap.* 5.

At, inquiebat Faustus, nusquam in toto Matthæi Evangelio Christus fatetur se matrem aut genus habere in terris; imo cap. XII. dicit: Quia non sibi sint Mater & Fratres, nisi qui fecerint voluntatem Patris sui. *Insuper* qui has ejus genealogias scribunt, non eum ante nativitatem cognoverunt: sed neque statim ut natus est, quo crederentur ea scripsisse, quæ erga eum oculis suis viderint gesta, si quidem ei non adhæserunt, nisi jam adulto & annorum fere triginta. Quare cum in omni testimonio veritatis, hoc semper quæri soleat, utrumne quis audierit aut viderit; isti vero nec audisse se fateantur ab ipso hunc generationis ordinem, aut quia omnino sit natus: nec vidisse oculis, quia longo post tempore, idest post baptismum cognoverunt eum, mihi & omni recte judicanti, tam stultum videtur hoc scribere, quam si quis cæcum & surdum testem in judicium vocet. *Hæc ille.*

[b] *lib.* 7. *cap.* 2.

Respondet S. Augustinus [b]: Quod si propterea putant eum non habuisse in terra Matrem vel genus, quia dixit; *Quæ mihi Mater, vel qui Fratres?* Supereſt ut etiam discipulos ejus, quibus hoc exemplum in seipso præbuit, ut terreni generis necessitudinem propter Regnum cœlorum contemnerent, affirment non habuisse Patres, quia dixit eis, *Ne vobis dicatis Patrem in terra: unus enim est Pater vester Deus*. Quod ergo istos de Patribus docuit, hoc ipse de Matre & Fratribus prior fecit: sicut & alia multa in quibus se nobis ut eum imitaremur præbere, & ut sequeremur præire dignatus est. Quapropter iste qui in eo quod putat palmare, sic vincitur, quam jaceat & involvatur in cæteris animadvertendum est. Quippe qui propterea dicit non credendum esse Apostolis qui ejus non solum divinam, sed etiam humanam nativitatem annuntiaverunt, quia postea juveni adhæserunt, & nec viderunt eum natum, nec se hoc ab illo audisse dixerunt. Cur ergo credunt Joanni dicenti, *In principio erat verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum, hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil*: & cætera quæ illis quamvis non intelligentibus tamen placent. Dicant ubi hoc Joannes viderit, aut ubi se hoc ab ipso Domino audisse dixerit. Quicquid enim dixerint, unde hoc Joannes scire potuerit, inde credimus etiam omnes Annuntiatores nativitatis Christi, id quod annuntiaverunt scire potuisse. *Deinde* quære, unde credant dixisse Dominum, *Quæ mihi Mater aut qui Fratres?* Si quia hoc Evangelista narravit; cur ei non credunt & illud, *Quia Mater ejus & Fratres quærebant eum?* Si autem hoc mentitus est, quod nolunt credere; quomodo ei credunt, Christum dixisse quod nolunt intelligere? Insuper si Christum natum, quia jam juveni adhæserat, non potuit nosse Matthæus, unde potuit Christum non natum, post tot annos natus, nosse Manichæus? Dicturi sunt, Spiritus S. hoc sciebat qui erat in Manichæo. Ille sane si Spiritus S. esset, vera dixisset. Sed cur non potius de Christo Discipulis ejus, qui etiam corporaliter ei adhæserunt credimus, qui non solum per Spiritum S. ab ipso impertitum scire potuerunt, si quid lateret in rebus humanis, sed tam recenti & præsenti memoria etiam solo humano sensu, genus Christi secundum carnem & totam originem colligere? & tamen cæci & surdi testes dicuntur Apostoli. Utinam tu non tantum cæcus & surdus fuisses, ne tam vana & sacrilega disceres: sed etiam mutus, ne talia diceres. *Ita S. Augustinus.* (57)

IX. Anabaptistæ, Fausti, & Manichæorum hæresim hac in parte innovantes, plurima etiam congerunt adversus Evangelii Matthæi veritatem: maxime quod imprudenter Christi genealogiam a tribu Juda & stirpe David ex Jechonia per Salathielem deduxerit, faciens Salathielem Jechoniæ

(57) Mira prorsus, & inexpugnabilia scripsit S. Augustinus, quibus intemeratum, inviolatumque in Dei Ecclesia servatum fuisse S. Matthæi, aliorumque Divinorum Scriptorum depositum doctrinæ cœlitus inspiratæ demonstratur, atque *ad hominem* quilibet ferme Scripturarum Adversarius refutatur. Legatur Caput sextum Libri 33. contra Faustum, & puritatem Scripturarum servatam dignoscemus, idipsum ex Cap. 3. Libri *de utilitate credendi* confirmatur, nec non ex Capitibus 16., & 19. Libri 32. contra eumdem Faustum. Libro 3. contra Faustum cap. 10. contradictiones ab illo Hæreliarcha in Evangelium invectas refutat S. Pater, in concilianda vero Christi Genealogia secundum carnem ad Julii Africani sententiam Lib. 1. Hist. Eccles. Cap. 6. expressam recurrit, ut patet ex Lib. 2. Retractat. Cap. 7., & quamvis Julii hypothesim infirmam appellaverit S. Doctor in Lib. 2. *Quæstionum Evangelicarum* tamen in Lib. eodem Retractat. Cap. 12. Julii sententiam confirmavit, summque retractavit opinionem de infirmitate hypothesis Africani, quam habuerat. Lib. 17. contra prædictum Faustum, ejus reiicit calumniam, quod Divus Matthæus Evangelium non scripserit. Libro denique 33. contra eundem Capite 5., & Libro 17. Capite 3. alia Sancti Matthæi loca, quæ veluti assuta Sacro textui habebantur ab illo, tanquam genuina propugnat S. Doctor. (W)

niæ filium & Zorobabelis patrem, cum tamen Jeremiæ XXII. Jechonias dicatur sterilis. *Deinde* quia Matthæus a Luca Evangelista in texenda Christi genealogia discordat. Quandoquidem Lucas a Davide usque ad Christum quadraginta tres generationes enumerat, Matthæus vero tantum XXVII. aut XXVIII. *Tertio*, quia a seipso ipse dissidet; cum enim ab Abrahamo ad Christum tres generationum Tesseradecades esse dicat, & in unaquaque earum quatuordecim generationes se collocasse affirmet, in ultima tamen non quatuordecim, sed tredecim tantum recenset. *Insuper* ipse tres generationes omittit dum scribit Joram genuisse Osiam: nam [a] constat Joram habuisse filium Ochosiam qui Joam genuit, cujus filius fuit Amasias Osiæ pater, ac proinde Osias quarto gradu distat a Joram.

a 1. Paralip.

Verum difficile non est his respondere: *Ad primum* quidem, revera Salathielem filium fuisse Jechoniæ, quem ipse in Babylone eductus de carcere genuit. Scribit enim de eo Philo-Judæus in secundo Chronographiæ in hunc modum: *In fine autem septimi anni, Evilmerodac eductum Joachim cognomento Jechoniam de carcere, in honore habuit, eumque populus Neri cognominavit: quia lucerna David quæ timebatur extincta, illuxerit: mox liberato Neri, datus est ei a Deo filius Mesezebeel cognomento Salathiel, qui anno decimo septimo ante solutam captivitatem genuit Barachiam: qui anno decimo septimo post solutam captivitatem Dux populi fuit, & ab eo ducatu dictus Zorobabel, anno a transmigratione octogesimo primo, & a desolatione septuagesimo.* Cui sententiæ nihil obsunt verba Jeremiæ: quippe qui ait Sixtus Senensis non de sterilitate, & orbitate prolis, sed de orbitate Regni loquitur: quia Joachim nullum sibi reliquit Regni successorem. Quod & sequentia Jeremiæ verba clarissime ostendunt, statim enim post verba illa: *Scribe virum istum sterilem*: addit *nec erit de semine ejus vir aliquis, qui sedeat super solium David, & potestatem habeat ultra in Juda.* Quod autem Mesezebeel cognomento Salathiel, Zorobabelis fuerit pater, sicut Matthæus scribit, liber Esdræ [b] itemque liber Nehemiæ [c] abunde testantur.

b cap. 2. & 3.
c cap. 3.

X. *Secundæ argumentationis* parti S. Augustin. satisfacit his verbis [d] *Ideo numerum generationum in Matthæo, & Luca diversus est: quia uterque sub diversa Christi persona diversam texit genealogiam. Matthæus quidem, qui regiam in Christo personam instituerat insinuare, naturales Christi ex Regibus Judæorum generationes enumerat: Lucas vero sacerdotalem in Christo personam ostendere volens, generationes adoptionis Christi percurrit. In generationibus Matthæi secundum naturam, significatur nostrorum susceptio peccatorum a Christo: in generationibus Lucæ, secundum adoptionem, significatur nostrorum abolitio peccatorum a Christo & ideo eas ille descendens enarrat, hic ascendens. Et ideo utrimque generationum apud eos diversus est numerus, quia diversa generationum est series.*

d in 2. de consensu Evangeliß. cap. 3. & 4.

Ad tertiam argumenti partem, quam olim etiam Christianis obiiciebat Porphyrius. Respondent SS. Hieronymus & Epiphanius, nullam in ultima Tesseradecades generationem deesse, quia sub nomine Jechoniæ (quod unam tantum personam significare, ut unam dumtaxat generationem complecti videtur) duo sunt Reges & duæ generationes expressæ. Fuerunt enim duo Reges pater & filius, uterque *Joachim* nomine, & *Jeconias* cognomine nuncupati; nam in libro I. Esdræ Joachim dicitur etiam Jechonias; ejus autem filius qui solito nomine *Jechonias*, dicitur etiam ab Hebræis temporum digestoribus, quos sequitur Clemens Alexandrinus, [e] *Joachin* appellatur, a Josepho autem Ἰωακείμ. Prior fuit Josiæ filius, de quo in principio Danielis mentio fit sub nomine *Joakim*, quod per יו *Kim* scribitur: posterior vero Joakim filius, & Josiæ nepos qui in principio Ezechielis, non per יו *Kim*. Sed per יכ *Chin*, scribitur. Secunda igitur Tesseradecades in Joakim Josiæ filio desinit, & tertia incipit a Joacin filio Joachim: quorum uterque Jechonias cognominatus est, ut docet S. Epiphanius [f] qui cum dixisset *Josias Jechoniam genuit, qui &* Seleumus & Amasias *dictus est, ab hoc Jechonia ejusdem nominis alter cognomento Sedecias, una cum Joachimo genitus est.* At videtur lapsus, Sedeciam pro Joachim usurpans. Addit idcirco in tertia Tesseradecade, tredecim dumtaxat non quatuordecim generationum nomina scribi: *Quod*, inquit, *a nonnullis commissum est, qui cum Jechonias duos conjunctim scriptos esse cernerent, arbitrati sunt eandem vocem præposterе in ea serie repetitam.* Itaque hoc ordine tres illæ Tesseradecades generationum recensеri possunt,

e lib. 1. Strom.

f Hæresib. alias 8. pag. 20.

1. Abraham.	1. Salomon.	1. Joacin Jeconias,
2. Isaac.	2. Roboam.	2. Salathiel.
3. Jacob.	3. Abias.	3. Zorobabel.
4. Judas.	4. Asa.	4. Abiud.
5. Phares.	5. Josaphath.	5. Eliakim.
6. Esron.	6. Joram.	6. Azor.
7. Aram.	7. Osias.	7. Sadoc.
8. Aminadab.	8. Joathan.	8. Achim.
9. Naasson.	9. Achaz.	9. Eliud,
10. Salmon.	10. Ezechias.	10. Eleazar.
11. Booz.	11. Manasses.	11. Nathan.
12. Obed.	12. Amon.	12. Jacob.
13. Jesse.	13. Josias.	13. Joseph.
14. David.	Joakim.	14. Christus.
	14. Jechonias.	

XI.

XI. Christus autem annumeratur ut persona ultima tertiæ Classis, & veluti terminus illarum generationum, quæ ut apparet sunt numero XLI. personæ vero generantes & genitæ sunt XLII. quia primi nempe Abrahæ generatio hic non recensetur, sed ex Genesi nota præsupponitur. Idcirco autem S. Matthæus enumerat has XLII. generationes seu personas generantes & genitas per tres Tesseradecades, ut probabilem Lectori conjecturam faceret, debuisse Christum per absolutum hunc numerum, & ad ultimum complendum venire. Ita ut quemadmodum fuerunt quatordecim generationes ante Regnum Judæorum stabilitum & firmatum sub Salomone: & totidem in Regno, ita tot futuræ essent eo tempore quo Judæi quasi Aristocratico imperio regebantur usque ad Christum. Triplex enim universim videtur distinguendus Judæorum status, quorum primus fuerit *Democraticus* sub Patriarchis & Judicibus, qui præfuerunt Israelitis ab Abraham usque ad David. Secundus *Monarchicus* a Davide usque ad captivitatem Babylonicam. Tertius quasi *Aristocraticus* sub Senatu & Summis Pontificibus Judæorum a Mathatia usque ad Christum Dominum; significat ergo Matthæus triplicem hunc populi statum tertio variatum debere etiam rursum mutari per Christum cujus Regni non erit finis.

XII. Ad alteram vero objectionis partem, fateor a S. Matthæo tres Reges Jorami successores fuisse prætermissos, non solum quod tres Tesseradecades hac in genealogia texere voluerit; cur enim hi potius quam alii silentio darentur? Nec quia perditissimi ac praviſſimi fuerant; multo namque pejor eis fuit Salomon cum primus idololatriam publicam apud Israelitas invexerit. Nec etiam quia connubia inierant cum familia Achab, solus enim Joram uxorem duxit filiam Achab, Ochosias vero uxorem duxit ex Bersabee, Joas autem & Amasias uxoribus Jerosolymitanis nupserunt.

Sola ergo ut mihi videtur, genuinaque ratio hujus prætermissionis hæc est; quod tres illi Reges nati essent ex semine Achab, cujus Joram filiam duxerat: cum autem Deus fuerit comminatus per Eliam se deleturum posteritatem Achab, isque solito exardescens furore puniat tantum usque ad quartam generationem: hinc illi tres Reges quamvis regnaverint in Juda, tamen morte reali puniti sunt; siquidem Regnum una cum vita trucidati amiserunt [a] morte pariter civili ultro voluit in eos sævire Deus, ipsos e genealogia Christi filii sui tamquam infando sanguine natos expungendo.

[a] *4. cap.* 11. *ad* 14. 4. *Reg.*

Hæc autem punitio usque ad quartam generationem, non incœpit quidem ab ipso Achab cujus humilitate & pœnitentia Deus placatus, non induxit in diebus ejus mala, quæ propter illius impietatem domui illius illaturus erat, tametsi ille in priora vitia fuerit relapsus [b]. Sed cœpit illa divina vindicta & animadversio, a Joramo filio Josaphat Rege Juda, qui cum ab uxore sua filia Achabi & Jezabelis inductus esset ad

[b] 3. *Reg. cap.* 21.

sectandam impietatem Regum Israel [c], inde creditur in genealogia Christi prætermissa ejus progenies & posteritas, usque ad quartum gradum. Quamobrem prætermissis Ochozia, Joas, & Amazia, Joram dicitur genuisse Oziam qui quarto gradu ab eo distabat. Neque insolitum est historicos, ubi rem in summam conferunt, personas minus nobiles præterire, id enim factum videmus a Solino in Macedoniæ Regibus; imo & apud Hebræos ab Auctore libri Paralipomenon [d], & a Scriptore libri quarti qui dicitur Esdræ initio, ubi sex nomina omitti collatio Paralipomenon docet, inquit Grotius.

[c] 3. *Reg.* 8. 18.

[d] 1. *Paralip.* 1.

Impugnant insuper Anabaptistæ Matthæi Evangelium, quod plura, inquiunt commentitia involvat, veluti historiam Magorum qui e remotissima regione, stella duce venerunt ut Christum recens natum adorarent, & ei suis muneribus litarent. Similiter cædem infantium a bimatu & infra, cruento Herodis imperio perpetratam, quorum non solum nullus Evangelistarum præter Matthæum meminit, sed nec Josephus, qui in recensendis Judæorum rebus, maxime Herodis sævitiis, fuit diligentissimus; nihil enim scripsit de illa stellæ apparitione, neque de famoso illorum Principum in Judæam adventu, cujus causa commotus fuerit Herodes & omnis Jerosolyma cum illo; neque etiam aliquis Scriptorum illius temporis ex eis rebus aliunde stupendis, quidpiam enarravit: videntur itaque ista omnino adjectitia, & nullius esse fidei.

XIII. At si levissimum hoc argumentum quidquam concluderet, consequens esset ipsam quoque historiam resurrectionis Lazari & curationis Paralytici juxta piscinam probaticam, quas solus Joannes Evangelista enarrat, pariter esse commentitias, quia nihil de illis Christi stupendis miraculis, nec cæteri Evangelistæ, nec Josephus, nec ullus Scriptor externus verbum fecit. Itaque dicendum idcirco cæteros Evangelistas nihil de adventu Magorum & infantium cæde scripsisse, quod utrumque a S. Matthæo, quantum opus erat, aliunde enarratum sciebant. Ad Josephum quod spectat, neminem movere debet quod ista præterierit, siquidem innumera, multo etiam majoris momenti, multoque illustriora vel oblivione, vel incuria vel potius malitia, volens scienſque tacuit, sicut eum Egesippus pervetus Auctor eum accusat, quod divinam Domini nostri Jesu Christi resurrectionem & pleraque illius miranda opera siluerit.

XIV. Nec propterea inde sequitur (uti perperam inferebant Julianus Augustus, Porphyrius, & alii Christianæ Religionis adversarii) sacros Evangelistas invicem esse discordes: neque enim sunt inter se pugnantes ejusdem rei narrationes, quarum una pluribus, quam altera, circumstantiis ejusdem rei expositis plenius & distinctius, atque expressius eam rem declarat, multa commemorans, de quibus nullum in altera narratione fit verbum. Quamvis enim talis diversitas non sit tantum verbalis, ut su-

ſuperior, verum plane realis; ea tamen non facit hujuſcemodi narratione Scripturæ contrarias inter ſe; nam contrarietas, ſive, ut in ſcholis loquimur, contradictio, eſt affirmatio & negatio ejuſdem de eodem. Exempli cauſa, ſi unus affirmet, aliquid eſſe factum tali tempore & loco, & a talibus perſonis, alter vero idipſum omnino neget, iſta eſt vera & manifeſta contradictio. Sin autem unus de re quapiam nonnulla narret, alter vero eadem de re agens, ea non memoret, iſtorum ſane narrationes haudquaquam contrariæ cenſeri debent, ſed una uberior & latior, altera jejunior & anguſtior ac conciſior. Imo tantum abeſt, ut talis in narrando diverſitas veritati Scripturæ Evangelicæ obſit, aut fidem narrationis elevet, ut credibiliorem etiam faciat Evangelicam Hiſtoriam; apparet enim vel inde, ejus Scriptores non de compoſito, nec quaſi communicato inter ſe conſilio, ad ſcribendum ſimiliter Evangelium, conſenſiſſe omnes. Qua de re non diſplicet audire S. Chryſoſtomum [a]: *Si aliqui de temporibus, ac locis, ac numeris dixerunt varie, nihil dictorum præjudicat veritati: ſi enim ex toto inque omnibus conſonarent, & cum nimia diligentia atque cura & ad tempora ac loca omnia uſque ad ſingula æqualiter concurrerent, nemo inimicus credidiſſet unquam quin illi communi ad decipiendum conſilio congregati, quaſi ex humana quadam conſpiratione Evangelium condiderant. Nunc vero quæ videtur, in rebus exiguis diſſonantia, ab omni illos ſuſpicione tuetur, ſatiſque clare ſcribentium exiſtimationem defendit.*

a *homil.* I. *in caput* I. *Matth.*

XV. Cæterum iſtæ hiſtoriæ Evangelicæ, quas in dubium vocant Anabaptiſtæ, non latuerunt Ethnicos Scriptores: maxime ſtellæ apparitio quæ Magis dux eſſet ad Chriſtum in cunis venerandum, apparet ex Chalcidio Platonico in Comment. ad Timæum Platonis, ubi ſcribit: *Eſt quoque alia ſanctior & venerabilis hiſtoria quæ perhibet ortum ſtellæ cujuſdam non morbos morteſque denuntiantis; ſed deſcenſum Dei venerabilis ad humanæ converſationis rerumque mortalium gratiam. Quam ſtellam cum nocturno itinere ſuſpexiſſent Chaldæorum profecto ſapientes viri, & conſiderationem rerum cœleſtium ſatis exercitati, quæſiſſe dicuntur recentem ortum Dei, repertaque illa majeſtate puerili veneratos eſſe; & vota Deo tanta convenientia nuncupaſſe.* Similiter ad cædem infantium quod attinet, nemo eſt qui neſciat illam ubique terrarum Herodis barbariem & ſævitiam fuiſſe promulgatam. Refert enim Macrobius [c] quod cum Cæſar Auguſtus, inter pueros, quos in Syria Herodes Rex intra bimatum juſſit interfici, audiſſet quoque filium ejus ab eo occiſum, ait: *Melius eſt porcum eſſe Herodis quam filium:* ad id ſcilicet alludens, quod Judæi ex religione porcos non occiderent, nec ad victimam, nec ad eſcam. Cætera quæ ab Anabaptiſtis & aliis Heterodoxis ſolent obiici, utpote leviora prætermitto.

c *lib.* 2. *Saturnal.*

CAPUT TERTIUM.

De aliis Tribus Evangeliſtis eorumque Evangelio.

I. *Quis fuerit S. Marcus, & quare Scripſerit Evangelium?*
II. *Diverſus fuit a Marco Barnabæ conſobrino.*
III. *Apoſtoli egebant interpretum munere.*
IV. *Quo tempore, & quo ſermone ſcripſerit S. Marcus Evangelium?*
V. *Quo tendat S. Marci Evangelium? & cur dicatur S. Matthæi abbreviator?*
VI. *Hæreticorum argumenta in S. Marci Evangelium proferuntur & refelluntur.*
VII. *Quis, & qualis fuerit S. Lucas Evangeliſta?*
VIII. *Unde nomen Lucæ ſit derivandum?*
IX. *Non fuit Chriſti ſed Apoſtolorum diſcipulus; nec tamen minor ei, quam cæteris Evangeliſtis debetur fides.*
X. *Cur ſuum Scripſerit Evangelium?*
XI. *Quis præcipuus ejus ſcopus in ſcribendo?*
XII. *Quis fuerit, & unde oriundus Evangeliſta Joannes?*
XIII. *Cur Evangelium & iſte ſcripſerit?*
XIV. *Quo tempore, quave lingua ſcripſerit Evangelium quove ſtylo ſit uſus?*
XV. *Diverſo ab aliis Evangeliſtis argumento Chriſti divinitatem oſtendit.*

§. I.

De Evangelio S. Marci.

I. MArcus, (inquit S. Hieronymus [b]) *Diſcipulus & Interpres S. Petri, juxta quod Petrum referentem audierat, rogatus Romæ a fratribus breve ſcripſit Evangelium. Quod cum Petrus audiſſet, probavit, & Eccleſiæ legendum ſua auctoritate dedit.* Et mox: *Aſſumpto itaque Evangelio quod ipſe confecerat, perrexit in Ægyptum, & primus Alexandriæ Chriſtum annuncians, conſtituit Eccleſiam tanta doctrina & vitæ continentia, ut omnes Sectatores Chriſti ad exemplum ſui cogeret. Denique Philo diſertiſſimus Judæorum, videns Alexandriæ primam Eccleſiam adhuc Judaizantem, quaſi in laudem Gentis ſuæ librum ſuper eorum converſatione ſcripſit: & quomodo Lucas narrat Hieroſo-*

b *in Catalog. ſcript. Eccleſ.*

lymæ

lymæ credentes omnia habuiſſe communia: ſic & ille quod Alexandriæ ſub Marco fieri Doctore cernebat, memoriæ tradidit. Mortuus eſt autem octavo Neronis anno & ſepultus Alexandriæ, ſuccedente ſibi Aniano. Idem teſtatur S. Clemens Alexandrinus: [a] *Marcus*, ait, *Petri ſectator, prædicante Petro Evangelium palam Romæ coram quibuſdam Cæſarianis Equitibus, & multa Chriſti teſtimonia proferente, petitus ab eis, ut poſſent, quæ dicebantur, memoriæ commendare, ſcripſit ex his quæ a Petro dicta ſunt Evangelium, quod ſecundum Marcum vocatur.* Ei præiverat ipſo antiquior, & Diſcipulorum Chriſti Auditor, Papias Epiſcopus Hieropoleos, qui & cauſam ſimul ejuſmodi ſuſceptæ ab eo provinciæ prodidit, ut Euſebius tradit [b] cum agit de prædicatione Petri a Romanis ſuſcepta: *Tantus autem*, inquit, *veritatis fulgor emicuit in mentibus eorum qui Petrum audierant, ut parum haberent ſemel audiſſe; nec contenti eſſent cœleſti verbi doctrinam viva voce nullis traditam ſcriptis accepiſſe: ſed Marcum Petri ſectatorem, cujus hodieque extat Evangelium enixe orarent, ut doctrinæ illius, quam auditu acceperant, ſcriptum aliquod monumentum apud ſe relinqueret. Nec prius deſtiterunt quam hominem expugnaſſent, auctoreſque ſcribendi illius, quod ſecundum Marcum dicitur Evangelii extitiſſent, quod cum Petrus per revelationem S. Spiritus cognoviſſet, delectatus ardenti hominum ſtudio, librum illum auctoritate ſua comprobaſſe dicitur, ut deinceps in Eccleſiis ſuis legeretur.* Adiicit ſtatim: *Porro Marci mentionem aiunt fieri a Petro in priori Epiſtola quam Romæ ſcriptam eſſe contendunt, idque Petrum ipſum innuere, qui Romam figurate Babylonem appellat his verbis: Salutat vos Eccleſia quæ eſt in Babylone coelecta, & Marcus filius meus.* Ubi Marcum *filium ſuum* nominat Petrus, more Apoſtolorum, qui quos in Chriſto pepererant, *filios ſuos* nominare conſueverant: Sic Paulus [c] ſe Corinthiorum patrem appellat, *Nam in Chriſto Jeſu*, inquit, *per Evangelium ego vos genui*: Et ad Gal. XIX. *Filioli mei quos iterum parturio, donec formetur in vobis Chriſtus.*

II. Sunt qui exiſtiment Marcum Evangeliſtam eundem eſſe omnino cum Joanne, Marco, qui fuit conſobrinus Barnabæ, & Pauli ſocius ad prædicandum Gentibus *Act.* XII. & XIII. Quibus quo minus aſſentiar, moveor Veterum auctoritate, qui hunc Evangelii Scriptorem, Joannem nunquam, Marcum ſemper vocant; & ita Petro addunt comitem & diſcipulum, ut ab eo miſſus ſit prædicatum primo Aquileam; deinde Alexandriam, etiam illo tempore quo Joannes Marcus, Paulo adhærebat: quanquam enim Marcus una cum ſuo conſobrino Barnaba ob friguſculum & diſſentionem quæ interceſſerat (ſic diſpenſante Spiritu S.) a Paulo receſſiſſet, ab eodem poſtea iterum fuiſſe ſuſceptum, illumque in prædicatione Evangelii cum ipſo egregiam navaſſe operam teſtatur S. Paulus [d] ſcribens: *Salutat vos Ariſtarchus concaptivus meus, & Marcus conſobrinus Barnabæ, de quo accepiſtis mandata, & Jeſus qui dicitur juſtus; qui ſunt ex circumciſione: hi ſoli ſunt adjutores mei in regno Dei qui mihi fuerant ſolatio.* Accerſiverat illum Paulus ſcriptis Romæ literis [e] his verbis: *Marcum aſſume & adduc tecum, eſt enim mihi utilis in miniſterio.* Ad Philemonem item Roma ſcribens, eundem Marcum una cum cæteris *adjutorem ſuum* appellat. Itaque cum illo tempore quo Marcus Evangeliſta Romæ agebat, Joannes ille cognomento Marcus Jeroſolymis Paulo & Barnabæ adhæſerit, eoſdemque ad prædicationem Evangelii poſtea ſecutus fuerit, indeque Barnaba a Paulo diviſo Jeroſolymam primo, ac deinde Cyprum petierit, ac demum quando Marcus Evangel. Alexandriam conceſſit, hic Romam a Paulo fuerit evocatus; plane conſtat merito SS. Baſilium [f] & Iſidorum [g] (etiamſi reclamet S. Hieronymus [h]) aſſeruiſſe, non eundem Marcum fuiſſe Petri, & Pauli ſocium.

Putant Origenes lib. de recta fide in Deum, & Auctor Synopſis nomine Dorothæi, Marcum Evangeliſtam fuiſſe unum ex LXXII. Chriſti Diſcipulis; At reclamant S. Hieronymus in *cap.* LXV. Iſaiæ & lib. de *Script. Eccleſ. in Marco.* Theodoretus *in Præf. SS. Patrum hiſtoriæ:* omnes denique qui locum illum primæ Epiſtolæ S. Petri ſunt interpretati, ubi Marcum *filium ſuum* nominat, quod illum in Chriſto genuiſſet, & ipſi fidiſſimus comes ſemper adhæreret: imo etiam illi adeſſet ut prædicationis Interpres teſtibus Irenæo lib. III. cap. I. Papia apud Euſebium ſupra, & Hieronymo *in Marco*: adeo enim neceſſarium eſſe videbatur Apoſtolis Interpretis miniſterium, ut licet Petrus amandato Marco Alexandriam, ipſo caruerit; tamen alium adhuc nactus fuit interpretem, nempe Glauciam, ut Auctor eſt Clemens Alexand. lib. VII. Strom. Sane quidem apud Apoſtolum Paulum eodem functum eſſe munere Titum, tradit S. Hieronymus Epiſt. ad Hedibiam *quæſt.* II.

III. Egebant itaque Apoſtoli Interpretum munere, non quidem ut eorum ſermonem uno idiomate expreſſum, altero Auditoribus familiari & vernaculo explicarent, nam Apoſtoli habebant donum linguarum, unde Paulus I. ad Cor. XVI. ſcribit: *Gratias ago Deo quod omnium veſtrum linguis loquor:* ſed ad explicationem eorum myſteriorum, quæ Apoſtolos inter concionandum proferebant, & audientibus captu erant difficilia; vel dum alicui Genti ipſis in eorum lingua loquentibus, puta Latine Romanis, Græce Athenienſibus, in Auditorio eſſent qui vel Latinum vel Græcum ſermonem penitus ignorarent: tunc enim officium deſiderari videbatur Interpretis qui vel Apoſtolicam concionem lingua auditori vernacula redderet, vel captui difficilia explanaret; quo ſenſu neceſſarius erat Interpres Petro Romæ concionanti, utpote cum ad eam civitatem totius orbis dominam, nationes undique confluerent. Sed ea de re au-

a *lib. 6. Strom.*

b *lib. 2. Hiſtor. Eccleſ. cap. 15.*

c 1. *Corinth. 4. v. 15.*

d *ad Coloſſ. 4.*

e *ad Timotheum 2. cap. 4.*

f *lib. 5. adverſus Eunomium.*

g *de vita & obitu Sanctorum.*

h *in Epiſt. ad Philemon.*

audiendus est Papias, qui apud Eusebium [a] testatur se Apostolorum dicta ab iis, qui cum Apostolis versati fuerant accepisse; Aristionis autem & Joannis Presbyteri Auditorem se fuisse dicit. Hunc autem a Joanne Presbytero audiisse ibidem refert: *Marcum Petri Interpretem, quæcunque memoriæ mandaverat, diligenter perscripsisse: non tamen ordine pertexuisse quæ a Domino aut dicta aut gesta fuerant. Neque enim ipse Dominum audiverat aut sectatus fuerat unquam. Sed cum Petro, ut dixi, postea versatus est qui pro audientium utilitate, non vero ut sermonum Domini historiam contexeret, Evangelium prædicabat. Quocirca nihil peccavit Marcus, qui nonnulla ita scripsit, prout ipse memoria repetebat. Id quippe unum studebat, ut ne quid eorum quæ audierat prætermitteret, aut ne quid falsi eis affingeret.* Hinc est quod Evangelium *Marci* nomine inscriptum, a multis vocatum esse *Evangelium Petri*, docet nos Tertullianus [b]: *Eadem Ecclesiarum Apostolicarum*, inquit, *cæteris quoque patrocinabitur Evangeliis quæ proinde per illas & secundum illas habemus Joannis dico & Matthæi, licet & Marcus quod edidit, Petri affirmetur, cujus Interpres Marcus; nam & Lucæ digestum Paulo adscribere solent.* Ubi nomine *digesti* significat Evangelium a S. Luca Pauli socio conscriptum.

[a] *lib. 3. hist. cap. 29.*

[b] *lib. 4. contra Marcionem cap. 5.*

IV. Quo tempore scripserit, non conveniunt Auctores. S. Irenæus [c] existimat editum fuisse a S. Marco Evangelium post mortem Petri & Pauli: *Matthæus*, inquit, *apud Hebræos propria eorum lingua conscriptum Evangelium edidit, dum Petrus ac Paulus Romæ Christum prædicarent, & Ecclesiæ fundamenta jacerent. Post horum vero interitum Marcus discipulus atque Interpres Petri, quæ a Petro prædicata fuerant, per scripta nobis tradidit.* Verum minus probandam esse illam Irenæi epocham, jam de S. Matthæi Evangelio notavimus. Accedit quod S. Marcus ante Petri mortem martyrio fuerit coronatus; Auctor enim est S. Hieronymus ipsum octavo Neronis anno ex humanis esse sublatum. Consentit etiam Eusebius [d]: Unde in Martyrologio Romano die XXV. Aprilis legimus; *Alexandriæ, natalis B. Marci Evangelistæ..... qui pro fide Christi tentus & funibus vinctus, & per saxa raptatus graviter afflictus est: deinde reclusus in carcere, primo Angelica visione confortatus, & demum ipso Domino sibi apparente, ad cœlestia regna vocatus est octavo Neronis anno.* (58)

[c] *lib. 3. cap. 1.*

[d] *lib. 2. cap.*

Qua lingua quove idiomate suum Evangelium scripserit S. Marcus, varia etiam est Auctorum sententia. Quidam enim, quorum agmen ducit Baronius [e], affirmant eum Latine scripsisse, utpote qui cum esset Petri Interpres, Romæ potissimum & scripserit, & in gratiam Romanorum, qui suis precibus efflagitaverant ut quæ Petrus eis fuerat concionatus, ille in literas referret: quænam inquit Baronius, fuberat causa ut Græce potius quam Latine scriberet? cum præsertim Tiberii Imperatoris auctoritate, teste Suetonio [f] eadem Græca lingua Romæ apud Optimates jam exolesceret, & Græca postposita, Latina principem locum sibi in omnibus vendicaret. Nam & Claudius Imperator, ait idem Suetonius [g] *Splendidum virum Græciæque Provinciæ principem, verum Latini sermonis ignarum, non modo albo Judicum erasit, sed etiam in peregrinitatem redegit, nec quemquam, nisi sua voce, utcunque quis posset, ac sine patrono rationem vitæ passus est reddere.*

[e] *ad ann. Christi 45. num. 39.*

[f] *in Tiberio cap. 71.*

[g] *in Claudio cap. 16.*

Verum reclamat S. Hieronymus [h] scribens Marcum cum cæteris novi Testamenti Scriptoribus Græce Evangelium confeciisse: *De novo nunc loquor Testamento*, inquit, *quod Græcum esse non dubium est, excepto Apostolo Matthæo qui primus in Judæa Evangelium Christi Hebraicis literis edidit.* Unde ibidem testatur se novi Testamenti Latinam versionem veterem vulgatam, quam Damasi jussu ad emendatiora exemplaria accurare susceperat, se ad Græcos codices Latinos emendasse. Consentit etiam S. Augustinus [i] ubi loquens de Evangelistis ait: *Horum sane quatuor solus Matthæus Hebræo scripsisse perhibebitur eloquio, cæteri Græco.* Id etiam suadet ratio; nam S. Marcus scripsit Evangelium iturus Alexandriam, ut illud ibi prædicaret. Porro Alexandrini tunc loquebantur Græce: hæc enim civitas ab Alexandro Magno condita, sui conditoris Macedonis & Græci hauddubie linguam, sicut & nomen obtinuit.

[h] *Epist. 123. ad Damasum.*

[i] *lib. 1. de consensu Evang. cap. 2.*

Nec refert quod in gratiam Romanorum scripserit, apud quos vigebat magis Latina quam Græca lingua; nam Evangelium hoc scripsit Romanis, non plebeis sed Patriciis & Nobilibus, uti erant S. Clemens, S. Pudens, S. Torpes, & alii viri illustrioris & primi

(58) Incertum profecto adhuc est tempus, quo S. Marcus Evangelio suo literis consignando operam dedit. Ad annum Christi 45. tertio anno Imperatoris Claudii percurrente, dum simul Romæ cum S. Petro commorabatur Evangelista suum Evangelium scripsisse creditur a Baronio Eusebii, & Euthimii auctoritate suffulto. Ad quartum ejusdem Imperatoris annum referunt Scriptum Arabicum Erpenii, & Auctor vitæ S. Marci a Kirstenio vulgatus. Pagius autem ex Valesii notis ad Eusebium Lib. 2. Cap. 16. Baronii, & ipsius Eusebii opinionem refelli ex actis Apostolicis arbitratur, quibus constat Petrum in Judæa, ac Syria usque ad annum ultimum Agrippæ Regis permansisse, qui eumdem Apostolum vinculis perstrinxit, & paulo post divina instante Justitia Cæsarææ extinctus est, ut refert S. Lucas. Agrippam autem, cum tradant morti anno Claudii 4. occubuisse, compertum est ante annum istum Romæ Petrum, & Marcum esse non potuisse. Auctor vero Chronici Alexandrini serius adhuc S. Petri adventum ad urbem Romam transfert, cum doceat anno sexto Claudii Apostolum Paulum Jerusalem adventasse ob controversiam de circumcisione, Apostolis nondum ab invicem divisis. Lactantius tandem Libro *de Mortibus Persecutorum* Capite 2. jam imperante Nerone Sanctum Petrum venisse Romam adfirmat. Hic tamen intelligendus de secundo Petri adventu in Urbem, si eorum amplectamur sententiam, qui bis Apostolum ad eam Civitatem accessisse tuentur. Legantur Bollandiani Socii ad diem 25. Aprilis, nec non Remigius Ceillerius in Historia Auctorum Ecclesiasticorum Tomo I. Pag. 352., qui plurima de tempore, quo S. Marcus scripsit, recensent. (W)

primi ordinis, linguam Latinam, uti & Græcam callentes: illo namque tempore, non minus frequens erat, maxime apud Nobiles, usus Græcæ, quam Latinæ linguæ, ut liquet ex Satira 3. Juvenal. ubi ait se odisse Romam quod Græcis esset referta:

Non possum ferre Quirites
Græcam urbem, quamvis quota portio
fæcis Achææ
Jam pridem Syrus in Tyberim confluxit Orontes,

Addunt aliqui S. Marcum peritiorem fuisse linguæ Græcæ quam Latinæ: nam inquiunt Judæi vicini Græciæ facilius linguam Græcam quam Latinam perdiscebant, utpote cum essent a Roma & Latinis longius remoti nullum aut rarum cum eis habebant commercium. At qui proferunt ista, non attenderunt hauddubie ad Josephum scribentem [a] quod cum ex Judæa venissent Romam quinquaginta Legati missi ad Augustum Cæsarem, præsto ipsis fuisse Judæorum qui Romæ habitabant amplius octo millia. Erat igitur Judæis cum Romanis maxima consuetudo, sive quia jam inde a tempore Machabæorum, fœdus & amicitiam invicem inierant sive quod a tempore Pompeii Magni Judæa Romanis subjecta fuisset quod confirmat Rutilius

[a] *lib. 17. Antiq.*

[b] *Atque utinam Judæa nunquam subacta fuisset*
Pompeii bellis, imperioque Titi.
Latius excisæ pestis contagia serpunt
Victoresque suos natio victa premit.

[b] *lib. 1. itinerarii.*

Quod ex Seneca videtur desumptum qui ut refert S. Augustin. [c] de iisdem Judæis dixerat, *Cum interim usque eo sceleratissimæ Gentis consuetudo convaluit, ut per omnes terras recepta sit, victi victoribus leges dederunt.* Frequentissimi igitur Romæ erant Judæi, sicut & in Judæa Romani, a quibus linguæ Latinæ usum comparare potuisset S. Marcus.

[c] *lib. 6. de Civit. cap. 11.*

Nihilominus cum Græce duntaxat, vel ab infantia, vel proprio studio noviisse, idque non ita polite nec eleganter, apparet ex ejus Evangelico textu; ubi non relucent Græcorum lepores & elegantiæ. Tametsi enim Apostoli & nascentis Ecclesiæ fideles plurimi maxime sacri Evangelistæ, donum linguarum infusum a Spiritu Sancto habuerint, tamen eo utebantur ad opportunitatem & populorum quibus evangelizabant exigentiam, non vero ad elegantiam, & sermonis concinnitatem. Quare facilius & elegantius loquebantur lingua sibi vernacula & propria quam exotica & externa. Hinc est quod textus Græcus librorum novi Testamenti interdum elegantior sit & politior, quam Latinus ab eo expressus, ut constabit utrumque conferenti; non alia certe ratione, quam quia Græco idiomati quo suos libros confecerunt, pridem assueverant sacri Scriptores.

Concludendum itaque longe probabilius videri, S. Marcum Græce scripsisse; & Latinam illius editionem ejusdem esse, a quo versos habemus cæteros Evangelii libros, quod ipsa versionis similitudo indicat. Unde plures in Evangelio S. Marci sicut & in aliis reperiuntur Græcismi; sic cap. II. v. 2. *Et convenerunt multi ita ut non caperet neque ad Januam*, quod obscure Latine ex Græco translatum est, qui clare & ornate sic habet ὥστε μηκέτι χωρεῖν μηδὲ τὰ πρὸς τὴν θύραν, id est, *ut non caperent* (turbam affluentem) *neque illa quæ ad Januam erant loca.* Et cap. IV. 10. *Et cum esset singularis*, Græce clare κατὰ μόνας, id est, *solus*. Et cap. VII. v. 17. 18. 20. *quæ de homine exeunt, illa communicant hominem*, Græce clare κοινοῖ, id est, *communem faciunt*, hoc est, immundum reddunt hominem: Hebræi enim immunda vocant communia, quibus scilicet cummuniter & promiscue omnes etiam immundi utuntur. Sic cap. I. 47. διαφημίζειν ad verbum vertit *diffamare* pro *divulgare*. Sic cap. XV. 47. προσάββατον, ad verbum vertit *ante Sabbatum*, id est, profestum Sabbati, vel vigilia, puta parasceve, aut pridie Sabbati.

Sunt qui utramque sententiam conciliare nituntur, ut Genebrardus, [d] & Possevinus, [e] dicendo S. Marcum utraque lingua Græca & Latina scripsisse, quemadmodum docet Petrus de natalibus, [f] ubi ait, *Petrus Marcum Aquileiam Proto-episcopum destinavit, ibi Evangelium suum, quod alias Romæ Latinis literis conscripserat, iterum Græco eloquio exaravit, quod usque hodie in Aquileiensi Ecclesia, cum sede eburnea in qua sedens illud scripserit, demonstratur.* Verum si Latine scripserit S. Marcus, qui fieri potuit ut illius Autographum Latinum aut aliquod exemplar non compareat? Dices forte illud injuria temporum periisse. At quomodo Ecclesia Romana tam fida fidei & sacrorum Codicum custos, ac zelo religionis ardentissima & constantissima, permisit tantum thesaurum sibi dicatum intercidere? Quæ aliena tam accurate servavit, sua sane non perdidit, nec prodidit. Quis credat tot Codices Evangelii S. Marci quos Romani nobiles, cæterique Itali a SS. Petro & Paulo conversi, certatim sibi describi curabant; illi maxime qui ad evangelizandum aliis Nationibus ab eis delegabantur, omnes ad unum ita periisse, ut ne unus quidem superfuerit? Nam id quod Venetiis religiose servatur S. Marci ut putant Autographum, lingua Græca esse conscriptum, (quidquid dicat Pagacinus Gaudentius in dissertatione hac de re) testantur qui venerandum illud depositum studiose conservant.

[d] *in Chronol. ad ann. 44.*
[e] *in Marco.*
[f] *in Catal. sent. lib. 4. cap. 86.*

V. Scopus S. Marci & illius Evangelii summa, est ostendere Christum esse verum & unicum totius Orbis Monarcham, idque probat, inquit Ederus ex suprema ejus auctoritate & potestate, cujus ipse viginti officia & effectus seu potius argumenta enumerat; nempe primo auctoritatem in spirituales substantias quas suo subiicit imperio

cap. I. Curationem omnis generis morborum, *eod.* Remiſſionem peccatorum, cap. II. Diſpenſationem & arbitrium legis, *ibidem.* Jus auctoritatem ſuam transferendi in alios, *cap.* III. Imperium ſuper mare & ventos, *cap.* IV. Poteſtatem vitæ & necis, *cap.* V. Proviſionem rerum ad vitæ ſuſtentationem neceſſariarum, *cap.* VI. Abrogationem traditionum perverſarum; *cap.* VII. Reſtitutionem auditus & loquelæ, *ibidem.* Illuminationem viſus, *cap.* VIII. Mutationem ordinis naturæ, in fine *cap.* VIII. & in *principio* cap. IX. Poteſtatem in exteros, *cap.* IX. Interpretationem ſeu potius perfectionem legis Scriptæ, *cap.* X. Imperium Davidicum *ibidem* & in *cap.* XI. Judicium atque ſcientiam cogitationum cordis alieni, dicto *cap.* XI. & XII. Cognitionem eventuum futurorum *cap.* XIII. Fortitudinem & conſtantiam in ferendis adverſis *cap.* XIV. & XV. Poteſtatem in mortem *cap.* XVI. Imperium ſupra cœlos *ibidem* cap. *ultimo.*

Ex his apparet quod cum S. Auguſtinus, [a] vocat S. Marcum *Abbreviatorem Matthæi*, non ſic veniat intelligendus, quaſi S. Matthæi Evangelii dumtaxat ſynopſin & Epitomen ſcripſerit; ſed quod compendioſius interdum narret, quæ Matthæus fuſius recenſuerat. Dixi (*interdum*) nam aliquando S. Marcus uberius quam S. Matthæus, hiſtoriam rei a Chriſto geſtæ enarrat, uti liquet in narratione ternæ negationis, qua S. Petrus Chriſtum negavit: Quædam etiam clarius quam S. Matthæus explicat: quare in hiſtoriis Chriſti enarrandis Marcus fuſior eſt quam Matthæus, ſed in dogmatibus referendis parcior.

[a] *lib. de Conſenſu Evang. cap. 2.*

VI. Anabaptiſtæ ut S. Matthæi, ſic & S. Marci Evangelium in plurimis interpolatum ſuggillant, maxime vero in ipſius exordio & in fine. In exordio inquam, falſatum putant ex eo quod ſic incipiat, *Initium Evangelii Ieſu Chriſti filii Dei: ſicut ſcriptum eſt in Iſaia Propheta; Ecce ego mitto Angelum meum, &c.* Quæ verba cum non in Iſaiæ, ſed in Malachiæ vaticiniis reperiantur, colligunt illa non a S. Marco Scripturarum divinitus erudito præmiſſa fuiſſe, ſed adjecta a quodam depravatore, qui in Scripturis veteris Teſtamenti parum verſatus, unius Prophetæ vaticinium alteri adſcripſerit. *Deinde* ne hujus Evangelii finis ab exordio diſcreparet, etiam hariolator ille iniquiunt, ad illius calcem interpolatrices manus adiicere voluit. *Primo* namque in hujus Evangelii capite ultimo, Chriſti D. Reſurrectio aliter quam in cæteris Evangeliis refertur, ut ex illorum collatione conſtabit. *Secundo* S. Hieronymus, [b] diſſolvens contradictionem, quæ eſſe videtur inter Matthæum, dicentem Chriſtum *veſpere Sabbati* ſurrexiſſe, & Marcum dicentem Jeſum una *Sabbati mane* ſurrexiſſe, ſic ſcribit? *Hujus quæſtionis duplex ſolutio eſt: aut enim non recipimus Marci teſtimonium, quod in raris fertur Evangeliis, omnibus Græcis libris pene hoc capitulum in fine non habentibus: præſertim cum diverſa atque contraria Evangeliſtis cæteris narrare videatur. Aut hoc reſpondendum: quod uterque veram dicit: Matthæus, quando Dominus ſurrexerit veſpere Sabbati: Marcus autem quando eum viderit Maria Magdalene, i. e. Mane prima Sabbati.* Libro autem II. adverſus Pelagianos, de hoc poſtremo capitulo ſic ſcribit: *In quibuſdam exemplaribus, & maxime in Græcis Codicibus, juſta Marcum in fine ejus Evangelii ſcribitur: Poſtea cum accubuiſſent undecim, apparuit eis Ieſus, & exprobravit incredulitatem, & duritiam cordis eorum, quia his qui viderant eum reſurgentem, non crediderant: & illi ſatisfaciebant dicentes: Sæculum iſtud iniquitatis & incredulitatis ſubſtantia eſt, quæ non ſinit per immundos ſpiritus veram Dei apprehendi virtutem: idcirco jam nunc revela juſtitiam tuam, &c. Quod quidem additamentum, quia Manichæorum dogma redoleat, ab omnibus tam Græcis, quam Latinis exemplaribus merito reſectum ac rejectum eſt.*

[b] *quæſt. 3. ad Hedib.*

Ad primum reſpondent aliqui *Iſaiæ* nomen hic loco *Malachiæ* in textum irrepſiſſe. Verum hujus reſponſi vanitatem aperte demonſtrat manifeſtam veterum Interpretum Syri, Latini & Arabis conſenſio. Neque vero Porphyrius hunc textum contra Chriſtianos produxiſſet; neque Chriſtianæ Religionis & Evangelicæ doctrinæ Propugnatores tantopere laboraſſent in ſolvenda illa Porphyrii objectione, niſi ea conſtans fuiſſet etiam veterum Codicum lectio; quam etiam approbat S. Irenæus eo, quem habemus, modo hunc locum citans.

Reſpondeo igitur nullum eſſe in hoc loco Evangeliſtæ vitium: duo enim ex Prophetis de S. Joanne Chriſti D. Præcurſore vaticinia recenſet S. Marcus: primum quidem ex Malachia, nimirum: *Ecce ego mitto Angelum meum, &c.* Alterum ex Iſaia ita vaticinante, *vox clamantis in deſerto, &c.* quæ duo vaticinia, cum idem fere contineant, nimirum præparandam a S. Joanne viam Domini; S. Marcus ſub unius prophetæ nomine ea producit. Quia vero idem argumentum verſans S. Matthæus laudaverat Iſaiam; ideo illius veſtigiis inſiſtens S. Marcus, eundem Iſaiam uti potiorem citat, ut denominatio eſſet a principaliori: & ut diſtinctius appareret quis ille eſſet Domini Præcurſor de quo agit Iſaias, & a quo ſit delegatus: Unde interpretem addit Marcus majori vati minorem, nempe, Iſaiæ Malachiam, quem nominandum hic non cenſuit, quod Iſaiæ auctoritas eſſet illuſtrior, nec quicquam eſſet in verbis Malachiæ, cujus ſententia etiam apud non Iſaiam extaret: Nam Angelus miſſus a Deo, non alius fuit quam Joannes, voce ſua clamans in deſerto prædicanſque pœnitentiam, quæ corda hominum præpararet ad Chriſti prædicationem & gratiam. Eſt ergo hoc unum quaſi duorum idemque oraculum, uno eodemque ſenſu, de uno eodemque Joanne prolatum, licet aliis & aliis verbis quæ ſe mutuo confirmant & explicant; ita ut Malachias Preconem diſtinctius, Iſaias vero clarius expreſſerit Prophetæ clamorem & prædicationem.

Quod

Quod autem Anabaptiſtæ ſubiiciunt, Malachiæ teſtimonium non de Joanne Baptiſta, ſed de Elia eſſe intelligendum: inane commentum eſt ac fabula Recentium Judæorum, qui per *Angelum miſſum ante faciem*, eundem Angelum intelligunt, quem ibi Propheta appellat *Angelum Teſtamenti*; at quis ille ſit, declarat Angelus *Lucæ* VII. cum ad Zachariam dixit de Joanne *ipſe præcedet ante illum in ſpiritu & virtute Eliæ*, quæ confirmavit Chriſtus Matth. XI. 14 ubi cum dixiſſet: *Omnes enim Prophetæ & Lex uſque ad Joannem prophetaverunt*: Addit, *& ſi vultis recipere, ipſe eſt Elias qui venturus eſt*: Elias, inquam, non perſona, ſed zelo & officio, utpote qui in ſpiritu & virtute Eliæ præiverit primum Chriſti adventum, quemadmodum Elias ſecundum eſt præcurſurus.

Ad ſecundum dico S. Marcum in referenda Chriſti reſurrectione aliis Evangeliſtis non contradicere cum dixit Mulieres acceſſiſſe ad ſepulchrum valde mane. Nam cum Matthæus dicit *veſpere autem Sabbati*; non intelligit veſpertinum tempus diei Sabbati, ſed noctem quæ ſequebatur Sabbatum: quamobrem addit, *quæ luceſcit in prima Sabbati*; quaſi diceret, quæ nox luceſcit, ſeu deſinit in Lucem in prima Sabbati, id eſt mane diei Dominicæ quæ prima dies eſt poſt Sabbatum, ut explicant SS. Patres, præſertim S. Gregor. Nyſſenus, [a] & S. Auguſtinus, [b] ſcribens: *Sic itaque dictum eſt* VESPERE SABBATI, id eſt, *nocte quæ ſequitur diem Sabbati, quod ipſa verba ejus ſatis indicant. Sic enim ait.*: VESPERE AUTEM SABBATI QUÆ LUCESCIT IN PRIMA SABBATI, *quod fieri non poteſt ſi tantummodo primam noctis particulam*, id eſt, *ſolum initium noctis intellexerimus dicto* VESPERE *ſignificatam. Neque enim ipſum initium luceſcit in prima Sabbati, ſed ipſa nox quæ luce incipit terminari. Nam terminus primæ partis noctis, ſecundæ partis initium eſt; lux autem terminus totius noctis eſt. Unde poteſt dici veſper luceſcens in prima Sabbati, niſi nomine* VESPERI *nox ipſa intelligatur*. Conſentit igitur Marcus cum Matthæo ſimiliter & Luca dum ſcribit cap. XXIV. Mulieres *una Sabbati valde diluculo veniſſe ad monumentum*, & cum Joanne ſcribente cap. XX. eas veniſſe mane *cum adhuc tenebræ eſſent*, id eſt, vix ſolutæ per exorientem Solem.

Ad id vero quod adiiciunt ex S. Hieronymo, in quibuſdam Græcis Codicibus capitulum iſtud deſiderari & eſſe reſectum: id contigit, vel quia, ut ipſemet ait S. Hieronymus lib. in objectione citato, adverſus Pelagianos, interpolatum erat hoc caput, quibuſdam addititiis in aliquot Codicibus; quæ cum vel eſſent dubia vel Evangeliſtis contraria & ab hæreticis inſerta; idcirco ne triticum ſeu purum Evangelii verbum Exſcriptores colligentes, ſimul etiam legerent zizania, totum capitulum iſtud prætermiſerunt, aut ſaltem illius partem. Nam omiſſam a S. Marco reſurrectionis hiſtoriam quæ Evangelii vel potiſſima pars eſt, indignum ſit creditu: Scriptam ab ipſo ſed perditam; & ab alio partem hanc ſuppletam, æque videtur incredibile. Unde enim, inquit Grotius iſta labes advenire potuit Libro qui ſtatim ut eſt editus, hauddubie plurimis exemplis deſcriptus & longe lateque diſtractus eſt? *Adde quod* Latinus, Syrus, & Arabs hoc caput agnoſcunt, & cujus magna in hac re debet eſſe auctoritas, S. Irenæus. Unde cum S. Hieronymus addit a Patribus Græcis hoc capitulum eſſe reſectum, non de tota hujus capituli Scriptura intellexit, ſed de quibuſdam Apocryphis hujus capituli periodis ab hæreticis aut dubiis Auctoribus adjectis. (59)

[a] *Orat. 2. de Reſurrect.*, [b] *lib. 3. de conſenſu Evang. cap.* 24.

§. II.

(59) Mentem S. Hieronymi vere aſſecutus videtur Fraſenus pro Capite ultimo Sancti Evangelii ſecundum Marcum; etenim S. Doctor in Libro ſecundo contra Pelagianos ſolum ait expulſum fuiſſe additamentum incipiens a verbis iſtis: *& illi ſatisfaciebant &c.* Cæterum Caput iſtud veluti Sancti Marci genuinum admittit S. Athanaſius in Synopſi, & Eccleſia univerſa, ut divinum admittebat ætate S. Hieronymi, cum S. Auguſtinus Lib. 3. *de conſenſu Evangeliſtarum* Cap. 24. cum aliis Evangeliſtis conciliare ſategerit. Legantur hac de re Ceillerius loco ſupra indicato, & Bellarminus Lib. I. de Verbo Dei Cap. 16.

Aliquæ profecto, ſed levis momenti in Canonicitatem Evangelii S. Marci inſtituuntur ab Hæreticis oppoſitiones; principalior ea videtur, quæ ex Cap. 2. ℣. 16. deſumi ſolet: ſcribit enim Evangeliſta dixiſſe Salvatorem Phariſæis = Quomodo David intravit Domum Dei ſub Abiathar Principe Sacerdotum, & panes propoſitionis manducavit = Conſtat autem ex Lib. I. Regum Cap 21. non Abiathar, ſed Achimelech fuiſſe Sacerdotem dum David venit in Nobe; quapropter erroris videtur convinci, quod in Marci Evangelio refertur.

Facillima eſt reſponſio; Sacerdotis quippe munere fungebantur tam Achimelech, quam filius ejus Abiathar, qui poſtea regnante Davide Sacerdotum Princeps factus eſt; unde Marcus optime dicere potuit ſub Abiathar panes propoſitionis Davidem manducaſſe; eum autem Principem Sacerdotum appellat, non quod talis, dum Dei domum ingreſſus eſt David extiterit, ſed quod poſtea ad eam dignitatem fuerit evectus. Hac eadem loquendi formula uſus eſt Sanctus Matthæus in Cap. 1. dum ſcripſit = Jeſſe genuit David Regem, non quod David Rex eſſet dum genitus fuit, ſed quod eam dignitatem ſit poſtea adeptus: pari modo locutio S. Marci intelligenda eſt, Diverſimode hanc oppoſitionem alii Commentatores reſolvunt, dicentes tam Achimelech, quam filium ejus Abiathar fuiſſe binomium, adeo ut uterque vocaretur *Achimelech Abiathar*, idque demonſtrant ex Libro 2. Regum Cap. 8. ℣. 17., & ex 1. Paralip. Cap. 18. ℣. 16., & Cap. 24. ℣. 6. utramque recipiamus reſponſionem, in tuto S. Marci propoſitio conſiſtit. (W)

§. II.

De Evangelio S. Lucæ.

VII. LUcas patria Antiochenus, Pauli Apostoli discipulus, ipsiusque totius peregrinationis individuus comes, inquit Hieronymus, [a] Lucas antea medicus simul & pictor egregius ait Nicephorus, [b] Thebis ad Paulum venit, atque ibi nuntio patrio errori remisso, ad Christum accessit anno post Christi Ascensionem circiter septimo: ex hoc enim tempore & non antea ipsum Paulo adhæsisse colligitur ex mutato ab ipso usu loquendi in Actis Apostolicis. Qui enim, inquit Baronius, [c] quas hactenus retulit Pauli res gestas, semper in scribendo tertia persona est usus, ut *fecit*, *dixit*, *abiit* & his similibus; ex eo tempore mutato stylo, quod ipse una cum cæteris Paulo præsto esset, se ipsum cum aliis adnumerans, hæc in prima persona *quæsivimus*, *venimus*, & alia id genus plurima in his quæ narrare pergit. Hinc ut qui præsens esset, deinde res singulas distinctius pleniusque recenset, cum alioquin antea, ejusdem Hieronymi testimonio, gravissima prætermiserit, multaque strictim summatimque narraverit.

a *lib. de Scrip. Eccles. in Luca.*
b *lib. 2. cap. 43.*
c *ad annum Christi 51. num. 63.*

Plurimi censent cum S. Hieronymo, quod S. Lucam intelligere voluerit S. Paulus dum II. ad Cor. VIII. scribens ait: *Misimus etiam cum illo fratrem, cujus laus est in Evangelio per omnes Ecclesias: non solum autem sed & ordinatus est comes peregrinationis nostræ, &c.* Verum, inquit Baronius *num. 64.* nihil ejusmodi de Luca legitur in Actis, sed potius de Sila: qui cum a Paulo Barnabas recessisset, electus est Antiochiæ Pauli comes in peregrinatione suscepta; cui & conveniunt illa præconia, quibus dicitur laudem ejus in Evangelio fuisse per omnes Ecclesias: Nam ad Apostolicam perficiendam legationem ex Concilio Jerosolymitano una cum Juda, quod primus esset, ait idem S. Lucas Act. XV. in fratribus, delectus est. Ejusmodi autem primatus non aliunde quam ex prædicatione Evangelii Silæ comparatus esse videtur: in quo genere si magna cum laude versatus est ante ipsius legationis functionem; quanto celebrior postea factus, cum omnibus Ecclesiis Syriæ, Ciliciæ, & aliis Asiæ provinciis, Macedoniæ etiam & Achaiæ una cum Paulo ablegatus Antiochia Evangelium prædicavit. In hanc etiam sententiam descendit Theodoretus, [d] illum videlicet a Paulo descriptum, non fuisse Lucam, tametsi non Silam sed Barnabam esse putarit.

d *in 2. cap. 2. ad Corinth.*

Accedit tamen ad Hieronymi sententiam testimonium S. Ignatii qui ad Ephesios scribens, eodem quo Paulus Lucam præconii laudat genere, cum dicit ipsum citans, *Ut testatur Lucas, cujus laus est in Evangelio:* nec non & S. Ambrosius in Procemio Evang. Lucæ, *Etiam a S. Apostolo*, inquit, *testimonium meruit diligentiæ: sic enim laudat Lucam, cujus laus est in Evangelio per omnes Ecclesias: & vere laudabilis, qui meruit a tanto Gentium Doctore laudari.* Quare de his quisque pro arbitrio opinari poterit, fuerit ne Lucas, an Silas, vel Barnabas eis verbis a S. Paulo commendatus.

Docet nos Origenes, [e] fuisse qui crederent, *Lucium* eum qui in eadem Epistola nominatur a Paulo cap. XVI. v. 21. *Salutat vos Timotheus adjutor meus & Lucius & Jason & Sozipater cognati mei*; esse hunc ipsum Lucam Evangelistam; & *Lucium* dici, flexione Romana seu Latina: *Lucam* vero, Græca. In quam sententiam inclinat Baronius, [f] ubi addit eos quos idem Paulus *cognatos* appellat, sicut & paulo superius Juniam & Andronicum, non sic dictos esse propinquitate sanguinis, eo quod diversarum essent ac longe distantium regionum; sed societate Religionis & gratiæ quod eosdem in Evangelio genuisset, ita Origenes, [g] existimavit: sed verius putamus, sic cognatos eos esse nominatos, quod essent ejusdem gentis, nempe Judæi. Nam idem superius Judæos omnes cognatos suos appellat, cum ait Rom. IX. *Optabam enim ego ipse anathema esse a Christo pro fratribus meis, qui sunt cognati mei secundum carnem, qui sunt Israelitæ.* Certe si quos genuit in Evangelio, cognatos dicere voluisset, ante omnes Caius, quem baptizaverat, & alii plures eo digni erant nomine. Verosimilius itaque est, Lucium illum, cujus ibi meminit S. Paulus, non alium esse a Cyrenensi, quem S. Lucas nominat Act. XIII.

e *in Epist. ad Rom.*
f *ad ann. Christi 58. num. 57.*
g *in cap. 16. ad Romn.*

VIII. Quod vero spectat ad Lucæ nomen, si illius Hebræum Etymon attendas, significat vel doctorem qui scientiam aut doctrinam a majoribus acceptam tradit; Lucas enim eruitur a radice לקח *Lecach*, id est, *doctrina accepta*, nam Hebræum *Cheth*, in Latinum S. liquescere solet, ut a *Maschiach* fit *Messias*: vel a קום *Lo cam*, id est, *ei resurrectio*, videlicet, ob illustres & glorioso labores assumptos. Si Græcam originem spectes, *Lucas* idem sonabit ac *Lotor*; oritur enim a λούω, id est, *lavo*, inquit Pagninus, quia Lucas peccatorum sordes Evangelicæ doctrinæ aqua salutari abstersit: Si vero Latinum Etymon usumque scruteris, Lucam a *Luce* dictum deprehendes. Neque enim assentior eis, quantumvis aliunde doctis, qui *Lucam* prisca lingua Latina *bovem* appellatum esse putant, decepti his Plinii verbis *Elephantes Italia primum vidit in Pyrrhi Regis bello, & boves Lucas appellavit in Lucanis visos: anno urbis* CCCCLXXII. Quibus verbis significat Plinius, Italos, qui ante Pyrrhum Elephantes non viderant, ob corporis magnitudinem appellasse eos *boves Lucas*, id ist, *Lucanos*, eo quod in Lucania

h h *lib. 8. cap. 6.*

Pri-

primum visi fuerint in Pyrrhi exercitu. Vel quod ait Varro, [a] *longe relucebant propter inauratos regios clypeos, quibus eorum tum ornatæ erant turres*,

[a] *lib. 6.*

IX. S. Epiphanius, [b] testatur Lucam fuisse unum de septuaginta duobus Discipulis, cui subscribens Euthymius [c] nititur testimonio Origenis; sed ubi id dixerit Origenes, non invenimus, id-ipsum sentit Auctor synopsis nomine Dorothæi, sed haud constans est ejus fides, quippe qui inter septuaginta duos Discipulos Christi, complures ex Pauli discipulis adnumeraverit. Inclinat etiam in hanc sententiam S. Gregorius magnus. [d] Verum quid de ipso S. Luca sentiendum sit aperte declarat ipse, in sua ad Evangelium Præfatione, ubi profitetur se ea quæ scripturus esset, *accepisse ab iis qui viderant, & ministri fuerant sermonis*. Quibus haud obscure aperit se ea non vidisse vel coram audisse, sed ab aliis qui cum Domino versati essent accepisse. Quæ perspicue intelligentes veteres Ecclesiastici Scriptores, absque aliqua dubitatione tradiderunt, S. Lucam non Domini, sed Apostolorum fuisse discipulum: sic S. Irenæus, [e] *Lucas*, inquit, *sectator & discipulus Apostolorum*, & Tertullianus. [f] *Porro Lucas non Apostolus, sed Apostolicus: non Magister, sed Discipulus; utique magistro minor; certe tanto posterior, quanto posterioris Apostoli sectator, Pauli sine dubio, &c.* S. Hieronymus quoque, [g] *Tertius Evangelista*, inquit, *Lucas medicus, natione Syrus, Antiochensis, cujus laus in Evangelio, qui & ipse discipulus Apostoli Pauli, in Achuiæ Bœotiæque partibus volumen condidit, quædam altius repetens, & ut ipse in proœmio confitetur, audita magis quam visa describens*. His consentit Theodoretus: [h] *Etenim*, inquit, *cum non vidisset B. Lucas, in principio operis dicit se ea narrare, de quibus certior factus est. Non autem etsi audiamus eum non vidisse quæ narrat, sed hanc doctrinam accepisse ab aliis; non minus ei & Marco credimus, quam Matthæo & Joanni.*

[b] *Hæres. 51.*

[c] *Præfat. in Evang. Luca.*

[d] *Præfat. in Iob. cap. 1.*

[e] *lib. 3. cap. 11.*

[f] *lib. 3. adversus Marc. cap. 2.*

[g] *Præfat. in Matth.*

[h] *Præfat. SS. Patrum*

Hujus utique firmitatis assensus rationem hanc egregiam profert S. Ambrosius in proœmium Lucæ, ubi cum præmisisset hæc illius verba, *Sicut tradiderunt nobis qui ab initio ipsi viderunt, & ministri fuerunt verbi*. Addit, *Non congruit ista locutio, ut magis ministerium verbi visum, quam auditum esse credamus, sed quia non prolativum verbum; sed substantiale signatur, verbum illud quod caro factum est, & habitavit in nobis; non vulgare verbum, sed illud cœleste intelligam, cui Apostoli ministrarunt, &c.* Unde concludit: Apostolos & Evangelistas, non solum secundum corpus vidisse Dominum, sed etiam secundum verbum, nempe secundum divinam sibi factam revelationem; quo sensu S. Lucas vidit quæ enarravit. Unde tametsi S. Paulus (cujus hortatu, ait S. Hieronymus, scripserat Lucas) illius Evangelium approbaverit; ita quod dum *suum Evangelium* dicit, intelligendus sit de Lucæ Evangelio; ut etiam ante S. Hieronymum scripserat Tertullianus: Nihilominus tamen, non a sola Pauli auctoritate, sed ab Ecclesiæ judicio, testantis Lucam divino dictante spiritu Evangelium suum scripsisse, ipsius veritas fit comperta.

X. Quam vero occasionem habuerit scribendi Evangelium, declarat ipse in Præfat. ad Theophilum, ubi sic orditur, *Quoniam quidem multi conati sunt ordinare narrationem quæ in nobis completæ sunt, rerum, &c.* Quibus verbis sugillat Pseudo-Apostolos, ac Pseudo-Scriptores qui ut suis erroribus patrocinium accerserent, Evangelia confinxerant. Arguit vero præcipue (inquit, S. Epiphanius mox laudatus) Cerinthum, Ebionem, Merinthum, Cleobulum, aliosque ejusdem farinæ homines, qui conati quidem fuerant texere historiam Evangelicam suis pravis dogmatibus congruentem, sed implere non potuerant: *Qui enim conatus est ordinare*, inquit, S. Ambrosius (supra-citatus) *suo labore conatus est, nec implevit. Sine conatu sunt enim donationes & gratiæ Dei, qui ubi se infuderit, rigare consuevit ut non egeat; sed redundet Scriptoris ingenium. Non conatus est Matthæus, non conatus est Marcus non conatus est Joannes, non conatus est Lucas; sed divino spiritu ubertatem dictorum rerumque omnium ministrante, sine ullo molimine cœpta compleverunt. Et ideo dicit:* QUONIAM MULTI CONATI SUNT ORDINARE NARRATIONEM RERUM QUÆ IN NOBIS COMPLETÆ SUNT: *Vel quæ in nobis redundant: Quod enim redundat, nulli deficit: & de completo nemo dubitat, cum fidem effectus adstruat, exitus probet.*

Quare autem ad eos errores revincendos, & confutandos illorum Seminatores, necessum fuerit Lucam post Marcum & Matthæum scribere, perbelle docet S. Epiphanius (supra citatus) ubi cum dixisset, quatuor Evangelistas, idcirco a Deo delectos *ut nonnulla concordi ac consentanea voce narrarent, quo monstrarent se ex eodem fonte hausisse: Quædam vero a singulis prætermissa, alius exponeret, cui privatim illud esset a Spiritu S. pro rata portione concessum*, subdit deinde Matthæum id speciale habuisse ut Evangelium auspicaretur a genealogia Christi, quatenus eum e S. Spiritu conceptum ac de Davidis & Abrahami, quod ad carnem attinet, genere prognatum, verum hominem demonstraret. Cum autem inde ansam arripuissent Cerinthus, Ebio, & alii hæretici nudum fuisse hominem Christum aserere, & ex illa Christi genealogia ab Abrahamo & Davide perducta suam insaniam corroborare; opus fuit, Marcum scribere Evangelium ad illa impia dogmata confutanda. Verum cum ille nec de Verbi Dei in terras e cœlo delapsi; perspicue significasset, imo ex ejus Evangelio Christum solum appellative Dei filium esse adstruere niterentur; „ Spiritus S. inquit S. Epiphanius, B. Lucam occultis quibusdam stimulis cogit, & excitat ut ex altissima illa voragine cæcorum hominum mentes educeret, & quæ fuerant ab aliis prætermis-

„ missa, scriptis commendaret: ne quis a „ veritate longius aberrans crederet, Christi „ generationem ab eo velut fictam fabulam „ fuisse propositam. Sed orationem ille „ suam deinceps effert altius, ac cum sub- „ tilius exponat omnia, rei gestæ seriem ac- „ curate prosequitur, & ad veritati fa- „ ciendam fidem testes illos proponit in me- „ dium, qui divini verbi fuerant administri. „ Sic enim loquitur. *Quoniam quidem multi* „ *conati sunt* (ut nonnullos, qui id conati „ fuerant, indicaret, Cerinthum videlicet, „ Merinthum, & alios) *ita Epiphanius*. „ In cujus verbis ista minus appositè scripta mihi videntur, quibus significat Lucam distinctius quam Marcum aut Matthæum Christi divinitatem in Evangelio suo declarasse: illud namque peculiare fuit Joannis privilegium & specialis occasio Evangelicam historiam scribendi.

Quocirca satius dicendum arbitror cum Eusebio, [a] S. Lucam in ipso Evangelii sui exordio, quæ scribendi causa esset exposuisse. Ait enim multos temere atque imprudenter aggressos fuisse narrationem earum rerum quas ipse exploratas haberet: ac proinde se necessitate adductum, ut nos ab incertis opinionibus liberaret; certissimam ac fidelissimam narrationem earum rerum, quarum ipse veritatem partim ex Pauli contubernio, partim ex reliquorum Apostolorum sermonibus, & ex speciali Dei revelatione hauserat, Evangelio suo tradidisse.

[a] *lib. 3. hist. Eccles. cap. 24.*

XI. In hunc vero specialem finem collimat ejus Evangelium, ut Christum præstantissimum animarum Medicum & Salvatorem, ac Mediatorem Dei & hominum demonstret. Illius enim Evangelii summa hæc est: Is rectè dicitur hominum Salvator & humanæ naturæ ac fœlicitatis restaurator, cujus omnes actus, omnisque doctrina ad hominum sanitatem, salutem & beatitudinem ordinantur. At Christi actiones omnes ad totius mundi salutem institutæ sunt, ut constat: primo (inquit ex Aureolo nostro Ederus) ex Christi in mundum ingressu, per conceptionem, & nativitatem ac manifestationem in baptismo, in quibus ut filius Dei & hominum Salvator mundo innotuit; quemadmodum S. Lucas cap. II. & III. declarat. *Secundo* ex illius cum hominibus convictu & conversatione, qua eximias suas virtutes manifestavit, & ad eas excolendas vivo suo exemplo homines quibuscum versatus est, provocavit; maximè vero ad pœnitentiam, abstinentiam, religionem, patientiam & misericordiam erga quoslibet calamitatibus jactatos: quarum virtutum præclara exempla a Christo refert Lucas cap. IV. Similiter humilitatis & benevolentiæ ac compassionis erga peccatores cap. V. veritatis & sinceritatis cap. VI. indulgentiæ ac clementiæ cap. VII. *Tertio* ex summo officio & studio quo Christus Salvatoris & Medici munus executus est, tum vocando omnes homines ad salutem, & variis ac saluberrimis persuasionibus eos ad pietatem inducendo: tum varia edendo miracula quæ referuntur cap. VIII. tum eligendo Apostolos & discipulos qui salutarem hominibus doctrinam annuntiarent ut legimus cap. IX. & X. *Quarto* præcipua doctrinæ cœlestis, qua informari debeant homines capita discipulos suos edocendo, quæ habentur a cap. X. ad XXII. *Quinto* ex salutifero Christi ex hac vita pro nobis discessu & per resurrectionem reditu, qui quantum salutares nobis fuerint, demonstrant Sacrosanctæ Eucharistiæ institutio, acerbissima, sed patientissima ejus Passio ac mortis & sanguinis pro nobis oblatio; nec non & multiplex illius post resurrectionem suam Apostolis manifestatio; quibus, inquit idem Lucas Act. I. *Præbuit seipsum vivum post Passionem suam in multis argumentis, per dies quadraginta apparens eis & loquens de Regno Dei.* Ex quibus manifestum fit quam vere scripserit S. Hieronymus. [b] *Lucas, Evangelium & Actus Apostolorum Ecclesiis derelinquens, quomodo Apostoli de piscatoribus piscium, piscatores hominum facti sunt; ita de medico corporum, in medicum est versus animarum; cujus liber quotiescunque legitur in Ecclesiis, toties ejus medicina non cessat.* Quare S. Anselmus, [c] duas profert rationes cur S. Lucas plusquam alii Evangelistæ de Christi misericordia sermonem faciat; *Lucas*, inquit, *primo fuit medicus corporum, deinde conversus ad Christum factus est medicus animarum. Inde est quod plusquam alii Evangelistæ loquatur de misericordiis Redemptoris, per quas languores peccatorum ab animabus pelluntur. Et insuper Sacerdotis personam in Christo describit intervenientis pro peccatis totius mundi.*

[b] *in Epist. ad Ploem.*

[c] *in cap. 4. Epist. ad Ephes.*

Quo anno Evangelium scripserit S. Lucas certo definiri nequit; Theophylactus quidem asserit id factum fuisse *ann.* XV. post Christi Ascensionem: At nullo id fundamento confirmat. Sunt qui putent scriptum a S. Luca Evangelium circa ann. Christi LVI. nempe vigesimo post Christi Ascensionem anno: sed quoniam ista etiam gratissime proferunt, majorem fidem non merentur. Cum itaque nulla ad id constituendum accedat Veterum determinatio, lis sub judice permaneat, donec hisce in rebus peritior, illam æqua trutina dissolvat.

Non immoror in referendis omnibus illis particulis, quæ ex Evangelio Lucæ resecabant Marcionistæ, aliique nonnulli veteres hæretici; illa namque evidentissime declarata ac confirmata habes apud Tertullianum, maximè lib. IV. contra Marcionem. Quæ vero ad S. Lucam spectantia, dicenda supersunt, subiiciemus, ubi sermo erit de Scriptore Actuum Apostolorum.

Hic tamen silentio non est prætereundum quod asserit S. Epiphanius. [d] De S. Luca scribens: *Huic prædicandi Evangelium munus est creditum; idque ipse primum in Dalmatia, Gallia, Italia, & Macedonia præstitit; sed in Gallia præ cæteris; ut de nonnullis comitibus suis, Paulus in Epistolis testatur: Crescens, inquit in Gallia non enim*

[d] *hæres. 51. pag. 433.*

in

in Galatia legendum est, ut quibusdam immerito placuit: sed in Gallia. At utrum ista vere scripserit S. Epiph. fides sit penes Auctorem. (60)

§. III.

De Evangelio S. Joannis.

XII. JOannes Apostolus & Evangelista, patria Bethsaidensis, arte piscator, & Zebedæi piscatoris filius, ac Jacobi Majoris frater, a Christo D. ad Apostolatum vocatus, & ab ipso dilectus plurimum, *Qui* (ait S. Hieronymus [a]) *supra pectus Domini recumbens, purissima doctrinarum fluenta potavit, & qui solus de Cruce meruit audire: Ecce mater tua, cum esset in Asia, & jam tunc Hæreticorum semina pullularent Cerinthi, Ebionis, & cæterorum, qui negant Christum in carne venisse: quos & ipse Antichristos vocat... in Epistola sua coactus est ab omnibus pene tunc Asiæ Episcopis, & multarum Ecclesiarum legationibus, de Divinitate Salvatoris altius scribere: & ad ipsum (ut ita dicam) Dei Verbum, non tam audaci, quam felici temeritate prorumpere. Unde & Ecclesiastica narrat historia, cum a fratribus cogeretur ut scriberet: ita facturum se respondisse, si indicto jejunio in commune omnes Deum deprecarentur: quo expleto, revelatione saturatus, illud proœmium e cœlo veniens eructavit:* IN PRINCIPIO ERAT VERBUM, &c. Idem alibi [b] duplicem scribendi causam profert, dicens *novissimus omnium Joannes scripsit Evangelium, rogatus ab Asiæ Episcopis adversus Cerinthum aliosque Hæreticos, & maxime tunc Ebionitarum dogma consurgens, qui asserunt, Christum ante Mariam non fuisse. Unde & compulsus est divinam ejus nativitatem edicere. Sed & aliam causam hujus Scripturæ ferunt, quod cum legisset Matthæi, Marci & Lucæ volumina, probaverit quidem textum historiæ, & vera eos dixisse firmaverit, sed unius tantum anni, in quo & passus est post carcerem Joannis, historiam texuisse. Prætermisso itaque anno, cujus acta a tribus exposita fuerant, superioris temporis, antequam Joannes clauderetur in carcerem, gesta narravit; sicut manifestum esse poterit his qui diligenter quatuor Evangeliorum volumina legerint.* Hæc ipse.

XIII. Porro illam potissimam fuisse causam, ut Hæreticos qui Christi Divinitatem negabant, Joannes scripto Evangelio confutaret, post S. Irenæum [c], affirmat etiam Epiphanius [d], qui cum de cæteris Evangelistis sermonem fecisset, maxime de S. Luca, quem dicit Evangelium scripsisse ad confutandos Cerinthi & Ebionis aliorumque Hæreticorum errores subdit: *Ob id deinde Spiritus S. Joannem invitum licet, ac religione quadam & animi moderatione defugientem, ad scribendum Evangelium impulit: affecta jam ætate; ut qui jam nonagesimum annum excederet, postquam a Pathmo insula reversus est, quod quidem Claudio imperante contigit, &c.* Quæ postrema verba, vel Epiphanii lapsum vel in codicem mendum irrepsisse indicant; nam haud facile probari potest, quod Joannes sub Claudio, nonagenarius saltem ætate fuerit; omnesque conveniunt Joannem sub Nerva Imperatore ab exilio fuisse revocatum. Tertiam insuper causam quæ eum ad scribendum moverit, statim subiiciemus.

XIV. Quo tempore ac loco scripserit Evangelium, non una est omnium Auctorum sententia. Sunt qui conscriptum illud censeant in insula Pathmo, ita Auctor Synopsis sub nomine S. Dorothæi, cui consentit Metaphrastes [e] adiiciens: „ Cum „ Joannes solutus lege exilii Ephesum esset „ reversurus, Insulani precibus agunt, ne „ recedat: quod cum persuadere non pos„ sent, secundæ faciunt petitionis initium; „ ne scilicet totum seipsum auferret, sed „ seipsum loquentem assiduo suis scriptis „ relinqueret; utque Christi Evangelium, „ & ea quæ ipse viderat de Christo, scribe„ ret. Annuit ille; & antequam opus ag„ grederetur, tum sibi tum aliis indixit je„ junium: & Prochorum sequi jubet, ac „ cum eo montis ascendit verticem, & mo„ re Samuelis rectus erigitur, & sicut Moy„ ses manibus elevatis effiguratur, & men„ tem a sensibus abstrahit. Tunc horrenda „ tonitrua, terrores, & fulgura, his simi„ lia quæ antea Moysi Legem recipienti „ contigerant, facta sunt. Ad extremum to„ ni-

[a] *proœmio in Matth.*

[b] *lib. 3. de Script. Eccle. cap. 9.*

[c] *lib. 3. cap. 11.*

[d] *hæres. 51. pag. 433.*

[e] *apud Lipomon. tom. 1.*

(60) Adversus divinitatem Evangelii S. Lucæ nonnulla comminiscuntur Anabaptistæ, contendentes turpiter fuisse ab aliena manu interpolatum, vel fœtum non esse legitimum S. Lucæ. In Capite siquidem tertio, ajunt, undecim reperiuntur enarratæ apud Lucam generationes a Diluvio usque ad Abraham interserendo Cainan secundum inter Arphaxad, & Sale, cum tamen illius neque in Genesi, neque in aliis Canonicis Libris habita sit mentio. In Capite pariter 22. Evangelii S. Lucæ a ℣. 43. narratur historia Angeli, qui confortare Jesum descendit, atque sudoris sanguinis decurrentis in terram; quæ tamen omnia subreptitia sunt, cum in aliquibus tantummodo legerentur codicibus, ut testantur Lib. 2. adversus Pelagianos Hieronymus, & Hilarius in Libro de Trinitate.

Hæc tamen levi exsufflantur halitu. De Cainan agit Frassenus in Tom. 2. disquisitionum Quæst. 1. in Caput Geneseos 11., ibidemque illustrabitur controversia ista; modo dicimus Casnanem istum ex nonnullis LXX. Interpretum depravatis codicibus in sancti Lucæ Evangelium diu post Evangelistæ mortem fuisse intrusum. Ad alteram quod pertinet historiam de Angelo, & sanguineo sudore respondemus a duobus illis doctoribus fuisse quidem observatum in aliquibus deesse exemplaribus, non tamen de ejus veracitate fuisse suspicatos; eamdem ut divinam agnovere Athanasius lib. 6. ad Theophilum, qui est *de Beatitudine filii Dei*, ubi anathema dicit hanc pernegantibus narrationem evangelicam esse, & S. Augustinus Libro tertio de Consensu Evangelistarum capite 4. nec non Epiphanius in Anchorato. Quid ergo ad nos de Anabaptistis? (W)

„ nitrua in vocem exprimuntur, atque re-
„ ſonat: *In principio erat Verbum*. „ At cum iſta ab Auctore non admodum antiquo, cujus interdum fides vacillat, tradita habeantur, an omnimodam mereantur fidem, judicet lector. Probabilius itaque (quod ad inſtitutum ſpectat) dicendum arbitror S. Joannem Evangelium ſuum edidiſſe, poſtquam ab exilio ſolutus rediit Epheſum; ea namque eſt S. Irenæi [a] & Euſebii [b] ſententia.

a *lib.* 3. *cap.* 1.

b *lib.* 5. *cap.* 18.

Scriptum vero fuiſſe ab eo Evangelium Græce inquit Baronius [c], omnes conſentiunt: Translatum autem antiquitus Hebraice, & Tyberiade in Gazophylacio Judæorum aſſervatum temporibus ſuis tradit Epiphanius. [d] Conjicit etiam Baronius illud fortaſſe eſſe quod Papias *Evangelium* SECUNDUM HEBRÆOS nuncupat: nam inquit Euſebius [e] *idem Papias . . . Aliam quoque exponit hiſtoriam de muliere quæ multorum criminum coram Domino accuſata eſt. Quæ quidem hiſtoria in Evangelio ſecundum Hebræos ſcripta habetur*. Unde colligit quod ſi hæc mulier multorum criminum rea, eadem ſit cum ea quæ Joan. VIII. a Phariſæis adulterii apud Chriſtum accuſata, eſt, affirmare neceſſe eſt per *Evangelium ſecundum Hebræos* Papiam Joannis Evangelium intellexiſſe. At falli hac in re Baronium ex dictis liquet; nam Evangelium ſecundum Hebræos erat ipſum Matthæi Evangelium, ſed interpolatum variis additamentis, quale haudubie erat iſtud de muliere adulterii & multorum criminum rea ex Joannis Evangelio excerptum. Tametſi vero Græce ſcripſerit, ac cum Græcis diutiſſime fuerit verſatus. Nihilominus non ea quæ in aliquibus aliis Evangeliſtis, in eo conſpicitur Græci ſermonis elegantia: cujus utique duplex aſſignari poteſt ratio; prior quidem quod cum arte piſcator eſſet, & juveniles annos in eo opere poſuiſſet, veroſimile ſit eum præter legem, quam diſcere potuit puer, ut mos erat Hebræis, nulla tinctura fuiſſe Hebraica, aut Græca literatura imbutum. Quare quidquid ei ad Apoſtolici muneris functionem fuit neceſſarium, ſupplevit quidem Spiritus Sanctus, cujus divinis chariſmatibus, maxime vero dono ſcientiarum & linguarum cum cæteris Apoſtolis in die Pentecoſtes impletus & illuſtratus eſt. Verum cum divinus ille Spiritus in rebus ad Dei gloriam & hominum ſalutem non neceſſariis, ſoleat ea relinquere cuique, quæ eis ſunt propria. Inde fit, ut in eo ſupra cæteros Apoſtolos, magna ſit in dictione ſimplicitas; & ſermo quidem Græcus eſt (inquit Grotius) ſed plane adumbratus ex Syriaco illius ſæculi. Alia etiam hujus ſermonis ſimplicitatis ſubeſt ratio, ut videlicet comprimeret ſupercilium quorumdam Hæreticorum, maxime Gnoſticorum, qui ex Cabbala Judaica, & Pythagoræ, Platoniſque Schola, Philoſophiæ dogmatibus & Græcanica ſua eloquentia Chriſtianæ doctrinæ & fidei integritatem ac ſimplicitatem interpolare ac pervertere nitentes, pruriebant auribus, & ſub eleganti verborum apparatu ac Platonicæ doctrinæ lenociniis, ſuorum errorum virus effundebant. Quibus ut occurreret S. Joannes, non ſolum affectatæ eorum elegantiæ ſolidam Evangelici ſermonis ſimplicitatem oppoſuit. Sed inſuper quia illi inter ſuos Æonas nominabant λόγον *verbum*, item ζωὴν *vitam*, item μονογενῆ *unigenitum* & σωτῆρα *Salvatorem*, (quæ omnia nomina etiam apud Proclum ad Platonis Timæum reperies). Et alium rurſus dicebant eſſe *Mundi Opificem*, alium *Chriſtum*, alium *Jeſum*: hos errores ut revinceret S. Joannes, oſtendit omnes iſtos titulos, uni eidemque *Jeſu Chriſto* congruere. Quamobrem pluries inculcat Chriſtum eſſe Dei Verbum & Unigenitum; ipſe autem Chriſtus ſe *vitam* appellat.

c *anno Chriſti* 99. *num.* 6.

d *hæreſi* 30.

e *lib.* 3. *hiſt. Eccleſ. circa finem.*

XV. Tametſi vero in hoc cum cæteris Evangeliſtis conſentiat, quod Chriſti vitæ mortalis ſeriem graphice repræſentet; in eo tamen ab aliis diſcrepat, quod cæteri Scriptores Evangeliorum, ſatis habuerint Chriſti divinam naturam, tacite indicare ex admirabili ipſius conceptione; ex infinita illa ac liberrima vi ad facienda miracula; ex introſpectu cogitationum alienarum & ſcrutatione cordium; ex ſtupenda illius morte, reſurrectione, & in cœlum Aſcenſione; ex promiſſo denique mittendi Spiritus Sancti, & virtutis remittendi peccata. At S. Joannes, pro uſu temporum, proximius ad Chriſti divinitatem collimans, in ipſo Evangelii ſui exordio, Chriſtum & Deum & Dei Filium, & rerum omnium Opificem diſtinctiſſime enarrat: *Cæteri quidem Evangeliſtæ* (inquit S. Auguſtinus, aut quiſquis eſt Auctor Præfat. expoſitionis in Evang. S. Joannis) *qui temporalem Chriſti nativitatem, & temporalia ejus facta, quæ geſſit in homine, ſufficienter exponunt, & de Divinitate pauca dixerunt, quaſi animalia greſſibilia cum Domino ambulant in terra: hic autem pauca de temporalibus ejus geſtis ediſſerens, ſed Divinitatis potentiam ſublimius contemplans, cum Domino ad cœlum volat. Qui enim ſupra pectus Domini in cœna recubuit cœleſtis hauſtum ſapientiæ cæteris excellentius de ipſo Dominici pectoris fonte potavit. Legerat ſiquidem Evangelia trium Evangeliſtarum, & approbaverat fidem eorum & veritatem: in quibus deeſſe vidit aliqua geſtarum rerum hiſtoriæ, & ea maxime quæ Dominus geſſit primo prædicationis ſuæ tempore: ſcilicet antequam Joannes Baptiſta clauderetur in carcere. Hæc ergo quaſi dimiſſa ab illis ſcribit Joannes, quæ fecit Jeſus antequam Joannes clauderetur: ſed maxime Divinitatem Chriſti & Trinitatis myſterium commendare curavit*. Hæc ille Quæ verba tametſi certo non conſtet ab Auguſtino fuiſſe ſcripta; conſentanea tamen ſunt eis quæ habet lib. I. de conſenſu Evangel. cap. VI. ubi cum dixiſſet quatuor Evangeliſtas adumbratos fuiſſe in illis quatuor myſticis animalibus ab Ezechiele I. & Joanne Apocalyp. IV. conſpectis, itaut facies Leonis Matthæum; hominis Marcum, Vituli Lucam, Aquilæ Joannem repræſentaret, ſubdit: *Hæc autem animalia tria, ſive Leo, ſive homo, ſive vitulus in terra gradiuntur: unde iſti tres Evangeliſtæ,*

in his maxime occupati sunt, quæ Christus in carne operatus, & quæ præcepta mortalis vitæ exercendæ carnem portantibus tradidit. At vero Joannes super nubila infirmitatis humanæ, velut Aquila volat, & Lucem incommutabilis veritatis acutissimis atque firmissimis oculis cordis intuetur.

Hæc cum scribendi ei præcipue causa fuisset, eodem tamen opere voluit, & de Christo narrare, quæ a cæteris, in tanta miraculorum, & sermonum ipsius copia prætermissa fuerant; ea dumtaxat referens, quæ ab aliis tractata erant, quatenus connexio illius historiæ id exigebat. Prætermissorum autem pars maxima, in tempus incidit quo Joannes Baptista adhuc liber erat, ac nondum Herodis tyrannide in carcerem adactus. Ex quo tempore Christi miraculorum & prædicationum historiam ferme ordiuntur Evangelistæ, quia exinde copiosior populi multitudo, quæ prius Joannem audiebat, Christo Domino se adiunxit, & factorum ejus testis fuit. Ista perbelle explicat Eusebius [a] qui cum de tribus aliis Evangelistis „ dixisset, *subdit*: Perlatis jam in omnium, „ ipsiusque adeo Joannis notitiam supradictis tribus Evangeliis, approbavisse ea „ Joannes, & veritatem Scriptorum suo „ testimonio confirmasse dicitur: solam vero „ narrationem earum rerum quas Christus „ circa prædicationis initium gesserat, desideraſſe & profecto ita se res habet. Nam „ superiores quidem tres Evangelistas, ea „ dumtaxat quæ post conjectum in vincula „ Joannem Baptistam, unius anni curriculo „ a Salvatore nostro gesta sunt, literis mandasse perspicuum est.... His de causis „ aiunt Joannem ab amicis rogatum, & „ tempus ipsum quod superiores Evangelistæ silentio prætermiserant, & res tunc a „ Servatore nostro gestas, eas videlicet quæ „ Joannis Baptistæ carcerem præcesserant, „ in Evangelium suum conjecisse, idque ab „ ipso indicari primum cum dicit hoc initium miraculorum fecit Jesus. „ *Hæc ille*. Inde patet, quam apposite Origenes Præfat. in Evang. Joannis, scripsit, *Totius Scripturæ primitiæ esse Evangelium.... Evangeliorum vero primitias, Evangelium esse Joannis*. (61)

[a] *lib. 3. hist. cap. 24.*

CA-

(61) Divinitatem Evangelii S. Joannis variis Hetherodoxi cavillis nituntur expungere saltem quoad ejus partes. Supposititiam in primis credunt historiam adulteræ, quæ in Cap. 7. Joannis describitur, deest enim ista narratio in Codice vaticano antiquissimo, in aliisque pervetustis exemplaribus Græcis, & Latinis; desideratur etiam in codice Bibliothecæ Regiæ vetustissimo; in codice pariter venerandæ antiquitatis Patrum Oratorii Parisiensium assuta legitur hæc Historia in loco diverso, habetur tandem ista in prophano Nazaræorum Evangelio, ex quo in illud Joannis translata existimatur.

Fabulosa pariter historia de Languido ad Piscinam jacente existimatur ab Hæreticis cum in veteris Testamenti Scripturis nil prorsus de mirabili piscinæ aqua, & Angelo eamdem exagitante legamus, nil apud Josephum rerum suarum diligentissimum Scriptorem, & tandem in Cap. 6. Joannis ℣. 45. scriptum traditur in Prophetis = & erunt omnes docibiles Dei = cum tamen hæc apud nullum ex Prophetis habeantur.

Quot ambages, quot Neniæ! Satis ne est negativum argumentum ad positiva infirmanda, & quidem validissima momenta, quibus genuitatem & canonicitatem illius historiæ possumus demonstrare? S. Hieronymus Lib. 2. contra Pelagianos Cap. 6. fatetur in pluribus sua ætate extitisse codicibus historiam illam; in vetustissimo Cantabrigensi codice eamdem legi, sicut in omnibus antiquissimis missalibus, unico excepto, quæ legerat Theodorus Beza, testantur eruditissimi Scriptores; eam ut genuinam commemorant & canonicam Ammonius Tertii sæculi Auctor in sua Harmonia, S. Ambrosius Epist. 58. Num. 4. Libri 7. S. Augustinus Tract. 33. in Joannem, S. Athanasius in Synopsi, S. Chrysostomus Homil. 60. in Joannem, eandem retinent denique versiones Syriaca, Arabica, Persica, & Ethiopica: Videant ergo Adversarii quam labili innitantur fundamento ad eam explodendam.

Non urgentius invenimus, quod astruitur argumentum adversus alteram Historiam de Languido ad piscinam jacente, quid ad nos Josephi silentium? Plura alia silentio præteriit Judæus iste quæ tamen verissima sunt; Puerorum occisionem ab Herode factam in Bethleem, & finibus ejus siluit Josephus; numquid propterea vera non est? Quando autem initium habuerit prodigium istud sanandi languores in aqua illa ab Angelo exagitata, nescimus, unde mirum non est, quod in veteris Testamenti scriptis in Machabæorum desinentibus historia, nullum de eo factum sit verbum, cum longe post incæperit apparere. Cæterum piscinam probaticam prope Templum extitisse compertum est etiam ex Josepho, qui in Lib. 6. de Bello Cap. 5. editionis antiquæ commemorat post fontem Siloe *Stagnum Salomonis*. Describitur etiam Stagnum istud tanquam receptaculum aquarum, quæ ex mare æneo, & decem Couchis in Templo existentibus passim dimittebantur, ab Aristæa in Libro LXX. Interpretibus ad Philocratem; verum satis est, quod historiæ hujusmodi ab eo narrentur Evangelista, cujus testimonium esse rerum scimus. Cur quæso ex Evangelio Nazaræorum in illud Joannis historiam adulteræ esse transvectam fabulantur Hæretici, & non potius ab oppositio contigisse opinantur? Quid denique opponent si dixerimus narrationem Joannis diversæ esse Mulieris ab ea quæ in Evangelio Hebræorum describitur, testante Papia, ut Eusebius Lib. 3. Hist. Cap. 39. refert; siquidem Eusebius ex Papia de sola Muliere nomen habet, nomen autem *Adultera* minime posuit. Falsum est tandem, quod apud Prophetas non habeatur saltem quoad sensum oraculum istud: *& erunt omnes docibiles Dei*. Joelis 2. ℣. 23. legimus dictum filiis Israel = Filii Sion exultate, & lætamini in Domino Deo vestro, quia dabit vobis Doctorem justitiæ = Isaiæ 54. ℣. 3. legimus = Ponam universos Filios tuos doctos a Domino = Jeremiæ pariter 3. ℣. 15. scriptum est = Dabo vobis Pastores juxta cor meum, & pascent vos scientia, & doctrina = quis non videat hisce in oraculis idem contineri, quod ab Joanne Cap. 6. ℣. 45. describitur? Alia nonnulla ex prætensis antilogiis deducta argumenta, in Conciliatorio biblico resolventur. (W)

CAPUT QUARTUM.

De Libro Actuum Apostolorum, & quatuor primis S. Pauli Epistolis.

I. *De titulo, & dignitate Libri Actuum Apostolorum.*
II. *De Auctore hujus Libri, & ad quem inscriptus?*
III. *Non omnia Apostolorum, neque ipsius Pauli gesta in hoc libro narrantur.*
IV. *Plura sunt Apostolorum acta ab Hæreticis conficta.*
V. *Librum hunc a S. Luca exaratum semper ut canonicum habuit Ecclesia.*
VI. *Quis fuerit S. Paulus, quo genere; quave professione insignitus?*
VII. *Quo dicendi, & scribendi genere sit usus?*
VIII. *Quomodo nomen permutaverit, quibusve de causis Epistolas scripserit?*
IX. *Epistola Pauli ad Romanos quibus data, & ubi scripta fuerit,*
X. *Cur primum inter Pauli epistolas hæc locum obtineat, & quisnam hujus Epistolæ scopus?*
XI. *De Epistolæ hujus divisione & delineatione, & in quo differat ab Epistola ad Galathas?*
XII. *Quo sermone fuerit scripta hæc Epistola?*
XIII. *Quæ fuerit Civitas Corinthi, & quare ad illius gentes scripserit Paulus?*
XIV. *Quis fuerit præcipuus Apostoli scopus in hac Epistola, & quænam sint præcipuæ illius partes, & ubi nam scripta fuerit?*
XV. *Cur secundam Epistolam ad Corinthios dederit Paulus?*
XVI. *Quænam sit Galatia, & cur ad Galathas scripserit Paulus?*

§. I.

De Libro Actuum Apostolorum.

I. HIc liber a Græcis vocatur πράξεις, a Syris *Historia Apostolorum Beatorum*, a Latinis vero, *Actus*, vel *Acta Apostolorum*. Perinde enim utramque vocem usurpant SS. Patres & Scriptores Ecclesiastici: vox tamen *Actus* hæsit in Bibliis emendatioribus; ac congrue quidem; tametsi enim censeat Walla, & ex eo Erasmus, frequentius vocem *Actus* usurpari in carmine & stricta Oratione, quam in soluta, ut apud Lucanum de Cæsare

licet ingentes abruperit Actus.

Nihilominus receptius est, ut *Actus* non tantum Poetarum vox sit, sed etiam Oratorum: nam & Cicero *primo legum* dixit, *Non solum in rectis, sed etiam in pravis Actibus, insignem esse humani generis similitudinem.* Unde Budæus in Commentariis linguæ Græcæ, mavult *Actus* quam *Acta* dici, etiam ea, quæ in publicas tabulas relata sunt. Ut ut est, Ecclesiæ judicio standum est quæ huic libro nomen *Actus Apostolorum* inscribit. Tametsi vero pars operis maxima in Apostolo uno Paulo versetur, unde potius *Pauli*, quam *Apostolorum* nomine insigniri debuisse videatur; quemadmodum innuit S. Chrysostomus [a] atque Hieronymus [b]. Nam cæterorum ferme obiter tantum fit mentio, maxime ab eo tempore quo Paulum sectatus est Lucas, de eo namque solo pergit loqui: Satius tamen fuit generaliter comprehendi in titulo Apostolos omnes, quia eorum gesta, priusquam in varias nationes evangelizaturi dispergerentur, magisque illustria facinora circa Evangelii promulgationem & propagationem enarrat.

Quanta sit hujus libri dignitas & præcellentia, egregie explicat S. Chrysostomus loco mox citato, ubi acriter invehitur in eorum negligentiam quibus adeo ignotus esset hic liber, ut nec quis esset Auctor ejus, nec omnino scirent an existeret. Quam socordiam ut depelleret, se maximum eis aperire thesaurum, eum librum commentando velle dixit: non utilem minus ac pretiosum, quam Evangeliorum, cum egregiis documentis morum & vitæ exemplis abundet, comprehendatque Christi promissorum complementum, præsertim de Spiritu S. & de mirificis operibus, tum numero tum qualitate. Ex eo insuper addit, [c] petitur Conciliorum celebrandorum usus & forma; Sacramentorum frequentia, fortitudinis ac patientiæ in toleranda morte pro Christo, & tribulationibus ferendis insignia ibi exempla traduntur, ac varia ad sanctimoniam informandæ vitæ præcepta proferuntur. Ut merito scripserit S. Hieronymus [d]: *Non nuda est hæc historia, ut Ecclesiæ dumtaxat nascentis in ea texatur infantia, sed medici Scriptoris, verba omnia languentis animæ sint medicina, cujus quotiescunque liber legitur in Ecclesiis, toties ejus medicina non cessat.* Quamobrem in Epist. ad Lætam ubi præfigit ei præcepta pro educanda filiola Paula, jubet *ut Apostolorum Acta & Epistolas, tota cordis imbibat voluntate.* Atque sane ait S. Chrysostom. [e] Reliquæ Scripturæ lectio frequentanda, sed hujus in primis & Evangeliorum, quæ cum doctrinæ utilitate historiæ suavitatem conjunctam habent.

a *serm. de S. Babila.*
b *in Epist. ad Galat.*
c *homil. 1. in Acta.*
d *in Epist. ad Philem. & Epist. 103.*
e *hom. 3. in Epist. ad Coloss.*

bent. Huic enim sacræ historiæ accommodare lubet, quam de omni historia Cicero [d] laudem pronuntiat, eam esse testem temporum instituti ac propagati Christianismi, lucem veritatis divinæ ac revelatæ vitam memoriæ, ut Patrum, ac primorum conditorum generis Christiani, Apostolorum videlicet apud nos vivant, vigeantque monita, beneficia, exempla; magistram vitæ, ex virtute, juxta magistrorum nostrorum institutionem & impressa vestigia gerente; nunciam vetustatis, quæ venerationem habet & majestatis plenam auctoritatem. Insuper Historia hæc, eo utilior, & sacratior esse debet, quod non tam Apostolorum gesta referat, quam Spiritus S. qui per Apostolos, aliunde scientiarum rudes, & omnibus opibus ac divitiis destitutos prostravit idola, Dæmones vicit, emendavit Philosophos, Oratores eloquentia superavit, Christo subegit Nationes, ac Orbem universum suo subjecit Imperio. Hoc enim opus fuit non hominum paucorum & rudium, sed Spiritus S. *Conspicies hic*, inquit Chrysostomus, *Apostolos seu volucres, terram mariaque percurrentes, ac timidos illos quondam rudesque subito in alios homines esse versos, fastu divitiarum, gloria, ira, concupiscentia, breviter rebus omnibus superiores esse factos; utique non alia via, quam Spiritus S. eos agentis & impellentis.*

[d] *cap. 2. de Orat.*

II. Auctorem hujus libri non alium quam S. Lucam agnoscit Ecclesia: unde illius nomen præfert inscriptio Græca, necnon & Syrus Interpres, qui hunc titulum præfixum habet, *Liber Actuum, hoc est, historia Apostolorum Beatorum, quam collegit Sanctus Dominus meus Lucas Evangelista*, idque non obscure significatur in exordio hujus libri his verbis *primum quidem sermonem feci de omnibus o Theophile, &c.* Quibus hujus libri scriptor testatur se jam Christi historiam scripsisse in Evangelio, scilicet Incarnationem, gesta per triginta tres annos vitæ, illiusque mortem, resurrectionem, & in cœlos Ascensionem. Quam historiam, tametsi modestiæ & humilitatis causa, non *Evangelium*, sed *sermonem* appellet; nihilominus illam Evangelii appellatione & dignitate S. Paulus & Ecclesia condecorant, *Non dicit*, inquit Chrysostomus, *prius evangelium quod Evangelizavi, sed priorem quidem sermonem feci, nimirum Evangelii prædicationem, magnificentius quiddam esse ducens, quam deceret pro ipsius dignitate aut viribus. Et tamen Apostolus eum ornat hoc titulo* CUJUS LAUS EST IN EVANGELIO. Idem ergo Lucas horum Actuum Apostolicorum Auctor censendus est, qui fuerat Evangelii scriptor. Quod insuper indicat *Thophili* nomen, cui utrumque opus inscribit. Nam & Evangelium Lucæ, & hunc librum Theophilo nuncupatum in initio legimus.

Quisnam vero ille Theophilus fuerit, nullus adhuc inventus est qui certo definierit. Putat S. Salvianus Epist. ad Solonium, *Theophilum* hic significare *Dei amorem*, quasi Lucas hunc librum scripserit, & dedicarit amori Dei, qui illum adscribendum stimulaverat, ut ejus ardorem, & æstum hominum præcordiis instillaret, sicut *Theophili vocabulo, amor*, inquit, *sic Timothei honor divinitatis exprimitur: itaque cum legis Timotheum ad Ecclesiam scripsisse, hoc intelligere debes pro honore Dei ad Ecclesiam scriptum esse; imo potius ipsum honorem Dei scripta misisse; quia recte ipse scripsisse dicitur, per quem factum est ut scriberetur, &c.* Idem de Theophili nomine cogitare licet, At symbolica certe & pia, haud vero literalis & genuina explicatio: *Theophilus* enim & *Timotheus* nomina concreta sunt, non abstracta; ac proinde non Dei amorem & honorem; sed Dei amantem, cumque honorantem significant.

Quare rectius censent SS. Ambrosius [b] & Epiphanius [c] *Theophili* nomen esse commune fidelis cujusvis, non proprium alicujus: θεόφιλος enim Græcis idem est quod *diligens Deum* ut ait Origenes, vel *dilectus a Deo, Deoque gratus*, uti observat S. Ambrosius. Verior tamen mihi videtur S. Chrysostomi, Theophilacti, Oecumenii & aliorum sententia, affirmantium *Theophili* nomen esse proprium non commune (uti hodie multi nomine proprio vocantur *Theophili*) hoc enim significat epithetum κρατιστε, idest, *potentissime* seu ut vertit vulgatus Interpres, *optime*, quo titulo Theophilum condecorat S. Lucas initio Evangelii. Quis vero fuerit ille Theophilus optimus vel potentissimus ab eo dictus, variant Auctores. Nam Theophylactus & Euthymius censent hunc Theophilum fuisse Senatorem vel Principem: Oecumenius Præsidem Provinciæ; Nicephorus [d] Theophilum illum Ecclesiæ Antiochenæ septimum post Petrum Apostolum Episcopum, *Qui quatuor Evangelistarum, in unum opus dicta compingens, ingenii sui nobis monumenta reliquit*, ait S. Hieronymus [e]. Si in re incerta & obscura conjectare licet, magis me movet, Epithetum *optimi*, ut Theophilum illum laica dignitate insignem, quam Ecclesiastica fuisse putem; olim namque Præsides & Provinciarum Præfecti etiam ab Apostolis, nomine *optimi* conveniri solebant. Sic Act. XXIV. *Optime Fœlix*, & XXVI. *optime Feste*.

[b] *in cap. 2. Luc.*
[c] *hæres. 51.*
[d] *lib. 3. cap. 25.*
[e] *Epist. 152. quæst. 6.*

Suspicari etiam licet cum Baronio [f] hunc Theophilum forte fuisse virum illum nobilem Antiochenum, qui a Petro Christiana fide imbutus, domum suam usui Christianorum mancipavit, quam S. Petrus vertit in Ecclesiam, in eaque Cathedram suam Antiochenam collocavit, uti narrat S. Clemens, aut quisquis est Auctor libri Recognit. [g] Verosimile enim fit Lucam Antiochenum Theophilo pariter Antiocheno, ac inter Christianos Antiochenos illustrissimo utrumque opus suum inscripsisse. Ideo autem epitheto *optimi*, quo eum compellarat initio Evangelii; hic omisit, quod is forte magistratu jam se abdicasset, & modestiæ Christianæ studio, vitam privatam ac pietati deditam ageret. Ex his itaque compertum fit S. Lucam hujus libri merito Auctorem censeri. Quamobrem S. Hieronymus

[f] *ad annum Christi 58. num. 32.*
[g] *lib. 10. cap. ultimo.*

a *libro de Scriptor. Eccles.*

mus a agens de Evangelio a S. Luca edito, ait: *Aliud quoque edidit volumen egregium, quod titulo πράξεις ἀποστόλων prænotatur, cujus historia usque ad biennium Romæ commorantis Pauli pertinet, id est, usque ad quartum Neronis annum: ex quo intelligimus in eadem urbe librum esse compositum.*

Idcirco autem S. Hieronymus dicit biennium Pauli Romæ agentis, extendi usque ad quartum Neronis annum; quod ipse uno eodemque anno statuat ejus discessum Jerosolymis & Romam accessum; quæ tamen duobus annis esse peracta, nec eum, quo inde recessit anno, sed sequenti venisse Romam, contendit Baronius *ad ann. Christ. 68. num. 167.* Si igitur tertio Neronis anno addas biennium quo Paulus in suo conducto vinctus permansit; hauddubium invenies ipsum, anno Neronis quinto liberum esse dimissum, quo anno S. Lucas Actorum opus absolvit.

III. Tametsi autem rebus gestis a S. Paulo referendis potissimum incumbat S. Lucas, hisce in Actibus Apostolicis: certum est tamen, non omnia quæ a Paulo peracta sunt aut perpessa ipsum recensere: hic enim nihil habet de S. Pauli post ejus conversionem in Arabiam profectione ac reditu Damascum; neque de adventu post triennium in Jerusalem quæ Paulus ipse ad Galatas scribens *cap.* II. commemorat: nihil pariter de persecutionibus Thessalonicensibus attingit, quæ recensentur in prima ad Thessalonicenses *cap.* II. & III. nihil de tot flagellis & virgis, deque tot naufragiis ac incommodis aliis, quæ fuse recensentur in Epist. ad Cor. II. cap. XI. Itaque ea potissimum de Paulo enarrat, quibus ipse præsens interfuerat, aut ab illo vel ejus sociis recitata audierat.

IV. Quod in Evangeliis, id pariter in Actis Apostolorum contigit, ut plura supponerentur Hæreticorum vafritie ac Dæmonis astu; quatenus eorum quæ apud Ecclesiam rata essent, abrogaretur auctoritas. Nam, inquit Baronius b, confictum est *itinerarium* nomine *Petri Apostoli*, quod appellatur *Clementis*, sive quia *Recognitionum* titulo inscribi solet, aut quia S. Athanasius vel alius in Synopsi *Clementinum* appellat. Rursus extabant Actus nomine Andreæ; Actus nomine Thomæ; Actus nomine Philippi; Actus Pauli & Theclæ: quos omnes Gelasii censura proscripsit in Concilio Rom. de lib. Apocryphis c. Unde Philastrius factitatum ab Hæreticis tradit, ut falsa Acta Apostolorum nomine scripserint: sed & Manichæi, quæ ab Andreæ discipulis de rebus gestis a Ponto in Græciam scripta erant, alia addentes, alia vero detrahentes corruperunt. Innocentius primus d agens de his commentitiis Apostolorum Actibus, Auctores qui eos confixerunt, prodit dum ad Exuperium scribens ait: *Cætera quæ sub nomine Matthiæ, sive Jacobi Minoris; vel sub nomine Petri & Joannis, quæ a quodam Leucio scripta sunt; vel sub nomine Andreæ, quæ a Nexocharide & Leonide Philosophis; & sub nomine Thomæ, & si qua sunt alia, non solum repudianda, verum etiam noveris esse damnanda.* At de his quæ ad dictum impostorem Leucium spectant, hæc Gelasius in decretis de libris Apocryphis: *Libri omnes, quos fecit Leucius discipulus Diaboli, Apocryphi.* Fuisse hunc secta Manichæum, atque supposititios Actus Apostolorum scripsisse, docet etiam S. Augustinus contra Manichæos cap. IV. & XXXVIII. eos refellens testatur.

b *ad Ann. Christ. 44. num. 42.*

c *libr. de hæres. cap. 89.*

d *Epist. 3.*

Cæterum longe ante tempora Manetis hæresiarchæ, ab ipsis fere Apostolorum temporibus conficta sunt falsa Acta Apostolorum: nam de Encratitis hæc scribit S. Epiphanius e: *Utuntur & Scripturis primo loco quæ dicuntur Andreæ, & Joannis actiones atque Thomæ.* Rursus circuitus Petri ab Ebionitis depravatos esse, idem Auctor testatur hæres. XXX. Sed non hæc tantum præsumpserunt, verum etiam & alia falsa Acta Apostolorum scripserunt, multaque in eis adversus Paulum Apostolum mendacia coacervarunt, ut idem Epiphanius *ibidem* scribens contra Ebionitas, tradit: *Actus vero Apostolorum alios esse dicunt, in quibus habentur multa impietate ipsorum referta.* Priscillianistas hæreticos etiam falsa Acta Apostolorum commentos esse, eaque Apostolorum titulo prænotasse, Auctor est Orosius Epist. ad Aug. de error. Priscillian. ita majori ex parte Baronius. Ex quibus appareret quanti Apostolicos Actus fecerint etiam Hæretici, utpote qui varios supposuerint suis erroribus consentaneos; noverunt enim non minorem fidelium erga Actus Apostolicos, quam circa Evangelia, & Apostolorum Epistolas venerationem & fidem.

e *hæres. 47.*

Unde subtiliter ab aliquibus animadversum est, *Evangelia* de Christo Ecclesiæ capite potissimum agere, ut Homine, Rege, Sacerdote, Deo: *Epistolas Apostolicas, Apocalypsim*, & *Actus* de Ecclesiæ membris; siquidem in Apocalypsi futura fidelium & Ecclesiæ tempora, variique status describuntur. In Epistolis informatur ac instruitur Ecclesia, adhuc Neophyta, adversus occurrentes casus, & ad perfectam sanctimoniam eruditur, quemadmodum veterem Synagogam Prophetæ instituerant præter legem & Pentateuchum: in Actibus autem describuntur ipsa Ecclesiæ incunabula, & illius miranda propagatio recensetur. Nam in primis octo capitibus exponuntur Ecclesiæ natalitia, & confirmatio Jerosolymis: deinceps a decimo capite ad decimum sextum, illius persecutio & progressus in Judæa, & Samaria: inde ad finem usque inter Gentes dilatatio & jactatio. Cœptum est ab Jerusalem & Judæa ubi totius Orbis recondita erat sanctitas, ac legitimus veri Dei cultus: itum est deinde in Græciam, ubi sapientia solium suum & imperium fixisse videbatur. Tandem Romam perventum, ubi suprema in orbem universum potestas & dominatio vigebat: ut repudiatis Judaicis ritibus, sacrificiis & præceptis Judæos ad pietatem informantibus; refutata etiam, ac devicta inani Græcorum sapientia; spreta tandem & sub-

subacta Romanorum potentia, Ecclesia simul de præcipuis mundi partibus triumpharet.

V. Librum hunc *Actuum Apostolicorum* a S. Luca confectum & ut authenticum & canonicum semper agnitum ab Ecclesia, repudiarunt varii Hæretici, præsertim Marcionistæ, teste Tertulliano [a] ubi scribit: *Possumus & hic Acta Apostolorum repudiantibus dicere: prius est, uti ostendatis quis est iste Paulus, & quid ante Apostolum, & quomodo Apostolus; quatenus & alias ad quæstiones plurimum eo utuntur: Neque enim si ipse se Apostolum de persecutore profitetur, sufficit unicuique examinate credenti, quando nec Dominus ipso, de se testimonium dixerit.* Quibus verbis Tertullianus perstringit Marcionitarum vesaniam, qui cum potissimum uterentur Pauli testimoniis, quem Apostolorum præcipuum dicebant, respuebant tamen *Apostolorum Actus*, ex quibus firmum de Pauli Apostolatu, nec usquam aliunde petitur testimonium. Simili ratione S. Augustinus [b] magnæ stultitiæ Manichæos coarguit, quod cum tanta liber iste habeat similia, his quæ de divinis Scripturis ipsi accipiunt & credunt, cur hunc etiam librum pari veneratione & fide non suspiciunt? (62)

His adiicere licet quæ Baronius [c] & alii sacri Interpretes & historici de S. Lucæ gloriosa consummatione, & illustri Martyrio referunt. Tametsi enim sanctus Hieronymus [d] eum in vita cælibem ad ætatis annos octuaginta quatuor perveniisse testetur nihil de illius Martyrio memorans. Nihilominus tamen alii complures antiqui probatæque fidei Auctores, eum Martyrio vita functum

[a] *lib. 5. contra Marcion. cap. 2.*

[b] *lib. de utilit. credendi cap. 3.*

[c] *ad annum Christi 61.*

[d] *lib. de Script. Eccles. in Luca.*

(62) Non pauca adversus divinitatem Libri Actuum Apostolicorum ab Adversariis divinarum scripturarum congeri posse videntur, in primis nonnulla leguntur hoc in Libro quæ opposita reperiuntur omnino aliis scripturæ authenticæ testimoniis; in capite quidem 7. Actuum legimus Stephanum dixisse, quod ossa Patriarcharum translata sunt ex Ægypto in Sichem; deinde quod posita sunt in sepulchro empto ab Abraham a filiis Hemor pretio argenti; cum tamen ex Genesis 33. ℣. 18. constet agrum in Sichimis emptum fuisse ab Jacob centum agnis. In eodem capite Actuum ℣. 16. Hemor dicitur filius Sichem, cum Genesis 33. ℣. 19. non filius, sed pater ipsius Sichem appelletur. Dicitur denique in laudato Actorum capite Jacobum veniisse in Ægyptum cum septuagintaquinque animabus, cum tamen constet ex Cap. 1. Exodi ℣. 5. solas septuaginta fuisse. Magis adhuc erroris convincitur Actorum scriptor, dum refert sanctum Stephanum adfirmasse eodem capite 7. Actuum ℣℣. 2. 3. & 4. Deum apparuisse Abrahæ in Mesopotamia antequam habitaret in Charan, eidemque præcepisse ut exiret de terra sua; Abraham autem Dei præcepto satisfacturum exivisse de Chaldæorum terra, & in Charan habitavisse usque ad mortem Thare patris sui; postquam autem e vita Thare migravit, Abraham ipsum in Chananæam a Domino fuisse translatum. Quis non videat Stephanum Spiritu Sancto plenum hujusmodi errata committere non potuisse, proindeque, in Libri scriptorem esse reiicienda. Falsum est in primis quod Deus apparuerit Abrahæ antequam veniret in Charan, ut patet ex Geneseos Cap. 11. ℣. 31. & Cap. 12. ℣. 1. & ℣. 4. in quibus Dominus Abrahæ in Charan apparuisse refertur, & ex illa Abraham ut Dei voluntatem impleret, recessisse, Chanaanitidem versus progrediens. Traditur ulterius in actis, Cap. præcitato egressus Abraham post mortem Patris sui Thare, qui annos vixit 205. septuaginta autem, & quinque annorum erat Abraham cum egressus fuit de Charan, anno ergo 130. patris sui Thare natus est Abraham, quod improbabile satis, ne dicamus incredibile est. Tandem ℣. 6. ejusdem Capitis 7. Actuum legimus Abrahæ posteros per annos quadringentos, (& hæc maxima profecto est antilogia) peregrinos in terris alienigenarum, & captivos fuisse permansuros; cum tamen potius anni 430. recenseantur Exodi Cap. 12. ℣. 41. & ab Apostolo totidem numerentur ad Galatas 3. ℣. 17. plures ergo mendæ in Actorum Libro reperiuntur, quæ a Presbytero quodam Asiatico assutæ sunt, ut tradit S. Hieron. in Lib. de viris illustribus. Plura denique, non solum Apostolorum aliorum, sed etiam ipsius Pauli gesta in eodem omittuntur; non potuit ergo Liber isto Spiritus Sancti afflatu conscribi.

Ad primum quod pertinet satis responsum est in Nota (76) ad Librum 3. disquisitionum Biblicarum, quæ est ad paginam 327. hujus voluminis ea itaque videantur. Ad secundum dici potest, nullam esse contradictionem quod Hemor habuerit Patrem nomine *Sichem*, & pariter filium a se genitum *Sichem* a nomine Patris sui nuncupaverit. A tertia difficultate se expediunt Catholici Expositores contendentes Stephanum septuagintaquinque animas recensuisse, quia prædicabat Judæis juxta versionem LXX. Interpretum, quam sequebantur tunc temporis: in ista autem versione *septuagintaquinque* leguntur, quia quinque Nepotes Josephi inter Jacobi descendentes præscribuntur, qui ante Josephi obitum nati sunt in Ægypto.

Ad quartam difficultatem diu antea responsum est a SS. Patribus, & Scripturarum commentatoribus duas statuentibus vocationes Abrahæ, alteram ante mortem patris sui, aliam vero postquam mortuus est in Charan Thare Abrahæ pater, in Actis Apostolicis loquebatur de prima S. Stephanus, de secunda vero Moyses in Cap. 12. Geneseos, ita S. Hieronymus, S. Thomas Lect. 3. in Epist. ad Hebræos cap. 11. S. Chrysostomus Hom. 3. in Genesim, & Hom. 36. in Acta Apostolorum. Sunt nihilominus qui unam, eamdemque vocationem statuunt quæ a Stephano recensetur in Actis, & a Mose in Genesi. Verba autem illa Cap. 12. ℣. 1. Geneseos = dixit autem Dominus ad Abraham = per quamdam *prolepsim* enunciata esse tuentur, atque *dixit autem* intelligenda volunt dixerat autem; quamcumque recipiamus expositionem, nullus in Actis Apostolicis convincitur error.

Ad quintum objectum facillime respondetur si a Magni Petavii sententia, aliorumque cum eodem opinantium Abrahamum natum esse anno 70. vitæ Thare recedamus; atque Usserii, Antonii Vitrè, & Natalis Alexandri dissert. 6. in Eccles. Hysto. veteris Testamenti ad secundam mundi ætatem amplectamur hypothesim, Abrahamum videlicet anno 130. ætatis Thare patris sui esse natum, quæ siquidem opinio longe firmioribus innititur argumentis.

Alteram pariter, quæ ab adversariis extollitur antilogia, nullam omnino esse revincemus facillime, si dixerimus S. Stephanum locutum esse de Abrahæ filiis, ab Isaac enim nativitate usque ad exitum ex Ægypto anni 405. recensentur; numerus autem ille quinarius omittitur a scriptura, quia parvi momenti est, atque in majore illo comprehenditur, Moses autem in Exodo, & Apostolus ad Galat. annorum computum ab anno 75. vitæ Abrahæ quando venit in Canaanitidem, eique a Deo promissio facta est, instituunt, unde nulla inter ipsos & Stephanum contradictio.

Ad ultimum respondemus S. Hieronymum vel locutum fuisse de suppositiis illis Apostolorum actibus, quos confixerunt Hæretici, vel de aliquibus codicibus ab Asiano illo Presbytero depravatis; non tamen omnes codices ita adulteravit ille temerator ut nullus inviolatus permanserit; nimio ab Ecclesiarum Episcopis zelo custodiebantur tunc temporis Scripturæ Sanctæ, ut silentibus iis depravari pro libito possent. Non omnium denique Apostolorum, nec ipsius Pauli gesta enarrare sibi proposuerat Sanctus Lucas, sed ea tantummodo, quæ suggerente Divino Spiritu, ad Ecclesiæ ædificationem essent idonea (W)

testantur, In primis vero S. Gregor. Nazianz. [a] sic in Julianum invehitur: *Non victimas pro Christo cæsas es reveritus? non magnos pugiles extimuisti, Joannem illum, Petrum, Paulum, Jacobum, Stephanum, Lucam, Andream, Theclam, eos qui & post illos, & ante illos capitis sui periculo veritatem protexerunt, qui cum igne, & ferro, & belluis, & tyrannis, & præsentibus malis, & denuntiatis alacri animo, veluti in alienis corporibus imo quasi corporum expertes dimicarunt.* De eodem hæc Nicephorus [b] paucis vitam illius complectens: „ Lucas Antiochiæ quæ est in Cœlesyria, ortus, medicus simul & pictor egregius, Thebis ad „ Paulum venit: atque ibi nuncio patrio „ errori remisso, ad Christum accessit pro „ corporum curatione animarum medicus „ factus, Evangelium suum Paulo præcipiente scripsit atque itidem Acta Apostolorum. Cum Paulo autem Romæ cum „ fuisset, in Græciam est reversus: plurimosque ibi divinæ doctrinæ & cognitionis luce illustravit; & tandem a divini „ verbi contemptoribus, ex fructifere oleæ „ arbore suspensus, quod aridi ligni, unde „ crux fieret, copia non esset, Deo spiritum commendavit, cum octoginta, ut dicitur, annos natus esset. „ *Hæc ille.* Pergit deinde Nicephorus narrare miracula ad ejus sepulchrum patrari solita, deque Christi, Deiparæ, Petri & Pauli imaginibus ab eo pictis. Eadem de Martyrio in olei dolio peracto habet Glycas [e] additque liquorem medicinalem ex ejus reliquiis scaturire, eoque indice illas esse repertas. Eadem habet Cedrenus. [f]

[a] Orat. 1. in Julianum.

[b] lib. 2. cap. 43.

[e] lib. 3. Annal.

[f] in comp. hist.

§. II.

De Epistolis S. Pauli.

VI. SAnctus Paulus natione Judæus, oriundus ex Tribu Benjamin, Patria Tharsensis, Secta Pharisæus; ante vocationem ad Apostolatum cruentus nascentis Ecclesiæ vastator & persecutor, ut ipsemet indicat ad Philipp. III. 4. *Si quis*, ait, *alius videtur confidere in carne, ego magis circumcisus octavo die, ex genere Israel, de Tribu Benjamin, Hebræus ex Hebræis: secundum Legem Pharisæus; secundum æmulationem persequens Ecclesiam Dei.* Ab infantia omni disciplinarum genere imbutus est. Græcas enim litteras hausit in patrio solo: Tharsus namque Athenarum æmulatione eloquentiæ & Philosophiæ studia in primis coluit: *Tantumque* (ait Strabo [c]) *Tharsenses studium incessit Philosophiæ & disciplinarum, quas* ENCYCLICAS *dicunt, ut superaverint Athenas, & Alexandriam, & si quis alius nominari potest, ubi Philosophorum & artium ad humanitatem pertinentium scholæ haberentur: maxime autem urbs Roma dicere potest quam multos Tharsus protulerit literatos, cum sit Tharsensium & Alexandrinorum plena.*

[c] lib. 4.

Haud dubium autem est Paulum non penitus obscuro genere natum, & acri vividoque ingenio præditum, his etiam disciplinis imbutum fuisse: ad cujus confirmationem non levis conjectura accedit, quod ejus Epistolæ exoticam Græcorum eruditionem redoleant; laudat enim Epimenidis, Arati, Menandri, sive Callimachi Græcos versus, quos Poetas antequam Christo nomen daret, eum legisse necesse est; nam postea quidem totum se Evangelicæ doctrinæ religiose addixit.

Hinc minus probanda venit sententia S. Chrysostomi, [d] de S. Paulo dicentis, *Erat ille homo Cilix Coriarius & inops, imperitus externæ disciplinæ. Hebræam tantum noverat linguam quæ cæteris Gentibus, sed Romanis maxime contemptui erat, &c.* Potius enim assentiendum judico S. Hieronymo, qui in Epist. ad Algasiam affirmate scribit Paulum a prima ætate linguam Græcam didicisse, cujus Tharsi magnum erat studium, usuque, eoque factum esse, ut scripta ejus Græcissimos quosdam Tharsenses redoleant.

[d] homil. 4. in 2. ad Timoth.

Porro quanta fuerit S. Pauli eloquentia, non solum apparet ex ejus Epistolis quas graves & fortes esse, vel ipsi ejus obtrectatores fateri cogebantur: sed maxime ex illius prædicationibus & declamationibus: nam illo coram Felice Præside de judicio & justitia, & castitate disputante, Felix homo Gentilis, & rerum terrenarum cupiditatibus curisque affixus, toto est animo tremefactus. Paulo item dicente coram Rege Agrippa; Respondit Rex: *In modico suades me Christianum fieri.* Festus quoque Judææ Præses, audiens Paulum summa contentione & ardore dicentem, exclamavit dicens: *Insanis Paule, multæ te literæ ad insaniam convertunt.* Hos autem non alia lingua videtur allocutus quam Græca; oportet ergo illius usum perfectum habuerit.

Nec minor ejus erat in literis Hebraicis eruditio, siquidem Gamaliele claro in primis Magistro, omnes Hebraicæ sapientiæ fontes, sive quæ ad mores vitæque officia; sive quæ ad sacra & religionis cultum; sive denique quæ ad Prophetarum vaticinia & oracula pertinent, penitus hausit, ut in ipsa Adolescentia, omnibus suis æqualibus longo intervallo antecelleret. Ista ex parte significat ipse, in Actis Apostolicis cap. XXI. v. 3. *Ego sum*, inquit, *vir Judæus natus Tharso Ciliciæ, nutritus autem in ista civitate (Ierosolyma) secus pedes Gamalielis eruditus juxta veritatem paternæ Legis, &c.*

VII. Nolim tamen existimes eum sive humanæ eloquentiæ studio, sive S. Spiritus munere, in primis illustratum, calamistratæ orationis cupidum extitisse. Quinimo II. ad Cor. XI. 6. de seipso pronuntiat: *Et si imperitus sermone, non autem scientia.* Quamobrem recte S. Hieronymus. [g] *Aliquoties*, in-

[g] Epist. 150. ad Hedib. quæst. 11.

inquit, *diximus Paulum virum fuisse doctissimum & eruditum ad pedes Gamalielis: cumque haberet scientiam sanctarum Scripturarum, & sermonis diversarumque linguarum gratiam possideret; unde glorians ipse in Domino dicit,* GRATIAS AGO DEO, QUOD OMNIUM VESTRUM LINGUIS LOQUOR; *divinorum tamen sensuum majestatem digno non poterat Græci eloquii explicare sermone.* Potuisset equidem suum sermonem eis delinire verborum lenociniis, quibus referta est humana eloquentia, nisi repugnasset Evangelicæ doctrinæ humilitas & simplicitas. Quocirca jure optimo negat I. ad Cor. II. humanæ vel sapientiæ, vel eloquentiæ opibus, aut ornamentis ad persuadendum comparatis se se in auditorum animos insinuare; sed cœlestia divinaque mysteria, philosophis inani eruditione tumidis prorsus ignota, eis propalare; eaque confirmare *non persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed ostensione spiritus & virtutis.* Tanta porro erat illius orationis vis, tantaque copia, ut, inquit S. Chrysostomus. [a] Cæteri Apostoli primas illi, cum loquendum foret, non gravate deferrent. Quo factum est, ut aliquando Act. XIV. ob singularem eloquentiam, Mercurius inanium Deorum eloquentissimus ab Ethnicis Listriensibus haberetur. Verum præ cæteris hac de re audiendus est S. Hieronym. [b] *Paulum*, inquit, *Apostolum proferam, quem quotiescunque lego, videor mihi non verba audire, sed tonitrua. Legite Epistolas ejus & maxime ad Romanos, ad Galatas & ad Ephesios, in quibus totus in certamine positus est. Videbis eum testimoniis, quæ sumit ex veteri Testamento, quam artifex, quam prudens, quam dissimulator sit ejus quod agit. Videntur verba simplicia, & quasi innocentis hominis ac rustici, & qui nec facere, nec declinare noverit insidias; sed quocunque respexeris, fulmina sunt. Hæret in causa, capit omne quod tetigit: tergum vertit ut superet; fugam simulat ut occidat.*

[a] *Præf. in Epist. ad Rom.*

[b] *in Apolog. adver. us Jovinian.*

VIII. Hic recensere necessarium non duxi stupendam illius a Judaismo ad Christianismum evocationem, varias peregrinationes, ut Orbem pene universum Solis instar Evangelii luce irradiaret; prætereo etiam quas calamitates, quæve tormenta, hoc in munere gloriose defungendo fuerit perpessus, ut merito dixerit I. ad Cor. XV. *Gratia Dei in me vacua non fuit, sed abundantius illis* (Apostolis) *laboravi*; Illa namque omnibus sunt pervia. Unum tamen disquirere non erit ingratum cur *Sauli* nomen in *Pauli* appellationem commutarit. Putat S. Hieronymus, [c] eum a *Sergio Paulo* Proconsule, quem Christo devinxerat, Paulum fuisse appellatum. *Uti Scipio*, inquit, *subjecta Africa, Africani sibi nomen assumpsit, & Metellus Creta subjugata,* CRETICI *cognomentum reportavit, & Imperatores nunc usque Romani ex subjectis Gentibus* ADIABENICI, PARTICI SARMATICI *nuncupantur: ita & Paulus, ad prædicationem Gentium missus, primo Ecclesiæ spolio Proconsule* SERGIO PAULO *victoriæ suæ trophæa retulit, erexitque vexillum, ut* PAULUS *diceretur a Saulo.* Addit, *si autem & interpretatio nominis quæritur,* PAULUS *in Hebræo* MIRABILEM *sonat: revera mirum, ut post* SAUL, *qui interpretatur* EXPETITUS (*eo quod ad vexandam Ecclesiam fuisset a diabolo postulatus*) *de persecutore vas fieret electionis.* At vix puto verosimile hanc inanem titulorum jactantiam Apostolo placuisse; atque hujus sententiæ Origenem, Sedulium, & Anselmum assertores habeo. Ut interim omittam veterem illam Romanorum consuetudinem, non mutationem nominum sed cognominum additamentum, & quasi appendicem attulisse. Neque etiam omnino placet Pauli nominis ex Hebræa voce derivatio & significatio. Quis enim credat *Pauli* nomen, quod omnino Latinum est, & absque ulla aspirationis nota, a Latinis leniissime profertur, deductum esse, vel ut volunt aliqui a verbo Hebraico פעל *pughal*, id est, *operari* quod densissimam continet aspirationem. Vel a voce פלא *Pele*, id est, *mirabile*; neque enim vox Latina ab Hebræa solet elici.

[c] *init. Commentar. in Epist. ad Philem.*

Neque verosimilior apparet S. Damasi conjectura, qui in carmine de S. Paulo affirmat, olim *Saulum*, in baptismo Pauli nomen sumpsisse; Nam *Act. cap.* IX. ubi refertur Pauli baptisma, adhuc vocatur *Saulus* usque ad *cap.* XIII.

Omissis itaque aliorum conjecturis, verius dicendum arbitror, *Pauli* nomen Latinum esse, istudque deflexum a voce *Sauli*, commutata priori litera quemadmodum & hodie Latini ex *Adam*, faciunt *Adamum*; ex *Abraham*, *Abrahamum*; ex *Joseph*, *Josephum*. Quare autem ab initio nunquam *Paulus*, sed semper *Saulus*; At vero a Paulo Sergio Proconsule baptizato, quem primum omnium ex Gentibus, Imperatori suo Christo lucrifecerat, ipsiusque militiæ subegerat, *Pauli* deinde nomenclaturam sortitus sit, inde factum arbitror (non ut quidam existimant, quod Proconsul ille suo in Christo parenti optimo, honoris ergo, familiæ suæ nomen dedit; quippe potius Sergius Paulus, quasi Cathechumenus & Discipulus, a Saulo in Christo parente cognomen accipere debuerat, sicuti S. Cyprianus cognomen *Cæcilii* a *Cæcilio* Presbytero a quo baptizatus est; assumpsit.) Sed verosimillimum videtur Hebræum nomen *Saul* ex Romanorum consuetudine; Latinam accepisse inflexionem, & ex *Sauli* voce, *Pauli* nomen a Latinis & Græcis fuisse deflexum, ex quo cum Romanis conversari cœpit: Sic enim Hebræa & Græca vocabula Romanos ad Latinam linguam inflectere solitos, notavit S. Hieronymus, ut pro *Syla* dicerent *Sylvanum*, pro *Pasíde* & *Diocle Græcis*, *Pansam* & *Diocletianum* appellarent, ut etiam observat Suetonius in Cratitio. Arcano autem Divini Spiritus consilio, (inquit Zegerus) atque opera factum apparet, ut tale tandem sortiretur vocabulum, quod familiare esset Græcis juxta ac Latinis, & nihilominus Judæorum populis non esset prorsus inauditum; ut-

pote quod quam minimum a priore illo *Saul* discreparet: ne videlicet vel hi, & nomine prorsus & religione commutatum, palam exsibilarent atque aversarentur; vel illi, quibus se Doctorem a Deo datum profitebatur, non agnoscerent, sed libentius etiam exciperent. Quippe decebat ut hic, *Omnia fieret omnibus, ut omnes faceret salvos*, I. Cor. IX. At ista, de Pauli nomenclatura sufficiant, quæ idcirco prælibare necessum fuit, quod divinus ille Apostolus, qui numero plures ac mysteriorum reseratione graviores Epistolas, quam cæteri omnes Apostoli scripsit, illas suo *Pauli* nomine, velut annulo regio signatas & confirmatas esse voluit.

Ei autem scribendi causa fuit multiplex: potissimæ vero quatuor. I. Ut eos in fide confirmaret, quos vel ipse, vel alii Apostoli, per Evangelium in Christo genuerant: II. Ut eos erudiret scriptis, quibus præsens verbis Evangelizare non poterat. III. Ut rescinderet ab inimico homine super seminata zizania, seu prava opinionum dogmata, quibus vel impostores Judæi, vel perfidi Hæretici Apostolicæ doctrinæ semina obruebant, ut eos qui recens Christo nomen dederant, a rectæ Fidei, & vitæ sanctimonia revocarent; IV. maxime, ut Ecclesiam ad finem usque mundi sua cœlesti doctrina imbueret, illamque per universas mundi Nationes propagatam, quam viva voce convenire non poterat, quovis tempore & loco suis scriptis erudiret. Etenim Pauli Epistolæ post tot jam annorum centurias, etiamnunc omnium manibus teruntur, omnes erudiunt, & sana doctrina ac perfecta sanctimonia suos religiosos Lectores ac Meditatores imbuunt. Quibus ita præmissis, nonnulla veniunt de singulis Epistolis sigillatim delibanda.

§. III.

De Epistola ad Romanos.

IX. ETiamsi hanc Epistolam S. Paulus Romanis inscribat, non tamen ad omnes & singulos Romæ degentes populos, sed ad eos solum qui recens Christo nomen dederant, tum ex Judæis, tum ex Gentibus, Fideles eam dirigit, ut distincte significat cap. III. his verbis; *Omnibus qui sunt Romæ electis Dei vocatis sanctis, &c.* Illos tamen potissimum alloquitur, qui ex Gentilismo crediderant: *Sæpe*, inquit cap. XIII. *proposui venire ad vos, & prohibitus sum usque adhuc, ut aliquem fructum habeam & in vobis, sicut & in cæteris Gentibus. Græcis ac Barbaris, Sapientibus & Insipientibus debitor sum.* Unde cap. XV. v. 15. *Audacius autem vobis scripsi, Fratres, ex parte, tanquam in memoriam vos reducens, propter gratiam quæ data est mihi a Deo, ut sim Minister Christi Jesu in Gentibus, sanctificans Evangelium Dei, ut fiat oblatio Gentium accepta & sanctificata a Spiritu sancto.*

Corintho scriptam esse hanc Epistolam probat Origenes, [a] argumentis ex ipsa Epistola depromptis. *Primo*, quia scilicet mittitur Epistola per Phœben ministram Ecclesiæ, hoc est Diaconissam quæ erat in Cenchreis *cap.* XVI. Cenchreæ autem portus erat Corinthiorum. *Secundo*, quia inter eos qui tum Paulo aderant, & quorum nomine Romanos salutat, erat *Caius*, quem Corinthium fuisse discimus I. ad Cor. I. 14. & *Erastus* quem & ipsum Corinthium fuisse apparet II. ad Timoth. IV. 20. Scripta autem est, non primo adventu Pauli Corinthum, sed altero, cujus mentio fit Act. XIX. 21. ut manifestum fit ex collato illo cum eo loco ad Rom. XV. v. 25. ubi dicit se profecturum Jerosolymam, quo jam, ut ex præcedenti loco patet, Corintho antea ierat: Utrobique enim ejusdem itineris quod Jerosolyma Paulus instituerat, fit mentio. Quia vero in hac Epistola addit se Jerosolymam proficisci, ut deferret eleemosynas & subsidia pauperibus Jerosolymitanis, quæ aliunde collegerat: inde concludit S. Chrysostomus, duas Epistolas quæ sunt ad Corinthios, prius hac fuisse scriptas, quia I. Cor. XVI. & II. Cor. IX. Jubet Paulus, ut hæc subsidia præparentur: ait enim priori loco; *Per unam Sabbati unusquisque vestrum apud se seponat, recondens quod ei bene placuerit, ut non, cum venero, collectæ fiant. Cum autem præsens fuero, quos probaveritis per Epistolas, hos mittam perferre gratiam vestram in Jerusalem; quod si dignum fuerit, ut & Ego eam, mecum ibunt.* Quod vero tunc Paulus dubio habuit, postmodum executioni demandavit. Nam causam agens coram Felice Præside Act. XXIV. Ait: *Post annos plures eleemosynas facturus in Gentem meam veni Jerusalem;* signanter vero in hac Epist. cap. XV. *Nunc proficiscor in Jerusalem ministrare sanctis: probaverunt enim Macedonia & Achaia collationem facere in pauperes sanctos, qui sunt in Jerusalem.*

Hæc ut evidentiora fiant, observandum est quatuor fuisse S. Pauli post suam conversionem Jerosolymam profectiones: *Prima* tribus annis a sua conversione, ut videret Petrum Principem Apostolorum, sicut ipse scribit I. cap. ad Gal. *Secunda* circa XII. annum, quando cum Barnaba missus est ab Ecclesia Antiochena ad urbem Jerosolymam, deferens eleemosynas propter imminentem famem quæ contigit anno IV. principatus Claudii ut tradunt Eusebius, [b] & Orosius. [c] *Tertia* contigit quatuordecim annis post suam conversionem, cujus profectionis meminit S. Lucas cap. XIV. Actuum, & ipse Paulus II. cap. ad Gal. Tametsi enim diversam profectionem ab utroque ibi memoratam, existimet S. Chrysost. *in hunc locum ad Gal.* quod diversæ referantur circunstantiæ; Paulus enim ait se iviſſe Jerosoly-

a *in Præf.*

b *in Chronico.*

c *lib. 7. cap. 6.*

solymam secundum revelationem, assumpto Tito, ut Evangelium a se prædicatum conferret cum Apostolis: Lucas vero scribit Paulum & Barnabam missos esse ab Ecclesia Antiochena, ut haberent sententiam Apostolorum de controversia apud eos excitata, circa observantiam legalium; nihilominus tamen cum cætera omnia maxime congruant, hæc leviora sunt, quam ut diversitatem profectionum persuadere debeant. Etenim Paulus prius sua sponte & divino monitu statuerat ire Jerosolymam Evangelium a se prædicatum communicaturus cum Apostolis. Cum autem eo tempore mota esset illa controversia, statuit Ecclesia Antiochena Paulo & Barnabæ negotium istud committere, ut illud ad Apostolos deferrent. *Quarta* vero & *ultima* profectio ea fuit, quæ in hac Epistola refertur, in qua Paulus varias eleemosynas ex variis Ecclesiis collectas, ad Fideles qui in Judæa erant, detulit. Tunc enim captus est, & Romam quo appellaverat, judicandus traductus, anno post suam conversionem circiter XXI. Ex quibus infert Baronius, hanc Epistolam scriptam esse anno a Christo nato LVIII. & Pontificatus Petri XXIV. quod verosimilius etiam censeo.

X. Cum autem, ut ex dicendis constabit, plures jam alias Epistolas antea Paulus scripserit, quibus hæc ordine temporis haud dubie censetur inferior, merito jure quæritur, qua de causa cæteris præponatur. *Quidam* opinantur primum locum ei assignatum fuisse, ob Romæ dignitatem, quæ caput erat Imperii & Orbis terrarum. S. Augustinus, [a] primas ei adjudicatas censet, quod nimirum in ea evidenter declaretur, maximeque commendetur fides Christi & gratia Dei, quæ sunt non solum principium & fundamentum omnium bonorum, sed etiam in omnibus Dei donis ac bonis hominum præcipua sunt. Theodoretus ait, ob id esse aliis præpositam, quod in se exactam omni generis doctrinam, & accuratam copiosamque dogmatum tractationem præ cæteris contineat. Conjicerem ego id esse factum, propter eminentem Ecclesiæ Romanæ supra cæteras dignitatem. Cum enim Epistolæ S. Pauli eo ordine locatæ sint, ut præcedant quæ ad Ecclesias, sequantur vero quæ ad singulares personas scriptæ sunt; merito jure aliis præponi debuit ad eam directa Ecclesiam, quæ caput est omnium Ecclesiarum: *Ad hanc enim Ecclesiam propter potentiorem principalitatem*, inquit S. Irenæus, [b] *necesse est omnem convenire Ecclesiam, hoc est, eos qui sunt undique Fideles, in qua semper ab his qui sunt undique, conservata est ea, quæ est ab Apostolis traditio.* Unde S. Cyprianus, [c] *Romanam Ecclesiam* appellat *Radicem & Matricem Ecclesiarum.*

Scopus & intentio S. Pauli in hac Epistola (ut docet S. Augustinus, [d]) est demonstrare Legis antiquæ & Mosaicæ inutilitatem, ut nemo de propriis meritis glorietur. Hujus namque totius Epistolæ summa, est compositio seu decisio litis & controversiæ exortæ inter eos, qui S. Petri prædicatione, tum ex Judæis, tum ex Gentibus Romæ degentibus, in Christum crediderant. Cum enim Claudii Imperatoris edicto coactus fuisset S. Petrus Roma discedere; absente Pastore, cœperunt oves invicem contendere, quænam earum potiores essent habendæ. Se Ethnicis Fidelibus anteponendos esse existimabant, qui ex Judæis in Christum crediderant, triplici potissimum ratione; *Prima* quod Gentilibus in errore & Dæmonum cultu abjectis, Deus eos selegisset, ut essent *populus ejus & oves pascuæ ejus*. *Secundo* quod eis essent credita eloquia Dei, Lex divinitus data, Ceremoniæ sacræ ore Dei præscriptæ, & Patriarcharum ac Prophetarum Oracula tradita; *Deus autem non fecit taliter omni Nationi, nec judicia sua manifestavit eis.* *Tertio* quod promissa & pacta Dei cum eorum Patribus fuerint inita, maxime de mittendo Messia Salvatore, qui ex eorum Gente & genere jam missus ad ipsos, & ex ipsis natus esset; quæ omnia ex meritis suorum Majorum sibi concessa gloriabantur. Fideles vero ex Gentilibus primas ambiebant: *Tum* propter summam & eximiam suorum Sapientum doctrinam, & egregias prudentiæ, temperantiæ ac fortitudinis virtutes, quibus imperium & gloriam immortalem, maxime Romanis pepererant: *Tum* propter electionis & vocationis suæ gratiam singularem, qua reprobatis & rejectis Judæis, quod Messiam interfecissent, Discipulos illius fuissent persecuti, & verbum Dei respuissent, Apostoli Deo ita ordinante conversi fuissent ad Gentes, quos ad excipiendum Evangelium noverant paratiores: *Tum quia*, etsi eorum plurimi, idololatria rei fuerint, id tamen fuit plebeium crimen, ignorantiæ potius, quam malitiæ deputandum; nam eorum Sapientes unicum esse verum Deum mundi Rectorem & Artificem ex illius opificio agnoverant. Unde multo præponendi erant Judæis, qui tot Prophetarum Oraculis erant instructi, tot Dei beneficiis cumulati, toties reprobato divino cultu in Idololatriam fuerant prolapsi.

XI. Hanc altercationem in dies gliscentem cum audiisset Apostolus, pro munere suo, & zelo vere Apostolico, huic ingravescenti ac lethali morbo occurrendum censuit, hac salutari Epistola: quam idcirco velut in tres capitales partes distribuit, in quarum *prima*, demonstrat nemini de propriis meritis esse gloriandum, quippe cum omnes homines, sive Judæi, sive Gentiles, ante Christi gratiam, fuerint obnoxii peccato & iræ Dei. Porro hanc Christi gratiam & justificationem datam esse & oblatam hominibus, tam Judæis, quam Ethnicis, non propter bona eorum præcedentia merita, & opera sive legalia, sive moralia; sed ob meram Dei benignitatem & misericordiam gratuito singulis hominibus indifferenter esse præsentatam; non enim quia justi erant homines, ideo crediderunt in Christum; sed cum essent injusti, digne credendo in Christum, justificati sunt, ut deinceps

[a] *Epist. 105. ad Sixtum.*

[b] *lib. 3. cap. 3.*

[c] *Epist. 45.*

[d] *lib. 1. ad Simplicianum.*

ceps piam ac religiosam vitam ducerent; sic explicat S. Augustin. in hujus Epistolæ inchoata expositione, & alibi. [a] Hic igitur præcipuus ac principalis est Apostoli in hac Epistola scopus, maxime a cap. I. ad XII. Postquam enim in duobus prioribus Epistolæ capitibus, docuit omnes homines, antequam Christo per fidem & gratiam conjungantur, sub peccato immundos jacere; nec proinde quicquam habere de quo glorientur; post medium capitis III. sua de gratuita per fidem justificatione, Gentibus æque & Judæis oblata, doctrinam exponit; eamque IV. cap. confirmat ab exemplo Abrahæ. Ut autem insigne hoc Christi beneficium illustrius commendet, cap. V. VI. & VII. prodit originem peccati, in universum humanum genus grassantis; *Deinde* ejus describit tyrannidem, a qua non nisi per Christi gratiam liberamur. Tum cap. VIII. & IX. repetita commendatione beneficii per Christum exhibiti, declarat ordinem ac inscrutabile mysterium divinæ prædestinationis & reprobationis hominum universim, speciatim vero Judæorum, quod justitiam, quæ ex fide est, ignorarent & respuerent, quam tamen cap. X. toto Orbe prædicatam, & ab Ethnicis receptam declarat. *Denique* XI. cap. quæ de reprobatione populi Judaici dixerat, sic accipienda esse docet, ut propterea Judaica Gens censenda non sit penitus a Deo rejecta. Siquidem reliquias ex fideli Israeli sibi servat Deus, quæ tandem aliquando exemplo conversarum Gentium provocatæ, Christi fidem sint recepturæ.

[a] *lib. 1. ad Simplic. q. 2.*

Secundam partem, iisdem in undecim capitibus explicat Apostolus: sic enim Judæos & Gentes docet, gratuitam Christi justificationem omnibus hominibus indifferenter oblatam, ut pariter utriusque partis fastum deprimat, & superbientes animorum motus coerceat, refutans singula momenta, quibus tam Judæi quam Gentiles, sibi in Ecclesia primas deberi contendebant: nam *primo & secundo cap.* primum utriusque partis argumentum inane esse demonstrat, Judæorum quidem in lege gloriantium, significans ex hac parte Gentiles eis non esse inferiores; *Cum enim*, inquit cap. II. v. 14. *Gentes quæ Legem non habent, naturaliter ea, quæ Legis sunt, faciunt; ejusmodi Legem non habentes, ipsi sibi sunt Lex: qui ostendunt opus Legis scriptum in cordibus suis, &c.* Gentilium vero, aperiens *primo cap.* eos de suorum Sapientum celebritate frustra gloriari; *Quia*, inquit, v. 21. *cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, &c.* v. 24. *propter quod tradidit illos Deus in desideria cordis eorum, in immunditiam &c. Deinde* declarat neque Judæos, neque Gentiles sibi gratulari debere propter suam electionem; *Omnes enim*, inquit cap. III. v. 23. *peccaverunt, & egent gloria Dei. Justificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem, quæ est in Christo Iesu, &c. Denique* coercet fastum Gentilium exprobrantium Judæis suam a Deo rejectionem, quod Messiam crucifixissent, & verbum Dei respuerent, dicens cap. XI. v. 12. *Quod si delictum illorum divitiæ sunt mundi, & diminutio eorum divitiæ Gentium; quanto magis plenitudo eorum? Vobis enim dico Gentibus... Quod si aliqui ex ramis fracti sunt, tu autem cum Oleaster esses, insertus es in illis, & socius radicis, & pinguedinis olivæ factus es, noli gloriari adversus ramos... Si enim Deus naturalibus ramis non pepercit; ne forte nec tibi parcat, &c.*

Tertiam partem auspicatur a XII. cap. ad finem usque, in qua altercationem & dissidium inter illos Fideles componit, ipsos ad unitatem & pacem adhortans, varia tradens documenta moralia, quibus ad vitam pie christianeque ducendam informat; revocat in primis a vitiis & corruptelis sæculi, tum ad Charitatis officia mutuo præstanda provocat, nec-non & ad obedientiam Superioribus & Magistratibus exhibendam. Unde *priores partes* dogmaticæ sunt, licet moralibus argumentis & sententiis interdum insperſæ: *Posterior* vero præcipue Ethica est & moralis.

Etsi vero ea sit plurium Auctorum sententia, idem hujus Epistolæ, ac illius quæ ad Galatas scripta est, argumentum esse: hoc tamen, ut S. Augustinus annotavit [b], invicem Epistolæ illæ differunt, quod in ea quæ est ad Galat. S. Paulus conatur revocare eos, qui per Pseudo-Apostolos Judaizantes, & ad observantiam Legis Mosaicæ cogentes, ex Christianismo ad Judaismum, vel jam defecerant, vel ad id commovebantur. Quamobrem ostendit S. Paulus justificatis per fidem Christi nihil prodesse, imo plurimum obesse Legalium observationem. In Epistola vero ad Romanos id potissimum agit, ut doceat gratuitam esse justificationem hominis coram Deo, & absque ullis præcedentibus meritis indifferenter offerri. Cur autem eos qui circumcisionem ac cætera Legis ceremonialia præcepta observare studebant, hic non arguat Apostolus, sicut in Epistola ad Galat. Ratio est quia ex Gentilibus ad Christum conversi Romani, non erant hoc passi quod Galatæ, ut in Mosaicæ Legis & circumcisionis observantiam traducerentur. Judæi vero quos hic alloquitur S. Paulus, ab avito more nondum abstrahendi erant, sed tantum docendi, ne ex illius Legis observantia quoquomodo justitiam expectarent.

[b] *in expos. Epist. ad Gal.*

At, *inquies*, quo tempore S. Paulus scripsit hanc Epistolam ad Romanos, nulli Romæ erant Judæi, quippe qui a Claudio Imperatore expulsi urbe fuerant, nono ejus imperii anno, ut scribit Suetonius & Orosius, & narrat etiam Lucas Act. XVIII. v. 2. dicens: Cum Paulus venisset Corinthum, ibi reperisse *Aquilam, Ponticum genere, qui nuper venerat ab Italia, & Priscillam uxorem ejus, (eo quod præcepisset Claudius discedere omnes Judæos a Roma.)* *Respondeo* ista nihil argumento & veritati hujus Epistolæ officere; etsi enim Judæi, decreto Claudii coacti sint Roma egredi, nihilominus postea, vel ante vel post mortem Claudii, rursus ad Urbem accessum

sum fuisse, argumentum est, quod Paulus in extrema parte hujus Epistolæ moneat salutandos nomine suo *Priscam* & *Aquilam*, uti Romæ degentes, ac subinde jam Romam reversos; *Salutate*, inquit, *Priscam & Aquilam adjutores meos in Christo Jesu.*

XII. Scripta est hæc Epistola Græce, sicut & cæteræ, quidquid reclamet Salmeron [a] ubi Latine vult eam fuisse conscriptam; cujus veritatis, etsi cætera argumenta jam a nobis commemorata deessent, hoc unicum sufficeret, quod hujus Epistolæ Latina Editio, non solum Græcismis abundet, sed etiam ex Græco textu ad literam & apicem videatur expressa, ut quod cap. I. v. 31. habetur: *Sine affectione, absque fœdere, sine misericordia*, quis non videt ex Græcis verbis ἀστόργους, ἀσπόνδους, ἀνελεήμονας. ad apicem esse expressum? Nam si Latine scripsisset Paulus, Latine & clare dixisset: *inhumanos, fedifragos, immisericordes*. Similes Græcismos legimus cap. I. v. 7. 8. & deinceps: itaut hæc Epistola plane stylo & phrasi Græca scripta esse videatur. Cur autem potius Græce quam Latine scripserit, variæ proferri possunt conjecturæ; *Prima* quod Græce rectius ille dictaret, Amanuensis vero ejus nomine TERTIUS, facilius scriberet quam Latine: *Secunda* quod Græca lingua Romanis omnibus, etiam fœminis, ut ex Juvenali discimus, & notavimus supra agendo de Evangelio S. Marci, in usu esset quotidiano, peregrinis vero morantibus Romæ notior ac frequentior quam Latina. *Tertia* quod hæc Epistola quanquam ad Fideles Romæ degentes directe conscripta, ita continebat præcipua Christianæ Religionis dogmata, ut dignissima esset, cujus exempla etiam ad alias Ecclesias mitterentur; *Græca autem*, ait Cicero [g] *leguntur in omnibus ferme Gentilibus, Latina suis finibus exiguis sane continentur.*

[a] *Prolog.* 35.

[g] *ro. Archia*

§. IV.

De Epistola prima ad Corinthios.

XIII. CORinthus omnium Achaiæ sive Peloponesi, Vulgo Moreæ Urbium nobilissima, & totius Græciæ decus ac lumen, inquit Cicero, [b] quoniam posita erat in iis terræ angustiis, ut duo Maria Jonium & Ægæum maxime navigatione diversa, pertenui discrimene pene conjungeret: unde a Poetis, præcipue Ovidio, [c] dicta est Bimaris. *Adriacumque patens late bimarenque Corinthum*. Hinc opibus mercibus ac divitiis plurimis abundabat, ære præsertim quod celeberrimum ac laudatissimum erat; adeout Plinius [d] tradat æs Corinthiacum auro & argento æquiparatum fuisse, præterea Oratorum & Philosophorum, inquit S. Chrysostomus, [e] frequentia erat illustris; imo & dominatu ac imperio, eo enim potentiæ propter situs opportunitatem pervenerat, ut vix Romanæ urbi concederet: Unde Legatos Romanorum contumeliose suscepit; quamobrem a Lucio Mummio diutina obsidione capta, solo æquata est: deinde ab Augusto restituta, & ut scribit Pausanias [f] Romanorum colonia effecta.

[b] *pro lege Manilia.*

[c] *4. Fastor.*

[d] *lib. 4. cap. 2.*

[e] *Præf. in hanc Epist.*

[f] *libro 2.*

Hanc igitur populosissimam urbem adiit S. Paulus, ut in ea disseminaret Evangelium, ibique per annum & sex menses Christi doctrinam disseminavit juxta monitum & præceptum Christi, qui ut refertur Act. XVIII. ei Corinthi apparens, dixit; *Noli timere, sed loquere, & ne taceas propter quod ego sum tecum, & nemo apponetur tibi, ut noceat te, quoniam populus est mihi multus in hac civitate*. Unde merito jure se *Corinthiorum Apostolum* & *Patrem* profitetur, quod non alius, sed ipse primus verbum Dei annuntiasset; tametsi Apollo ad eos postmodum delegatus suis concionibus nascentem Corinthi Ecclesiam confirmaverit, & ampliaverit plurimum, ut Paulus significat I. Cor. III. 6. *Ego plantavi, Apollo rigavit, Deus autem incrementum dedit.*

Qua autem occasione ad hanc eis scribendam Epistolam impulsus fuerit, ex illius argumento aperte proditur. Cum enim Paulus Corintho Ephesum venisset, & Apollo ejus vices Corinthi ageret, hic ut erat eloquentissimus, ac eximia dicendi facundia præditus, licet nihil aliud, quam quæ Paulus dixerat, inculcaret; tamen accidit, ut qui ad ejus prædicationem Christo nomen dederant, vana quadam jactantia, supra eos qui a Paulo fuerant eruditi, se se extollerent, quod eloquentiorem nacti fuissent fidei Institutorem. Hinc in partes ac factiones discissa Corinthiorum Ecclesia tumultuari cœpit; nam qui sapientia & eloquentia erant celebres Paulum tanquam minus disertum, atque orationis lenociniis & ornamentis destitutum vel despicerent, vel non magni certe faciendum esse censerent. Enimvero Paulus ex composito Corinthiis evangelizans, omnem dicendi ornatum omnemque sapientiæ cultum missum fecerat, ut declarat his verbis, I. Cor. II: *Cum venissem ad vos, Fratres, veni non in sublimitate sermonis aut sapientiæ, annuntians vobis testimonium Christi. Non enim judicavi me scire aliquid inter vos, nisi Jesum Christum, & hunc Crucifixum. Et ego in infirmitate & timore & tremore multo fui apud vos: & sermo meus & prædicatio mea non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione spiritus & virtutis: ut fides vestra non sit in sapientia hominum, sed in virtute Dei. Sapientiam autem loquimur inter perfectos.* Quamobrem nonnullis Corinthiis Paulus visus est in dicendo frigidior & imperitior; Apollo vero eloquentior & sapientior: Hinc qui ab Apollo & aliis concionatoribus ad Christum fuerant conversi, & Evangelica doctrina imbuti, inani quadam Philautia tumidi, & inter se, ac ab aliis dissidentes, eo periculi devenerunt, ut pene a fide defi-

ce-

cerent. Nam unus inter eos visus est, qui fœdo atque omnibus modis abominando incestu novercam polluerat, quem, ait S. Chrysostomus non solum facti non pœnitebat, sed etiam cogebat fidelium cœtus, quibus nihil aliud instillabat, quam ut magnifice de se sentirent, ac cæteris antecellere se existimarent: alii Idolotytis seu escis oblatis Idolis, per nimiam licentiam ac proterviam, non sine aliorum offensione, vescebantur: plurimi apud judices a fide alienos in judicium Christianos fratres vocabant: qui divites erant, Agapes & populares cœnas in Ecclesia invicem convenientes frequentabant, rejectis pauperibus: qui divini spiritus Charismatibus erant ditati, ut revera inter Corinthios extabant plurimi, supra modum sibi placebant, seque magnificentius circumspiciebant: nonnulli etiam de futura hominum universali resurrectione addubitabant.

XIV. His igitur gliscentibus malis atque periculis, occurrendum censuit S. Paulus, priori ad eos data Epistola, tum ut eorum schismata componeret; tum ut ad meliorem frugem deviantes revocaret; tum ut quædam ab eis proposita dubia, in Epistola quam ad ipsum direxerant, solveret. Triplex itaque hujus Epistolæ scopus est, *Primus* ut dissidentes ad pacem & unitatem revocet, quod nihil magis Evangelicæ doctrinæ & fidei repugnet, quam dissidium, & inanis animi elatio: Unde cap. I. blande sese in Corinthiorum animos insinuans, ipsorum laudes, & collata eis divina beneficia commemorat, & propter eorum multitudinem & præstantiam ipsis gratulatur; ita tamen ut majora in dies expectari debere ab omnium auctore Deo pronuntiet. Tum acriter perstringit eos, qui propter inanem sapientiam & eloquentiam nimium elati, cæteris potiores haberi volebant, ostendens suo exemplo spernenda esse verborum lenocinia & orationis ornamenta a Christianis oratoribus qui Evangelicam doctrinam, non quæsito mundanæ eloquentiæ apparatu, sed solida sapientia, & divino S. Spiritus fervore annuntiare debeant, quod argumentum pertractat & prosequitur totis primis quatuor capitibus. Deinde cap. V. acerbissime reprehendit eos Corinthios, consentientes incestuoso illi qui sacrilega libidine novercam polluerat. Quod nefarium facinus, quam singulis execrandum esse debeat, ubi demonstravit, tunc qua præditus erat auctoritate, absens quidem corpore, præsens vero spiritu coram universa multitudine hominem damnat, & sacris mysteriis arcet.

Demum carpit Corinthiorum inanem fastum atque arrogantiam deprimit, docetque quanta diligentia improborum consortia & consuetudines vitari debeant, & a dissidiis, contentionibus, litibus, & aliis vitiis, quibus Ethnici polluebantur, abstinere: quod exequitur capitib. V. & VI. Tandem cap. VII. primum a Corinthiis propositum in eorum Epistola dubium incipit solvere: Nempe de præcellentis cœlibatus aut matrimonii, docetque quæ sint jura matrimonii Christiani, & qualiter eo religiose uti liceat. Nihilominus ei anteponendum esse Evangelicum Virginitatis & cœlibatus consilium. Cap. VIII. IX. & X. secundæ ab eis propositæ quæstioni respondet, utrum liceret vesci iis escis, quæ idolis prius fuissent oblatæ, dicitque nihil in eo esse peccati, si citra infirmorum periculum & scandalum fieri possit: nihilominus satius esse ab iis abstinendum, quod egregie demonstrat. Cap. X. aliud a Corinthiis propositum dubium solvit cap. XI. utrum mulieres in Ecclesia nudo capite, non velato apparere debeant, docetque ritum suscipiendæ Eucharistiæ; mox cætera ab eis proposita dubia dissolvit, nempe quæ præferendæ sint gratiæ gratis datæ; & has minores esse quam gratum facientes; quæve inter dona Spiritus S. præcellant, de quibus egregie disputat cap. XII. XIII. & XIV. Inde cap. XV, solvit aliud Corinthiorum dubium de resurrectione mortuorum, ostendens eam futuram, docensque ejus dotes, & modum & ordinem. Tandem concludit adhortandos Corinthios ad collectam eleemosynarum pro sublevandis pauperibus fidelibus, qui in Judæa vexabantur.

Scriptam esse hanc Epistolam Philippis nonnulli existimant, eo quod hæc sit ad calcem Codicum Græcorum adfixa scriptio. Missa fuit a Philippis per Stephanum & Fortunatum & Achaicum & Timotheum. Sed ex cap. XVI. v. 8. necnon ex Act. XIX. v. 1. potius Ephesi datam colligit Oecumenius & alii, anno a Christo nato LVII.

§. V.

De Epistola Secunda.

XV. SEcundæ ad Corinthios scribendæ Epistolæ, triplicem causam profert S. Chrysostomus in I. cap. *Primam* quod cum superiori Epistola cap. XVI. pollicitus esset, se ad eos venturum dum Macedoniam pertransisset, nec tamen stare potuisset promissis tempore præfixo, & adhuc cunctaretur ac moras traheret; quod scilicet Spiritus S. eum in aliis longe magis necessariis negotiis retineret, hac de causa, secundam Epistolam scribere necesse habuit, ut significaret, se non proprio nutu, sed ex Dei ordinatione adventum suum distulisse; *Hac confidentia*, inquit cap. I. *volui prius venire ad vos... cum ergo hoc voluissem, nunquid levitate usus sum? aut quæ cogito, secundum carnem cogito, ut sit apud me est, & non, &c.* Cæterum non ob hanc tantum causam scripsit, verum etiam ut eos consolaretur, quos propter increpatio-

nes

nes in priori Epistola, mœstitia ac salutari tristitia impleverat. Audiens enim Corinthios, etiam ipsum fornicatorem ad meliorem frugem receptos, salutarem egisse pœnitentiam, eis non solum lenioribus verbis adblanditur, & sed ab ulteriori pœnitentia incestuosum absolvit: *Sufficit*, inquit cap. II. 6. *qui ejusmodi est, objurgatio hæc, quæ fit a pluribus: itaut e contrario magis donetis & consolemini, ne forte abundantiori tristitia absorbeatur, qui ejusmodi est, &c.*

Cum vero nonnulli Pseudo-Apostoli Pauli æmuli, ipsius gloriam apud Corinthios deprimerent; dicerentque ejus Epistolas graves, præsentiam vero corporis infirmam; ipsumque, ait S. Chrysostomus, ut vanum & arrogantem nulliusque pretii hominem, in odium atque invidiam vocarent: coactus est Apostolus suum ministerium & Apostolatum commendare, scribens cap. II. 17. *Non enim sumus sicut plurimi, adulterantes verbum Dei, sed ex sinceritate, sed sicut ex Deo, coram Deo, in Christo loquimur*. Deinde enarrat quanta passus sit pro disseminando Evangelio, quas nationes huius implendi divini ministerii causa fuerit peragratus, quoties in periculum mortis venerit. Ac *tandem* cum fuisset Corinthiis gratulatus, eisque gratias egisset, quod libenti animo suas eleemosynas contulissent, pro sublevandis Fidelibus in Judæa fame & ærumnis laborantibus, atque etiam benigne suscepissent Titum & cæteros discipulos, quos ad illos delegaverat; demum acriter invehitur in Pseudo-Apostolos ejus ministerio detrahentes, nec non in eorum Sectatores, eos admonens ut tandem sedulo resipiscant, quatenus ipsius brevi futurus ad eos adventus, benignitatis, non autem indignationis plenus sit, *Prædixi*, inquit, *& prædico ut præsens, & tunc absens iis qui ante peccaverunt, & cæteris omnibus, quoniam si venero iterum, non parcam*. Adeoque tota fere hæc Epistola est Apostolatus Pauli apologia & encomium.

Scriptam Philippis in Macedonia, & missam per Titum & Lucam habent ad calcem Codices Græcus, Syrus & Latinus Complutensis. Verum probabilius existimat Baronius, & plurimi cum eo sacri Interpretes, eam fuisse scriptam Nicopoli ann. Christi LVIII. At ea de re nihil certi definiri potest.

§. VI.

De Epistola ad Galatas.

XVI. GAlatia provincia est Asiæ minoris, cui nomen factum putant nobiliores Interpretes & Historici cum Suida, a Gallis Senonensibus, qui duce Brenno Romam invaserunt, sed a Camillo repulsi, & Italiæ finibus ejecti, trajecerant in Græciam; ubi post varias pugnas, & complures vastatas regiones, militibus, & viribus imminuti, pace cum Adversariis composita, illam regionem occuparunt, quam a suo nomine Gentilitio *Galatiam* dixerunt. Unde illius Regionis incolæ dicti sunt *Gallo-Græci*, sive *Galatæ*. Habet autem Regio ista, inquit Plinius, [a] tres nobilissimas Civitates, *Tavium*, *Pessinuntem*, & *Ancyram*, quarum incolæ evangelizante Paulo, ab Idolorum cultu ad Christi fidem conversi fuerant, & ad vitæ sanctimoniam informati.

[a] *lib. 5. cap. ult.*

At cum alio prædicationis Evangelicæ causa migrasset Apostolus, illius absentiæ captata occasione, nonnulli Pseudo-Apostoli sinceris gratiæ Christi & Evangelicæ doctrinæ, præsertim Paulo infestissimi (quod ipse ut Christi gratiam commendaret, demonstraretque ad salutem summe & unice necessariam, Mosaicæ Legis infirmitatem arguebat, cæremoniarum cessationem, ac veterum sacramentorum & usum inutilem ubique prædicabat) omnem movebant lapidem, ut ullius auctoritatem elevarent & deprimerent. Unde Ecclesias quas ille instituerat, cupidissime perturbabant, illas venenato quodam fermento vitiantes, ac Evangelici Verbi tritico disseminato, superseminantes zizania.

Hoc ut obtinerent, primum Pauli personam, ejusque vocationem, ac universam doctrinam, non solum suspectam reddebant, sed etiam despectam ac prorsus exhosam, nam, ut inquit Chrysostomus, [b] Impostores illi, simpliciores hujusmodi sermonibus fallebant; non est ferendus hic Paulus, siquidem heri ac nudius tertius exorsus est, ex Ecclesiæ persecutore, factus non Christi, sed tantum Apostolorum Discipulus, qui doctrinam illorum nec satis intelligeret, nec fideliter referret. Animadvertentes enim cæteros Apostolos Judæis adhuc legalium cæremoniis indulgere, imo etiam ipsos cum Judæis agentes, Legem observare, siquidem mortua quidem tunc erat Lex, sed nondum mortifera, arbitrabantur eorum doctrinam alienam esse ab ea quam Paulus disseminabat, nempe Mosaicæ Legis observantiam ad salutem prorsus irritam & inutilem esse. *Accedebat* quod Petrus Apostolorum Princeps, etiam tunc cum esset Antiochiæ, quæ Gentilium, non Judæorum civitas erat, cum advenissent illuc a Jacobo Hierosolymorum Antistite delegati Fratres; ne illis foret in scandalum, a cibis & mensa Gentilium se de industria subtraxerat, quasi facto suo doceret a cibis Lege vetitis, ubique sine discrimine abstinendum esse; subindeque Mosaicæ Legis observantiam, una cum Christi fide ad salutem esse necessariam. Porro, inquiebant, magis audiendi sunt Petrus & alii Christi Discipuli, quam hic unicus, Apostolorum, non Christi Discipulus; utpote qui Christum in carne non vidisset. *Præterea* hic solus est, illi multi, & Ecclesiæ columnæ.

[b] *in 1. cap*

Denique & ſimulationis calumniam Paulo intendebant dicentes: Hic ipſe qui tollit circumciſionem, alibi viſus eſt iis uti quæ damnat, aliter vobis, aliter aliis prædicans. Iſtud potiſſimum apud Galatas optime prius a Paulo inſtitutos, quos aliunde noverant inconſtantis eſſe animi, & parum in propoſitis tenaces, non irrito conatu tentaverunt: nam Pauli perſonam, ejuſque prædicationem & doctrinam dubiam, & ab aliorum Apoſtolorum doctrina alienam aſſerentes, effecerunt ut cum Chriſti fide, Moſaicæ Legis obſervantiam ad juſtificationem & ſalutem neceſſariam eſſe crederent. Cui graſſanti periculoſo morbo mederi voluit Apoſtolus, hac Epiſtola doctrinam ſuam & famam; præſertim autem articulum juſtificationis per Chriſti gratiam & fidem ſine operibus Moſaicæ Legis aſſerere, ac vindicare ſe a ſeductorum calumniis, & ſimul ipſos Galatas in veritatis viam ex qua fœde exorbitaverant, denuo revocare. *Porro* quam grande iſtud Galatarum piaculum cenſuerit Apoſtolus, apparet ex acerbitate & ſtyli vehementia qua ipſos aggreditur; neque enim, inquit S. Chryſoſtomus, id puſillum fuit neque parvi momenti; alioqui nec ipſe tam acerbe fuiſſet in eos invectus. Siquidem quibuslibet de cauſis irritari, hominis eſt puſillanimis, moroſi, miſerique; quemadmodum ex adverſo in gravibus cauſis ſupinum ac negligentem eſſe, viri inertis eſt ac ſomniculoſi: At hujuſmodi nequaquam erat Paulus: oportuit ergo peccatum iſtud magnum fuerit, & ſupra modum grave, quod Apoſtolum tam juſta ira commoverit, ut adverſus Diſcipulos ſuos tanta acerbitate ex immenſo animi dolore ageret. Atque hæc de occaſione, ſcopo, & ſtylo: nunc de ordine & argumento hujus Epiſtolæ, pauca ſunt delibanda.

Tria itaque potiſſimum hac in Epiſtola intendit Apoſtolus: Primo namque ſuam adſtruit & confirmat doctrinam, *in primis* quidem a ſua in Apoſtolum vocatione; *Non ab hominibus*, inquit, *neque per hominem, ſed per Jeſum Chriſtum & Deum patrem*. Quatuor enim ſunt genera Apoſtolorum, ait ad illa verba S. Hieronymus, *unum*, quod neque ab hominibus eſt, neque per hominem, ſed per Jeſum Chriſtum & Deum patrem. *Aliud* quod a Deo quidem eſt, ſed per hominem. *Tertium* quod ab homine non a Deo. *Quartum* quod neque per hominem, neque ab homine ſed a ſemetipſo. *De primo genere* poteſt eſſe Iſaias cæterique Prophetæ, & ipſe Apoſtolus Paulus, qui neque ab hominibus, neque per hominem, ſed a Deo patre & Chriſto miſſus eſt. *De ſecundo*, Jeſus filius Nave, qui a Deo quidem eſt Apoſtolus conſtitutus, ſed per hominem Moyſem. *Tertium genus eſt*, cum hominum favore & ſtudio aliquis ordinatur: Ut nunc videmus plurimos non Dei judicio, ſed empto favore vulgi, in Sacerdotium ſubrogari. *Quartum eſt*, Pſeudo-Prophetarum & Pſeudo-Apoſtolorum, de quibus Apoſtolus: *Iſtiuſmodi*, inquit, *Pſeudo-Apoſtoli, operarii iniquitatis, transfigurantes ſe in Apoſtolos Chriſti, qui dicunt; Hæc dicit Dominus, & Dominus non miſit eos*. Verum non talis Apoſtolus Paulus, qui neque ab hominibus, neque per hominem ſed a Deo patre per Jeſum Chriſtum miſſus eſt.

Deinde ſuæ doctrinæ cum cæteris Apoſtolis concordiam ex habita inter ipſos collatione demonſtrat. Quomodo item ſemper omnibus aliis Apoſtolis aut æqualis, aut etiam ex functione muneris Apoſtolici & paſſionibus pro Chriſto aliqua ratione eis ſuperior. Unde etiam Petrum a ſe propter obſervantiam legalium palam reprehenſum enarrat, & tandem longa recenſione ſuæ vocationis, prædicationis, ac ingentium laborum pro Chriſto, ſe non aliis Apoſtolis inferiorem eſſe comprobat.

Secundo quod præcipuum Epiſtolæ caput eſt, doctrinam tradit de juſtificatione per gratiam & fidem Chriſti, ſine ullis operibus Legis: quod multis argumentis & Scripturæ teſtimoniis confirmat, oſtendens Chriſti gratiam & meritum nihil profuturum iis, qui Legis Moſaicæ obſervantiæ, quaſi ad ſalutem neceſſariæ, ſeſe ſubjecerint; quoniam illius qualiſcunque virtus omnino eſſet evacuata.

Tertio tandem ſtabilitis ea de re fidei dogmatibus, plurima tradit egregia præcepta ad vitæ ſanctimoniam mirum in modum conducentia. Tempus quo ſcripta ſit, hæc Epiſtola deſignate vix indicari poteſt, videre tamen mihi videor datam fuiſſe Epheſi anno Chriſti LVI. hoc eſt XXIII. poſt ejus paſſionem. (63) CA-

(63) Paucas in Apoſtoli Pauli Epiſtolas nequiſſimi divinarum Scripturarum calumniatores evomere potuerunt cavillationes; ejus quippe ſanctitatis, ac rectitudinis ſe prodit, quæ in iis continetur doctrina, ut Luthero ipſi volenti nolenti e calamo hæc exciderint verba in Præfat. ad Verſ. 1. novi Teſtamenti editionis anni 1645. = Sancti Pauli Epiſtolæ, & præſertim ad Romanos, Galat. Epheſios & Sancti Petri prima, ii ſunt Libri, qui tibi Chriſtum monſtrant, & omne id docent quod tibi ſcitu neceſſarium = Quia nihilominus nefarius ille Hæreſiarcha dogma de neceſſitate bonorum operum ad ſalutem expungere moliebatur, ideo ſatis diverſimode ſcripſit in caput tertium Epiſtolæ ad Galatas. Nos brevi calamo quæ in quatuor priores Apoſtoli Pauli Epiſtolas opponi queunt referemus, & refellemus.

In primis ergo opponere ſolent vel Apoſtolum plura in Epiſtolis ſcripſiſſe, ut homo erat abſque ulla prorſus divini ſpiritus adſiſtentia ſpeciali, vel textum Apoſtoli a tranſcriptoribus & interpretibus fuiſſe adulteratum; variæ etenim in illius Epiſtolis habentur ſententiæ ſibi invicem contradicentes; aliæ autem effectum ſcribentis oſtendunt prorſus præcipitem, & ſpiritui Dei omnino adverſum. Primi generis ſunt, quæ leguntur ad Roman. Cap. 1. ℣. 3. ubi ait de Chriſto = qui factus eſt ei ex ſemine David ſecundum carnem = In 2. vero ad Corinth. Cap. 5. ℣. 16. ſcripſit Apoſtolus = Nos neminem novimus ſecundum carnem; & ſi cognovimus ſecundum carnem Chriſtum, ſed nunc jam non novimus = iſtæ duæ ſententiæ Apoſtoli ſe invicem deſtruunt. Se invicem pariter deſtruunt quæ leguntur ad Roman. Cap. 3. ℣. 20. & ad Rom. 5. ℣. 13. in primo enim ſcribit Paulus = Per legem enim cognitio peccati = non ergo noſcebatur peccatum ante legem; in ſecundo autem loco legimus = peccatum erat in mundo

uſque

uſque ad legem = quomodo eſſe poterat peccatum ſi non dignoſcebatur, cum ad peccatum ſit neceſſaria ejuſdem cognitio? In Epiſt. autem ad Corinth. 1. Cap. 9. ℣. 20. de ſe ipſo ſcribit Paulus quod Judæum ſe faciebat cum Judæis, ſine lege cum iis ſe finxit, qui ſine lege erant; cum lege autem ſe ſimulabat iis qui ſub lege erant, & tandem ſe ſimulabat cum infirmis infirmum; hæc oppoſita videntur omnino ſinceritati Evangelicæ viamque ſternunt ad ſimulandum, & mentiendum, quapropter a Dei Spiritu duci non poterat Paulus dum talia ſcripſit. Plurima tandem in Pauli Epiſtolis leguntur, quæ de ſui corporis neceſſitatibus ſunt, nec aliquo pacto doctrinam Evangelicam reſpiciunt; quinimmo tota Eccleſiæ doctrina ſive de præceptis, ſive de conſiliis in Evangelio expreſſa eſt: nullius ergo neceſſitatis, vel utilitatis ad ſalutem in Epiſtolis Pauli quidquid legitur, eſſe poteſt.

Reſpond. ad primum nullam ibidem inveniri contradictionem, ſi legitimum Pauli ſenſum velimus attendere, qui Angelice exponitur a S. Thoma in commen. Epiſt. ad Corinth. lectione 4. Nos autem dicimus diverſa eſſe objecta ſermonis Apoſtoli in diverſis illis Epiſtolis; in Epiſtola ad Romanos oſtendit Jeſum Chriſtum verum Dei filium verum humanum corpus aſſumpſiſſe ex ſemine David juxta Prophetarum vaticinia, eumdemque eſſe ſervatorem toties in ſcripturis ſanctis promiſſum. Ad Corinthios vero loquitur Paulus de futura vita, in qua corpus mortale immortalitatem induet, veruntamen in hoc ſæculo non ſecundum carnem vivendum, ſed vivere debemus Chriſto qui pro nobis mortuus eſt, & reſurrexit; hinc ait Apoſtolus neminem a ſe cognoſci, ſcilicet conſiderari, ſecundum carnem, ſicut modo ipſum Chriſtum non ſecundum carnem paſſibilem, ut olim noverat, agnoſcit, ſed ſecundum gloriam reſurrectionis ſuæ, & ſecundum quod nova facta ſunt omnia; non negat in Epiſtola ad Corinth. Paulus Chriſti carnem humanam, quam olim confitebatur, ut inique aſſerebant Manichæi, ſed ait a ſe modo diverſo Chriſtum cognoſci, ab eo, quo ante converſionem ſuam illum cognoſcebat, dum hominem Moſaicæ legis everſorem Chriſtum eſſe opinabatur. Ad ſecundum reſpondet S. Thomas Lect. 3. in Cap. 5. ad Roman. fuiſſe revera & ante legem peccatum in mundo tam originale, quam actuale; ſed plures hominum a Deo non puniri commiſſa ſcelera opinabantur, antequam per legem divinitus datam, etiam ſupremi Numinis indignationem ſuper peccatoris caput ob patrata facinora provocari intelligerent. Alii expoſitores loca iſta Apoſtoli hoc pacto conciliare malunt, ut per legem excitatæ ſint hominum mentes ad plura dignoſcenda peccata, quæ ante legem non præcipiebantur, eo quod naturæ lumen pene obliteratum foret per carnis concupiſcentias; ita Apoſtolus ipſe ad Roman. 7. ℣. 7. = concupiſcentiam, inquit, neſciebam, niſi lex diceret: non concupiſces = Promulgata itaque lege cæpit appercipi nedum in quantum aliqua naturæ violabat jura, ſed etiam in quantum divinæ adverſabatur voluntati. Erat nihilominus in mundo peccatum tam originale, quam actuale ante Legis publicationem, ſed vel in ſua deformitate non plene agnoſcebatur, vel multas peccatorum ſpecies non ſatis apprehendebantur; hæc ſi tradatur expoſitio, quæ Apoſtoli menti quammaxime videtur congruere, ruit prorſus adverſariorum objectio. Falſum pariter eſt quod excellens Pauli commiſeratio erga omnes gentes cujuslibet forent conditionis, viam ſternat ad ſimulandum & mentiendum; non iſtarum moribus ſe implicabat Apoſtolus, ſed omnium compatiens infirmitatibus, diverſis miſericordiæ affectibus omnibus ſubveniebat, præbendo parvulis parva non falſa, lactea non noxia, unicuique ſalubria pro ſua capacitate accommodans. Legatur S. Auguſtinus Lib. 3. contra adverſarium Legis, & Prophetarum Cap. 9. ubi hanc oppoſitionem pro ſuo mirabili more refellit.

Quæ ultimo loco opponebantur deliria ſunt Ætianorum, qui putabant cibos emere, hoſpitium parare, aliiſque corporis, vitæque indigentiis ſubvenire, peccatum eſſe. Hæc tamen ſi quid canonicitati Epiſtolarum Pauli detrahere poſſent, de tota ferme ſcriptura Divina actum eſt. In Evangelio utique & præcepta continentur, & conſilia, ſed nimis implicite ut ajunt, unde explicationibus indigent atque lucubrationibus, ut facilius percipi queant: uberius ergo, atque copioſius in Apoſtoli ſcriptis elucidantur myſteria fidei, doctrina Sacramentorum, prædeſtinationis, gratiæ, meritorum Chriſti, juſtificationis noſtræ, atque neceſſitatis bonorum operum ad ſalutem. Si argumentum autem adverſariorum valeret, ſatis eſſet illorum præceptorum publicatio, in quibus tota lex pendet & Prophetæ. Videant ergo quam falſa, quam inania ſint quæ adverſarii noſtri contra inexpugnabilem veritatem obtrudunt.

Circa tempus, quo ab Apoſtolo datæ ſunt quatuordecim Canonicæ Epiſtolæ, quas recipit Eccleſia, varia prorſus inveniuntur chronologorum ſyſtemata, Nos præter Praſſeni ſententiam quatuor alias proponemus Hypotheſes.

		PETAVIUS.	USSERIUS.	VITRE.	CALMETUS.	
Ad Romanos		55.	60.	57.	58.	
Ad Corinthios	I.	54.	59.	57.	56.	
Ad Corinthios	II.	55.	60.	57.	57.	
Ad Galatas		58.	58.	56.	55.	
Ad Epheſios		57.	64.	62.	66.	
Ad Philippenſes		58.	64.	62.	62.	vel 63.
Ad Coloſſenſes		58.	64.	62.	62.	vel 63.
Ad Theſſalonicenſes	I.	50.		52.	52.	
Ad Theſſalonicenſes	II.	50.		52.	52.	
Ad Timotheum	I.	55.	65.	66.	64.	
Ad Timotheum	II.	57.	66.	66.	65.	
Ad Titum		55.	65.		64.	
Ad Philemonem		58.	64.	62.	62.	
Ad Hæbreos		58.	64.	62.	63.	

Tali modo diſtribuuntur anni Æræ Chriſtianæ a Laudatis Auctoribus circa tempus quo Apoſtolus Epiſtolas ſcripſit, quis autem eorum magis ad verum acceſſerit in ſecundo volumine in tabulis Chronologicis diſcutietur (W)

CAPUT QUINTUM.

De novem sequentibus S. Pauli Epistolis.

I. *Cujus indolis esset Ephesus, & quomodo Apostolus Christi Evangelium ibi prædicaverit.*
II. *Cur ad Ephesios scripserit Paulus & unde Literas miserit?*
III. *Quibus de causis, & unde ad Philippenses scripserit Paulus, quove tempore?*
IV. *Quinam sint Colossenses, & qua de causa ad istos scripserit Apostolus Paulus?*
V. *Quibus partibus constet Epistola ad Colossenses?*
VI. *Qua de causa scripserit Paulus ad Thessalonicenses?*
VII. *Cur eis secundam dederit Epistolam, & quinam illius scopus?*
VIII. *Ad Timotheum qua de causa primam epistolam dederit Paulus?*
IX. *Cur & secundam ad ipsum miserit?*
X. *Quis fuerit Titus, & quare ad illum scripsit Paulus?*
XI. *Quandonam scripserit ad Philemonem Paulus.*
XII. *Epistola ad Philemonem non recipiebatur ut Authentica ab aliquibus, qui a S. Hieronymo refutantur,*
XIII. *Brevitas hujus Epistolæ non officit ejus auctor itati.*

§. I.

De Epistola ad Ephesios.

a *in præm. hujus Epist.*

I. EPhesus, ait S. Hieronymus, a *Asiæ minoris Metropolis Idololatriæ & magicis artibus in primis erat dedita:* Unde Act. XIX. v. 18. ex iis qui in ea civitate Paulo prædicante, Christi fidem susceperant, multi qui fuerant curiosa sectati, contulerunt libros, & combusserunt coram omnibus, & computatis pretiis illorum, invenerunt pecuniam denariorum quinquaginta millium: Dianam præ cæteris ementitis numinibus venerabantur, & tanta eorum erat superstitio, ut ne ejus quidem nomen qui ejus templum combusserat, manifestum esse voluerint, Prodierant ex ea plurimi Philosophiæ sæcularis Principes, maxime vero Pythagoras, quin etiam tota Jonica philosophia: Parmenides quoque, & Zeno, & Democritus; quamobrem ait S. Hieronymus, multo studio opus fuit S. Paulo, ad eos utpote Sapientum eruditos Discipulos, scribenti.

Quapropter hæc Epistola referta est sublimibus sententiis & vere cœlestibus dogmatibus; in ea namque sollicite ostendit, quantum omnes doctrinæ sordere debeant præ Evangelio, cujus sublimitatem admirandis, & vere Apostolicis encomiis hac in Epistola celebrat; mirum itaque videri non debet, quod in evangelizandis & convertendis Ephesiis plurimam operam navarit, pene per triennium, Apostolus; inde namque Evangelicæ doctrinæ accedere debebat illustris commendatio, si nempe illius civi-
b *lib. 5.* tatis incolæ, quam Plinius, b *Alterum Asiæ minoris lumen* appellat, suæ sapientiæ nuntium remittentes, Christi jugo & disciplinæ colla submitterent.

Accedebat etiam ad Apostoli scopum & institutum, quod in ea civitate, cum ob mercaturam & magnitudinem, tum ob navigationis commoditatem, maxima semper esset hominum frequentia. Sita enim est Ephesus in extremo littore Asiæ minoris versus occasum, & ferme etiam meridiem, ut illac transeundum fuerit navigantibus ex Syria, aut Ægypto, in Græciam Macedoniam & Pontum; ac e contra: item ex Asia minore Romam, & vicissim; sicut & ipse Apostolus sæpe proficiscens in Macedoniam aut Græciam, & iterum rediens, illac transivit: Unde ibi docens Christi fidem & Evangelium, illud per Orbem universum veluti disseminabat: quare ipsemet scripsit I. Cor. XVI. 9. sibi esse illic apertum magnum & evidens ostium ad prædicandum Evangelium & Adversarios multos. Et Actuum cap. XX. majoribus Ecclesiæ Ephesinæ testatur se per triennium die & nocte apud eos egisse, *Serviens Domino cum omni humilitate, & lacrymis, & tentationibus, quæ ei accidebant ex insidiis Judæorum, nihil substrahens utilium quominus annuntiaret eis, & doceret eos publice, & per domos, testificans Judæis atque Gentilibus in Deum pœnitentiam & fidem in Dominum Jesum Christum.*

Pastores etiam admonet ut attendant sibi & universo gregi, in quos eos posuit Spiritus S. Episcopos regere Ecclesiam Dei. *Quoniam*, inquit, *intrabunt post discessionem meam lupi rapaces in vos, non parcentes gregi. Et ex vobis ipsis exurgent viri loquentes perversa, ut abducant Discipulos post se.* Quibus verbis denotat Pseudo-Apostolos, seu falsos e Judæis Christianos, qui non solum Legem volebant cum Evangelio a credentibus suscipi, quod omnibus Judaizantibus erat commune; sed & de suo multa fabulosa & inutilia, ac a puritate Evangelii aliena tradebant, atque hujusmodi perversis doctrinis Fideles Ephesios a Paulo, quem sibi Adversarium sentiebant, abducere nitebantur.

II. Cum itaque Paulus Romæ in vinculis consistens, hoc suum vaticinium, in plurium Chri-

Chriſtianorum ex Judæis Epheſiis a fide defectione, & ſeductione impletum audiiſſet, ſcribendum duxit hanc Epiſtolam ad eos ex Gentibus fideles Epheſios, qui in accepta ab eo Evangelica doctrina firmiter perſeverabant. Nam quod hæc Epiſtola peculiariter ad eos qui ex Gentibus crediderant ſcripta fuerit, manifeſte inter alia declarat illud, cap. II. *Memores eſtote, quod aliquando vos Gentes in carne, &c.* & illud cap. III. *Ego Paulus vinctus Jeſu Chriſti pro vobis Gentibus*. Quanquam autem præcipuus Apoſtoli in hac Epiſtola ſcopus ſit, confirmare fideles Epheſios in fide & doctrina quam acceperant; nihilominus ita collaudat eorum fidem & ſanctimoniam, ut tamen plenius eos inſtruat de præcipuis fidei myſteriis, & perfectis ſanctimoniæ præceptis.

Duæ ſunt enim primariæ partes hujus Epiſtolæ, in quarum PRIORE tribus capitibus contenta, agit de Oeconomia gratiæ & miſericordiæ Dei & præcipuis illius effectibus, qui ſunt electio, juſtificatio, fides, redemptio, & Chriſti exaltatio, ac miniſterium Apoſtolatus, ſummumque Apoſtolorum ſtudium & zelum in convertendis infidelibus. Quod utique egregie explicat tribus Prioribus capitulis. In *poſteriore* vero parte diſſerens de probe inſtituenda Chriſtianorum vita; primum cap. IV. agit potiſſimum de ſervanda unitate & concordia multis argumentis: ubi quaſi per digreſſionem tractat illud ſublime myſterium, de Chriſti unione cum Eccleſia: quo peracto, mox hortatur ad exuendum veterem Adamum cum ſuis malis operibus, & induendum novum cum ſuis bonis effectis. Poſtea, in quinto de variis virtutibus ac vitiis diſputat, ubi itidem ſalutare myſterium interſerit de conjugio Chriſti ac Eccleſiæ. Poſtremo ſub finem quinti capitis, ac ferme per totum ſextum, præſcribit ſingulis ordinibus aut ſtatibus ſua officia, docens qualiter Viri erga uxores, Parentes erga liberos, Dominos erga ſervos, & viciſſim, juſte ac religioſe ſeſe gerere debeant. Tandem in fine Epiſtolæ proponit omnibus Chriſtianis communem armaturam, qua muniti inſtructique Chriſto ſuo Duci ac Regi contra dæmonem, mundum & carnem militare valeant.

Scripta eſt hæc Epiſtola Romæ ex vinculis, quorum ter meminit ex cap. III. & iterum cap. ult. miſſa per Tychicum Diaconum, cujus mentio fit in fine Epiſtolæ, qui etiam detulit ſecundam ad Timotheum, ejuſdem urbis a Paulo præfectum Epiſcopum, ut apparet ex his verbis ultimi capitis, *Tychicum miſi Epheſum*; idque anno Chriſti LXII. & XXIX. poſt ejus paſſionem.

Porro quantum profuerit hæc Epiſtola ad confirmandos in fide & pietate Epheſios apparet ex altera S. Ignatii ad eos Epiſtola, num. XIV. in qua mirifice prædicat commendatque eorum zelum, quo adeo averſati eſſent hæreticos, ut nec illos audire, nec illac tranſitum habere permiſerint. *Novi*, inquit, *nonnullos per vos tranſeuntes habere perverſam doctrinam peregrini & maligni ſpiritus: quibus negaſtis tranſitum ad ſpargendam zizaniam, obturatis auribus ne reciperetis errorem quem docent*. Et rurſum: *Honeſtiſſimum ſupra modum laudat ille veſtrum decentem compoſitumque ordinem, quodque omnes ſecundum veritatem vivetis, & quod nullus ſit inter vos hæreſi locus, ſed nec auditur nomen ullius quam ſolius Ieſu Chriſti, veri Paſtoris & Magiſtri, &c.*

§. II.

De Epiſtola ad Philippenſes.

III. PHilippos Urbem Macedoniæ metallis divitem, civibus copioſam, a conditore ſuo, vel potius inſtauratore Philippo, Alexandri Macedonis patre, nominatam, demum nobilem coloniam Romanam Paulus a Deo mirabili illa viſione quæ deſcribitur Act. XVI. v. 19. in Macedoniam evocatus, inviſit, pluresque Philippenſium convertit, ibique Pythoniſſam a Dæmone liberavit, ideoque virgis cæſus & incarceratus: Unde primum infirma fuere ac mediocria Eccleſiæ Philippenſium initia; at poſtmodum Pauli doctrina & miraculis in tantum excrevit, tum credentium numero cum ferventi pietatis ſtudio, ut non ſolum cæteris Macedoniæ Eccleſiis eſſent in ſanctimoniæ exemplum, ſed & præ cæteris erga Paulum, ſuum in Chriſto patrem & doctorem ſtudioſiſſimi. Quamobrem cum audiſſent eum Romæ in vinculis detineri, pro ſuo in eum affectu, per Epaphroditum *ſuum Apoſtolum*, ut ipſum Paulus nominat cap. II. v. 25. hoc eſt ſuum Epiſcopum, ut explicant Theodoretus, Baronius & alii, miſerunt ad eum ſubſidium pecuniarum quo ſe in carcere ſuſtentaret. Epaphroditus autem Romæ cum in gravem morbum incidiſſet, ac tandem quaſi miraculo convaluiſſet, ad Philippenſes a Paulo dimiſſus eſt, una cum his literis, in quibus ſtatim initio laudat eorum fidem, & ad profectum & perſeverantiam adhortatur.

Præcipuus enim Epiſtolæ ſcopus eſt, ut eos in accepta religione & fide, ac præſertim in doctrina ſincera de ineffabili myſterio exinanitionis Chriſti, ac juſtificationis per ejus gratiam; nec non & Chriſti, membrorumque ejus, nempe fidelium, glorificationis, confirmet. Unde hæc Epiſtola totius doctrinæ Chriſtianæ veluti ſynopſis eſt & eximium compendium. *Primum* enim valde commendat Chriſtianam religionem, ad eamque omnes ardentiſſime hortatur: *Deinde* Divinitatem Chriſti, ejuſque incarnationem, atque ita duas naturas in una perſona deſcribit. *Tertio* ejus exinanitionem ad mortem crucis uſque, & infinita ejus merita exponit. *Quarto* ipſius glorificationem

nem in triumphali ſua reſurrectione, aſcenſione, ac in ſuprema dominatione enarrat. *Poſtremo* exponit modum apprehendendi merita & gloriam divini illius fidelis Eccleſiæ capitis.

Neque ſolum præcipua hæc Chriſtianæ religionis myſteria luculenter explicat, ſed inſuper varia ſparſim tradit egregia præcepta, ad pie ſanctèque mores inſtituendos. Nam in primo capite collaudat Philippenſium pietatem ac fervorem, quatenus eos ad emulanda meliora chariſmata & profectum aſſiduum inflammet. Quocirca recenſet ſuas pro Chriſto tribulationes, ut ſuæ patientiæ exemplo eos ad calamitates animoſe ferendas provocet. Deinde eos ad concordiam ac conſenſum in vera doctrina, nec non & ad obedientiam in omnibus præſtandam ſuis doctoribus, maxime Timotheo & Epaphrodito qui ſint eos erudituri & ipſorum ſtatum cogniturí. Tertio præmonendo eos ut ſibi caveant a ſeductoribus & Pſeudo-Apoſtolis hominum juſtificationem in operibus jam mortuæ Moſaicæ Legis conſtituentibus; quin potius omnem ſuam juſtitiam ac ſalutem gratiæ Chriſti, ſuæque illic operationi adſcribant. In poſtremo tandem capite id urget, ut eos provocet ad omnes virtutes Evangelicas ſectandas, maxime vero benignitatem erga fratres, quemadmodum erga ipſum fuerant officioſiſſimi.

Quanquam ipſam Epiſtolam Paulus dum eſſet Romæ vinctus ſcripſerit, lætior tamen, alacriorque & blandior cæteris eſt: Tum quod eis gratularetur Apoſtolus propter eorum in Evangelica doctrina aſſiduum ſtudium: Tum quod etiamſi propter ejectum e muliere Pythonicum, verberibus in ea civitate cæſus fuiſſet, tamen a Magiſtratibus ob hanc injuriam acceptam ampliſſime ei fuiſset ſatisfactum: Tum maxime, quod præ cæteris ſuis Diſcipulis Philippenſes erga ſe ſtudioſiſſimos noviſſet. Tum denique quia ait S. Chryſoſtomus, [a] læto & liberiori animo in vinculis ſcribere voluit, ut oſtenderet nos in adverſis non ſolum dolore non eſſe dejiciendos, ſed potius gaudio & lætitia animos erigendos. Inſurgit nihilominus interdum acrius adverſus Pſeudo-Apoſtolos qui cum ex Judæis Pſeudo-Chriſtiani eſſent, ubique diſcurſabant ut eis quos, Paulus ex Gentibus converterat, ſuaderent una cum Evangelio retinendam eſſe Moſaicæ Legis obſervantiam.

Romæ ſcriptam eſſe hanc Epiſtolam nemini dubium eſt; quo vero anno data fuerit, non ita compertum: nihilominus, eam anno Chriſti LX. aut LXII. qui fuit ſecundus vinculorum Pauli, probabilius eſt fuiſſe exaratam; tempore ſcilicet primæ incarcerationis & vinculorum ipſius Pauli, hoc eſt anno Neronis IV. Non autem tempore ſecundæ captivitatis, quæ contigit anno Neronis XIV. Nam in primo cap. v. 25. dicit: *Scio quia manebo, & permanebo omnibus vobis ad profectum veſtrum, & gaudium fidei: ut gratulatio veſtra abundet a Chriſto Jeſu in me per meum adventum iterum ad vos*. Noverat ergo eo tempore quo hanc ſcribebat Epiſtolam ſe liberum e vinculis dimittendum; ac proinde ea non fuit poſterior ejus incarceratio, ex qua non niſi per ſubſequentem mortem ſolutus eſt. Quod autem non priore ſed poſteriore anno vinculorum Pauli ſcripta ſit, apparet ex inſcriptione, tum ſuo, quam Timothei nomine, quibus ſatis ſignificat Apoſtolus non niſi poſt Timothei Romam adventum eſſe datam: Timotheus autem Romam venire non potuit niſi circa finem prioris anni carceris Pauli ut demonſtrat Baronius. [b]

Cæterum hanc Epiſtolam ut diximus, direxit Paulus per Epaphroditum, ut ſignificat his verbis cap. II. *Neceſſarium autem exiſtimavi, Epaphroditum fratrem & cooperatorem, & commilitonem meum, veſtrum autem Apoſtolum, & miniſtrum neceſſitatis meæ, mittere ad vos*. Exiſtimavit autem Theodoretus hunc Epaphroditum fuiſſe Philippenſium Epiſcopum, ea potiſſimum ratione ductus, quod Paulus appellet eum Apoſtolum; illo enim nomine, tunc conſuetum appellare Epiſcopos, multis oſtendit. Quare autem potius Epiſcopo, quam alteri cuivis literas perferendas tradere ſolerent Apoſtoli; ratio eſt quod non ſolum Tabellariorum, ſed etiam Legatorum fungerentur officio, nam illis ore tenus multa communicanda credebantur, quæ coram iis, ad quos mitterentur explicaturi eſſent. Hunc Epaphroditum eundem cum *Epaphra*, cujus mentio fit in Epiſt. ad Coloſſ. contractione pronuntiationis, exiſtimat Grotius. [c] At reclamat ipſemet S. Paulus in Epiſt. ad Coloſſ. cap. IV. hic enim Romæ agens, tenebatur pariter cum Paulo vinculis adſtrictus: Unde in ea, quam item hoc anno ad Philemonem Paulus dedit, Epiſtola, *Salutat te*, inquit, *Epaphras concaptivus meus in Chriſto Jeſu*; non potuit ergo illo tempore a Paulo ad Philippenſes Epiſtolam laturus delegari. Accedit quod Epaphroditus Philippenſium fuerit Epiſcopus, Epaphras vero Coloſſenſium, cui tempore incarcerationis nonnulli volunt ſuffectum fuiſſe Archippum; nam Coloſſenſes in fine Epiſtolæ admonet, *dicite Archippo, vide miniſterium quod accepiſti a Domino ut illud impleas*. At Primaſius negat omnino, Archippum fuiſſe Epiſcopum, ſed diaconum tantum extitiſſe tradit. Unde etiam in antiquis Martyrologiis, non alius quam Epaphras eo tempore legitur Epiſcopus.

[a] *a initio Epi. ad Coloſſ.*

[b] *ad annum Chriſti 60.*

[c] *in Epiſt. ad Coloſſ.*

§. III.

De Epistola ad Colossenses.

IV. SUnt qui cum Suida Zonara, & Eustathio Colloſſenſes eoſdem ac Rhodienſes putant. Hos enim exiſtimant dictos *Coloſſenſes* ob nobilem illum Coloſſum qui memoratur inter ſeptem Orbis miracula. At reclamant illuſtriores Hiſtorici & Geographi, qui Coloſſos a Rhodienſibus plane diverſos eſſe pronuntiant. Coloſſæ enim civitas eſt Phrygiæ, quæ eſt in Aſia minore non procul ab Hierapoli, & Laodicea; de his enim Civitatibus quaſi vicinis in hac Epiſtola meminit S. Paulus, cum ait cap. IV. v. 16. *Facite ut Epiſtola hæc, in Laodicenſium Eccleſia legatur, & eam quæ Laodicenſium eſt vos legatis*, ac paulo ſuperius, loquens de Epaphra, *habet*, inquit, *multum laborem pro vobis, & pro iis qui ſunt Laodiciæ & Hierapoli:* Conſtat autem Hierapolim & Laodiceam in Phrygia eſſe, aut certe in confinio, Auctore Ptolemæo. Unde Herodotus, [a] *Coloſſos* appellat *magnam Phrygiæ Civitatem*, quæ fluvium habet Lycum qui ſe præcipitans in terræ hiatum occultatur, poſt erumpens ad quinque ſtadia. Addit Plinius, [b] Coloſſis flumen eſſe, in quod lateres conjecti, lapides extrahantur: qui pariter [c] *Coloſſas* nominatim recenſuit in deſcriptione Phrygiæ, quæ Septentrionali ſui parte Galatiæ ſit contermina, Meridionali Lycaoniæ Piſidiæ, Mygdoniæ, ab Oriente vero, Cappadociam attingens. Ad hæc Strabo [d] in Geographia ſua inter loca Laodiceæ finitima, Coloſſarum quoque mentionem facit. Tandem Theophylactus quoque Græcus Interpres, iſta confirmat. *Civitas*, inquit, *Phrygiæ, Coloſſæ, quæ nunc vocatur* CHONA, *atque illic & ex eo vicina ſit Laodiceæ, quæ urbes una cum Hierapoli, paulo poſt ſcriptam hanc Epiſtolam terræ motu corruere.*

[a] *lib.* 7.

[b] *lib.* 31. *cap.* 2.

[c] *lib.* 5. *cap.* 32.

[d] *lib.* 10.

Porro nec Coloſſis, nec Laodiceæ evangelizaverat Paulus, qui tametſi in Phrygia fuerit plus ſemel, non potuit tamen adire omnes Phrygiæ urbes, ut ipſe inſinuat initio capitis II. *Volo enim vos ſcire*, ait, *qualem ſollicitudinem habeam pro vobis, & pro iis qui ſunt Laodiciæ, & quicunque non viderunt faciem meam in carne.* Quæ verba licet alium in ſenſum detorquere nitatur Theodoretus, contendens Paulum Coloſſenſibus Evangelium annuntiaſſe: nihilominus evidentiora ſunt, ut Theodoreti ſententiæ favere poſſint; ſignificat enim Apoſtolus ſe non minorem Coloſſenſium & cæterorum, a quibus nunquam viſus fuerat, curam ſalutis habere, quam eorum quibus præſens Chriſtum prædicaverat. Accedit quod Paulus in tota Epiſtola nuſquam ſignificat, ſe Coloſſenſibus Evangelium prædicaſſe, quin potius paulo poſt Epiſtolæ exordium, ubi locus erat id commemorandi, non a ſe, ſed ab Epaphra Coloſſenſes Chriſti fide & doctrina imbutos aſſerit: *Sicut*, inquit, *didiciſtis ab Epaphra cariſſimo conſervo noſtro, &c.* Et in Epiſtola ad Philemonem Coloſſenſem, *Spero per orationes veſtras donari me vobis*: non enim ait *reſtitui* ſicut ad Hebræos cap. ult. ſed *donari* quaſi apud eos nunquam fuiſſet. Itaque cum Paulus Phrygiam peragraret, Epaphram Coloſſas delegavit, ut ibi Chriſti fidem & Evangelium diſſeminaret: quod utique munus ita feliciter implevit, ut Coloſſenſes modico tempore, repudiatis idolis, Chriſto nomen dederint, & tantum in piis operibus ac vitæ ſanctimonia profecerint, ut ea de re ipſis adblandiri & Deo gratias agere, non dubitaverit Apoſtolus his verbis, cap. I. v. 3. *Gratias agimus Deo & Patri Domini noſtri Jeſu Chriſti ſemper pro vobis orantes, audientes fidem veſtram pro Chriſto Jeſu, & dilectionem quam habetis in ſanctos omnes, &c.*

Occaſio autem & motivum ad eos ſcribendi; Paulo fuit, quod poſt acceptam Evangelicam doctrinam a Pſeudo-Chriſtianis, maxime Simonianis, virulentis dogmatibus fuiſſent ineſcati. Illi namque hæretici, uti Epheſi, ita Coloſſis, & alibi Evangelico tritico diſſeminato ſuperſeminantes zizania docebant non Chriſtum, ſed Angelos noſtræ ſalutis eſſe mediatores & reconciliatores apud Deum, per quos antiquitus in veteri Teſtamento Deus ſe hominibus manifeſtare, & omnia peragere ſolebat. Filium autem Dei majorem, quam ut eo mediatore atque interceſſore ac deprecatore uti nobis liceat. Accedebant obſervationes, & ſuperſtitiones tam Judaicæ, quam Græcæ, ſive ab iiſdem Auctoribus introductæ, ſive ab aliis acceptæ, Philoſophis ſcilicet, ac Judæis; ſed ab Evangelio, quod ſemel receperant, prorſus diſſentaneæ. His gliſcentibus pravis dogmatibus, occurrere pro ſuo zelo & munere Apoſtolico cupiens S. Paulus, hanc ad eos direxit Epiſtolam, cujus præcipuus ſcopus eſt, demonſtrare Chriſtum revera Mediatorem Dei & hominum, noſtræque ſalutis Sequeſtrem, ad cujus vitæ exemplar noſtra ſit conformanda.

V. Unde duplex præcipua eſt & capitalis hujus Epiſtolæ pars; in quarum *prima* Chriſti prædicat excellentiam & principatum ac primatum ſuper omnia, qui tametſi Deo Patri in omnibus ſit æqualis, utpote imago Dei inviſibilis, primogenitus omnis creaturæ in quo condita ſunt univerſa in cœlis & in terra, omnia quippe in ipſo & per ipſum creata ſunt; nihilominus dignatus eſt fieri caput corporis Eccleſiæ ut pacificaret omnia per ſanguinem crucis, ſive quæ in terris, ſive quæ in cœlis ſunt, ut explicat cap. I. Hinc ut declarat cap. II. Chriſtus in cruce deleto peccati chirographo de Diabolo triumphavit, ut nos ab ejus tyrannide eriperet, eſſetque nobis unus Auctor Salutis, in quem

pro-

proinde unice sperare, & intendere debeamus repudiato inani Angelorum cultu, & ablegata vana philosophorum doctrina & Mosaicæ Legis observantia. Aliis vero duobus capitibus, egregia tradit Christianæ vitæ instituendæ præcepta, ostendens in tertio exuendum esse veterem hominem & Christum induendum. Deinde ad finem usque præscribens singulis sua erga se invicem officia.

Scripta est hæc Epistola eodem anno quo præcedens, secundo scilicet incarcerationis Pauli cujus meminit in fine hujus Epistolæ dum ait: *Memores estote vinculorum meorum*. Dedit autem ipsam Epistolam Tychico, quem anno quoque superiori Ephesum mittens, ut apparet ex II. ad Timoth. IV. eidem ad Ephesios Epistolam dederat. Porro hi qui deferebant literas Apostolicas, non solum tabellariorum, sed etiam legatorum fungebantur officio, ut ad superiorem Epistolam diximus, quod maxime apparet de Tychico ex cap. IV. hujus Epistolæ.

§. IV.

De duabus Epistolis ad Thessalonicenses.

VI. THessalonica civitas Macedoniæ metropolis fuit, quæ prius *Halis* dicta, deinde a Philippo Amyntæ filio *Thessalonica* vocata est, vel quia in ea Thessalo vixerat; vel ut conjicit Strabo, a Thessalonica uxore sua. Illuc ut legimus Act. XVII. Paulus & Silas Philippis egressi, cum perambulassent Amphipolim & Apolloniam Macedoniæ civitates, venerunt; & Judæis ibi Sanagogam habentibus, ac Gentilibus Evangelium annuntiarunt. Quanta autem alacritate animi Thessalonicenses susceperint a Paulo prædicationem Evangelii, idem ipse his verbis significat dicens I. Thessal. I. & II. *Evangelium nostrum non fuit ad vos in sermone tantum, sed in virtute & Spiritu S. & in plenitudine multa: sicut scitis quales fuerimus in vobis propter vos. Et vos imitatores nostri facti estis & Domini, excipientes verbum in tribulatione multa cum gaudio Spiritus Sancti: ita ut facti sitis forma omnibus credentibus in Macedonia, & in Achaia, &c.*

Hæc cum cognovissent Judæi Mosaicæ legis Zelatores, assumentes de vulgo viros quidem pessimos, turba facta concitaverunt civitatem Thessalonicensem adversus Paulum: Quamobrem clam a fratribus dimissus fugit Athenas, remanentibus ibi Timotheo & Sila, quos cum ad se paulo post Athenas advocasset Paulus, ad eumque pervenissent non jam Athenis, sed Corinthi agentem, ut refertur Act. cap. XVIII. v. 5, & Paulo renuntiassent, quanta constantia inter domesticas persecutiones, in accepta fide Thessalonicenses permansissent, missa ad eos gratulatoria Epistola, eorum perseverantiam ac illustrem in pietate & sanctimonia profectum, ac erga se affectum vere filialem collaudat, maxime cap. III. ubi inter cætera scribit: *Nunc autem veniente Timotheo ad nos a vobis, & annuntiante nobis fidem & charitatem vestram, & quia memoriam nostri habetis bonam semper desiderantes nos videre, sicut & nos quoque vos, ideo consolati sumus fratres in vobis.*

Unde duplex hujus Epistolæ scopus est, *Primus* quidem congratulari fidei & patientiæ, ac tum erga se, tum erga cæteros verbi divini ministros observantiæ ac charitati. *Secundus* vero adhortari eos ad perseverantiam, tum in fide tum in sanctimonia, maxime ut caveant ab omni immunditia, charitatis officia erga se invicem sedulo exhibeant. Certi de mercede in generali resurrectione a Christo suscipienda, ac in omnibus suis præfectis obsequentur; maxime vero Timotheo, quem ad eos una cum Epistola remiserat: *Misimus*, inquit cap. III. *Timotheum fratrem nostrum, & ministrum Dei, in Evangelio Christi ad confirmandos vos & exhortandos pro fide vestra.*

Hanc Epistolam inter omnes Paulinas, tempore primam esse censet ejus commentator titulo Anselmi, cui plerique docti Interpretes suffragantur: constat enim scriptam esse non multo postquam ad fidem conversi essent Thessalonicenses, statim post adventum Timothei a Thessalonicensibus ad Paulum Corinthi agentem; siquidem cum audiisset Apostolus Thessalonicenses gravissimis persecutionibus conflictari, metuens ne propter afflictiones animo commoverentur, statim delegavit ad eos Timotheum, ut illos in fide confirmaret, atque in persecutionibus consolaretur; nulla autem ante id tempus Epistolarum Pauli scripta videtur.

VII. Secundæ ad Thessalonicenses scribendæ Epistolæ, triplex Paulo fuit occasio, *Prima* quod cum eos revisere statuisset, & spem fecisset in priori Epistola cap. III. v. 10. his verbis: *Nocte ac die abundantius orantes ut videamus faciem vestram, & compleamus ea quæ desunt fidei vestræ.* Variis tamen negotiis aliunde distractus; ac forte etiam imminentibus periculis prohibitus, cum stare non potuisset per annum integrum promissis: id per Epistolam supplendum censuit, quod præsens esset impleturus. Unde priori hujus Epistolæ capite in id maxime collineat, ut Thessalonicenses fideles, quos variis calamitatibus jactatos audierat, ad constantiam & perseverantiam accenderet; adiiciens eos merito patientiæ amplissimum accepturos æternæ fœlicitatis præmium, eorum vero persecutores in futuro adventu Domini & universali hominum judicio pœnas daturos.

Insuper cum in præcedente Epistola cap. IV. v. 15. de ipso futuro Christi adventu ad Judicium sermonem faciens dixisset, *Quia*

nos qui vivimus qui residui sumus in adventum Domini, non præveniemus eos qui dormierunt; Quibus significare videbatur brevi futurum generale judicium; quippe cum ipso vivente istud eventurum veluti significaret, admonens quoque Thessalonicenses cap. V. ut ad illum diem, sicut fur in nocte venturum, vigilarent. Suspicantes illi jam illum diem Domini instare, graviter angebantur, timoremque eorum insuper augebant Pseudo-Apostoli quidam, quos alibi idem Paulus suggillat, quod quæstum pietatem putarent, qui cum Thessalonicenses timore hanc ob rem concussos accepissent, quo illos ad sua bona largienda redderent promptiores, confirmabant novissimum instare mundi finem; tum ex revelatione quam sibi divinitus ea de re factam affirmabant; tum ex supposititia & ementita Epistola, nomine Pauli interposito. Quæ cum accepisset Paulus his malis quanto citius festinans occurrere, hanc ad eos scripsit Epistolam, ut ab inutili & vano eo timore illos revocaret, ostendens cap. II. non prius Christum ad Judicium venturum, quam apparuerit homo peccati, filius perditionis, idest, Antichristus, per Christum in illius adventu destruendus: *Rogamus autem vos fratres per adventum Domini nostri Jesu Christi, & nostræ congregationis in ipsum: ut non moveamini a vestro sensu, neque terreamini, neque per spiritum, neque per sermonem, neque per Epistolam, tanquam per nos missam quasi instet dies Domini, &c.* Denique cum intellexisset nondum emendatos esse eos quos in Epistola priori notaverat, ut otiosos & inquietos; nec non ab Evangelicæ doctrinæ puritate deviantes; nunc acrius eos verbis castigat cap. III. fideles admonens ut se substrahant ab illis fratribus inordinate ambulantibus, qui nihil operantes sed curiose agentes, ex Evangelio pecuniarum lucrum captabant.

§. V.

De duabus Epistolis ad Timotheum.

VIII. TImotheum patria ut putant Thessalonicensem, nam Thessalonicensibus additur Act. XX. v. 4. patre Gentili & Græco, matre vero Judæa sed Christiana, nomine *Eunice* oriundum, Pauli discipulum & præ cæteris ab eo ob eximiam indolem & egregias virtutes dilectum & commendatum, præfecerat Apostolus, tametsi adhuc juvenem & adolescentem Ephesiorum Episcopum, cum inde ob excitatam in eum gravem persecutionem discedere coactus est. Nam Timotheum primum omnium obtinuisse Episcopatum Ecclesiæ Ephesinæ affirmat Eusebius [a] & Sophronius apud Hieronymum [b] unde etiam S. Paulus ad eum scribens jam ordinatum Episcopum significat, quando quidem quæ essent Episcopi munera ab eodem exercenda præscribit: nam in prima Epistola cap. V. *Adversus Presbyterum*, inquit, *accusationem noli recipere, nisi sub duobus aut tribus testibus*. Et paulo post: *Manus cito ne imposueris*. Jubet etiam ille, ut per alias urbes Episcopos constituat & ordinet, quæ nedum Episcopi, sed etiam Archiepiscopi, munia sunt.

[a] *lib. 3. cap. 4.*

[b] *in catalogo virorum illustr.*

Causa autem ad eum scribendi primam Epistolam ea potissimum fuit, tum ut testaretur sincerum suum erga illum affectum: Tum ut illum quæ optimi Ecclesiæ Pastoris & Doctoris munia edoceret quatenus ab illo omnes Ecclesiæ Antistites offici sui recte administrandi præcepta acciperent, nec solum diligentissime curarent ipsas oves, sed etiam incursantes lupos arcerent. Quamobrem præmissa gratulatoria salutatione, commonefacit, eum ut sedulo invigilet contra Pseudo-Apostolos, qui genealogiis & fabulis Judaicis intendentes, a sincera & simplici Evangelica doctrina fideles avocabant: *Volentes*, inquit cap. I. v. 7. *esse legis Doctores, non intelligentes neque quæ loquuntur, neque de quibus affirmant*. Præcepit deinde publicas orationes pro omnibus fieri, etiam pro Principibus Ethnicis, ut sub eis vitam tranquillam & quietam agerent, subjungens obiter quæ viros deceat modestia, quæve mulieres, tum in vestimentis cum in conversationibus, maxime in Ecclesiis. Mox tertio capite quales ordinandi sint Episcopi & Diaconi præscribit. Sequenti vero capite, præmunit Timotheum, & alios Ecclesiæ Pastores, adversus instantes hæreses, præsertim Encratitarum & Marcionitarum superstitiosum ciborum delectum sectantium & matrimonium vituperantium. Quinto tandem & sexto capite docet qualiter sese gerere debeat erga cujuscunque sexus, ætatis, conditionis, homines sibi subditos: deinde quæ veræ divitiæ sint sectandæ, quæ pariter virulenta vitanda Hæreticorum dogmata.

Hanc Epistolam anno Christi LVII. e Macedonia scriptam testatur Baronius ad hunc annum; quo vero speciali loco exarata fuerit, non constat: nam quod aliqui Recentiores comminiscuntur illam e Laodicea quæ civitas est Asiæ minoris, missam; nullum habet probabilitatis indicium, præsertim cum ipsemet Apostolus in Epist. ad Colossenses longe posterius scripta cap. II. affirmet se Laodicensibus visum non fuisse. Et insuper Apostolus cap. I. v. 3. non obscure significat hanc Epistolam in Macedonia fuisse scriptam, ait enim: *Rogavi te ut remaneres Ephesi cum irem in Macedoniam, &c.* Si autem alibi stetisset dum ista scriberet, hauddubie indicasset.

IX. Secundam ad Timotheum Epistolam omnium prima fronte postremam scripsisse videtur Apostolus, cum Romæ detineretur in vinculis, & jam passioni ac morti esset proximus, idque significare videtur his verbis cap. IV. *Ego enim jam delibor & tempus*

pus resolutionis meæ instat. Hæc etiam pene omnium est Interpretum sententia, quam pariter tradit Eusebius: at Baronius ad annum Christi 59. num. 13. & nonnulli Recentiores re maturius ponderata, existimant hanc Epistolam inter eas quæ Romæ datæ sunt, aut primam esse aut secundam, tertio scilicet, aut quarto Neronis anno, novem circiter aut decem annis ante Pauli obitum. Cum enim Romam recenter advenisset, Timotheum omnium discipulorum charissimum statim de rebus suis certiorem reddere voluit: maxime de sua apud Neronem defensione, cujus meminit cap. IV. v. 16. addit v. 17. *Dominus autem mihi astitit & confortavit me ut per me prædicatio impleatur, & audiant omnes Gentes, &c.* Quibus significat se reservari ad implendum prædicationis officium in Gentibus. Deinde si novisset se cum ista ad Timotheum scriberet proxime martyrium consecuturum, hauddubie in Epistola quam postea scripsit ad Philippenses suum ad eos non polliceretur adventum, cum ait cap. II. *Confido autem in Domino, quoniam & ipse veniam ad vos cito*, neque diceret cap. I. *Coarctor autem e duobus, desiderium habens dissolvi & esse cum Christo, multo magis melius: permanere autem in carne, necessarium propter vos. Et hoc confidens scio, quia manebo & permanebo omnibus vobis ad profectum vestrum & gaudium fidei.* Denique nonnulla in hac Epistola plane arguunt recentem illius in urbem Romam adventum, ut illa cap. IV. *Penulam quam reliqui Troade, veniens affer tecum. Erastus remansit Corinthi. Trophimum autem reliqui infirmum Melitæ, &c.* Quod autem huic conjecturæ non obsint verba illa: *Ego jam delibor &c.* Apparet, non enim his verbis significat quod brevi martyrio esset immolandus, sed quod cum jam senex esset, & incertus quandiu futurus esset superstes, mortem velut in prospectu habebat; ac ut Christi victima, jam per tetros carceres & graves adversariorum impetus, incipiebat immolari.

Ad argumentum Epistolæ quod spectat, idem pene est cum priori. Primo namque post obtestatum suum erga Timotheum vere paternum affectum, iterum quæ legitimi & optimi Pastoris munia sint, tum erga oves, tum erga seipsum edocet, nempe instanter & intrepide Evangelium annuntiare, atque ex Scriptura sacra, sanam doctrinam docere, fideles exhortari, peccatores arguere, & confutare ac vitare Hæreticos, necnon & profanorum ac inutilium dogmatum magistros, quorum astus & vafritiem graphice depingit.

Missam fuisse hanc Epistolam, aut simul cum ea quæ ad Ephesios scripta est, aut non multo post, idque ante tres alias pariter in vinculis datas, videlicet ad Philippenses, ad Colossenses & ad Philemonem, argumentum est, quod in hac Timotheus a Paulo Romam vocatur; in illis vero Timothei nomen adscribitur velut Romæ existentis, & earum Epistolarum cum Paulo conscriptoris; insuper in hac Marcus jubetur assumi Romam venturus: hic autem & in Epistolis ad Coloss. & ad Philemonem, unus est ex salutantibus.

§. VI.

De Epistola ad Titum.

X. TItus utroque parente Gentilis & Græcus; patria, ut videtur Chrysostomo, Corinthius, a Paulo ad Christi fidem conversus, ejusque peregrinationum socius, ac prædicationis Evangelicæ insignis adjutor & Interpres, ait S. Hieronymus [a]. Cujus officio adeo Paulus opus habuisse videtur, ut absentia Titi non modicum detrimentum ejusdem prædicationi attulisse, ipsemet ad Corinthios scribens, his verbis testatur [b]: *Cum venissem Troadem, propter Evangelium Christi, & ostium mihi apertum esset in Domino, non habui requiem spiritui meo, eo quod non invenerim Titum fratrem meum: sed valefaciens eis, profectus sum in Macedoniam.* Ubi Titum *fratrem* appellans, significat eum fuisse Coapostolum, ac ministerii prædicationis Evangelicæ consortem, necnon & Episcopum: solet enim Apostolus cæteros Fideles, Episcopis inferiores, non *fratres*, sed *filios* appellare.

Hunc totius Insulæ Cretensis, nec non vicinarum Insularum Archiepiscopum Paulus instituit, forte in eo itinere, quando ab Hierosolymis Romam tractus, Act. XXVII. 7. Illac transivit; multi enim erant qui amore Pauli se navigatione ejus addiderunt comites, quorum fuere *Tychicus* & *Trophimus* & *Titus*. II. ad Timoth. IV. v. 10. & 20. cum autem appulissent ad Cretam insulam, Paulus videns ibi Ecclesiarum initia, ex illa forsan Fidelium dispersione, quæ post Stephani Martyrium contigit, ut huic Ecclesiæ nascenti pro suo zelo vere Apostolico provideret Paulus, Titum ibi Archiepiscopum creavit; ut illius Ecclesiæ filios foveret, & novis fidei incrementis, totam Insulam vicinasque in Christi militiam adscriberet, ut ipse declarat his verbis cap. I. v. 5. *Hujus rei gratia reliqui te Cretæ, ut ea quæ desunt, corrigas, & constituas per civitates Presbyteros, sicut & ego dispositi tibi.* Ubi nomine *Presbyterorum* Episcopos intelligere se statim declarat, subiiciens: *Oportet enim Episcopum sine crimine esse, &c.* Nam ex conjunctione illa causali, *enim*, manifestum est, quod de iis loquatur. Neque mirum videri debet quod jubeat Apostolus, plures Cretæ constitui Episcopos, erat enim Creta, licet Insula, populis & urbibus ad stuporem fre-

[a] *Epist. 51. q. 11. ad Hebad.*

[b] 2. *Cor.* 2. *v.* 12.

frequens; urbes enim centum continebat, juxta illud Poetæ: *Urbes centum habitat magnas ditissima regna*: ideoque ab Homero *Iliad.* 2. Creta dicta est *Hecatumpolis*.

Porro in hac Epistola id potissimum intendit Paulus, ut Titum, quem jam viva voce Episcopi & Pastoris munia docuerat, eadem scriptis iterum refricaret. Itaque sicut Timotheum duabus Epistolis, ita Titum hac una instruit, qualiter sibi commissum pastorale munus debite implere debeat; hæ enim tres Epistolæ Pontificales, ejusdem sunt argumenti, sibique persimiles; unde S. Augustinus [a], cum meminisset Epistolæ ad Titum & utriusque ad Timotheum ait: *Quas tres Epistolas ante oculos habere debet, cui est in Ecclesia Doctoris persona imposita.*

[a] *lib. 4. de Doct. Christ. cap. 16.*

Quare autem multo brevius ad Titum scribat, quam ad Timotheum, ea ratio & conjectura afferri potest, quod Titus, ut ætate provectior, ita & Ecclesiasticis rebus gerendis erat exercitatior; Timotheus vero cum junior esset, sic etiam pluribus erat informandus. Tametsi idem pene sit utriusque Epistolæ argumentum. *Primo* namque hic admonet Titum qualiter sese gerere debeat in seligendis & ordinandis sacris Ecclesiæ Ministris. *Deinde* ipsum instruit quid senes, anus, adolescentulas, juvenes servos, verbo & exemplo docere debeat. *Tandem* docet Christianos, Principibus & Magistratibus etiam Ethnicis, in iis omnibus quæ fidei ac saluti non repugnant, esse obedientes & subditos, sicut & erga quoslibet pacificos, modestos, ac mansuetos: memores semper benignitatis & misericordiæ Dei, qui salvos nos fecit per lavacrum regenerationis & renovationis Spiritus S. non ex bonis operibus quæ fecimus, sed secundum suam misericordiam. Curent pariter alienos esse ab Hæreticorum commercio, & vitandas quæstiones, & genealogias, & contentiones, & pugnas Legis, quæ sunt inutiles & vanæ.

Videtur autem scripta hæc Epistola eo tempore, quo S. Paulus liber erat a vinculis, & serviebat Evangelio; hic enim vinculorum suorum non meminit. Ubi vero eam ediderit, non est compertum; tametsi verosimile sit illum eam exaravisse, quando propositum illi erat transire in Epirum. Epirus enim non alia est ab ea civitate cui propinquus erat Paulus, cum hæc scriberet, & quæ ab Actiaca Augusti victoria *Nicopolis* dicta est; hoc enim significat, dum cap. III. v. 12. Tito mandat: *Festina ad me venire Nicopolim, ibi enim statui hyemare*: non dicit *hic*, sed *ibi*, quia illuc jam proxime tendebat.

Fuit Titus morum innocentia & sanctimonia illustris; adeoque illibatam virginitatem tota vita servavit, teste S. Ignatio Epist. ad Philadelph. atque etiam animarum salutis procurandæ studiosissimus. Unde non solum Cretensem populum plurimis vitiis, præsertim mendacio, voluptatibus corporeis, & somnolentiæ deditum ad meliorem frugem reduxit; sed etiam, mandante Apostolo, fidem Evangelicam in Dalmatia disseminavit, ut patet II. ad Timoth. IV. v. 10. Cum autem multas Ecclesias ibi erexisset, tandem in Cretam reversus, sancte mortuus est, anno ætatis nonagesimo quarto, ibidemque sepultus, ut ex S. Hieronymo docet Baronius in Martyrologio.

§. VII.

De Epistola ad Philemonem.

XI. Scripsit hanc Epistolam S. Paulus, dum Romæ esset in vinculis, ad Philemonem amicum atque hospitem suum Colossensem, cujus domum velut Ecclesiam ipse sacraverat; in ea namque Fidelium synaxes egerat: unde hæc postmodum in Templum erecta ad Theodoreti usque tempora perseveravit. Scribendi causa hæc fuit, ut Onesimum Philemonis servum, hero suo reconciliaret; is enim ab hero, rebus, uti putant, quibusdam furto ablatis, Romam cum profugisset, & S. Paulo Evangelium Christi illic magna gloria docenti, se-se adjunxisset, institutus fuit ab eo & Christianæ Religionis mysteriis initiatus: jam autem Fidelem tam Christo, quam suo hero, & in pietate Christiana pleniſſime confirmatum, remittere eum Philemoni, Paulo visum fuit. Remisit autem cum hac Epistola commendatitia, qua enixe Philemonem deprecatur, ut fugitivum servum jam revertentem & omnino immutatum, benigne suscipiat.

Quod cum difficile Paulo videretur, apud Dominum justissimis de causis vehementer iratum, omni orationis artificio eum aggressus est, ut quod volebat ab eo, vel eblandiretur, vel extorqueret. *Primo* namque exponit ardentissimum suum erga hunc novum Discipulum charitatis & amoris affectum: nam & *filium dilectissimum* sæpius, & *viscera sua*, adeoque *ipsum se* appellat, quo nihil efficacius dici potest, aut ardentius. Neque vero verbis solum, ac precibus sibi pro eo agendum putavit, sed cum rei familiaris jactura, non mediocriter accensum Philemonem sciret, soluturum se pro eo, omnia recipit in hac Epistola, quæcunque ille Domino ulla ex causa deberet. Nec vero dubium quin Pauli precibus Philemon annuerit, ac plus etiam præstiterit quam rogatus esset; nam manu missum fuisse Onesimum ex eo constat, quod postea Timotheo in Episcopatu Ephesiorum successerit, uti liquido probat S. Ignatius *ad Ephesios Epistola*, in qua Onesimi ut illorum Episcopi honorifice meminit.

XII. Non defuerunt, testibus SS Chrysostomo & Hieronymo, qui negarent hanc Epi-

Epistolam inter Scripturas sacras esse reponendam, cum propter humilitatem argumenti, eo quod ad hominem privatum, ac de re familiari ac domestica scripta sit: tum propter illius simplicitatem & brevitatem. At inquit S. Hieronymus [a], qui hæc effutiunt: *Saltem Auctore Marcione doceantur. Qui cum cæteras Epistolas ejusdem, vel non susceperit: vel quædam in his mutaverit atque corroserit, in hanc solam manus non est ausus mittere: quia sua illam brevitas defendebat. Sed mihi videntur, dum Epistolam simplicitatis arguunt, suam imperitiam prodere, non intelligentes quid in singulis sermonibus virtutis ac sapientiæ lateat, quæ orantibus vobis, & ipso nobis Sancto Spiritu suggerente, quo scripta sunt, suis locis explanare conabimur. Si autem brevitas habetur contemptui, contemnatur Abdias, Nahum, Sophonias, & alii duodecim Prophetarum, in quibus tam mira, & tam grandia sunt quæ feruntur, ut nescias utrum brevitatem sermonum in illis admirari debeas, an magnitudinem sensuum. Quod si intelligerent hi qui Epistolam ad Philemonem repudiant, nunquam brevitatem despicerent, quæ pro laciniosis Legis oneribus, Evangelico decore conscripta est, tum breviatum consummatumque sermonem facit Dominus super terram.*

[a] in præmio.

Plures hujus Epistolæ utilitates recenset S. Chrysostomus, quarum præcipuæ sunt: *quod* nullum hominem quantumvis infimæ sortis, contemnamus. *Deinde* non esse de servorum ingenio desperandum docet, quia non modo ad frugem reverti; sed etiam virtute ac laude præstare possint. Rursum ait alibi [b]: *Ex hac utilitate manat & illa, quod non debeamus servorum aut infimorum hominum, si modo probi honestique sint, consuetudine erubescere; cum S. Paulus ille Princeps Apostolorum tanti servum Onesimum, eundemque fugitivum mutato in melioris vitæ instituto fecerit.* Simul etiam aliam rationem hic intelligimus, quod cum Paulo totius Orbis terrarum cura in Evangelio propagando incumberet, non neglexit tamen vel singulos, eosque viles ac servos.

[b] homil. 5. in cap. 2. ad Coloss.

XIII. Neque est quod quis hanc Epistolam, ob illius simplicitatem & brevitatem Apostoli Pauli esse inficiatur. Inde namque merito jure inter Epistolas Paulinas sibi primas vendicare deberet; siquidem hæc genuinos Epistolæ characteres a veteribus Sapientibus traditos præcipue obtinet; nam, ut scribit ex Aristotele Demetrius Phalereus, In doctissimo suo libro de eloquentia, *Si aliquis in sophismata Epistolas scribit, & naturæ rationes; scribit ille quidem, non tamen scribit Epistolam: expressio enim quædam amoris esse debet Epistola concisa, & de re simplici exposita, & in nominibus simplicibus*; Ubi quatuor characteres epistolæ tribuit, quæ omnia in hac S. Pauli Epistola sic expressa sunt, ut fingi nihil possit convenientius. Nam φιλοφρόνησις quidem illa, quam mox appellat φιλικὰς φιλοφρονήσεις, *amicabiles blanditias*: in iis hæc versari Epistola conspicitur, atque elucet, tum maxime in exordio ipsius. Similiter συντομία sive *brevitas*, quam ille secundo loco ponit, ipsa sese ostendit nobis tacentibus. Qua dote præcipue commendatæ olim fuerunt Bruti Epistolæ, qui in hoc genere scriptionis omnibus & Græcis & Latinis præstitisse a Philostrio judicatus est. Unde Photius *in Bibliotheca*, ubi de Phrinicho, refert & Marcianum eum, qui Critica conscripsit, Platone atque Demosthene despecto, Bruti Romani Epistolas prætulisse, atque hunc pro forma omnis in dicendo virtutis statuere.

Jam vero hujus Epistolæ simplicitas rerum atque argumenti sic occurrit, ut tamen in ea summum Pauli artificium atque ingenium clarissime demonstret. Hæc omnia perbelle explicat hic Erasmus, qui utinam ubique, quemadmodum in hoc loco, reli-
„ giose & christiane scripsisset: Declarat,
„ *inquit*, hæc Epistola quantumlibet bre-
„ vis, Paulum hominem fuisse singulari
„ quadam præditum humanitate, qui tanto
„ studio servum fugitivum commendaverit,
„ & ei commodaverit obsecrans & obte-
„ stans, cui pro sua auctoritate, proque
„ meritis in illum poterat imperare quod
„ rogat. Deinde quid festivius etiam dici
„ poterat, vel ab ipso Tullio in hujusmodi
„ argumento? Nisi quod quidam no mine
„ duntaxat Christiani, animo infensissimi
„ Christo, nihil eruditum putant, nihil ele-
„ gans, nisi quod idem sit Ethnicum; &
„ universum sermonis florem semel per se
„ existimant si quid de Christo fuerit ad-
„ mixtum, quod illius sapiat doctrinam:
„ cum ea vel prima sit eloquentiæ pars
„ sermonem rebus accommodare. Quo ma-
„ gis etiam admiror ullos de hac Epistola
„ dubitasse num Pauli esset, cum pro ra-
„ tione modoque argumenti, nihil esse ma-
„ gis Paulinum possit. *Hæc ille*,

CA-

CAPUT SEXTUM.

De Epistola ad Hebræos.

I. *Cujus sit Auctoritatis Epistola ad Hebræos.*
II. *In Ecclesia jamdiu veluti Canonica habita fuit hæc Epistola.*
III. *Argumenta in hujus Epistolæ Canonicitatem referuntur & dissolvuntur.*
IV. *De Auctore Epistolæ ad Hebræos.*
V. *Confutantur eorum opiniones, qui epistolam hanc alteri a Paulo adscribunt.*
VI. *Refutantur argumenta contra catholicam sententiam instituta.*
VII. *Ad quosnam data sit hæc Epistola.*
VIII. *Qua lingua eamdem scripserit Apostolus?*
IX. *Verosimile in Græco idiomate eamdem fuisse exaratam.*
X. *Quisnam fuerit hujus Epistolæ scopus?*

§. I.

De Auctoritate Epistolæ ad Hebræos.

I. QUatuor potissimum circa hanc, *Pauli* nomine inscriptarum Epistolarum postremam, occurrunt disquirenda. I. Quæ sit illius auctoritas. II. Quis eam scripserit. III. Ad quos. IV. Qua lingua. Quod ad auctoritatem ejus attinet, S. Hieronymus non uno loco affirmat, hanc Epistolam a veteribus Ecclesiæ Latinæ Patribus, inter Canonicas Scripturas non fuisse deputatam. Sic enim, [a] exponens illud: *Seraphim stabant, &c.* ait: *Paulus in Epistola ad Hebræos, quam Latina consuetudo non recipit.* Et, [b] ad illud; *Ego & pueri mei*; cum rursus hanc Epistolam citaret, ait: *Licet eam Latina consuetudo inter Canonicas Scripturas non recipiat:* Eadem verba habet in Epistola ad Dardanum. [c] Similiter Epist. ad Evagrium, [d] ait: *De Melchisedech plenius est tractatum in Epistola ad Hebræos, quam omnes Græci recipiunt, & nonnulli Latinorum:* ubi dicens illam a Latinorum nonnullis recipi, haud obscure significat a plerisque non admitti. *Rursus* in commentario super Ezechielem, [e] verba quædam ex ea Epistola referens, adiicit: *Si quis tamen eam Epistolam suscipit.* Quibus omnibus aperte declarat, hanc Epistolam sua ætate nondum Canonicam auctoritatem obtinuisse.

Ei præiverat Eusebius, [f] scribens: *Pauli quatuordecim Epistolæ notæ sunt omnibus & perspicuæ: sciendum tamen est Epistolam ad Hebræos a nonnullis ideo esse repudiatam, quod dicerent eam ab Ecclesia Romana pro certa ac genuina Pauli Epistola non haberi.* [g] Et referens Caii viri disertissimi habitam Romæ disputationem temporibus Zephyrini adversus Proclum quendam Cataphrygarum hæresis propugnatorem scribit: *In qua ille dum adversariorum in componendis novis Scripturis temeritatem & audaciam suggillat, tredecim solum divini Apostoli commemorat Epistolas; eam quæ ad Hebræos inscripta est, cum reliquis non adnumerans. Sane hæc Epistola etiamnum a quibusdam Romanis Apostolis esse non creditur.* Hinc olim Catholici Latini Scriptores, hanc Epistolam pro sacra Scriptura non agnoverunt. Nam S. Cyprianus, Lactantius, Arnobius & alii bene multi, ejus (nisi mea me fallat conjectura) non meminerunt. Quamobrem plurimi Hæretici, maxime Arriani, & Aeriani, animadvertentes hanc Epistolam pravis eorum dogmatibus repugnare, eam e catalogo Canonicarum Scripturarum, tanquam adulterinam & suspectam, abjecerunt. Quorum perfidiam phanatici Anabaptistæ, atque alii, Servetianos imitantes, eadem ex causa illam repudiarunt. Quibus ex parte subscribit Caietanus initio Commentariorum in hanc Epistolam, ubi dubiam ejus auctoritatem reddit, dicitque ex ea sola non posse, si quod dubium in fide occurreret, determinari.

II. *Verum* certissimum est hanc Epistolam, ut Canonicam Scripturam ab Ecclesia jam dudum fuisse admissam, ut constat ex omnibus Scripturarum indicibus & sacrorum librorum Catalogis a nobis initio libri quarti memoratis: nam Concilia Laodicenum, Carthaginense III. Romanum sub Gelasio primo, hanc Epistolam inter Paulinas recensent. His adde Innocentium primum, Gregorium Nazian. [h] Amphilochium, [i] Augustinum, [k] Avitum Viennensem in carmine, & omnes posteriores Ecclesiæ Doctores, qui Scripturarum Catalogum texentes, hanc in eo Epistolam recensuerunt. *Accedit* ad hæc, quod Patres passim utantur testimoniis ex hac Epistola depromptis tanquam divinis, non Græci modo omnes, verum etiam Latinorum præcipui, ut Hilarius, Ambrosius, Optatus; imo & Hieronymus ipse, quibus præiverat Clemens Romanus Pontifex, qui in Epistola quam ad Corinthios scripsit, hujus Epistolæ meminit, teste Eusebio: [l] *Illa*, inquit, *Clementis ab omnibus recepta Epistola, quam Ecclesiæ Romanæ nomine, ad Corinthiorum Ecclesiam scripsit. In qua cum multas inserat sententias desumptas ex Epistola ad Hebræos, iisdemque interdum verbis utatur, satis indicat opus illud nequaquam recens esse. Quamobrem cum reliquis Apostoli scriptis non sine causa hoc etiam recensitum videtur.* Hæc Eusebius. Simili-

a *in cap. 6. Isaiæ.*
b *in cap. 8.*
c *Epist. 129.*
d *Epist. 126.*
e *in cap. 28.*
f *lib. 3. hist. Eccles. cap. 3.*
g *lib. 6. cap. 20.*
h *in carmen de Script. authentic.*
i *in carmen ad Seleuc.*
k *lib. de Doctr. Christ. cap. 8.*
l *lib. 3. histor. Eccles. cap. 38.*

a *lib. de pudicit.*

militer Tertullianus a, jam Montaniſtarum errore imbutus, ſcribens adverſus Clerum Romanum, nonnulla citat ex Epiſtola ad Hebræos, tanquam ex Scriptura ſacra, tametſi illam *Barnabæ* attribuat: *Volo tamen*, inquit, *ex redundantia alicujus etiam comitis Apoſtolorum teſtimonium ſuperducere idoneum, confirmandi de proximo jure diſciplinam magiſtrorum, extat enim & Barnabæ titulus ad Hebræos*. Hanc autem Epiſtolam adverſus Clerum Romanum non produceret, niſi ab eo tanquam Scripturam ſacram, ſua ætate receptam noviſſet.

At ne longior ſim in enumerandis cæteris Auctoribus, qui hanc Epiſtolam, ut Scripturam ſanctam, laudarunt. Concludam verbis Theodoreti, qui Arianos hanc Epiſtolam repudiantes ſic perſtringit: „ Nihil faciunt, „ *inquit*, qui morbo Ariano laborant, ſi „ adverſum Apoſtolicas literas furiant, & „ Epiſtolam ad Hebræos a reliquis ſeparent, „ & eam *Adulterinam* appellent. Qui enim „ adverſus Deum, & Salvatorem noſtrum „ linguas movent, quid non auſi fuerunt „ adverſus ejus benevolos & grandiloquos „ veritatis Præcones? Ipſius enim Domini „ vox eſt, *Si me perſecuti ſunt, & vos perſequentur*, oportebat autem ipſos, & ſi „ nihil aliud, temporis quidem certe diuturnitatem revereri, quo hanc Epiſtolam „ in Eccleſiis perpetuo legerunt Alumni veritatis. Ex quo enim literarum Apoſtolicarum fuerunt Eccleſiæ participes, ex „ illo etiam Epiſtolæ ad Hebræos utilitatem recipiunt. Quod ſi ne hoc quidem „ ad eos perſuadendum ſatis eſt, Euſebio „ quidem Palæſtino oportebat eos credere, „ quem Patronum ſuorum decretorum appellant. Nam is etiam diviniſſimi Pauli „ hanc eſſe Epiſtolam confeſſus eſt. Sed iis „ omnibus valere juſſis, adverſus veritatem impudenter decertant, Apoſtolicæ „ Theologiæ, qua. Proœmium exornavit, „ ſplendorem non ferentes. Cum enim non „ poſſent iis, quæ de Unigeniti divinitate „ aperte dicta fuerant refellere, auſi ſunt „ totam Epiſtolam reiicere: cum tamen ejus „ & decreta, & ſententiæ magnam habeant „ cognationem cum aliis ejuſdem Epiſtolis. „ *Hæc ille*. „

III. Argumenta vero quæ tum Hæreticos, tum Cajetanum moverunt, ut huic Epiſtolæ auctoritatem detraherent, præcipua ſunt: *Primo* quod plurimi e SS. Patribus, ut conſtat ex ſupra citatis verbis S. Hieronymi, hanc Epiſtolam uti dubiam habuerint: *Secundo* quod illius Auctor quædam teſtimonia veteris Teſtamenti perperam interpretari videatur: nam initio Epiſtolæ, ut probet Chriſtum eſſe *Filium Dei*, hæc ex II. Reg. cap. VII. uſurpat Dei verba: *Ego ero illi in Patrem, & Ipſe erit mihi in Filium*, quæ non de *Meſſia venturo*, ſed de *Salomone* conſtat eſſe prolata. *Tertio* quia Hæreticis plurimum favet, maxime Arianis & Novatianis. Arianis, inquam, nam de Chriſto loquitur Arianorum inſtar, illum non aſſerens Patri conſubſtantialem, ſeu ejuſdem cum eo ſubſtantiæ, ſed ſplendorem ſubſtantiæ ejus. *Similiter* cum ait: *Tanto melior Angelis effectus, &c.* Quaſi non genitus ſed factus eſſet Angelis ſuperior. Novatianis *pariter* plurimum patrocinatur, nam eorum errori de neganda lapſis reconciliatione conſentire videtur dum ait cap. VI. 4. *Impoſſibile eſt, eos qui ſemel illuminati ſunt... Et prolapſi ſunt: rurſus renovari ad pœnitentiam*. Similiter dum cap. X. negat voluntarie peccantibus poſt acceptam notitiam veritatis non relinqui hoſtiam pro peccato. *Inſuper* cum cap. XII. aſſerit Eſau non inveniſſe pœnitentiæ locum, quamvis cum lacrymis inquiſiſſet eam. *Denique* adſtipulatur inanibus & jejunis Hebræorum Traditionibus, dum cap. IX. ait in Arca Teſtamenti fuiſſe urnam auream plenam manna, & virgam Aaronis quæ frondueraat, & tabulas Teſtamenti, quæ omnino contraria ſunt his verbis III. Reg. VIII. v. 9. *in Arca non erat aliud, niſi duæ tabulæ lapideæ, quas poſuerat in ea Moyſes in Oreb.*

Verum iſta facile diſſolvuntur. *Primum* quidem, neque enim verum eſt eam Epiſtolam a plurimis Patribus dubiam fuiſſe habitam: nam numeroſior & illuſtrior SS. Patrum ac Doctorum cœtus, illam inter divinas Scripturas recenſuit ut conſtat non ſolum ex univerſali hac de re Græcorum ſententia, ſed etiam Latinorum. Nam Græcos Patres quod attinet, prodit inprimis S. Irenæus, qui Reſp. ad Quæſt. 115. paſſim Epiſtolam ad Hebræos ut canonicam in ſubſidium vocat. Et Lib. 2. adverſus Hæreſes; cap. XV. citat verba Heb. I. 3. *Portans omnia verbo virtutis ſuæ*. Lib. 4. cap. XXI. adducit locum Heb. VIII. v. 8. *Ecce... conſummabo Teſtamentum Novum*. Lib. 5. cap. V. profert hunc textum Heb. II. 5. *Fide Henoch translatus eſt ne videret mortem*. Clemens Alexand. in Stromatum Libris, ſæpius etiam utitur Teſtimoniis ex hac Epiſtola petitis, ſub nomine *Pauli*, & *divini Apoſtoli*: uti jam olim obſervavit Euſebius Lib. 6. Hiſt. cap. XIV. ubi etiam Epiſtolam ad Hebræos Pauli eſſe affirmat: ſed addit eam Hebraico ſermone, utpote ad Hebræos, primum ſcriptam: Lucam vero eandem Græco ſermone ſtudioſe interpretatam Græcis hominibus edidiſſe: Quare in ea Epiſtola, & in Actibus Apoſtolorum eumdem dictionis colorem dicit reperiri. Addit Clemens eodem loco cauſas ſuppreſſi in hac Epiſtola nominis *Pauli*, atque *Apoſtolicæ dignitatis*, tum quod cum Hebræis ſcriberet qui ſiniſtram de ipſo opinionem multo antea combiberant, ipſumque ſuſpectum habebant; prudenti conſilio uſus, illos ab hujus lectione ſtatim ab initio appoſita nominis ſui inſcriptione deterrere noluit: Tum quod Chriſtus Dominus velut Æterni Patris Legatus & Apoſtolus miſſus fuerat ad Hebræos uti teſtatur ipſe Matthæi X. *Non ſum miſſus niſi ad oves quæ perierant Domus Iſrael*: Præ modeſtia autem, Paulus, utpote qui ad Gentes erat directus, *Hebræorum Apoſtolum* ſe minime inſcribit, tum ob ſuam erga Dominum reverentiam, tum quod ex abundanti ad Hebræos ipſe Gentium Præ-

co

co & Apoſtolus ſcriberet. Ita Euſebius.

Origenes Clementis Diſcipulus, Homil. 9. in Exod. ex recenſione Genebrardi *Præcipue tamen*, inquit, *Apoſtolus Paulus de intelligentia Tabernaculi, quædam nobis prodit ſcientiæ excelſioris indicia; dicit namque ad Hebræos ſcribens, ubi laudat Hebræorum locum* 9. v. 2. Sic paſſim in Commentariis. Fuſius vero apud Euſebium Lib. 6. cap. 25. cujus locum inferius dabimus.

Conſentit etiam ipſemet Euſebius, qui Lib. III. Hiſtor. cap. XXXVIII. agens de Epiſtola Clementis Romani ad Corinthiorum Eccleſiam, ait: *In qua cum multas inſerat ſententias deſumptas ex Epiſtola ad Hebræos, iiſdemque interdum verbis utatur, ſatis indicat opus illud nequaquam recens eſſe: quamobrem cum reliquis Apoſtoli Scriptis non ſine cauſa hoc etiam recenſitum videtur. Cum enim ad Hebræos Patrio ſermone ſcripſiſſet Paulus, alii Lucam Evangeliſtam, alii de quo nunc loquimur, Clementem, Epiſtolam illam eſſe interpretatum ferunt. Quod quidem verius videtur, cum præſertim, & Clementis, & illa ad Hebræos Epiſtola eundem habeat ſtylum, nec utriuſque Scripti ſententiæ valde inter ſe diſcrepent.* Atque conſtantiſſimam hanc fuiſſe Euſebii ſententiam, monet Theodoretus Præf. Comment. in Epiſt. ad Hebræos. *Nam etiam*, inquit, *Euſebius diviniſſimi Pauli hanc eſſe Epiſtolam confeſſus eſt, & Veteres omnes hanc de ea ſententiam habuiſſe, aſſeruit.* Idem teſtatur Gobarus apud Photium, Cod. 232. *Euſebius*, inquit, *& multa Veterum Patrum turba hanc Epiſtolam Paulinis aliis accenſent.*

S. Athanaſius in Synopſi Script. Lib. 8. Epiſtolam ad Hebræos ex Paulinis decimam facit, ibidemque ſtatuit cauſam cur eam ſcripſerit Paulus: *Poſtquam*, inquit, *ſcripſiſſet Gentibus omnibus, tandem ſcripſit ex Circumciſione Hebræis qui crediderant.* Similiter S. Baſilius Cæſarienſis Cappadociæ Epiſcopus coævus Athanaſio Epiſt. 40. ad Gregorium Fratrem Epiſcopum Nyſſenum, tæpiſſime ſententias ex hac Epiſtola depromptas vocat *Scripturam Apoſtolicam*, & *Dictum Apoſtolicum*. Conſentit etiam Gregorius Nanzianzenus, qui in Carminibus, poſt enumeratos Evangeliorum Libros & Actus Apoſtolicos ſubjungit: *Pauli vero Epiſtola quatuordecim*.

Tandem, ut cæteros omittam, unus pro aliis aderit Epiphanius, qui Hæreſi XLII. de ordine Epiſtolæ Pauli ad Philemonem. „ Apud ipſum (nempe Marcionem) inquit, habetur nona; apud vero Apoſtolum, ultima eſt. Verum in quibuſdam „ Exemplaribus, decima tertia eſt, ante „ eam quæ ad Hebræos ſcripta eſt, locata. „ Alia vero Exemplaria habent eam quæ „ ad Hebræos ſcripta eſt, deciniam, ante „ duas ad Timotheum, & ad Titum, & „ ad Philemonem. Hæreſ. 55. contra Melchiſedecianos: cæterum de ipſo Melchiſedech dicunt, quod ſit ſine Patre, ſine „ Matre, ſine Proſapia, ex Epiſtola Pauli „ ad Hebræos id ipſum comprobare volentes. Ibidem ſpiritualiter non intelligentes „ ea quæ a S. Apoſtolo in Epiſtola ad He„ bræos dicta ſunt. *Hæc ille*. Eundem Paulum hujus Epiſtolæ Auctorem facit Hæreſ. 67. quæ eſt Hieracitarum: & Hæreſ. 69. diſputat contra aſſerentes ipſam Pauli non eſſe, & alibi paſſim.

Græcis Patribus conſentiunt Latini, inprimis vero Clemens Romanus, teſte Euſebio mox laudato, Epiſtolam ad Hebræos aliquoties citat nedum quoad ſenſum, ſed etiam quantum ad verba. Hilarius Pictavienſis Lib. 4. de Trinitate. *Facturam autem*, inquit, *per id quod Paulus ad Hebræos dixerit, tanto melior factus eſt Angelis, &c.* quæ habentur Hebræorum I. 4 Similiter S. Ambroſius, hanc Epiſtolam uſurpat ut Pauli, imo fere totam ſparſim quinque Operum Tomis interpretatur. Subſcribit *S. Paulinus* Epiſcopus Nolanus, SS. Auguſtino & Hieronymo coævus, hanc Epiſtolam citat etiam aliquoties ut Pauli. Eandem Libris ſacris in Canone annumerat. *S. Auguſtinus* Lib. 2. *De Doctrina Chriſt.* cap. 8. ubi quatuordecim Pauli Epiſtolas enumerat. Neque his diſſentit *S. Hieronymus*, tametſi interdum hac in re variaverit. Nam Comment. in Eſaiam 53. *Cæterum, inquit Beatus Apoſtolus, in Epiſtola quæ ad Hebræos ſcribitur*, & Epiſtola 129. ad Dardanum diſerte id ipſum tradit. Concinit *Philaſtrius* Epiſcopus Brixienſis S Ambroſii æqualis, Lib. de Hæreſ. 41. Specialem Hæreſim conſtituit eorum qui Epiſt. ad Hebræos Pauli eſſe inficiantur, quod, inquiebant, I. Rhetorice ſcripta ſit: II. Chriſtum factum dicat: III. Quia favere Novatianis videbatur. Accedit *Gaudenti*, ejus in Epiſcopatu Succeſſor, qui hanc Epiſtolam ut Apoſtoli laudat Serm. 11. & 13. *Rufinus* in Symbolo ad Laurentium, pluries ex hac Epiſtola teſtimonia depromit, & quatuordecim Pauli Epiſtolas enumerat. Idem habet Synodus *Carthaginenſis Tertia:* nec non *Innocentius Primus*, qui Canonicorum Librorum ſeriem referens, Pauli quatuordecim Epiſtolas aſſerit. Ex quibus mirum videri non debet quod omnes alicujus nominis in Eccleſia Latina Scriptores, qui hujus Epiſtolæ meminerunt, eam uti Canonicam Scripturam habuerint, ut, continuata ſerie, ad hanc uſque ætatem fuſiſſime declarat Buxtorfius, cap. 7.

Inde appoſite colligit, I. De hac ad Hebræos Epiſtola, nullam inter Latinos Patres motam fuiſſe controverſiam primis duobus Eccleſiæ ſæculis: *vel* certe ante inclinationem ſecundi: imo vero, inquit, *Pauli* creditam illa ætate conjecimus, I. Ex communi, tum Græcorum, & Eccleſiarum omnium per Orientem, de Canonica Epiſtolæ auctoritate, imo Auctore Paulo, conſenſu ſupra fuſius demonſtrato: II. Ex ſententia & ſuffragio Clementis Romanorum Epiſcopi, quem & citaſſe Epiſtolam, & habuiſſe in Paulinis, & ejus creditum Interpretem ante quidem intellexiimus; III. Quia primum de Epiſtolæ auctoritate, exinde Auctore inter Latinos dubium, videtur demum

mum exortum poſt Marcionis in Italiam adventum, & diſſeminatas Hæreſes ac nefaria Dogmata. Quamquam enim ante Marcionem Ebion, in Pauli Scripta omnia, ut qui a Lege defeciſſet, in Oriente graſſatus eſſet: Marcion ſane in Occidente primus, de Paulinis quibuſdam cautius & occultius dubia Latinis inſtillavit, ſpeciatim in Epiſtolam ad Hebræos, ut interpolatam & adulterinam, ſuis nempe ſomniis adverſam, impuriſſimum os calumnias evomuit. Hæc teſtatur ſupra cap. 6. Epiphanius, Hær. 41. Etiam Hieronymus Proœmio in Epiſt. ad Titum, Tom. 6. Ut enim de cæteris Epiſtolis taceam, de quibus quidquid contrarium ſuo Dogmati viderant, eraſerunt Marcionitæ, nonnullas integras repudiandas crediderunt, ad Timotheum videlicet utramque, ad Hebræos & ad Titum, Ita Tertullianus Lib. 5. contra Marcionem, Pauli Epiſtolas dicit ab illis mutilatas, etiam de numero, & interpolatas.

Cum autem plurimum incrementum Marcionis Hæreſis in Italia, atque demum in Oriente ſuſciperet, hinc labente ſecundo ſæculo, Epiſtola ad Hebræos in dubium cœpit revocari; unde tertio ineunte ſæculo, Caius Eccleſiæ Romanæ Presbyter a reliquis Paulinis, primus e Veteribus Catholicis, hanc ſegregaſſe refertur ab Euſebio. Quæ res nonnullos alios poſtmodum in errorem induxit. Cum autem tertio ſæculo media jam ſui parte lapſo, Novatiani Lapſis pœnitentiam & abſolutionem negandam eſſe contendentes, in cauſæ ſuæ patrocinium proferrent textus ex Cap. ſexto & decimo hujus Epiſtolæ ſic argutantes: Qui non poſſunt renovari per pœnitentiam, illi non ſunt in Eccleſiam recipiendi: ſed tales ſunt, teſte Apoſtolo, ſemel illuminati, & poſtmodum lapſi; igitur, &c. Hunc nodum, Gordium exiſtimantes quidam Catholici, qui ſolvere non valebant, ſecuerunt, negaruntque hujus Epiſtolæ auctoritatem, & ſanctum Paulum illius eſſe Auctorem, eo magis quod nonnullis Latinorum inde a Caio, aut Marcionis temporibus fuiſſet jam ante ſuſpecta.

Ejuſdem controverſiæ novam anſam præbuerunt quarto ſæculo Ariani, qui Chriſti Domini cum divino Patre Conſubſtantialitatem negantes, primum hujus Epiſtolæ Caput in ſui erroris patrocinium advocabant, maxime Verſiculum tertium, ubi Dei Filius dicitur *Splendor gloriæ*, & *Figura Subſtantiæ ejus*: unde colligebant Ariani Filium eſſe quid participatum, atque Patre minus, & ad eum ſe habere, ut radium ad Solem, & ut imaginem ad prototypum: quod inſuper aliis textibus ex hac Epiſtola depromptis confirmabant, maxime vero ex Verſu 4. ubi ex voce γενόμενος, Chriſtum factitium eſſe Deum blaſphemabant. Hac occaſione factum eſt, ut ad ea Arianorum tela declinanda, quidam Latini Anteceſſorum exemplo permoti, hanc Epiſtolam Pauli genuinum fœtum eſſe negarent. Hinc S. Hilarius Lib. 4. de Trinit. & Baſilius luculente Epiſtola ad Nyſſenum Fratrem, quæ eſt 43. has Apoſtoli phraſes explicare, & ad ſenſum Catholicum vendicare ſtuduerunt: quos demum ſecuti ſunt alii SS. Patres & ſacri Interpretes. Neque quidquam movere debet, quod nec S. Cyprianus, nec Arnobius, nec Lactantius eam citarint: Nam quod ad Cyprianum attinet, cum Tertullianum ſemper præ manibus habuerit, eumque *Magiſtrum* nominare conſueverit, haud mirum, quod fuerit obſequutus Tertulliano (qui cum illam Epiſtolam non Pauli, ſed Barnabæ adſcriberet; aliunde vero conſtaret Cypriano, Barnabam non fuiſſe illius Auctorem utpote qui unius duntaxat, & omnino ab hac alienæ Epiſtolæ Conſcriptor vulgo diceretur) non potuit hanc, his præventus præjudiciis non dubiam & ſuſpectam habere. Quod vero Arnobius & Lactantius illius non meminerint, in promptu occurrit ratio; hi namque cum adverſus Gentes ſcriberent, nequaquam uſi ſunt divinæ Scripturæ teſtimoniis, quibus illæ non crederent, ſed potius Gentilium ſcriptis & rationibus. Hinc Lactantius, [a] Cyprianum ſuggillat, quod agens adverſus Demetrianum Proconſulem Ethnicum: *Materia*, inquit, *non eſt uſus, ut debuit; non enim Scripturæ teſtimoniis, quam ille utique vanam, commentitiam putabat, ſed argumentis & ratione fuerat refellendus*.

[a] *lib. 5. cap. 4.*

Ad dicta S. Hieronymi quod ſpectat, ingenue fatentur aliqui, illum iſta paulo liberius & indeliberatius ſcripſiſſe, deceptus forte ſcriptis Euſebii, qui, ut mox dictum eſt, hanc Epiſtolam ab Eccleſia Latina rejectam aſſerebat. Enimvero, inquiunt, ſi, ut decebat, maturo conſilio hac in re deliberaſſet S. Hieronymus, noviſſet hauddubie S. Clementem Romanum Pontificem, eam Epiſtolam approbare: vidiſſet pariter Concilium Romanum celebratum ſub Damaſo, in recenſione ſacrorum Librorum veteris & novi Teſtamenti, inter Paulinas Epiſtolas hanc ad Hebræos adnumeraſſe. Hoc autem Concilium celebratum eſt antequam S. Hieronymus ſcriberet librum de Scriptoribus Eccleſiaſticis; nam dicit ſe illum confeciſſe anno XIV. Theodoſii Imperatoris; Chriſti 392. Damaſus autem, qui decreti illius Auctor extitit, jam anno VI. ejuſdem Imperatoris ex hac vita diſceſſerat. *Verum* cum iſta non omnino hiſtoriæ Eccleſiaſticæ cohæreant idcirco veroſimilius dicendum arbitror, revera S. Hieronymum in ea ſententia cum plurimis aliis Patribus interdum ſtetiſſe.

Non enim diffiteor hanc Epiſtolam aliquandiu dubiæ apud Latinos fuiſſe auctoritatis, propterea quod eſſet de genere harum Scripturarum, quæ non ſtatim ab initio naſcentis Eccleſiæ, ad totius Catholicæ Eccleſiæ notitiam pervenerunt, cujuſmodi ſunt etiam Epiſtola SS. Jacobi; II. Petri; II. & III. Joannis, nec-non eiuſdem Apocalypſis de quibus antequam in Eccleſiaſtico Canone publico decreto recenſerentur, merito diſceptatum fuit inter Patres, ne rem tanti momenti abſque ſerio examine decernerent.

Porro quod revera S. Hieronymi tempore hæc Epiſtola inter ſacras Scripturas accen-

cenſeretur non alius ea de re, quam ipſe Hieronymus, teſtis audiendus: hic enim in præfata Epiſtola ad Dardanum, de hac Epiſtola ſermonem faciens, inter cætera ſcribit: „ Non ſolum ab Eccleſiis Orientis, ſed „ ab omnibus retro Græci ſermonis Scriptoribus, quaſi Pauli Apoſtoli ſuſcipitur, „ licet plerique eam vel Barnabæ, vel Clementis arbitrentur: & nihil intereſt cujus „ ſit, cum Eccleſiaſtici viri ſit, & quotidie „ Eccleſiarum lectione celebretur. Quod ſi „ eam Latinorum conſuetudo non recipit „ inter Scripturas Canonicas, nec Græcorum quidem Eccleſiæ Apocalypſim Joannis eadem libertate ſuſcipiunt, & tamen „ nos utramque ſuſcipimus, nequaquam „ hujus temporis conſuetudinem, ſed veterum Scriptorum auctoritatem ſequentes „ qui plerumque utriuſque abutuntur teſtimoniis, non ut interdum de Apocryphis „ facere ſolent; quippe qui & Gentilium „ literarum raro (*addenda videtur particula*, NON,) utantur exemplis, ſed quaſi „ Canonicis & Eccleſiaſticis. „ Inſtant Adverſarii, neminem Latinorum ante S. Anſelmum Commentaria in hanc Epiſtolam dediſſe: Itaque ſignum eſt eam uti Canonicam, & a S. Paulo editam non fuiſſe prius in Eccleſia creditum & receptum. *Reſp.* Iſtud eſſe manifeſte falſum: plurima enim circumferuntur ſub nominibus Ambroſii, Primaſii, Sedulii, Remigii, Bedæ, Haimonis, &c. quorum aliqua, tametſi ſuppoſititiis Auctorum nominibus inſcribi videantur, ſaltem qui tribuuntur Remigio & Haimoni, altero & amplius ſæculo, Anſelmo ſuperioribus, genuinos eſſe fœtus ab eruditis non ambigitur.

Ad ſecundum dico iſta quidem verba *ad literam* de Salomone dici. Verum *allegorice* plenius & ſignificantius convenire *Chriſto*, propter quem de Salomone, tanquam Chriſti figura dicta ſunt, ſiquidem Salomonis regnum quietum & pacificum, figura tantum erat ſpiritualis opulentiæ & æternæ fœlicitatis conferendæ in regno Chriſti. Nec obſtat quod dixerit: *Ero ei, & ipſe erit mihi, &c.* pro futuro, ita namque non ideo dicta ſunt, quaſi Deus non ſit pater Chriſti ab æterno; ſed quia myſterium hoc antea latens, & paucis cognitum, tunc manifeſtandum eſſet, quando Chriſtus inciperet ædificare domum, id eſt, Eccleſiam congregare Patri ſuo & cæteræ promiſſionis partes, quæ in Salomone tantum umbræ & figuræ erant, opere cœpiſſent compleri. Nec etiam inde ſequitur infirmum eſſe Apoſtoli argumentum, quaſi minus efficax eſſet illatio a ſenſu myſtico quam a literali: nam hæc argumentationis ratio frequens eſt apud Apoſtolos, ſic ex ſenſu allegorico illus loci Deuter. XXV. v. 4. *Non alligabis os bovi trituranti*, probat Apoſtolis & prædicatoribus non eſſe negandam alimoniam II. Cor. IX. v. 9. & S. Joannes cap. XIX. v. 36. colligit oſſa Chriſti in cruce non debuiſſe confringi, quia de Agno Paſchali, qui typus erat Chriſti, ſcriptum eſt Exod. XII. *Os non comminuetis ex eo.* Et S. Matth. cap. II. v. 15. probat oportuiſſe Chriſtum ire & redire in Ægyptum, quia Oſee XII. v. 2. de populo Hebræorum, qui typus erat Chriſti, dicitur: *Ex Ægypto vocavi filium meum.* Itaque non novum, neque mirum eſt, ſi Apoſtolus hic ex ſenſu allegorico argumentetur.

Ad tertium dico eos contextus non ſuffragari primo Arianis, quinimo eorum errorem jugulare; ſignificant enim Filium eſſe Patri coæternum, quemadmodum Solis ſplendor & radius ipſi coævi ſunt; *Ubi ergo*, inquit S. Chryſoſtomus, *ſunt Ariani qui dicunt; Erat quando non erat, ideſt, erat, ideſt, erat tempus in quo non erat Filius.* Unde S. Ambroſius a docet generationem Filii optime comparari emanationi radii a Sole: *Primo* quia generatio illa naturalis eſt non voluntaria, Filius enim a Patre non libere, ſed naturaliter procedit, quemadmodum radius a Sole. *Secundo* ſicut radius a Sole immutabiliter & perpetuo profluit, eſtque ab eo inſeparabilis, ita Filius a Patre, ab æterno quidem genitus eſt, & continuo generatur, ut merito ſemper ad Filium dicat divinus Pater: *Ego hodie genui te* eſtque Filius a Patre omnino inſeparabilis. *Tertio*, quemadmodum Sol radium duratione non præcedit, ſic nec Filio Pater divinus anterior eſt. Tantum abeſt ergo, ut ea Epiſtolæ verba Ariano errori faveant, quinimo illum funditus evertunt.

a *lib.* 1. *de fide cap.* 4.

Neque etiam ſequentia favent Novatianis, nam cum dicit Apoſtolus: *Impoſſibile eſt ſemel illuminatos & iterum prolapſos renovari ad pœnitentiam;* vel loquitur de effectibus baptiſmi & gratia renovationis ac regenerationis, quæ ſemel amiſſa recuperari non poteſt, quia Deus nullum inſtituit remedium, quo tam facile gratia deperdita recuperetur per modum regenerationis ac renovationis, quam fuerat per baptiſmum recepta: Unde ſignanter dicit: *Impoſſibile eſſe eum renovari.* Vel intelligendus eſt de renovatione per pœnitentiam, quam dicit impoſſibilem, ideſt, valde difficilem peccatoribus, non quibuſvis, ſed graviſſimis & ingratiſſimis, puta Apoſtatis, qui poſt tot illuſtria erga ſe Dei beneficia, vel ad Judaiſmum, vel Paganiſmum deſciſcunt, quo ſenſu etiam accipienda ſunt verba capitis X. ut explicat S. Chryſoſtomus cujus hæc ſunt verba; *In hoc*, inquit, *non pœnitentiam excludit, neque propitiationem quæ ſi per pœnitentiam, neque repellit, nec deiicit per deſperationem deliquentem, non enim ita inimicus eſt ſalutis noſtræ ſed quid? ſecundum excludit lavacrum*, (ideſt, renovationem per baptiſmum) *non enim dixit, non eſt ultra pœnitentia: non eſt ultra remiſſio: ſed hoſtia, inquit, ultra non eſt, crux ſecunda ultra non eſt, hoſtiam quippe hanc vocat.*

Ad ultimum tandem dico, varias proferri a ſacris Interpretibus hujus objectionis ſolutiones; nam S. Chryſoſtomus & Theophylactus reponunt tempore Moſis in arca ſolum reconditas fuiſſe duas tabulas: urnam autem manna repletam, & virgam Aaronis juxta arcam; ſed poſtea a Jeremia, dum ar-

cam ante captivitatem esset absconsurus, urnam illam & virgam Aaron simul in arca fuisse reclusas, quatenus ea potissima Judaicæ ingratitudinis monumenta servarentur, *Verum* Apostolus hic non agit de temporibus Jeremiæ, sed Mosis ejusque tabernaculi; asseritque hæc omnia tempore Tabernaculi Mosaici in arca fuisse. Censent plures alii hic esse græcismum, & *Tabernaculum* pro *Arca* Apostolum intelligere; numerat enim hic omnia vasa quæ erant in Sancta Sanctorum. Sed obstat quod sequitur; *Superque eam erant Cherubim*, ubi pronomen *eam* plane videtur significare *arcam*, ac consequenter hæ voces, *in qua*, etiam ad arcam referri debent. Verosimilius dicendum arbitror propositionem, *in*, Hebraico more, ampliori significatione accipi, & complecti tam ea quæ juxta *arcam* erant, quam quæ in ea recondebantur. Sic vulgo dicitur esse *in urbe* qui stat in loco ipsi viciniori: qua ratione Christus dicitur *Crucifixus Jerosolymis*, tametsi extra urbem passus fuerit. Cum autem jussisset Dominus Moysi, Exodi XVI, v. 33. & Moses Aaroni, ut sumeret manna & reponeret illud coram Domino, credibile est hanc urnam una cum virga Aaronis, non in propitiatorii pavimento, sed ad latus arcæ fuisse repositam, cum libro fœderis, ut præcipitur Deut. XXXI. 26.

§. II.

Quis fuerit hujus Epistolæ Auctor?

IV. DE *Auctore* hujus Epistolæ non minor fuit apud Veteres, quam de illius auctoritate controversia. Alii namque, ut ex S. Hieronymo supra observatum est, *Barnabæ*, Pauli itinerum & laborum comiti, nonnulli *Clementi Romano Pontifici*; cæteri *Paulo* illam adjudicarunt. Origenes vero apud Eusebium [a] rem hanc uti sua ætate dubiam, sicut invenit, sic & reliquit. Cum enim dixisset stylum Epistolæ quæ inscribitur, *Ad Hæbreos*, carere illa sermonis rusticitate quæ propria est Apostoli, quippe qui rudem atque imperitum se confitetur in sermone, idest, in forma ac ratione dicendi: hæc autem Epistola & in verborum compositione, majorem præfert Græci sermonis elegantiam, ut fatebitur quisquis de styli differentia perite judicare potest; & præterea sententias continet admirabiles, nec scriptis Apostolicis ullatenus inferiores. Paucis deinde interpositis, hæc subjungit: *Ego vero*, inquit, *ita censeo, sententias quidem ipsas Apostoli esse: dictionem autem & compositionem verborum esse alterius cujusdam, qui dicta Apostoli commemorare, & quasi in commentarios redigere voluerit ea quæ a Magistro audiverat. Proinde si quæ Ecclesia hanc Epistolam pro Paulina habet, eo nomine laudetur. Neque enim temere Majores eam Pauli esse tradiderunt. Quis autem illam revera scripserit, soli Deo notum esse opinor. Sed Scriptores, quorum monumenta ad nos usque pervenerunt, partim Clementi Romanæ urbis Episcopo eam adscribunt, partim Lucæ qui Evangelium & Actum Apostolorum literis prodidit.* Eadem etiam nunc est Heterodoxorum plurium de Auctore hujus Epistolæ fluctuatio. Quamvis enim illam in seriem sacrarum Scripturarum haud gravate recipiant, nihilominus tamen illam *Paulo* abjudicant. *Lucæ* eam adscribit Grotius, nam, inquit, *Sicut hæc Epistola bene Græca est & florida, ita & sermo Lucæ ubi non Christi aut Apostolorum refert verba, sed in aliis rebus narrandis, puta Pauli navigatione, liberius spatiatur.* Cæteri vero illius Auctorem omnino dubium & incertum esse pronuntiant.

[a] *lib 6. cap. 25.*

Verum apud Catholicos citra controversiam esse debet illam revera a S. Paulo esse editam, ita namque distincte sancitum est Conciliorum, atque Summorum Pontificum placitis & oraculis. Nam, ut dictum est, Concilium Laodicenum, Carthaginense III. Romanum sub Gelasio, Florentinum & Tridentinum in Catalogo sacrorum librorum, Epistolam ad Hebræos cæteris Paulinis accensent quod idem fecit in sua recensione Innocentius I. Quin etiam & in Concilio Nicæno idem factum esse affirmant S. Thomas & Lyranus. *Deinde* eadem est non solum Græcorum, sed & Latinorum Patrum, & illustrium Ecclesiæ Doctorum, si paucos excipias, sententia, quotquot de ea Epistola mentionem fecerunt. Maxime vero Dionysii Areopagitæ, Clementis Romani Pontificis, Gregorii Nazianzeni, Chrysostomi, & reliquorum his posteriorum. Eandem vero etiam anteriorum Patrum ab Apostolorum tempore, ut plurimum fuisse sententiam, statim nos docebat Origenes, distinctius vero S. Hieronymus [b] ubi scribit: *Illud nostris dicendum est, hanc Epistolam quæ inscribitur ad Hebræos, non solum ab Ecclesiis Orientis, sed ab omnibus retro Ecclesiasticis Græci sermonis Scriptoribus, quasi Pauli Apostoli suscipi.*

[b] *Epist. ad Dardanum.*

Neque vero id solum concedunt Græci, sed & Latini Patres, maxime Optatus [c], Gaudentius [d], Ambrosius & Augustinus, qui creberrime eandem Apostoli Pauli nomine citant: licet enim Augustinus [e] non neget eidem ab aliquibus contradici, a plurimis tamen affirmari esse *Pauli* tradit: Idemque ipse texens seriem Scriptorum Canonicorum, eam annumerat cum cæteris Pauli Epistolis [f]. Unde Philastrius Episcopus Brixianus [g], inter hæreses annumerat opinionem illorum qui eam non sicut cæteras Pauli Epistolas amplecterentur; quin imo S. Hieronymus tametsi ad sua usque tempora de ejus Epistolæ auctoritate & Auctore a plurimis Latinis, non nihil addubitatum esse profiteatur, atque ipse etiam interdum ea de re dubius hæreat; nihilominus suam sententiam cæteris concordem aper-

[c] *lib. 7.*
[d] *tract. 2.*
[e] *lib. 16. de Civit. cap. 22.*
[f] *lib. 2. de doctr. Christ. cap. 2.*
[g] *Hæres. 90.*

aperte ſatis expoſuit in Epiſtola jam allegata ad Dardanum, necnon in Commentario Epiſtolæ ad Titum, & alibi [a]. His accedit uſus perpetuus Eccleſiæ, quæ in divinis officiis, non aliter quam *Pauli* nomine lectiones ex hac Epiſtola recitare conſuevit.

[a] *lib. 1. contra Iovinian. cap. 9.*

V. Confirmari etiam poteſt Catholica hæc ſententia ex aliarum confutatione. *Primo* namque hæc Epiſtola adſcribi nequit, *Barnabæ*. Eam quidem illi attribuit Tertullianus Lib. de Pudicitia, cap. XX. *Extat*, inquit, *& Barnabæ titulus ad Hebræos, adeo ſatis auctoritati viri, ut quem Paulus juxta ſe conſtituerit in abſtinentiæ tenore. An ego ſolus & Barnabas non habemus poteſtatem operandi, & utique receptior apud Eccleſias Epiſtola Barnabæ, illo Apocrypho Paſtore Mœchorum?* Hinc de Tertulliano, hoc ipſum tradidit Hieronymus, Catalog. Script. in Paulo. Et Epiſtola ad Dardanum, quæ eſt 129. *Licet*, inquit, *plerique eam vel Barnabæ vel Clementis eſſe arbitrentur, & nihil intereſſe cujus ſit. Tum quod* multum diſtet ejus ſermo ac ſtylus ab ea Epiſtola quam partim Græcam, partim Latinam nomine *Barnabæ* inſcriptam habemus: eſt enim illa Barnabæ dictio præ hac rudis & incompta. *Tum quod* non niſi una dicatur a S. Barnaba edita Epiſtola; eam autem fuiſſe plane ab iſta diverſam, manifeſte patet ex Clemente Alexandrino [b] qui complures ex Epiſtola Barnabæ ſententias recitat, quarum nulla hic legitur; agens autem in eodem opere de Epiſtola ad Hebræos, non eam Barnabæ, ſed Paulo cenſet adſcribendam. *Tum denique quod* hujus Epiſtolæ eloquentia *Barnabæ* in dicendo tarditatem non referat. Nam Act. XIV. *Paulum* quidem *Mercurium*, *Barnabam* autem *Jovem* vocabant Lyſtrenſes, quod Paulus tanquam eloquentior dux eſſet ſermonis; & prætera ſi quæ fides lib. I. Recognitionum nomine Clementis; Barnabas expers erat artis dicendi & differendi, atque Chriſtum ſine ullo ſermonis ornatu Romanis annuntians a Philoſophis, aliiſque doctis irridebatur.

[b] *lib. 2. & 5. Stromat.*

Clementis quidem Romani Pontificis oratio ad hujus Epiſtolæ elegantiam propius accedit; at cum is vocatus ſit e Gentibus, in literis Hebræorum multo minus quam hujus Epiſtolæ Scriptor verſatus apparet. Neque alia videtur cauſa cur Veterum nonnulli Epiſtolam hanc Clementi Romano adſcriberent, quam quia in Epiſtola quam ipſe ſcripſit ad Corinthios, nonnulla ſint quæ etiam in hac leguntur. At quis neſcit Clementem frequenter aliarum etiam Pauli Epiſtolarum, nedum verba, ſed etiam ſententias proferre. Non aliud itaque inde colligere licet, quam Epiſtolam hanc ſcriptam fuiſſe Romæ, & in pretio habitam, quo tempore ad Corinthios ſcribebat S. Clemens.

A S. Luca vero aliquam fuiſſe unquam ſcriptam Epiſtolam, neminem Antiquorum vel Recentiorum dixiſſe reperimus. Neque certe hic tantæ fuit auctoritatis apud Hebræos, utpote cum non eſſet Apoſtolus, ſed tantum Apoſtolorum Diſcipulus, ut de profundiſſimis Chriſtianæ fidei myſteriis ad eos inſtruendos literas daret: Cum enim Hebræi præ cæteris Gentibus in rebus divinis eſſent verſatiſſimi, qui ad illos de rebus tam arduis cum ſpe alicujus fructus ſcriberet, oportebat virum eſſe ſummæ auctoritatis & eruditionis, qualis certe illo tempore Lucas non audiebat, qui Evangelium ſcripſit divino quidem inſtinctu, ſed etiam ex Apoſtolorum & Chriſti Diſcipulorum recenſione, ſicut & Actus Apoſtolicos, maxime Pauli peregrinationes, quibus ipſe ut plurimum interfuit. Igitur cum hæc Epiſtola eorum non ſit, quibus adſcripta fuit ab iis qui illam Paulo abjudicarunt, eo neceſſe eſt veniatur, ut aut illius Auctor prorſus ignoretur, quod nulli alteri librorum Novi Teſtamenti contigit; aut cum univerſali Eccleſia Catholica fateantur non alium eſſe quam *Paulum* illius *Auctorem*.

Confirmari etiam ſolet hæc Catholica ſententia ex teſtimonio S. Petri, qui duas ad Hebræos ſeu Judæos diſperſionis, hoc eſt, ubique degentes, ſcripſit Epiſtolas, in quarum poſteriore cap. III. v. 15. eos hortatur ut promiſſa Domini expectarent, utque ſatagerent immaculati & inviolati ab eo inveniri, & Domini noſtri longanimitatem, ſalutem arbitrarentur &c. ſtatim ſubjungens: *Sicut & chariſſimus frater noſter Paulus, ſecundum datam ſibi ſapientiam ſcripſit vobis: ſicut & in omnibus Epiſtolis loquens in eis, de his ſcilicet de quibus ad vos ſcripſit*; Ubi perſpicue diſtinguit Petrus, reliquas Paulinas Epiſtolas ab ea quam Paulus ſcripſerat iiſdem, quibus ſcribebat ipſe Petrus. Igitur, teſte Petro, Paulus aliquam Epiſtolam ad Hebræos ſcripſit, quæ profecto non alia eſſe poteſt quam iſta, nam reliquæ omnes ſcriptæ ſunt ad diſtinctas Eccleſias, vel ſpeciales perſonas. Cum autem hoc argumentum palmare videatur, ut ejus vim elevent, aut eludant Adverſarii, varia reponunt; eorum autem exceptiones ad duo potiſſimum Capita revocantur, ut erudite adnotat Buxtorfius, in ſpeciali Diſſertatione de hac Controverſia: I. Negando præfata verba Petri ad ſolos Judæos dirigi: II. Quod etſi Judæos alloquatur, non inde ſequi Paulinam ad eos datam Epiſtolam, hanc ipſam neceſſario deſignari quæ in controverſiam venit. Primam exceptionem his rationibus firmare ſe putant. *Primo* non *Judæos* tantum, ſed etiam Electos ex *Gentibus* pariter varie diſperſos fuiſſe, ſæviente perſecutione. *Deinde* vocatos ex *Gentibus* aperte ſatis indicat, dum cap. II. v. 10. dicit antea fuiſſe illos non *Populum*, jam vero *Dei Populum* factos, quod Oſeæ II. v. 23. Oraculum a S. Paulo ad ſignificandam Gentium electionem, traducitur. *Denique* S. Petrus in prima Epiſtola I. v. 10. ſermocinatur de Gratia in Gentes effuſa, & a Prophetis prænuntiata. Inſuper non Judæis, ſed Gentibus competit, quæ cap. 4. v. 3. ait de eorum præterito tempore in *luxuria, deſideriis, vinolentiis comeſſationibus & potationibus, & illi-*

licitis Idolorum cultibus. Subindeque illæ Petri Epiſtolæ potius ad vocatos ex *Gentibus* quam ex *Judæis* diriguntur. Igitur Paulina quæ ab eo hic memoratur Epiſtola, non ea eſt quæ ad ſolos Hebræos data eſt, qualem eſſe eam de qua præſens movetur quæſtio, communis eſt ſententia.

At iſta momenta facili negotio refelluntur. Primum quidem, gratis enim ſupponitur Fideles ex Gentibus dici potuiſſe diſperſos per illas Ponti, Galatiæ, Cappadociæ, & Aſiæ Provincias; plurimi namque ex Gentibus vocatis, erant ex illis Provinciis; ac ſubinde, cum propter excitatam a Judæis in Fideles perſecutionem in Gentilium Terras, fugere fuerint coacti, hi proprias ſedes repetierunt: ideoque revera dici nequent exules & diſperſi. Igitur non hos, ſed Judæos e nativo ſolo hic S. Petrus alloquitur, *Accedit* locus Actor. II, ubi ex illis ipſis locis *Cappadocia*, *Ponto*, *Aſia*, *&c.* recenſentur Judæi converſi ad Chriſtianam Fidem Petri Prædicatione, ad quos jam in Provinciis ſuis agentes firmandos & erigendos, iterum ſcripſiſſe Apoſtolum veroſimillimum eſt. Lucem etiam his fœneratur Epiſtolæ S. Jacobi titulus & inſcriptio; nimirum ad decem Tribus Judæorum *in diſperſione*: Ad eoſdem enim ſcripſiſſe Apoſtolum utrumque, tum ex *Inſcriptione*, tum ex *affinitate*, ſive *muneris*, ſive *argumenti*: uterque enim Judæorum erat Apoſtolus; utrique ergo ex Paſtorali ſolicitudine incumbebat ſibi commiſſas Chriſti oviculas curare, fovere, & Evangelicis documentis armare, & recreare.

Ad ſecundum Dico, quod etiamſi Oſeæ Oraculum ex Gentibus vocatis accommodet S. Paulus Rom. IX. 25. nihilominus tamen Prophetam ex primaria intentione agere de Judæis patet, ex cap. I. v. 10. Hi enim propter ſcelera erant per Orbem diſpergendi, & a Deo reiiciendi, poſtmodum vero pœnitentes in gratiam recipiendi, & denuo coaptandi in fœdus. Directe itaque S. Petrus cum Judæis agens, ex tenebris Phariſaicorum Dogmatum in admirabilem Evangelii lucem translatis, hoc Oſeæ Oraculum affingit: S. Paulus vero nonniſi indirecte & per accommodationem vocatis ex Gentibus attribuit.

Ad tertium Reſpondeo ex hoc ipſo loco evidentiſſime colligi S. Petrum ad Judæos ſermonem facere: hos enim dicit ante ſuam converſionem Gentium flagitiis atque propudioſis voluptatibus contaminatos, & affectus imitantes. Quamobrem ſignanter præmiſit: *Sufficit præteritum tempus ad voluntatem Gentium conſummandam his qui ambulaverunt in luxuriis, &c.* Hoc eſt, qui more Gentium Idololatrarum vixerunt, & inter eos degentes atque depravatos mores ſectantes, ad varium ſuperſtitionum & flagitiorum genus prolapſi ſunt, & quodam Idololatriæ contagio ſunt inquinati, quod forte illis conniverent, vel conviverent, vel arctius adhærerent.

Secundum exceptionum Caput firmant Adverſarii, quod videlicet conceſſo Petrum & Paulum ad Judæos ſcripſiſſe, inde non eſſe conſequens memoratam a S. Petro Pauli ad Judæos Epiſtolam, eam intelligi de qua hic controvertitur; ſed forte ſignificari eas Epiſtolas quas S. Apoſtolus ad Galatas, Epheſios, & Coloſſenſes Aſiæ Minoris ſcripſerat. *Deinde* Memorata a S. Petro Epiſtola ſcripta videtur ad Judæos in Aſia conſiſtentes: Hæc vero quæ in controverſiam venit, videtur data ad Hebræos Palæſtinæ & Hieroſolymorum incolas.

Reſpondeo Fruſtra hæc in ſubſidium ab Adverſariis proferri; Primum quidem, quia Epiſtola ad Epheſios & ad Coloſſenſes, præſertim ad eos datæ ſunt, qui ex Gentiliſmo ad Fidem Chriſtianam fuerant vocati ut ex utriuſque contextu liquet. Similiter Galatæ Gentiles fuerant Origine & Religione quondam, neſcientes Deum, & ſervientes Idolis: De Judæis vero loquitur S. Petrus, ut demonſtratum eſt, igitur non ſignificat aliquam ex his Epiſtolis. *Accedit*, quod illæ Epiſtolæ datæ ſint ad particulares Eccleſias; S. Petrus vero meminit Paulinæ Epiſtolæ datæ ad eos ad quos ipſe Petrus ſcribebat, nempe ad Fideles Ponti, Bithyniæ, Cappadociæ, & Aſiæ. *Ad ſecundum*, Dico iſtud peccare falſa hypotheſi; enimvero Epiſtola ad Hebræos non ſpectat ſolum ad Judæos illos, qui vel Hieroſolymis, vel in Palæſtina degebant, ſed indefinite ad eos omnes qui Hebræo nomine gloriabantur, quales erant Hebræi per Abrahæ & Jacobi lineam poſteri, ubicunque terrarum agerent. Hinc Paulus ipſe, tametſi Natione Cilix, *Hebræum* ſe *ex Hebræis* dicit Epiſt. I. ad Corinth. II. v. 22. Confirmantur iſta ex ipſius S. Petri verbis, quibus Paulinam Sapientiam in ea præſertim Epiſtola, de qua ipſi ſermo eſt, commendat. Tametſi enim S. Paulus ubique altum ſapiat, ubique ſublimis feratur, ubique ſe hominem cœlitus edoctum prodat; nihilominus in Epiſtola ad Hebræos ſpeciali ſplendore illius Sapientia effulget: I. Ex conſpicua ſententiarum majeſtate: Ex Myſteriorum, rerumque ſublimium reſeratione: Ex ſtupenda Vaticiniorum vi, qua Legi Evangelium, Moſi Chriſtum, Fœdus novum veteri confert & anteponit.

Conducit etiam ad hujus ſententiæ confirmationem, Timothei facta mentio, qualis ſolo Paulo Apoſtolo conſueta: Ejus enim non meminit Petrus, non Jacobus, non Joannes, non Judas. Quo etiam argumento utitur S. Athanaſ. Dial. de Trinit. *Quod Pauli ſit Epiſtola*, inquit, *vel ex ſine manifeſtum eſt: Meminit enim Timothei, dicens, &c.* At, inquies, Paulus Timotheum non fratrem, ut Auctor hujus Epiſtolæ, ſed filium appellare conſuevit. Revera quidem id a Paulo dictum fateor, ubi ipſe ſermonem faciens ad Timotheum ipſum, ut Diſcipulum juniorem & familiarem hortatur & inſtruit: at quotieſcunque de Timotheo ad alios eſt mentio, toties eum, uti Miniſterii conſortem, itineris comitem, laboris & vinculorum participem *Fratrem* vocat. Sic 2. Corinth. I. 1. Coloſſ. I. v. 1. I.

2. I. ad Thessalon. III. 2. Rom. XVI. 21. & alibi sæpe. Proferri etiam potest hujus Epistolæ cum aliis Paulinis argumenti consensio, nimirum docere Legem & Cæremonias abrogatas, & Mosaici cultus antiquationem: hunc enim Paulo in Epistolis fuisse præcipuum scopum, docent nos Epistolæ aliæ, maxime ad Galatas & Colossenses. Unde Oecumenius in Argumento Commentarii: *Quoniam*, inquit, *audierant ex Judæis quasi defectionem a Lege doceret Paulus, merito ut consensum Prædicationis ostenderet, ad Hebræos scribit.* Quod etiam præclare deducit S. Athanasius in sua Synopsi. Confirmat etiam zelantissima Pauli pro Judæorum salute sollicitudo: Nam, ait S. Chrysost. Præfat. *Quomodo non ad illos scripsisset, pro quibus & Anathema fieri voluit*, Nec obest quod *Gentium*, non *Judæorum* fuerit Apostolus: Nam, inquit Theodoretus, *Dicimus quod, ut non injunctum ipsi fuit baptizare, ex abundanti tamen baptizavit; ita & ad Hebræos scribit, Gentium alias Apostolus.*

Tandem, ut diserte demonstrat Jacobus Capellus in suis ad hanc Epistolam observationibus, plures sunt in ultimo hujus Epistolæ capite characteres, qui docent hanc Epistolam a Paulo Romæ scriptam, nam v. 18. *Orate pro nobis, &c.* quæ eadem Paulina admonitio est Coloss. IV. 3. I. ad Thessal. V. 25. & alibi sæpe, videlicet quam sedulo pro suis Gregibus orabat I. Cor. I. 4. Ephes. I. 16. &c. tam serio & Gregum suorum precibus commendabat. *Similiter* cum subjungit: *Deus autem pacis, &c.* Eadem inculcat quæ scripserat Rom. III. & 16. 22. *Denique*, ut cætera præteream, hanc Epistolam claudit, quemadmodum secundam ad Thessalonicenses; in ea namque scripserat cap. III. v. 17. *Salutatio, mea manu Pauli: quod est signum in omni Epistola. Ita scribo, Gratia Domini nostri Jesu Christi cum omnibus vobis. Amen.* Porro Epistolam ad Hebræos; eodem Pauli veluti sigillo consignatam videmus, clauditur enim his verbis: *Gratia cum omnibus vobis, Amen.* Qua etiam ratione claudit Epistolam ad Coloss. & ad Timotheum. Ex quibus merito, idem Capellus concludit, Epistolam hanc ut Paulinam & vere Canonicam, ita nunc constantissimum haberi: de qua si quæ primo dubitarunt Ecclesiæ, facile dubitationem illam pervicit reliquarum consensus, cui nunc adversari nemo sine sacrilegio potest.

VI. Leviora vero sunt & facile dissolvuntur quæ adversus hanc veritatem solent obiici. *Primum* quidem quod Paulinæ Epistolæ inter se sint germanæ, pari charactere & dicendi modo simplici; hæc vero elegantior sit, selectiores habens Græcas voces leniusque fluens, non autem fracta ac scabrosa. *Verum* non est quod nos moveat hæc styli diversitas: scribebat enim Paulus ad Hebræos; unde nihil mirum si frequentiores quam in reliquis Epistolis Hebraismos usurpet. Ea vero quæ in eo relucet Græci sermonis elegantia, inde forte ortum habet quod, ut supra dicebat Origenes, sententias & sensum Epistolæ Paulus dictaverit, phrasis vero atque constructio alterius sit, puta *S. Lucæ*, quippe hic, sicut in Actibus Apostolicis, idem Orationis stylus & nitor apparet. *Præterea* in hac Epistola sunt quædam vocabula peculiaria, quæ cum in Evangelio, tum in Actibus Apostolicis usurpat S. Lucas, quæ vix in aliis libris reperiuntur. Exemplo sit εὐλάβεια, *reverentia*, cap. V. 11. & 12. hujus Epistolæ cujus concretum εὐλαβὴς apud Lucam reperitur Evangel. cap. II. Act. II. & VIII. Item ἐπὶ τὸ παντελὲς, legitur Lucæ XIII. & Hebr. VII. quod illic Interpres vetus reddit *omnino:* hic *in perpetuum. Item* κεκαπηκέναι. Hebr. VIII. & XI. Lucæ II. Act. X. *Rursum* Lucæ XXIV. *Inclinata est jam dies.* Græce κέκλικεν. Idem legitur Hebr. XI. ubi nos habemus, *Castra verterunt exterorum.* Adde ἐγκόπτειν, Lucæ XXII. v. 26. & Hebr. XIII. Jam modus ille loquendi *quo ad* pro *de* ponitur; ut est Lucæ XVIII. XIX. XX. ita Hebr. I. semel ac iterum, & alibi in eadem Epistola.

Quod vero rursus opponunt, hujus Epistolæ Scriptorem cap. II. asserere se ex iis esse qui a Christi Discipulis notitiam Evangelii acceperunt; id autem de se negat Paulus ad Gal. I. versu 12. dicens, Evangelium quod prædicabat non esse secundum hominem: *Neque enim*, inquit, *ego ab homine accepi illud neque didici, sed per revelationem Jesu Christi.* Dico ista facile conciliari, reponendo Paulum his verbis ad Gal. asserere, se non Evangelicæ doctrinæ notitiam accepisse quidem ab hominibus; sed media ad salutem, nempe *ab Anania* Christi Discipulo, ad quem cum fuisset Christi voce prostratus, missus est, ut per illum initiaretur in Christi Discipulum, & salus in eo confirmaretur ex baptismi ablutione, & miraculosa visus restitutione. In illo autem ad Hebræos contextu, loquitur de salute: *Quæ*, inquit, *cum initium accepisset enarrari per Dominum ab iis quæ audierunt, in nos confirmata est; contestante Deo signis & portentis.* Quanquam etsi de doctrina esset sermo, hæc quoque in illo confirmata est per eos, qui Christum audierunt, & qui Ecclesiæ videbantur columnæ, ut ipse testatur ad Gal. II. v. 9. Nulla itaque in his verba est pugna.

Opponunt præterea, hæc verba capitis XIII. hujus Epist. v. 23. *Cognoscite Timotheum Fratrem nostrum dimissum: cum quo si celerius venerit videbo vos.* Quæ, inquiunt convenire non possunt Apostolo, quomodo enim qui paulo antea Cæsarem appellaverat, ut e manibus Judæorum elaberetur, & paratam sibi ab eis mortem effugeret, tam repente mutatus, in votis habeat ad eos quantocius reverti? At ista mirari desinet, quisquis Christum Dominum attenderit, qui vix e manibus Judæorum, & non nisi per miraculum elapsus, etiam revocantibus Apostolis; nihilominus in Judæam reverti voluerit ad suscitandum Lazarum: unde dicentibus ei discipulis: *Rabbi, nunc quærebant te Judæi lapidare, & iterum vadis illuc?* Respondit: *Nonne duodecim*

cim sunt horæ diei? Quibus admonet pro diversa oportunitate procurandæ Dei gloriæ & salutis proximi, homini Evangelico mutandum esse consilium: quidni ergo S. Paulus divino hoc animatus exemplo, ac etiam forte speciali Dei monitu ad id stimulatus desideraverit Hebræorum adire præsentiam, vel quod jam sedatos eorum forte animos audierat, vel resciret paratiores ad Evangelii lucem excipiendam.

Rursus obiiciunt, Auctorem hujus Epistolæ Scripturam veteris Testamenti, aliter interpretari, quam soleat Paulus. Nam initio illud Psal. II. *Ego hodie genui te*; refert ad æternam Filii Dei generationem, Paulus vero, Act. XIII. ad temporalem ejus a morte suscitationem. At illud argumentum diluit Beda, inquiens, testimonium Psalmi a Paulo in Actibus recitatum, non ad resurrectionem Christi, de qua proxime Apostolus in concione sua dicturus erat, pertinere; sed ad utramque Christi nativitatem æternam scilicet, ac temporalem, de qua paulo supra locutus fuerat in eadem concione, dicens eum natum de semine David secundum carnem, & a Joanne tanquam Messiam, verum Dei Filium prædicatum.

Opponunt tandem, genuinas Pauli Epistolas ipsius nomen, vel in capite vel ad calcem præferre, in hac vero nec nomen, nec solitam salutationem Apostolicam adscriptam cum non habeat, indicium est illius non esse. Ad illud multiplex est Interpretum responsio: præcipuæ vero sunt, *Prima* quod, inquit S. Hieronymus in præfat. ad hanc Epistolam, Paulus Hebræis odiosus erat, quibus & Gentium Apostolus, & Legis destructor videbatur. Itaque nomem suum odiosum Epistolæ non præposuit, ne præscripti nominis invidia, sequentis utilitatem excluderet lectionis: atque ea de causa nomen suum, nec introscripsit, nec subscripsit: sicut in cæteris Epistolis fecerat, ut Epistola inter infensos sibi Hebræos tutior, absque proprii nominis impedimento vagaretur, ac libentius a principio usque ad finem tota perlegeretur. Quam etiam rationem profert S. Clemens Alexand. in libris Ὑποτυπώσεων cujus verba referuntur apud Eusebium, [a] ubi alias duas etiam rationes profert; *Priorem*, quoniam in hac Epistola Jesum Christum appellaturus erat *confessionis nostræ Apostolum*, ab omnipotenti Deo ad Hebræos missum, noluit Paulus se in hac Epistola, sicut in aliis *Paulum Apostolum* nominare, ne videretur seipsum cum Christo conferre quem Angelis excellentiorem docuerat. *Posteriorem vero* quod Paulus non *Hebræorum* sed *Gentium* Magistrum se profiteretur, ut Roman. XI. Gal. II. & II. ad Timoth. I. Ideoque noluit sic pro more incipere Epistolam: *Paulus Apostolus*, &c. sed absque ulla præfatione, statim ab initio tenendam de Christi dignitate & excellentia doctrinam profert. *Adiici potest* quod hæc Epistola scripta videatur per modum libri, non vero Epistolæ, unde circa finem v. 22. ait: *Rogo vos, fratres, ut sufferatis verbum solatii; etenim perpaucis scripsi vobis*; quod certe de libro quidem vere, non autem de simplici Epistola erat dicturus, hæc enim omnium est prolixissima.

[a] *lib. 6. hist. cap. 14.*

§. III.

Ad quos data sit hæc Epistola, & in qua lingua scripta fuerit.

VII. HAnc Epistolam ad Hebræos scripsisse S. Paulum, apparet ex titulo qui non adjectitius est, sed ab ipso S. Paulo præfixus est, cum non tantum in Græcis Codicibus, sed etiam in Versionibus omnibus, tam Orientalium quam Occidentalium Ecclesiarum appareat: Nec alio nomine hæc Epistola citatur a Patribus. Cæterum *Hebræorum* voce significantur hic omnes Judæi, qui recens ad Christum fuerant conversi, & propterea graves passi fuerant calamitates, quas ipse declarat cap. X. Unde I. ad Thessal. cap. II. *Imitatores facti estis Ecclesiarum quæ sunt in Judæa, quia eadem passi estis & vos a contribulibus vestris sicut & Ipsi a Judæis.*

Advertendum autem est quod ætate S. Pauli duæ erant Judæorum classes; alii namque dicebantur *Hellenistæ* seu *Græci*, quos ab *Hellene* Deucalionis filio *Helleneș*, seu *Hellenistas* nominatos dicunt. Unde Hebræi græcizantes dicebantur *Hellenistæ*, tum quod Græcorum urbes incolerent, tum quod in eorum Synagogis Biblia Græce legerentur. Qui vero vel Hierosolymis, vel ultra versus Orientem habitabant, simpliciter *Hebræi* vel *Hebraizantes* dicebantur. Primo quod etsi apud eos lingua Græca Romanave esset familiaris, tamen Hebraica, seu potius Syriaca pro vernacula utebantur, & insuper sacra Biblia non nisi Hebraice legebant. Ad utrosque vero hanc Epistolam direxit Paulus, qui tametsi Græce scripserit, ut statim dicemus, nihilominus Hebræorum titulum ipsi præfixit. I. Quia Hebræorum omnium Principes erant Jerosolymitani, qui hoc elogio gaudebant. II. Ut ostenderet se, nec Græcis, nec Græcizantibus Judæis ita favere, quin etiam Hebraizantes summa charitate foveret. *Tum denique* quia in hac Epistola Hebræorum Patriarcharum ac Prophetarum arcana erat referaturus, ostensuruque omnia eorum oracula in Christum Dominum mire collimare, ac subinde illum esse verum Messiam, tot Patriarcharum votis expetitum, totque Prophetarum vaticiniis promissum.

VIII. Qua lingua scripta sit hæc Epistola, jam ex parte indicavimus, fuit equidem veterum vulgata opinio, illam Hebraice fuisse conscriptam; ita præ cæteris docuit S. Clemens Alexandrinus supra laudatus, & prolatus ab Eusebio, ubi, inquit Eusebius, Epistolam ad Hebræos Pauli quidem esse affirmat,

mat, sed Hebraico sermone, utpote ad Hebreos primum scriptam fuisse; Lucam vero eandem Græco sermone studiose interpretatum, Græcis hominibus edidisse; quare in ea Epistola & Actibus Apostolorum eundem dictionis colorem reperiri. Eadem fuit Theodoreti & Oecumenii in præfationibus ad hanc Epistolam sententia: moventur autem omnes ea ratione, quam S. Hieronymus non tam suo, quam illorum Veterum nomine profert, [a] ubi de S. Paulo agens; *Scripsit*, inquit, *ut Hebræus Hebræis, Hebraice*, id est, *suo eloquio disertissime; ut ea quæ eloquenter scripta fuerant in Hebræo, eloquentius verterentur in Græcum; & hanc esse causam quod a cæteris Pauli Epistolis discrepare videatur*. Quod autem non suo nomine illa scribat Hieronymus, sed aliorum sensu, apparet ex præfat. in Evangelistas ad Damasum, ubi inter cætera scribit; *De novo nunc loquor Testamento quod Græcum esse non dubium est, excepto Apostolo Matthæo, qui primus in Judæa Evangelium Christi Hebraicis literis edidit*. Ubi solum excipiens *Evangelium Matthæi*, hauddubie fatetur cæteros novi Testamenti libros, Græce fuisse conscriptos.

[a] *libr. de Script. Eccles.*

IX. Cæterum id verosimilius de Epistola ad Hæbreos videri, colligere licet *primo* quod in hac Epistola veteris Testamenti, prolati textus sint secundum versionem Græcam LXX. Interpretum: Si vero Paulus Hebræus ad Hebræos Hebraice scripsisset, quidni potius testimonia posuisset, ut sunt in editione Hebraica? *Deinde* si scripsisset Hebraice, quid opus fuisset VII. cap. *Melchisedecis* nomen interpretari, dicens v. 2. *Melchisedech* significare *Regem justitiæ*, ac *Salem* designare *pacem?* Quod enim ipsius Auctoris, sint interpretationes illæ, non autem alicujus Interpretis, quemadmodum plures in libris Mosaicis occurrunt Hebraice voces ab Interprete explicatæ: apparet ex orationis contextu & serie, a qua si detrahas ea verba quæ continent Interpretationem, sermo non cohærebit. Argumentatur enim Apostolus ab ipsa nominum interpretatione, ut inde colligat *Melchisedech* Sacerdotem & Regem, fuisse typum & figuram Christi Sacerdotis & omnium Monarchæ, qui verus fuit justitiæ Rex & pacis, siquidem factus est nobis a Deo justitia & redemptio, & sanctificatio. Unde manifestum fit non eandem esse rationem interpretationis vocum Hebraicarum quæ in hac Epistola occurrunt, ac earum quæ passim occurrunt in veteri Testamenti. *Denique* si Hebraice scripsisset Paulus, qua ratione Hebraicum illius Epistolæ exemplar ita intercidisset, ut ne unus quidem Veterum legatur, qui istud propriis oculis conspexerit, aut illius apographum & exscriptum viderit; quis hanc in Ecclesiam Christi Sponsam, vel negligentiæ vel cœcitatis in inquirendo & conservando tam pretioso thesauro ac depositio notam iniiciat? Quanto satius est, & quanto sanctius credere Patres & Interpretes contrarium asserentes, falso rumori vel opinioni forte a Judæis venditatæ, nimium tribuisse, quam Ecclesiam onerare probro certe non levi.

Non me latet sæculo hoc nostro Judæum aliquem Melchiori Cano viro aliunde imprimis erudito, persuasisse exemplar illud Hebraicum apud Carpentoractenses extare. Sed cum nemo testetur id a se visum, quis non videat Cano verba data, ac vere jam pridem Juvenalem cecinisse:

Qualiacumque voles, Judæus omnia vendet.

X. In hunc potissimum scopum Apostolus in hac Epistola collimat, ut qui eos ex Judæis in Christum crediderant, a Mosaicæ Legis observantia & cæremoniarum cultu prorsus avocaret, illosque ad constanter pro Christo ferendas quascunque tribulationes stimularet. Quod ut assequatur, *primum* demonstrat supereminentem Christi divinitatem & auctoritatem, qui longe non solum Prophetas & Patriarchas omnes, sed & Mosem Hebræorum Legislatorem, imo & Angelos transcendit, utpote cum sit verus Dei filius, splendor illius gloriæ, & ejusdem cum Patre divinitatis ac potentiæ. *Secundo* ejusdem Sacerdotium æternum *secundum ordinem Melchisedech* prædicat, necnon vim infinitam unici illius cruenti in cruce sacrificii, omnibus veteribus sacrificiis adumbrati, ad cujus præsentiam cætera deficiant & evanescant, cum istud sit sufficientissimum ad nostram salutem operandam. *Tertio* declarat Christi Domini officium esse, ut per suum sanguinem sit omnium peccatorum Expiator, hominum cum Deo Patre Reconciliator ac cœli Reserator ac Restitutor, ad quæ præstanda insufficientia prorsus ac inutilia erant veteris Legis sacramenta.

Inde elicit differentiam summam inter Veterem Legem a Mose, & novam a Christo conditam, ostendens excellentiam novi Testamenti præ Veteri: quod maxime confirmat exemplo omnium illustrium Sanctorum Patriarcharum ac Prophetarum, qui non nisi per fidem in Christum venturum, non autem vi & efficacia Legis justificati sunt, & quascunque calamitates propter Deum constantissime sunt perpessi, quorum exemplo provocat Judæos recens ad Christum conversos, ut eadem fide, sed multo divinius vegetati ac confirmati æquo ac constanti animo sustinere perseverent omnes quibus propter Christum jactabantur calamitates & persecutiones; permaneantque in tradita sibi perfectæ sanctimoniæ disciplina, necnon vere Christiana constantia, cujus egregia jam specimina dederant cap. X. *Rememoramini*, inquit, *pristinos dies in quibus illuminati magnum certamen sustinuistis passionum, &c.*

Quod attinet ad locum & ad tempus quibus scripta fuerit, vix certo quidpiam definiri potest. Constat tamen illam ex Italia scriptam esse; nam ad calcem hæc habentur; *Salutant vos de Italia fratres*: S. Chrysostomus, & alii plerique Romæ datam existimant, anno postremo Pauli vinculationis: Nam *capite ult.* petit pro se eorum orationes, quo celerius eis restituatur, videlicet e carcere liberandus, ex quo jam solutum esse Timotheum eos admonet v. 23.

CA-

CAPUT SEPTIMUM.

De cæteris Epistolis S. Paulo a veteribus adscriptis.

I. *Revera S. Paulum scripsisse Epistolam ad Laodicenses plurimi Patres asseruerunt.*

II. *Quibus S. Thomas adstipulatur: sed levi ductus fundamento.*

III. *Neque verius auguratur Theophylactus Epistolam ad Laodicenses eamdem cum priore ad Timotheum existimans.*

IV. *Evertitur præcipuum fundamentum quo Epistolæ ad Laodicenses Assertores nituntur.*

V. *Verosimilius itaque est nullam ad Laodicenses scriptam fuisse a S. Paulo Epistolam.*

VI. *Epistola supposititia ad Laodicenses.*

VII. *Supposititiæ etiam sunt Epistolæ S. Pauli ad Senecam.*

VIII. *Aliquæ istarum Epistolarum reseruntur & repudiantur.*

§. I.

I. ALiæ sunt a plurimis Ecclesiæ Patribus nomine *Pauli* memoratæ Epistolæ, quarum potissima, ea est quæ scripta dicitur ad Laodicenses. Porro advertendum est tres Urbes Laodiceæ nomine fuisse insignitas: Unam Medorum a Macedoniis sive Græcis conditam, & propterea a Strabone, Lib. II. *Græcam* dictam, alteram Syriæ, in qua celebratum est Concilium Laodicense, & quam Seleucus ita nobis descripsit, & a Matre Laodiceæ voluit nuncupari, eodem Strabone teste, Lib. XVI. Tertiam in Phrygia, non procul a confluente Lyci & Meandri, cujus meminit Plinius [a], necnon S. Joannes Apocalyp. Cap. I. v. 11. & IV. v. 14. Hæc autem est ad cujus Cives scripta dicitur Epistola quæ jam in controversiam venit: quam revera aliquando extitisse affirmat S. Anselmus, exponens hæc S. Pauli ad Coloss. cap. IV. v. 16. verba; *Cum lecta fuerit apud vos Epistola hæc, facite ut & in Laodicensium Ecclesia legatur; & eam, quæ Laodicensium est, vos legatis.* In quæ verba ait Paulum scripsisse Epistolam ad Laodicenses, eamque sicut cæteras ejus Apostolica auctoritate fuisse firmatam: sanctam tamen Ecclesiam non nisi quatuordecim tenere Epistolas Pauli, ut ex ipso Epistolarum numero pernotesceret Paulum, & Legis undique, & Evangelii arcana fuisse rimatum ac sapientiam veteris ac novi Testamenti compendiaria quadam doctrina contineri in Epistolis Pauli, ideoque numerum quatuordecim, qui hæc significabat, noluit excedere. *Hæc Anselmus*. Quæ videtur mutuatus a S. Gregorio, [b] qui pariter affirmat quindecim Epistolas scripsisse, sanctam tamen Ecclesiam non amplius quam quatuordecim tenere; ut ex ipso Epistolarum numero ostendat, quod Doctor egregius, Legis & Evangelii secreta rimatus esset. *Verum* quam levis, ne dicam inanis sit hæc ratio repudiandæ Apostolicæ Epistolæ, si talis esset, necesse non est pluribus demonstrare.

[a] *lib. v. Histor. Natural. cap. XXII.*

[b] *lib. 24. Moral. cap. 25.*

II. Nec magis probabile videtur quod in eundem locum ad Coloss. scribit S. Thomas, fuisse quidem a S. Paulo scriptam Epistolam ad Laodicenses, sed non fuisse receptam ab Ecclesia, *vel quod* de ejus auctoritate non plane constaret; *vel quod* esset ab Hæreticis interpolata & depravata; *vel quod* eadem prorsus haberet quæ sunt in aliis Pauli Epistolis. Quis enim credat ita Hæreticos depravasse omnia hujus Epistolæ exemplaria, ut nulla prorsus genuina & integra apud Catholicorum aliquem extarent? Verosimilius quid dixisset, affirmando olim extitisse *Epistolam ad Laodicenses* nomine quidem *Pauli*, sed confictam ab Hæreticis, & ab Ecclesia constanter rejectam, teste S. Hieronymo, [c] qui cum recensuisset omnes S. Pauli Epistolas ait: *Legunt quidam & ad Laodicenses Epistolam, sed ab omnibus exploditur.* Favet tamen S. Thomæ opinioni Philastrius: [d] *Aiunt*, inquit, *Epistolam ad Laodicenses scriptam; & quia addiderunt in ea quædam non bene sentientes; inde non legitur in Ecclesia, & si legitur a quibusdam, non tamen in Ecclesia populo legitur.* Itaque ex Philastrii sententia, non sic apparet eam fuisse explosam, quod non esset Pauli, sed quod additis ei nonnullis haberetur adulterata.

[c] *lib. de Script. Eccl.*

[d] *Hæres. 9.*

III. Nec propius in scopum collimat Theophylactus, dum ait præfatis, ad Colossenses verbis, Paulum intellexisse priorem Epistolam ad Timotheum scriptam; quod ut dictum est, eadem scripta fuerit Laodiceæ. Nam quæ subest ratio, ut Epistolam ante plurimos annos scriptam legi voluerit in Ecclesia Colossensium; vel cur illam magis, quam reliquas ad diversas Ecclesias jam datas ab eo Epistolas? Quid enim illa Epistola uni Timotheo docendo pertinebat ad erudiendos Colossenses, ut coram eis speciatim legi debuerit? Referunt etiam Tertullianus, [e] & S. Epiphanius, [f] Marcionem occasione hujus ad Colossenses textus, Epistolæ ad Ephesios scriptæ titulum mutasse, inscribendo eam ad Laodicenos: existimabat enim hanc Epistolam non fuisse scriptam Ephesiis, sed Laodicensibus. Unde S. Epiphanius ex Epistola a Marcione citata, producit testimonium hoc: *Unus Deus, una Fides, unum baptisma, &c.* Quæ sententia iisdem verbis legitur in Epistola ad Ephesios cap. IV.

[e] *lib. 5. cap. 11. contra Marcion.*

[f] *Hæres. 42.*

cap. IV. At vafritiem & mendacium hæretici, ut antea diximus, detegit S. Ignatius Martyr, qui mox dicta verba non ad Laodicenses, sed tanquam ad Ephesios scripta producit in ea Epistola, quam ipse *ad Ephesios* scripsit.

a *homil.* 12. *in Epist. ad Coloss.*

IV. Verior itaque S. Chrysostomi [a] sententia, qua præfata S. Pauli ad Coloss. verba; *Et ea quæ Laodicensium est, vos legatis*; sic explicat, ut significent Epistolam non quam Paulus ad Laodicenses scripserit, sed quæ a Laodicensibus missa fuisset ad Paulum; cui favet editio Græca; habet enim καὶ τινὰ ἐκ Λαοδικείας, &c. *Quæ ex Laodicea scripta est*. Cui sententiæ subscribens Theodoretus in eadem verba ait: *Quidam existimant Paulum etiam scripsisse ad Laodicenses Epistolam: itaque fictam eam Epistolam proferunt. Divinus autem Apostolus non dixit, eam quæ* AD LAODICENSES: *sed eam quæ* EX LAODICEA; *illi enim de aliquibus rebus ad eos scripserant. Verosimile est autem eos vel ea accusasse quæ fiebant Colossis; vel eodem morbo cum eis laborasse: & ideo dixit hanc quoque Epistolam esse legendam*. Hæc Theodoretus. Itaque juxta hanc sententiam optime vertit Interpres noster, eam *quæ Laodicensium est*: Nam usu loquendi, Epistola dicitur esse ejus a quo scripta est, ut Ciceronis, Plinii; non item ejus ad quem scripta est.

V. Ex his constat nullam revera ad Laodicenses a S. Paulo fuisse scriptam Epistolam, nec ullam hoc nomine, ætate Tertulliani adhuc fuisse confictam. Nam qua ratione Marcion; illam quæ habetur data ad Ephesios, scriptam fuisse ad Laodicenses putaret, si eo tempore alia ad Laodicenos fuisset vulgata: vel si & ipse illam spuriam cognovisset, cur pugnacissimus ille disputator, non illam potius, quam istam ad Laodicenses scriptam fuisse convinceret. Cum itaque nec ille, nec Tertullianus, non alterius Epstolæ *ad Laodicenses* meminerint, quam illius quæ revera est ad Ephesios; quamque non his, sed Laodicensibus datam fuisse volebat Marcion: argumentum est, nullam adhuc eorum ætate fuisse ab hæreticis confictam nomine *Pauli* ad Laodicenses Epistolam. Unde quæ postmodum vulgata fuit, posterioris sæculi spurius fœtus extitit.

Cæterum illa quæcunque fuerit conficta Epistola; diversa videtur ab ea quam Anselmus subjunxit commentario suo Epistolæ ad Coloss. Item & Faber Stapulensis: nec non Sixtus Senensis, [b] qui putant non absimile vero eam a Paulo fuisse exaratam. Legitur etiam in vetustis Bibliis Wormatiensibus, & in quibusdam Bibliorum Codicibus apud Anabaptistas. Verum quantum hallucinentur qui ita putant, ut videat Lector, hujus ab eis commemoratæ Epistolæ tenorem inscribere volui. Is autem est.

b *lib.* 2. *Biblioth. sanct.*

VI. PAulus Apostolus non ab hominibus, neque per hominem, sed per Jesum Christum, fratribus, qui estis Laodiceæ, gratia vobis, & pax a Deo Patre nostro, & Domino Jesu Christo: GRATIAS ago Christo per omnem orationem meam, quod permanentes estis, ac perseverantes in operibus bonis, promissionem expectantes in die judicii. Neque disturbent vos quorumdam vaniloquia insimulantium veritatem, ut vos avertant a veritate Evangelii, quod a me prædicatur, & nunc faciet Deus, ut qui sunt ex me, ad perfectum veritatis Evangelii sint deservientes, & benignitatem operum facientes, quæ sunt salutis vitæ æternæ: & nunc palam sunt vincula mea, quæ patior in Christo, in quibus lætor & gaudeo. Et hoc mihi est ad salutem perpetuam, quod factum est orationibus vestris, administrante Spiritu sancto, sive per mortem, est mihi vivere vita in Christo, & mori gaudium: & ipse in nobis faciet misericordiam suam, ut eamdem dilectionem habeatis, & sitis unanimes. Ergo dilectissimi, ut audistis præsentiam Domini, ita sentite, & facite in timore: & erit vobis vita in æternum: (est enim Deus, qui operatur in vobis) & facite sine peccato quæcumque facite: & quod optimum est, dilectissimi, gaudete in Domino Jesu Christo, & cavete omnes sordes in omni lucro. Omnes petitiones vestræ sint palam apud Deum. Estote firmi in sensu Christi, &, quæ integra, & vera, & pudica, & casta, & justa, & amabilia sunt, facite: & quæ audistis, & accepistis, in corde retinete: & erit vobis pax. Salutant vos omnes sancti: gratia Domini nostri Jesu Christi cum Spiritu vestro. Amen. Hanc facite legi Colossensibus, & eam, quæ est Colossensium, vobis.

Verum spuriam ac supposititiam esse hanc Epistolam, nemo est qui facile non possit coniicere, *Primo* namque nec materia nec scopus Paulum sapiunt; nullum enim hac in Epistola argumentum tractat, sive dogmaticum, sive electicum: accumulat solum aliquas sine ullo ordine commonitiones. *Deinde* Pauli genium nullatenus sapit. Tonat fulgurat, meras flammas loquitur Paulus: At hæc præterquam quod brevissima est, „ *inquit Erasmus*, [c] quam friget quam „ jacet? Si Pauli spiritum sapiat, cur ab „ Ecclesia repudiatur, & non nisi tineis & „ blattis tot sæculis fuit agnita? Qui factum „ est ut hæc Epistola apud Latinos, dun-

c *in Epist. ad Coloss.*

„ taxat extet? nullus enim est apud Græ-
„ cos ne veterum quidem, qui testetur eam
„ Epistolam a se lectam. At quid attinet
„ argumentari, cum nullum argumentum
„ efficacius persuaserit eam non esse Pauli
„ quam ipsamet Epistola.

§. II.

De Epistolis S. Pauli ad Senecam.

VII. FEruntur etiam nonnullæ Epistolæ S. Pauli ad Senecam, & Senecæ ad Paulum, quarum meminit S. Hieronymus lib. de Script. Ecclesiast. ubi de Seneca scribit. *Non ponerem*, inquit, *eum in Catalogo Sanctorum* (Auctorum) *nisi me illæ Epistolæ provocarent, quæ leguntur a plurimis, Pauli ad Senecam, & Senecæ ad Paulum.* Novit etiam eas S. Augustinus, [a] qui item earumdem meminit: *Merito*, ait, *Seneca, (qui temporibus Apostolorum fuit, cujus etiam quædam ad Paulum leguntur Epistolæ,) omnes odit, qui malos odit.* Verum nullam hisce Epistolis fidem habuisse S. Augustinum, apparet ex his quæ scribit, [b] inter cætera dicens, illum Christianos commemorare non fuisse ausum, *Ne vel laudaret contra suæ Patriæ, veterem consuetudinem; vel reprehenderet contra propriam forsitan voluntatem.* Si ergo ex sententia S. Augustini Seneca de Christianis nunquam meminit, qui fieri potuit ut dictæ Epistolæ in quibus de Christianis, & religione Christiana sæpe agitur, & cum Christiano homine Christi Apostolo, Senecæ adscribantur.

[a] Epist. 14.

[b] lib. 6. cap. 11.

Non alio ex fonte arbitror commentitias has Epistolas emersisse, quam ex Actis passionis Pauli, *Lini* nomine consignatis, in quibus hæc de Seneca & S. Paulo: *Institutor Imperatoris* (Seneca) *adeo est illi* (Paulo) *amicitia copulatus, videns in eo divinam scientiam, ut se a colloquio illius temperare vix posset: quominus si ore ad os alloqui illum non valeret, frequentibus datis & acceptis Epistolis ipsius dulcedine & amicabili colloquio atque consilio frueretur.* Sed qualia sint hæc Acta, non est opus pluribus declarare; ex ipsorum enim inspectu constat esse supposititia. Unde liquet aliquando opiniones nonnullas a vero alienas ex falsis Actis etiam doctis alioqui viris aut fuisse persuasas, aut in medio relictas; nec ex eorum approbatione, aut usurpatione semper de rerum veritate, si præsertim alia repugnent judicandum esse. Baronius [c] dum perpendit eam infra positam Senecæ Epistolam, in qua de incendio Neroniano agitur, existimat illam ab alio quopiam potius fictam, quam a Seneca scriptam, cum aperta in ea asserantur mendacia. Et de cæteris addit: *Quamobrem & reliquæ illæ tum ad Paulum conscriptæ, tum a Paulo redditæ, æque nobis suspectæ sunt; quamvis sciamus eas non recens esse excogitatas, sed antiquitus scriptas & a S. Hieronymo cognitas & approbatas.* Ut autem Lector harum experimentum faciat, nonnullas ex eis hic adiiciendas volui.

[c] ad ann. 66. num.

PAULO ANNÆUS SENECA SALUTEM.

VIII. PRofiteor bene me acceptum in lectione litterarum tuarum, quas Galatis, Corinthiis, & Achæis misisti. Spiritus enim sanctus in te, & supra te excelsos; sublimiores, valdeque venerabiles sensus exprimit. Vellem itaque, cum res eximias proferas, ut majestati earum cultus sermonis non desit. Et ne quid tibi Frater surripiam, aut conscientiæ meæ debeam, confiteor Augustum sensibus tuis permotum: Cui, lecto litterarum exordio, hæc vox fuit: mirari eum posse, ut qui non legitime imbutus sit, taliter sentiat. Cui ego respondi, solere Deos ore innocentium effari, addens ei exemplum Vaticani hominis rusticuli: Cui cum duo viri apparuissent in agro Reatino, qui Castor & Pollux sunt nominati, divinitus instructus fuit. Vale.

PAULUS SENECÆ SALUTEM.

LIcet non ignorem Cæsarem nostrarum rerum admiratorem, & amatorem esse, permittes tamen, te non lædi, sed admoneri. Puto enim te graviter feciisse, quod in notitiam perferre voluisti, quod ritui & disciplinæ ejus sit contrarium; cum & ille Gentium Deos colat. Quid tibi visum sit, ut hoc eum scire velles, non video: Sed nimio amore meo facere te hoc existimo. Rogo te de futuro, ne id agas. Cavendum est enim, ne dum me diligis, offensam Domino facias: cujus quidem offensa, nec oberit, si perseveraverit: neque, si non sit, proderit. Si est Regina, non indignabitur: Si mulier est, offendetur. Bene Vale.

PAULO ANNÆUS SENECA SALUTEM.

SCito te non tam mei causa commotum literis, quas ad te de editione Epistolarum tuarum Cæsari feci, quam natura rerum: quæ ita mentes hominum ab omnibus artibus & moribus revocat, ut non hodie admirer; quippe ut is, qui multis documentis hoc jam notissimum habeam, igitur nove agamus, tu si quid facile in præteritum Actum est, veniam irrogabis. Misi tibi librum de verborum copia. Vale Paule charissime.

PAULUS SENECÆ SALUTEM.

QUoties tibi scribo, & nomen meum tibi profero, gravem & Sectæ meæ incongruam rem facio. Debeo enim, ut sæpe professus sum, cum omnibus omnia esse; & idem observare in tuam personam, quod

lex

lex Romana honori Senatus concesserit, scilicet in Epistola ultimum locum eligere, ne cum aporia & dedecore cupiam efficere quod mei arbitrii fuerit. Vale devotissime Magister, Data quinto Kalend. Julii, Nerone quarto, & Messala Consulibus.

PAULO ANNÆUS SENECA SALUTEM.

AVe mi Paule charissime. Si mihi, nomineque meo vir tantus & dilectus omnibus modis, non dico fueris junctus, sed necessario mixtus: apte Actum erit de Seneca tuo. Cum sis igitur vertex & altissimorum omnium montium cacumen, haud te indignum in prima facie Epistolarum nominandum censeas, ne tam tentare me, quam ludere videaris, quippe cum scias civem esse te Romanum. Nam qui meus, tuus apud te locus, qui tuus, velim ut meus. Vale Paule charissime. Data x. Kal. Aprilis, Apriano & Capitone Consulibus.

PAULO ANNÆUS SENECA SALUTEM.

AVe mi Paule charissime. Putas ne me haud contristari, & non luctuosum esse, quod de innocentia vestra subinde sumatur supplicium? Dehinc quod tam obnoxios vos reatui omnis populus judicet, putans a vobis effici, quod in urbe contrarium fit? Sed feramus æquo animo, & utamur foro, quod sors concessit, donec invicta felicitas finem malis imponat. Tulit & priscorum ætas Macedonem Philippi filium, & Dionysium: Nostra quoque Caium Cæsarem: quibus quicquid libuit, licuit. Incendium urbs Romana unde sæpe patiatur, manifeste constat: sed si effari humilitas humana potuisset, & impune his tenebris loqui liceret, jam omnes omnia viderent: Christiani, & Judæi quasi machinatores incendii supplicio affici solent. Grassator iste quisquis est, cui voluptas carnificina est, & mendacium velamen, tum, tempori suo destinatus est, & sicut optimi cujusque caput pro uno donatur capite, ita unum pro multis dabitur caput, & hic denotus pro omnibus igni cremabitur. Centum triginta duæ domus, insulæ quatuor sex diebus arsere: septimus pausam dedit. Bene te valere opto. Data quinto Kal. Aprilis, Frigio, & Basso Consulibus.

PAULO ANNÆUS SENECA SALUTEM.

AVe mi Paule charissime. Allegorice & ænigmatice multa a te usquequaque opera conduntur, & ideo rerum tanta vis & muneris tibi tributa, non ornamento verborum, sed cultu quodam decoranda est. Sæpius te dixisse retineo, multos, qui talia affectent, sensus corrumpere, & rerum virtutes. Cæterum hoc mihi concedas velim: Latinitati morem gere, honestis vocibus speciem adhibe, ut generosi muneris concessio digne a te possit expediri. Bene vale. Data V. nonas Julii, Leone, & Savino Consulibus.

PAULUS SENECÆ SALUTEM.

PErpendenti tibi ea sunt revelata, quæ paucis Divinitas concessit. Certus igitur ego in agro jam fertili semen fortissimum sero; non quidem materiam, quæ corrumpi videtur, sed verbum stabile Dei derivamentum crescens, & manens in æternum. Quod prudentia tua assecuta est, indeficiens fore debebit. Ethnicorum, Israelitarumque observationes censeo vitandas. Quæ propemodum adeptus es, Regi temporali, ejusque domesticis, atque fidis amicis insinuabis. Quibus etsi aspera & incaptibilis erit persuasio tua, cum plerique eorum minime flectantur insinuationibus tuis: sermo tamen Dei instillatus, novum in his hominem pariet ad Deum hinc properantem, vale Seneca charissime nobis. Data Kalend. Augusti, Leone, & Savino Consulibus.

Ex iis Lector facile deprehendet harum litterarum stylum nec S. Pauli nec Senecæ genium sapere; Quis enim credat S. Paulum cum Seneca ex humanitate contendere, inquit Joannes Hoornbeekius, de priori nominis loco; vel sic concludere ad Senecam: Vale devotissime Magister? Data quinto Kal. Julii Nerone quarto, & Messala Consulibus. II. Rem quod attinet, de libris & litteris inter se agere, nihil vero tot litteris de Christo & fide, haud Apostolicum. Quid ad Paulum volumina Senecæ, & quomodo ea distribuantur? Vel liber ei a Seneca missus, de copia verborum? Vel judicium, de sermonis elegantia? ut Paulus, felicem se arbitretur, tanti viri judicio, ut in hisce Epistolis legitur? Vel ut adeo se oblectetur Senecæ sui charissimi recordatione, maxime quando ejus litteras audit, nihil Christi, imo nihil egregii sonantes? Imo plus Religionem attigisse in suis hisce litteris videtur Seneca, quam Paulus, eum consolans exemplo veterum Ethnicorum; & incendii Romani, cujus obiter Seneca sic meminit, ut fraudem scriptor magis, poliat, causam qua centum triginta domus, & insulæ quatuor, sex diebus arsere, a Christianis removet.

CAPUT OCTAVUM.

De Epistolis SS. Jacobi & Petri Apostolorum.

I. *Quare inter Canonicas Apostolorum Epistolas, ea quæ est S. Jacobi primum locum habeat?*

II. *Duo tantum fuere Christi Discipuli* Jacobi *nomine appellati.*

III. *Cur oppositum plures Sanctorum Patrum crediderint?*

IV. *Quis fuerit hujus Epistolæ Auctor?*

V. *An Epistola hæc semper ut Canonica fuerit recepta?*

VI. *Quis fuerit S. Petrus & qua de causa Epistolas scripserit?*

VII. *Prima S. Petri Epistola Romæ data est.*

VIII. *Quale sit præcipuum hujus Epistolæ argumentum?*

IX. *Cur secundam scripserit Epistolam S. Petrus.*

X. *Secundam Petri Epistolam veluti Canonicam semper habuit Ecclesia, eamque S. Petro semper adjudicavit.*

XI. *Grotius turpiter hallucinatus est dum a S. Petri scriptis hanc Epistolam removere satagit.*

XII. *De aliis scriptis Sancto Petro perperam adjudicatis.*

§. I.

De Jacobi Epistola.

I. INter septem Canonicas Epistolas quæ Paulinas sequuntur Apostolorum, in sacris Bibliis prior occurrit, ea quæ S. *Jacobi* nomine inscribitur, non quidem ordine dignitatis; sic enim præponi debuissent Epistolæ S. Petri, utpote Apostolorum Principis, quemadmodum priores eas recenset Concilium Tridentinum in sacrorum librorum Canone; sed forte quia prius scripta est, priorque post mortem Auctoris inter Canonicas Epistolas recepta: obiit enim S. Jacobus ut plurimi putant ante S. Petrum sex annis, & XXXVIII. ante Joannem; Tria autem circa hanc Epistolam occurrunt præcipue discutienda. I. Quis sit illius Auctor. II. Quæ auctoritas. III. Quod argumentum.

Consentiunt quidem omnes sacri Interpretes, eam a sancto Jacobo fuisse editam. At quis fuerit ille *Jacobus* controvertitur. Sunt enim plurimi Veteres & Recentiores, qui tres e Christi Discipulis hoc nomine appellatos velint: quorum unus fuerit filius Zebedæi, frater Joannis Evangelistæ, occisus ab Herode Act. XII. qui solito *Major* appellatur, & ut specialis Hispaniarum Protector invocatur & colitur: alter filius Alphæi seu Cleophæ, frater Judæ & Simonis Apostolorum, qui a S. Marco cap. XV. v. 4. dicitur *Jacobus Minor*, sive quia vocatione altero posterior fuit, ut volunt aliqui: sive quia statura corporis brevior erat, ut existimat Feuardentius noster: sive ut verosimilius censeo, quia altero ætate erat inferior. Præter quos alium ab eis distinctum affirmant, illum scilicet Jerosolymorum Episcopum Christi Domini Discipulum, ejusque cognominatum Fratrem, atque ob eximiam pietatem *Justum* appellatum. Ita docent S. Clemens Romanus, vel quisquis est Auctor libri Recognitionum, Hegesippus prolatus ab Eusebio [a] Cyrillus Jerosolymitanus [b], nec-

[a] *lib. 2. Hist. Eccles. cap. 23.*

[b] *Catech. 4. & 14.*

non Auctor Epistolæ ad Heronem inter Ignatianas. *Similiter* Gregorius Nyssenus [c], atque etiam interdum Hieronymus [d]: quibus subscribunt omnes pene Heterodoxi, in primis vero Grotius init. Comment. in hanc Epistolam, qui illam posteriori huic Jacobo cum præfatis Auctoribus adjudicat.

[c] *Orat. 2. de Christi Resurrect.*

[d] *lib. de Script. Eccles.*

Verum S. Hieronymus re maturius deliberata, hanc sententiam diserte refellit in Comment. adversus Helvidium, ubi duos tantum fuisse Jacobos, alterum *Zebedæi*, *Alphæi* alterum, eosdemque *Majorem* & *Minorem* dictos, aliisque differentiis inter se distinctos affirmat ac probat. Ipsi præiverat Eusebius [e], qui ex Clemente Alexandrino duos tantum fuisse Jacobos tradit his verbis: *Cæterum duo fuere Jacobi, alter cognomento* Justus *qui ex templi fastigio præcipitatus, & a fullone fuste percussus, interiit: alter qui capite truncatus est.* Probatur autem hæc sententia, primo quidem ex universali Ecclesiæ Latinæ consensu, quæ duos solum Jacobos, eosque Apostolos agnoscit & veneratur, ut constat *tum* ex Martyrologiis omnium Ecclesiarum, *tum* ex institutis in eorum honorem solemnitatibus; *tum denique* ex officio Ecclesiastico. Nam in celebritate *S. Jacobi Minoris* eum & *Apostolum* & *fratrem* Domini, & Jerosolymorum Episcopum, atque hujus Epistolæ Auctorem prædicat. *Secundo* ex auctoritate Conciliorum, a quibus confectus est & probatus sacrorum librorum Catalogus. Nam in Apostolicarum Epistolarum serie, una Jacobi Apostoli distincte dicitur. *Tertio denique* ex Oraculis S. Pauli, qui ad Galat. I. v. 19. cum dixisset se ascendisse Jerosolymam ut videret Petrum, addit; *Alium autem Apostolorum vidi neminem, nisi Jacobum fratrem Domini*; ubi Jacobum Jerosolymorum Antistitem distincte *Apostolum* pronuntiat: quod insuper confirmat cap. sequenti v. 9. *Cum cognovissent*, inquit, *gratiam quæ data est mihi*,

[e] *lib. 2. hist. cap. 1.*

mihi, Jacobus & Cephas & Joannes, qui videbantur columnæ esse, dextras dederunt mihi, &c. Neque enim Jacobum fratrem Domini cum Petro & Joanne contulisset, imo aliqua ratione prætulisset, eum prius nominans, nisi perinde ut illos, noviſſet Apostolum esse, & ex eorum numero, quos Christus Ecclesiarum Principes ac præcipuos Rectores instituit.

Accedit ad hujus rei confirmationem, quod in Concilio Apostolorum Jerosolymis celebrato Act. XV. Jacobus primus post S. Petrum præsentibus aliis Apostolis sententiam dixerit: neque enim id attentasset, nisi paris cum aliis ratione Apostolatus fuisset auctoritatis & dignitatis; quandam vero obtinuisset præeminentiam ac præcedentiam ratione suæ Sedis Episcopalis illius loci, ubi Concilium agebatur. Nec est quod reponas istud ei concessum, quod sedem Hierosolymitanam occuparet. Enimvero si simplex duntaxat fuisset Discipulus & Episcopus, id sibi honoris & muneris præ Apostolis Ecclesiarum Magistris & Principibus non arrogasset; neque enim mos est, ut in Synodis Ecclesiasticis, quarum hæc Jerosolymitana & Apostolica exordium fuit & norma, Episcopus loci in quo Synodus agitur, ante Primates qui Apostolos referunt, post Summum Pontificem sententiam dicat, nisi ipse vel Patriarchalem, vel Primitialem sedem teneat; oportuit ergo ut S. Jacobus non solum Jerosolymorum simplex Episcopus, sed etiam revera Apostolus fuerit.

At, inquies, ipsemet S. Paulus Epist. I. ad Cor. cap. XV. haud obscure significat Jacobum illum non fuisse Apostolum; referens enim varias Christi post resurrectionem suam Discipulis apparitiones, quæ tot essent argumenta ipsum resurrexisse a mortuis, ait, *Visus est Cephæ, & post hoc Undecim: deinde visus est plusquam quingentis Fratribus simul... Deinde visus est Jacobo, deinde Apostolis omnibus.* Ubi videtur distinguere *Jacobum* a cæteris Apostolis: refert enim apparitionem illi factam seorsim ab undecim, & ab omnibus Apostolis. Fuit ergo inter Christi Discipulos Jacobus unus qui non erat Apostolus. Egregia sane illatio? Quasi vero, idem *de Petro*, quod ille *de Jacobo* colligere non possem, Petrum non fuisse Apostolum quod apparitio Christi ei facta, narretur seorsim ab undecim & ab omnibus Apostolis!

Ne autem in re tam ludicra multis verbis ludere videar, dico Apostolum hic referre varias Christi post suam resurrectionem manifestationes, quarum aliquæ fuerunt puplicæ, qualis ea qua se præsentem & videndum præbuit quingentis Fratribus, ideit, universo Ecclesiæ cœtui: & illa qua se manifestavit tantum undecim Apostolis. Aliæ vero particulares fuerunt & privatæ, ut illa qua se manifestavit Petro atque Jacobo; illi quidem quoniam esset Apostolorum caput, & supremus illius in terris Vicarius; huic vero, quod ab eo designatus esset primus Jerosolymorum Episcopus, & ab Apostolis brevi instituendus, ut nascentem ibi Ecclesiam foveret, ut ex Clemente Alexandrino refert Eusebius [a] ubi subdit, Jacobo justo & Joanni & Petro Dominus post Resurrectionem scientiæ donum impertiit: quod illi cæteris Apostolis, hi vero LXX. Discipulis, quorum unus fuit Barnabas, tradiderunt. Nempe circunstantias & argumenta suæ Resurrectionis, & varia Ecclesiæ nascentis instituendæ præcepta, quæ cum ipsi a Christo accepissent, cæteris Apostolis tradiderunt, & hi cæteris Discipulis, priusquam omnes gratiæ & scientiæ plenitudine in adventu Spiritus S. imbuerentur.

[a] *lib. 2. cap. 1.*

III. Quorsum ergo, inquies, tot SS. Patres ac celebres Scripturarum Interpretes in contrariam sententiam jerunt? *Respondeo* illos forte in eam fuisse inductos, tum ex pervulgato Clementis Romani nomine, lib. 1. Recognitionum, nec non & secundo Constitutionum, qui libri cum videantur suppositi, nullam fidem merentur, sicut nec ea quæ ex illis deprompta sunt: tum ex Hegesippi narratione, qui ut videre est apud Eusebium [b] cum plures *Jacobi* nomine appellatos dixisset, Jacobum Jerosolymitanum Episcopum ab Apostolis distinguere videtur cum ait; *Ecclesiæ administrationem una cum Apostolis suscepit Jacobus frater Domini, qui jam inde a Christi temporibus ad nostram usque ætatem* JUSTUS *cognominatus est.* At hæc narratio nihil movere debet, quippe licet eam non ut inanem fabulam, quantum ad omnia capita, nolim cum Scaligero [c] temere reprobare; nollem tamen singulas ejus approbare circunstantias: tametsi enim pleraque vera sint, aut veris certe simillima, quædam tamen esse perabsurda, præsertim ea quæ ab aliis addita fuerunt, fatetur etiam Petavius [d] illius narrationis contra Scaligerum assertor & vindex: *Quis enim*, inquit, *fidem dabit Hegesippo dicenti uni & soli Jacobo licuisse in Sancta Sanctorum ingredi, quæ soli supremo Judæorum Pontifici semel quotannis patebant Jacobus, autem nec Levita, nedum Sacerdos erat.*

[b] *lib. 2. cap. 23.*

[c] *animadver. ad ann. CCLXXVII.*

[d] *in notis ad Epiphan. pag. 332.*

Excusare quidem nititur Petavius Hegesippum dicendo eum non scripsisse, *Sancta Sanctorum*, quorum introitus soli Summo Pontifici semel in anno concessus erat; sed tantum *in Sancta*, nempe in locum in quo mensa, & panes propositi, ac candelabrum & altare suffitus erant. At quam frigida sit hæc excusatio & Hegesippo contraria, apparet ex eo quod, ipso etiam ibi fatente Petavio in hunc locum, *Sancta* dictum Sacerdotes quotidie ingredi solebant. Itaque id soli Jacobo non licebat: nisi forte velis ad hunc locum una cum Sacerdotibus Jacobum ob eximiæ justitiæ & singularis pietatis prærogativam, solum ex Laicis fuisse admissum: at quis credat id concessum a Sacerdotibus Mosaicæ Legis studiosissimis, & Christi Discipulis summe infensis, Jacobo Christi discipulorum Antistiti, illiusque præconi assiduo & Mosaicæ Legis expugnatori. Non est ergo quod ullatenus nos moveat numerosus ille Auctorum nobis adversantium cœtus, qui ex tam debili fundamento & incertis auctoritatibus in eam sententen-

tentiam ierint, ut plures quam duos *Jacobi* nomine Christi Discipulos assererent.

IV. Duo itaque tantum revera fuerunt Jacobi, illique Apostoli. Qui vero dictus est *Minor*, & Jerosolymorum Episcopus institutus, hanc edidit Epistolam: neque enim *Jacobo Majori* adscribi potest, utpote qui ab Herode prius fuerit occisus, quam extra Judæam propagatus esset Evangelicus sermo, ac proinde nondum erant dispersi per varias orbis regiones Judæi, qui in Christum credebant, ut ad eos hanc Epistolam dirigeret.

Si hæc ita sint, cur ergo, *inquies*, Apostoli titulum huic Epistolæ Jacobus non adscripsit: magna enim inde accessisset ei auctoritas, si illi ad quos dirigebatur, novissent illam editam fuisse ab uno ex Apostolis quos Christus Ecclesiarum Fundatores & Principes instituerat.

Respondeo Jacobum hunc titulum Apostoli ideo forte Epistolæ suæ non adscripsisse, *vel quia* aliunde satis Judæis ad Christi fidem conversis notus esset, ut Christi Apostolus, quippe qui Jerosolymorum esset Antistes, & solus e Christi Discipulis hoc *Jacobi* nomine superstes: *vel* ne præjudicium faceret iis Apostolis qui ipsis Judæis ad quos scribebat, prædicaverant Evangelium. Neque enim respective ad eos ipse dici poterat Apostolus, quippe cum eis Christi fidem & Evangelium non annuntiasset. Qua etiam forte ratione, neque Joannes Evangelista, neque Judas suis Epistolis titulum *Apostoli* præfixerunt, quoniam eis ad quos scribebant, non fuerant, aut saltem non soli, fidei, & Christianæ Religionis Auctores. Eum vero titulum Epistolis suis adscripsit S. Petrus, quoniam omnium Ecclesiarum caput erat a Christo institutus, & in omnibus Pastoribus erat ipse velut universalis Ecclesiarum Pastor. Adscripsit etiam & Paulus, ut fidem & auctoritatem scriptis suis faceret & se non amplius Ecclesiæ & Christi persecutorem, sed defensorem & Apostolum testaretur.

V. Ad hujus Epistolæ auctoritatem quod attinet, olim fuit ab aliquibus de ea dubitatum, ut tradit Eusebius [a] qui cum de Jacobo Jerosolymorum Episcopo mentionem feciset, subdit: *Ei etiam adscribi solet Epistola prima earum quæ Catholicæ dicuntur, quam quidem nonnulli spuriam ac supposititiam existimant. Sane pauci admodum ex Vetustioribus, hujus Epistolæ, tum illius Judæ, quæ & ipsa in septem Catholicarum numero recensetur, mentionem fecere. Veruntamen has quoque cum cæteris in plurimis Ecclesiis publice lectitari cognovimus.* S. Hieronymus etiam de Scriptoribus Ecclesiasticis scribit de Jacobo: *Unam tantum scripsit Epistolam, quæ de septem Catholicis est;* tum quid de ea aliqui senserint mox subdit: *Quæ ipsa ab alio quodam sub nomine ejus edita asseritur; licet paulatim tempore procedente obtinuerit auctoritatem, videlicet ex universali Ecclesiæ decreto in Conciliis Laodicensi, Carthaginensi & aliis, ubi sancitus est sacrorum librorum Canon.* Antea vero hæc Epistola jam plurimis retro sæculis ut Scriptura sacra audiebat. Ex ea enim Tertullianus [b], Cyprianus itidem, Origenes [c], & alii bene multi testimonia petunt. Quæ vero adversus illius auctoritatem argumenta proferre solent Lutherani, ita levia sunt, & inania, ut tempus & operam perdet, quisquis ea proponere, vel solvere cogitabit.

Scopus ejus ac præcipuum argumentum est, confutare Simonis Magi hæresim, quæ præsertim Samariæ, & non longe ab urbe Jerosolymitana, infelici germine, ut testatur Justinus, coalescens in dies magis grassabatur, disseminabatque ad salutem *solum fidem prærequiri, nec bonis operibus esse opus*; unde inquiebant, poterat quisque fidelis pro libito agere quæcunque liberet. Advocabant autem Simonis Sectatores & Gregales in suas partes S. Paulum, quod scripsisset Rom. III. hominem ex fide sine operibus justificari; tametsi Paulus loqueretur de operibus Legis, non autem fidei. Quoniam ergo, inquit S. Augustinus [d] hæc opinio fuerat exorta; aliæ Epistolæ Apostolicæ Petri, Joannis, Jacobi, Judæ, contra eam maxime dirigunt intentionem, ut vehementer adstruant fidem sine operibus, nihil prodesse: sicut etiam ipse Paulus non quamlibet fidem, qua in Deum creditur, sed eam salubrem, planeque Evangelicam definivit, cujus opera ex dilectione procedunt: *Et fides*, inquit, *quæ per dilectionem operatur*. Jure ergo adversus nefarium ac pestilens dogma pugnandum censuit S. Jacobus, uti fecit hac in Epistola, in qua fidem sine operibus mortuam, & ad salutem inutilem esse demonstrat, ostenditque Christianos revera a Diaboli tyrannide & Mosaicæ Legis observantia esse liberos: non tamen eis propterea liberum esse vacare voluptatibus & carnis illecebris; quinimo corporis mortificationem ad salutem esse necessariam, & regnum cœlorum non nisi plurimis laboribus, ærumnis persecutionibus, & sæpe morte ac Martyrio posse comparari.

[a] *lib. 2. cap. 23.*

[b] *adverf. Iudæ cap. 2.*

[c] *homil. 7. in Josue.*

[d] *de fid. & oper. cap. 14.*

§. II.

De Epistola S. Petri, prima.

VI. Simon Petrus patria Galilæus, arte piscator, a Christo una cum Andrea fratre ad Apostolatus dignitatem vocatus, imo Apostolorum Princeps, totiusque Ecclesiæ Pastor & Summus Pontifex institutus: cum varias diversis in regionibus fundasset Ecclesias, præsertim ex Judæis, qui ejus opera Christo nomen dederant, maxime vero in Ponto, Galatia, Cappadocia, & Asia Minori; cumque eos sua præsentia alio evocatus, in fide ac pietate fovere, & confirmare non posset, eosdem cen-

censuit scriptis duabus Epistolis erudiendos. De quarum PRIORE triplex potissimum emergit difficultas, prima ad quos, secunda ubi, tertia de quibus rebus scripta sit.

Tametsi hæc Epistola ad omnes præfatarum Ecclesiarum Fideles, tam ex Gentibus quam ex Judæis spectet, nihilominus tamen ad Judæos eam præsertim esse datam, non obscure significat ipsemet S. Petrus Epist. II. cap. III. his verbis: *Hanc secundam vobis charissimi scribo Epistolam*: ad eosdem itaque priorem, ad quos posteriorem Epistolam dedit: at posteriorem hanc datam esse ad Judæos recens ad Christum, conversos declarat ipse circa finem, dum mentionem habet S. Pauli Epistolæ, quam ad Hebræos scripsit, prout Interpretes omnes consentiunt. Idipsum pariter demonstrat ipsa prioris Epistolæ inscriptio, qua S. Petrus declarat se scribere Christianis advenis dispersis; non enim his verbis alios quam ex Judæis Fideles potuit intelligere, qui ut meminit S. Lucas Act. VIII. Tempore martyrii S. Stephani *dispersi sunt* non solum *per regiones Judææ & Samariæ*, sed etiam in alias remotiores. Nam Act. IX. Ananias unus ex illis perrexit Damascum, & cap. XI. Eorumdem aliqui fugerunt usque Antiochiam atque in Cyprum. Adde quod per Judæos dispersos, eos potuerit intelligere Petrus, qui per varias captivitates in diversas orbis regiones fuerant dispersi: qua ratione eosdem intellexit S. Jacobus, cum suam Epistolam scripsit duodecim Tribubus, quæ sunt in dispersione. Cum igitur S. Petro Judæorum salutis peculiaris cura a Christo fuisset demandata; verosimile est eum potissimum illis scribere voluisse, quos ex Judæis in Christo genuerat.

VII. Gravior est difficultas de loco unde missa fuerit hæc Epistola. Significat quidem S. Petrus cap. V. v. 13. se illam edidisse Babylone: *Salutat vos*, inquit, *Ecclesia quæ est in Babylone*. Duplex autem fuit *Babylon*, una *in Chaldæa*, altera *in Ægypto*, quæ nunc *Cairus* dicitur. Hæretici plerique, ut Beza, Viretus, Sadulius & alii permoleste ferentes e Canonicis divinisque Scripturis deduci posse Petri Romam adventum, contendunt nomine *Babylonis*, alterutram ex his civitatibus a Petro memoratam. Verum quam turpiter hallucinentur, apparet ex eo quod Judæi omnes, teste Josepho [a], a Caio Cæsare expulsi fuerint Babylone & Assyria: ibi ergo non agebat Petrus ipse dum scriberet. Babylon autem Ægyptia tunc erat locus obscurus & simplex castellum, ut notat Strabo [b]. Neque hic locus fuit alicujus nominis in prioribus Ecclesiæ sæculis, nec ulla ibi legitur Ecclesia collecta: quippe cum, ait Baronius [c] multa in Ægypto Concilia celebrata reperiantur cum adjectione nominum Episcoporum Ægyptiorum: in nullis autem horum, nec in aliis Scriptorum monumentis, alicubi reperitur nominatus Episcopus Babylonis in Ægypto, nisi post annos quingentos sub Justino Juniore: nam tunc temporis apud Sophronium, Zozimus Cilix Babylonis in Ægypto Episcopus nominatur.

Constantissimum ergo esse debet nomine *Babylonis*, S. Petrum neutram earum civitatum designasse, sed urbem Romam; ut Veteres omnes constanter affirmant, in primis vero Eusebius [d], qui cum de Marci Evangelio ex Papiæ & Clementis auctoritate sermonem instituisset, addit: *Porro Marci mentionem fieri aiunt a Petro in priore Epistola, quam Romæ scriptam esse contendunt, idque Petrum ipsum innuere, qui* ROMAM *figurate* BABYLONEM *appellat his verbis: Salutat vos Babylonis Ecclesia, a Deo perinde ac vos electa, & Marcus filius meus.* Similiter S. Hieronymus [e] in Marco: *Meminit*, inquit, *hujus Marci; & Petrus in* I. *Epist. sua nomine* BABYLONIS, *figuraliter* ROMAM *significans*. Neque id soli Petro fuit peculiare. Nam S. Joannes Apocalyp. XVII. eodem nomine *Babylonis Romam* notat. Unde Tertullianus [f]: *Sic & Babylon*, inquit, *apud Joannem nostrum Romanæ urbis figuram portat, proinde & magnæ, & regno superbæ, & sanctorum debellatricis*. Neque certe aliam quam Romanam civitatem nomine *Babylonis* Joannem intellexisse, ultro fatentur Heterodoxi; nam *Babylonem* insidere septem montibus, sive collibus dicit S. Joannes; nulla autem est urbs septicollis quam Roma. Itaque cum voce *Babylonis Romam* adumbraverit S. Joannes, quidni & S. Petrus. Ex quibus merito ad hunc locum colligit Grotius S. Petrum *Romæ fuisse* neminem verum Christianum dubitare.

Cur autem nomen *Romæ* sub *Babylone* dissimulaverit S. Petrus, variæ sunt causæ. *Primo* ne si deprehenderetur Epistola, cognosceret Herodes, & cæteri Petri adversarii, in quibus locis viveret. *Secundo*, ut cogitarent illi ad quos scribebat, quod sicut nunc vexabantur ab Imperio Romano, ita olim Majores suos vexatos fuisse ab Imperio Babylonico: & quemadmodum Deus pœnas exegit de Babylone, ita & acturum de Roma; & sicut Judæi olim Babylonis jugo liberati fuere, ita & Christianos a Romanorum Imperatorum sævitia liberatum iri. *Tertio tandem* quia plurimæ inter *Romam & Babylonem* erant analogiæ, quas cumulate recenset Orosius [g]. Porro dum S. Petrus ait: *Ecclesia quæ est in Babylone*; Ecclesiam ibi positam non esse *Babylonem ipsam* plane declarat, diversaque ratione censeri ipsam Ecclesiam a loco ubi dicitur collecta. Neque enim quis unquam invenit Romanam Ecclesiam esse *Babylonis* nomine nuncupatam, Sed ipsam tantummodo civitatem; ac id quidem non semper, sed dum impietate & idololatria referta adversus ipsam Ecclesiam bellum gereret. Sic præcipue S. Hieronymus ad Marcellam scribens, ut Bethleem migret, post illud explicatum de civitate Romana Joannis in Apocalypsi testimonium: *Cecidit enim Babylon magna*; de Ecclesia ibi posita subdit: *Est quidem*, inquit, *ibi sancta Ecclesia*,

sunt

a *lib.* 18. *Antiq. cap. ult.*

b *lib.* 17.

c *ad ann. Christi* 45. *n.* 17.

d *lib.* 2. *hist. cap.* 15.

e *lib. de Script. Eccl.*

f *adversf. Judæos cap.* 9. *& lib.* 3. *contr. Marcion. cap.* 13.

g *lib.* 2. *cap.* 2. *&* 3.

sunt trophæa Apostolorum & Martyrum, est Christi vera confessio, est ab Apostolo prædicata fides; & Gentilitate subacta in sublime se quotidie erigens vocabulum Christianum. (64)

VIII.

(64) Plura, quæ solent ab Adversariis Ecclesiæ Romanæ contra adventum S. Petri in urbem, paucis perstringemus; 1°. aiunt S. Petrum Romæ nunquam esse potuisse, eo quod Evangelium populis Ponti, Galatiæ, Cappadociæ, Asiæ, & Bythiniæ enunciaverit deinde Babylonem perrexerit unde epistolam suam dedisse demonstrant nonnullæ voces Babylonicum redolentes idioma; nec enim enigmaticis vocibus *Babylonis* usus esset Apostolus in Epistola familiari ad fideles scripta si Romæ, non Babylone extitisset dum scribebat 2°. Roma tunc temporis Civitas erat Gentilium; Paulus ergo ibidem annunciare debuerat Evangelium, non Petrus, cui a Spiritu Sancto commissum erat evangelizare in circumcisione, hoc est inter Hæbreos ut tradit Apostolus Paulus in Epist. ad Galath. Cap. 2. Verum clarius adhuc inquiunt ex temporum ordine Petrum nunquam fuisse Romæ convincitur; Paulus quippe ad Galath. I. ℣. 18. scribit = Post tres annos (a sua conversione) veni Jerosolymam videre Petrum = Cap. 2. subiungit post quatuordecim annos venisse Antiochiam, postquam Jerosolymam accesserat, eo venit & Cephas, nempe Petrus, cui restitit in faciem Paulus; Hæc profecto minime componi queunt cum Romanorum opinione, qui contendunt Petrum adventasse Romam anno secundo Claudii, Imperatoris, ibidemque Cathedram erexisse, & per annos 25. Pontificem incessisse; quis tamen nesciat Apostolorum Principem Hierosolymitano interfuisse Apostolorum Concilio, anno Claudii nono celebrato? postea vero Antiochiam venisse? Paulus ulterius ad Romanos scripsit anno 4. Neronis; plurimos, quibus salutem dicit in ea Epistola, recenset nominatim, de Petro, quem tunc temporis, in Romanorum hypothesi certissime in Urbe commorari oportebat, nec verbum habet Apostolus; venienti deinceps Romam Apostolo Paulo occurrerunt fratres, nempe fideles *ad forum Apii, & ad tres tabernas* ex Actorum 28. nec tamen aliqua S. Petri ibidem fit mentio; & quod magis est idem Paulus dum Romam venit a Primoribus Synagogæ rogatus fuit, ut patet ex Actorum 28. ut suam opinionem de Christianorum Secta palam faceret, subiungentes sibi esse notum quia tali sectæ ubique contradicebatur; si autem Petrus Romæ prædicaverat Evangelium, ad quid de Christianorum secta edoceri petebant a Paulo? S. Augustinus tandem Epist. 86. inter fabellas certamen Sancti Petri cum Simone Mago Romæ habitum amandat. Qui tradunt Petrum Romæ fuisse nullimode inter se de tempore consentiunt, Alii enim sub Claudii anno 1. ut Orosius. S. Hieronymus anno 2. Fasciculus temporum anno 4. Passionale *de Vitis Sanctorum* anno 13. Lactantius denique imperante Nerone. Quid evidentius, aiunt, ad falsitatem alicuius Historiæ demonstrandam, quam Auctorum eam referentium dissensus? Marcus indivisus Petri comes in itineribus, Alexandriæ mortuus est octavo Neronis anno, Petrus autem sex annis postea; si autem Marcus Alexandrinam fundavit Ecclesiam, eamdemque diu rexit quomodo simul Romæ cum Petro esse potuit, dum Epistolam Apostolus scribebat? Circa locum, in quo Petrus mortem oppetiit incerti pariter sumus; etenim S. Linus Petro contemporaneus in hujus Apostoli Actis refert Paulum, & Petrum diversis locis, atque temporibus subiisse martyrium. Clemens Romanus iterum tradit in sua ad Corinthios Epistola Sanctum Petrum passum esse Martyrium, nulla habita de loco mentione, non autem siluisset, si Romæ palmam illam fuisset consecutus Apostolus; ergo &c.

Respondetur ad primum S. Petrum pluries Pontum, Asiam, Bythiniam, aliasque peragrasse regiones, ut tradit S. Epiphanius Hæresi 27. Cap. 6. his verbis = Petrus Pontum, ac Bythiniam sæpenumero peragravit = Si ergo eorum amplectamur hypothesim, qui ajunt Apostolorum Principem anno 4. a Christi Passione Antiochiam venisse, ibidemque Ecclesiam fundasse, & per septennium Cathedram illam rexisse, postea vero, anno scilicet XI. a Christi passione Hierosolymam esse reversum ibidemque in vincula conjectum ab Herode diebus azymorum; ab Angelo autem ex illis ereptum Romam anno secundo Claudii devenisse, sedemque suam in ea Urbe fixisse, sed expleto ibi septennio discedere cum aliis Judæis per Imperatoris edictum, coactum iterum Hierosolymam adventasse & Apostolorum illic interfuisse Concilio, tandemque Claudio e vivis erepto, post quatuor circiter annos iterum Romam reversum ibidemque, ac in adiacentibus Occidentis Provinciis Evangelium prædicando, usque ad annum Neronis decimumquartum extitisse; evidenter omnia conciliari ad invicem possunt, quæ videntur Mansioni Romanæ Sancti Petri adversari, ut inferius demonstrabitur; potuit igitur S. Petrus esse Romæ aliisque in Civitatibus, in quibus Scripturæ extitisse commemorant. Nec mirum quod Roman Babylonis nomine nuncupaverit, cum familiare esset Judæis Urbem vitiis corruptam *Solomam*, regionem idololatriæ deditam *Ægyptum*, civitatem denique flagitiis addictam, & præsertim ubi vexabantur Judæi, *Babylonem* appellare.

Quod autem in secunda Epistola Petri aliqua reperiatur vocula, ut *Bosor*, quæ Babylonicum redoleat idioma, nil ad rem præsentem facit, cum sit incertum an Petri authographa Epistola *Bosor*, vel *Beor* præseferret; Santes Pagnini enim in sua versione *Beor* legit. Si tamen ab Apostolo *Bosor* scriptum fuisse supponamus, tunc respondere cum celeberrimis Interpretibus poterimus *Bosor* fuisse Mesopotamiæ Civitatem, adeo ut Sanctus Petrus non patrem, sed patriam Prophetæ Balaam ibidem indicaverit.

Quod vero secundo ex Salmasio obiicitur loco facillime cadit si advertamus neminem Apostolorum fuisse a Christo alicui peculiari populo delinatum adeo ut aliis gentibus evangelizare non posset. Actorum siquidem 15. ℣. 7. legimus a Petro dictum cæteris Apostolis = Viri fratres vos scitis quoniam ab antiquis diebus Deus in nobis elegit per os meum audire Gentes verbum Evangelii, & credere = legatur S. Hieronymus in comment. Epistolæ ad Galathas super illis verbis in objectione citatis. Si autem velimus etiam gratis concedere solis Judæis Sanctum Petrum debuisse prædicare, maximus erat eorum numerus Romæ tempore Sancti Petri, ut tradit Josephus Lib. 17. Antiquit. Cap. 12. quamvis enim sub Tiberii Principatu fuerint Roma ejecti, paucos post annos illuc reversi sunt, cum, Claudio imperante, ingens Hebræorum numerus ibi inveniretur, ut tradit Dio Historicus Libro 9. neque ante nonum imperii sui annum eosdem expulit, ut Josephus, & Orosius scribunt; eligant ergo quod sibi lubet Adversarii, Petrum Romæ extitisse satis compertum est. Nec officit huic veritati, quod ex temporum serie a Paulo indicata, nobis opponunt; ut enim jam diximus, Petrus per quadriennium apud Judæos post Christi passionem remansit, ad finem illius invisitur a Paulo, anno scilicet 3. conversionis suæ; uterque deinde ex Judæa discessit, Paulo ad partes Syriæ, & Cyliciæ migrante, Petro autem in Pontum, Asiam, Bythiniam &c. Reliqua autem omnia peroptime congruunt cum hypothesi ad initium responsionis indicata; anno etenim Claudii nono, qui est decimus quartus a primo colloquio habito inter Petrum & Paulum.

Jerosolymis, idem est ac annus 14. a Paulo Cap. 2. ad Galath. indicatus. Celebrato autem Concilio hoc eodem anno Antiochiam venit Paulus, & post eum Cephas, transacto autem quadriennio e vivis erepto Claudio, Romam Petrus reversus est, ibidemque usque ad 14. Neronis annum permansit; en ergo 25. anni Pontificatus Romæ S. Petri, a secundo videlicet Claudii anno usque ad 14. Neronis, nec quidquam facit quod extra Romam Petrus permanserit per annos quatuor, a nono videlicet Claudii, usque ad Neronis

VIII. Quod ad tertium caput hujus Epistolæ, nempe argumentum attinet, istud universim idem ipsum est quod plurium Apostolicarum, nempe ut Fideles scriptis edoceat S. Petrus, quæ credere & agere debeant, ut salutem consequantur. Primo enim exponit admirabile Dei consilium & beneficium Verbi Divini Incarnatione, Passione, Redemptione, Vocatione, Judæorum & Gentium ad Christi gratiam & gloriam æternam. Hanc enim esse divinam doctrinam pronuntiatam a Prophetis ab Apostolis Dei jussu prædicatam; quam proinde constantissime amplecti, conservare ac promovere debeant; atque etiam pro ea tuenda & propaganda dura, omnia, ipsamque mortem & Martyrium fortiter obire, exemplo Christi, qui aspera quæque pro operanda nostra salute pertulit. Quoniam vero sola fides ad salutem non sufficit, sed insuper necessum est implere quæ præcepta sunt; docet in primis quæ Christiani debita impendere debeant Regibus, Principibus & Magistratibus, licet Ethnicis; servi Dominis, uxores maritis, adolescentes senioribus, Fideles Pastoribus & Doctoribus; ac vicissim quid viri uxoribus, Pastores subditis. Hortatur insuper ad sectandas virtutes Evangelicas, prudentiam, charitatem mutuam, patientiam, humilitatem, modestiam, temperantiam, præsertim vero constantiam in adversis.

Scripta creditur hæc Epistola circa annum XLV. quo tempore S. Petrus Romam ex Antiochia appulit, & sedem Pontificiam transtulit: cujus argumentum est quod in fine Epistolæ inducit S. Marcum salutantem Fideles, ac subinde eo tempore Romæ adhuc agebat Marcus; ab ea vero discessit, missus a S. Petro Alexandriam anno Christi XLV. Qui fuit Claudii Imperatoris tertius. Unde Baronius ad hunc annum, colligit hanc Epistolam omnes Paulinas tempore antecessisse.

§. III.

De secunda divi Petri Epistola.

IX. QUoniam optimi Pastoris officium est, non solum ovibus, convenientem escam & alimoniam subministrare, sed insuper necessum est cavere ab infestantibus belluis, & incursantes arcere lupos. Hinc S. Petrus postquam Fideles informasset divinis præceptis, veluti cœlesti pabulo, ad vitæ sanctimoniam servandam & promovendam, jam animadvertens quanta strage Simon Magus, ejusque sequaces in Christi Domini ovile desævirent; præsentiensque numerosam luporum, idest, Hæreticorum, Menandrianorum, Carpocratianorum, Basilidum, Valentinianorum, & Gnosticorum turmam, in ovium Christi perniciem conjuratam, vel jam in eas grassantem, vel brevi grassaturam, eorum incursioni salutaribus suis monitis occurrendum censuit. Quamobrem Martyrio & morti proximus, ut ipsemet significat cap. I. v. 14. *Certus quod velox est depositio Tabernaculi mei secundum quod & Dominus Jesus Christus, significavit mihi*; circa annum Christi LXIX. secundam ad universos Fideles, præ-

nis initium, non enim Cathedram suam eo temporis reliquisse dicendus, sicuti non relinquere dicuntur Episcopi vel ad Synodos accedentes, vel in exilium expulsi. Pauli silentium circa S. Petri personam dum ad Romanos scripsit, nec leviter officit causæ nostræ; compertum quippe est nec Timothei habuisse mentionem in Epistola ad Ephesios, nec Jacobi Hierosolymorum Episcopi in Epistola ad Hebræos, quamvis uterque in vivis adhuc esset dum illas dedit Apostolus. Sunt pariter qui tradunt ad Romanos Epistolam eo datam esse quadriennio, quod ab anno Claudii nono usque ad primum Neronis interceſsit; quo tempore S. Petrus Roma in Orientem exulabat, mirum ergo non est si salutem Petro non dixit Apostolus. Cum pariter Romam Paulus accessit forte S. Petrus per Galliarum, & Hispaniarum Provincias Evangelium prædicabat, aut in aliis Italiæ regionibus, qua de causa Paulo non potuit occurrere, ut tradit Epiphanius Hæresi 27. Qui autem ex Judæis Paulum interrogarunt de Christianorum secta ex iis erant, qui ad Petri prædicationem minime conversi sunt, accedentem autem Paulum consuluerunt de nova Christianorum Religione, ut ab eodem instruerentur, quem Legisperitum habebant Cæterum quibus nam scripsit Apostolus nisi ad Jesum conversis Romæ per Petri prædicationem? nullum quippe alterum novimus ea in urbe ante S. Paulum præter Apostolorum Principem Evangelium enunciasse.

Ad S. Augustinum quod attinet dicimus falsum esse quod neget S. Petri cum Simone Mago certamen, de quo ex proposito agit in Lib. de Hæresibus; in Epistola autem 86. in dubium eorum revocat opinionem, qui existimabant praxim jejunium in Sabbatho servandi, originem ex jejunio S. Petri in Sabbatho suum certamen præcedente observato deduxisse. Quod autem penes Criticos sit controversia de tempore, quo Romam petiit S. Petrus, facti veritatem confirmat, neque enim de facti circumstantia contentio esse posset, si factum veluti certum non haberetur; indigitent nobis Adversarii annum, & diem mortis Christi, tempus, quo Judithæ facinus contigit, si possint; nec tamen de factorum hujusmodi veritate dubitari potest. Nulla pariter est repugnantia quod Marcus fuerit Romæ cum S. Petro dum Epistolam primam publicavit sive in primo, sive in posteriori septennio eamdem scripserit. Nonne Timotheus, aliique orientales Episcopi Romam venere, ut Paulum inviserent, eccur Marcus non potuit Romam accedere esto Alexandrinæ præesset Ecclesiæ? Eusebius hoc ex Clemente Romano, & Papia Hierapoleos apud Phrigas Episcopo adfirmat; nec tam facile ei possumus fidem ablegare. Acta S. Petri, quæ Lino tribuuntur apocrypha sunt, ut demonstrat Natalis Alexander. S. Clemens solum describit Petri martyrium superfluum fortasis existimans locum ejusdem indicare, cum satis tunc temporis notus esset nec istius silentium satis est ad adsertionem totius Antiquitatis elevandam. (W)

sertim ex Judæis ad Christum conversos dedit Epistolam e Romano carcere, in quo reclusus fuit per novem menses ultimo vitæ suæ anno, uti habent Acta SS. Processi & Martiniani.

Porro in hac Epistola potissimum tria inculcat: *Primo* summam Dei erga homines misericordiam & liberalitatem per pretiosa ac vere divina beneficia, quæ nobis contulit ac repromisit: edocetque qualiter vita præsens sit informanda, ut cœlestis ac vere beata possit obtineri. *Admonet secundo* ut sedulo caveant ab Hæreticorum contubernio, quorum depravatos mores, ac vafrities graphice depingit, prænuntians eorum exitium & sortem cum Dæmonibus cæterisque damnatis æternum cruciandis. *Tertio tandem* describit signa quæ mundi finem præcedere debeant, ac universale judicium, quod Hæretici ut inane commentum prædicabant, quatenus Fideles certitudine ac vicinitate tam tremendi exitii provida vigilantia sibi caveant, ac fidem integram, vitamque prorsus illibatam fidelissime sectentur.

X. Non æqualis fuit hujus Epistolæ ab Ecclesiæ primordiis atque Prioris certitudo & veneratio, ut scribit Eusebius [a]: *Quod vero attinet ad Petrum*, inquit, *una ejus Epistola quæ* PRIOR *dici solet; tanquam germana ab omnibus sine controversia admittitur, cujus testimonio veteres Religionis nostræ Antistites, utpote extra omnem dubitationem positæ, in scriptis suis frequentissime usi sunt. Quæ vero Secunda appellatur, eam quidem inter sacros novi Testamenti libros censitam non esse a Majoribus accepimus, sed tamen cum utilis esse videretur quam plurimis, una cum reliquis sacræ Scripturæ libris studio selectitata est.* Neque vero solum ex usu & fidelium consuetudine hæc Epistola auctoritatem & fidem obtinuit, sed potissimum ex Ecclesiæ decretis, necnon & SS. Patrum sententia: nam in Conciliis Laodiceno, Carthaginensi, &c. pro genuina Petri Epistolam habetur: ex eaque Justinus, Origenes, Gregorius Nazianzenus, Chrysostomus, Ambrosius, Augustinus, cæterique Patres velut ex Scriptura sacra testimonia & documenta eliciunt. S. Hieronymus [b] & S. Gregorius [c], distincte pronuntiant illam esse germanam S. Petri Epistolam. Unde vix satis mirari possum Heterodoxorum quorumdam temeritatem, qui tametsi hujus Epistolæ Canonicam auctoritatem dubiam non habeant, nihilominus eam S. Petro abjudicant. In primis vero Grotius init. Comment. ubi cum dixisset plures e Veteribus credidisse hanc Epistolam *non esse Petri*, argumento tum dictionis ab Epistola priore multum diversæ: tum quod multæ olim Ecclesiæ hanc non receperint; addit aliud hoc argumentum; *Petrus*, inquit, *sub Nerone mortem obiit: at hæc Epistola, aut Epistola ut nos arbitramur huic subnexa, quæ facit caput* III. *scripta est post excidium Hierosolymorum; nemo enim Christianus ultimum mundi diem venturum credidit, nisi postquam evenisset eversio Judaici status. Post eam vero brevi admodum secuturam Mundi ruinam mul-*

[a] *lib. 3. hist. cap. 5.*

[b] *Epist. 150.*
[c] *Homil. 18. in Ezech.*

torum animo obversabatur. Unde colligit Scriptorem hujus Epistolæ esse *Simeonem* vel *Simonem Episcopum Jerosolymorum* post Jacobi mortem: nomen enim ejus Episcopi utroque modo & *Simeon* & *Simon* scribitur apud Eusebium & alios.

XI. Verum quam turpiter hic hallucinetur Grotius, aliique ejusdem cum eo sententiæ Hæretici, nemo qui argumentorum quibus nituntur, levitatem & inanitatem attenderit, inficias ibit. Nam quod spectat ad Veterum de hac Epistola judicium, manifestum est ex statim dictis quod si a nonnullis in dubium vocata fuerit illius Canonica auctoritas, ab omnibus aliis sacris Scriptoribus & Ecclesiæ judicio, jam olim fuit comprobata. Quod vero attinet ad styli diversitatem, respondet S. Hieronymus illam esse repetendam ex diverso Interprete. *Prioris* enim Epistolæ Interpres fuisse videtur vel *Silas*, vel potius *Marcus*, ut apparet ex cap. V. 13. *Posterioris* vero & secundæ Epistolæ Interpres videtur *Glaucias*, quem S. Petri Amanuensem & Interpretem fuisse docet Clemens Alexandrinus [d]. *Accedit* quod hæc posterior Epistola annis circiter XXIV. post primam fuerit edita, Quis autem nescit ætatem in plerisque stylum immutare. Floridius enim ac luculentius scribunt ac loquuntur juvenes quam soleant senes. *Adde* quod si quis penitius utramque Epistolam inspiciat, ejus stylum non plurimum a priori distare deprehendet, ut etiam ultro fatentur Centuriatores Magdeburgenses.

[d] *lib. 7. Strom. sub fin.*

Ad postremum Grotii argumentum, dico eum pugnantia & Scripturæ sacræ omnino adversa loqui: tantum enim abest, ut Christianorum animo insitum esset, non prius futurum mundi exitium, quam evenisset Judæorum excidium & Judaici status eversio; quinimo ratum semper ac constantissimum habuerunt Christiani non prius venturum Christum ad judicium, quam restitutus esset Judæorum, tunc omnium in Christum credentium status, ut declarat S. Paulus ad Romanos cap. XI. v. 26. nec non & Christus Lucæ XXI. 23. idque alibi [e] adversus Judæos pugnantes plurimis utriusque Testamenti textibus perspicue declaramus. Ludit etiam ac illudit Grotius, cum suspicatur hujus Epistolæ Auctorem non alium quam *Simeonem*, vel *Simonem* Hierosolymorum post Jacobum Antistitem. Tametsi enim voces illæ *Simeon* & *Simon* apud Hebræos sint indistinctæ, vellem indicaret nobis Grotius argumentum, quo evincat Simeonem illum etiam Petrum fuisse cognominatum, quemadmodum hujus Epistolæ Scriptor utroque hoc nomine censetur, qui pariter seipsum Christi Apostolum prædicat qualis non fuit ille Simeon.

[e] *in Scuto Fidei.*

At, inquit Grotius, in Syrorum libris veteribus abest hæc Epistola. Itaque illam Syri pro Canonica non habuerunt. Abest equidem a nonnullis Codicibus: at in aliis reperitur inserta nomine *Petri*: Unde ex Syriaco in Latinum sermonem eam vertit *Balthazar Ethzelius*, teste Possevino in appara-

paratu. Cujus etiam argumentum est quod SS. Ephrem & Damascenus patria Syri, ex illa Epistolæ veluti Canonica Scriptura; varia testimonia petant. (65)

§. IV.

De aliis scriptis Sancto Petro adjudicatis.

XII. PRæter duas Epistolas in sacro Canone receptas, fuerunt olim quinque libri nomine *Petri* vulgati, nempe PRÆDICATIO, EVANGELIUM, ACTUS, REVELATIO, & JUDICIUM. Quorum omnium primus duntaxat & ultimus apud veteres Patres in usu fuerunt. *Prioris* enim meminit, & ex eo testimonium hoc protulit Clemens Alexandrinus a: *Petrus*, inquit, *in Prædicatione dicit; Cognoscite ergo unum esse Deum qui fecit omnium principium, & finis habet potestatem, & qui non cadit sub aspectum, qui omnia videt: qui cum capi non possit: omnia capit, nullius indigens, quo indigent, omnia, & per quem sunt omnia, qui comprehendi non potest, æternus, ab interitu alienus, non factus: qui omnia fecit Verbo virtutis suæ, Scripturæ, inquam, cognoscentis, hoc est, Filii.* „ Deinde subjungit: Hunc „ Deum colite, non ut Græci, utpote quod „ eundem quem nos, colunt Deum, qui „ sunt viri probi apud Græcos, sed non „ perfecta & absoluta cognitione, ut qui „ a Filio datam non didicerint traditionem. „ Non ergo dixit, ne colatis Deum quem „ Græci, sed ne colatis ut Græci: divini „ cultus mutans modum, non autem alium „ annuntians. Quid autem sit; Non colatis ut Græci, ipse Petrus explanabit, subjungens: Quoniam dum feruntur ignorantia, & Deum nesciunt ut nos perfecta „ cognitione, cum, potestate quam dedit „ eis ad usum, formassent ligna & lapides, „ æs & ferrum, aurum & argentum, ex „ ipsorum materia & usu, & quæ substantiæ serva sunt excitassent, ea colunt: & „ quæ eis dedit Deus in cibum, volucres „ aeris, & maris natatilia & terræ serpentes, & feras, cum quadrupedibus agri „ pecoribus, mustelasque & mures, feles & „ canes, & simias: & proprios cibos hominibus sacrificant: & mortua mortis offerentes tanquam diis, in Deum sunt ingrati, per hæc ipsum esse negantes. Et „ quod ita se habeat, utpote quod nos ipsi „ & Græci eundem Deum noverimus, sed „ non similiter. Sic rursus inferet hoc modo: neque colite ut Judæi: etenim illi „ soli se Deum nosse putantes, nesciunt se „ adorare Angelos & Archangelos, mensem „ & Lunam: & nisi Luna apparuerit non „ agunt sabbathum quod dicitur primum „ neque agunt Neomeniam, neque Azyma, „ neque Festum, neque magnum diem. „ Deinde ejus quod quæritur infert Colophonem: quare vos quoque sancte & juste quæ vobis tradimus discentes; Servate noviter Deum per Christum colentes: „ invenimus enim in Scripturis, sicut dicit „ Dominus: Ecce facio vobis Testamentum „ novum, non ut feci Patribus vestris in „ monte Choreb. Novum dedit nobis Testamentum: quæ enim sunt, Judæorum „ & Græcorum sunt vetera. Nos autem „ qui nove ipsum tertio genere colimus, „ sumus Christiani.

a *lib. 6. Strom. pag. 35.*

(65) Nonnulla in Canonicitatem Epistolarum S. Petri opponere solent Heterodoxi, nil relinquentes intactum, ut scripturarum doctrinam evellant, si possint; Ajunt in primis merum esse humani ingenii commentum quod legitur in 3. Capite Epistolæ 1. S. Petri ℣. 19. Animam scilicet Christi spiritibus, qui in carcere erant seu in Inferno, ut Græca legunt, prædicasse. Quis autem nesciat impii Marcionis fuisse dogma, aliorumve Hæreticorum quod Christus prædicaverit in inferno, indeque multos liberaverit? Qui semel ad inferos damnati fuere, non ultra redimuntur. In Epistola 2. Cap. 3. ℣. 5. veluti Philosophus ex secta Thaletis loquitur Auctor scribens = Cœli erant prius, & terra de aqua, & per aquam consistens Dei verbo per quæ ille tunc mundus aqua inundatus periit = Hæc autem contraria videntur iis, quæ Moses in Cap. 1. Geneseos scripsit: Cœlum, & terram ex nihilo fuisse condita.

En eorum argutias, qui veritati contradicere moliuntur; verum facillime se concuti dignoscant tandem inimici veritatis. Locus S. Petri de Christi prædicatione difficilis est non falsus, non erroneus; neque enim Christi animam iis prædicasse spiritibus, nisi fortassis eos increpando, qui æternis cruciatibus ob finalem a peccatis impœnitentiam addicti erant, quibus profecto nulla redemptio est; sed iis tantummodo evangelizavit, idest bonum, lætumque attulit nuncium, qui in charitate, & fide cum decessissent, in Abrahæ sinu deitnebantur; vel iis etiam, qui tandem divinam formidantes ultionem, a peccatis recesserant atque per fidem in Redemptorem peccatorum quæ commiserant indulgentiam quo ad culpam consecuti, in cruciatibus tamen purgatorii detinebantur adstricti, in satisfactionem incredulitatis, vel alterius peccati; non ergo eis prædicavit spiritibus Christi anima, ut mererentur conversionem, & salutem, sed eorum a carcere liberationem enunciavit. Hoc in sensu si Petri intelligantur verba nil absurdi in eisdem continetur. Videantur hac de re Sacri Expositores scripturarum, & præsertim Clarissimus Estius, a quo responsionem nostram suscepimus.

Ad alterum secundæ Epistolæ locum pariter facillime aptatur responsio si dixerimus S. Petrum voluisse ibidem ostendere solum Deum esse naturæ Auctorem & ab ejus voluntate pendere Cœli, & terræ existentiam, quidquid Physici nonnulli vanis permoti ratiunculis de perpetuo rerum cursu somniarent. Non Thaletis vaniloquia scribebat S. Petrus, sed Cœlos Dei verbo esse conditos, Terram autem emersisse, hoc est ex aqua apparuisse, atque per aquam Deo ita disponente redditam esse consistentem, & solidam ne in pulverem diffluere atque productioni esset idonea, & plantarum germinationibus. Quia autem hæc omnia Dei verbo facta erant, ita per idem verbum universus orbis fuit aquis diluvii inundatus, & modo igni reservatur in die Judicii. Ita hunc S. Petri locum exponunt ad literam Commentatores scripturarum in qua expositione textus Sancti Petri nullimode verbis Mosis Geneseos I. contradicit. (W)

De opere autem qui titulus est, *Judicium Petri*, Rufinus in explanatione symboli ad Laurentium sic scribit: *In novo vero Testamento libellus, qui dicitur* PASTORIS, *sive* HERMETIS, *&* JUDICIUM SECUNDUM PETRUM, *omnia quidem Patres legi in Ecclesiis voluerunt, non autem proferri ad auctoritatem ex his fidei confirmandam.* De *Evangelio Petri* Serapion, qui anno Domini CC. Antiochiæ fuit Episcopus, particularem librum conscripsit ad fratres Rhosi Ciliciæ per occasionem hujus Scripturæ in hæresim declinantes; in quo arguens quædam falsa in ipso contenta, sic loquitur: „ Nos enim, „ fratres, & Petrum & alios Apostolos re„ cipimus, sicut & Christum: quæ autem „ sub eorum nomine falsa ab aliis conscripta „ sunt, velut gnari eorum sensus ac senten„ tiæ declinamus, scientes, quod talia no„ bis non sunt tradita, Ego enim cum es„ sem apud vos, putabam omnes rectæ fi„ dei esse inter vos, & nondum decurso „ libello, qui mihi offerebatur, in quo no„ mine *Petri* conscriptum Evangelium fere„ batur, dixi; si hoc est solum, quod in„ ter vos inimicitiam, simultatemque vide„ tur inferre, legatur codex: nunc autem „ comperto, quia hi qui Codicem illum le„ gi debere asserunt, prospectu cujusdam „ occultæ hæreseos hoc fieri popposcerunt; „ sicut mihi dictum est, festinabo iterum ve„ nire ad vos. Horum enim cujus hæreseos „ fuit Martianus, qui etiam sibi ipsi con„ trarius extitit, non intelligens quæ lo„ queretur, quæ etiam vos intelligetis, ab „ his, qui hoc ipsum Evangelium secun„ dum illius traditionem didicerunt, & suc„ cessores extiterunt sententiæ ejus, quos „ nos δοκητὰς, hoc est *Opinatores* vocamus. *Hæc Serapionis verba ex Eusebio collecta.*

De Actibus Petri & cæteris ejus libris Eusebius c sic habet: *Ille vero libellus, qui dicitur* ACTUS PETRI, *& quod nomine ejus* EVANGELIUM, *nuncupatur, sed & quæ dicitur* EJUS PRÆDICATIO, *&* EJUS APOCALYPSIS, *in Scripturis Canonicis non habentur, sed nec aliquis quidem Veterum uti eorum testimoniis invenitur.* Et alibi d: *Post hæc*, inquit, *divina volumina, Scriptura est, qui dicitur* ACTUS PAULI, *& libellus qui appellatur* PASTORIS *&* PETRI APOCALYPSIS, *de quibus maxime dubitatur,* Nicephorus e item referens Apocalypsim Petri in Ecclesiis Palæstinæ consuevisse legi: *Eam*, inquit, *quæ dicitur* PETRI, APOCALYPSIM, *ut subdititiciam, & illegitimam a Veteribus judicatam, apud Palæstinos in Ecclesiis quibusdam semel quotannis in die Parasceves aliquandiu legi solitam fuisse invenimus, qua die populus magna cum religione & contritione, ob salutiferæ Passionis Christi memoriam jejunat.* Cæterum Origenes a quo citatur testimonium ex Actibus Petri tom. 20. in Joannem. Idem in lib. 1. Periarchon meminit alterius libri, qui *Doctrina Petri* inscribitur, hunc in modum; *Si quis velit nobis proferre ex illo libello, qui* PETRI DOCTRINA *appellatur, quod Salvator videtur ad Discipulos dicere, non sum Dæmonium incorporeum: Respondendum est ei, quod liber inter Ecclesiasticos non habetur: & ostendendum, quia neque Petri est ipsa Scriptura, neque alterius cujusquam, qui Spiritu Dei fuerit inspiratus.*

c *lib. 3. hist. cap. 3.*

d *lib. 3. cap. 25.*

e *lib. 12.*

CAPUT NONUM.

De Epistolis SS. Joannis, & Judæ Apostolorum.

I. *Tres ab Evangelista Joanne datæ fuerunt Epistolæ.*

II. *Quisnam sit præcipuus prioris Epistolæ scopus?*

III. *Duas posteriores Epistolas aliqui veterum non esse Joannis Evangelistæ suspicati sunt, sed perperam.*

IV. *Quænam fuerit Electa, cui secundam Epistolam dedit Joannes, & quis ejusdem Epistolæ scopus?*

V. *Quis fuerit Cajus ad quem tertiam Epistolam misit Joannes?*

VI. *Quis fuerit Judas Epistolæ Catholicæ Auctor?*

VII. *De Auctoritate Epistolæ Judæ.*

§. I.

De prima Joannis Epistola.

I. TRes nomine *S. Joannis Evangelistæ* inscriptæ circumferuntur Epistolæ, quarum prior ait Eusebius a tum a Recentioribus, tum ab Antiquis omnibus citra controversiam admittitur. Insuper idem b ex Dionysio Alexandrino egregiam hujus Epistolæ cum Evangelio Joannis concordiam demonstrat: *Nam*, inquit, *Evangelium sic incipit.* IN PRINCIPIO ERAT VERBUM, &c. *Epistola vero:* QUOD FUIT AB INITIO; *in illa dicitur:* ET VERBUM CARO FACTUM EST, ET HABITAVIT IN NOBIS, ET VIDIMUS GLORIAM EJUS, GLORIAM QUASI UNIGENITI A PATRE. *Epistola vero eadem habet paulisper tantum immutata:* QUOD AUDIVIMUS, QUOD VIDIMUS OCULIS NOSTRIS, ET MANUS NOSTRÆ CONTRECTAVERUNT DE VERBO VITÆ, ET VITA MANIFESTATA EST, ET VIDIMUS ET TESTAMUR. Quibus verbis potissimum perstringit errorem eorum qui Dei Verbum revera humanam carnem induisse negabant: ita quod quemadmodum Joannes scripto suo Evangelio Cerinthum, Ebionem, & alios Christi divinitatem negan-

a *lib. 3. hist. Eccles. cap. 24.*

b *lib. 7. cap. 25.*

gantes Hæreticos confutare volens, in id potissimum collineat, ut divinitatem Christi adstrueret. Ita etiam duabus prioribus, quas scripsit, Epistolis, occurrere voluit virulento Basilidis, ejusque gregalium errori, dicentium *Christum non vere carnem assumpsisse*; sed phantasticum duntaxat & apparens induisse corpus: sicque nec vere esse crucifixum, nec mortuum, nec tumulatum, sed omnia tantum in imagine & specie gesta. Quam blasphemiam, ut sugillet S. Joannes, statim in ipso primæ Epistolæ exordio contestatur se, & auditui, & visu & contactu, Christum verum habuisse corpus; *Quod fuit ab initio*, inquit, *quod audivimus, &c.* Et rursum cap. IV. *Omnis Spiritus qui confitetur Jesum Christum in carne venisse, ex Deo est. Et omnis Spiritus qui solvit Jesum, ex Deo non est, & hic est Antichristus*: quæ iterum inculcat in secunda Epistola v. 7. *Multi seductores*, inquit, *exierunt in mundum: qui non confitetur Jesum Christum venisse in carnem: hic est seductor & Antichristus.*

II. Unde præcipuum prioris Epistolæ argumentum in eo versatur, ut Christum verum Deum, verumque hominem demonstret. Quod ut assequatur, probat illum esse Dei & hominum Mediatorem, qui ut nos Deo Patri infensos reconciliaret, seipsum victimam fecit pro peccatis nostris, fudítque sanguinem, ut nos emundaret ab omni peccato. Quamobrem omnem nostram fidem, spem & charitatem in eum velut in Propitiatorem & Advocatum nostrum dirigere tenemur. Quoniam vero etiam opera meritoria plurimum ad salutem conferunt, idcirco cuique hominum ætati, puta pueris, adolescentibus, senibus, bonorum operum vitæque Christianæ probe instituendæ præcepta præscribit.

Tametsi vero hæc Epistola Catholica sit & universalis, scripta videlicet ad omnes Fideles ubivis degentes: Veteres tamen nonnulli, teste S. Augustino [a] hanc nominatim volunt ad Parthos datam, hoc est, Judæos Christum professos, qui non sub Romanorum, sed sub Parthorum vivebant imperio in locis trans Euphratem, ubi referente Josepho [b], ingens erat Judæorum multitudo, ut Neardæ, Nisibi, & aliis in locis. Et ob hanc causam putat Grotius hanc Epistolam, neque in fronte nomen titulumque Apostoli, neque in fine salutationes Apostolici moris continere, quia nimirum in terras hostiles Romanis hæc Epistola per mercatores mittebatur; multumque nocere Christianis poterat, si ab Adversariis Romanorum deprehensum fuisset, hoc inter subditos Romanorum cum Parthorum imperio subditis, quanquam innocens literarum commercium. Quo autem in loco atque tempore scripta fuerit, difficile est divinare; nihilominus eis lubens subscribo, qui putant illam scriptam fuisse *in insula Pathmos*, dum ibi exul degeret S. Joannes, non multo ante Jerosolymorum excidium; ne videlicet Christiani illarum partium Trans-Euphratensium paterentur se implicare aliorum dissidiis, sed operam darent ut concordiæ studio & charitatis fœdere, a popularibus suis, qui nondum in Christum credebant, dignoscerentur. (66)

[a] *lib. 2. quæst. cap. 39.*

[b] *lib. 18. hist. cap. 12.*

§. II.

(66) Contra primam Joannis Epistolam pauca reperiuntur ab Hæreticis opposita, cum maxime expungendo Versiculo septimo Capitis quinti veluti Sacro Textui inserto operam dederint in quo nonnulli etiam ex Catholicis Critici intemperantes consenserunt.

Plurima jam ab eximiis scriptoribus hac super re tradita sunt atque discussa, invicteque demonstratam hujus ℣. 7. authentiam opinamur. Fatemur quidem in pluribus, & quidem vetustis desiderari Codicibus, tum Latinis, cum Græcis. Deest quidem in septem MSS. Codicibus Bibliothecæ Colbertinæ; in aliis sexdecim exemplaribus Græcis a Millio laudatis, & in editione Syriaca omnium Orientalium antiquissima; in Arabicis, & Æthiopicis pariter Codicibus minime legitur; in Codicibus tandem Vaticano, & Alexandrino pariter non habetur. Qui autem versum istum præferunt Codices, turbato prorsus ordine ipsum exhibent, in nonnullis enim locum habet sub numero octavo; in aliis vero omittitur versus octavus editionis Vulgatæ & in ejus locum suffectus cernitur versus, de quo controvertitur. In aliquibus tandem Codicibus diversimode legitur. V. G. = & hi tres unum sunt in Christo Jesu = & tres unum sunt = Tres in uno sunt = In aliquibus autem exemplaribus Græcis habetur in margine veluti explicatio versiculi octavi unde suspicandi locus est quod paulatim ex margine in textum fuerit intrusus. Et sane quis posset imaginari a Sanctis Ecclesiæ Patribus, qui diu adversus Arianos pro Filii consubstantialitate decertarunt, hoc S. Joannis testimonium prætériri potuisse, si in eorum Codicibus tunc temporis lectum esset, cum eo unico Arianæ Hæreseos caput obtruncare, atque conterere tam facile valuissent? ejus non meminit S. Augustinus in suis contra Maximinum Arianum scriptis, quamvis versiculum alleget octavum ex cujus allegorica interpretatione Trinitatem defendere satagit. Nulla hujus versiculi mentio a Nicænis Patribus, nulla a Sancto Cypriano, quamvis præclarissima ejus commemorandi eidem adesset occasio in Libro *de Unitate Ecclesiæ*, in quo versum octavum Sancti Joannis recenset, atque de Patre, & Filio, & Spiritu Sancto exponit, ut testatur Facundus Hermianensis Lib. 1. *pro defensione trium* Capitulorum Cap. 3 scribens = Tres sunt, qui testimonium dant in Terra Spiritus, aqua, & Sanguis, & hi tres unum sunt. Quod testimonium B. Joannis Apostoli, Beatus Cyprianus Carthaginensis Antistes, & Martyr, in Epistola, sive Libro, quem de unitate Ecclesiæ scripsit de Patre & Filio, & Spiritu Sancto intelligit = Hunc ergo versiculum ignoravit Ecclesia Græca, cum ejus non meminerint Epiphanius, Gregorius Nyssenus, & Nazianzenus, Chrysostomus, Didimus Cyrillus Alexandrinus, quamvis pro divinitate Verbi, & Spiritus Sancti perpetuo dimicaverint: ignoravit Ecclesia Latina, cum de eodem siluerint Cyprianus, Phœbadius, Augustinus, Lucifer Calaritanus, Facundus, Leo Magnus, Hilarius, Ambrosius, Venerabilis Beda & quotquot denique in eadem antiquitus floruere Scriptores eximii.

His omnibus nec tantisper moventur Auctores Catholici; cum urgentioribus ducantur argumentis ad versiculum nostrum, genuinum Sancti Evangelistæ Joannis fœtum judicandum. Minime inprimis decerni posse videtur cur versiculus octavus incipere queat a particula conjunctiva &, nimirum = & tres sunt qui testimonium dant in terra = nisi altera locutio præcesserit, quæ de aliis fuerit testimoniis. Naturalis autem omnino sermo erit si dicamus = tres sunt qui testimonium dant in Cœlo &c. & tres sunt qui testimonium dant in terra. &c. Verum hæc omittamus, & urgentiora narrentur quæ Catholicis præsto sunt argumenta.

Fa-

§. II.

De duabus aliis S. Joannis Epistolis.

III. DUas posteriores nomine S. *Joannis* inscriptas, non esse *Joannis Apostoli & Evangelistæ*, sed *Joannis Senioris* seu *Presbyteri*, nonnulli Veterum censuerunt, teste Eusebio [a] & Hieronymo [b] in Joanne: *Reliquæ duæ Epistolæ*, inquit, *quarum prioris principium est, Senior Electæ Dominæ & natis ejus; sequentis vero Senior Gaio charissimo, quem ego diligo in veritate, &c. Joannis Presbyteri asseruntur, cujus & hodie alterum sepulchrum apud Ephesum ostenditur.* Eadem de duobus sepulchris Ephesi nomine Joannis inscriptis, refert Papias. Cum autem harum Epistolarum Scriptor non Apostolum se, sed tantum Seniorem seu Presbyterum nominet, inde argumentum eliciunt has Epistolas adscribi debere, non *Joanni Evangelistæ*, sed *Presbytero*, cum non soleant Apostoli, etiam ubi ad privatos scribunt, omittere eum titulum, quo ipsorum scripta maxime apud Christianos commendabantur.

Verum tametsi illa fuerit quorumdam Veterum de harum Epistolarum Auctore dubitatio, nihilominus constantissimum esse debet, utramque esse *Joannis Evangelistæ*, atque

[a] *lib. 3. hist. Eccles. cap. 39.*
[b] *lib. de Script. Eccl.*

Fatetur in primis Simonius hujus versiculi impugnator acerrimus codices laudatos, in quibus versus noster desideratur, sexcentos non excedere antiquitatis annos, cum tamen non diffiteatur Codicem Sancti Germani a Pratis, in quo versiculus legitur ab octingentis annis & ultra esse conscriptum. Reperitur ulterius versiculus iste in Codice Britannico, cujus auctoritatem tanti fecit Erasmus, ut in tertia & quarta editione posuerit versum hunc, quem omiserat in prima, & secunda. Lucas Brugensis, qui de Lovaniensium Theologorum mandato editionem Vulgatam cum triginta quinque manuscriptis contulit, in quinque solummodo ex illis fuisse desideratum adfirmat. In illis pariter versus noster fuit repertus Codicibus, quos adhibuere Auctores editionis Complutensis anno 1510., qui profecto, testante Cardinale Zimenes Ordinis nostri ornamento laborem omnem, & diligentiam in conquirendis antiquissimis, emendatissimisque exemplaribus impenderunt. Robertus Stephanus tandem in celebri sua novi Testamenti editione testatur ex sexdecim vetustis exemplaribus Græcis in Italia, Hispania, & Gallia summa diligentia conquisitis, septem tantummodo adinvenisse, in quibus etiam aderat versus noster, sed absque voculis istis *in Cœlo* legebatur. Sed quod maxime versiculi hujus authentiam demonstrat est illa confessio fidei, quam Eugenius Carthaginensis Episcopus edidit, eamdemque quadringenti ferme Episcopi subsignarunt, & Hunerico Ariano Regi anno 484. obtulerunt; hæc itaque in ea leguntur verba = & ut adhuc luce clarius unius divinitatis esse cum Patre & Filio Spiritum Sanctum doceamus, Joannis Evangelistæ testimonio comprobatur ait namque: tres sunt qui testimonium perhibent in Cœlo Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus, & hi tres unum sunt = quis opinetur tot Episcopos voluisse Ariano Principi, qui Arianis Episcopis stipatus incedebat, id scripturæ proferre testimonium, cujus auctoritas dubia foret? Tot Episcoporum patrocinium pro hujus versiculi authenticitate insuperabile prorsus est; nec quidquam prodest adversariis multorum scriptorum silentium; contingere siquidem potuit, ut eorum Codices jam Arianorum astutiis depravati essent, & mutili: hoc quippe ex eo demonstratur, quod Leo, Ambrosius, Lucifer, Hilarius, Beda, Augustinus, Facundus, aliique eumdem non legerint, cum tamen Cassiodorus quinti sæculi scriptor in aureo suo opere, *complexiones in Epistolas, & Acta Apostolorum* inscripto, hæc habeat verba = Qui Deum Jesum credit, ex Deo Patre natus est; iste sine dubitatione fidelis est; & qui diligit Genitorem amat eum, qui ex eo natus est Christus... cui rei testificantur in terra tria mysteria aqua, sanguis & Spiritus; quæ in passione Domini leguntur impleta: in Cœlo autem Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus, & hi tres unus est Deus = Clarissimum est hoc Cassiodori testimonium; iste autem in Cap. 8. divinarum institutionum fatetur ex variis Mundi partibus Codices collegisse, sedulaque lectione eosdem perlustrasse, atque in priscorum Codicum collatione plurimum adlaborasse, hac de re videatur Maffejus; quis modo sibi suadeat eo testimonio fuisse usurum in complexionibus Cassiodorum, nisi in optimis exemplaribus illud perlegisset? Falsum est autem quod tot Ecclesiis fuerit incognitus versus iste, ut expostulare videntur adversarii, Africana Ecclesia antiquitus eumdem agnovit, ejus quippe meminere Tertullianus in Libro contra Praxeam scribens = Ita connexus Patris in Filio, & Filii in Paraclito tres efficit cohærentes alterum ex altero, qui tres unum sunt = Sanctus Cyprianus ad initium Libri *de unitate Ecclesiæ* inquiens = Ego & Pater unum sumus; & iterum de Patre, & Filio & Spiritu Sancto scriptum est: & hi tres unum sunt = Quod quidem S. Cypriani testimonium peroptime novit S. Fulgentius, illudque citavit in responsione ad ultimam Arianorum obiectionem, nihili propterea facimus auctoritatem Facundi Hermianensis, cui Fulgentium doctrina sanctitate, & antiquitate longe superiorem opponimus. Qui ergo nostri versiculi habuere mentionem nullo pacto minores iis reperiuntur, qui de eodem siluerunt. Si autem cur a variis Ecclesiæ Patribus hunc versiculum esse omissum inquiratur? respondebimus vel quia ad eorum manus codices mutili devenerunt, vel quia huius versiculi authentia vertebatur in dubium, vel denique alia quacumque de causa nobis adhuc impervia. De mutilatione sacrorum codicum ab Hereticis facta ita querebatur olim S. Ambrosius Lib. 3. de Spiritu Sancto Cap. 10. his verbis = utinam de vestris, non etiam de Ecclesiæ codicibus tolleretis; eo enim tempore, quo impiæ infidelitatis Auxentius Mediolanensem Ecclesiam armis exercituque occupaverat; vel a Valente, & Ursacio nutantibus sacerdotibus suis incursabatur Ecclesia Sirmiensis, falsum hoc, & sacrilegium vestrum in Ecclesiasticis codicibus deprehensum est: & fortasse hoc etiam in Oriente feciſtis. Et literas quidem potuistis abolere, sed fidem non potuistis auferre = Socrates pariter adulteratæ ab Hereticis scripturæ exemplum profert ex hac ipsa prima S. Joannis Epistola Capite 4. ℣. 2. ubi legitur = In hoc cognoscitur Spiritus Dei; omnis Spiritus, qui confitetur Jesum Christum in carne venisse, ex Deo est; & omnis Spiritus qui solvit Jesum Christum ex Deo non est = hunc locum ab Arianis expunctum Socrates observat. Quid ergo mirum si septimum Versiculum Capitis 5. eiusdem Epistolæ ab aliquibus codicibus abradere sunt ausi perfidi Ariani. Ex incuria pariter Amanuensium deesse paulatim in variis exemplaribus potuit versus noster, iis autem si usi sunt illi Patres, qui opponuntur ab Adversariis nunquid tot codicum antiquorum, atque Episcoporum, & Doctorum fidem poterunt elevare? minime gentium; genuinus ergo & authenticus versiculus ille habendus est. (W.)

que etiam Scripturam Canonicam, *Tum quia* Ecclesia cujus solius est de legitimis Scripturæ libris judicare, has duas Epistolas eadem serie qua præcedentem, Joanni Evangelistæ adjudicavit in Conciliis Laodiceno, Carthaginensi, Florentino & Tridentino. *Tum quia* SS. Patres, præsertim Irenæus, [a] Augustinus [b], & Hieronymus [c], testimonia ex his duabus Epistolis velut ex Joanne proferunt; *Clangit*, inquit Hieronymus, *tuba filii tonitrui quem Jesus amavit plurimum, qui de pectore Salvatoris doctrinarum fluenta potavit: Presbyter Electæ Dominæ, & filiis ejus quos diligo in veritate.* Tum denique styli & argumenti similitudo, illas ejusdem esse Auctoris haud obscure declarat: *Certe quidem*, ait apposite Baronius [d], *si quando ex facierum similitudine filios eodem parente genitos licuit judicare; tres illas Epistolas verbis, sententiis, stylo, charactere unam eandemque præ se ferentes imaginem, ab uno eodemque Auctore esse conscriptas, quivis facile poterit intelligere.*

a *lib.* 3. *cap.* 13.
b *lib.* 2. *de doct. Christ. cap.* 8.
c *Epist. ad Evagr.*
d *ad ann. Christ.* 98. *n.* 8.

In primis enim quod ad verba atque sententias spectat, in multis id contigit demonstrari: ut dum ait *in Prima* cap. II. *Non mandatum novum scribo vobis, sed mandatum vetus.* In *Secunda* item: *Non tanquam mandatum novum scribens vobis, sed quod habuimus ab initio.* Rursum *in prima* loco citato: *Omnis qui negat Filium, nec Patrem habet: qui confitetur Filium, & Patrem habet.* Et *in secunda* eandem plane his verbis sententiam reddit: *Qui recedit & non permanet in doctrina Christi, Deum non habet: qui permanet in doctrina Christi, hic & Patrem & Filium habet.* Quod item in prima cap. III. *Omnis qui ex Deo natus est, peccatum non facit.* In *tertia* idem his verbis: *Qui benefacit ex Deo est: & qui ex Deo natus est, peccatum non facit.* Et quod in prima ibidem habet: *Ut diligamus opere & veritate.* Eadem *in secunda & tertia* de *diligendo in veritate* frequenter inculcat. Dum item *in prima* hæc habet cap. IV. *Multi Pseudo-prophetæ exierunt in mundum. In hoc cognoscitur Spiritus Dei: Omnis Spiritus qui confitetur Christum in carne venisse, ex Deo est: & omnis qui solvit Jesum, ex Deo non est; & hic Antichristus est.* In *secunda* iisdem pene verbis eandem reddens sententiam, ait: *Multi seductores exierunt in mundum: qui non confitetur Jesum venisse in carne, hic est seductor, & Antichristus.* Rursum in prima: *Hæc est charitas ut mandata ejus custodiamus.* Et in secunda: *Hæc est charitas ut ambulemus secundum mandata ejus.* At quæ frequens in tribus illis Epistolis facta est charitatis, dilectionis, & veritatis inculcatio, plane declarat in duabus illis Epistolis eandem, quæ in prima genuinam elucere, atque perspicue conspici Joannis imaginem.

His accedit non omnino certum esse utrum duo fuerint Joannes, quorum unus dictus *Senior*, seu *Presbyter*, fuerit *ab Evangelista* distinctus: nam quod istud ex duobus sepulchris Ephesinis nominibus *Joannis* inscriptis colligunt, ut rem dubiam proponit S. Hieronymus in Joanne, ubi cum dixisset duas posteriores Epistolas nomine *Joannis* inscriptas, a quibusdam asseri, fuisse *a Joanne Presbytero*, cujus & hodie sepulchrum apud Ephesum ostenditur, subiicit: *Nonnulli putant duas memorias ejusdem Joannis Evangelistæ esse*: quibus ut vides rem uti dubiam refert. Quod vero de Papia scribens addit de eodem Joanne; *Hic dicitur mille annorum Judaicam edidisse fabulam quem sequuti sunt Irenæus, Apollinarius, &c.* Non rem etiam ut omnino certam enarrat, sed quæ illis temporibus vulgabatur, in quibus pleraque supposititia scripta sub mentitis Veterum nominibus disseminabantur.

Neque adversæ sententiæ quidquam patrocinatur *Senioris* aut *Presbyteri* vox. Enimvero eam scribere voluit Joannes, ut significaret se jam grandævum has literas edidisse; quod etiam tunc notior esset sub nomine *Senioris*, utpote solus in vivis ex omnibus Christi Apostolis; ut hæc causa sit, cur Antonomastice dicatur ὁ πρεσβύτερος, i. e *Presbyter* vel *Senior*, quia jam decrepitus & Apostolatus dignitate, & ætatis plenitudine omnium Christianorum erat Senior: ultimus enim Apostolorum vixit usque ad imperium Trajani, mortuus circiter anno ab Incarnatione Christi 101. ut observat S. Hieronymus Epist. ad Evagrium. Neque etiam quidquam officit subductum Apostoli titulum, quem his Epistolis inscribere noluit, iisdem de causis ob quas illum in præcedentis Epistolæ inscriptione & conclusione siluit.

IV. *Secunda Epistola* dirigitur ad Electam, quam S. Hieronymus, interpretatur Ecclesiam, quem secutus Serarius, octo conjecturis probare nititur, per Electam non significari certam personam, sed Ecclesiam aliquam Asiæ; Ecclesia enim electa est Christi Domini Sponsa, juxta illud Canticorum VI. pulchra ut Luna, electa ut Sol. Unde S. Petrus Epist. I. cap. V. v. 13. Ecclesiam in Babylone *coelectam* appellat. Verum ut cætera prætermittam, huic sententiæ obsistunt ultimi hujus Epistolæ versus, quibus ait se quamprimum invisurum eam, & os ad os loqui, & illam ab Electæ sororis filiis salutari. Quæ omnia certam aliquam personam designant. Accedit quod Epistolæ inscribi soleant personis certis, nominando eas proprio nomine, ne vagæ sint & ad alienos perferantur. Denique τῇ ἐκλεκτῇ, id est electæ, nullum habet articulum quasi nomen proprium. Si enim esset appellativum, dicendum fuisset cum articulo τῇ ἐκλεκτῇ. Confirmat etiam quod vox *Electa* passim majuscula litera scribatur, quasi nomen proprium: unde pater ejus videtur dictus *Electus*, ut hæc sit causa cur utraque filia appelletur *Electa*. Favet etiam ex parte Lucius dexter in Chronico, qui hanc matronam proprio nomine *Drusiam* vocatam ait: *S. Joannes*, inquit, *scripserat ad Drusiam fœminam electam secundam Epistolam, quæ velut Ecclesiæ illius civitatis parens, mira largitione & charitate tunc florebat.*

Scopus hujus Epistolæ est, ut significet execrandos & fugiendos esse omnes Hæreticos,

ticos, qui Christi Divinitatem aut Incarnationem in dubium revocant, sicque misere Christi Ecclesiam scindunt & dilacerant. Quamobrem hortatur ut in primis charitatem & unitatem Fideles invicem sectentur, aversentur autem omnem Hæreticum, nec eum in domum recipiant, nec *Ave* ei dicant.

V. *Tertia Epistola* dirigitur ad Caium, qui, inquit Lucius dexter [a], domo fuit Corinthius, genere vero Hispanus C. Centurionis Malacitani filius, S. Paulum ex Hispania redeuntem, domo tectisque excepit, invisitque Joannem ab exilio, &c. Existimat Beda, & cum eo plures Interpretes, hunc Caium esse Corinthium, de quo S. Paulus ad Romanos scribens cap. XVI. ait: *Salutat vos Caius hospes meus*: vix tamen fert ætas, ut hic idem sit, ad quem Joannes jam morti proximus scripsit, nisi illum plurima ætate confectum dicamus.

[a] *ad ann. 70.*

Illum autem Caium primo extollit, ac ei paterne congratulatur S. Joannes, quod optime audiat apud omnes Fideles propter sinceram suam fidem, pietatem & hospitalitatem, quam liberalissime erga Christianos advenas impendebat: admonet pariter ut caveat a consortio Diotrephis qui primatum illius Ecclesiæ in qua vivebat Caius, superbe ambiebat, & adversus S. Joannem ipsius ambitioni constanter obnitentem verbis malignis garriebat. Hortatur vero ut studeat imitari Demetrium virum eximia sanctitate atque hospitalitate celebrem, cui testimonium bonum redditur ab omnibus Fidelibus. Hæc vero sicut & præcedens Epistola brevissima est, quod speraret S. Joannes ad eos, quibus scribebat, se brevi venturum, suaque præsentia & aspectu additurum ea quæ deessent.

Tametsi vero hæ duæ posteriores Epistolæ ad certas personas dirigantur; nihilominus accensentur Epistolis Catholicis, hoc est, universalibus, propterea quod omnibus totius Orbis Ecclesiis & Fidelibus ad pietatem informandis revera poterant inservire, hoc enim significat vox *Catholica*. Quamobrem una ex veræ Ecclesiæ notis est, quod sit *Catholica* seu *universalis*, omnium nimirum Gentium, locorum & temporum: cum hæreses e contra sint particularium personarum, regionum & ætatum suis limitibus circunscriptæ, qua de re præclare scribit S. Augustinus [b]: *Ipsa est*, inquit, *Ecclesia Catholica: unde* καθολικὴ *Græce appellatur, quod per totum Orbem terrarum diffunditur, hanc ignorare nulli licet, ideo secundum Verbum Domini nostri Jesu Christi abscondi non potest.* Nec minus appositе Vincentius Lirinensis, in aureo libello contra profanas hæresum novitates: *In ipsa*, ait, *Catholica Ecclesia magnopere curandum est, ut id teneamus quod ubique, quod semper, quod ab omnibus creditum: hoc est enim vere proprieque Catholicum, quod ipsa vis nominis ratioque declarat, quæ omnia vere universaliter comprehendit*. Cum itaque Apostolicæ Epistolæ ad universos Christi Fideles erudiendos ubivis locorum & temporum datæ sint, merito jure *Catholicæ* dicuntur. (67)

[b] *Epist. 107. ad Securinum.*

§. III.

De Epistola S. Judæ.

VI. JUdas hujus Epistolæ scriptor, frater fuit Jacobi Minoris & Simonis Apostolorum, ac Josephi competitoris Matthiæ cum sors Apostolatus cecidit super Matthiam, ex Alphæo & Maria ejus conjuge oriundus. Hæc enim quatuor habuit filios. e quibus tres a Christo electi sunt ad Apostolatus dignitatem. Alter vero, nimirum JOSEPH vir eximiæ sanctitatis, intra Discipulorum sortem habitus.

Hic etiam *Judas* cognominatus est *Thaddæus*, & *Lebbæus*, nam Græca Matth. X. v. 3. sic habent: *Lebbæus qui cognominatus est Thaddæus*. Lebbæus autem, idem est ac *corculum*, derivatur enim a voce Hebræa לב *leb*, ideſt, *cor*, ait S. Hieronymus, *Thaddæus* vero a Syro תד *thad* ab Hebræo צד *Tsad*; nam Syri & Chaldæi sæpe *S.* Hebræum vertunt in *T.* ac pro *Sad* dicunt *Thad*; & pro *Saddai*, ideſt *mamma bonorum omnium*, dicunt *Thaddai*: sicque *Thaddæus*, idem quod *Saddæus*, ideſt, *mamma*, *uber*, vel *mammæus*, *uberalis*, hoc est, *dulcis*, *misericors*, *benignus*, *beneficus*. Quibus certe nominibus graphice describitur hujus sanctissimi Apostoli eximia cordis & animi indoles, utpote qui fuerit mire cordialis, benevolus benignus ac misericors.

Eusebius [c] & Nicephorus [d], necnon & Græci *in Menologio* duos censent fuisse *Thaddæos* scilicet unum *Apostolum*, puta *Judam* hunc nostrum, alterum qui fuerit e LXX. Christi Discipulis, missus ad Abagarum Edessæ Regem, ut eum ab infirmitate liberaret, & Christiana doctrina ac religione imbueret. Verum cæteri Scriptores Ecclesiasti-

[c] *lib. 1. hist. cap. 13.*
[d] *lib. 2. hist. cap. 40.*

(67) Quidquid adversus aliarum Epistolarum Joannis Canonicitatem opponere solent Hetherodoxi, & Critici levis momenti repetitur & jam satis ab Auctore nostro refutatum est. Quo vero tempore Sanctus Evangelista hasce suas Epistolas dederit definiri vix posse videtur, cum nihil certi habeamus. Sunt qui opinantur ante Jerosolymorum eversionem, scilicet ante annum Christi 70. esse datam primam Joannis Epistolam. Alii vero post solutum Joannis exilium, & postquam suum scripserat Evangelium scilicet post annum Christi 96. hanc Epistolam scriptam arbitrantur. Secunda Epistola, & tertia huius Evangelistæ pariter nullum tempus præfixum exhibent neque satis validæ pro eodem assignando coniecturæ. Secunda eodem fortassis tempore cum prima data est; de tertia autem nihil certi. Baronius cum aliis circa annum Evangelistæ 97. tres ejus Epistolas scriptas fuisse opinatur. (W.)

ſiaſtici non niſi *unum Thaddæum* agnoſcunt ſcilicet *Judam Apoſtolum*; ita S. Hieronymus [a], Beda [b] & Fulgentius [c], cui ſententiæ ſuffragatur Eccleſia Latina, quæ in Martyrologio & officio divino, nonniſi *unum Thaddæum* commemorat. Huic etiam ſententiæ adſtipulantur Evangeliſtæ ſacri, nam quem Lucas Apoſtolos enumerans, cap. VI. & Act. I. dixit *Judam* Jacobi fratrem, Matthæus cap. X. *Thaddæum* nominat; cum enim Apoſtolos omnes recenſet, ubi *Judas* nominandus erat, *Thaddæum* ponit quod etiam fecit Marcus cap. III. ut nulla prorſus ſit ambiguitas *Judam* cognomento dictum eſſe *Thaddæum*. Quamobrem Eccleſia in ſanctorum Litaniis Apoſtolos nominatim invocans, prætermiſſo *Judæ* nomine; *Thaddæum* inclamat. Hunc autem S. Apoſtolum Evangelium prædicaſſe in Meſopotamia, Perſia, Arabia, Idumæa refert Nicephorus [d] ad quos præſertim hauddubie eam direxit Epiſtolam, quæ ejus nomine inſcribitur: tametſi ad omnium prorſus Chriſti Fidelium illius temporis informationem, & ſalutiferum adverſus graſſantes hæreſes antidotum plurimum prodeſſe potuerit.

VII. Porro de hujus Epiſtolæ auctoritate & ſinceritate dubitatum eſt ab aliquibus, non ſolum Veteribus, ſed etiam Recentioribus: illam enim, ut teſtatur S. Hieronymus [e] *in Juda*, plerique Veterum e Scripturarum ſacrarum Catalogo expungendam eſſe cenſuerunt: *Judas*, inquit, *frater Jacobi, parvam quidem quæ de ſeptem Catholicis eſt, Epiſtolam reliquit, & quia de libro Enoch, qui Apocryphus eſt, in ea aſſumit teſtimonium, a pleriſque reiicitur: tamen auctoritatem vetuſtate jam & uſu meruit, & inter ſacras Scripturas computari, & ſacroſanctam auctoritatem habere.* Et merito quidem, nam eandem ut Canonicam Scripturam citant SS. Dionyſius [f], Epiphanius adverſus hæreſim Gnoſticorum, Nazianzenus in carmine de Scripturis, Origenes, perſæpe, necnon & S. Cyprianus, Tertullianus Ambroſius & alii plerique veteres Eccleſiæ tum Græcæ tum Latinæ Doctores. Quamobrem vix ſatis mirari poſſum Heterodoxorum, maxime Magdeburgenſium temeritatem, qui nulla habita tot illuſtrium Eccleſiæ luminum ac columinum ratione huic Epiſtolæ omnem Canonicam auctoritatem abjudicant.

Neque minus culpanda venit Grotii & Gregalium hallucinatio, dum exiſtimat hanc Epiſtolam eſſe non *Judæ Apoſtoli*, ſed *Judæ Epiſcopi Hieroſolymitani* qui floruit Adriani temporibus; Nam ut Magdeburgenſium errorem proſcribunt omnes illi Eccleſiæ Patres, qui Epiſtolam nomine *Judæ* inſcriptam, velut ſacram Scripturam citant; ſic & Grotii lapſum aperit & redarguit ipſe hujus Epiſtolæ titulus, necnon & exordium, in quo illius Auctor ſe fratrem Jacobi nominat. At aliquem Jacobi fratrem jam ætate hauddubie matura ad Apoſtolatum a Chriſto evocatum, vixiſſe uſque ad Adriani tempora, hoc eſt, circiter CXL. annis, levis erit quiſquis cum Grotio credet. Judas enim ille Jeroſolymorum Epiſcopus decimus quartus fuit a S. Jacobo, teſte Euſebio [g] veroſimile autem non eſt Chriſti Diſcipulum, qualem ſaltem fuiſſe oportebat in Grotii ſententia Judam illum Jacobi fratrem, tam diutino tempore vixiſſe, ut ad Adriani tempora pertingeret; (68)

Neque Grotio ſuffragatur id quod ſcribit hujus Epiſtolæ Auctor v. 17. *Charisſimi memores eſtote verborum quæ prædicta ſunt ab Apoſtolis Domini noſtri Jeſu Chriſti*; quaſi ipſe non eſſet Apoſtolus, nec ullus Apoſtolorum amplius in vivis eſſet. Ex his enim duntaxat colligere licet S. Judam omnium Apoſtolorum poſtremum, (ſi S. Joannem excipias) ſuam ſcripſiſſe Epiſtolam: ac ſubinde potuit nonnullas Apoſtolicas Epiſtolas vidiſſe, idem quod ipſe argumentum tractantes maxime vero *ſecundam Petri*, & *utramque Pauli ad Timotheum*, ubi præmonent Fideles præſertim Petrus cap. III. ut caveant ab Hæreticis mox naſcituris, & etiam ex parte jam exiſtentibus, ac virus ſuum evomentibus.

At, inquies, qua ratione Apoſtolus Epiſtolæ ſuæ ex lib. Apocrypho *Enoch* conciliare voluiſſet auctoritatem. Verum quiſquis hæc obiicit, hauddubie neſcit Paulum Apoſtolum plerumque, ut ſæpius jam monuimus, Gentiles Poetas, & aram idololatris inſervientem, cum Athenis concionaretur, in ſummæ Theologiæ convertiſſe teſtimonium & ſinceriſſimæ veritatis argumentum. Utrum vero S. Judas ea quæ *ex Enoch* refert, hauſerit ab aliquo libro *Enochi* nomine inſcripto, an vero ſola traditione, aut revelatione divina exceperit, jam in ſecundo primi libri capite a nobis abunde dictum eſt. Nihil eſt ergo quod Adverſariis huic Epiſtolæ fidem derogantibus, tantillum ſuffragari poſſit.

Argumentum hujus Epiſtolæ non opus eſt pluribus verbis explicare. Idem enim pene eſt quod agitat S. Petrus in ſecunda ſua Epiſtola; præmonet enim uterque Apoſtolus ac præmunit Fideles adverſus horrendam non ſolum Simonis impuriſſimi & Gregalium turpitudinem, ſed etiam Nicolaitarum flagitioſiſſimam voluptatem, quam uterque atris coloribus graphice depingit, & ab omnibus execrandam eſſe demonſtrat.

[a] *in Evang. S. Matth.*
[b] *in cap. 1. Act.*
[c] *Serm. 9.*
[d] *lib. 2. cap. 4.*
[e] *lib. de Script. Eccl.*
[f] *de divinis nomin. cap. 4.*
[g] *lib. 4. hiſt. cap. 4.*

(68) Epiſtolam Judæ poſt annum Chriſti 66. datam eſſe ex hoc nonnulli inferunt quod ℣. 17. Apoſtolos memoret veluti aliquandiu ante peremptos. Exſcribit ulterius verba verſiculi 31. Cap. 3. Epiſtolæ ſecundæ Sancti Petri. Verum nihil certi poteſt decerni. Hanc Epiſtolam ut Canonicam ſemper agnovit Eccleſia, ut ex cenſibus divinarum ſcripturarum fit palam. (W.)

CAPUT DECIMUM.

De Libro Apocalypſis S. Joannis Evangeliſtæ.

I. *Ethymologia vocis* Apocalypſis *variumque de hoc libro antiquitus judicium.*
II. *Celebriores Eccleſiæ Patres Librum iſtum ut Canonicum ſemper agnoverunt.*
III. *Pravo animo Calviniſtæ hunc Librum tanquam divinum venerantur.*
IV. *Auctor hujus Libri eſt S. Joannes Evangeliſta.*
V. *Quo ſermone, & quandonam editus fuerit Liber Apocalypſis?*
VI. *Variæ ſcriptorum de hujus Libri argumento opiniones.*
VII. *Quatruplex fuit S. Joannis in Apocalypſi ſcopus.*
VIII. *Quinam Hæretici hunc Librum reiiecerint?*
IX. *Quid ſignificent quatuor Angeli in flumine magno Euphrate alligati?*

I. APocalypſis vox Græca eſt quæ idem ac *revelatio* ſignificat, a verbo ἀποκαλύπτω, id eſt *revelo*. Quo titulo hic liber jure inſcriptus eſt, utpote cum referat arcana & myſteria quæ Deus *Joanni* cœlitus revelavit Eccleſiæ ſuæ manifeſtanda. De hoc autem libro, quemadmodum de præcedentibus tria diſcutienda ſunt: *Primo* quæ ſit illius auctoritas; *Secundo* quis Auctor; *Tertio* quodnam argumentum.

Ad primum quod attinet, hunc librum e Canonicarum Scripturarum ſerie reiiciebant olim non ſolum Marcionitæ & Alogiani hæretici, teſte S. Epiphanio [a], ſed etiam nonnulli e SS. Patribus; Caius enim vetuſtiſſimus Auctor, referente Euſebio [b] librum hunc aut alium ſimilem tribuebat *Cerintho* hæretico Chiliaſtæ: *Sed & Cerinthus*, inquit, *per revelationes quaſdam a ſe tanquam a magno quodam Apoſtolo conſcriptas, portenta quædam quaſi ab Angelis ſibi oſtenſa commentus nobis introducit, affirmans poſt reſurrectionem regnum Chriſti in terris futurum, ac rurſus homines Hieroſolymis degentes cupiditatibus & voluptati corporis obnoxios fore. Additque hoſtis ille divinarum Scripturarum, mille annorum ſpatium in nuptialibus feſtis tranſactum iri, quo facilius imperitos homines decipiat.* Eandem ſua ætate de conficto a Cerintho Apocalypſis libro opinionem plurium animos adhuc occupaſſe, teſtatur Dionyſius Alexand. apud eundem Euſeb. [c] ubi ait, propterea hunc librum a nonnullis Veteribus penitus eſſe repudiatum: imo aliquos e Catholicis Doctoribus ſingula ejus capita refelliſſe, atque etiam dediſſe operam ut demonſtrarent quæ in eo continentur, cenſeri non poſſe revelationem cœlitus factam, quippe quæ tam craſſo, tamque opaco ignorantiæ obducta ſit velo, ut non modo Apoſtolorum neminem, ſed ne ullum quidem e ſanctis & Eccleſiaſticis viris hujus libelli conditorem fuiſſe videatur.

Verum hanc ſententiam ab omni veritate alienam improbat ipſemet Dionyſius: & merito quidem; qui enim fieri potuit, ut opus illud eſſet Cerinthi, in quo impium illius de Chriſto puro homine dogma multis in locis deſtruitur; quamobrem ſubiicit Dionyſius: *Ego vero librum illum reiicere omnino non auſim; præſertim cum multi ex fratribus eum magni faciant. Sed hujuſmodi de illo opinionem concipiens, quaſi ſenſus mei modum excedat, arcanam quandam planeque admirabilem ſingularum rerum intelligentiam latere exiſtimo. Nam etſi ipſe non intelligo, ſuſpicor tamen altiorem quendam ſenſum verbis ſubeſſe. Eaque non meo ipſius judicio metior atque æſtimo: ſed plus fidei tribuens, ſublimiora eſſe cenſeo quam ut a me percipiantur. Nec ea condemno quæ intelligere non potui; verum inde admiror magis quod capere non poſſum.* Hæc Dionyſius, ac digna plane tractatore Catholico ſententia, qua cæteri merito erudiantur in divinis Scripturis, ea quæ legentium captum tranſcendunt, non tantum non ſpernenda eſſe, ſed majori illa eos debere reverentia proſequi.

Refert etiam S. Hieronymus ſua ætate nondum apud omnes Catholicos invaluiſſe libri Apocalypſis auctoritatem; ſcribit enim ad Dardanum [d]; *Græcorum Eccleſiæ Apocalypſim Joannis non ſuſcipiunt; eadem libertate qua Latinorum conſuetudo, non recipit Epiſtolam ad Hebræos, inter Canonicas Scripturas: & tamen nos utramque ſuſcipimus, nequaquam hujus temporis conſuetudinem, ſed veterum Scriptorum auctoritatem ſequentes.* Quæ verba varie nonnulli explicant, ut velint Hieronymum intelligendum de paucis quibuſdam obſcuri nominis Græcis: vel ſi de illuſtrioribus nonnullis: eos fuiſſe numero paucos. Cui præiverat Amphilochius Baſilio coævus in Catalogo Canonicorum librorum dicens, *Apocalypſim Joannis aliqui inſerunt:* Rurſus: *ſed longe plurimi adulterinam reſpuunt.* Itaque dicendum exiſtimo, S. Hieronymum loqui non de peculiaribus quibuſdam Eccleſiæ Græcæ Patribus & Doctoribus, ſed de rudioribus Fidelibus, & aliquibus particularibus Eccleſiis. Ita quod quemadmodum aliquæ particulares Eccleſiæ Latinæ de Epiſtolæ ad Hebræos auctoritate ambigerent, cum tamen ſapientiſſimi Latinorum, ut Ambroſius, Auguſtinus, Hieronymus, & alii veluti ſacram Scripturam venerarentur: ita etiam neque Græcorum ſapientiſſimi dubitabant de Apocalypſi, utpote cum ex eo libro, velut ex Scriptura ſacra, teſtimonia plurima elicerent; Quoniam non ignorabant conſenſum Antiquitatis & Eccleſiæ Latinæ auctoritatem reſpui non debere.

[a] *hæreſ.* 51.
[b] *lib.* 3. *hiſt. cap.* 28.
[c] *lib.* 7. *cap.* 25.
[d] *Epiſt.* 129.

II.

II. Ut ut est de mente S. Hieronymi, certum est apud illustriores utriusque Ecclesiæ tam Græcæ quam Latinæ Patres, librum Apocalypsis vere Canonicum esse habitum. Nam Dionysius [a] vocat Apocalypsim *Arcanum & mysticam visionem dilecti Discipuli*. S. Justinus [b] eundem librum ut sacram Scripturam profert. Similiter Irenæus [c], & Clemens Alexand. [d] Origenes pariter [e], Apocalypsim *Joanni Apostolo* tribuit. Epiphanius quoque [f], Chrysostomus [g] & Damascenus [h] Apocalypsim ut *sacram* & *Joannis* agnoscunt. Eadem fuit communis Patrum Latinorum sententia. Hilarius enim [i], Ambrosius [k], Augustinus [l], distincte asserunt Apocalypsim ejusdem esse Joannis cujus est Evangelium. Qua de re insignis est Tertulliani sententia [m]: *Etsi Apocalypsin*, inquit, *Marcion respuit; ordo tamen Episcoporum ad originem recensus in Joannem stabit Auctorem*.

Existimat Baronius [n] dubium visum fuisse hunc librum SS. Basilio, Nazianzeno, atque Gregorio Nysseno, quos putat ab eo citando abstinuisse. *Verum* Andreas Cappadociæ Episcopus, & antiquissimi hujus libri Interpres, ait, constare hunc librum a Gregorio Theologo, & a Cyrillo Alexandrino *divinum* appellari. Citat porro frequenter Gregorii Nazianzeni in Apocalypsin commentarium, ut cap. I. in ea verba; *Qui est & qui erat*; & in id *Similes aurichalco*; & in id *Sacramentum stellarum* & cap. III. in illud: *Utinam frigidus aut calidus esses*. Præterea Aretas prædicti Andreæ successor, testatur, Apocalypsin a Gregorio Nazianzeno inter legitimos Joannis Apostoli libros numerari. Certe Nazianzenus aliquando citat Apocalypsin (scilicet Oratione 35.) In titulo etiam Aretæ habetur eum Commentarium collectum esse ex Basilio, Nazianzeno, Cyrillo, Papia, Philone & aliis. Nyssenum vero ejusdem fuisse sententia cum Basilio, Gregorio, Cyrillo, Athanasio atque Chrysostomo, quis dubitet?

His accedit sacrorum Conciliorum sententia. Nam in Concilio Romano sub Gelasio inter sacros & Canonicos libros annumeratur, atque etiam in aliis posterioribus Synodis in quibus actum est de sacrorum librorum serie, ut videre est initio libri quarti Disquisitionum. (69)

III. Quibus omnibus hauddubie convicti Calvinistæ, a suo Hæresiarcha hunc librum reprobante, descriverunt: quanquam aliunde appareat illorum hac in re animi malignitas, qui *Apocalypsim* inter sacros libros recipiendam esse censuerunt, nempe ut obscuris hujus libri sententiis abuterentur, ad acerbitatis suæ virus in Romanam Ecclesiam ejusque Summum Pontificem evomendum, cum illam *Babylonem* hunc vero *Antichristum* esse oblatrant. Verum ipsi cornicum oculos configunt, atque invidia cæci per suum latus Catholicam Ecclesiam configere incassum atque in sui perniciem nituntur; eorum enim servum arbitrium ac fidem solam justificantem, semelque acceptam prorsus inamissibilem sanctificantem gratiam, cæteraque plurima eorum impia dogmata, haud obscure proscribit divinus hic liber, dum libertatem arbitrii adstruit & fieri asserit, charitatis, aliarumque virtutum opera & merita, ac sanctitatis & justificationis jacturam in impiis.

IV. *Ad Auctorem* hujus libri quod spectat. Tametsi nonnulli e Veteribus & Recentioribus illum *Joanni* non *Apostolo*, sed alteri *Presbytero* & *Christi Discipulo*, qui inde *Theologus* vocetur, adscripserint: tamen certum est Apocalypsis non alium esse Auctorem quam *Joannem Apostolum*, ea namque constans est SS. Patrum sententia, ut liquet ex iis quos statim commemoravimus; sacrumque Ecclesiæ judicium, ut apparet ex sanctione Conciliorum, Ancyrani ante annos mille pene trecentos Can. ult. Carthaginensi IV. [o] Toletano IV. [p] ubi plurium Conciliorum & Summorum Pontificum oraculis confirmatur Apocalypsim esse *Joannis Apostoli*, atque etiam Scripturam Canonicam & vere divinam. Neque vero huic repugnare credendum est, quod hic liber stylo differat ab Evangelio & Epistolis S. Joannis: quia prorsus alia hic est materia, scilicet Prophetia, quæ alia serie aliove stylo scribenda fuit & enarranda, quam historia vel dogmatica & Moralis instructio ac informatio. Neque etiam officit quidquam quod hic liber apud Græcos titulo prænotetur ἀποκάλυψις τοῦ ἁγίου Ἰωάννου τοῦ Θεολόγου. *Apocalypsis sancti Joannis Theologi*.

Enimvero *Theologi* nomen appropriatum fuit S. Joanni Evangelistæ, ob sublimita-

a *cap.* 3. *hierarch. Eccl.*
b *Dialog. cum Tryphon.*
c *lib.* 5. *circ. fin.*
d *lib.* 2. *Pedagog. cap.* 12.
e *in Josue & in Psal.* 1.
f *hæres.* 51.
g *Homil.* 3. *in Psal.* 91.
h *lib.* 4. *cap.* 18.
i *Præf. in Psal.*
k *in Psal.* 40.
l *tract.* 36. *in Joan.*
m *lib.* 4. *contr. Marcion. cap.* 5.
n *ad ann. Christ.* 97.
o *Can.* 47.
p *Can.* 16.

(69) De Apocalypsis Canonicitate ante annum 210. a nemine fuisse dubitatum Millius demonstrat in Prolegom. ad Apocal. Cajus, Romanæ Ecclesiæ Presbyter omnium primus de hoc Libro dubium invexit, cum Cerintho illum adscripserit, eo quod hujus libri auctoritate præsertim uterentur Millenarii ad falsum dogma, quod prædicabant defendendum. De ejus canonicitate modo dubitari non potest, sicuti & nunquam principaliores Ecclesiæ Patres dubitarunt. Liber iste inter annos Christi 94. & 96. exaratus ab Evangelista Joanne vulgo creditur. Quæ in ejus canonicitatem opponi queunt facillime resolvuntur, & partim jam Auctor noster sub num. VIII. & IX. refutavit. Duo supersunt addenda. Primum quod Cerinthi, & Millenariorum doctrina hoc in Libro contineri videatur; quæ quidem falsa, & erronea cum sit, a Dei spiritu derivanda non est. Quis tamen non videat S. Evangelistam de alterius vitæ felicitate, non de terrenis voluptatibus & regno fuisse loquutum? millenarii vero anni qui recensentur totam exprimunt interminabile durationem alterius vitæ, numerus quippe millenarius est numerus perfectionis, satis se declaravit Joannes quod de Cœlesti Jerusalem sermonem habuerit scribit enim Cap. 21. ℣. 22. Templum non vidi in ea, Dominus enim Deus Omnipotens Templum illius est & Agnus Et civitas non eget Sole, neque Luna, ut luceant in ea, nam claritas Dei illuminabit eam, & lucerna ejus est agnus = sacri videantur Commentatores.

Secundum objectum proponebatur a Luthero. In Cap. 1. ℣. 3. Apocalypsis legimus = Beatus qui audit, & legit verba Prophetiæ hujus, & servat ea = sed nemo intelligere potest quid sibi velit hæc Prophetia; ergo &c. Verum ostendendum erat Luthero nil contineri intelligibile in hoc libro, ut suum posset subsistere ratiocinium, Plura in hoc libro ad morum informationem intellectu facillima leguntur; & hæc servanda præcepit Joannes ut beatitudinem consequamur. (W.)

tem ejus doctrinæ, qua de Deo, atque de Verbi Divini æterna generatione, altissimisque mysteriis profundissime disseruit. Idque non modo in Græco hujus libri titulo, verumetiam a plurimis Græcis Patribus, Scriptoribusque sacris nam Origenes homilia super illud, *In principio erat Verbum*; non semel ipsum citra Apostoli & Evangelistæ vocabulum, *Joannem Theologum* appellat. Similiter Theophylactus Præfat. in Evangelium ait: Ἰωάννης δὲ ὁ Θεολογικώτατος Suidas pariter de eodem hoc Joanne loquens diserte ait: Ἰωάννης ὁ Θεολόγος καὶ Εὐαγγελιστὴς ὁπὸ τῇ ἐν Πάτμῳ, &c. Rursus idem de Nonno Panopolitano scribens καὶ τὸν παρθένον, inquit, Θεολόγον παρεφράσατο δὲ ἐπῶν, qui *Theologum virginem* paraphrastico reddidit carmine. Ad hæc Dionysius Areopagita Epist. quandam scribit cui titulus est Ἰωάννῃ Θεολόγῳ Ἀποστόλῳ καὶ Εὐαγγελιστῇ περιορισθέντι κατὰ Πάτμον τὸν ἱερὸν, *Joanni Theologo Apostolo & Evangelistæ in Patmo insula exulanti*. Ubi etiam inter cætera scribit: *Nulla adversitas non privabit Joannis clarissimo radio, id quidem consecuturum memoria ac renovatione suæ verissimæ Theologiæ*. Eadem nomenclatura usi sunt cæteri Patres Græci, ut Joannem Evangelistam Theologi cognomento dicerent. Sic Hippolythus Martyr libr. de consummatione mundi, dum ait: *Secundum hanc consonat Joannes Theologus dilectus Christo*. Idipsum S. Cyrillus Hierosolymitanus [a], S. Chrysostomus [b], Cyrillus Alexandrinus [c], & alii bene multi ut ex his videas ideo affixum illum huic libro titulum a Græcis: *Apocalypsis S. Joannis Theologi*, quo certius affirmarent non alium quam *Joannem Evangelistam* esse hujus operis *Auctorem*.

a *Catech.* 12
b *Proœm. in Psal.* 37.
c *lib.* 3. *de Trinit.*

V. Porro S. Joannes hunc librum edidit, non Hebraice, nec Latine; sed Græce, ut colligere est ex iis ad quos scribere jubetur nempe ad septem Episcopos & Ecclesias Asiæ, ut patet cap. I. v. 4. quibus vernaculum erat Græcum idioma. Colligitur insuper ex vers. 8. ubi Christus, ut se omnium principium & finem esse significaret, non dicit, *Ego sum Aleph, & Thau*, vel, *a*, & *t*, sed; *Ego sum Alpha & Omega*.

Quo tempore scripta fuerit *Apocalypsis*, variant Auctores. Prætermissis autem aliorum sententiis, verosimilius dicendum censeo, non nisi diu post excidium Jerosolymitanum fuisse conscriptam, his potissimum argumentis: *Primo* quia cap. I. v. 9. appareret eam editam esse *in Insula Patmos* ubi Joannes fuerat relegatus: hæc autem relegatio facta est a Domitiano qui regnavit post Titum Judæorum expugnatorem & everſorem Hierosolymæ. Nam quod scribit Grotius ad vers. 9. primi cap. hujus libri, Joannem semel & iterum in Patmos fuisse relegatum, *primo* quidem jussu Claudii Imperatoris & primi Christianorum persecutoris, cujus cum edicta contra Christianos sustulisset Vespasianus, Joannes Ephesum reversus, iterum in Christianos sæviente Domitiano in eandem insulam denuo fuerit deportatus; conjecturæ quidem sunt, sed nullo solido fundamento subnixæ, quippe cum nullus Veterum hujus a Claudio relegationis S. Joannis, scriptis meminerit: Si unum Epiphanium excipias, is enim *hæres.* 51. quæ est *Alogorum*, sermonem faciens de Apocalypsi Joannis, scribit cap. 33. *Qui cum olim, imperante Claudio Cæsare vaticinium illud ediderit, cum in Patmo Insula versaretur*. Ubi appositè admonet Petavius *Claudium Cæsarem* mendose scriptum pro *Domitiano*, quippe cum hujus duntaxat persecutionis tempore Joannem in exilium ablegatum Historici omnes testentur. *Accedit quia* cap. II. v. 13. fit mentio *Antipæ Martyris*, Antipas autem passus est sub Domitiano, ut habet Martyrologium Romanum die XI. Aprilis. Unde probabile existimant S. Irenæus [d], S. Hieronymus & Eusebius, & plurimi Recentiores cum Baronio [f] S. Joannem Apocalypsim edidisse circa finem Imperii Domitiani, nimirum sub anno Christi XCVII. qui Domitiani fuit IV. & penultimus. Ac proinde scripta est Apocalypsis a Joanne ante ejus Evangelium quod nonnisi ab exilio reversus edidit, ut docent S. Hieronymus in Catalogo Scriptorum Eccles. S. Augustinus & Beda in proœmio ad Evangelium Joannis.

d *lib.* 5. *sub fin.*
e *in Chronic.*
f *ad ann. Christ.* 97.

VI. De argumento hujus libri, mire variant Interpretes. *Primo* namque sunt qui putent in hoc libro universim adumbrari ac ænigmatice describi varia proborum & improborum discrimina atque dissidia, ac utrorumque finem & exitum: ita Ticonius, & ex eo Primasius, & Beda, quibus ex parte subscribunt Ansbertus, Anselmus, Rupertus, Richardus, Hugo, &c. Verum hoc argumentum nimium generale videtur, pluraque sunt in eo libro, quæ non nisi ægre ad istud possent referri.

Secundo proximius in scopum collineant qui cum Lyrano & Aureolo nostris existimant in Apocalypsi prænuntiari futuros Ecclesiæ per varias ætates eventus, non omnes quidem, sed illustriores tantum: unde putant post monita septem Angelorum in cap. IV. futura prædici per sex visiones hac serie: a cap. IV. usque ad VIII. Primam visionem septem sigillorum ad Juliani Imperatoris tempora extendunt. Secundam septem tubarum cap. VIII. & seq. ad Mauricium. Tertiam Draconis & duplicis bestiæ cap. XII. & XIII. ad Carolum Magnum. Quartam Phialarum cap. XVI. usque ad Henricum Imperatorem. Quintam Babylonis usque ad Antichristum. Sextam denique qua finem libri claudit, ad extremum judicium, salvandorum gloriam, & damnatorum supplicia referunt. Verum hæc explicatio hiulcam continet vacuitatem; nam tempus quod post Aureoli ætatem futurum erat, describi putavit per quintam & sextam seu ultimam visionem, quæ cum spectet ad Antichristum, qui jam a trecentis annis quibus vita functus est Aureolus, nondum comparuerit nec etiam signa sint eum cito venturum, consequens esset omnia quæ toto hoc tempore evenerunt, non fuisse a S. Joanne prænuntiata.

Ter-

Tertio ſunt etiam qui putent cum Salmerone [a] hic deſcribi priora Eccleſiæ tempora, bella potiſſimum ac varias pugnas Eccleſiæ cum Synagoga & Gentiliſmo, ac de utriſque glorioſum triumphum; nam, inquit Salmero, a cap. VI. ad XII. agitur de Synagogæ & Judaiſmi abrogatione; inde vero uſque ad XX. de Gentiliſmi extirpatione & Eccleſiæ ubique terrarum regnantis imperio. Verum hæc expoſitio minus conſentanea videtur: maxime quod dum Apocalypſim ſcriberet S. Joannes, jam multos, eoſque præclaros de adverſariis ſuis Eccleſia triumphos egerat, ubique pene terrarum tunc temporis dilatata. Sanctus autem Joannes hic non enarrat quæ peracta ſunt, ſed prænuntiat quæ futura; neque hiſtoricum, ſed vatem agit, ut liquet ex hujus libri titulo ſeu exordio; *Apocalypſis Jeſu Chriſti ... quæ oportet fieri cito.* Et v. 3. *Beatus qui audit verba Prophetiæ hujus libri.* Unde S. Hieronymus [b]: *Joannes* ait, *ſicut appellatur Evangeliſta, quia librum Evangelii condidit; ita etiam appellatur Propheta; quia ſcripſit Apocalypſim infinita myſteria futurorum continentem.*

[a] *Prælim. 7. in Apocalyp.*

[b] *lib. 1. contra Iovin. cap. 4.*

Rectius augurari videntur, qui cum Abbate Joachim putant in Apocalypſi delineari ſub ænigmate ſeptem Angelorum, &c. ac deſignari diverſos Eccleſiæ ſtatus. *Primum* prodigioſe ac miraculis undique refertæ fundationis ejus per Apoſtolos, & Apoſtolicos viros. *Secundum* cruentæ illius jactationis & perſecutionis ſub imperatoribus Ethnicis. *Tertium* florentiſſimæ fortunæ proſperitatis ac pacis, ſub Conſtantino. *Quartum* diviſionis ac ſciſſionis ſub hæreticis. *Quintum* maximi illius incrementi ſub Carolo Magno & deinceps. *Sextum* ultimæ perſecutionis ſub Antichriſto. At quantumvis hæc expoſitio præ cæteris magis arrideat nihilominus tamen plene non videtur S. Joannis mentem aſſequi: ſiquidem longe glorioſius propagata eſt Eccleſia hiſce poſterioribus ſæculis, quam temporibus Caroli Magni, cum ad alteram Orbis partem prius ignotam, & ad infinita propemodum regna innumerabileſque inſulas, ubi prius aut ſaltem diu non ſteterat, inſtituta fuerit & firmata. Accedit quod a temporibus Caroli Magni ad hodiernum uſque diem non ita placida fuerit Eccleſiæ tranquillitas utpote cum variis hæreticorum, Turcarum, & Schiſmaticorum irruptionibus miſere jactata fuerit, ac non ſolum per univerſum Orientem, ſed etiam ſi quatuor regna, nonnullaſque Provincias excipias, in Occidente pene fuerit extincta.

Itaque ſi quid in re obſcuriſſima augurari liceat, cenſerem ego S. Joannem hoc in libro Paſtorem ſimul & Vatem agere: Paſtorem, inquam, qui ab ovibus abſens corpore, ſpiritu præſens, earum ſaluti zelantiſſime invigilat. Cum enim Eccleſiarum Aſiæ, maxime vero ſeptem quas ipſe fundaverat, eiſque præfecerat Epiſcopos, ſtatum Deo ſibi revelante diſtinctiſſime noviſſet, videretque lupos in ovilis ſui perniciem conjuratos, & quorumdam Paſtorum ſegnitiem & incuriam, eis occurrendum cenſuit ſalutaribus monitis & ſuppliciorum deviantibus impendentium, niſi reſipiſcerent, terrificis comminationibus; at blandientibus, ac congratulatoriis verbis erga eos qui ſedulo ſuo muneri ſuæque ſaluti invigilabant, quatenus meliora chariſmata in dies æmularentur. Vatem vero & Prophetam agit, ſcilicet a cap. IV. uſque ad finem libri, prænuntians Eccleſiæ univerſæ varios illius ſtatus futuros ad mundi finem uſque, maxime vero inſtantes fidelibus calamitates ſub perſecutionibus Domitiani, Trajani, Antonini, aliorumque Auctorum decem præcipuarum perſecutionum, quibus veluti ſævientibus procellis per trecentos annos, ſcilicet uſque ad Conſtantini tempora, jactata eſt Eccleſia. Deinde varias hæreticorum in eam incurſiones ænigmatice depingit. Tandem futuram illius circa mundi finem ſumme lugendam cladem perſequente Antichriſto vaticinatur.

VII. Unde quadruplex capitalis ac præcipuus cenſeri poteſt S. Joannis in Apocalypſi ſcopus; *Primus* ut Aſianas Eccleſias, quas fundaverat, ad perſeverantiam in fide, perfectamque ſanctimoniam provocaret ac confirmaret. *Secundus* ut imminentes ab Imperatoribus Romanis brevi inferendas Eccleſiæ calamitates prænuntians, fideles tum ſui temporis, tum deinceps futuros ſtimularet ad conſtantiam in fide ac pietate, certos eos faciens de æterna felicitate ipſis repromiſſa æter iſque ſuppliciis perſecutoribus eorum repoſitis. *Tertius* ut occurreret ſuccreſcentibus Cerinthi, Ebionis, Simonis Magi aliorumque vel jam per Aſianas Eccleſias graſſantium vel brevi oriundarum hæreſum pravis dogmatibus quibus Chriſti divinitatem aut humanitatem impugnare nituntur. Quamobrem Chriſtum inducit ſic loquentem: *Ego ſum Alpha & Omega, principium & finis, primus & noviſſimus, &c.* Ut ſimul ſe Deum verum & hominem conteſtetur: qua occaſione plurimas alias quo is ſæculo in Eccleſia futuras hæreſes non obſcure denuntiat. *Denique* declarat plagas & ſigna quæ futura ſint prænuntia ac veluti præambula, tam extremo judicio quam Antichriſto qui diriſſime ſæviturus ſit contra Chriſti fideles: cujus tamen futuram ſtragem cum ſuis aſſeclis Gog & Magog, quaſi jam in proſpectu repræſentat, ac tandem duobus ultimis capitibus felicem beatorum æternam ſortem graphice depingit.

Hæc tamen argumenti ſeries more Prophetico, interdum eſt inverſa. Prophetæ namque non ſervant ſemper ordinem temporis ac rei geſtæ vel gerendæ, quemadmodum hiſtorici. Unde in Apocalypſi viſiones Propheticæ S. Joannis diverſis temporibus, uti videtur, revelatæ, non deſcribuntur ordine temporis, ſed ſæpe interrumpitur tam earum, quam temporis ſeries & ordo. Inde eſt quod in hoc libro ſint anticipationes, recapitulationes, anteceſſiones, & retroceſſiones, atque repetitiones earumdem rerum, quin & repentinæ tranſitiones;

nam

nam ut notant Interpretes, ex uno ad aliud, vel simile vel dissimile, atque etiam a figura ad rem figuratam repente transit aliquando Propheta, atque illis non pene declaratis, ad priora revertitur & resilit. Inde fit quod omnium librorum Scripturæ sacræ hic Apocalypseos liber interpretatu difficillimus sit; tum etiam quia plenus est symbolis & ænigmatibus: *Nam*, inquit S. Hieronymus [a], *Apocalypsis Joannis, tot habet secreta quod verba. Parum dixi pro merito voluminis, locus omnis inferior est: in verbis singulis multiplices latent intelligentiæ.*

a *Epist.* 103. *ad Paulinum cap.* 7.

VIII. Uti Joannis Evangelium, sic & Apocalypsim repudiabant Alogi, hoc est, inquit S. Epiphanius [b], *a verbo alieni*, quod Verbum a Joanne prædicatum respuerent. Apocalypsim autem, ut idem Epiphanius refert cap. 32. repudiabant, his maxime ducti momentis, *primo* quod illa, inquiebant, inutilibus & variis commentis esset referta. *Quid me, inquiebant Joannis Apocalypsis* [c] *juvat cum mihi septem Angelos, totidemque tubas commemorat?* Respondet S. Epiphanius ista non juxta literalem ac materialem sensum, sed spiritualem esse accipienda; itaut Angelicæ illæ tubæ Apostolorum prædicationem e cœlo manasse designent, uti prænuntiatum fuerat [d] in illa die perstrepente tuba magna. „ Nam, *in-*
„ *quit*, cum tubæ quædam Prophetæ exti-
„ tisse videntur, tum major illa tuba san-
„ ctissima Christi in Evangelio vox fuit.
„ Quamobrem etiam Angelis detegendi no-
„ bis munus est commissum. Canet enim
„ tuba, inquit, & mortui resurgent. Quod
„ si Angelorum vobis tubæ illæ quæ in
„ Apocalypsi leguntur, risu dignæ videntur,
„ sequitur etiam alteram illam apud Apo-
„ stolorum tubam non minus esse ridicu-
„ lam: DESCENDET, inquit, DE COELO
„ IN NOVISSIMA TUBA, ET MORTUI RESUR-
„ GENT IN NOVISSIMO DIE, IN VOCE AR-
„ CHANGELI. Postquam igitur cum Apo-
„ stolo, Paulus Apostolus æque Joannes
„ in Apocalypsi adeo mirifice consentit,
„ quid est quod ab illis possit opponi?
„ Nonne omnis istorum error subinde dis-
„ solvitur, cum ab ambobus hisce sanctis
„ suum Deus testimonium editum esse vo-
„ luerit?

b *hæres.* 51.

c *cap.* 8. *v.* 2.

d *Levit.* 25. 9.

Instabant illorum aliqui, Auctor hujus libri [e] refert sibi divinitus mandatum scribere Ecclesiæ Thyatirorum: atqui nulla tunc Thyatiris Christianorum Ecclesia erat: qui igitur ad eam, quæ nusquam erat, Ecclesiam scripsit. *Respondet* S. Epiphanius ex hac objectione confirmari veritatem vaticiniorum S. Joannis, qui afflatu Prophetico quæ futura erant prænuntiavit, nempe Ecclesiam Thyatirorum futuram aliquando Cataphrygarum hæresi ita inquinandam, ut pene funditus videretur eversa. Quamobrem, inquit, Spiritus Sanctus id aperire potissimum studuit: Ecclesiam post Apostolorum, hoc est, Joannis ac cæterorum tempora, ad errorem esse declinaturam, annis post Ascensum Christi tribus ac nonaginta: quo tempore in errorem incidere, atque in Cataphrygarum hæresim velut eliquari illius loci deberet Ecclesia. Unde & coarguendi gratia statim ita Dominus loquitur [f]: *Scribe Angelo Ecclesiæ, &c.*

e *cap.* 2. 18.

f *Apoc.* 2. 18.

Pergebant illi vocum aucupatores imperitissimi obiiciebantque illud Apocalyp. IX. 14. *Solve quatuor Angelos qui alligati sunt in flumine magno Euphratis, &c.* cui narrationi subesse ridiculum quiddam suspicati sunt. At, *inquit*, S. Epiphanius [g] cum quatuor Angelos ad Euphratem collocat, totidem nationes significat, quæ ad Euphratem habitant. „ Cujusmodi sunt Assyrii, Baby-
„ lonii, Medi, atque Persæ. Hæc enim im-
„ peria quatuor apud Danielem ordine
„ commemorantur. Quorum primi regna-
„ runt Assyrii. Tum Babylonii, qui Da-
„ nielis tempore rerum potiebantur. Secuti
„ sunt Medi: ac postremo Persæ, quorum
„ primus Rex Cyrus extitit. Gentes porro
„ Angelis esse subjectas testis est Moyses Dei
„ servus, qui Danielis orationem velut præ-
„ currens ait: [h] „ *Interroga Patrem tuum, & annuntiabit tibi: Seniores tuos & dicent tibi. Quando dividebat Altissimus Gentes, dispergebat filios Adam. Constituit terminos populorum, juxta numerum Angelorum Dei. Et fuit pars Domini populus ejus Jacob; funiculus hæreditatis ejus Israel.* Igitur cum Angelis nationes subjectæ sint, merito dixit: solve quatuor Angelos, qui sedent in Euphrate, ibique detinentur, ut Gentes bellis inter se se committant, usque ad tempus patientiæ Domini, donec per illos sanctos suos vindicari jubeat. Etenim Angeli illi, quibus hoc Spiritus edicit, coercebantur interim, nec invadendi tempus est illis concessum: quod nondum Dei justitia sinebat, ut cæteræ Gentes ad persequendam sanctorum injuriam solverentur. Iidem tamen soluti denique terram obeunt, ut Joannes ac Prophetæ cæteri vaticinati sunt. Angeli enim dum ad vindictam interdum commoventur, Gentes ipsas ad ulciscendum commovent.

g *cap.* 34.

h *Deut.* 32. 7.

Jam cur loricas illis igneas, & sulphureas, & hyacinthinas tribuat, nemini dubium est; propterea quod hisce coloribus Gentium illarum vestes infectæ sint. Nam quod ad Sulphureas attinet, melinus iste color est, a quo & lanæ quædam appellantur. Igneæ porro vestes, coccineas indicant, quemadmodum Hyacinthinarum vocabulo callaicæ lanæ, hoc est, furrugineæ, significantur. *Hæc ille.* At per *quatuor Angelos ad magnum flumen Euphratis alligatos*, censerem intelligendos esse quatuor Angelos duces & custodes Vespasiani, Titi Muciani & Tiberii Alexandri quorum ingentes exercitus ad Euphratem usque pertingebant: ubi diutissime steterunt, moræ prætextum sumente Vespasiano, quod vellet Hierosolymam prius intestinis dissidiis infringi quam a Romanis obsideretur; at revera expectare volebat quorsum se daturæ essent res Romanæ, teste Josepho [i]. Eo autem hujus ad Euphratem consistentiæ tempore Angeli qui eos ad urbis Hierosolymitanæ vastationem incitaturi erant, vincti fuisse dicuntur, quia

i *lib.* 4. *de bello Judaico cap.* 21.

a Deo

a Deo hoc excidium in aliud tempus reſervante, fuerant prohibiti. Similiter milites illi *Loricas* habebant pro Gentium diverſitate varii coloris, *igneas*, *hyacinthinas & ſulphureas* hoc eſt flammeas, violaceas, & pallidas. At hic me non Interpretem, ſed librorum ſacrorum Diſquiſitorem duntaxat agere, meminiſſe juvat; quamobrem hujuſce Libri finis eſto. (70)

(70) Poſtquam de Libris utriuſque Teſtamenti ab Eccleſia receptis eorumque Authentia, & Canonicitate diſſeruimus in additionibus, non abs re judicamus Librorum Apocryphorum brevem apponere catalogum, tam eorum, qui viris propheticis aliiſque veteris Teſtamenti, quam illorum qui hominibus Dei Spiritu afflatis in novo Fœdere adſcribuntur.

Inter Libros veteris legis circumferebantur ſequentes.

I. *Revelatio Adam*. Hæc a Gnoſticis excogitata exiſtimatur, ut tradit S. Epiphanius in 1. Panarii,
II. *Genealogia Adæ*. A Manichæis conficta, & a Gelaſio in ſuo decreto reprobata.
III. *Apocalypſis Abrahæ*. Ab Hæreticis Sethianis conficta. Reprobatur a S. Epiphanio, & Origene.
IV. *Scriptura Cham* filii Noe. Opus ſummæ impietatis ab omnibus reprobatum.
V. *Oratio Manaſſis*. Apocrypha *negative* ut ajunt, quia inter ſcripturas Canonicas eam Eccleſia non tenet.
VI. *Somnialia Danielis*, ubi ſuperſtitioſa ſomniorum interpretatio perhibetur. Ab Athanaſio reiiciuntur.
VII. *Libros tertium, & quartum Eſdræ* extra Scripturarum canonem ſemper Eccleſia Catholica reliquit.
VIII. *Somnium Eſdræ*. Liber a recentibus confictus Hæreticis, & a S. Inquiſitione damnatus.
IX. *Liber ſub nomine Ezechielis divulgatus*. Apocryphus habetur a S. Athanaſio.
X. *Vaticinia Heldad, & Madad*. nunquam ut ſacra recepit Eccleſia.
XI. *Liber Eliæ* dictus *aſcenſio*, vel *aſſumptio*. Ab Athanaſio, & Hieronymo Apocryphus judicatur.
XII. *Liber Enoch* quidquid dixerit Tertullianus, inter Apocryphos a SS. Patribus reiicitur.
XIII. *Scala Jacob Patriarchæ*, ejuſque teſtamentum a Gelaſio Papa rejectum.
XIV. Liber, qui inſcribitur *Pœnitentia Joannis, & Mambræ* a Gelaſio reprobatus.
XV. *Volumen quoddam* ſub Jeremiæ nomine divulgatum, diverſum ab hujus Prophetæ Libris ab Eccleſia receptis, Apocryphum eſt.
XVI. *Oratio Joſephi* filii Jacobi vel *diſputatio* Apocrypha eſt.
XVII. *Aſcenſio Moſis*, ſicut & alter *Teſtamentum Moſis*, & *Parva Geneſis* Libri ſunt ab Hereticis conficti, ſicut & alter *Geneſis exactius explicata*. Omnes Apocryphi.
XVIII. *Og Regis Baſan* Liber a Gelaſio damnatus.
XIX. *Precationes Salomonis*, *Liber coniurationum ad fugandos Damones*, de quibus Joſephus Lib. 8. Antiquit. *Epiſtola ænigmatica ejuſdem Salomonis ad Hyramum, & ejuſdem Hyrami ad Salomonem*, de quibus Joſephus Lib. 1. contra Appionem. *Liber* inſcriptus *Sapientiæ* Salomonis, diverſus ab eo qui in ſacris Bibliis reperitur. *Clavicula Salomonis*, & Liber cui titulus *contradictio Salomonis*, omnes Apocryphi ſunt, & damnati.
XX. *Libri ſeptem Sethi filii Adam* Apocryphi, & ab Hæreticis, Gnoſticis, Sethianis, & Archonticis conficti, juxta Epiphanium in 1. Panarii.
XXI. *Teſtamentum duodecim Patriarcharum Jacobi Filiorum* Apocryphum eſt, quamvis plura laude digna contineat.
XXII. *Aſſumptio Sophoniæ Prophetæ*. Liber impius ab Athanaſio judicatur.
XXIII. *Appendix Job*, & *Oratio uxoris Job*, qui Libri in Græcorum exemplaribus adhuc habentur, Apocryphi tamen ſunt.
XXIV. *Pſalmus* 151. Davidi adſcriptus Apocryphus eſt, nulluſque Scriptorum unico excepto Athanaſio, ejuſdem aliquando meminit.
XXV. *Præfatiuncula ad Threnos Jeremiæ* Apocrypha eſt.
XXVI. *Libri tertius, & quartus Machabæorum* ut Apocryphos habentur ab Eccleſia.
XXVII. *Liber Tobiæ Junioris* ab Eccleſia damnatus ut magicis impietatibus refertum.

Alii habebantur in Judæorum Eccleſia Libri, qui in Canonicis ſcripturis aliquando citantur; an autem iſti inter Canonicos, & divinos, vel inter Apocryphos eſſent deponendi, ſi ſupereſſent, judicium foret Eccleſiæ relinquendum; in Nota (5) ad librum quartum Diſquiſitionum de hujuſmodi Libris judicium in Scholis decernendum reliquimus. Libri autem iſti erant ſequentes.

I. *Liber Bellorum Domini*. Recenſetur hic Liber Numerorum Cap. 21. Sunt inter Hebræos qui putant hunc eſſe ipſum Numerorum Librum.
II. *Liber Juſtorum*. De hoc Libro fit mentio Joſue Cap. 10. ℣. 13. & Lib. 2. Regum cap. 1. ℣. 18. Varia de hoc Libro tum ab Judæis cum a Catholicis traduntur; Alii quippe opinantur hunc Librum eundem fuiſſe cum Libro Exodi; alii Librum æternæ prædeſtinationis; alii denique Librum legis. Theodoretus vero Commentarium quendam vetuſtiſſimum, ex hiſtoria Libri Joſue per compendium collata fuerit. Omnia hæc incerta.
III. *Liber Henoch*; ſeptimus ab Adam hic eſt. Citatur Henoch a S. Juda in ſua Epiſtola ℣. 14. & a Tertulliano in Lib. de *habitu mulier.*
IV. *Liber Samuelis*, de quo fit mentio in 1. Regum Cap. 10. ℣. 25. Rabbi Moyſes Kimki exiſtimat Librum hunc eſſe primam partem voluminis, quod a nobis dicitur Liber primus Regum.
V. *Liber Salomonis tria millia parabolarum*; de quo 3. Regum Cap. 4. ℣. 29. Auctor quæſtionum Hebraic. putat hunc eſſe Librum Proverbiorum.
VI. *Liber quinque millium carminum Salomonis*. De quo pariter Lib. 3. Regum Cap. 4.
VII. *Salomonis opus ingens Verborum naturæ*. De quo in laudato Lib. 3. Regum Cap. 4. ℣. 33.
VIII. *Salomonis deſcriptio Templi Jeroſolymitani*; de qua in 2. Paralip. 35.
IX. *Liber verborum Salomonis*; *de quo* in 3. Regum Cap. 2.
X. *Liber Regum*; de quo in 2. Paralip. fit mentio Cap. 24. ℣. 27. Hic liber diverſus a quatuor Regum Libris in canone recenſitis exiſtimatur.
XI. *Duo volumina Prophetæ Nathan*; de quibus lib. 1. Paralip. Cap. ultimo, & lib. 2. Paralip. Cap. 9.
XII. *Liber Gad Prophetæ*; de quo in fine Libri 1. Paralip. ℣. 29.
XIII. *Liber Ahiæ Prophetæ*, cujus fit mentio in lib. 2. Paralip. Cap. 9. ℣. 29.
XIV. *Liber Jehu Prophetæ*, de quo in Lib. 2. Paralip Cap. 20. ℣. 34.
XV. *Liber Chozai*; de quo in Lib. 2. Paralip Cap. 33. ℣. 18. Auctor Annotationum in Paralipomenon, quæ S. Hieronymo tribuuntur exiſtimat *Chozai* eundem eſſe cum Propheta Iſaia.
XVI. *Epiſtola Eliæ*, de qua in 2. Paralip. Cap. 21.
XVII. Liber deſcriptionum Jeremiæ; de quo in Lib. 2. Machab. Cap. 2.
XVIII. *Liber dierum Sacerdotis Joannis*: De hoc habetur commemoratio in Lib. 1. Machab. Cap. ultimo ℣. 23.
XIX. *Libri quinque Jaſonis Cyrenei*, ex quibus facta eſt compilatio Libri Machabæorum ſecundi, qui in divinarum ſcripturarum Canone adſcriptus eſt.

Cum

Cum hujuscemodi Libri in sacris Bibliis citati videantur, plures Scriptorum eosdem veluti divinos & Canonicos habuere; nunquam tamen in aliquo sacrorum Librorum Canone apud Hebræos etiam habiti sunt, quod non leve argumentum est a Sacerdotibus quidem & Prophetis fuisse conscriptos, sed industria prorsus humana, & absque peculiari Divini Spiritus assistentia.

Supereſt tandem ut eos recenseamus Libros, qui viris Apostolicis novi Testamenti tribuuntur, sed eorum revera minime sunt.

I. *Apostolorum Actus.* Triplex hujus tituli circumferebatur Liber; eorum unus Ebionitarum erroribus scatens reiicitur ab Epiphanio inter Apocryphos in Lib. 1. adversus Hæreses. Secundus a Leucio Manichæo compositus fuit, quem refellit Augustinus in Lib. de Fide contra Manich. Tertius denique sub nomine S. Lucæ confixit Presbyter quidam Arianus, quem de fraude convictum refert S. Hieronymus in Lib. *de viris illustribus.*

II. *Apostolorum Doctrina* reijcitur ab Athanasio, & ab Eusebio Lib. 3. Hist. Eccles. Cap. 25.

III. *Apostolorum Evangelium, seu Evangelium secundum duodecim Apostolos* inter Apocrypha numeratur ab Origene Homil. 1. in Lucam.

IV. *Apostolorum itinerarium. Apostolorum memoria. Apostolorum sortes. Apostolorum scripta. Apostolorum duodecim vitæ. Apostolorum passiones.* Libri omnes damnati tanquam Apocryphi a Concilio Nicæno II. a Gelasio, a Concilio Bracarensi, & ab aliis Patribus, & Scriptoribus, cum aliqui istorum ab Hæreticis compositi, alii autem falsa, & erronea, vel saltem suspecta contineant.

V. *Apostoli Magni Revelationes* a Cherinto confictus, ut tradit Gajus Origenis discipulus.

VI. *Apostolicus Liber.* Volumen est a Marcione ex mutilatis S. Pauli testimoniis confictum, cujus exemplar a S. Epiphanio lib. 1. adverſ. Hæreſes in confutatione Marcionis inseritur.

VII. *Petri Apostoli Prædicatio.* Hujus Libri testimoniis usi sunt Clemens Alexandrinus Lib. 6. Stromatum, & Origenes Tom. 13. in Joannem, quamvis dubitet an sit authenticus, vel Apocryphus.

VIII. *Petri Judicium. Petri Evangelium. Petri Actus. Petri Apocalypsis. Petri itinerarium.* Omnes isti Libri Apocryphi sunt, ut tradunt Eusebius Lib. 3. Histor. Cap. 3. & Serapion Episcopus in Libro, quem scripsit occasione *Evangelii, S. Petri*, & Gelasius in suo decreto.

IX. Pauli Apostoli *Evangelium. Epistola ad Laodicenses. Epistola 3. ad Corinthios. Epistola 3. ad Thessalonicenses. Epistola ad Senecam. Pauli item Apocalypsis. Pauli Actus. Pauli & Thecla actus.* Hujuscemodi Libri omnes Apocryphi sunt; sed eorum nonnulli veluti genuini ab aliquibus habentur. Evangelium quidem suum sæpe commemorat in Epistolis Apostolus, sicut & Epistolam ad Laodicenses in Epistola ad Colossenses commendat. Varia fuit de hac Epistola sanctorum Patrum sententia, sed nunquam ab Ecclesia Catholica recepta est. Epistolæ Pauli ad Senecam, & istius ad Paulum agnovere S. Hieronymus, & S. Augustinus; nunquam tamen canonicam auctoritatem obtinuerunt. *Pauli Apocalypsis* tanquam Hæreticorum fœtus reiicitur ab Epiphanio Lib. 1. Panar. & Augustino Tract. 98. in Joannem. *Pauli Actum* meminit Eusebius Lib. 3. Histor. Cap. 25. tanquam Libri dubiæ auctoritatis, *Pauli* vero, & *Thecla actus* refelluntur a Gelasio in decreto Librorum.

X. *Evangelia Hebræorum, Ebionitarum, Encratitarum, Nazaræorum; & Ægyptiorum* veluti Apocrypha reiiciuntur a S. Epiphanio Lib. 1. adversus Hæreses, & Lib. 2. Panarii, & ab Ecclesia universa.

XI. *Thomæ Apostoli Evangelium, Actiones, Itinerarium Apocalypsis* proscribuntur ab Athanasio, Gelasio, Epiphanio, & Innocentio I.

XII. *Evangelia Bartholomæi Apostoli; Judæ Iscariothis; Thaddæi; Philippi; Matthæi. & Barnabæ* Apostolorum, nec non *Nicodemi* reiiciuntur a Gelasio, S. Epiphanio, Athanasio, Eusebio, & Origene, & generatim ab Ecclesia Catholica.

XIII. *Mariæ interrogationes magnæ, & parvæ* Liber nefarius; videatur Sixtus Senensis Lib. 2. verbo *Mariæ interrogationes.*

XIV. *Mariæ Stirps*, vel *prosapia*. Liber apud Gnosticos celebris, ut ait Epiphanius lib. 1. Panarii.

XV. *Mariæ transitus* a Gelasio rejectus.

XVI. *Epistola Jesu Christi ad Abgarum Regem* reiicitur a Gelasio.

XVII. *Libri de Infantia Salvatoris; & de Ortu Mariæ* a Gelasio proscripti.

XVIII. *Jesu Christi Magia* aliique improbitatis libri sub Jesu Christi nomine Vulgati, omnes damnati sunt.

XIX. *Liber Pastoris* inter scripturas dubiæ fidei repositus a Gelasio,

XX. *Joannis Apostoli Actus*; ejusdemque *Revelationes circa finem Mundi*; Apocrypha scripta sunt.

XXI. *Acta Andreæ Apostoli* a Gelasio reprobata,

XXII. *Apocalypsis Stephani Protomartyris* a Manichæis conficta, & a Gelasio damnata.

XXIII. *Canones Apostolorum* Apocryphi a Gelasio habiti sunt, hoc est non divinæ auctoritatis.

XXIV. *Sibyllarum Prophetiæ* Apocryphæ, hoc est non divinæ auctoritatis.

Alii plures a Gelasio inter Libros Apocryphos recensentur; nos autem illos solummodo adnotare sategimus, qui hominibus Apostolicis, & Propheticis adscribuntur, ne quis Tyronum, in quorum gratiam hæc omnia collegimus, ex Specioso Sancti Scriptoris nomine authenticum quid judicet, aut præditum venerabili auctoritate, quod nullius ponderis, roboris nullius in disputationibus, si proponatur, esse potest. Nec quidquam facit si Ecclesia ex aliquibus narratis libris quidpiam desumpsit in suis officiis celebrandis, ut ex libro IV. Esdræ Cap. 2. ℣. 37. Introitum exscripsit pro Feria 2. Pentecostes; etenim hujuscemodi fragmenta necesse non est quod canonicæ sint Auctoritatis. Aliqui etiam sanctorum Patrum cum honore aliquando nonnullos suscepere libros, quos tamen nequaquam Ecclesia probavit; isti autem vel non satis Ecclesiæ mentem habuere perspectam, vel sibi utiles hujuscemodi libros existimarunt, vel a majoribus suis eosdem ut veneratione dignos receperant. (W)

FINIS.

INDEX

INDEX GENERALIS

AD TOMUM PRIMUM

DISQUISITIONUM BIBLICARUM

Prior numerus Paginam, Secundus columnam,
Litera *N.* notam indicat.

A

AAron cur nomina Patriarcharum in Sacrificiis deferret. *Pag.* 4. col. 1.
Aaronis Posteris tantum post legem datam sacrificia offerre licitum fuit. 480. 1.
Abacuc quis fuerit. Vide *Habacuc*.
Abdias quando vixerit, & quid prophetaverit? 528. 1. & N. *ibi* 2.
Abdias cæteris non est inferior Prophetis. 529. 2.
Abel quid significet. 476. 1.
Abgarus Epistolam a Jesu revera accepisse non creditur. 640. N.
Abiathar simul cum Patre Sacerdotio fungebatur. 572. 2. N.
Abiatnelechus quam fuerit impius. 441. 2.
Abraham cur ita appellatus. 32. 2.
Abraham veterem a majoribus linguam acceptam posteris suis demandavit, & propagavit. 63. 1.
Abraham non peccavit ancillam ducendo in uxorem. 381. 2.
Abraham an emerit sepulchrum per se, vel per nepotes. 327. 1. & N. *ibi*.
Abrahæ quæ promissiones factæ sint. 380. 1.
Abraham infidelitatis, & incredulitatis redargui non potest. 381. 2.
Abrahæ datum est circumcisionis signum. 380. 1.
Abrahæ, & filiorum ejus peregrinationes quandiu perduraverint. 535. 2. in N.
Abrahæ nativitas. 58. 1. N.
Abrahæ anno 84. qui nam regnarent. 60. 2. N.
Absalom quid significet. 476. 2.
Actus Apostolorum Liber cujus sit dignitatis, & quem habeat Auctorem. 582. 1. & *sequent.*
Actus Apostolici in quo differant ab Evangelio. 584. 2.
Actus Apostolorum Scriptura divina est semper ab Ecclesia recepta. 585. 1.
Actuum Canonicitatem reiciunt hæretici, sed frustra. 585. 1. in N.
Actus Apostolici varii ab Hæreticis conficti sunt. 584. 1.
Adami nomen, & Hevæ quid significet. 61. 2.
Adami & Evæ aliarumque rerum Paradisi Historia. 105. 1.
Adamus an fuerit Psalmorum quorumdam & Librorum Auctor. 27 1.
Adamus an alphabetariæ Scripturæ inventor. 28. 2.
Adam habuit a Deo usum sermonis in sua creatione. 47. 1.
Adæ revelatio, & ejus genealogia, Libri apocryphi. 639.
Ægyptii cui tribuebant Libros, & Legum inventionem. 37. 1.
Ægyptiorum studia quænam. 41. 2.
Ægypti Reges proponuntur. 550. 2.
Ægyptiorum idololatria. 102. 1.
Æthiopia quæ regio sit. 154. 1.
Æthiopum peritia in arte sagittandi. 154. 2.
Æthiopes a quo fuerint in Christiana fide eruditi. 155. 1.
Æthiopes cui Patriarchæ subiecti. 155. 2.
Æthiopes quando, & unde habuerint Scripturam Sacram. 156. 1. & 2., & N. *ibi.*
Aggæus quid significet, & quando nam prophetaverit. 535. 1. & 536. N.
Aggæus tempus suæ Prophetiæ per æram Persarum notavit. 535. 2.
Aggæus eadem floruit ætate cum Zacharia. 537. 1.
Agur quid significaverit. 491. 1.
Alexander Macedo quo sensu dicatur primus regnasse in Grecia. 548. 1.
Alexander Hierosolymorum civitati minatur excidium. 504. 1.
Alexandri Regnum quo sensu divisum fuit eo vivente. 548. 2.
Alexandri imperium in quatuor tantum partes divisum fuit. 549. 2.
Alexander Macedo facultatem condendi Templum in Samaria Sanaballeto non concessit. 73. 2. N.
Allegoria quotuplex in Scriptura. 393. 2.
Allegoriæ non sunt pro libito in scriptura confingendæ. 398. 2.
Allusiones scripturæ Sacræ caute adhibendæ. 403. 2.
Allusiones non pro libito in scriptura statuendæ. 404. 1.
Alogi Apocalypsim Cherinto tribuerunt. 634. 1.
Alogi Apocalypsim veluti inutilem reiiciebant. 638. 1.
Alphabeticæ Scripturæ inventores. 20. 2. & 76. in N.
Alphabeticæ literæ quænam sint. 20. 1.
Alphabeta varia. 75.
Amos quis fuerit, & quando vixerit. 527. 1. & N.
Amos quomodo mortem occubuerit. 528. 2.
Anabaptistæ S. Marci Evangelium reiiciunt, ut interpolatum. 574. 1.
Anabaptistæ Evangelium S. Matthæi ex parte reiiciunt. 567. 2.
Anabaptistæ Canticum Canticorum reiiciunt a censu divinarum Scripturarum. 498. 2.
Angelorum concilium de quo in Libro Jobi quomodo intelligendum. 477. 1. N.
Antiochi quot in Syria regnaverint. 550. 1.
Apocalypsis Liber Canonicus est & divinus. 634. 2. & 635. N.
Apocalypsis liber quid contineat. 636. 2.
Apocryphus liber quis dicatur. 346. 1.
Apocryphorum librorum census. 639. 1.
Appendix ad Librum Job apocrypha est. 480. 2. N.
Aquila Bibliorum Interpres quis fuerit, & quo animo versionem elaboraverit. 187. 1. & *sequentib.*
Arca Noe ubi & quando requievit in terra. 234. 1. & in N.
Arithmeticæ usus invaluit apud Barbaros. 41. 2.
Arphaxadus Ecbatanæ conditor quis fuerit est incertum. 465. 2.
Arphaxadus a Nabuchodonosore victus quis fuerit. 467. 1.

B

BAbylon a quo ædificata. 51. 2.
Babylon dicitur Roma a S. Petro Apostolo, 623. 2.
Babylonicæ Turris ædificatores an peccatum commiserint, incertum est. 53. 1. & *seq.*
Babylonica Turris qua de causa condita fuerit. 52. 1. in N.
Babylonicæ Turris magnitudo, & tempus quo condita fuit. 55. 1. in N.
Babylonica Judæorum servitus aliquam in hebræorum lingua mutationem induxit. 64. 2. & in N.
Balaam quis fuerit, & unde originem habuerit. 270. 2.
Baruch Propheta vere Propheta fuit, & Jeremiæ Amanuensis. 516. 1. & in N.
Baruchi Librum nonnulli Sancti Patres in suo canone minime posuerunt. 517. 1. & in N.
Beli & Draconis historia apud Danielem. 521. 1.
Beniamin quid significet. 564. 2.
Benoni interpretatio. *ibi*.
Berosi opera supposititia. 32. 1.
Bethabara quænam civitas. 324. 1.
Bethania quænam civitas. 324. 2.
Bethulia Judithæ quænam fuerit. 462. 1. in N.

C

CAbul quænam regio. 434. 1.
Cadmus quis, & unde originem habuerit. 93. 1. & 2.
Cadmus Græcos literas docuit. 93. 1.
Caino signum impressum fuit, & quale. 29. 2.
Cain quæ verba dixerit fratri suo. 233. 1.
Canon quid significet, ejusque multiplex significatio. 347. 1. & *seq.*
Canonis vox quo sensu sacris Libris adscripta, 348. 1.
Canones Librorum sacrorum quot apud Hebræos, 348. 1. & *seqq.*
Canones Sacrorum Librorum in Ecclesia quando condi cæperunt. 350. 1.
Canones Sacrorum Librorum a Græcis Patribus conditi. 351. 1.
Canones Sacrorum Librorum a Patribus Latinis instituti. 355. 1.
Canones Sacrorum Librorum a Conciliis & Summis Pontificibus editi. 356. 1.
Canon Librorum Sacrorum a Concilio Tridentino editus, legitimus est. 358. 1. in N.
Canonicorum voluminum duo ordines distinguendi. 456. 2.
Canonicitati Librorum non officit incertitudo Auctoris, aut citata alicujus prophani Scriptoris auctoritas. 547. 1.
Canones Apostolici Apochryphi sunt. 350. 2.
Canones Hebraici Sacrorum Librorum quando nam facti sint. 350. 1. in N.
Cantica quindecim graduum quare sic dicta. 484. 1.
Cantica Canticorum Liber excellentissimus. 496. 1.
Cantica Canticorum habent Salomonem Auctorem. 497. 2.
Cantica Canticorum non in suæ Sponsæ gratiam Salomon scripsit. 497. 2.
Cantica Canticorum castos exprimunt amores Christi & Ecclesiæ. 498. 2.
Cantica Canticorum Hæretici divinæ auctoritatis negant esse. 498. 2. & *seq.* & in N.
Cantica Canticorum metrice scripta sunt. 497. 1.
Cantica Canticorum solis ætate provectis legenda concedebant Judæi. 499. 2.
Chaldæi quomodo Israelitarum majores dicantur, 63. 2.
Chaldaicæ linguæ vestigia aliqua in veteri testamento. 61. 1. & 2.
Chaldaicæ Paraphrases. *Vide Paraphrases.*
Cham quis fuerit & an libros scripserit. 31. 2.
Choshen quare a Latinis dictum sit rationale. 4. 1.
Christus in veteri testamento pluries prænuntiatus est ut Nazaræus. 170. 1.
Christus non solum meritorum sed etiam titulorum suorum voluit nos esse participes. 232. 1.
Christo quomodo applicentur illa Deuteronomii verba *maledictus omnis qui pendet in ligno.* 380. 1.
Christi fuga in Ægyptum habet cum Israelitarum in Ægyptum transmigratione analogiam. 397. 2.
Christus de Semine David nascituros promittitur. 498. 2.
Christi genealogia cur per tres Tesseradecades designetur. 568. 1.
Christi Sectatores variis nominibus appellati. 559. 2.
Commentaria in Hebraicam Editionem. 124. 1. & *seq.*

D

DAbir cur dicatur Civitas literarum. 40. 2.
Dæmon sub serpentis figura Evam seduxit. 425. 1.
Daniel quid significet, & unde sit ortus. 519. 1.
Daniel quando cœpit prophetare. 520. 1. & N.
Daniel vere propheta fuit. *ibidem.*
Danielis oracula nonnulli Judæorum reiiciunt. *ibidem.*
Danielis liber Canonicus est quoad omnes ejus partes. 521. 1. & *seq.*
Danielis liber partim hebraice, partim Chaldaice cur fuerit scriptus. 522. 2.
Daniel bis in lacum leonum injectus. 524. 2.
Danielis Interpres quo sensu arbores *Sebinum*, & *Prinum* intellexerit. 523. 1.
Daniel quando nam captivus factus est. 520. 1. in N.
Dan Civitas quando nam fuerit eo nomine appellata. 416. 2.
Dan Civitas duplex. 417. 1.
Danitarum expeditio contra Civitatem Lesem. 434. 1.
Danitarum Tribus dissitas occupavit regiones. 418. 1.
Darius Hystaspis fuit Estheris maritus, 472. 2.
Darius Hystaspis Templi ædificationem permisit Judæis. 536. 1
Darius Nothus Samaritanum Templum ædificari permisit. 73. 1. N.
David plurium psalmorum est Auctor. 484. 2. & *seq.*
Davidi psalmorum Liber adscribitur. 485. 2.
Davidi quinam psalmi certo adscribendi sint. 485. 1. N.
Debbora quænam fuerit. 439. 1.
Deus in libris referri voluit quæ Mosi revelavit. 414. 1.
Deus cur legem dederit hominibus cognoscens ab eis violatum iri. 424. 2.
Deo membra corporis quo sensu Scriptura tribuat. 428. 2.
Deuteronomium ab accusationibus Amamæ circa versionem vindicatur. 276. 1, & *seq.*
Deuterotæ quinam essent apud Hebræos. 489. 2.
Divinatio in quo differat a prophetia. 9. 2.

E

EBionitæ Evangelium apocryphum habuerunt. 557. 2.
Ecclesiæ est de Sacrorum Librorum auctoritate judicare. 359. 1.
Ecclesiastis Liber cur tali nomine inscribatur. 493. 1.
Ecclesiastis Liber veluti divinus semper habitus est. 493. 2.
Ecclesiastis Liber quem habeat auctorem. 494. 2. & *sequent.*
Ecclesiastis Liber ab aliquibus Hereticis vellicatur. 495. 1. & in N.

Ec-

Ecclesiastici Liber cur ita dictus, 505. 1.
Ecclesiastici Auctor quis fuerit. 506. 1.
Ecclesiastici Auctor non fuit Salomon. 506. 2.
Ecclesiastici Auctor quando vixerit. 507. 2. & in N.
Ecclesiastici Liber Canonicus est. 508. 2. & *seq.* & in N.
Editiones variæ divinorum Librorum, sed præcipua fuit Hebraica. 119. 1. & *seq.*
Editio Hebraica hodierna. 120. 1.
Editio Syriaca Scripturarum. 146. 1.
Editio Syriaca duplex. 147. 1.
Editionis Syriacæ antiquitas. 147. 2.
Editionis Syriacæ ex Græca expressæ antiquitas, 148. 2. & in N.
Editionis Syriacæ utilitas. 149. 2.
Editiones aliæ Scripturæ Divinæ. *Vide* versiones Scripturæ.
Eleazarus Pontifex LXXII. seniores misit ad Philadelphum. 160. 2.
Electa cui scripsit S. Joannes quænam fuerit. 631. 2.
Eliachim de quo in Libro Judith quis fuerit. 464. 2.
Elimelech quis fuerit, 442. 2.
Encratitæ Evangelium sibi vindicarunt. 558. 2.
Ephod quid & quotuplex fuerit. 3. & *sequent.*
Epistolæ Canonicæ. *Vide* nomina sacrorum Scriptorum singillatim.
Esdras non fuit auctor punctorum vocalium. 87. 1.
Esdras quis fuerit, & qualis. 452. 1.
Esdras omnes sacros Libros sui temporis in unum volumen redegit. 373. 2.
Esdras antiquam Hebræorum Scripturam permutavit. 80. 2.
Esdras quid erga Sacros Codices præstiterit. 120. 1.
Esdræ Libri quatuor adscribuntur. 453. 1.
Esdræ posteriores Libri duo apocryphi sunt. 454. 1. & N.
Esdræ Libri posteriores duo in veneratione habiti sunt. 455. 1. & N.
Esther quæ fuerit & unde originem traxerit. 468. 1.
Estheris Libri Auctor quis. 468. 2.
Estheris Liber Canonicus est. 469. 2. & N.
Estheris conjux quis. 471. 1. & *seqq.*
Ethnici Scriptores non accurate temporum historiam describunt. 38. 2.
Ethnicorum sectæ præcipuæ quænam fuerint. 98. 2.
Ethnicorum poetæ, & philosophi eadem ferme de Deo sentiunt, ac Moses. 98. 1.
Ethnicorum sapientes aliorum scripta sibi adscisscere consueverunt. 108. 1.
Ethnicorum sapientes, & poetæ ex Libris Mosaicis plurima abstulerunt. 108. 1. & *seq.*
Ethnici præcipua suarum Legum, & cæremoniarum capita a Libris Mosaicis desumpserunt. 111. 1. & *seq.*
Ethnici mulieris creationem variis commentis deturparunt. 423. 2.
Ethnici plura de linguarum origine comminiscuntur. 48. 2. & *seq.*
Eva ex Adami costa formata non debet figurate intelligi. 398. 2.
Eva omnium viventium mater dicitur. 476. 1.
Evangelistæ tempus præsens pro futuro usurpare solent. 319. 1.
Evangelistæ, & Prophetæ uno ore locuti sunt. 320. 2.
Evangelistas quatuor dumtaxat agnovit Ecclesia. 562. 1.
Evangelium quid significet. 556. 1.
Evangelium unicum est licet quatuor Auctores illud scripserint. 557. 1.
Evangelia varia ab Hæreticis conficta. 557. 2. & *seq.*
Evangelium secundum Hebræos quod non fuerit. 559. 1.
Evangelium S. Jacobi. 561. 1.
Evangelium Nicodemi. *ibidem.*
Evangelium S. Matthæi. 563. 1.
Evangelium Matthæi qua lingua scriptum fuerit. 564. 1. & N.
Evangelium S. Matthæi quinam hæretici oppugnarent. 566. 1. & *seq.*
Evangelium S. Marci cur scriptum fuerit. 570. 1. & *seq.*
Evangelium S. Marci interpolatum esse Anabaptistæ contendunt. 574. 1.
Evangelium S. Marci totum authenticum est. 575. 2. & in N.
Evangelium Marci quo tempore, & qua lingua scriptum fuerit. 572. 1. & in N.
Evangelium S. Lucæ cur scriptum fuerit. 577. 2.
Evangelium Lucæ quando nam scriptum fuerit. 578. 2.
Evangelii S. Lucæ divinitas defenditur. 579. 1. in N.
Evangelium Joannis qua de causa scriptum fuerit. 579. 1.
Evangelium Joannis quo tempore, loco, ac lingua scriptum fuerit. 579. 2. & *seq.*
Evangelium Joannis quid præ cæteris contineat, 580. 2.
Evangelii S. Joannis divinitas defenditur. 581. 1. in N.
Evangelia Apocrypha, quænam sint. 640.
Ezechias infirmitate quando vexatus. 513. 1. in N.
Ezechiel ubi, & quando prophetaverit. 518. 1.
Ezechielis prophetia quot capita, & versus contineat. 519. 1.
Ezechiel ubi nam mortuus. 518. 2. & in N.
Ezechielis prophetia divinæ auctoritatis est. 519. 1. & N.
Ezechiel quid significet. 518. 1.
Ezechielis vaticinia Labyrinthum, & Oceanum Mysteriorum appellat S. Hieronymus. 518. 1.
Ezechielis vaticinia qua de causa obscura sint, *ibidem.* 2.
Exodi Liber juxta vulgatam versionem nulla includit errata. 241. 1. & *sequent.*

F

Fagius quandoque hallucinatur. 247. 1. & *seq.*
Fagius & Liranus in versione aliquando non conveniunt. 252. 2.
Faustus plura de Christo impie sentit. 379. 2.
Faustus veteris testamenti auctoritatem evertere conabatur. 377. 2.
Faustus triplex legum genus admittebat. 382. 2.
Felicitas hujus vitæ in quo sit reponenda. 494. 1.
Filii excussorum qui sint. 304. 1.
Firmamentum pro frumento a nonnullis sumitur. 302. 1.

G

Gemara quid sit. 131. 2.
Gematria quot modis fieri solebat. 84. 1.
Gedeon, & Phua Fratres uterini diversos Patres habuerunt. 442. 1. in N.
Gelasius Papa indicem Apocryphorum librorum confecit. 346. 2.
Græca scripturæ versio fuit ad Evangelium præparatio. 158. 1.
Græca versio quo tempore facta sit. 165. 2 & N.
Græca versio an in cellulis facta sit. 166. 1.
Græca versio an Spiritus Sancti peculiari adsistentia facta sit, 168. 1. & *seq.*
Græca versio cur discrepet a textu Hebraico. 173. 1. & *seq.*
Græca versio quot Libros veteris Testamenti contineat. 178. 1. & *seq.*
Græca versio an una, vel plures a septuaginta Interpretibus, facta sit. 181. 1. & *seq.*
Græca versio LXX. Interpretum an prorsus expurgata sit sub Xisto V. 185. 1. & *seq.*
Græcæ versiones aliæ divinarum Scripturarum. 187. 1. & *seq.*

H

HAbacuc Propheta quando vixerit. 533. 1. & *seq.*
Habacuc Propheta an idem qui Danieli cibum detulit. 524. 1. & 534. in N.
Hebraica lingua prima omnium est. 59. 1.
Hebraicæ linguæ antiquitatem nonnulli impugnant. 62. 2. & *seq.*
Hebræus quis omnium primus fuerit appellatus. 65. 1. & *seq.*
Hebraica lingua an illibata in Ægypto perseveraverit inter Hebræos. 67. 1. & *seq.*
Hebraicæ linguæ usus post captivitatem Babylonicam an integer perseveraverit. 71. 2.
Hebraicæ linguæ laus. 66. 2.
Hebron, & Dabir a Josue deinde a Caleb expugnatæ.
Hebron ante Mosem appellabatur Civitas Cariat-Arbe. 418. 2.
Hermippi duo fuerunt. 162. 2.
Hierombalus quis fuerit. 22. 1. & *seq.* in N.
S. Hieronymus in Scripturis vertendis maxime laboravit. 199. 1. & *seq.*
S. Hieronymus in Hebraica lingua quammaxime versatus. 200. 1. N.
S. Hieronymus duplicem Scripturæ versionem confecit. 200. 2.
S. Hieronymus cur ex Hebræa Latinam versionem ornaverit. 201. 1. & *seq.*
S. Hieronymus plures habuit adversarios. 202. 1.
S. Hieronymus quos ex Hebræo verterit Libros. 203. 1.
S. Hieronymus quid circa novum Testamentum præstiterit. 203. 2.
S. Hieronymus quo ordine, & quo tempore Libros Sacros vertit. 204. 1. in N.
S. Hieronymi versio an sit vulgata nostra. 205. 1. & *seq.*
S. Hieronymi versionem esse vulgatam nostram probabilius est. 206. 1. in N., & *seq.*
S. Hieronymus adversus Origenem acrior fuit. 184. 1.
Homerus Mosi ætate inferior. 45. 1.
Homeri ætas, & Patria incerta. 44. 1.
Homerum plures Ethnici Scriptores præcesserunt. 45. 1.
Hypolemniscus, & Lemniscus qui sint. 184. 2., & 191. in N.

I

S. JAcobus quis fuerit. 620. 1.
S. Jacobi Epistola vere Canonica est. 622. 1.
S. Jacobus Minor Epistolam scripsit. *ibi* 1.
SS. Jacobum, & Joannem non *Boanerges*, sed *Benereem* fuisse appellatos nonnulli opinantur. 322. 1. & in N.
S. Jacob Patriarcha quem titulum erexerit. 34. 1.
Jamim vox diversimode explicatur. 237. 2. & 239. in N.
Idolorum quis primus inventor. 505. 1.
Idumæi non fuerunt expulsi a suis sedibus ante Davidis tempus. 419. 2.
Jehova nomen varie a Græcis deflexum. 23. 2. & *seq.*
Jeremias quis fuerit, & quando floruit. 513. 1.
Jeremiæ Stylus qualis fuerit. 514. 1.
Jeremias quos Libros scripserit. 514. 2. & *seq.*
Jeremias quando prophetaverit. 516. 1. in N.
Jeremias quando abscondit Tabernaculum & Arcam. 550. 1. & *seq.*
Indices varii Sacrorum librorum. *Vide Canones Sacrorum Librorum.*
Interpretes Lxx. cur aliquid in sua interpretatione mutaverint. 173. 1. & N. *Videatur Græca versio.*
S. Joannes Evangelista quis fuerit & unde originem habuerit. 579. 1.
S. Joannes quo tempore scripserit Evangelium, 579. 2.
S. Joannes qua lingua scripserit. 580. 1.
S. Joannes cur Evangelium scripserit. 581. 1.
S. Joannis Evangelii divinitas defenditur. 581. 1. in N.
S. Joannes tres scripsit Epistolas. 628. 1.
S. Joannis Epistola prima ad quos data fuit. 629. 2.
S. Joannis duæ posteriores Epistolæ perperam eidem aliqui abjudicant. 630. 2.
S. Joannis Epistolæ Canonicæ sunt. 629. 1. in N.
S. Joannis Apocalypsis quando scripta. 636. 1.
S. Joannis Apocalypsis scriptura canonica est. 634. 1. & 635. N.
Jobi origo & ætas. 40. 1. & 480. N.
Jobi Liber ejusque partitio, & canonicitas. 474. 1. & *seq.*
Jobi liber quem habeat Auctorem. 479. 1. & *seq.* in N.
Jobi liber veram continet Historiam. 475. 1.
Joel quis fuerit, & quo tempore prophetaverit. 526. 1. & 527. N.
Jonas quid significet, & quo tempore vixerit. 529. 1. & *seq.*
Jonathas auctor Paraphrasis cujus fuerit auctoritatis. 141. 2. & in N.
Jonathas non fuit auctor Paraphrasis in Prophetas & legem. 142. 2. & in N.
Joseph fuit pater Tribuum Manassis & Ephraim. 69. 2.
Josephus Historicus plura de Christo prætermisit. 569. 2.
Josephus laudat studium Judæorum in colligendis Sacris libris. 349. 2.
Josephus aliqua tradit de diversitate Sacrorum librorum. 350. 1.
Josue quis fuerit, & quo genere ortus. 434. 2.
Josue merito sui Libri censetur Auctor. 431. 1. & 432. N.
Josue quandiu vixerit. 433. 1.
Josuæ nomen permutatum. 434. 2.
Josuæ Liber dividitur in quatuor partes. 435. 2.
Josuæ regimen in populo quandiu perseveraverit. 435. 1. in N. & *seq.*
Josuæ Liber Canonicus est. 436. 1. & 437. 2. N.
Isaias quis fuerit, & quem habuerit patrem. 510. 1. & *seq.*
Isaias alios Prophetas longe excelluit. 511. 2.
Isaiæ vaticinia quot capita & versus contineant. 511. 1.
Isaiæ vaticinia quibus dicta sint. *ibidem.*
Isaiæ vaticinia an omnia in Literas relata sint. 513. 2.
Isaiæ vaticiniorum integritas & ordo. 512. 2. & 513. N.
Isaiæ oracula divina sunt & Canonica. 513. 2. in N.
Isaiæ mors. 512. 1.
Israelitæ quot in Ægyptum ingressi. 585. 1. in N.
Israelitæ quandiu in Ægypto permanserint. *ibidem.*
Israelitarum decem Tribus quando in captivitatem adductæ. 73. 1. in N.
Isidorus Clarius quis fuerit, & quam versionem ediderit. 331. 1.
S. Judas quis fuerit. 632. 1.
S. Judæ Epistola Canonicæ auctoritatis est. 633. 1. & *seqq.*
Judæorum dispersio quare facta. 223. 2.
Judæi aliqua repudiarunt ex voluminibus. 224. 1.
Judæi quatuor suppliciorum genera habebant. 227. 1.
Judæorum status triplex fuit Monarchichus &c. 569. 1.
Judæorum aliqui dicti sunt *Hellenistæ*. 614. 1.
Judæi plura in textu Hebraico adulterarunt. 225. 2. & *sequent.*
Judæorum quilibet Dux Librum legis habebat. 12. 1.
Judæorum Respublica sub Persis & Græcis non omnino obscurata. 113. 2. & *seq.*
Judæis aliqua opponuntur. 414. 2.
Judæi quænam habuerint Scripta. 429. 1. & *sequent.*
Judæorum cum Ægyptiis communicatio. 68. 1. & *sequent.*

Judæorum varii dialecti. 71. 2.
Judæorum Scholæ celebres 91. 1.
Judæis conceſſa fuit Scriptura. 119. 1.
Judæi duplicem habent ſcripturæ interpretationem 124. 1.
Judæi duplicem ſenatum habebant. 125. 2. & 127. in N.
Judæorum Pontifex qualis eſſe debebat. 126. 2.
Judæi quomodo Scripturam Sacram diſtinguerent. 364. 2.
Judæi quando nam Hieroſolymis expulſi fuerint. 464. 2.
Judicis nomen bifariam accipitur. 438. 1.
Judicum Liber quare ita inſcriptus. *ibidem*.
Judicum omnium geſta in eo libro ſcripta non ſunt. 440. 1.
Judicum Liber quot annos contineat incertum eſt. 440. 1.
Judicum Liber vetuſtiſſimus eſt. *ibidem*. 2.
Judicum Liber quem habeat auctorem, incertum eſt. *ibid*. 2.
Judicum Liber divinæ auctoritatis eſt. 441. 1. in N.
Judices omnes peculiari ſanctitate ornati non ſunt. 441. 1.
Judithæ genus, & proſapia. 459. 1.
Judithæ Libri auctor incertus. *ibidem*. 2.
Judithæ Liber veram hiſtoriam continet. 460. 1. & *ſeq*. & in N.
Judithæ hiſtoriam poſt captivitatem Babylonicam contigiſſe probabilius eſt. 462. 1. & in N & 467.
Judithæ Liber canonicus eſt. 463. in Notis.
Judithæ Arphaxadus quis fuerit. 465. 2.
Juliani calumniæ in legem Moſis a S. Cyrillo refelluntur. 422. 1. & *ſeq*.
Juſtorum Liber qui fuerit. 432. 2. & *ſeq*.

K

Kabbala quid ſit. 83. 1.
Kabbaliſticæ Scriptionis tres modi. *ibi*. 2.
Kabbaliſticæ Scriptionis auctorem Angelum Rabbini faciunt. 85. 1.
Kabbaliſtica Scriptio ad quid profit. *ibi*. 2.
Kabbalæ deſcriptiones. 136. 1. & *ſeq*.
Kabbalæ elogia tradit Reuclinus. 137. 1. & N.
Kabbaliſtica doctrina triplex diſtinguitur. 138. 2.
Kabbaliſtica Judæorum doctrina peſſima eſt. 139. 2.
Keri & *Ketib* quid ſint. 135. 1.
Keri & *Ketib* quem habeant auctorem. 136. 1.

L

Lamuel quis. 491. 1.
Lais Civitas non eſt eadem ac Leſen. 434. 1.
Laodiceni Concilii decretum de Libris Canonicis. 357. 1.
Levitarum munera varia.
Lex Moſaica quonam caractere ſcripta fuerit. 78. 2. & *ſeq*.
Lex æterna quid ſit. 381. 2.
Liber Dei triplex. 18. 1. & *ſeq*.
Liber Bellorum Domini quis fuerit. 420. 2.
Liber pacti & fœderis quis. 421. 1.
Librorum duplex genus. 345. 2.
Librorum veteris Teſtamenti num aliqui perierint. 366. & *ſequent*.
Libri qui perierunt an divinæ eſſent auctoritatis. 369. 1. & 370. N.
Libros Sacros perdere tentavit Antiochus. 121. 1.
Libri Sacri an in captivitate Babylonica perierint. 120. 1.
Libri Sacri dogmata continent veræ Religionis. 373. 1.
Libri veteris teſtamenti quamnam apud Chriſtianos auctoritatem obtineant. 376. 1.
Librorum Sacrorum auctoritas vindicatur. 371. 1. & 372. & 373. N.
Librorum Sacrorum integritas. 366. 1. & *ſeq*.
Linguæ uſus primo homini conceſſus. 48. 1.
Linguæ primigeniæ varietas quomodo contigerit. 50. 1. & *ſeq*.
Linguarum confuſio quomodo acciderit. 55. 1. & N.
Linguæ Matrices quot in diviſione. 55. 2.
Linguarum diviſio quando facta. 58. 1. & N.
Lingua primæva quandiu perſeveraverit. 59. 1. & *ſeq*.
Linguarum diverſitas ante diluvium non fuit. 50. 1.
Linguam Chaldaicam omnium primam nonnulli credunt. 62. 2.
Linguarum donum non omnibus fidelibus ad Eccleſiæ initium datum. 564. 1.
Lingua vernacula Chriſti & Apoſtolorum quæ fuerit. 151. 1. & N.
Literarum quis inventor. 92. & *ſeq*.
Literarum inventores alii. 75. 1. in N.
Locutio Dei ad homines multiplex. 2. 2.
S. Lucas quis fuerit. 576. 1.
S. Lucæ nomen unde, & quid ſignificet. *ibi*. 2.
S. Lucas qua de cauſa ſcripſerit Evangelium. 577. 2.
S. Lucæ Evangelium totum canonicum eſt. 579. in N.
S. Lucas quandonam ſcripſit Evangelium. 578. 2.
S. Lucas ſcripſit Acta Apoſtolorum. 583. 1.

M

Machabæi nomen unde derivandum. 541. 1.
Machabæi etiam Aſſamonæi dicti. *ibi*. 2. & 542. N.
Machabæorum Libri quot. 543. 1.
Machabaicorum Librorum Auctores qui. 544. 1. & *ſeq*.
Machabæorum Librorum Auctoritas. 545. 1.
Machabæorum Librorum auctoritatem expungentes refutantur. 546. 1. & *ſeq*.
Machabæorum Librorum divinitas defenditur. 547. in N.
Machabæorum Hiſtoria componitur ex utroque Libro. 554. in N.
Machabæorum Libri tertius, & quartus Apocryphi. 543. 1.
Machabæorum Liber primus Hebraice, ſecundus Græce ſcriptus. 553. 2.
Malachiæ nomen quid ſignificet. 538. 1.
Malachias male cum Eſdra confunditur. 539. 1.
Malachias quo tempore floruerit. 539. 1. in N.
Malachias vere Propheta fuit. 540. 2.
S. Marcus quis fuerit. 570. 1. & *ſeq*.
S. Marcus quo tempore ſcripſerit Evangelium. 572. 1. & N.
S. Marcus qua lingua ſcripſerit Evangelium. *ibi*. 2. & *ſeq*.
S. Marci Evangelium totum Canonicum eſt. 574. 2. & 575. N.
Mardochæus quis fuerit. 471. 1.
Maria Virgo mediatrix noſtra a Patribus appellatur. 232. 2.
Maria Virgo ſpecialiter dicitur Sponſa Dei. 498. 1.
Marius queritur de quibuſdam concionatoribus. 404. 1.
Maſſora quid ſit. 132. 1. & *ſeq*.
Maſſoræ auctores qui fuerint. 134. 1. & N.
S. Matthæus quis fuerit, & quando ſcripſerit. 563. 1.
S. Matthæus quo idiomate ſcripſerit. 564. 1. & N.
S. Matthæus cur ſcripſerit Evangelium. 565. 2.
S. Matthæi Evangelium Manichæi oppugnabant. 566. 1.
S. Matthæi Evangelium quoad Chriſti Genealogiam impugnabant Anabaptiſtæ. 567. 1.
S. Matthæus per tres Teſſeradecades Chriſti Genealogiam perducit. 568 1.
S. Matthæus cur tres generationes in Chriſti Genealogia omiſerit. 569. 1.
Medorum Reges cur Arbaces dicti ſint. 466. 2.

Me-

Mercurii Triſmegiſti libri qui ſint. 36. 1.
Mercurius Amanuenſis Saturni dicitur. 36. 2.
Mercurii Libri ſuppoſititii ſunt. 37. 1.
Mercuriales columnæ. 38. 1.
Metaphora ſenſum literalem habet aliquando: 398. 1.
in Metaphoris tria ſpectantur. *ibi*.
Michæas quis fuerit, & quomodo prophetaverit. 530. 1.
Michææ nomine duo fuerunt Prophetæ. *ibidem*.
Miſchna quid ſit. 128. 1.
Miſchna quando conſcripta fuerit. *ibidem*, & 129. in N.
Miſchna quinque traditionum genera continet. 129. 1.
Miſchnæ Commentarii præcipui. 130. 1.
Monetæ veterum Judæorum. 77. 1.
Monetæ ſignatæ uſus. *ibi* in N. & *ſequent.*
Moſes plura ore tenus Iſraelitis tradidit. 10. 2.
Moſes cur Tautus dictus. 24. 2.
Moſes primus literarum inventor creditus fuit. 26. 1.
Moſes plura de ſe ſiluit. 27. 1.
Moſes an ſit Mercurius librorum inventor. 37. 1.
Moſes quas artes calluerit. 41. 1.
Moſes quo tempore floruerit. 43. 1. & *ſequent.*
Moſes ſcriptores quos noſcimus ætate præceſſit. 44. 1.
Moſes qua lingua Scripturam fuerit auſpicatus. 46. 1.
Moſes aliquam Scripturæ partem exaravit. 47. 1.
Moſes alphabeticæ Scripturæ auctor cenſetur. 42. 2.
Moſis Libros Ethnici ſapientes legerunt. 95. 1. & *ſeq.*
Moſis doctrinam de Deo, de rerum principiis Ethnici Sapientes uſurparunt. 98. 1. & *ſeq.*
Moſis ſanctitas, & ſapientia. 409. 1. & *ſeq.*
Moſes eſt Pentateuchi Auctor. 407. 1. & *ſeq.*
Moſes fuit hiſtoricus, & propheta. 419. 1.
Moſis Pentateuchus ab Juliani cavillationibus vindicatur. 422. 1. & *ſeq.*
Moſes linguam hebraicam caluiſſe creditur. 71. 1. in N.
Mulier in viri adjutorium quo ſenſu dicitur facta. 424. 1.

N

Nabuchodonoſor quo ſenſu Babylonem ædificavit. 466. 1.
Nabuchodonoſor quot annis regnavit. *ibidem*.
Nabuchodonoſor de quo in Judithæ Libro Ninive imperavit. 467. 1.
Nahum Propheta quis fuerit & quibus prophetaverit. 531. 1.
Nahum quando prophetaverit. 532. 2. & 533. N.
Nazaræi cur ab Eccleſia rejecti. 559. 2.
Nazaræi Evangelium adulteratum S. Matthæi retinebant. 560. 1.
Nazaræi Legem Moſis ſervandam defendebant. 559. 2.
Nazaræi nomen quid ſignificet. 171. 1.
Nehemias ſuum Librum ſcripſit. 453. 2.
Nehemiæ liber Canonicus eſt. *ibi*.
Nehemiæ dotes. *ibi*.
Nehemias quandiu vixerit. 454. 2. & N.
Ninives quam magna. 529. 2.
Ninivem quis condiderit. *ibi*.
Noe multimode ab Ethnicis ſub nominibus variis pingitur. 108. 1. & *ſeq.*
Noemi Hiſtoria. 442. 2.
Notarica Scriptura quæ ſit. 83. 1.
Numeri Liber juxta Vulgatam defenditur. 262. 1.

O

Obſcuritas Scripturæ Sacræ ab Hæreticis non admittitur. 384. 1.
Obſcuritatem Scripturæ agnoverunt Sancti Eccleſiæ Patres. 385. 1. & *ſeq.*
Obſcuritatis Scripturæ variæ cauſæ. 386. 2.
Obſcuritas Scripturæ ab Hæreticorum argutiis impugnata defenditur. 388. 1. & *ſeq.*
Ori vox Hebraica plures patitur expoſitiones. 240. 1.
Origenes circa Scripturam plurimum laboravit. 189. 2.
Origenis Hexapla & Octapla. 190. 1. & *ſequent.*
Oſeas quis fuerit, & quando prophetaverit. 524. 1.
Oſeas unde oriundus. 525. 1. & Nota.
Oſeæ Libri diviſio. *ibi*. 2.
Oſeas quomodo ſumpſiſſe dicatur filios fornicationum. 526. 1.
Oziæ plaga ob uſurpatum Sacerdotii officium. 527. 2.

P

Parabola quid ſignificet. 489. 1.
Parabolæ Salomonis in Libro Proverbiorum continentur. 490. 1.
Parabolæ apud Hebræos uſitatæ. 489. 2.
Paralipomenon Libri cur ita inſcribantur. 449. 1.
Paralipomenon Auctor quid intenderit præſertim. 450. 1.
Paralipomenon Libri poſteriores Libris Regum creduntur. 451. 1.
Paralipomenon Auctor quis. 451. 2. & *ſeq.*
Paralipomenon Liber primus quid contineat. 451. 2. in N.
Paralipomenon Libri Canonicæ ſunt auctoritatis. 454. 1. in N.
Paraphraſes Chaldaicæ Dei providentia editæ ſunt. 140. 1.
Paraphraſes triplicis generis ſunt. 141. 1. & *ſeq.*
Paraphraſum Auctores quando floruerint. 141. 2. in N.
Paraphraſis Onkeloſi magnæ auctoritatis fuit. 141. 1.
Paraphraſis Jonathanis differt ab Onkeli paraphraſi. 142. 1.
Paraphraſes aliæ. 143. 1. & *ſequent.*
Paraphraſum antiquitas. 144. 1. in N.
Paraphraſum utilitas. 144. 2. & *ſeq.* in N.
S. Paulus quis fuerit, & qualis. 586. 1. & *ſeq.*
S. Pauli nomen. 587. 2.
S. Pauli Epiſtola ad Romanos ubi, & qua de cauſa ſcripta. 588. 1. & *ſeq.*
S. Pauli Epiſtola ad Romanos non prima eſt tempore inter Apoſtoli Epiſtolas. 589. 1.
S. Pauli Epiſtola I. ad Corinth. cur ſcripta. 591. 2.
S. Pauli Epiſtolæ aliæ quæ canonicæ ſunt. 592. 1. & *ſequent.*
S. Pauli Epiſtolæ quatuor ab Hæreticorum calumniis vindicantur. 594. 1. in N.
S. Paulus quo temporis ordine Epiſtolas dederit. 595. 1.
S. Pauli Epiſtola ad Hebræos. 605. 1.
S. Pauli Epiſtola ad Hebræos impetitor, ſed & vindicatur. 606. 1. & *ſeq.*
S. Paulus eſt Auctor Epiſtolæ ad Hebræos. 610. 2.
S. Pauli Epiſtola ad Hebræos ad quos data, & quo idiomate ſcripta. 614. 1.
S. Paulo variæ Epiſtolæ præter quatuordecim adſcribuntur, & quæ. 616. & *ſeq.*
S. Petrus quis fuerit, & quibus prædicaverit. 622. 1.
S. Petrus unde epiſtolam primam dederit. 623. 1. & *ſeq.*
S. Petrus Romam revera venit. 624. 1. in N.
S. Petrus quo anno Epiſtolam primam dederit. 625. 2.
S. Petrus ſecundam dedit Epiſtolam, & quare. 625. 1 & *ſeq.*
S. Petri Epiſtola ſecunda aliquando in dubium verſa fuit. 626. 1. & *ſeq.*
S. Petro alia ſcripta tribuuntur. 627. 1.
S. Petri Epiſtolæ ab Hæreticorum calumniis vindicantur. 627. 1. in N.
Phaleg quid ſignificet, & quando natus fuerit. 57. 1. & 58. 2.

Phaſe immolatio. 412. 2.
Picus Mirandulanus illuſus a Judæis. 138. 1.
Platonis ſententia de auctore literarum. 21. 2.
Plutarchi opinio de victimis. 112. 1.
Prophetæ cur alii majores, alii dicantur minores. 524. 1.
Prophetarum in tempore ordo quis. 524. 1.
Prophetæ res futuras ut præſentes aſpiciunt. 534. 1.
Prophetarum a Pſeudo-prophetis diſcrimen. 9. 1.
Prophetandi modus per Enigmata. 8. 1.
Prophetandi modus peculiaris Moſi conceſſus. 10. 1.
Proverbiorum Auctor quis. 488. 1.
Proverbiorum Libri variæ inſcriptiones. *ibi.* 2.
Proverbiorum Libri Auctor. 490. 2. *& ſeq.*
Proverbiorum Liber Canonicus eſt. 492. 1. N.
Proverbiorum Librum ex Græco & Hebraico Latinum fecit Hieronymus. 490. 1.
Pſalmorum Liber eſt compendium divinæ legis. 481. 1.
Pſalmorum ab Hymnis & canticis differentia. 482. 1.
Pſalmorum diviſio ab Hebræis facta. 484. 1.
Pſalmi non ordinantur juxta tempus quo editi ſunt. 484. 2.
Pſalmorum Auctor quis. 484. 2.
Pſalmorum Auctores varii. 485. 1. & N.
Pſalmi qui Davidis ſint. 485. 1. N.
Pſalmi CL. divinæ ſunt auctoritatis, 487. 1. N.
Ptolemæus Philadelphus Sacram Scripturam verti curavit. 159. 2.
Pythagoras fuit Hebræorum auditor. 95. 1.
Pythagoram præſtigiatorem fuiſſe Porphyrius ait. 425. 1.

Q

QUirinus quo tempore apud Judæos præſes. 323. 1.

R

RAchelis ſepulcrum quodnam fuerit. 34. 2.
Raphael Archangelus mentitus non eſt cum Tobia. 458. 1.
Ratio & oratio ſingulares hominis prærogativæ. 46. 1.
Rationale judicii quid ſit. 4. 1.
Rationali duæ inerant virtutes. 5. 2.
Regum Libri varie inſcribuntur & dividuntur. 445. 1.
Regum Libri primi diviſio & Auctor. *ibi.* 2.
Regum Liber I. canonicus eſt. 446. 1. N.
Regum Liber ſecundus in quot capita ſit diviſus. 446. 2.
Regum Liber ſecundus quam Hiſtoriam contineat. 447. 1. in N.
Regum Liber tertius quomodo dividatur & quid contineat. 447. 1. & N.
Regum Liber quartus quam hiſtoriam contineat. 448. 1. in N.
Regum Librorum tertii, & quarti quis Auctor. 448. 1.
Regum Librorum Canonicitas defenditur. 449. 1. in N.
Robertus Stephanus qualem exitum habuerit. 333. 1.
Ruben primogenituram perdidit. 240. 1.
Ruth Liber. 442. 1.
Ruth Liber cur ſcriptus. 443. 1.
Ruth Liber canonicus eſt. 444. 2. in N.
Ruth Libri quis Auctor. *ibi.* 1.

S

SAbellianorum error de Trinitate. 558. 2.
Salomon Proverbiorum Auctor. 490. 2.
Salomon trium Librorum eſt Auctor. 488. 1.
Samaritanorum origo. 72. 1.
Samaritanorum Regnum quandiu perſeveraverit. 73. 1. & N.
Samaritanorum Religio. *ibi.* 1.
Samaritanorum Literæ alphabeticæ. 75. 1.
Samaritanorum in Romanos rebellio. 74. 2.
Samaritani ſolum Pentateuchum recipiunt. 75. 1.
Samaritani quandonam templum in monte Garizim ædificarunt. 74. 1.
Samaritanorum Scriptura. 75. 1. *& ſeq.*
Samuelis Libri & Laudes. 446. 1.
Samuelis anima an ſuſcitata fuerit a Pithonyſſa. 450. 2. in N.
Sapientiæ Liber ab Hæreticis reiicitur. 500. 1.
Sapientiæ librum cur Judæi rejecerint, juxta S. Iſidorum. 501. 1.
Sapientiæ libri quis Auctor. 502. 1. *& ſeq.*
Sapientiæ libri canonicitas ab Hæreticis defenditur. 501. 1. N.
Sapientiæ librum oppugnare tentat Calvinus. 504. 2.
Sardanapalus quis fuerit & quomodo ceciderit. 532. 1.
Scriptura *Dei verbum* nuncupatur. 1. 1.
Scriptura Sacra dicitur Sanctuarium Dei. 10. 1.
Scriptura dicitur Epiſtola Dei. 12. 1.
Scripturæ divinæ auctor eſt Deus. 13. 1.
Scriptura Sacra cum ſumma pietate legenda. 12. 2.
Scriptura Sacra cur dicatur *Pandectæ*. 14. 1.
Scriptura Sacra dicitur *Pactum*, *Fœdus*, & *Teſtamentum*. 15. 1.
Scripturæ ſacræ divina auctoritas & veritas. 371. 1. & 372. 1. & N.
Scripturam Sacram in lingua ſibi vernacula habuit Eccleſia. 196. 2.
Scripturæ verſio vulgata eſt Authentica. 212. 2.
Scriptura ſacra fuit ab Judæis interpolata. 221. 1. *& ſeq.*
Scriptura Sacra cur ad nos uſque pervenit. 225. 1.
Scriptura Dei duplex. 18. 1.
Scriptura triplex apud Ægyptios. 18. 2.
Scriptura Hebraica quare dicta fuerit Aſſyria. 78. 2.
Scripturæ genus duplex. 345. 2.
Sem patriarcham Plutonis nomine appellarunt Mythologi. 110. 2.
Senatui Judæorum ſummus Sacerdos præſidere ſolebat. 126. 1.
Senatus inferiores Judæorum varii. 127. 1. N.
Senſus varii divinæ Scripturæ. 391. 1. *& ſeq.*
Sophonias quis fuerit & a quibus originem habeat. 534. 1.
Sophonias quando prophetaverit. 535. 1.
Spiritus Sanctus præcipuus eſt Scripturæ auctor. 397. 2.
Spiritus Sanctus triplici modo adeſt Scriptoribus Sacris. 213. 2.
Spiritus Sanctus Miniſter Patris æterni dicatur. 126. 1.
Stephanus quo ſenſu ait Moſem fuiſſe eruditum ſapientia Ægyptiorum. 409. 2.
Sybillarum oracula. 39. 2. N.
Symmachus qualis fuerit. 188. 1.
Syriaca verſio Scripturæ. 146. 2.
Syria quænam regio. *ibi.* & in N.
Syriæ Regum ſeries. 550. 1.

T

THaddæus quis fuerit. 632. 1.
Tabernaculorum civitates quæ. 241. 1.
Thalmud Hieroſolymitanum quid ſit. 130. 1.
Thalmud Babylonicum, *ibi.* 2.
Thalmud plures continet blaſphemias. 131. 1.
Thalmudiſtæ quomodo dividant vetus Teſtamentum. 362. 1.
Tatianus quis fuerit. 558. 2.
Tatiani diſcipuli fuerunt Encratitæ. *ibidem.*
Templum Hieroſolymitanum quando conditum fuit. 436. 1. & N.
Teſtamenti utriuſque veritas a Chriſto, & Apoſtolis prædicata. 377. 1.
Teſtamenti utriuſque Deus eſt Auctor. *ibidem.*

Teſtamenti veteris Libri præcepta continet duplicis generis. *ibi*.
Teſtamenta quatuor a Deo data ſunt hominibus. 15. 2.
Teſtamenti veteris Libros omnes non vertit S. Hieronymus. 203. 1.
Teſtamenti novi Scriptura quomodo diſtribuatur. 555. 2.
Teſtamenti novi Librorum alia diſtributio. 364. 1.
Textus Hebraicus, & Græcus cur diſcrepent. 173. 1. & *ſeq.*
Textus Hebraici utilitas. 230. 1.
Textum Hebraicum eſſe invariatum nonnulli opinantur. 222. 2.
Theodotion quis fuerit. 188. 2.
Theautatis nomine Moſes adumbratus. 22. 1.
Theuth quis fuerit. 21. 2.
Thummim quid. 3. 2.
Ticonius regulas interpretandi ſcripturas tradidit. 404. 1.
Tigurina editio Scripturæ Sacræ. 332. 1.
Tituli Eccleſiarum unde. 34. 1.
Tobias quis fuerit, & qualis. 455. 1.
Tobiæ libri Auctor. 456. 1.
Tobiæ liber Canonicus eſt. 456. 2. & N.
Tremellius quis fuerit. 335. 1.
Triſmegiſtus de Deo egregie ſcripſit. 97. 2.

V

Valentiniani unde errorem de nuptiis hauſerint. 558. 1.
Vanitatum ſpecies variæ. 494. 1.
Vatablus quis fuerit. 333. 1.
Verbum Dei multiplex. 2. 1. & *ſeq.*
Verbum Dei aliud ſcriptum, aliud non ſcriptum. 10. 1.
Verbum Dei triplici modo hominibus revelatur. 10. 1. in N.
Verſio Græca. *Vide græca ſcripturæ verſio.*
Verſio Hebraica. 120. 1.
Verſiones aliæ. *Vide editiones.*
Verſio vulgata Latina. 193. 1. & *ſeq.*
Verſio Vulgata cæteris præferenda eſt. 218. 1. & in N.
Verſionis vulgatæ auctor ſenſum multoties vertit, non literam. 245. 1.

X

Xerxes Perſarum Rex quis, & qualis fuerit. 471. 1. & *ſeq.*

Z

Zacharias quis fuerit. 537. 1.
Zachariæ vaticinia. 538. 2.
Zegerus explicat verba Chriſti *ſic eum volo manere*. 326. 1.
Zohar Liber. 131. 2. & *ſeq.*
Zoroaſtris ætas & numerus. 35. 1. & *ſequent.*

FINIS.

BSB Bayerische StaatsBibliothek
MDZ Münchener DigitalisierungsZentrum Digitale Bibliothek

Frassen, Claude, 1620-1711

Disquisitiones Biblicae R. P. F. Claudii Frassen Ordinis Minorum Regularis Observantiae S. Francisci Professoris Emeriti, Et Parisiensis Doctoris in Duo Volumina Distributae
Bd.: 1.

Lucae (1769)

2 Exeg. 231 m-1
urn:nbn:de:bvb:12-bsb10326876-3
VD18 12745235-001